BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
12 F
17

Digitized by Google

BIBLIOTHECA
MAXIMA
PONTIFICIA
TOMVS XVII.

Digitized by Google

Digitized by Google



BIBLIOTECA NAZ.
A
VITTORIO EMANUELE

BIBLIOTHECA MAXIMA PONTIFICIA

IN QVA

Authores melioris notæ qui hactenus pro Sancta Romana Sede, tum Theologicè, tum Canonicè ſcripſerunt, ferè omnes continentur.

PROMOVENTE, AESQVE SVPPEDITANTE

ILLVSTRISS. ET EXCELLENTISS. D.

D. FR. IOANNE THOMA DE ROCABERTI

Prælato domeſtico aſſiſtente ſacro Solio, ab INNOCENTIO XI. Archiepiſcopo Valentino: olim in eiuſdem Vrbis Vniuerſitate S. Theologiæ Primario Profeſſore, Ordinis Prædicatorum in Prouincia Aragoniæ Prouinciali, poſtmodùm totius Religionis Generali Magiſtro; ſemel, atque iterum Valentini Regni Prorege, & in præſentia Hiſpaniarum Inquiſitore Generali.

SANCTISS.MO IN CHRISTO PATRI

INNOCENTIO XII.

DIVINA PROVIDENTIA PONTIF: MAX:

DICATA.

TOMVS XVII.

ROMÆ, M.DC.XCVIII.
Ex Typographia Ioannis Franciſci Buagni.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiſs. Patri Magiſtro Sacri Apoſtolici Palatij.

Dominicus Belliſarius de Bellis Epiſc. Melphicten. Viceſg.

CENSVRA

TOMI XVII.

BIBLIOTHECÆ PONTIFICIÆ.

De ordine Reuerendiſs. P. Paulini Bernardinij Sac. Palatij Apoſtolici Magiſtri reuidi infraſcripta Opera: Fr. Nicolai Coeffeteau: De Monarchia Eccleſia Romana, Nicolai Sanderi: De Claue Dauid. Onuphrij Panuinij: De Primatu Petri. In ijs nihil reperi contrarium Fidei, aut bonis moribus, quare cenſeo poſſe permitti, quod imprimantur, vt Decimus ſeptimus Tomus Bibliotheca Pontificia. Ita cenſeo ego infraſcriptus. Ex Ædibus S. Maria in Porticu in Campitello hac die 10. *Nouembris* 1698.

Franciſcus Maria Campionus
Examinat. Synod. in Vrbe.

Imprimatur,

Fr. Paulinus Bernardinius Ordinis Prædicatorum Sacri Apoſtolici Palatij Magiſter.

Digitized by Google

AVTHORES

Quorum opera in hoc XVII. Tomo continentur.

Fr. Nicolai Coeffeteau : De Monarchia Eccleſiæ Romanæ.

Nicolai Sanderi : De Claue Dauid.

Onuphrij Panuinij : De Primatu Petri.

INDEX CAPITVM

Huius Decimiſeptimi Tomi.

FR. NICOLAI COEFFETEAV,

Ex Ordine Prædicatorum Theologi Pariſienſis Regis Chriſtianiſſimi à publicis, & ſanctioribus Conſilijs Maſſilienſis Epiſcopi deſignati.

Pro Sacra Monarchia Eccleſiæ Catholicæ, Apoſtolicæ, & Romanæ aduerſùs Rempublicam M. Antonij de Dominis, libri quatuor Apologetici quatuor eius libris prioribus oppoſiti ibique Synopſis. pagina 1.

Diſcuſſio capitis Libri primi.

Dignitas ſummi, ac præcipui capitis Eccleſię Chriſto vindicata, Vicarij Capitis Petro, & ſucceſſoribus, probatur à Patribus, & ſoluuntur obiectiones; Chriſtum habere Vicarium, non ſucceſſorem, & fuiſſe caput Eccleſiæ in terris. pag. 3

Diſcuſſio ſecundi capitis Libri primi.

Apoſtolos fuiſſe Miniſtros Chriſti. Quæ præcipua eorum munia. Error Spalatenſis in explicatione Æconomi, cùm Reges quoque ſint Æconomi, & Miniſtri, & Chriſtus ipſe; Miniſtros Chriſti præditos eſſe auctoritate, & ſoluuntur argumenta. 26

Diſcuſſio tertij capitis Libri primi.

Eccleſiam præcipua quadam ratione Petro commendatam à Chriſto, magnificentiùs cum Petro egiſſe Chriſtum, quàm cum reliquis Apoſtolis, qui proindè in adminiſtranda Eccleſia pares non fuerunt Cyprianus explicatus, ſic Hieronymus, Auguſtinus, Ambroſius, Chryſoſtomus, Leo Magnus, Caietanus, Baronius, Bellarminus defenſi. Illuſtris locus Auguſtini, quo maximè gloriatur Spalatenſis orthodoxis vindicatus. pagina. 31

Diſcuſſio quarti capitis Libri primi.

De Chriſto Vicario. Titulum Vicarij Chriſti eminentiori modo prę reliquis Apoſtolis conuenire Petro. Improbè Spiritum Sanctum Vicarium cenſeri Chriſti. Refelluntur errores Spalatenſis, & Tertulliani, Auguſtini, & Ambroſij locus explicatus. Reliqui Apoſtoli fuerunt Vicarij Chriſti, ſed non pares cum Petro. 44

Diſcuſſio quinti capitis Libri primi.

De vero Primatu Petri. Spalatenſis in explicando Primatu Petri fraudes. Quo ſenſu Petrus, & Paulus dicti Principes Apoſtolorum malè Spalatenſis exiſtimat Primatum Petri anteuertiſſe omnem promiſſionem Chriſti locus Matth. 19. explicatur. Inæqualitatem inter Apoſtolos admittit Spalatenſis. Eius de primatu ætatis vocationis, & charitatis, nugæ exploſæ. pag. 49

Diſcuſſio ſexti capitis Libri primi.

De ſenſu horum verborum tu es Petrus. Catholici his verbis maximè fidunt; ea enim ad Petrum proximè pertinet; hæc eſt ſententia orthodoxorum; expenduntur aliæ tres ſententiæ de ſenſu horum verborum, quem Bellarminus tribuit hæreticis. Conciliantur patres illorumq; ſenſus, & defenduntur Baronius, Bellarminus, Turrecremata. 64

Diſcuſſio ſeptimi capitis: Libri primi.

Expenditur locus ille tibi dabo claues. Verba illa ad vnum Petrum proximè pertinent ex Patrum ſententia, & tamen pleniſſimam poteſtatem ligandi, atque ſoluendi habuiſſe Apoſtolos, hoc quomodo intelligendum, Cyprianus fusè explicatus, Optatus, & Leo ortodoxis aſſerti, Bellarminus, & Maldonatus defenſi. Vrgentur circumſtantiæ verborum tibi dabo. Quomodo ex Auguſtino Petrus Perſonam geſtarit Eccleſiæ contra Spalatenſem. pag. 95

Diſcuſſio octaui capitis: Libri primi.

Expenduntur verba Paſce oues meas. Petri Primatum ibi potentiſſimè ſonare, hoc docere Patres omnes. Magnum Paſtorum Chorum eſſe in Eccleſia non tamen pares. Vnum Petrum ſummum. Soluuntur argumenta ex Patribus, & myſteria Spalatenſis, & commenta depulſa. 109

Diſcuſſio noni capitis: Libri Primi.

Propugnantur, & à calumnijs Spalatenſis vindicantur omnes prærogatiuæ Petri, quæ vel ex Scripturis habentur, vel ex traditione, mutatio nominis, in Apoſtolorum enumeratione primus locus, Inceſſus ſuper aquas Reuelatio, firmitas Petræ, Tributi penſitatio, Nauis, & piſcationes, Confirmatio Fratrum, Apparitio Chriſti poſt reſurrectionem, Lotio pedum, prædictio mortis Chriſti, Contentionis Occaſu, Inſtructio pro omnibus, Interrogationes, & reſponſiones pro omnibus; Gladij ius, Vigilantia, Inſtructio de correptione fraterna. Matthiæ Apoſtolatus; Prima prædicatio; Primum miraculum, Percuſſio Ananiæ, Viſitatio Eccleſiarum, Gentium prima conuerſio, publica oratio pro Petro, Præſidentia in Concilio, Viſitatio Pauli, Corinthiaca diſſenſio baptiſmus à Chriſto habitus, & Epiſcopatus; Deiectio Simonis Magi, Romana Sedes, Domine quò vadis Fundatio ſedium Patriarchalium, Feſtum Cathedræ, Nomen Petri in formatis. Turrecremata, Bellarminus, Baronius, vbique defenſi. 123

Diſcuſſio decimi capitis: Libri primi.

De Teſtimonijs Patrum, pro Primatu Petri, Spalatenſem nullum poſſe ducere argumentum è Patrum ſcriptis, refelluntur, ea quæ nobis, & illis obijcit, & plures Patres à calumnijs vindicantur; fraudes detectæ potiſſimum in loco Cypriani, qui totus aſſeritur orthodoxis, Bellarminus defenſus, & primatus Petri, ex Patribus Latinis, & Græcis, & iudicium improbum Spalatenſis de orthodoxis reiectum. pag. 146

Diſcuſſio vndecimi capitis: Libri primi.

Spalatenſis inſigniter eſt abuſus S. Scriptura. Explicatur, Reges gentium dominantur, Item nolite vocari magiſtri, Apoſtolos confinxiſſe ſibi regnum, omnes Apoſtolos fuiſſe Paſtores Eccleſiæ, ſed Petrum fuiſſe celſiore faſtigio, Chryſoſtomus in hanc rem adductus. Septem Diaconorum renuntiatio ab omnibus Diaconis facta expenditur, ſoluitur locus de miſſione, & alius de ſententia pro abrogandis legalibus, à Iacobo pronunciata, quas partes in eo Concilio habuerit Petrus, quo iure Paulus Petrum reprehenderit, fuiſſe errorem conuerſationis non prædicationis quid ſenſerint de hac Auguſtinus Cyprianus, de collega, & fratris nomine, ſoluuntur argumẽta, ex alijs Patribus; de epiſtola ad Galatas, & obiter de abolendis hæreticorum libris; quo ſenſu reliquos Apoſtolos maximè verò Paulum cum Petro contulerint Patres. 166

Diſcuſſio duodecimi capitis: Libri primi.

Monarchia commendatur, ac illuſtratur, ea contineri Eccleſiam oſtenditur, quidquid ex ſacris literis à Spalatenſi affertur, diluitur, ac profligatur. Dubia, & perplexa ſententia Spalatenſis de forma regiminis Eccleſiæ. Eius in re inconſtantia notata, & ineptiæ depulſæ; Defenduntur Orthodoxorum rationes pro Monarchia. Veterem Eccleſiam Monarchia delectatam. Teſtimonia ſapientum pro eius præſtantia, ac dignitate, Monarchiam colligi ex Euangelio, ac ſemper in Eccleſia obtinuiſſe, excutiuntur, ac refelluntur, quæ à Spalatenſi pro Ariſtocratia, & Democratia contra earum impugnatores afferuntur. 189

Digitized by Google

Diſcuſſio primi capitis : Libri quarti.

Spalatenſis Petrum Romano ſolio deijcere conatur dubium eius mortis locum facit,tandem tamen Romæ martyrio coronatum aſſerit, Teſtimonia vetuſtiſſimorũ Patrum pro Petri martyrio Romæ defenditur. Auctoritate eorumdem Patrum,quos ipſe profert, & deindè aliorum; ſtultè inter orientales, & occidentales fuiſſe ea de re diſſidium. Vt dicatur Papa Vicarius Petri, Cypriani locus, explicatus Baronius, & Bellarminus defenſi, Cur Pontifices Vicarios dixerint; Pontificum modeſtia,Innocentius III.ab immaneri calumnia purgatus Petrum Romanum fundaſſe Eccleſiam probatur ex Patribus, Apoſtoli vbique Apoſtolicam poteſtatem exercere potuerunt; aliud tamen eſt poteſtas aliud poteſtatis executio. Quo ſenſu Paulus etiam dictus Romanns Epiſcopus; Petrum procul dubio conſtat prędicaſſe primum Romanis.Spalatenſis obiectiones refelluntur, multa à Luca in Actibus prætermiſſa; Babylonis nomine Roma intelligitur ex Patribus, & hæreticorum commenta refelluntur, & Spalatenſis de Petro, & Paulo æqualibus, & quo ſenſu plerique Pontifices Petrum, & Paulum ſuæ dignitatis auctores faciunt; Baronius defenditur. Petrus coactus abeſſe Roma Linum, & Clementem coadiutores ſuos relinquit. Diſſertatio Petauij de Petri profectione Antiochena, & Romana laudata, & Chronologia eiuſdem contra Chronologiam Spalatenſis. 206

Diſcuſsio ſecundi capitis: Libri quarti.

Comparatione à Iudæis ſumpta vocatis ab vna tribu oſtenditur nomine Eccleſiæ Romanæ totam Eccleſiam Catholicam cenſeri, ac comprehendi, oppoſitiones Spalatenſis diſſoluuntur eiuſque errata. Trifariàm dici poſſe Catholicam, & quo ſenſu dicatur Romana Athanaſius, Hieronymus, Auguſtinus declarati, Eccleſia Romana fons,& origo,reliquarum radix. Quatuor Epiſcoporum ordines ſunt, & omnes comprehendit Pontifex, Sirmondus citatur, confutatur Spalatenſis; Auctoritas Romani Pontificis extenditur, & particulariter, & in vniuerſam Eccleſiam Canon ſextus Nicœnus Explicatur. Patriarchatus Occidentis aſſertus Pontifici à Patribus, longè alio ſenſu quàm à ſchiſmaticis Græcis. Primatum Romani Pontificis agnouerunt Nicæni Patres, Chalcedonenſes,Imperator Valentinianus, Pontifex habuit ſub ſe Metropolitas etiam in ſua ſpeciali Diœceſi. Vetus Canonis Nicœni expoſitio, Baronius, & Bellarminus defenſi Interpretatio Nicolai I. Eccleſia Romana vniuerſalis, ac Catholici Theodori Studitæ pro Pontifice teſtimonium,Socratis locus emendatus,Proſperi Romanæ Eccleſiæ Elogium, & diuerſorum Patrũ encomia; De Bulgaria, & inſcriptione tumuli, ſeu epitaphio Stephani Sexti. 244

Diſcuſsio tertij capitis: Libri quarti.

Spalatenſis ſimilis Balaam,inducit Patres iu laudem Eccleſiæ Romanæ ob fraudem. Probat Hieroſolymam Romæ prælatam, ſed refellitur, & probatur Petri merito Romam factam caput orbis. Id viſum Patribus Nicænis, Concilio Romano ſub Felice Tertio furtiuo canone Chalcedonenſi, Hugo Etherianus orthodoxus aſſertus, Baronius defenſus; Quorſum Alexandria Antiochiæ prælata. Zozimus, Gelaſius, Nicolaus Primus defensè. De ficta donatione Conſtantini Imperatores Eccleſiaſticæ dignitatis aſſertores,non Auctores, eorum teſtimonia. De Babylone dicta Roma; & Hieronymo, qui Clerum Romanum inſectatur non ſanctiſsimum ordinem; De Epiſtola ad Theſſalonicenſes. 258

Diſcuſsio quarti capitis : Libri quarti.

Conſtantinopolitanorũ Antiſtitum ambitio cauſam præbet Mahometanis inuadendi Græcorum Imperium contrà Spalatenſẽ. Quamuis tamẽ illi æquauerint potentiam Romæ numquam tamen primatum Eccleſiaſticum vendicare ſibi potuerunt. Furtiuus canon examinatur, eiuſque mala, & ezploſio à Romano Pontifice, eius defectus illum non eſſe Concilij, Legatos prohibuiſſe promulgationem, Anatolium pænitet fraudis. Soluuntur obiectiones pro vſu, & paxri canonis, legem ſanciendo canoni per fraudẽ à Theodoſio Atticus extorſit; & rurſus Spalatenſis obiectiones refelluntur, Leo defenditur, Hormiſdas explicatur, Temporum incurſu, & Imperatorum fauo-

fauore ſecundùm loco occuparit Patriarcha Conſtantinopolitanus. Nugę Spalatenſis in ſoluẽdis noſtrorum argumentis profligatæ, Gelaſius propugnatus contra magnitudinem Vrbiũ, Gregorij moderatus animus nihil tamen de dignitate remittit. Græcorum de Primatu Romana falſa vaticinia, Eccleſia Conſtantinopolitana Romanæ ſemper ſubiecta. 271

Diſcuſſio quinti capitis: Libri quarti.

Cardinales vt aliæ res humanæ initio non ita fulgebant, eorum creuit dignitas. De nomine Cardinalis, Onuphrij ſententia depulſa, Bellarminus defenſus. Cardinalatus apex omnium dignitatum terræ, Baronij iudicium de titulis Cardinalium Eccleſiarum, Spalatenſis de Cardinalibus nugę depulſæ. Quinam Eccleſiaſtici in ſententia Gregorij incardinati dicerentur; nempe Clerici externi, Cypriani locus in hanc rem expenſus, Immodeſtia Spalatenſis, Ioannes Octauus defenſus, Rectum Bellarmini iudiciũ De Cardinalibus. Olim erant Epiſcopis inferiores nunc Superiores, quia ſunt Conſiliarij Pontificis, & ipſum eligunt. Legati Pontificis etiamſi Presbyteri tantùm Epiſcopis anteibant, vt in Concilio Epheſino; dignitas ciuitatis aliquid contulit, non tamen cauſa proxima. Diaconi Romani reprehenſi à Hieronymo non erant Cardinales, nec omnium labes fuit. Spalatenſis mendacia, & contumeliæ repulſæ. Rectè Bellarminus ex ſacris ordinibus quibus initiantur colligit eorum dignitatem. Cardinales æquiparantur Regibus, & tria eorum officia expenduntur; Viris Eccleſiaſticis aliquando permiſſum gubernare res temporales. Inferiores Clerici aliquando Prælati Epiſcopis ratione dignitatis, vel officii in aula habiti. Cardinales ornant non maculant Eccleſiam, Platina vituperans indulget dolori, ſemper ſunt magni viri; Quæritur an ſuccedant Apoſtolis. Eorum fulgor tempore Bernardi. Matthæus Paris Romanæ Eccleſiæ hoſtis, Spalatenſis confutatus Baronius defenſus de Hieronymo, & eius Cardinalatu, De falſa donatione Conſtantini, Bernardus, & Damianus pro Cardinalibus defenſi. Pontificis eſt eligere optimos. 298

Diſcuſſio ſexti capitis: Libri quarti.

Eccleſiæ Auctoritas perpetua Romanorum, Pontificum ſucceſſione propugnatur, veterum Patrum teſtimonijs. Malè putat Spalatenſis Pontificem Romanum non eſſe peculiarem Petri ſucceſſorem, eius commenta, & obiectiones profligatæ, Baronius, & Bellarminus defenſi, Auguſtinus fusè explicatus Pontificem Romanum Petro ſuccedere orthodoxi omnes agnoſcunt, & Patres, Petrum Romæ fixiſſe ſedem ab omnibus Hiſtoricis, & alijs Eccleſiaſticis ſcriptoribus oſtenditur. 343

Diſcuſſio ſeptimi capitis: Libri

Spalatenſis fruſtra probare nititur Chriſtum, qui eſt primarium caput noluiſſe alium eſſe Monarcham niſi ſe ipſum; Cauſam primam ſecundas non excludere ex Patribus. Pontifex ſuccedit Petro. Pariſienſes ab impoſtura vindicati, Pelagius, & Gregorius I. ab ipſorum intellectu. Quo ſenſu Æcumenici, ſeu Epiſcopi vniuerſalis nomen auerſati ſint Pelagius, Gregorius, & Adrianus I. Vnum eſſe in tota Eccleſia caput fusè oſtenditur. Robuſtiſſimum Gregorij argumentum aduersùs Patriarcham Conſtantinopolitanum non contra Romanum Pontificem. Refelluntur, quæ ſunt à Spalatenſi in innocentes Pontifices iactata. De pedum oſculis. Auctoris obitus. 354

NICO-

NICOLAI SANDERI ANGLI,

Sacræ Theologiæ Profeſſoris.

De Claue Dauid, ſeu Regno Chriſti, libri ſex contra calumnias Accleri pro viſibili Eccleſia Monarchia, ibique Synopſis, & quod rectè titulus affixus eſt huic libro.

pagina. 395.

LIBER PRIMVS.

De Claue Dauid.

Cap.j. DOmus in Scripturis ſignificat Eccleſiam, clauis poteſtatem, cuius ius, vt penès Chiſtum, ità & miniſterium penès Petrum, & ſucceſſores Petri eſt. 400

Cap.ij. Quantò præclariùs poteſtas Eccleſiæ per Clauis, quàm per Gladij vocem exprimatur. 401

Cap.iij. Clauis poteſtatem, & antiquiorem, & ſublimiorem eſſe, ac gladium materialem ſub ſe comprehendere. pag. 402

Cap.iv. Quid ſit Clauis Dauid, & vnde hoc nomen depromptum videatur. pag. ibidem.

Cap.v. Gladium Dauidis eiuſdem claui ſubiectum fuiſſe. 404

Cap.vj. Blaſphema illa Magdeburgenſium doctrina confutatur, qua negant Chriſto demandatum eſſe, vt regna tunc conſtituat, cum id electorum ſaluti expedit. ibid.

Cap.vij. Quomodo intelligenda ſint ea Chriſti verba Regi verba. Quis me conſtituit Iudicem, aut diuiſorem ſuper vos. 410

Cap.ix. Spiritualis poteſtas Chriſti conſtit in eo quod, & ſpiritualibus inſtrumentis, vt ſunt ſacramenta, & alijs modis, qui prouehunt ad æternam ſalutem vtatur, etiam cum temporali damno aliorum. 412

LIBER SECVNDVS.

De Claue Dauid.

Cap.j. CHriſtum militantis Eccleſiæ ſuę militans fundamentum, & ab initio fuiſſe, & vſque ad finem ſæculi manere. 416

Cap.ij. Quomodo Chriſtus adhuc ſit militans fundamentum Eccleſiæ ſuæ. pag. ibid.

Cap.iij. Petrum loco viſibilis præſentiæ Chiſti viſibile, ac militans Eccleſiæ fundamentum fuiſſe. 417

Cap.iv. Quàm ſuperior cæteris Apoſtolis vnus ſit tam in iure, quàm in vſu clauium. 418.

Cap.v. Summá prærogatiuarum Petri ſupra omnes alios Apoſtolos. 416

Cap. vj Cùm vna ſit Dauidis, & Chriſti clauis, cur plures claues Petro ſint datæ. 424

Cap.vij. Quanta ſit vis poteſtas, & efficacia clauium regni cælorum. ibid.

Cap.viij. Quam imperitè Proteſtantes negent peccata re ipſa per claues Eccleſiæ remitti, & auferri. 425

Cap.ix. Verbis ligandi, & ſoluendi ampliſſimam poteſtatem Chriſti miniſtris dari leges condendi, & de criminalibus tum iudicandi, tum pænam ſtatuendi. 426

Cap.x. Petrum in clauium regni cœlorum, & gladij ſui ſpirituali, qui eſt verbum Dei, ſecundòm ouium quas paſcere iubebatur conditionem etiã politici gladij, non ciuile, aut politicum, ſed cæleſte ius à Chriſto accepiſſe. 428

Cap.xj. Chriſtum iuſſiſſe Apoſtolos, quamquam Magdeburgenſes fruſtrà id oppugnent, etiam corporalem gladium habere, & portare. 431

Cap.xij. Quod Petrus poſt aſcenſionem Domini legitimè ſit vſus gladio ſuo non manu, ſed ore illum vibrans. 433

Cap.xiij. Cur Apoſtoli Neronem, aut Domitianum iure imperij non priuarint. 434

Cap.xiv. Cur Apoſtoli habentes poteſtem non erexerunt in Regem aliquem Chriſtianum. ibid.

Cap.xv. Fidem Chriſtianam debuiſſe tandem etiam armis defendi, Regeſque, & fideles conſtitui, & hæreticos priuari. 435

Cap.xvj. Apoſtolos priuaſſe Imperatores adhuc infideles omni ſpontanea Chriſtianorum obedientia etiam in ſecularibus cauſis. ibidem.

LIBER TERTIVS.

De Claue Dauid.

Cap.j. POſita ipſorum Proteſtantium etiam falſa Euangelij interpretatione tamẽ inde conuinci vnum aliquem Petro in primatu ſuccedere debere. 437

Cap.ij. Quàm parum docti ſint, qui Petrum negant Romæ fuiſſe. 438

Cap.iij. De Inſtitutione Romanæ Cathedræ, & Dei operibus in ea. 439

Cap.iv. Verè Apoſtolicum Eccleſiæ Romanæ primatum in fide propaganda, in docendo, & baptizando omnes gẽtes admirabiliter lucere. 446

Cap.v. De Viſibili Eccleſiæ Catholicæ vnitate cuius,& prima parens propter Petri Cathedram,& præcipua nutrix Eccleſia Romana eſt. 448

Cap.vj. Quàm teſtata ſemper, & nota fuerit Eccleſiæ Romanæ fides, & poteſtas, tum doctis, tum indoctis, tum paganis, tum hæreticis, vtpotè miraculo Chriſti confirmata. 459

LIBER QVARTVS.

De Claue Dauid.

Cap.j. EXcellentem Synodorum Oecumenicarum Auctoritatẽ adeò penitùs Epiſcopo Romano ſemper ſubiectam fuiſſe, atque eſſe, vt extrà Eccleſiam Romanam nullæ vnquam celebrari potuerint. 466

Cap.ij. Quantum Auctoritatis Epiſcopus Romanus prę alijs omnibus Epiſcopis etiam extrà Concilium Oecumenicum ſemper obtinuerit. ibid.

Cap.iij. De Perſecutionibus quas Eccleſia Romana ob fidem Chriſti, & ſuſtinuit,ſemper vicit. 474

Cap.iv. De Vrbis Romæ dominio Epiſcopis Romanis acquiſito. 475

Cap.v. De admirabili prouidentia Dei qua factum eſt, vt Petrus, & ſucceſſores Abrahæ, & ſucceſſoribus tam in Sacerdotij Principatu, quàm in alijs multi pares forent, & velut ex altera parte reſponderent. 477

Cap.vj. Quæ in Scripturis Sacris de Chriſti Eccleſia cõmemorantur, aut nullibi omninò, præterquàm in Romana Eccleſia, aut nullibi tam certò, & manifeſtè implentur. 483.

LIBER QVINTVS.

De Claue Dauid.

Cap.j. DE Origine iuris regij, & tam Chriſtianos Reges, quàm Ethnicos quod ad ius regnandi attinet ex æquo terrenos, itemque ſeculi huius,aut gentium Reges exiſtere, atque ità vocari, eò quod hominum etiam conſenſu, ac non ſoliùs Dei voluntate conſtituti ſunt, & creati. 449

Cap.ij. De origine poteſtatis Eccleſiaſticæ, & quod poteſtas adminiſtrandi Eccleſiam, neque Iudaicis, neque Chriſtianis Regibus à Deo tributa ſit. pag. 491

Cap.iij. Quàm inertem mutum cęcum, impotentem, arrogantem, cruentum, ineptum denique blaſphemum primatum Regibus ſuis Chriſtianis à Deo tributum Acclerus mentiatur. 497

Cap.iv. Primatum illum Eccleſiaſticum, quem Regibus ſuis à Deo tributum Acclerus dicit Antichriſtianum eſſe, eò quod facta inſtituta, doctrinam, totumquè Chriſti conſilium,& aſſumptæ carnis myſterium oppugnet. 500

Cap.v. Ius numquam deficere quò minus quælibet ſumma poteſtas ſubiectarum ſibi poteſtatum munera exequi poſſit. Néc ſummam imperandi rationem in his plerumque conſiſtere,quæ à præcipiente geri non poſſit. 507

Cap.vj. Ex Accleri doctrina effici, vt vel Dei verbum, & ſacramenta diſpenſare humile quoddã ſit abiectumque officium, vel certè Rex, qui ea diſpenſare non poteſt eorum diſpenſatoribus, preeſſe multò minùs poſſit. 508

Cap.vij. TamRomanus quàm alij maiores Epiſcopi, cum ampliore quadam poteſtate ad Eccleſias maiorum ciuitatum regendas miſſi ſunt non item ab iiſdem ciuitatibus acceperunt, vt ſolito maiores fierent. 515

LIBER SEXTVS.

De Claue Dauid.

Cap.j. LEgi naturæ penitùs aduerſari, vt fœmina viris in rebus Eccleſiaſticis præficiatur. 519

ONV-

ONVPHRIJ PANVINIJ VERONENSIS.

Fratris Eremitæ Auguſtiniani Sacræ Theologiæ Profeſſoris.

De Primatu Petri, & Apoſtolicæ Sedis Poteſtate, libri tres contrà Centuriatores, ibique Synopſis. pag. 534.

LIBRI PRIMI.

Pars Prima.

Cap. j. VNitatem ſiue Primatum vnius in Eccleſia Chriſti neceſſarium fuiſſe demõſtratur. 537

Cap. ij. Primatum in perſona Beati Petri Apoſtoli in Eccleſia à Chriſto inſtitutum fuiſſe aliquot Euangeliorum teſtimonijs explicatum oſtenditur. 541

Cap. iij. Primatum in perſona beati Petri Apoſtoli inſtitutum fuiſſe probatur 17. Euangeliſtarum teſtimonijs. pag. 547

Cap. iv. De Clauibus Eccleſiaſticis Sancto Petro à Chriſto traditis. 548

Cap. v. Cui potiſſimùm Claues Eccleſiæ traditæ fuerint, & de differentia poteſtatis Sancto Petro, & cœteris Apoſtolis, vel Eccleſiæ datæ. 549

Cap. vj. Quanam ratione Sacræ Scripturæ Auctoritates, & teſtimonia dubia, vel in controuerſiam reuocata ſint intelligenda. 551

Cap. vij. Sanctorum Patrum ante Concilium Nicænum ſententiæ, & interpretationes de ſupradict. 17. Euangeliſtarum locis, quibus Primatus Petri conſtituitur. ibid.

Cap. viij. Sanctorum quatuor Doctorum Latinæ Eccleſiæ ſenrentiæ ſuper eadem 17. loca, & de Petri Primatu. 554

Cap. ix. Aliorum Sanctorum Patrum Græcorum, & Latinorum, qui poſt Concilium Nicęnum, & pacem Eccleſiæ datam vixerunt de Petri primatu ſententiæ. 561

Cap. x. Sanctorum Patrum intra milleſimum annum de eadem re ſententiæ. pag. 570

LIBER SECVNDVS.

Cap. xj. Eorum, quæ contra Petri Primatum à Centuriarum Auctoribus ex ſacris literis afferuntur diſſolutio. 475

De Vſu Primatus, & poteſtatis D. Petri. pag. 581

Cap. j. QVod Petrus primatus poteſtatem ſibi à Chriſto traditam actu in Eccleſia exercuerit ex aliquot Actuum Apoſtolorum locis probatur. ibid.

Cap. ij. Sanctorum Patrum ſententiæ de vſu ſummæ poteſtatis Apoſtoli Petri. pag. 585

Cap. iij. Ad ea quæ contrà vſum Primatus Petri à Centuriarum auctoribus ex ſacris literis afferuntur reſponſio. pag. ibid.

LIBRI TERTII.

De Aduentu Petri ad Vrbem Romam eiuſque ibi Sede, & morte. pag. 594

Cap. j. QVod Petrus Romam venerit, & Romanam Eccleſiam fundauerit eamque cum D. Paulo ſanguine conſecrauerit probatur ex SS. Patribus Latinis, & Græcis. ibid.

Cap. ij. Quæ Hæreticis contra Petri ad Vrbem aduentum afferuntur, ſingillatim, & per capita diluuntur. 604

Cap. iij. Sequuntur Aduerſariorum Cauilli ſeptem, & eorum reſponſiones in altera eorum libelli particula contenti cum eorum confutationibus. 631

Peroratio tractatus. 642

FR. NI-

Digitized by Google

FR. NICOLAI
COEFFETEAV,

Ex Ordine Prædicat. Theologi Pariſienſis Regis Chriſtianiſſimi à publicis, & ſanctioribus Conſilijs, Maſſilienſis Epiſcopi deſignati.

PRO SACRA MONARCHIA Eccleſiæ Catholicæ, Apoſtolicæ, & Romanæ.

Aduersùs Rempublicam M. ANTONII DE DOMINIS quondam Archiepiſcopi Spalatenſis.

Libri quatuor Apologetici, quatuor eius Prioribus Libris oppoſiti.

Nicolaus Coeffeteau ortu Cenomanenſis anno 1588. natus eſt è parentibus nobiliſſimis, & familia Heroum fœcundiſſima, cuius magnum inſigne fert crucem, & duo ſydera, à pueritia literarum fragrantiſſimus, & ingenio ad omnia capaci Enclycopediam eſt complexus. Præter Grammaticam Latinam, Græcam apprimè calluit, Rethoricæ autem turum ſe deuouit, & eam toto vitæ tempore ita exercuit, vt qui eum peroranrem audijſſer nulli alij vnquam ſcientiæ vacaſſe potuiſſe confeſſus eſſet, & qui profundiſſimum in alijs ſcientijs inueniſſet, eum illis tantum vacaſſe crediediſſet. Tantum ſydus mutuaturum ab Aquinate Sole non modicum ſplendorem ingreſſus eſt Religionem Dominicanam, vbi ſolidiſſimis D. Thomæ fundamentis innixus altiſſimum in Philoſophia, & Theologia ædificium conſtruxit. Nec ea tantùm parte contentus, quæ ſpeculatiuam mentem exercet, hiſtoriam Eccleſiaſticam vniuerſam percurrir, & fidei dogmata inconcuſſa oſtendit. Pariſijs diù Theologiam legit, in eoque Emporio per vnam Pariſienſem Cathedram toti præluxit orbi. Poſt Prioris, & Vicarij Generalis functus eſt muneribus, in quibus ſeſe eximium oſtendit. Vaſtiſſima Gallia ranti ingenij capax ampliùs non erat, vnde Romam tendit anno 1614. vbi Definitor, ac Vicarius Generalis Congregationis Gallicanæ eſt promulgatus; & in ea vrbe cognitus primis Sapientum capitibus, ipſique Summo Pontifici vixit. Summo Pontifici erat æquè carus, ac Summis Regibus Galliæ, quorum erat Orator, à publicis, & ſanctioribus Conſilijs, præſertim Ludouico XIII. cui dicauit opus ſuum de Euchariſtia, & Henrico Magno, cui viuens charus vnicè fuit, & mortuo funebri oratione parentauit. Quod autem etiam in ſummis ingenijs

Digitized by Google

rariſſimum eſt, ſcripſit ſemper rogantibus Summis Pontificibus, maximis Regibus, & Reginis, vnde in eius Epitaphio aſſimilatur Prophetæ loquenti coràm Sacerdotibus, & Regibus, & Principibus. Eo tempore Iacobus Magnæ Britanniæ Rex ſcripſit librum inſcriptum ad omnes, & vniuerſos Chriſtianos Reges valdè Religioni Catholicæ præiudicialem; vndè ſuadente Cardinali Perronio, altero ſui temporis Auguſtino, ab Henrico Magno ſpecialiter Nicolaus aſſumitur, vt contra Regem, eiuſque ſcripta, Catholicam Religionem defenderet, quod, & fecit. Intellexit Sapientiſſimus Cardinalis nullum poſſe eſſe ſibi meliorem ſocium aduerſùs Regem, quàm Nicolaum, fuere duæ illæ columnæ, vltrà quas non nauigatur, Alcides, & Atlas, qui cœlo Religionis ſoli potuerunt humeros ſupponere. Ob hoc, & alia egregia ſcripta, quibus Galliam, Italiam, & Angliam illuſtrauit non mediocria præmia eſt conſecutus, & diuerſis temporibus lucerna hæc lucens, & ardens poſita eſt ſuper varia candelabra. Rex Chriſtianiſſimus cum nominauit Epiſcopum Lomberienſem, deinde Santonenſem, quibus titulis renunciauit ſub penſione. Adminiſtrator autem Metenſis electus eſt, & Suffraganeo titulo Epiſcopi Dardaniæ, tandem euehitur ad Sedem Maſſilienſem anno 1622. ſed eam paulò mox Franciſco Lomenio Coadiutori ſuo, eiuſdemque illuſtriſſimæ Dominicanæ familiæ ceſſit, poſſeſſionem nondùm adeptus. Extitit etiam Orator Margaritæ Valeſiæ Reginæ, in cuius gratiam ſcripſit Margaritas Chriſtianas, paraphraſes, & alias eiuſmodi poeſes. Sub Ludouico XIII. exijt opus illud colligens omnia ferè hæreticorum opera Mornæi, damnatum cum ſuo Auctore ab ipſo Ludouico, ſimilitèr allaborante Cardinale Perronio, & opus iniunctum Nicolao, qui edidit opus ſuum de Euchariſtia aduerſùs Mornæum, ſeu refutationem Myſterij iniquitatis de Omnipotentia, & voluntate Dei, Sacroſanctæ Euchariſtiæ miranda. Et in Regis, & Reginæ inclinans imperium ſcripſit tabellas Magdalenæ pœnitentiæ, & humanarum paſſionum hidram exciſam ab Hercule Chriſtiano. Tandem eo tempore prodijt liber ille exitialis Marci Antonij de *Dominis* de Republica, in quo faſſus eſt ſe fuiſſe hæreticum antequam eſſet, inſudaſſe duodecim annis, & in Præfatione ſui operis teſtatur ſe velle congredi cum quolibet ſi ſit æqualis, ideſt Epiſcopus, & quaſi alter Goliath exprobrans agminibus Dei viuentis vnumquemque irritans ad pugnam, cum illa tamen Alexandri Magni conditione, quod curreret in Stadio Rex cum Regibus, ſic ille Eccleſiæ Paſtor, cum Eccleſiæ Paſtoribus. Scripſere plures vltrò contra illum non curantes iniuſtam illam legem, cum ſit ius naturæ pro ſaluatione capitis obiectare manum, inter quos Zacharias Bouerius, Nardius, & alij. Cum tamen Romanus Pontifex velut pijſſimus Paſtor, omnibus modis quærat ammiſſam ouem, etiam hanc viam eſt ingreſſus Gregorius XV. & Nicolaum Præſulem delegit, ad errores confutandos Archiepiſcopi Spalatenſis, quod & fecit egregio illo opere, quod inſcripſit Pro Sacra Monarchia Eccleſiæ Catholicæ, Apoſtolicæ, & Romanæ aduerſùs Rempublicam Marci Antonij de Dominis quondam Archiepiſcopi Spalatenſis Libri quatuor Apologetici, quatuor eius Prioribus libris oppoſiti. Lutetiæ Pariſiorum ſumptibus Sebaſtiani Cramoyſi via Iacobæa ſub Ciconijs 1633. cum Priuilegio Regis Chriſtianiſſimi, & Doctorum approbatione. Dedicat autem hoc opus eidem Gregorio XV. & cum in eadem materia laudat, quod Marcum Antonium redeuntem veluti filium prodigum amantiſſimus Pater ſit amplexus, quod Angelus veluti cœli lætatus plus fuerit de vnius ouis reditu, quàm de nonangintanouem permanentia (tunc enim, vt iam ſuprà narrauimus in Synopſi Balthaſſaris Nardij M. Antonius redierat ad veram Matrem, quamuis poſtea etiam recidiuus.) Diuidit autem libros in capita. Primus liber continet 12. capita. In 1. agitur de Eccleſiæ Capite, Vicarij capitis titulo, & Chriſti influxu in Eccleſiam. In 2. de Apoſtolis, & eorum præcipuis muneribus. In 3. de Summa poteſtate, quæ eſt penès Petrum ex inſtitutione Regiminis. In 4. de Chriſti Vicario. In 5. de vero Primatu Petri. In 6. de ſenſu horum verborum, Tu es Petrus. In 7. Expenditur locus ille tibi dabo claues. In 8. Expenduntur verba paſce oues meas. In 9. de Prærogatiuis Petri, & noui nominis impoſitione. In 10. de Teſtimonijs Patrum pro Primatu Petri. In 11. explicatur diligentèr locus, Reges Gentium Dominantur. In 12. de Monarchia Eccleſiaſtica. Capita libri ſecundi ſunt etiam duodecim. In 1. inter Miniſtros Chriſti vnum ſupremum eſſe oſtenditur. In 2. Tractatu de Epiſcoporum creatione, & conſecratione. In 3. de diſcrimine inter Epiſcopum, & Presbyterum. In 4. de Sacramento Ordinis. In 5. de Poteſtate Epiſcoporum.

In 6. Refellitur æqualitas, quam ponit Spalatenſis, tum inter Apoſtolos, tum inter Epiſcopos. In 7. de Amplitudine poteſtatis Epiſcopalis reſpectu locorum. In 8. de Erectione nouorum Epiſcopatuum. In 9. de Canonicis, Parochis, & Coepiſcopis. In 10. de Cœlibatu Sacrorum Miniſtrorum. In 11. de lege continentiæ ſacræ ordinibus annexa. In 12. de ſtatu Monachorum, ac de voto ſimplici, & ſolemni. In tertio libro duodecim capita. In 1. agitur de varijs Prælationibus, & ſubiectionibus, quæ Eccleſiæ vſu, & legibus ſunt inter Epiſcopos conſtitutæ. In 2. de diuerſis Eccleſiæ ordinibus. In 3. de electionibus miniſtrorum Eccleſiæ. In 4. de virtutibus, quibus ornati eſſe debent Epiſcopi. In 6. 7. 8. 9. de Doctrina conſtanti Eccleſia, & perpetua, & de inſtitutione veteri ordinationis Epiſcoporum. In 10. de Patriarchis veteribus. In 11. de Pallio, & alijs ornamentis Epiſcoporum, & de ſtatu Eccleſiarum Africanarum. In 12. de ſtatibus, legibus Eccleſiæ vniuerſalis. Libri 4. capita ſunt ſeptem. In 1. de Supremo Eccleſiæ Romanæ Primatu, de Martyrio Petri. In 2. De Nomine Eccleſiæ Romanæ totam Eccleſiam Catholicam comprehendentis. In 3. de Prima, & maxima Romana Eccleſia. In 4. de tribus Patriarchalibus Sedibus. In 5. de Clero Eccleſiæ Romanæ, in 6. de Prærogatiuis Eccleſiæ Romanæ. In 7. Quod præter Chriſtum Primarium Eccleſiæ Caput in ſua Eccleſia alium Monarcham eſſe voluit. Ex his capitibus, quorum aliqua ſunt valdè longa ea ſelegimus, quæ ad rem noſtram faciunt. In iſto tanto laboris molimine, Eccleſiæ maximè fructuoſo defecit clarus Antiſtes. Pariſijs anno MDCXXIII. ætatis XLIX. Iacet Lutetiæ apud Dominicanos in Sacello regali D. Thomæ, cuius tumulo pulcherrimum inſcribitur Epitaphium. Hæc ſcribunt in 4. Tomis Galliæ Chriſtianæ tomo 2. Petrus Abellius, & Nicolaus Sammarthani, quorum vnus eſt filius Scæuolæ, Nicolaus Ludouici nepos, qui Eccleſiæ vniuerſæ ornamentum appellant. Quicumque Recentiores ſcripſere de his materijs Nicolai ſumma cum laude meminere. Principibus autem, & Regibus maximè charus eſſe debet, cùm probauerit neminem fuiſſe contrarium Summo Pontifici, quin eſſet, & Regi longa experientia.

DISCVSSIO PRIMI CAPITIS LIBRI PRIMI.

CONSPECTVS CAPITIS PRIMI.

Dignitas ſummi, ac præcipui Capitis Eccleſiæ Chriſto vindicata. Vicarij Capitis titulus Petro, Petrique ſucceſſoribus Romanis Pontificibus aſſertus: Authoritate Patrum tum Græcorum, tum Latinorum firmatus. Diluuntur obiectiones Spalatenſ. Chriſtum in viuis agentem, atque in cælis regnantem, ac ſempiternum Sacerdotium obeuntem ſucceſſorem non admittere Vicarium habere. Eius in Eccleſiam influxus explicatus. Verè fuiſſe Caput Eccleſiæ, cùm in terris degeret, pluribus oſtenditur.

QVi de Republica Eccleſiaſtica, ſicut de purè humanis, philoſophantur, mihi Spalat.
videntur non parùm à recto tramite aberrare; non modò, quia in eo requirunt Num. 1.
veram iuriſdictionem, hoc eſt vim coactiuam, & ſubiectionem externam, vbi
tamen omnis gloria eius ab intus; & præcipuum Eccleſiæ proprium regimen Pſal. 44.
fide, ſpe, & charitate, alijſque internis Spiritus donis penè totum abſoluitur,
vt poſteà lib. 5. docebo; ſed multò magis, quia putant, vt in humanis abſente Rege, & Reip.
gubernatore, ſicut etiam eo ex humanis ſublato, alium eſſe eidem ſubrogandum, qui abſentis, ſeu demortui vices omninò ſuppleat, eadem regiminis forma prorsùs retenta. Nos verò
Chriſtum dicimus neque inter abſentes, neque inter mortuos reputandum. Ecce enim (in- Matth. 28.
quit ipſe) Ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſæculi, ille nimi- 2. Cor. 13.
rùm, qui etſi crucifixus eſt ex infirmitate, ſed viuit ex virtute Dei, Chriſtus enim reſurgens Rom. 6.
ex mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur.

HIſtoriarum monimentis proditum eſt Tarquinio Rege, Romæ in fundamentis templi, quod ille moliretur, ac de manubijs Gabiorum erigeret, fortè fortuna repertum humanum caput, quo ſpectato, [non dubitauerint cuncti Monſtrum pulcherrimum, imperij ſedem, caputque terrarum promittere.] Facit ipſa nobiliſſimi portenti ſpecies, quæ Romanorum animos in ſummam ſpem erexit, vt facilè mihi perſuadeam pulcherrimam fore, nec lectoribus iniucundam, quam de Capite Eccleſiæ initio huius Operis inſtituimus diſputationem: Siquidem tota verſatur in tuendo, adeòque ornando Petro, cuius operâ, ſingulari verò Chriſti beneficio, id eſt Roma conſequuta, vt nouo potentiæ ſulgore colluſtrata, atque totius orbis Chriſtiani caput effecta, latiùs vt quidam magnus Leo loquitur, *præſideret religione diuina, quàm dominatione terrena.*

Flor. lib. 1. cap. 7.

Serm. de SS Petro, & Paulo.

Antequam autem aggrediar ad ea, quæ hac de re ſunt à deſertore diſputata, operæpretium fuerit, quædam annotaſſe, quæ ſunt ſapientiſſimè, & diligentiſſimè à Patribus obſeruata. Magnorum igitur Patrum doctrina eſt Chriſtum ſapientiam Patris ea eſſe in homines charitate, vt vni ſibi proprios titulos, & in his ipſum Dei admirabile nomen mortalibus ſeruis communicare non dedignetur.

Egregiè Baſilius homilia de Pœnitentia, *Dignitates ſuas Ieſus largitur alijs. Largitur autem eas, nec illis ſpoliatur, ſed nihilominùs habet ea, quæ dat: Lux eſt. Vos eſtis lux mundi, inquit. Sacerdos eſt, & facit ſacerdotes. Ouis eſt, & dicit, Ecce ego mitto vos, ſicut oues in medio luporum: Petra eſt, & petrum facit. Quæ ſua ſunt, largitur ſeruis ſuis.*

Baſil. hom. 28 de Pœniten.

Similia habet Hieron. ad c. 6. Matthæi; cùm enim incidiſſet in illa verba, *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram, ædificabo Eccleſiam meam:* vt omne ſcrupulum, communicati Apoſtolo nominis, *Petræ*, quod proprium videretur eſſe Chriſti, eximeret, hoc commentario locum illuſtrandum duxit. *Sicut*, inquit, *ipſe lumen Apoſtolis donauit, vt lumen mundi appellarentur, cæteraque ex domino ſortiti ſunt vocabula, ita & Simoni, qui credebat in petrum Chriſtum, Petri largitus eſt nomen, & ſecundùm metaphoram petræ, rectè dicitur ei, ædificabo Eccleſiam meam ſuper te.* [Cyrillus vtrumque imitatus eadem tradidit ad illa verba Eſaiæ, *Semen tuum Gentes hæreditario poſſidebit, & ciuitates vaſtatas inhabitabis. Plurimorum*, inquit, *virorum ſanctorum, & bonorum mater, ac nutrix Eccleſia gentium fuit, ac multos principes, atque præfectos populorum peperit: adeò vt multis gentibus dominaretur, eò quòd illibatum myſtagogiæ ſermonem tradere potuit, & artificio paſcendi non caruit. Quibus etiam ipſe Seruator, vt qui laudatam, & probatam vitam traduxerunt, ſortem promittit, & in omne tempus futurum imperium populorum. Etenim in talentorum diſtributione, his, qui duplicatum attulerunt, quod datum erat: Supra decem ciuitates eris, inquit. Alteri; Eris ſupra quinque ciuitates. Semen ergo tuum hæreditario poſſidebit gentes. Conuenire poteſt hoc, vt iam dixi præfectis Eccleſiarum; qui etiam præ magno gaudio dicunt: Subiecit populos nobis, & gentes pedibus noſtris. Elegit nobis hæreditatem ſuam. Sors enim eſt, quæ ſoli, & verè quadrat Chriſto, maximè præeſſe, ac præcipere vniuerſis. Propterea nemini præcepit dicere Rabbi: Vnus enim eſt, inquit, præceptor veſter, Chriſtus. Sed quemadmodùm cùm ipſe lux ſit vera, lucem vocauit Sanctos Apoſtolos, & vt ipſe natura, & ſolus verè filius, nobis in ipſum credentibus poteſtatem dedit patrem vocandi Deum, vtpotè qui dignitate, ac iure filij locupletamur; ſic etiam ipſe cùm ſit vniuerſorum præceptor, & ſortitò habeat orbem terrarum, hoc dedit ſanctis, eos coronans ſua gloria, quia ipſius cooperarij, & extiterint, & ingenui, ac germani populorum moderatores, multos lucrati fuerint, adductis his per fidem, qui creaturam ſupra ipſum coluerunt, & viam vitæ præſtantiſſimam non cognouerunt.* [Ad hanc amuſſim, ſi ſuam ſcriptionem exegiſſet Marcus Antonius, nequaquam impietatis arceſſendos nos duxiſſet, quòd tum Petro, tum etiam Petri ſucceſſoribus *capitis Eccleſiæ* dignitatem tribuamus, ſed piiſſimorum, ac doctiſſimorum Patrum exemplo adductus, Domini liberalitatem quoque demiratus fuiſſet, qui pro infinita illa ſua bonitate, & in homines propenſo affectu, ex immenſo titulorum ſuorum pelago hunc, & ſimiles in mortales ſeruos ſuos deriuauit. [Nam vt perſequitur elegantèr Baſilius, *Argumentum hoc eſt opulenti; habere videlicet, & alij dare.* Fatemur igitur vnum eſſe caput, vt loquitur Auguſtinus, *primum, & maximum* Chriſtum, à quo, ſeu fonte vnico vis omnis oriatur, qua inſtituitur, fouetur, & regitur Eccleſia. Sed & in partem honoris aſcitum Petrum, & aſpectabilis Eccleſiæ corpori caput impoſitum, vt eam vim, quam à Chriſto accepiſſet, in eius membra refunderet, auctoritate vetuſtiſſimorum Patrum, tum Græcorum, tum Latinorum freti, conſtantèr defendimus, ac inter pietatis noſtræ dogmata reponimus. Antequam verò hanc Catholicorum ſententiam vberiùs excutiamus, atque ſuis præſidijs muniamus, ſunt quædam in hac Patrum notatione aduertenda. [Et primùm quidem ſic ſuas largiri dignitates Chriſtum, vt nihil ei depereat: *Largitur*, inquit Baſilius, *eas, nec illis ſpoliatur, ſed nihilominùs habet ea, quæ dat.* Et rursùs eodem loco: *Qui apud nos diuites ſunt, vbi ſua largiuntur alijs, quæ habent, imminuuntur. Diuites enim non ſumus. Nam aliena poſſidemus. Chriſtus verò ita diues eſt, vt quantum alijs elargitur, tantum nihilo ſeciùs ipſe diues permanet. Eſt enim inſtar fontis perpetuò fluentis. Quantumcumque hauſeris, non tamen riuus illius minuitur.* [Quamquam igitur Petrum, aut eius ſucceſſorem Pontificem Eccleſiæ caput indigitamus, nulli in mentem venerit per nos excidiſſe ſua dignitate Chriſtum, ſed apud ſe quiſque ſtatuat, ſic illam ſuam dignitatem largiri, vt eam non amittat, ſed illibatam tueatur. Igitur valdè præfidentèr aduerſarius à ſanctis Patribus comprobatam doctrinam calumniæ ſubijcit, & nos quòd Vicarium iſtud caput in aſpectabili Eccleſiæ Monarchia colamus, ac obſeruemus, pudendi illius erroris poſtulat, qui Chriſtum, *aut inter abſentes, aut inter mortuos cogitat. Stolidam excantant delirij mentem.* Agnoſcimus vocem capitis noſtri; *Ecce ego vobiſcum ſum, vſque ad conſummationem ſæculi.* [Sed & perpetuò ob-

Cyrill comment. in Eſaiam lib 5. tom 2. c. 54. ex Vatic. Cod.

Soluuntur obiectiones. Math. 28.

Digitized by Google

Obſeruatur animis noſtris dictum Auguſtini; *ſecundùm maieſtatem, ſecundum prouidentiam, ſecundùm ineffabilem, & inuiſibilem gratiam impletur, quod ab eo dictum eſt; Ecce ego vobiſcum ſum, vſque ad conſummationem ſæculi.* Neque verò de *præſentia* ſolùm *diuinitatis* dictum accipimus, ſed etiam de *præſentia humanitatis*, non quòd quà homo eſt aſpectabili modo, & corpore cum Eccleſia ſemper futurum ſe ſit pollicitus; *Me enim*, inquit, *non ſemper habebitis vobiſcum*, quod *de præſentia corporali, & familiari conuictu* intelligendum doctiſſimè monet Hieronymus, ſed quòd auxilium, & fauorem, quem, non ſolùm quà Deus, ſed Aug. tract. 50 in Ioan. Hieron. ad c. 26. Matth. 2 Corin. 13. Rom. 6. etiam quà homo Eccleſiæ præſtiturus eſſet, præſentiam appellarit. Agnoſcimus, ac veneramur illa Apoſtoli verba; *etſi crucifixus eſt ex infirmitate, ſed viuit ex virtute.* Item illa, *Chriſtus reſurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur.* Ex his enim diſcimus non deſpondere animum in grauiſſimis, quibus vrgemur caſibus, quippè, qui viuum, ac ſpirans caput in cœlis habere nos intelligamus, cuius in medijs his fluctibus Hebr. 9. opera numquam nobis ſit defutura. *Introiuit enim in ipſum cælum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis.* Sed hæc non magis faciunt ad euertendam ſpectabilis in Eccleſia capitis dignitatem, quàm ad ſubtuēdos reliquos miniſtrorum ordines, qui magno Regi, immortali, & inuiſibili in terris famulantur. Nam vt verbis vtar Auguſtini; *Omnis iſta compages vniedemque Chriſto innititur, & incumbit.* Sed erit de his, vt de Monarchia, & de Eccleſiæ in ferendis legibus poteſtate, aliàs dicendi locus. Obſeruandum ſecundò in doctrina Patrum ſuperiùs tradita, ſeruos Chriſti, quibus ſuas dignitates largitur, non ex ęquo cum illo eas participare. Quare Baſilius poſtquam Petrum à Chriſto, petram nuncupatum, & Eccleſiæ fundamentum renunciatum ex Euan- Baſil. ibid. gelio probaſſet, ſubijciendum exiſtimauit, *Licèt enim, & ipſe petra eſſet, non tamen petra erat vt Chriſtus, vt Petrus petra erat. Nam Chriſtus verè eſt immobilis petra; Petrus verò propter petram.* Hoc ipſum etiam ſapienter aduertit Auguſtinus, *Vt noueritis*, inquit, *quia fundamentum Chriſtus, & primum, & maximum: fundamentum, inquit Apoſtolus, nemo poteſt ponere præter id, quod poſitum eſt Chriſtus Ieſus. Quomodo ergo fundamenta Prophetæ, & Apoſtoli; & quomodo fundamentum Chriſtus Ieſus, quo vlteriùs nihil eſt? Quomodo putamus, niſi quemadmodum apertè dicitur Sanctus Sanctorum, ſic figuratè fundamentum fundamentorum: Si ergo ſacramenta cogites, Chriſtus Sanctus Sanctorum: ſi gregem ſubditum cogites, Chri-* Auguſt. in Pſalm. 86. *ſtus paſtor paſtorum; Si fabricam cogites, Chriſtus fundamentum fundamentorum.* His rationibus adducti, haud ægrè fatemur, cùm vocabula *Capitis, Fundamenti*, addè etiam *Rectoris Eccleſiæ Catholicæ*, & ſimilia, Petro, aut Petri ſucceſſoribus, mortalibus creaturis tribuuntur, analogicas, vt loquuntur in ſcholis, de illis enunciari, vt longè alio ſenſu accipi debeant, quàm cùm de Chriſto mediatore Dei, & hominum efferuntur. Siuè enim diuinitatis maieſtas, ſiuè aſſumpti hominis gloria attendatur, Chriſtus Creator eſt, & Dominus, Petrus etiam in ampliſſimis illis honoribus, quibus eum Chriſtus abundè cumulauit non ſuperat creaturam, nec exuit ſeruum in familia Chriſti. Eſt itaque Chriſtus *caput Eccleſiæ primum, & maximum*, neque, vt iſtud in animum induceremus, importuno monitore indigebamus. Nam præterquam quòd ſacris Euangelicis, & Apoſtolicis ſcripturis eſt id abundè confirmatum, Ecce tibi Princeps ſcholæ Sanctus Thomas omnia iſta D. Thom. 3. par. q. 8. per totū Eph. 1. Philip. 3. comprobat, atq; ordine recēſet: primò, *Chriſtus* inquit, *eſt caput Eccleſiæ iuxta illud, ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam: 2. Chriſtus eſt caput hominum, non ſolùm quantùm ad animas, ſed etiam quantum ad corpora, quia iuxta Apoſtolum, Reformabit corpus humilitatis noſtræ con-* 1. Tim. 4. *figuratum corpori claritatis ſuæ; 3. Chriſtus eſt caput omninò omnium hominum, quia vocatur Saluator omnium hominum, & maximè fidelium, & quia ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris tantùm, ſed etiam pro totius mundi, quod ad capitis dignitatem maximè pertinet;* Coloſs. 2. *4. Chriſtus eſt caput Angelorum iuxta illud Apoſtoli. Qui eſt caput omnis principatus, & poteſtatis, qua ratione etiam ad reliquos Angelorum ordines ſe fundit eius poteſtas. Chriſtus nactus eſt hanc poteſtatem, & capitis dignitatem ex vi vnio-* Coloſs. 2. *nis hypoſtaticæ, vt non ſit alia gratia capitis, alia perſonalis; 5. eſſe caput Eccleſiæ eſt proprium Chriſto, iuxta illud; caput Eccleſiæ eſt, ex quo corpus per nexus, & coniunctiones ſubminiſtratum, & conſtructum creſcit in augmentum Dei, quod ſoli Chriſto conuenit.* En claram, & apertam de Chriſto Eccleſiæ capite doctrinam, vt ſerò aduentarit aduerſarius, nos ad illa ab alijs occupata edocturus. Solem ſcilicet adiuuat facibus, & rem per ſe euidentiſſimam conatur argumentationibus probare. Quid igitur? Num quia Chriſtus caput eſt Eccleſiæ, nullus prætereà alius hoc nomine inſigniri poteſt? Nunquid citrà ſacrilegium, & impietatem non poterit tribui Petro, aut eius ſucceſſoribus Pontificibus? Audi magnum Doctorem. Quæſt. 8 art. 6. in Corp. art. *Reſpondeo dicendum, quòd caput in alia membra influit dupliciter, vno modò, quodam intrinſeco influxu, prout ſcilicet virtus motiua, & ſenſitiua à capite deriuatur ad cætera membra: Alio modo ſecundùm quandam exteriorem gubernationem, prout ſcilicet ſecundùm viſum, & alios ſenſus, qui in capite radicantur, dirigitur homo in exterioribus actibus; interior autem influxus gratiæ non eſt ab aliquo, niſi à ſolo Chriſto, cuius humanitas, ex quo eſt diuinitati coniuncta, habet virtutem iuſtificandi, ſed influxus in membra Eccleſiæ quantùm ad exteriorem gubernationem poteſt alijs conuenire; Et ſecundùm hoc aliqui alij poſſunt etiam dici capita Eccleſiæ, ſecundum illud* Amos 6. *Amos; Optimates capita populorum; Differenter tamen à Chriſto* (en Chriſtus ſuus aſſertus honos) *primò quidem quantùm ad hoc, quòd Chriſtus eſt caput omnium eorum, qui ad Eccleſiam pertinent, ſecundùm omnem locum, & tempus, & ſtatum: Alij autem homines dicuntur capita ſecundùm quadam ſpecialia loca, ſicut Epiſcopi ſuarum Eccleſiarum, vel etiam ſecundùm determinatum tempus, ſicut Papa eſt caput totius Eccleſiæ, ſcilicet tempore ſui Pontificatus, & ſecundùm determinatum ſtatum, prout ſcilicet ſunt in ſtatu viatoris. Alio modo, quia Chriſtus eſt caput Eccleſiæ propria virtute, & auctoritate* (en rurſùs aſſertus Chriſtus ſuus honos) *Alij ve-* 2. Cor. 2. *rò dicuntur capita in quantùm vicem gerunt Chriſti, ſecundùm illud, Nam & ego quod donaui,*

Digitized by Google

uaui, *ſi quid donaui propter vos in perſona Chriſti*: & ſecundùm illud: *Pro Chriſto legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos.* Hæc tam clara ſunt, vt videantur Solis quodam radio delineata; Si non capit aduerſarius, ſtupidus eſt, ſi non probat, inſanus. Age verò, oſtendamus Patres tum Græcos, tum Latinos Petro, ac Petri ſucceſſoribus honorem capitis Eccleſiæ vltrò detuliſſe, nec ab ea voce cùm de illis ageretur abhorruiſſe: Et primùm quidem de Petro, quo tota illa machina nititur, nobis inſtituendus eſt ſermo. Certè quod eodem recidit, caput Apoſtolorum, caput fidei eum paſſim indigitant Patres. Ordiamur à Græcis. Chryſoſtomus, vt lachrymarum vim in abſtergendis criminibus ex facto Petri, qui diluendo ſuo peccato, non cruorem,

2. Corin. 5. Chryſoſt. homil. 2. in Pſal. 50.

ſed lachrymas adhibuiſſet probaturus. *Columba illa Eccleſiæ*, inquit, *illa fidei baſis, illud Apoſtolici chori caput, Petrus, an non ſemel, & iterum, & tertiò Dominum abiurauit? An verò propterea cruorem effudit, ac non potiùs lachrymarum fontes? Lachrymas fudit, ac plorauit, & peccatum ſuum abſterſit.* Cyrillus. Cùm, inquit,

Cyril. lib. 12 in Io. c. 64.

Saluator à Diſcipulis quæreret, Vos autem quem me eſſe dicitis? Petrus, vt princeps, caputque cæterorum primus exclamauit, Tu es Chriſtus filius Dei viui. Scio Græca, quorum nobis copiam fecit eruditiſſimus Pater Fronto Duceus Societatis Ieſu nobilis alumnus, non *to cephal* caput, ſed *to pro tetagmenum*, quod præfectum, & Principem ſignificat habere. At quis neſciat præfectum, & principem, caput eſſe? Audi Pacatum Theodoſium his verbis compellantem. *Dux aliquis euehitur? exigit diſciplina caſtrorum; Præfectus attollitur? imponendum eſt Prouinciæ caput.* Non eſt igitur ab auctore Græco diuerſus interpres Latinus. Philippus Cæleſtini in magno Epheſino Concilio Legatus, quamquam homo Latinus, ad Græcos tamen verba faciens. *Non ignorat veſtra Beatitudo, totius Fidei, vel etiam Apoſtolorum caput eſſe Beatum Apoſtolum Petrum.*

Pacat. in Paneg. Theodoſ. dict.

Cõc. Epheſ. p. 2. Act. 2.

Caſaubienſ. exercit. 15. ad Annal. Baron. Gregor. Nazianz. orat. 13.

De hoc loco ita cenſet Caſaubonus, *Sine cauſa ad hos titulos exclamant quidam viri boni* (Ironicas dictum accipe) *quaſi aliquid Tyrannicum ſaperent, ſiuè illi Petro attribuantur, ſiuè Romano Pontifici: ſed non ita eſt.* Excipiunt tamen aduerſarij *eſſe quidem ea verba in Synodo dicta, ſed non eſſe à Synodo dicta, aut decreta.* At quis, hunc Legatum tam inuerecundi oris fuiſſe exiſtimet, vt ea auſus ſit in eximio illo conſeſſu dicere, quæ bonis omnibus bilem mouerent? Quid ad illa verba, *Non ignorat veſtra beatitudo totius fidei, vel etiam Apoſtolorum caput eſſe beatum Apoſtolum Petrum*, non fuit, qui pro Chriſto vocem mitteret, & impudens, ac ſcęleſtum os obtunderet? Apage iſtas nugas. Silentium igitur Epiſcoporum tacita quædam comprobatio eſt eorum, quæ à Legato dicta ſunt in Synodo; Nam, vt verbis Nazianzeni vtar, *Silentium parœmia quoque conſenſum eſſe docet.* Cùm itaque quieſcunt, probant, cùm patiuntur, decernunt, cùm tacent, clamant. Accerſamus iam Latinos. Audi igitur Optatum egregium catholicæ fidei aduersùs Donatiſtas propugnatorem. Aſſumit ille quinque eſſe ornamenta, ſiuè dotes Eccleſiæ, vt vocat; Et primam vult eſſe Cathedræ vnitatem, de qua in hunc modum loquitur: *Videndum eſt, qui, & vbi prior Cathedra ſederit, ſi ignoras, diſce: ſi noſti, erubeſce. Ignorantia tibi aſcribi non poteſt. Reſtat ergo, vt noueris. Scientem errare, peccatum eſt: nam ignorantibus nonnumquam ſolet ignoſci, Igitur negare non potes, ſcire te in vrbe Roma Petro primò Cathedram Epiſcopalem eſſe collatam: in qua ſederit omnium Apoſtolorum caput Petrus, vndè, & Cephas appellatus eſt.* Idem alio libro de Petri negatione agens. *Potuit vtique caput Apoſtolorum ſic ſe gubernare, vt nihil incurreret, quod doleret.* Non expendo doctrinam, quam vtroque loco tradit Optatus; Erit aliàs de ea re nobis cum aduerſario diſputatio: De ſignificato quoque vocis Cephas, videro alio loco. Hic tantùm vrgeo capitis titulum Petro à ſanctiſſimo Patre tributum. Hieronymus eius æqualis eam quoque capitis dignitatem in Petro agnoſcit. [Propterea] inquit, [inter duodecim vnus eligitur] de Petro loquitur [vt capite conſtituto, ſchiſmatis tollatur occaſio.] Auctor commentariorum in Pſalmos, qui Hieronymi nomine præferuntur (quamquam etiam ipſius Hieronymi eſſe hoc opus contendit Marianus Victorius Epiſcopus Amerinus) ad illa verba, *Non eſt, qui faciat bonum, Neque*, inquit, *Petrus, qui caput Eccleſiæ eſt, quia & ipſe negauit.* Expendo alibi, quod priore loco dicit, *Ex æquo ſuper Apoſtolos Eccleſiæ fortitudinem ſoli dari.* Sed huius noſtri inſtituti ratio ſolùm poſtulat, vt oſtendamus non abhorruiſſe Patres à titulo capitis, cùm de Petro agerent, atque nullo ſcrupulo illum magno Apoſtolo tribuiſſe. Auguſtinus non ſecùs, ac Hieronymus Petro hanc capitis dignitatem concedit. Retexens argumentum Vrbici, qui eum propoſitis difficillimis quæſtionibus vexarat. *Petrus*, inquit, *etiam caput Apoſtolorum, Cœli Ianitor, & Eccleſiæ fundamentum, extincto Simone, qui fuerat Diaboli, non niſi ieiunio vincendi figura, idipſum Romanos edocuit &c.* Extat inter opera Auguſtini liber quæſtionum veteris, & noui Teſtamenti, quem, etſi non eſſe Auguſtini eruditi quique agnoſcunt, fatentur tamen eſſe vetuſti auctoris, ac fortaſsè Auguſtino antiquioris. Auctor igitur harum quæſt. quiſquis tandem ille ſit, ſic de Petro loquitur. *Sicut in Saluatore erant omnes cauſæ magiſterij, ita & poſt Saluatorem in Petro omnes continentur. Ipſum enim conſtituit caput eorum, vt paſtor eſſet gregis Dominici.* Magnum Leonem, etſi eum in cauſa ſua minimè audiendum contendant aduerſarij, teſtem citare non verebimur; nam præterquam quòd eximia fuit vir pietate, & doctrina, aliorum ipſe premit veſtigia, nec quicquam affert, quod non ſit ab alijs Patribus, & occupatum, & traditum. Leo igitur ille ſuo ſplendore, & totius Eccleſiæ commendatione magnus, Epiſcopos Viennenſis Prouinciæ ſic alloquitur. *Huius muneris Sacramentum ita Dominus ad omnium Apoſtolorum officium pertinere voluit, vt in beatiſſimo Petro Apoſtolorum omnium ſummo principaliter collocaret: vt ab ipſo quaſi quodam capite dona ſua velut in corpus omne diffunderet, vt exortem ſe myſterij diuini intelligeret eſſe, qui auſus fuiſſet à Petri ſoliditate recedere.* Vides Marce Antoni Patribus ſanctiſſimis, tum Græcis, tùm Latinis agnitam, & probatam capitis, Chriſto ſcilicet ſubordinati dignitatem, eamque Petro

Optat. Mileuitan. lib. 2. contra Parmen.

Hier. lib. 1. cõt. Iouin. 1.

Præfatione in tomo 7. oper. Hier.

Auguſt. epiſtola 86.

Auguſtini quæſt. vet. & nou. teſtam. quæſt. 75.

Leo epi. 87. ad Epiſcopos Prouinciæ Vienn. ep. 1.

tro

tro communicatam: [Videamus verò de Petri ſucceſſore, an in eum quoque hic titulus conueniat. Primus occurrit Baſilius Orientis oculus, & præclarum Eccleſiæ lumen. Is in medijs Orientis turbis, quæ valdè cum angerent, & perplexum haberent, ad Pontificem, & Occidentis Epiſcopos ſcribens, atque vt ità dicam ſtylum alternans, ac modò Pontificem, modò reliquos Antiſtites compellans, ita loquitur: Baſil. epiſt. 77. *Siuè caput vos ipſos vniuerſalis Eccleſiæ repuiatis, non poteſt pedibus dicere caput: non eſt mihi opus vobis: ſiuè in reliquum vos Eccleſiaſticorum membrorum ordinem locatis: non poteſtis nobis dicere, qui in eodem vobiscum corpore cõſtituti ſumus, non eſtis nobis neceſſarij.* [Succedat Baſilio Gregorius Nazianzenus. Is in breui homilia, de creatione Epiſcopi Doarorum, cùm vt mentionem faceret Pontificis, locus poſtularet, ſic excuſat ſeſe; *Non venimus*, inquit, *in magni illius Paſtoris contemptum, & ignominiam, qui ſplendidæ ciuitati præſidet. Honorabilem ſcimus, caput agnoſcimus, ſanctum vocamus, tametſi iniuria affecti: Tantùm indulgentem, & humanum patrem Filijs ſe præbeat, totique Eccleſiæ ſedulò proſpiciat.* [Prætervolarant hunc locum, adeòque præclariſſimæ vocis teſtimonium

Naz orat. 3.

nobis eripuerant interpretes loco Nazianzeni ad Baſilium Cæſareæ Cappadociæ Metropolitam deflexo, aut potiùs detorto, ſed è caſtris aduerſariorum illum nobis reſtituit, ac planè aſſeruit Caſaubonus. *In breui homilia Epiſcopi Doarorum*, inquit ille, *extant hæc verba de Papa*; Ac certè eò ducunt illa Nazianzeni. *Non venimus in magni illius paſtoris contemptum, & ignominiam, qui ſpleudidæ ciuitati præſidet*, Romam enim intelligit, quam alibi, *mundi præſidem vocat*. Neque verò erat, quòd Baſilio ſe excuſaret, cuius potiùs cauſam ageret, negotiumque promoueret; Cùm enim hoſtes Baſilij Doarenſem Eccleſiam, quæ ſub eius præfectura eſſet, ſibi vendicaſſent, Gregorij, & Patris eius ſtudio, ac opera, eſt Baſilio illa reſtituta, eius cura Eulalio, quem Epiſcopum renunciaſſent, commiſſa. Quæ autem ſequuntur, nulla ratione ad Baſilium referri poſſunt. *Honorabilem ſcimus, Caput agnoſcimus, ſanctum vocamus, tametſi iniuria affecti.* Nam præterquam, quòd vt diximus, non erat cur ſe excuſaret Baſilio, cuius ille gloriæ ſtuderet, ac etiam tùm famularetur, erumpit hic veluti vis quædam doloris aduersùs Pontificem concepti propter ſe, & Baſilium neglectos, & vt magni viri interpretabantur, contemptos: Ac vt iſta non peruincant; Certè illa, *Tantùm indulgentem, & humanum patrem filijs ſe præbeat, totique Eccleſiæ ſedulò proſpiciat*, in Baſilium non conueniunt, cuius præfectura anguſtis Archiepiſcopatus ſui limitibus eſſet arctata. Et hæc quidem adeò certa Caſaubono viſa ſunt, vt æquum, & bonum ab eo impetrauerimus, locumque de Pontifice Romano iudicarit intelligendum.

Caſaub. exerc. 15. c. 16

In Car de vita ſua.
Carm. de vita ſua.

Proferamus iam non ſingularem aliquẽ teſtem, ſed ſuprà quingentos Patres, qui Romanum Pontificem caput Concilij Oecumenici, adeòque totius Eccleſiæ agnoſcunt, & feriò venerantur. Ii ſunt Concilij Chalcedonenſis Patres clariſſima orbis Chriſtiani lumina, & columina. Hi igitur epiſtola ad Magnum Leonem, cuius auctoritate ſua placita firmari cuperent, inſtituto de ſuo cœtu ſermone, enumeratiſque, qui affuiſſent quingentis viginti Epiſcopi, *on ſy*, inquiunt, *oi cephali melon igemoneyes*. *Quibus tu ſicut membris caput præeras in his, qui tuum tenebant ordinem, beneuolentiam præferens.* Hæc non verba, ſed fulmina ſunt, quæ refractariorum animos proterant. Ad finem quoque epiſtolæ ſic loquuntur. *Rogamus igitur, & tuis decretis noſtrum honora iudicium; & ſicut nos Capiti, imis ti cephali, in bonis adiecimus conſonantiam, ſic & ſummitas tua (oyto eai i coryphi) filijs, quod decet, adimpleat.* Ecce *cephali* ecce *coryphi* à magno Concilio agnoſcitur Romanus Pontifex.

Concilium Chalcedonenſe ſexcentorum triginta Epiſcoporum, vel vt habet

Epiſtola Synodi ad Leonem, quingentorum viginti.
Relatio Cõcil. Chalced.

Extat inter fragmenta Hilarij epiſt. Conc. Sardicenſis ad Iulium Pontificem Romanum, in qua ducenti octoginta Epiſcopi eundem titulum Papæ aſſerunt. *Hoc*, inquiunt, *optimum, & valdè congruentiſſimum eſſe videbitur, ſi ad caput, id eſt ad Petri Apoſtoli ſedem de ſingulis quibuſque Prouincijs Domini referant Sacerdotes.* Exemplo Patrum adductus Imperator Iuſtinianus, quamquàm aliàs parùm æquus Romanæ Sedi, ſic in eandem ſententiam pronunciat. *Nec enim patimur quicquam*, inquit, *quod ad Eccleſiarũ ſtatum pertinet, quamuis manifeſtum, & indubitatum ſit, quod mouetur, vt non etiam veſtræ inoteſcat ſanctitati, quæ caput eſt omnium Sanctarum Eccleſiarum. Per omnia enim (vt dictum eſt) properamus honorem, & auctoritatem creſcere veſtræ Sedis.*

Epiſt. Cõc. Sardicen ex fragmentis Hilarij, & Creſconiana collectione.

Iuſtin. Imper. epiſt ad Ioann. Pap. Cod. de ſum. Trin. & fid. Cathol.

Ita Archimandritæ, & Monachi ſecundę Syriæ epiſtola ad Hormiſdam Papam. *Deprecamur Beatiſſimè*, inquiunt, *ſupplicantes, & rogantes, vt exurgatis cum feruore, & zelo, & condoleatis iuſtè pro corpore laniato; nam caput eſtis omnium, & vindicetis fidem contemptam, Canones conculcatos, Patres blaſphematos, & talem Synodum anathemate impetitam. Vobis à Deo data eſt poteſtas, & auctoritas ligare, & ſoluere.* [Theodorus Studita magni nominis vir epiſtola ad Leonem Tertium, omnium capitum, (Patriarchas intelligit, ampliſſimarum diœceſeon præſules) Caput Pontificem appellat. *Factus eſt*, inquit, *ò diuiniſſimum omnium capitum Caput iuxta Hieremiam Prophetam, cętus reuera præuaricatorum, & Concilium adulterantium.* [Ac denique in Concilio Florentino faſces ſubmiſerunt Græci, ac Pontificem pro capite Eccleſiæ ſunt venerati in Oecumenicæ Synodi verba conſentientes. *Definimus Sanctam Apoſtolicam Sedem, & Romanum Pontificem in vniuerſum orbem tenere Primatum, & ipſum Pontificem Romanum ſucceſſorem eſſe Beati Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ Caput, & omnium Chriſtianorum Patrem, ac Doctorem exiſtere; & ipſi in Beato Petro paſcendi, regendi, ac gubernandi vniuerſalem Eccleſiam, à Domino Noſtro Ieſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe.* Habemus igitur ex doctrina Patrum, tùm Petrum, tùm Petri ſucceſſorem Romanum Pontificem caput eſſe Eccleſiæ, cui ſcilicet Chriſtus, Primum & maximum caput, prouinciam demandarit dirigendæ, ac moderandæ Eccleſiæ. Nunc reſpondendum ad obiectiones aduerſarij. Sic itaque ille.

Ep. Theodori Studitæ ad Leonẽ III. Pap. quæ eſt 33. lib. 1. Vide Bar. tom. 9. ann. 809.

[Adhuc igitur viuit Chriſtus, & adhuc regnat in Eccleſia; in qua ſi non regnaret,

Spalat. num. 2. Rom. 12.

etiam

etiam poſt Aſcenſionem, non diceret Paulus; Multi vuum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra. Nullum ergo, *inquit*, aliud caput agnoſcebat Paulus, niſi Chriſtum, & inter membra Chriſti non ſecùs includit etiam Petrum, quàm ſe, & alios Apoſtolos, ac fideles: Singuli autem inquit alter alterius membra, & non dicit Chriſti, membra, ſed altec alterius, vt meliùs ſignificaret æquè omnibus conuenire, vt ſiut membra ad inuicem, & neminem eorum aliam habere relationem ad allos, niſi membri, ſeu, vt ita dicam, commembri, & hoc ve excluderetur ab vnoquoque eorum ratio, & relatio veri capitis quæcunque. Igirur Petrus non modò erat membrum comparatus ad verum caput, quod erat Chriſtus; ſed etiam membri parem rationem comparatus ad alios Apoſtolos, & fideles, cum ipſis, ſi Pauli dictis fidem adhibemus, obtinebat.] Addit Apoſtolum non dicere, [Singuli Chriſti membra, ſed alter alterius membra.] Sequitur ergo, inquit, [Petrum ad Apoſtolos, & fideles, non ſolùm membri, ſed commembri parem rationem habere.] Sed hæc ſunt futilitatis plena.

Viuit ſanè Chriſtus, & in Eccleſia regnat, adeòque eam regit, tum adminiculo Vicarij Capitis, tum opera reliquorum miniſtrorum; ſed quod attinet ad locum Pauli, viſibilia illa miniſteria non tollit, & verè nodum in ſcirpo quærit aduerſarius. Apoſtolus enim, vt rectè obſeruat Chryſoſtomus, loquutus de donis fidei, & gratiæ, quæ initio naſcentis Eccleſiæ opera Spiritus ſancti fidelibus communicarentur, ſermonem eò flectit, vt oſtendat huiuſmodi chariſmata, non ex æquo ab omnibus participari, ac indè anſam arripit commonefaciendi Romanos, vt intrà menſuram, & fines doni ſibi collati, hoc eſt gratiæ, officij etiam, & talenti ſibi commiſſi ſe contineant, nec præſtituros à Deo limites excedant, aut prætergrediantur.

Chryſoſtomus ad illũ locum.

Atqui eſt ſuperiùs à nobis demonſtratum, quod attinet ad internum influxum gratiæ, à quo hæc chariſmata pendere ipſe non negauerit Spalatenſis, ſolùm Chriſtum verè caput eſſe. Itaque hoc ſenſu verùm eſt, omnes omninò fideles, etiam Petrum, & Petri ſucceſſorem Pontificem, eſſe *huius corporis membra*, ac proindè *commembra, non Caput*: Namque vt verè omninò Baſilius ſcribit, dicitur Chriſtus *i mia, cai moni alitbos cephali*, fons ſcilicet, & origo gratiarum omnium, & ſpiritualium chariſmatum. Sed ſi ſpectetur exterior gubernatio, de qua hic minimè loquitur Apoſtolus, proculdubiò non eſt par ratio omnium fidelium, & Petri, aut etiam Pontificis; nam reliqui fideles reguntur, Petrus verò regit, Pontifex regit. Et meminiſſe oportuit Marcum Antonium, hoc eodem loco docuiſſe Paulum, *non omnia membra eundem actum habere*. Vndè etiam alibi alios Præpoſitos agnoſcit, quibus teneantur fideles auſcultare. *Obedite*, inquit Apoſtolus, *Præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis*. Hoc ſenſu vocantur illi capita populorum, maximè verò, qui Eccleſiæ Catholicæ habenas moderatur, Pontifex.

Baſil. in Aſceticis.

Hebræor. 13.

Spal. nu. 3.

[Imò, inquit aduerſarius, hoc ipſum regimen ſuper Eccleſiam, videtur Chriſto Domino à Patre donatum, poſt ipſius Glorificationem, & in cœlos Aſcenſionem, teſte eodem Paulo; & quæ ſit ſupereminens magnitudo virtutis eius in nos, qui credimus ſecundùm operationem potentiæ virtutis eius, quam operatus eſt in Chriſto, ſuſcitans illum à mortuis, & conſtituens ad dexteram ſuam in cœleſtibus, ſuprà omnem Principatum, & poteſtatem, & virtutem, dominationem, & omne nomen, quod nominatur, non ſolùm in hoc ſæculo, ſed etiam in futuro; & omnia ſubiecit ſub pedibus eius, qui omnia in omnibus adimpletur. [Vides igitur, inquit, poſtquam conſtitutus eſt ad dexteram in cœleſtibus, præpoſitum eſſe à Deo Patre Caput ſuprà omnem Eccleſiam? Quis ergo quærat ſucceſſorem, aut ſubſtitutum, vbi ipſemet regnaturus in ſolio Eccleſiæ, etiam huius ſeculi collocatur? Sed, & actuale Regimen Eccleſiæ Chriſtum reipſa exercere, per ſe ipſum, teſtatur idem Apoſtolus dicens: Et Ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, qui eſt principium, primogenitus ex mortuis, vt ſit in omnibus, ipſe primatum tenens. Hoc verò regimen totum eſſe ſpirituale, nec egere corporali præſentia, ſed influxu internæ gratiæ ipſum peragi, ſatis declarat idem Paulus ſubdens: Quia in ipſo complacuit, omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia, in ipſum pacificans per ſanguinem Crucis eius, ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cœlis ſunt. Et alibi. Diuiſiones veræ gratiarum ſunt, idem autem Spiritus, & diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus, & diuiſiones operationum ſunt, idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus. Vnicuique autem datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem. Alij quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ; alij autem ſermo ſcientiæ ſecundùm eundem ſpiritum; alteri fides in eodem ſpiritu; alij gratia ſanitatum in vno Spiritu: alij operatio virtutum; alij Prophetia; alij diſcretio ſpirituum, alij genera linguarum; alij interpretatio ſermonum. Hæc autem omnia operatur vnus, atque idem Spiritus, diuidens ſingulis prout vult. Quis ergo, inquit, quærat ſucceſſorem, aut ſubſtitutum, vbi ipſemet regnaturus in ſolio Eccleſiæ, etiam huius ſeculi collocatur?] Hìc multa ſunt, quæ virgula cenſoria opus habeant.

Epheſ. 1.

Coloſſ. 1.

Ibidem.

Cor. 12.

Primum enim falſum, falſiſſimum eſt, Chriſtum cœpiſſe eſſe caput Eccleſiæ poſt ſui in cœlum aſcenſus triumphum; nam etſi verum eſt, Chriſti gloriam magis, ac magis propalatam poſt triumphantem illum in cœlos regreſſum, quòd ſcilicet ante non eſſet nominis illius tantus fulgor, nec ita paſſim ab omnibus celebraretur, aut coleretur: tamen nonniſi poſt adeptos hos honores fuiſſe Caput Eccleſiæ, tàm falſum eſt, quàm falſum eſt, antequam ſederet ad dexteram Patris, non fuiſſe Chriſtum Domini, & verum Meſſiam. Hæc enim duo ſi benè aduertis, Marce Antoni, *Chriſtus*, & *Caput Eccleſiæ*, ita cohærent, vt ſeparari, aut auelli à ſe inuicem non poſſint; Siquidem filius Dei, *vnctus eſt oleo lætitiæ, præ conſortibus ſuis*, vt *eſſet primogenitus in multis fratribus*, & ab eis pro capite coleretur. Quare cùm ante illum ſuum in cœlum aſcenſum Meſſiam ſe, & vnctum Domini oſtenderit, impleueritque illud Prophetæ, *Spiritus Domini ſuper me, eò quòd vnxerit me ad prædi-*

Pſal. 44.

Luc. 4.

can-

candum miſit me, &c. Proculdubiò etiam ſe caput præbuit, & probauit Eccleſiæ, quam ipſe per ſe collegiſſet, collectam optimis inſtitutis, & legibus temperaſſet, ac etiam ſanctiſſimis Sacramentis ornaſſet.

Quæcunq; igitur de glorificatione Chriſti poſt mortem, & in cęlos aſcenſum aſſeruntur, tum ex ſancto Paulo, tum ex alijs ad externum fulgorem referenda veniunt, quòd ſcilicet per illam ſuam ſummam humilitatem, & acerbos paſſionis dolores à Patre conſecutus ſit, *vt in nomine Ieſu omne genu flecteretur,* Philip. 2. *cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteretur, quod Dominus noſter Ie-* Pſal. 21. *ſus Chriſtus, qui antea vermis, & non homo habitus eſſet, in gloria ſit Dei Patris,* non autem eò torqueri debent, vt intelligatur cœpiſſe, tunc haberi caput Eccleſiæ, cùm eam dignitatem iam multos annos, vel ex edicto poſſediſſet. Cùm enim ſummus ille parens Deus introduceret primogenitum in orbem terrarum, dixit; *Et adorent eum omnes Angeli eius,* Hebr. 1. quòd nimirùm illo ipſo momento, quod aſcenſus in cœlum tempus longè anteuertiſſe nemini dubium eſt, ipſum Eccleſiæ, tum triumphantis, tum militantis caput declaraſſet, vt non obſcurè nobis innuit, ac ſignificat Paulus. *Cùm,* inquit, *introduceret.* Quod autem Hebr. 1. attinet ad ea verba eiuſdem Apoſtoli, *Omnia ſubiecit ſub pedibus eius, & ipſum dedit caput ſuprà omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius, & plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur:* quibus rursùs, & Petrum, & Pontificem impetit, ac vexat Spalaten. præterquàm quòd loquitur Apoſtolus de capite iuxta rationem interioris influxus, prout ſcilicet fons eſt, & origo omnium cœleſtium donorum, quæ ab eo in membra, hoc eſt fideles omnes deriuantur, iuxta illud Dauidis ab eodem Apoſtolo, Pſal. 67. hoc loco vſurpatum, *Aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus;* agit de eo capite, cui poteſtas in æuum ſit ſuprà homines, & ſuprà Angelos, *Suprà omnem principatum,* inquit, *& poteſtatem, & virtutem, & dominationem.* Adeòque ſuprà omnem Eccleſiam, tum militantem, tum triumphantem.

Atqui ſuperiùs oſtendimus, ex ſancto Thoma, hoc ſenſu ſolùm Chriſtum *Caput Eccleſiæ* haberi poſſe, cùm Pontifex nonniſi in militantem Eccleſiam imperium exerceat ſub Chriſto, & id quoque ſolùm ad exiguum tempus, cùm vltrà arctiſſimos vitæ iſtius terminos non porrigatur, nec ſeſe fundat eius poteſtas. Quod autem addit deſertor, *nos ſucceſſorem, aut ſubſtitutum,* vt ille loquitur, *quæ-* Num. 3. *rere Chriſto, qui tamen iuxtà Apoſtolum eſt caput corporis Eccleſiæ, qui eſt principium, primogenitus ex mortuis, vt ſit in omnibus primatum tenens,* purum, putùmque eſt mendacium, Chriſtus, vt non moritur, ita ſucceſſore opus non habet, Miniſtrorum tamen, & Vicariorum opera vtitur; propterea quòd etſi regnet in cœlis, influatque in Eccleſiam, non ſolùm dona gratiæ, ſed etiam quæcunque ad exteriùs regimen pertinent, tamen quia corpore abſens à nobis eſt, idque inuiſibiliter præſtat, vtitur opera, tum reliquorum Miniſtrorum, tum maximè Vicarij capitis, vt ſcilicet ſingula in Eccleſia cohæreant, & ad tractabilem ſtatum quadrent, vtque viſibile corpus viſibili nectatur capiti, & ſui generis nitatur principio tota illa ſpectabilis membrorum compages. Neque verò hoc dignitati Chriſti officit, aut primatui incommodat, iuxtà quem *ipſe eſt principium, & primogenitus ex mortuis,* cùm tum caput ipſum ſpectabile, tum reliquum corpus ab ipſo pendeat, & vim, & vigorem mutuetur. Vrget tamen aduerſarius, *Totum illud regimen eſſe ſpirituale, ac propte-* Ibidem. *rea non egere corporali præſentia, ſed influxu internæ gratiæ peragi;* Sed hoc quoque falſum eſt: Etſi enim maximè per eum internum fluxum gratiæ, obeat Chriſtus vices primi, & maximi capitis, non deeſt tamen exteriori directioni, cui fulciendæ caput ſpectabile voluerit eſſe neceſſarium. Et credo ad hanc exteriorem directionem reſpiciebat Apoſtolus, cùm mulieres muneret, vt viris ſuis obſequerentur. *Mulieres,* inquit, *viris ſuis ſubditæ ſint,* Epheſ. 5. *ſicut Domino, quoniam vir Caput eſt milieris, ſi-* verſ. 22. *cut Chriſtus eſt caput Eccleſiæ.* Namque vir caput eſt mulieris per externam gubernationem, & mulier ad nutum, & imperium viri ſui, ſuas actiones dirigere omninò tenetur, cùm eius Dominus ſit; quod exemplo Saræ, quæ Abrahamum Dominum ſuum nuncupare ſolita eſſet, probat Apoſtolus. Sed, & extat oraculum diuinum, & lex diuina, qua iubetur ſub viri eſſe poteſtate. *Sub viri,* inquit, *pote-* Geneſ. 13. *ſtate eris, & ipſe dominabitur tui,* quod pluribus verſ. 21. locis repetunt, tum Petrus, tum Paulus ſuis in epiſtolis. Imò cenſet Iſidorus, non omninò ma- Iſidor. lib. 2. lus auctor, ſponſas propterea flammeo obnu- de Off. Ec- bi, vt ſe noverint ſemper maritis ſuis ſubditas cleſ. cap. 19. eſſe. Itaq; cùm Chriſtus eo ſenſu caput ſit Eccleſiæ, quo vir caput eſt mulieris, planū fit non ſolùm hunc titulum ſibi vendicare, quòd interiùs in illam influat, verùm etiam, quòd exteriùs dirigat, ac moderetur. Cæterùm valdè bardum eum eſſe oporteat, qui nomen *Capitis,* cum Præſidibus, Præfectis, Regibus, aut reliquis populorum gubernationibus in ſcripturis tribuitur, aliò torqueat, quàm ad exteriorem iſtam directionem.

Dicat enim nobis aduerſarius, cùm Samuel aſſereret *Saulem caput factum in* 1. Reg. 15. *tribubus Iſrael,* cùm Eſaias Raſin, *Caput Da-* verſ. 17. *maſci,* & *caput Samariæ* filium Romeliæ indi- Eſai. 7. gitaret, nonne ad huiuſmodi gubernationem reſpiciebant, non verò ad illum interiorem gratiarum influxum? Etſi igitur Chriſtus iure optimo caput Eccleſiæ cenſeatur, quod interiore illo influxu afflare, & moderari Eccleſiam non deſiſtat, habet tamen præterea ſuas partes, eaſque primarias in dirigendo, corpore eiuſdem Eccleſiæ per exteriorem illam gubernationem. Quamquam itaque prioris officij vices per ſe obeat in cęlis, tamen quod attinet ad exteriorem gubernationem, vtitur opera Vicarij capitis, cuius ſummā in Eccleſia ſua voluerit eſſe poteſtatem, propter eas rationes, quas ſtatim ſumus explicaturi. Non Col. 1. euertunt iſta, ſed potiùs firmant, quæ ex Corinth. 12. Apoſtolo affert deſertor, *quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipſum pacificans per ſanguinem crucis eius, ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cælis ſunt, & diuiſiones gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus, & diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus, qui operatur omnia in omnibus, &c.*

Priore enim loco reddit rationem Apoſtolus, cur Chriſtus in omnibus primas teneat, nimirùm quòd in ipſo inhabitet omnis
Agu. in Ench. cap. 1. plenitudo, & quòd ſanguine ſuo litauerit, pacemque profundam, vt loquitur Auguſtinus, tum in cœlo, tum in terra ſtabiliuerit homine Deo, & Angelis reconciliato; Et hoc quidem ſenſu, vt ſolus mediator eſt, ita ſolus eſt caput Eccleſiæ, quam acquiſiuit Sanguine ſuo. Poſteriore verò loco hoc ipſum docet, quod nos docemus, nempè Chriſtum non ſolùm per ſpiritum ſuum interiore influxu moderari Eccleſiam, ſed etiam exteriore directione iuuare: Quid enim aliud ſunt illæ miniſtrationum diuiſiones, niſi radij quidam, aut potiùs aſpirationes exteriores illius afflatus? Et quidem ſpiritus radix, fons, & ſcaturigo illorum donorum, ac chariſmatum, ac propterea à cauſa efficiente, rectè ſpiritalia vocantur, ſed exteriùs ſe fundunt, & aſpectabili Eccleſiæ miniſterio perficiuntur: quare quemadmodùm Epiſcoporum hìc officia, & Presbyterorum, ac Diaconorum munia delineata ab interpretibus prædicantur, ita ſtatuendum eſt, ad ea ipſa chariſmata referri debere viſibilis Eccleſiæ capitis dignitatem, quam à Spiritu ſancto profectam, nemo vnquam pius dubitauit. Sic enim operatur Deus omnia in omnibus, vt cauſis ſecundis vim ſuam, & operationem non adimat, imò ſe eis attemperet, & in opus incumbentes adiuuet.

Num. 4. Miror hæc primùm non aduertiſſe Marcum Antonium, cùm id quoque planum faciat, qui ſequitur apud eum Pauli locus. *Sicut*
1. Cor. 12. *enim*, inquit Paulus, *corpus vnum eſt, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cùm ſint multa, vnum tamen corpus ſunt, ita & Chriſtus*. Nam Apoſtolus, vt rectè aduertit Auguſtinus, docet Chriſtum non ſolùm eſſe caput, verùm etiam corpus Eccleſiæ, quod ſcilicèt in omnia membra Eccleſiæ influat,
Auguſt. li. 1. de pec. mer. cap. 31. omnia ſuſtentet, & in omnibus operetur. Linguam namque doctoris mouet, manui miniſtri baptizantis moderatur, ac ſimili ratione caput ſibi ſubiectum in munere ſuo exequendo dirigit, & gubernat. Hæc clara ſunt, ſed longè clariora ſunt, quæ ſequuntur; Nam inquit Apoſtolus, *Et corpus non eſt vnum membrum, ſed multa; ſi dixerit pes, quoniam non ſum manus, non ſum de corpore, num ideò non eſt de corpore, &c. Non poteſt autem oculus dicere manui, opera tua non indigeo, aut iterum caput pedibus, non eſtis mihi neceſſarij*. Non enim de nihilo eſt, quod noſtri obſeruant hìc, nomen, aut rationem capitis, de qua agit Paulus, in Chriſtum conuenire non poſſe, quippè qui ſuis pollens opibus, nil indigens noſtri, toti Eccleſiæ corpori, adeòque membris omnibus dicere poſſit. *Opera veſtra non indigeo, non eſtis mihi neceſſaria*. Quærendum itaque eſt aliud caput, quod ipſo etiam in faſtigio dignitatis reliquis membris dicere non poſſit, *Opera veſtra non indigeo*, ac proindè Vicarium caput admittendum, in quod hæc quadrare queant. Mordet tamen, & impugnat hoc interpretamentum Spalatenſ. adque illud euertendum, obſeruandum monet,
Num. 4. *Paulum in his ſuis ſimilitudinibus nomen capitis ſumere materialiter, prout caput eſt vna pars materialis corporalis*. Nam, inquit, *ſicut manus, crus, pes, &c. ſunt partes, & membra vnius corporis, ita caput quoque eſt vna pars, & vnum membrum totius integri corporis. Quando itaque*, perſequitur aduerſarius, *ait Paulus caput non poſſe dicere pedibus, non eſtis mihi neceſſarij, intelligit caput, vt eſt commembrum in eodem corpore cum pedibus, non autem vt eſt ſuo influxu, ſuaque virtute totius corporis rectinum*. Hac diſtinctiuncula de [capite materialiter, & formaliter] ſpectato, totum hoc negotium confeciſſe ſibi videtur, eamque peracutam putat: ſed reuera nihil, vel cogitari poteſt, vel fingi obtuſiùs, aut hebetiùs, aut etiam, quod magis pugnet cum mente Apoſtoli. Apoſtolus enim caput confert cum pedibus, tamquam nobiliſſimum membrum, cum ignobiliſſimo. *Quid enim*, inquit Chryſoſt. *eſt pede viliùs, aut quid capite honeſtiùs, ac præſtantiùs, & magis neceſſarium? Hoc enim eſt maximum inter homines, nempè caput, ſed tamen non eſt ſufficiens, neque poteſt ipſum omnia efficere, nam ſi eſſet ſuperuacaneè nobis adiecti eſſent pedes*. Et confirmari poteſt, quia etiam oculum cum manu confert, indicans in corpore Eccleſiæ eſſe quoque quædam membra, quæ his humanis membris proportione reſpondeant, quæque inter ſe, non ſecus, ac humana membra mutuis, inter ſe officijs copulentur, atque ita vt in humano quidem corpore fruſtra oculus cerneret ea, quæ eſſent agenda, niſi manus ea poſſet perficere; ſic nec caput poſſet corpus mouere, & circumagere, niſi pedes eſſent obſequentes, ſuoque munere fungerentur. Spectat ergo Apoſtolus hæc membra, vt ita dicam in ratione nobiliorum, & ignobiliorem partium, & his quidem (manibus, & pedibus) obſequij neceſſitatem imponit, illis verò (capiti, & oculo) imperij gloriam attribuit: Chryſ. in 1. ep. ad Cor. c. 12. or. 31.

Atqui mi Spalaten. caput materialiter ſpectatum, nec imperat pedi, nec eum dignitate anteuertit, ſed ſolùm formaliter ſpectatum, & quà influit in pedem, ei iure optimo antefertur. Concidit ergo illa malè compacta, & ſubnixa diſtinctio, neque ex ea aliud conſecutus eſt aduerſarius, quàm vt ſe imperitum Philoſophiæ proderet. Contra verò ſtat inconcuſſa, & immobilis noſtrorum Theologorum ſententia, qui iuxtà mentem Apoſtoli, caput hìc ſpectant, quà influit in corpus, ipſumque regit, & moderatur. Et ſanè non eſt nouella iſta eorum interpretatio, ſed magnum Baſilium ep. 77. habet authorem. Ille enim ad Pontificem ſcribens ea metaphora vtitur perleganter. *Sine caput vos ipſos vniuerſalis Eccleſiæ reputatis, non poteſt pedibus dicere caput, non eſt mihi opus vobis, &c.* Dicat igitur aduerſarius. Baſilius ne hìc caput materialiter, an verò formaliter ſpectat? An non opem implorat Pontificis? An non, & eum, & occidentis Epiſcopos hortatur, & per Deum immortalem obteſtatur, vt labenti Orientali Eccleſiæ manus præbeant auxiliatrices? At credo, pertinet iſtud ad capitis influxum, nec materialiter ſpectatum iſta præſtat.

Sed inſtat ille: [Caput, quod pedibus indiget, eſt membrum, non formaliter caput. Caput enim formaliter, vt caput nihil operis accipit à pedibus, ſeu à quocunque membro, ſed omnia membra ipſum regit, fouet, & adiuuat ſuorum ſpirituum animalium influxu.] Spalat. num. 4. in med.

xu.] Et hìc quoque ſuam inſcitiam prodit; nam cum ex eo influxus afflatu, ac veluti aſpiratione dignitas capitis conſurgat, ac effloreſcat, quomodo ei neceſſaria non ſunt membra, in quæ illam demittat? vt vel ſaltem eo nomine neceſſaria iure optimo capiti cēſeantur, quod non niſi in his moderandis imperij vim oſtentare poſſit. Proportione quadam etiam ipſa capita populorum Principes, Reges, Pontifices, opus proculdubiò habent ſubditis, in quos imperium exerceant. *Quibus tandem imperabimus, ſi omnes ad vnum mori coegerimus*, dicebat ille Tyranni, ſed non tyrannidis amicus, quòd ſcilicet otioſum crederet principatum, cui nulli eſſent, qui parerent, aut obtemperarent? Sapienter omninò auctor commentarij Ambroſ. ad cap. 12. 1. Cor. falsò aſcripti ad illa verba. *Non poteſt dicere caput pedibus, non eſtis mihi neceſſarij; Quid eſt*, inquit, *maior gradu, & dignitate, non poteſt ſine illo eſſe, qui humilis eſt, quia eſt, quòd humilis poteſt, ſublimis non poteſt, quia ferrum poteſt, quod non poteſt aurum, ac per hoc honorem capiti faciunt pedes*. Viderit igitur Marcus Antonius, quàm benè ei conueniat cum Paulo, & Pauli interpretibus. Certè de eorum ſententia benè noſtri locum Apoſtoli de capite formaliter ſpectato ſunt interpretati, nec inſulsè, nec inſipienter indè colligunt dari in Eccleſia aput viſibile. Victus tamen ſibi ſuperbos triumphos canit, funeribus ſcilicet vertendos.

Spalat. n. 4. [Valeant ergo] inquit [qui ex hoc Pauli loco colligunt in Eccleſia debere dari caput viſibile, ſed formaliter ſumptum, hoc eſt regens, & influens præter Chriſtum] dixiſſe debuit ſub Chriſto [cùm Chriſtus optimè poſſit dicere pedibus, mihi non eſtis neceſſarij; vndè colligunt caput de hoc loco, non poſſe ſignificare Chriſtum. Ego verò] attende hominis arrogantiam, & inſipientiam, [dixi caput hoc loco ſignificare membrum, quale eſt quiſque in Eccleſia quicumque ille ſit, etiam Apoſtolus, non caput formaliter.] Atque vt cum ratione inſanire videri poſſit

1. Cor. 12. poſt hos fumos adducto Pauli loco. [Nunc autem poſuit Deus membra, vnumquodque eorum in corpore ſicut voluit,] perbellem hanc addidit ratiunculam. [Certè,] inquit, [nullus etiam Apoſtolorum poteſt eſſe caput; quia corpus hoc biceps non eſt, & expreſsè Paulus Chriſtum ſolum agnouit caput, quod actu munera capitis Eccleſiæ obeat, etiam in cœlo ad dexteram Patris collocatus.] Itaque armis nos Philoſophorum oppugnat, nititur enim argumentū hoc eorum axiomate, *Vnius corporis vnum eſt caput*. Sed reſpondemus breniter pro more Scholarum, vnius corporis vnum quidem eſſe caput phyſicum, & naturale, at nihil prohibere præterea plura eſſe eius œconomia, aut etiam politica capita; Verbi gratia, mulier habet caput phyſicum, nec enim ſuis Anglis perſuaſerit mulieres *acephalas* eſſe, at præterea *vir caput eſt mulieris*, vt totius familiæ, cuius ſinguli ſua habent capita phyſica, caput eſſe Paterfamilias; ſic Prorex Hiberniæ caput eſt illius Regni, & tamen non negauerit Spalaten. Sereniſſimum Iacobum præcipuum, & primum caput eſſe Hiberniæ. Ad eumdem igitur modum Eccleſia plura habet capita, ſed illa ita ſubordinata, vt monſtri nihil pariant. Eſt Chriſtus ſummum caput, eſt Pontifex ei ſubordinatum caput, influit ille, interiùſque, hic tantùm exteriùs. Ille dona gratiæ largitur, totamque molem regiminis ſua virtute fulcit, ac ſuſtentat, hic eius vices exequitur, ac eius nomine Eccleſiam moderatur.

Confugit iam ad Patres aduerſarius, & primùm profert Auguſtinum, qui, [Locis pluribus] inquit ille [docet, & aſſerit totum Chriſtum eſſe caput, & corpus, ſeù membra, id eſt Eccleſiam, neque extrà Chriſtum cognoſcit caput vllum, ſed omnia membra; ità epiſt. 50. ad finem enarratione 2. in Pſal. 30. & in Pſalm. 56. 62. 100. 131. 132. 138. 139. 142. Tract. 21. 28. 108. in Euangelium Ioannis, & in Epiſtola Ioannis tract. 10. Serm. 49. de verbis Domini, & Serm. 40. de tempore, & ſæpè alibi. Vnicum, aut alterum affero locum: Quæſtio, inquit, certè inter nos verſatur, vbi ſit Eccleſia, vtrùm apud nos, an apud illos Donatiſtas? Quæ vtique vna eſt, quam maiores noſtri Catholicam nominarunt: vt ex ipſo nomine oſtenderent, quia per totum eſt. Secundùm totum enim *cath olum* Græcè dicitur. Hæc autem Eccleſia corpus Chriſti eſt, ſicut Apoſtolus dicit; Pro corpore eius, quæ eſt Eccleſia. Vndè vtique manifeſtum eſt, eum, qui non eſt in membris Chriſti, Chriſtianam ſalutem habere non poſſe. Membra verò Chriſti per vnitatis claritatem ſibi copulantur, & per eandem capiti ſuo cohærent, quod eſt Chriſtus Ieſus. Totum igitur quod annunciatur de Chriſto, caput, & corpus eſt. Caput eſt ipſe vnigenitus Ieſus Chriſtus filius Dei viui, ipſe Saluator corporis, qui mortuus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram. Corpus eius Eccleſia, de qua dicitur, vt exhiberet ſibi glorioſam Eccleſiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi. Et poſteà. Totus] inquit [Chriſtus caput, & corpus eſt. Caput vnigenitus Dei filius, & corpus eius Eccleſia, ſponſus, & ſponſa, duo in carne vna. Quicunque de ipſo capite ab Scripturis ſanctis diſſentiunt, etiamſi in omnibus locis inueniantur, in quibus Eccleſia deſignata eſt, non ſunt in Eccleſia. Et rursùs quicumque de ipſo capite Scripturis ſanctis conſentiunt, & vnitati Eccleſię non communicant, non ſunt in Eccleſia, quia de Chriſti corpore, quod eſt Eccleſia, ab ipſius Chriſti teſtificatione diſſentiunt.] Atqui ſuprà oſtendimus Auguſtinum tribuiſſe nomen capitis Petro: Retexens enim argumentum Vrbici, *Petrus*, inquit, *Caput Apoſtolorum, Ianitor cœli*. Itaque locis à Spalatenſi citatis proculdubiò loquitur, *de primo, & maximo capite*, quod vnicum agnoſcit, ſcilicet Chriſtum, ſed loco à nobis adducto, & alijs paſſim, quæ poſteà afferentur, viſibile, & Vicarium caput ſtatuit, cuius partes ſunt regere Eccleſiam, quod etiam ille mille locis, tum Petro, tùm Petri ſucceſſoribus Pontificibus nullo ſcrupulo tribuit. Quorsùm autem agens aduersùs Donatiſtas vnius Chriſti meminerit, nec de Vicario capite quidquam dixerit, explicabo infra.

Auguſtino addit aduerſarius Gregorium pulcherrimè, vt illi videtur, diſſerentem. [Pulcherrimè Gregorius] inquit [Chriſtus ita-

Spalat. n. 5.
Auguſt. lib. de vnit. Eec. cap. 2.
Coloſs. 1.
Rom. 4.
Epheſ. 5.
Auguſt. ibidem cap. 4.
Spalat. n. 6. Gregor. in Pſ. 5. pœnit.

itaque cum tota ſua Eccleſia, ſiuè quæ adhuc verſatur in terris, ſiuè quæ cum eo iam regnat in cęlis, vna perſona eſt. Et ſicut eſt vna anima, quæ diuerſa corporis membra viuiſicat, ita totam ſimul Eccleſiam vnus Spiritus ſanctus vegetat, & illuſtrat. Sicut namque Chriſtus, qui eſt caput Eccleſiæ, de Spiritu ſancto conceptus eſt, ſic ſancta Eccleſia, quæ corpus eius eſt, eodem Spiritu ſancto repletur, vt viuat, eius virtute firmatur, vt in vnius fidei, & charitatis compage ſubſiſtat;

Coloſ. 2. vndè dicit Apoſtolus: Ex quo totum corpus per nexus, & coniunctiones ſubminiſtratum, & conſtructum creſcit in augmentum Dei. Iſtud eſt corpus, extrà quod non viuificat Spiritus. Vndè dicit B. Auguſtinus, Si vis viuere de Spiritu Dei, eſto in corpore Chriſti. De hoc ſpiritu non viuit hæreticus, non viuit Schiſmaticus, non viuit excommunicatus, non enim ſunt de corpore: Eccleſia autem Spiritum viuificantem habet, quia capiti ſuo Chriſto inſeparabiliter adhæret. Scriptum eſt enim, qui adhæret Domino, vnus Spiritus eſt cum eo. Itaque Chriſtus à Gregorio agnitus eſt caput Eccleſiæ actu viuens, & corpus ſuum, quod eſt Eccleſia viuificans, regens, & gubernans. Abhorret verò plurimùm idem Gregorius, ſi aliquo pacto dicatur Eccleſia habere in terris vllum caput prę ter Chriſtum, ne Apoſtolum quidem. Conſiderabat enim

Greg. lib 4. Epiſt. 38. quàm grauiter S. Paulus commoueretur, dum ſchiſma Corinthiorum reprehendebat. Quia nimitùm dilacerationem corporis Dominici, per quam membra eius alijs quodammodo ſe capitibus ſociabant, perhorreſcebat.

Sic ergo, inquit de Paulo, ille membra Dominici corporis, certis extrà Chriſtum quaſi capitibus, & ipſis quidem Apoſtolis, ſubijci particulariter euitauit.] Miror Gregorium tantum Pontificiæ dignitatis aſſertorem, ac vindicem, teſtem in hac cauſa contrà Pontifices adductum, Is, inquit Spalatenſis, [agnoſcit Chriſtum caput Eccleſiæ actu viuens, & corpus ſuum, quod eſt Eccleſia, viuificans, regens, & gubernans.] Sed quis de Theoremate Gregorij, niſi impius dubitare poſſit? Ergo nullum Vicarium caput agnoſcit? Dubito, an aliquid ſuperſit frontis, aut certè purioris ſanguinis ijs, qui hoc argumentum ex Gregorio contexunt, cùm vix vlla ſit pagina operum à Gregorio editorum, qua non hanc Pontificis dignitatem inſinuet, & oſtentet. Accipe duo loca, quæ inſtar omnium eſſe poſſint. Epiſtola ad Ioannem defenſorem condemnationem Stephani Epiſcopi, [ab

Greg. lib. 11 ind. 6. Ep. 54. Epiſcopis,] vt loquitur [alicui Concilij] contra formam Iuris [factam] pro auctoritate capitis Eccleſiæ ingratam, & irritam habere ſe ſignificans [Contrà hæc] inquit [ſi dictum fuerit, quòd nec Metropolitam habuit, nec Patriarcham; Dicendum eſt, quia à Sede Apoſtolica (quæ omnium Eccleſiarum caput eſt) cauſa audienda, ac dirimenda fuerit &c.] Epiſtola ad Ioannem Epiſcopum Panormitanum. [Illud autem] inquit [admonuerunt, vt Apoſtolicæ Sedis reuerentia, nullius præſumptione turbetur: Tunc enim ſtatus membrorum integer manet, ſi caput fidei nulla pulſet iniuria.] Audis ne Marce Antoni, Sedem Apoſtolicam caput Eccleſię, caput fidei à Gregorio nuncupari? Truncus ſis, niſi iſtud de Pontifice, non de ſede lignea intellexeris.

Agnoſcit ergo Gregorius viſibile caput Eccleſiæ Chriſto ſubordinatum, cui ſit demandata cura omnium per orbem Eccleſiarum. Quod attinet ad eum locum in quo aſſerit [*Paulum Apoſtolum cùm audiret quoſdam dicere; Ego ſum Pauli, ego Apollo, ego verò Cephæ, hanc dilacerationem corporis Dominici, per quam membra eius, alijs quodammodò ſe capitibus ſociabant, vehementiſſimè perhorreſcentem exclamaſſe, Nunquid Paulus pro vobis crucifixus eſt? &c.* quia eo loci impugnat, ac retundit audaciam Conſtantinopolitani Patriarchæ, qui ſe *Oecumenicum, & vniuerſalem Epiſcopum* inaniter iactaret, erit de eo aliàs nobis ſermo. Nunc ſufficiat obſeruaſſe damnare Gregorium eos, qui ſtudio partium ſic alteri à Chriſto capiti adhærerent, vt in eo, ſpretis reliquis, ſuæ ſalutis anchoram ponerent, quaſi ſolus is, in cuius verba iurarant, in precio aliquo habendus eſſet. Namque eò ducunt verba Apoſtoli: *Nunquid Paulus pro vobis crucifixus eſt, aut in nomine Pauli baptizati eſtis?* Cæterùm non damnat eos, qui vinculum pacis ſeruantes, Eccleſiæ capiti viſibili à Chriſto ouibus ſuis præpoſito parerent. Hoc enim ille faciendum mille locis monet.

Ac quidem ea ipſa Epiſtola dignitatem capitis non obſcurè Petro aſſerit, & Apoſtolos omnes Eccleſiarum capita indigitat. *Certè,* inquit, *Petrus primum membrum Sanctæ vniuerſalis Eccleſiæ eſt: Paulus, Andreas, Ioannes quid aliud, quàm ſingularium ſunt plebium capita? Et tamen ſub vno capite membra ſunt Eccleſiæ.* Si benè conijcio per *primum membrum* Eccleſiæ, caput intelligitur princeps membrorum, quò & ipſa orationis ſeries ducit. Nam poſt ea verba ſubiecit, *Paulus, Andreas, Ioannes quid aliud ſunt, quàm ſingularium plebium capita?* Ergo & de quodam capite primariò locutum eum oportuit, nempè de ſpectabili, & Vicario capite, cuius ſub nomine *primi membri* titulum tribuerit Petro. Quod enim cum Chriſto primo, & maximo capite ei conferendus eſſet Petrus, maluit *primi membri* titulo inſignire, vt, vel hoc exemplo Principis Apoſtolorum, qui numquam ſe vniuerſalem Epiſcopum vocari paſſus eſſet, infringeret Ioannis Conſtantinopolitani Patriarchæ audaciam, & laſciuientem eum in circum rationis reduceret, ac reuocaret.

Sed importuniſſimus aduerſarius rurſùm nos Apoſtoli armis oppugnat. Vt enim probet nullum aliud eſſe caput Eccleſiæ, quàm Chriſtum. [Hoc ipſum eſt] inquit, [quod Paulus egregiè alio loco docuit, dicens: Veritatem autem facientes, in charitate creſcamus, in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus, ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem iuncturam ſubminiſtrationis, ſecundùm operationem, in menſuram vniuſcuiuſque membri augmentum corporis facit, in ædificationem ſui in charitate. Explicat] inquit [influxum illum viuum, quo Chriſtus etiam in cęlis exiſtens, tamquam viuum actuale caput, tribuit Eccleſiæ ſuæ vegetationem. Quem Pauli locum tractans Chryſoſtomus ait: Quemadmodùm Spiritus ille ſenſibilis, qui ex cerebro per neruos, in corpus deſcendit, non ſimpliciter in omnibus omnia tradit; ſed iuxta cuiuſque Spalat. n. 7. Eph. 4. Chryſoſtom. hom. 11. in Epiſtola ad Ephes.

mem-

membri analogiam, plùs illi qnod plùs, & minùs ei, quod minùs capere poteſt. Iſtud enim radix eſt, & principale, nempè corpus conſeruandnm: Ità & Chriſtus: Ipſius enim prouidentia, chariſmatumque ſubminiſtrario, vniuſcuiuſque memòri, animarum videlicet earum, quæ velut membra quędam illi adaptatæ ſuur iuxtamenſuram, & analogiam incrementum facit.]

Sed hæc ſtultiſſimè dicuntur, & ſunt plena futilitatis. Apoſtolus enim, quod rectè annotauit Theodoretus, innuit quemadmodùm in ſumma veluti atce corporis collocatum caput, omnibus omninò corporis membris præſtat, vt benè cohæreant, & vi cerebri, quod ſons eſt, & ſcaturigo, ex qua ſentiendi facultas in omnes ſenſus diſtributa promatur, & defluat, actiones ſuppeditat. Haud aliter Chriſtum Dominum, qui eſt Eccleſiæ caput, cùm dona Spiritus ſancti impertiri, tum membra huius corporis in vnam iuncturam, atque compagem connectere adminiculo charitatis, cui vis inſit diſſita, & dſiuncta copulandi. Atqui hæc ad influxum illum interiorem, quem ab vno Chriſto manare diximus, pertinent, non verò tollunt influxum exterioris gubernationis, in cuius conſortium vocat Vicarium caput, modo à nobis ſuperiùs explicato.

Ambroſ. ſerm. 11.

Sed quid reſponſurus eſt Spalatenſis Ambroſio, qui hæc in Petrum maguo orationis ſplendore torqueat, *Petrus*, inquit, *pro ſoliditate deuotionis Eccleſiarum Petra dicitur, ſicut ait Dominns, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Petra enim dicitur, eò quòd primus in fidei nationibus fundamentum poſuerit, & tamquam ſaxum immobilè totius operis Chriſtiani compagem, molemque contineat. Magnifica verba*, inquit Caſaubonus, *quia ſi propriè loqui volumus, continere compagem Eccleſiæ virtutis eſt, non deuotionis.* Hoc ergo ſapientiſſimi Patris dictum, vt molliret Caſaubonus diſtinctione vſus eſt, quam caſtigatam vltrò amplectimur. *Chriſtus*, inquit, *hoc facit, non Petrus* (acqul aduertere eũ oportuit, cauſam primam ſecundis agendi vim non adimere) *nam rectè dictum modò Petrum deuotione dumtaxat* (addendum fuit fidei firmitate, ac Vicarij capiris dignitate) *eſſe Petram, at Chriſtum virtute; ſed quia ad iacienda Eccleſiæ fundamenta Chriſtus Petro vſus eſt tamquam excellenti præ multis inſtrumento, mirùm non eſt tribui inſtrumento, quòd Chriſto, verè efficienti cauſæ proprium.* Potuit rem abſoluiſſe duorum, aut trium verborum adiectione, ſupererat enim tantùm addendum, hæc tribni Petro *tamquam Vicario, ac Legato Chriſti*, à Domino ſuo his honoribus aucto. Ac ne mirentur aduerſarij toties à nobis illam *de capite primario, & ſecundario* diſtinctionem adhiberi, & inculcati ſuinmum Theologum Nazianzenum, ecce proferimus eius auctorem. Sic enim ille de pijſſima ſorore Gorgonia viro voniuncta: *Non enim*, inquit, *quia carni copulata erat, idcircò à Spiritu diſiuncta eſt, nec quia caput virum habebat, idcircò primum caput ignorauit.* Vides, vt diſtinctio noſtra ei probetur.

Caſaubonus exercit. 15. pag. 416 Et exercit. 13. pag. 168.

Greg Nazian. orat in Gorg. ſoro.

Spalat. n. 8.

Vrget iam Spalatenſis Auguſtini locum, in quo, inquit [Influxum actualem capitis Chriſti explicat per vnguentum] contenditque Auguſtinum vnctionem, de qua loquitur intellexiſſe [æquè in omues Apoſtolos deſcendiſſe à capite Chriſto, tamquam in Barbam, & non priùs in Petrum, quàm in alios] Sed primùm illud [æquè in omnes Apoſtolos] commentum eſt malè ſani capitis, de quo ne quidem per ſomnium cogitarit Auguſtinus. Inſpiciatur locus, qui ità habet: [Quis] inquit Auguſtinus [eſt Sacerdos, niſi ille, qui cùm in mundo non inueniret mundum, quod offerret, ſeipſum obtulit? in capite ipſius vnguentum, quia totus Chriſtus cum Eccleſia, ſed à capite venit vuguentum. Caput noſtrum Chriſtus, eſt crucifixum, ſepultum, ſuſcitatum, aſcendit in cælum, & venit Spiritus ſanctus à capite, quo ad Barbam, Barba ſignificat fortes, Barba ſignificat iuuenes, ſtrenuos, impigros, alacres, ideò quando tales deſcribimns, Barbatus eſt homo, dicimus. Ergò illud primum vnguentum deſcendit in Apoſtolos, deſcendit in illos, qui primos impetus ſæculi ſuſtinuerunt, deſcendit ergo in illos Spiritus ſanctus &c.] Aſſerit itaque Auguſtinus deſcendiſſe in Apoſtolos Spiritum ſanctum, ſed ex æquo deſcendiſſe nou dicit: Imò illos, qui primos ſæculi impetus ſuſtinuerint, in hoc numero ponit, quos tamen ex æquo cum Apoſtolis vnguentum illud participaſſe ægrè probarit Spalatenſis. Haud tamen negamus ex æquo deſcendiſſe in Apoſtolos, ſi gratia Apoſtolatus ſpectetur, ſed inficiamur ſi regiminis Eccleſiaſtici poteſtatis, & ordinis ratio habeatur: hoc eſt, fatemur Apoſtolos parem cum Petro conſecutos gratiam ad obeunda munia Apoſtolica, ad fundandas in omnibus oris Eccleſias, ad Euangelium propalandum, ad adducendas oues in ouile Chriſti; ſed addimus prætereà Petro, ſuper quem velut ſuprà firmam Petram ædificata eſt Eccleſia, præ cæteris ſingulare quoddam, & eximium donum cęlitùs à Spiritu ſancto collatum fuiſſe, quo eam, quam nactus eſſet, ſpartam vberiùs exornaret.

Aug. in Pſal. 132.

Sed pro indubitato aſſumit Spalatenſis. [Nullum aliud caput in Eccleſia agnouiſſe Auguſtinum, præter Chriſtum, & Apoſtolos omues, incluſo etiam Petro, non niſi membra Chriſti fuiſſe, prout membrum contrà diſtinguitur à capite] vtque probet, eum ſic inducit loquentem, [Sed quoniam per hoc, quòd mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus, factus eſt caput Eccleſiæ, illi Apoſtoli, membra ſunt eius; ideò ait, quod ſequitur, & pro eis ego ſanctifico me ipſum. Quid eſt enim, & pro eis ſanctifico meipſum? Niſi eos in me ipſo ſanctifico, cùm & ipſi ſint ego: quoniam, de quibus hoc ait, vt dixi, membra ſunt eius, & vnus eſt Chriſtus caput, & corpus &c. Igitur Petrus] inquir Spalatenſis, & ipſe eſt corpus, ſeù membrum ſub capite; Quod clariùs idem alibi expreſſit.] Verùm eſt, ſi de primo, & maximo capite, quod per influxum gratiæ vniuerſam regit, & moderatur Eccleſiam, intelligatur, ſi de capite ſubordinato, de capite regiminis, & gubernationis agatur, falſum falſiſſimum, vt antè monuimus ex Auguſtino. Addò iam rationem fuiſſe Auguſtino hanc vnius capitis Chriſti dignitatem, vbique in ſcripris ſuis propugnandi: Nam cum Donatiſtis illi res fuit, peruicaciſſimis, & inſolentiſſimis hære-

Spalat. n. 9.

Auguſtinus tract. 108. in Ioan.

re-

reticis, qui Miniſtris Eccleſiæ titulos, vni Chriſto proprios, etiam illud [Mediatoris] aſſererent. Igitur, vt obſtinatos animos frangeret, contendit, & Apoſtolos, & ipſum Petrum membra fuiſſe Eccleſiæ, ac tam illos, quàm hunc à Chriſto habuiſſe ſuæ ſanctitatis, & miniſterij dignitatem: quo ſenſu dixit Chriſtum, & *Caput*, *& Corpus eſſe*, quia nimirùm nihil occurrit in Eccleſia, quod ille ſua gratia non informet, cuique ſanctitatem non addat, quamquam pro modulo eorum, qui ſubſeruiunt, influxum illum attemperet, quia ſcilicet, [non omnia membra eundem actum habent] vt notat Apoſtolus.

Auguſt. lib. de Paſtor c. 13. Sed expendamus locum de Paſtoribus, qui magis ad rem facere videtur: *Ipſum*, inquit, *Petrum, cui commendauit oues ſuas, quaſi alteri, vnum ſecum facere volebat, vt ſic ei oues commendaret, vt eſſet ille caput, ille figuram corporis portaret, ideſt Eccleſiæ, & tamquam ſponſus, & ſponſa eſſent duo in carne vna. Quibus verbis*, inquit Spalatenſis, *illud potiſſimùm contendit Auguſtinus, Chriſtum noluiſſe ab ſe capitis officium abdicare, aut Petro committere: ideòque maluiſſe Petrum per amorem quodammodò ſibi vnire: quàm ſe, aut Primatum ſuum in Petrum transferre.* Exiſtimat igitur illud potiſſimùm contendiſſe Auguſtinum *Chriſtum noluiſſe ſe capitis officio abdicare, aut Petro committere, ideòque maluiſſe Petrum per amorem quodammodo ſibi vnire, quàm ſe, aut Primatum ſuum in Petrum transferre.* [Diceres in ſententia Orthodoxorum Chriſtum depoſuiſſe Imperium, magiſtratu ſe abdicaſſe, ac faſces ſubmiſiſſe, & tradidiſſe Petro. At hæc falſa, & non niſi per ſummum ſcelus, & inexpiabilem calumniam eis tribui poſſunt, adeòque ſi ſtudio partium non laboraſſet aduerſarius, hoccos crimine liberaſſet.

Dicimus igitur, non ſolùm Chriſtum ſtatu illo florentiſſimo non excidiſſe, collatis Petro capitis inſignibus, hoc eſt regni cœlorum traditis clauibus, ſed quo ſenſu caput ſit, nemini fas eſſe, ne Petro quidem ſummis honoribus aucto cum eo de Capitis dignitate contendere. Quare omnibus omninò vſurpandum illud Dauidis ſapientèr monet Auguſtinus in illo de Paſtoribus libro, c.8. *Domine quis ſimilis tibi?* Cæterùm & hoc inculcat, ad ſanciendam vnitatem ouium curam *vni Petro* com-

Pſal. 82. mendatam. *Et in Petro*, inquit, *vnitatem commendauit. Multi erant Apoſtoli, & vni dicitur, Paſce oues meas.* Vides pie lector Auguſtinum ſingularitèr demandatam curam totius Eccleſiæ Petro agnouiſſe. Quod verò addit, ſic ei commendaſſe oues Chriſtum, *vt eſſet ille* (Chriſtus) *Caput, ille* (Petrus) *figuram corporis portaret*, alibi egregiè explicat.

Auguſt. in Pſal. 108. *Quædam*, inquit, *dicuntur, quæ ad Apoſtolum Petrum propriè pertinere videntur, nec tamen habent illuſtrem intellectum, niſi cùm referuntur ad Eccleſiam, cuius ille agnoſcitur in figura geſtaſſe perſonam propter Primatum, quem in Diſcipulis habuit.* Itaque cùm Petro oues commendaret Chriſtus, figuram corporis portabat Petrus, *propter Primatum, quo inter Apoſtolos à Chriſto donabatur.* Spectat ergo Auguſtinus Petrum, vna cum Eccleſia, cuius Caput eſt, aſſeritque Caput hoc Vicarium cum membris vnum Eccleſiæ corpus componere, (namque corpus viuens, & ſpirans, quale eſt Eccleſia, Caput ſuum neceſſariò habet) ac comparatione Chriſti totam Eccleſiam ſic acceptam ſponſæ rationem habere, cuius Chriſtus *ſponſus ſit, vt ſint duo in carne vna.* Non eſt igitur cur à ſe ſtare Auguſtinum clamet aduerſarius, qui vel eum non intellexerit, vel inuitum, & reluctantem nefario conatu in ſuam ſententiam abſtraxerit. [Vt igitur vno quaſi faſce complectamur, quæ ſunt à nobis fuſiùs diſputata, Caput primum, & maximum Eccleſiæ agnoſcimus Chriſtum, cui tota corporis moles innitatur, & à quo omnis in eam fiat defluxus gratiæ, & reliquorum ſpiritalium chariſmatum, Petrum etiam ſupremæ illius poteſtatis Vicarium veneramur, cui exterioris regiminis, & gubernationis cura magno Eccleſiæ bono, ſapienter à Chriſto ſit demandata.

Vellicat tamen Spalatenſis ſummi magiſtri diſtinctionem, de capitis interno gratiæ, & externo gubernationis influxu, & Card. Spalat. Num. 10.
à Turrecr. lib. 2. de Eccl. c. 13. ad 4. exagitat, quòd in illa acquieſcendum ſibi putarit. [Præter, inquit, influxum internum, ponit cum Aquinate Thoma alium externum externæ gubernationis; ei ſimilem, quo Caput externis ſenſibus, præſertim viſu dirigit hominem in actibus exterioribus. Hic tamen Turrecremata non conſiderauit, neque viſum, neque auditum, neque vllum ſenſum eorum, qui in capite radicantur dici poſſe ipſum Caput, Oculus enim, aures, &c. ſunt membra non in Capite; ſed à capite contradiſtinguuntur, & caput, vt caput nullum aliud habet officium, niſi interno influxu regere, & gubernare totum corpus. Quòd verò oculi dirigant manus, & pedes extrinſecè, nihil ad caput formalitèr ſumptum. Sunt officia membrorum inter ſe cohærentium, & mutuò inſeruientium, &c.] Plumbea verba, plumbeum argumentum. Vrget, [Nullum ſenſum eorum, qui in capite ſuas habeat radices, caput poſſe dici.] Quis igitur iſtud vnquam aſſeruit? An hoc aſſumpſit, aut Aquinas, aut Cardinalis à Turrecremata? Audi Marce Antoni, Caput dicimus [totum illud, quod collo, veluti fulcro ſuſtentatur.] Itaque oculi, aures, nares, &c. partes ſunt Capitis, cui propterea deſeruiunt, & ſuam operam impendunt, in regendo corpore. [Senſus interpretes, ac nuncij rerum, inquit magnus eloquentiæ parens, in capite, tamquam in arce mirificè ad vſus neceſſarios, & facti, & collocati ſunt; nam oculi tamquam ſpeculatores altiſſimum locum obtinent, ex quo plurima conſpicientes fungantur ſuo munere.] Itaque fulgor ille oculorum, quo totus homo illuſtratur, & in rebus moliendis adiuuatur, beneficium eſt Capitis. Addimus Caput in ipſo corporis faſtigio à natura collocatum, quòd in eo totum animantium regimen reſideat. Habet igitur omnes ſenſus tum internos, tum externos, ſuæ poteſtatis ſatellites, & miniſtros, quorum opera intuendo, & dirigendo corpore vtatur. Proindè eſt oculus membrum, eſt auris membrum, & vtrumque quidem à Capite diſtinctum, at non ſimplicitèr ſicut pars à parte, ſed ſicut à toto pars ipſa ſeorsùm, & per ſe ſpectata diſcriminatur. Quis autem ſanæ mentis negauerit, quoduis totum partium ſuarum adminiculo ſuas exercere,

cere, ac depromere actiones? Hoc certè eſt lippis, & tonſoribus notum. Quamquam verò caput comparatione totius corporis in partibus admirandæ fabricæ ponatur, per ſe tamen ſpectatum, & ipſum quoddam totum eſt ſuis partibus conſtans. Quod autem addit aduerſarius, [Caput nullum aliud habere officium, niſi interno influxu regere, & gubernare totum corpus,] tam eſt à puriori Philoſophia alienum, vt mirer excidiſſe viro haud planè iſtarum rerum rudi. Conſtans eſt enim ſententia Philoſophorum, in capite vigere omnes, tum internos, tum externos ſenſus, vt ſit fons, & ſcaturigo, ex qua interiùs, exteriùſque in totum corpus ſenſus, & motus deriuetur. Ab eo ſcilicèt initium capiunt nerui, per quos ſenſus, & motus non ſolùm interiùs, ſed & exteriùs in omnia membra diſtribuatur. Meritò itaque magnus Aquinas iuxtà capitis Phyſici affectiones, duplicem influxum capiti Eccleſiæ in membra tribuit; vnum internum, gratiæ ſcilicèt, & hunc ita proprium Chriſto, vt citrà impietatem nulli mortalium tribui poſſit: Alterum exterioris gubernationis, qui meritò Optimatibus populorum, Regibus, & Magiſtratibus concedatur: Quo ſenſu Saul à Propheta

1. Reg. 15.

Samuele *Caput in tribubus Iſrael*, Raſin quo-

Eſa. 7.

que Rex Syriæ *Caput Damaſci* ab Eſaia, &

Ibidem.

Phaces filius Romeliæ Rex Iſrael *Caput Samariæ* indigitantur.

Atqui hoc vnum eſt inluctabile argumentum aduersùm Marcum Antonium de Dominis. Patres omnes tum Græci, tum Latini, Petro, & Petri ſucceſſoribus Pontificibus Romanis titulum Capitis tribuunt, Scriptura Reges, & Optimates, capita populorum vocat, & Paulus aſſerit, virum caput eſſe mulieris: Atqui nec Petrus, aut Pontifex in Eccleſiam, neque Princeps in ſubiectos ſibi populos, neque vir in mulierem agit vllo interno influxu, ſed quotquot Capitis dignitate inſigniuntur, tantùm dirigunt exteriùs, & gubernant ſibi ſuppoſita membra: ergo confugiendum eſt ad eum influxum exterioris gubernationis, & regiminis, quem ponit Sanctus Thomas, ac proindè ſeipſum non Cardinalem à Turrecremata incogitantiæ accuſare debuit aduerſarius, qui hæc Philoſophis trita aduertere non potuerit. Et certè quidem, vbicumque in Scriptura Principes, & Reges capita vocãtur, non eis interior aliquis gratiæ influxus aſcribitur, ſed proculdubiò de ſola externa directione illis locis agitur.

Ac vt te conueniam Marce Antoni, cenſeſne ſereniſſimum magnæ Britanniæ Regem, regni ſui, adeòque Eccleſiæ Anglicanæ caput eſſe? Cenſes ſanè, atque vt ſcenæ ſeruias, & ſtipem colligas, etiam hoc poſtremum

Lib. 1. c. 12. Num. 43.

excuſas. Hæc enim ſunt tua verba. *In quolibet regno Rex poteſt meritò in bono ſenſu Catholico dici eſſe Caput Eccleſiæ, id eſt ſupremus gubernator Eccleſiæ totius regni ſui*: Peto igitur abs te, Sereniſſimus Rex regitne, aut Eccleſiam, aut Britannos aliquo interno influxu gratiæ, an verò ſolùm exteriùs moderatur? Tu ne adeò impius in Chriſtum, vt internum influxum, qui vni illi ſummo hominum, & Angelorum Capiti debeatur, Magno Regi, tamen mortali, aſcribas, ac non potiùs intrà cancellos exterioris gubernationis pro grauitate, & poteſtate Imperij, quod Epiſcopus nactus eras, eum cohibeas? Eſt itaque admittenda tibi ſancti Doctoris diſtinctio de duplici influxu Capitis, altero interno gratiæ, altero exterioris gubernationis.

Spalat. Num. 10. in fin.

Sed alios nodos nectit. [Videat, inquit, Turrecremata, quomodò caput hoc viſibile poſſit res fidei toti Eccleſiæ credendas diiudicare, ac proponere, ſi ipſe, non niſi ad externam gubernationem, caput hoc viſibile datum eſſe cenſet, & explicat. Atqui quicumque homo in Eccleſia eſt, vt viſibilis, membrum, non caput eſt.] Atqui nequam (non enim aliud nomen occurrit explicandis his fraudibus) eſſe oporteat hunc diſputatorẽ.

Diceres non ſolùm Turrecrematam, verùm etiam omnes omninò Catholicos ſentire penès Pontificem eſſe poteſtatem condendi articulos fidei, quod tamen, vt impium reijcit ſanctus doctor, quibus omnes Scholaſtici aſſentiuntur; Si enim de explicatione articulorum fidei, ſi de ſententia Pontificis, quæ ſanciat hoc, vel illud à Scriptura pro articulo fidei proponi agatur, quis tam cœcus, aut hebes eſt, vt non videat hæc ad exteriorem directionem pertinere? Et certè ipſi ſcripturarum interpretes, duce Spiritu ſancto, aliquando eos ſenſus eruunt, quos pro loci auctoritate comprobant, & firmant Pontifices: Sic Concilium Nicænum conſubſtantialitatem filij aſſeruit: Sic Concilium Conſtantinopolitanum diuinitatem Spiritus ſancti à calumnijs Macedonij vindicauit. Neque tamen vmquam alicui ſano venerit in mentem, has præſtantiſſimas Synodos, de his edixiſſe alio iure, quàm exterioris gubernationis.

Spalat. Num. 11. Hebr. 7.

Iam aliam viam ingreditur Spalaten. [Hanc eandem, inquit, capitis Chriſti perpetuitatem, & perſeuerantiam, ita vt numquam ceſſauerit Eccleſiam ſuam in terris per ſeipſum regere, facilè eſt oſtendere ex ipſius Sacerdotio, iuxta doctrinam Pauli, qui egregiè probat Chriſtum Dominum æternum eſſe Sacerdotem; eiuſque Sacerdotium ſicut à nullo alio acceptum, ita manſurum in æternitate, iuxtà illud Pſal. 109. Tu es Sacerdos in æternum, ſecundùm ordinem Melchiſedech. Et in eo ponit diſcrimen inter Sacerdotium Chriſti, & Sacerdotium Leuiticum; quod hoc morte interrumpatur: illud verò maneat in

Hebr. 7.

æternum: Et alij quidem, inquit, nempè ex genere Leui, plures facti ſunt Sacerdotes; idcircò quod morte prohiberentur permanere; hic autem Chriſtus Ieſus, eò quòd maneat in æternum, ſempiternum habet Sacerdotium. Quorsùm igitur contendimus Chriſto dare Vicarium, vel ſucceſſorem in terris? Cur ſummum hic Pontificem quærimus, ſi Chriſtus Sacerdos, & Pontifex noſter ſempiternum habet ſacerdotium, & Pontificatum ſempiternum? Heb. 7. Vndè, & ſaluare in perpetuum poteſt, accedens per ſemetipſum ad Deum ſemper viuens ad interpellandum pro nobis, & Aaroni quidem, inquit Athanaſius ſerm. 3. cont. Arian. ſucceſſores dati ſunt; & omninò legale Sacerdotium mortis, & temporis progreſſu alios, atque alios Pontifices accepit: Dominus autem ſine tranſitione, & ſine ſucceſſore, ſacerdotium obtinens, fidus, firmuſque Pontifex factus eſt in perpetuum perſeuerando. Chryſoſt. quoque hom. 13. in epiſt. ad

Heb.

Heb. Propterea ergo, inquit, ſaluat, quoniam non moritur, quia ſemper viuit, & non habet ſucceſſorem. Si verò non habet ſucceſſorem, poteſt etiam omnibus adeſſe; Et paulò antè dixerat; Vnus eſt Pontifex Chriſtus, quia vnus non eſſet, niſi eſſet immortalis; ſicut enim multi Sacerdotes ſunt, quia mortales ſunt; ſic vnus, quia immortalis eſt. Hæc Spalaten. Itaque, vt probet Chriſtum etiam in cœlis exiſtentem, numquam ceſſare, aut ceſſaſſe Eccleſiam ſuam per ſeipſum regere,] ad ipſius Sacerdotium confugit, quod iuxtà doctrinam Pauli in æternum durat. Potuit autem hoc ſe onere leuaſſe,& huic labori tamquam parùm neceſſariò pepercisſe. Quis enim noſtrum vmquam contendit Chriſto tãquam morte ſepulto, aut etiam abſenti ſucceſſorem eſſe ſufficiendum, aut vt ille loquitur ſubſtituendum? Agnoſcimus diuinam Pauli vocem.
Heb. 7. *Et alij quidem* (nempè ex genere Leui) *plures facti ſunt Sacerdotes, idcircò quòd morte prohiberentur permanere, hic autem Chriſtus Ieſus, eò quòd maneat in æternum, ſempiternum habet Sacerdotium*, neque commentarijs ad eam illuſtrandam opus fuit. Planus eſt ſenſus, quem Athanaſius, & Chryſoſtomus à Spalatenſi inducti tradiderunt; etſi enim Chriſtus mortuus eſt, glorioſum tamen de morte triumphum tulit, ac ſtatim ad vitam reſurrexit glorioſam & immortalem; quare ſucceſſore non indiget, nec ei ſuccenturiantur Pontifices noſtri. Succeſſit quidam olim in lege Eleazarus Aaroni, Eleazaro alius ex præſcripto legis, ſed Petrus non ſucceſſit Chriſto in Pontificatus dignitate. Et quidem Eleazarus ſic Aaronis vita functi, locum occupauit, vt parem cum eo nactus ſit dignitatem, & planè pari gradu fuerit. Petrus autem non ſucceſſit numquam interituro, nec parem cum Chriſto conſecutus eſt dignitatem, ſed Vicarius, & miniſter conſtitutus eſt perpetuò viuentis, ac in æuum regnantis ſeruatoris noſtri. Atqui longè differunt ſucceſſor, & Vicarius. Imperatori etiam in caſtris, aut in Imperio agenti Legatus dari ſolet, qui eum moleſtia, & labore imperandi leuet, ſed ſucceſſor nonniſi poſt mortem, aut abdicationem quæritur; quare cùm Chriſtus iuxtà Apoſtolum *iam non moriatur*, ſucceſſorem non patitur, ſed Vicarium, ac legatum Eccleſiæ præficit, non quidem quòd multiplici illo miniſterio obrui ſe ſentiat, ſed quòd etſi etiamnum Eccleſiæ ſuæ præſtantiori, ac nobiliori modo, quàm cùm in terris ageret, præſit, eamque moderetur, ſe tamen ſpectabilem non præbeat. Pergamus.

Spalat. Num. 15. [An fortaſsè timendum, proſequitur Spalaten. ne Chriſtus in cœlis poſitus non poſſit ſupplere muneri in regenda Eccleſia terreſtri? Cùm totum ipſius regimen ab eo, vt à capite diuinis influxibus abſoluatur? Nonne ſatis eſt ſi habeat Miniſtros in terris, quorum opera miniſteriali vtatur in regimine ſpirituali, ſeruata ſibi Capitis, Regis, & Domini dignitate, & prærogatiua? Ego ſanè nullum diſcrimen video, cur potuerit Chriſtus, dum præſens corpore erat in terris, ſolo Miniſtrorum vſu Regiam exercere curam in Eccleſia, nullo alio ſibi adiecto Vicario, nullo viſibili capite, nullo ſubſtituto: nunc verò idem prorsùs præſtare non poſſit. Retinet igitur, & Capitis, & Regis, & Domini dignitatem, nomen, & officium; & per ſeruos, ac miniſtros, officialeſque ſuos Apoſtolos, Diſcipulos, & Epiſcopos, ac Sacerdotes, nihil prorsùs variata forma regiminis, nihilo ſeciùs Remp. Eccleſiaſticam, hoc eſt ſpiritualem, adminiſtrat, quàm ſi inter mortales, vt priùs corpore præſens moraretur. Saluator Dominus, benè inquit Clemens, imò Petrus apud Clementem, gubernator Eccleſiæ ſuæ diligatur ab omnibus; & ipſius ſolius præceptis, ac iuſſis, credat, & obediat omnis Eccleſia.] Clem. ep. 1.

Eodem ſemper relabitur, nec hoc ſuum de ſucceſſore Chriſti commentum delere poteſt. Eſt igitur illi cum monſtro, quod ipſe ſibi finxit, depugnandum. Nos dicimus, non admittere Chriſtum ſucceſſorem, ſed in ſpectabili Eccleſię gubernatione Vicarium caput ſibi delegiſſe, quod ipſum quoque ſpectabile eſſet. Non igitur, vt aduerſario ſatisfaciamus, timemus, [ne Chriſtus, vt quidem ille loquitur, in cœlis poſitus, non poſſit ſupplere muneri in regenda Eccleſia terreſtri. Sed quomodo aduerſarius alios admittit miniſtros, quorum opera, ac adminiculo vtatur Chriſtus in regimine ſpirituali ſeruata ſibi Capitis, Regis, ac Domini dignitate, ac prętogatiua,] Ita freti auctoritate Euangelij ei nos paſcendos committimus, cui dictum ſit à Chriſto; *Paſce oues meas, paſce agnos meos*; Ioan. 21. Hunc enim *amoris ſui Vicarium* reliquiſſe Ambr. ad Chriſtum, nos docuit Ambroſius, aut potiùs c. 24. Luc. ipſe Chriſtus, qui ter illum eodem ſermonis tenore, *Petre amas me*, compellandum duxit; cùm ei Eccleſiæ ſuæ gubernacula tractanda eſſet daturus. Igitur etiam hac parte iuxtà Petri apud Clementem, conſilium Chriſti pręceptis, ac iuſſis obtemperamus.

Non contentus aduerſarius eripuiſſe faſces Petro, eodem nixus principio, & fundamento, omnes omninò Sacerdotes dignitate ſibi à Chriſto conceſſa ſpoliare nititur. [Et quia ipſe Chriſtus, inquit, adhuc viuit verus, & proprius Eccleſiæ Pontifex, & Sacerdos, cuius ſacerdotium vidimus eſſe ſempiternum, ideò Sacerdotes omnes mortales in Eccleſia Chriſti, quicumque illi ſint, non tam dicuntur propriè ſacrificium offerre, quod verè, & propriè ſolus Chriſtus obtulit, quam ſacrificij illius maximi memoriam celebrare: Hoc facite in meam commemorationem. Quid ergo nos, ait Chryſoſt. hom. 17. in epiſt. ad Heb. nonne per ſingulos dies offerimus? Offerimus quidem, ſed ad recordationem facientes mortis eius. Et vna eſt hæc hoſtia, non multæ. Quomodo vna eſt, non multæ? quia ſemel oblata eſt in Sancto Sanctorum: Hoc autem ſacrificium exemplar eſt illius; idipſum ſemper offerimus. Et paulò poſt, Pontifex noſter ille, qui hoſtiam mundantem, nos obtulit; ipſam offerimus, & nunc, quæ tunc oblata quidem conſumi non poteſt. Hoc autem, quod facimus, in commemorationem quidem facimus eius, quod factum eſt: hoc enim facite, inquit, in meam commemorationem. Non aliud ſacrificium, ſicut Pontifex; ſed idipſum ſemper facimus; magis autem recordationem ſacrificij operamur. Et Aug. lib. 3. cont. Fauſt. c. 18. Hebræi, inquit, de victimis pecorum, quas offerebant Deo multis, & Spalat. Num. 13.

varijs

varijs modis, ſicut re tanta dignum erat, prophetiam celebrant futuræ victimæ, quam Chriſtus obtulit. Vndè iam Chriſtiani peracti eius ſacrificij memoriam celebrant, ſacroſancta oblatione, & participatione Corporis, & ſanguinis Domini. Cyrillus Hieroſolymorum Epiſc. Catech. 10. Chriſtus eſt, inquit, ſummus Sacerdos, immutabile habens ſacerdotium, quod neque à tempore cœpit, neque ſucceſſorem alium habens ſacerdotij. Sicut igitur, inquit, nemo ſuccedit Pontifici Chriſto in Eccleſia, quia ipſemet perſeuerat; ita neque quiſquam verè, & propriè, vt docent Auguſtinus, & Chryſoſtomus, ſacrificat; ſed memoriam ſolam repræſentat. Nulla ergo ſucceſſoris, nulla veri Vicarij, nulla Summi Pontificis, loco Chriſti, neceſſitas in Eccleſia.] Non eſt hic de Sacrificio agendi locus; ſed egregiè impudentum eum eſſe oporteat, qui negarit Chryſoſtomi, & Auguſtini iudicio eſſe in Eccleſia proprij nominis, & rationis Sacrificium, & Sacerdotes.

Suidas in dictione.

Chryſoſtomus ſex libros edidit de Sacerdotio, de quibus Suidas ſic pronunciauit de authore proloquutus. *Hic multa ſcripſiſſe fertur, in quibus excellunt ſermones de Sacerdotio, tum ſublimitate, & efectione, tum lenitate, & elegantia verborum.* Tertiò igitur libro orſus de Sacerdotij dignitate, & præſtantia dicere. *Non mortalem quemquam, non Angelum, nec Archangelum, non aliam quamuis creatam potentiam, ſed ipſum Paracletum ordinem Sacerdotalem diſpoſuiſſe*, magna eloquentia docet.

Poſteà verò oſtendit planè terribilia, & viuifica eſſe, quæ Sacerdotis manu, & opera perficiantur in Eccleſia. Nam cernere eſt, ait,

Chryſoſt. de Sacerd. li. 3.

Dominum immolatum, & illic ſitum Sacerdotem ſacrificio incumbentem. Addie Carnem, & Sanguinem Domini, quibus alimur ad vitam æternam, per ſacroſanctas illas manus fieri. *Omnia autem hæc haud aliter, quàm per ſacroſanctas illas manus perficiuntur, manus inquam Sacerdotum*, inquit Chriſoſtomus. Sed & alijs operibus nihil tam crebrò inculcat, quàm ſacrificij, & Sacerdotij propriè dicti inſtitutionem. Auguſtinum verò quomodo ſuæ impietatis teſtem habuerit, qui mille locis Sacerdotum, & ſacrificij Chriſtianorum dignitatem commendarit? qui docuerit in Eucha-

Lib 2. cont. lit. Parm. cap. 13. Et lib. 1. de Baptiſ. contr. Donatiſt. cap. 1.

riſtia Corpus, & Sanguinem Chriſti Verum, Vnicum, *intimum, ſingularisſimum Eccleſiæ ſacrificium nunquam martyribus litandum*, etſi in memoriam eorum offerendum agnouerit, & prædicauerit. Excutiamus iam loca, quibus probat Spalatenſis iudicio Chryſoſtomi, & Auguſtini, *noſtros Sacerdotes non propriè ſacrificare, ſed dumtaxat memoriam repræſentare.* Affert locum ex commentarijs Chryſoſtomi hom. 17. in ep. ad Heb. *Quid ergo nos*, inquit Chryſoſtomus, *nonne per ſingulos dies offerimus? Offerimus quidem, ſed ad recordationem facientes mortis eius, vt vna eſt hæc hoſtia, non multæ, quia ſemel oblata eſt in Sancto Sanctorum, hoc autem ſacrificium exemplar eſt illius, idipſum ſemper offerimus.* Chryſoſtomum non intellexit Spalatenſis.

Aſſerit quidem ille Sacrificium Euchariſtiæ, exemplar eſſe ſacrificij in cruce peracti, ſed eſſe dumtaxat repræſentationem ſacrificij non dixit. Hæc autem ſi neſcit Spalaten. toto cœlo differunt; nihil enim prohibet ſacrificium in commemoratione mortis Chriſti poſitum, veri nominis Sacrificij rationem retinere, quòd nimirùm huiuſmodi commemoratio, vt finis ei ſit præſtitura, ad eſſentiam verò eius non pertineat; namque nos docent Philoſophi cauſam, quam vocant finalem, non pertinere ad eſſentiam rei, ſed cuius rei gratia exiſtat ſignificare; Sic vt exemplo rem faciam manifeſtam. Cùm Romani, deuictis exteris gentibus, in Capitolio hoſtias immolarent, erat quidem illud propriè ſacrificium in mactatione victimarum poſitum, ſed ſi finem ſpectes, omninò ob partam victoriam litabatur; quare ex parte finis erat quædam gratiarum actio, quæ memoriam debellatorum hoſtium refricaret, ſed ex parte materię, adeòque formæ, quæ duæ cauſæ phyſicè eſſentiam rei componunt, erat verum ſacrificium, mactatis à Victimario ſecundùm morem Romanum hoſtijs, quibus litare mos eſſet; Sic, vt ad noſtra deſcendamus, erat in lege ſacrificium laudis, erat, & gratiarum actionis, quorum ſi eſſentiam attendas, proculdubiò immolatione, & occiſione animalium ad id deſtinatorum peragebantur: Nihilominùs ratione finis vtrique præſtituti illud laudis dicebatur, quod celebrandis diuinæ maieſtatis laudibus deputaretur, hoc verò *gratiarum actionis, & Euchariſticum*, quod agendis Deo gratijs de acceptis beneficijs inſeruiret. Pari ratione ſi ſacrificij noſtri eſſentiam expendas, poſita illa eſt *in oblatione Corporis, & Sanguinis Domini*, ſi finem ſpectes, *in commemoratione ſacrificij*, cruenti in cruce peracti poſitus eſt. Hunc enim finem ei præſtituit Chriſtus his verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*, ac proptereà *annunciationem mortis Chriſti*, vocat Apoſtolus; 1. Cor. 11. Huic fini proximè coniuncta eſt gratiarum actio, à qua Euchariſtiæ nomen accepit, ſiquidem hoc ſummo religionis cultu Deo litamus, ac gratias habemus, pro eo ſummo beneficio, quo nos Chriſtus deuinxit tradito in mortem corpore ſuo ſanctiſſimo, & precioſiſſimo ſanguine pro nobis effuſo.

Cùm ergo Chryſoſtomus ſacrificiũ noſtrum exemplar eſſe ſacrificij ſemel peracti aſſerit, ponit nobis ob oculos inſtitutæ Euchariſtiæ finem; ſed cùm eſſentiam explicat, idem nos ſacrificium, quod obtulit Chriſtus, litare conſtanter defendit. *Quid igitur, quid verò nos*, inquit, *nonne quotidie offerimus?* En quæſtionem de eſſentia ſacrificij, ad quam ita reſpondet, *proſpheromen men, all'anamiſin pioumetha tu Thanatu autu.* Duo itaque dicit Chryſoſtomus, & nos offerre, & huic noſtræ oblationi commemorationem mortis Chriſti eſſe præſtitutam. Primum eſſentiam ſacrificij prodit, ſecundum finem indicat. Sed viſne auctoritate Chriſoſtomi te totum obruam? Audi magnum Doctorem. *Quoniam multis in*

Chriſoſt. ad Hebr. c. 9. hom 17.

locis offertur, inquit, *multitudine ſunt Chriſti? Nequaquam, ſed vnus vbique Chriſtus, qui & hic eſt plenus, & illic plenus, vnum corpus. Quomodo ergo multis in locis oblatus, vnum eſt corpus, & non multa corpora; ita etiam vnum eſt ſacrificium. Pontifex noſter ille eſt, qui illam obtulit hoſtiam, quæ nos mundat. Illam nunc quoque offerimus, quæ tunc fuit oblata, quæ non poteſt conſumi. Hoc fit in recordationem eius; quod tunc factum eſt. Hoc enim facite, inquit,*

in mei recordationem. Non aliam hoſtiam ſicut Pontifex, ſed eandem ſemper facimus, vel potiùs hoſtię, ſeu ſacrificij facimus recordationem. Neſcio an apertiùs poſſit inter finem, & eſſentiam ſacrificij diſtingui. Quod ergò poſtea addit Chryſoſtomus, *mallon de anamniſim ergazometha thyſias*, rationem ſacrificij non minuit, ſed finem explicat inſtitutæ Euchariſtię, quòd nimirùm, cùm finem oblationi præſtitueret Chriſtus, *tuto piite, phiſi, is emin anamniſim*. Itaque non corrigit, quod antea dixerat, Euchariſtiam eſſe ſacrificium, ſed quo ſenſu accipiendum ſit, quod ſubiecerat, vnum, idemque eſſe ſacrificium, quod noſtri Sacerdotes offerunt, & quod obtuliſſet in cruce Chriſtus, aperit, ac declarat. Atque oſtendit ex duplici capite hanc ſuam ſententiam de identitate ſacrificij veram eſſe.

Primùm: quia eadem numero vtrobique eſt hoſtia, & idem numero Chriſtus. Secundùm, quia Sacrificium Euchariſtiæ repręſentatione idem eſt cum ſacrificio crucis, cum ea, quæ in diuina *litorgia* aguntur, imaginem referant eius, quod in cruce actum eſt. Sed quòd huiuſmodi repræſentatio à re repręſentata, hoc eſt à morte in cruce obita differat, addit, *mallon de anamniſin ergazometha*; quod ad commemorationem mortis, non ad diſcrimen hoſtiæ referendum. Vno verbo, oſtendit eſſe idem numero ſacrificium, quòd eadem hoſtia, & idem omninò Chriſtus vtrobique offeratur, ſed diuerſum eſſe ſpecie, quia diuerſus eſt ritus, & forma ſacrificij, quod illud priùs cruento modo, hoc verò poſteriùs incruento offeratur. Sed de his plura ſuo loco. Ad appendicem.

Auguſtinum verò non erat, quòd teſtem adhiberet, nam is clarè ſeipſum explicat, hæc enim eius ſunt verba. *Hebræi*, inquit, *in victimis pecorum, quas offerebant Deo multis, & varijs modis, ſicut re tanta dignum erat, Prophetiam celebrabant futuræ victimæ, quam Chriſtus obtulit: Vndè iam Chriſtiani peracti eius ſacrificij memoriam,* (en finem) *celebrant, ſacroſancta oblatione* (en veri ſacrificij rationem, & eſſentiam,) *& participatione corporis, & ſanguinis Domini*.

Igitur quemadmodùm Auguſtinus, non negat ſacrificia Hebræorum, etſi celebrandæ Prophetiæ futuræ victimę, deputata veri nominis ſacrificia fuiſſe, ita non inficiatur inſtitutam in memoriam paſſionis Chriſti Euchariſtiam nomen veri, proprij, adeòque, vt ille loquitur, [ſingulariſſimi ſacrificij Chriſtianorum] rationem ſibi vendicare; cùm enim [memoriam peracti ſacrificij crucis] dicit, finem exprimit, cùm *ſacroſancta oblatione Corporis, & Sanguinis Domini* perfici docet, eſſentiam ſacrificij innuit, & apertiſſimis verbis declarat. Hoc niſi cœcus fuiſſet, vidiſſet Spalatenſis.

Cyrill. Hieroſ. Cathec. 10. Quod attinet ad Cyril. Hieroſol. *Chriſtus*, inquit, *eſt Summus Sacerdos, immutabile habens Sacerdotium, quod neque à tempore cœpit, neque ſucceſſorem alium habens Sacerdotij*. Quāquam enim, quod ait, Sacerdotium Chriſti non cœpiſſe in tempore, duriùs dictum videri poſſit, cùm nonniſi in carne illud geſſerit, tamen quia ad diuinam hypoſtaſim, & ad *Verbum*, quod *erat in principio* refert, nihil mutandum: Et credo ad prædeſtinationem ęternam reſpexit, qua eſt iuxta ordinem Melchiſedech, ante ſęcula condita deſignatum in æternum Sacerdos à Patre. Quòd verò Chriſtum non habere ſucceſſorem dicit, vltrò amplectimur, ſed non habere ſui ſacrificij miniſtros, cum ſit ipſe inuiſibilis Sacerdos, conſtanter negamus, & inficiamur. Vellem hunc ipſum Cyrillum Catecheſi myſtagogica quinta conſuluiſſet Spalaten. nam ab eo didiciſſet eſſe in Eccleſia veri nominis ſacrificium, quod tum pro ſuperſtitibus, tum pro vita functis fidelibus iugiter offeratur. Sed non eſt huius loci iſta expendere.

Spalat. Num. 4. Ambroſ. enar. in Pſal 38. Ab Ambroſio, omnium, qui vmquam fuerunt, acerrimo noſtræ ſententiæ propugnatore petit præſidium aduerſarius, ſed cum de via deducit. [Non latuit, inquit, Ambroſium hoc Chriſti iuge Sacerdotium, quod nullum in terris admitteret ſucceſſorem, nullum verum Vicarium, ſed ſolos, & plures eiuſdem ordinis, & officij miniſtros. Aſcende ergo, inquit, homo in cœlum, & videbis illa, quorum vmbra hic erat, vel imago. Videbis verum, & æternum, atque perpetuum Sacerdotem, cuius hic imagines videbas Petrum, Paulum, Ioannem, Iacobum, Matthæum, Thomam; Non ergo, inquit, Ambroſio plùs Petrus, quàm ſola imago Pontificis Chriſti, tantumdem, quantum quilibet aliorum Apoſtolorum. Chriſtus enim Sacerdos perpetuus in ſuo regimine continuè perſeuerat; propterea verò, & Eccleſia ipſius, ſub ipſo ſuo capite tamquam Reſpublica ſub vnico ſuo vero Rege, & Monarcha, ab eodem recta perpetuò, & gubernata, veram perfectiſſimæ ſimplicis Monarchiæ formam retinet; Adeò, vt ſiquidem Monarchia ſimplex inter alias Reipublicæ formas ſimpliciter excellit, vt docent Philoſophi, & noſtrates Theologi, meritò Reſpublica Eccleſiaſtica ſimpliciter, & abſolutè Monarchico perfectiſſimo regimini ſubeſſe ſit dicenda.]

Omnes verecundiæ fines mihi tranſilijſſe videtur egregius hic diſputator, adeò benè, & gnauiter eſt impudes. *Non latuit Ambroſium*, inquit, *Chriſtum æternum habere Sacerdotium, adeòque ſucceſſore opus non habere*; Qui verò hoc doctiſſimum virum latuiſſet, quòdne imperitiſſimos quidem homines fugit? At quis vmquam Ambroſio, animoſiùs propugnauit pro aris, hoc eſt pro veri nominis ſacrificio, & veris altaris miniſtris Sacerdotibus? Audiamus hoc ipſo loco, qui à Spalatenſi affertur, differentem. *Iam*, inquit, *diſceſſit vmbra mortis, & caliginis Iudæorum: dies appropinquauit Eccleſiæ, videmus nunc per imaginem bona, & tenemus imaginis bona. Vidimus principem Sacerdotum ad nos venientem, vidimus, & audiuimus offerentem pro nobis ſanguinem ſuum: Sequamur, vt poſſumus Sacerdotes, vt offeramus pro populo ſacrificium* (audiſne veterator?) *etſi infirmi, meritò tamen honorabiles ſacrificio, quia, etſi nunc non videtur Chriſtus offerre, tamen ipſe Chriſtus in terris* (nota in terris) *quando Chriſti corpus offertur, imò ipſe offerre in nobis manifeſtatur, cuius ſermo ſanctificat ſacrificium, quod offertur.*

Neſcio an ipſe ſanctiſſimus Pontifex, qui Cathedram Petri tenet, fidem ſuam, & de ſacrificij veritate ſententiam apertioribus, ac clarioribus verbis prodere, aut explicare queat, quàm quibus vſus eſt Ambroſius; Vel

ergo

ergo eum non legit, vel non iotellexit aduerſarius. Nec enim, quod ille putat, imaginem pro picturæ vmbris, & coloribus, ſolida rerum exiſtentia deſtitutis, aceepit, ſed pro ea imagioe, ad cuius ſimilitudinem factus eſt homo; id eſt imaginem Dei, vt ipſe interpretatur, intelligit. Lubet hìc locum integrum aſcribere, vt veritati ſuos triumphos aſſeramus. Ita ergo Ambroſius ad illum locum,

Ambroſ. in Pſal. 38.

In imagine pertranſibit homo. In qua imagine, inquit, *ambulat homo? In ea vtique ambulat, ad cuius ſimilitudinem factus eſt, id eſt ad imaginem Dei. Imago autem Dei Chriſtus, qui ſplendor gloriæ, & imago ſubſtantiæ eius. Chriſtus ergo imago Dei venit ad terras, vt iam non in vmbra ambularemus, ſed in imagine. In imagine autem ambulat, qui ſequitur Euangelium. Ideò Diſcipulo ſuo dicit, Vade retrò poſt me, vt me ſequaris: Ideò errauit populus Iudæorum, quia in vmbra ambulauit. Ideò non errat populus Chriſtianus, quia in imagine ambulat, habens ſolem ſibi Iuſtitiæ refulgentem, Bona imago non ceris, picturæ fucata radiantis, ſed plenitudine diuinitatis expreſſa. In qua imagine, & pater ſimul videtur, & filius, quia per vtrumque eorum vnitas operationis effulget; Etſi iam reſurrexerit Chriſtus, tamen in Euangelio nobis adhuc eius imago monſtratur. Lego quòd Lazarum ſuſcitauerit, & patris opus, & filij credo; Filius vocauit, pater audiuit, Lazarus ambulauit. Lego quia eum dæmones fatebantur, & patrem, qui Dei filium precabantur: Fatebantur, & ipſum, quia per ipſum eijciebantur. Scripsum eſt enim; Quòd ſi in Belzebub eijcio dæmonia, filij veſtri in quo eijciunt? Primùm igitur membra præceſſit, ſecuta eſt imago, erit veritas. Vmbra igitur,* inquit, *præceſſit, ſecuta eſt imago, erit veritas, vmbra in lege, imago verò in Euangelio, veritas in cæleſtibus.* Sed quod attinet ad Petrum, & Paulum, &c. *quos in imagine hìc pertranſijſſe* cenſet, *Eos dum viuerent in corpore mortis, & corruptionis deformitate Chriſtum expreſſiſſe, non in luce qualis eſt in cælo, ſed in velamine,* & ſub Symbolorũ inuolucris, quomodo in myſterijs Eccleſiæ oſtenditur, apertiſſimis verbis docet. *Aſcende,* inquit, *homo in cælum, videbis non ex parte, non in ænigmate, ſed in conſummatione, non in velamine, ſed in luce. Videbis verum lumen æternum, atque perpetuum Sacerdotem, cuius hìc imagines videbas Petrum, Paulum, Ioannem, Iacobum, Matthæum, Thomam. Videbis perfectum hominem iam non imagine, ſed in veritate. Qualis enim cæleſtis, tales, & cæleſtes vtique, vt ipſi iam in gloria, vel decore, iam in reſurrectionis gratia, non in corpore mortis, & corruptionis deformitate.* Itaque doctus, & cordatus lector hìc duo facilè aduerterit.

Primum, Ambroſium inſtituta comparatione inter Chriſtum, & Petrum, Paulum, &c. in eo conſtituiſſe rationem diſcriminis, quòd Chriſtus ſit æternus Sacerdos, ſuprà omnem corruptionem in cœlis poſitus, Petrus verò, Paulus in hac vita ad tempus ſint conſecuti ſui miniſterij dignitatem, quòd eſſent in corpore mortis, & corruptionis deformitate, quã iam exuerint decorati gloria, & honore.

Secundò nomine imaginis vſum eo ſenſu, quo vtitur Apoſtolus de veteri lege, & Euangelio differens.

Hebr. 10. verſ. 1.

Vmbra, inquit, *habens lex futurorum bonorum, non ipſam rerum imaginem,* quo loco Apoſtolus per imaginem intelligit veritatem rerum, ſiue res ipſas, aut ipſam rerum ſubſtantiam, vt rectè expreſſit Syrus interpres, quam vmbris veteris legis opponit. Hoc etiam ſenſu Gregorius Nazianzenus or. 2. de Paſch. Chriſtianorum [typum, & imaginem] vult eſſe Paſchatis cæleſtis, vt Iudaicum typus fuit noſtri, quòd nimirùm ſub obſcuris integumentis, & Symbolis Corpus Chriſti à nobis edatur, contrà verò ipſum reuelata facie, & ſublato velamine, & impedimento illo Symbolorum in cælis viſuri ſimus.

Quo ſenſu etiam dixit Chryſoſtomus, *Chriſtum aliter in cælo videre Deum, quàm viderit in terris poſitus. Non ſolùm enim,* inquit, *ſicut per ſymbola, ſed ipſum Deum illic videt.* In eundem ſenſum Ambroſius ipſe. *Hìc,* inquit, *vmbra, hìc imago, illic veritas, vmbra in lege, imago in Euangelio, veritas in cæleſtibus: Ante agnus offerebatur, offerebatur vitulus, nunc Chriſtus offertur, ſed offertur quaſi homo, quaſi recipiens paſſionem, & offert ſe ipſe quaſi Sacerdos, vt peccata noſtra dimittat. Hìc in imagine, ibi in veritate, vbi apud Patrem, quaſi Aduocatus interuenit. Hìc ergo in imagine ambulamus, in imagine videmus, illic facie ad faciem, vbi plena perfectio, quia perfectio omnis in veritate eſt.* Vides Ambroſium vmbram tribuere legi, Euangelio imaginem, & veritatem cœlis, vt iam intelligas oppoſuiſſe eum imaginem non ſolidæ rerum exiſtentiæ, quippè, qui eam ab vmbris recedere dixerit, ſed perſpicuitati rerum, quam veritatem ipſe vocat, nonniſi in cœlis patefaciendam. Neque enim nomen imaginis perpetuò ſimplicem ſimilitudinem ſignificat, ſed etiam ſolidam, & expreſſam rerum veritatem.

Chryſoſt. hom. 17. in ep. ad Hebr.

Ambroſ. lib de offic. cap. 48.

Sic namque Adam dicitur genuiſſe liberos *ad ſimilitudinem, atque imaginem ſuam,* Græcè *catà tin idean autu, cai katà tin icona autu.* Et Chriſtus in epiſtola ad Coloſſenſes vocatur *icon tu Theu.* Itaque vt finem aliquando faciamus, Ambroſius docet in imagine egiſſe Petrum, Paulum, Matthæum; & reliquos omninò Apoſtolos, non quòd reuera Sacerdotes non fuerint, aut ſacrificium proprij nominis, & rationis non obtulerint, ſed quod, vt ait Apoſtolus, [hic per fidem non per ſpeciem] ambuletur, & mortalis homo, necdum ipſam ſpeciem, id eſt naturam, & pulchritudinem Dei apertè contempletur. Vndè neceſſariò ſequitur, quæ hìc ab hominibus viſibilibus celebrantur miniſterijs in imagine eſſe, comparatione eorum, quæ in cœlis diducto, & diſtracto velo apertè incurrunt in oculos beatorum. Hæc autem veritatem non tollunt, ſed ſolùm rerum perſpicuitatem detrahunt.

Geneſ. Col. 1.

Aggreditur iam aduerſarius ad ea refellenda, quæ inuictus Chriſti Athleta Cardinalis Bellarminus pro Monarchiæ defenſione affert, & Caluini Patronum agit Pſeudo-Epiſcopus. Dixerat Bellarminus, Caluinum eò ſe recepiſſe, quo ſe iam hic noſter recipit, atque ſcripſiſſe. [Licèt Monarchia ſit præſtantiſſimum, & optimum regimen, non proptereà ſequi debere Eccleſiam ab vno aliquo homine gubernari, cùm conſtet eius Regem, & Monarcham eſſe Chriſtum, [addideratque poſſe hoc facilè refelli,] quòd etſi Chriſtus vnus ſit, ac proprius Eccleſiæ Catholicæ Rex, & Monarcha, eamque ſpiritualiter, ac inui-

Spalat. Num. 15. Bellarm. lib 1. de Rom. Pont. cap. 9.

ſibiliter, & moderetur, tamen eget Eccleſia, quæ corporalis, & viſibilis eſt, vno aliquo viſibili ſummo iudice, à quo lites de religione exortæ componantur; quique omnes inferiores præfectos in officio, & vnitate contineat. Alioquin non ſolùm Summus Pontifex, ſed etiam Epiſcopi, Paſtores, Doctores, ac Miniſtri omnes ſuperuacanei eſſent, Chriſtus enim paſtor eſt, & Epiſcopus animarum noſtrarum, Ipſe eſt vnicus Magiſter, quem audire iubet Pater cœleſtis; Ipſe eſt, qui baptizat in Spiritu ſancto. Quemadmodùm igitur] inquit Bellarminus [Epiſcopi, Doctores, cęterique Miniſtri ſuperuacanei non ſunt, tametſi quod ipſi, vt Miniſtri faciunt, Chriſtus principaliter faciat; Sic etiam non eſt è medio tollendus is, qui totius Eccleſiæ curam, vt ſummus Oeconomus gerit, quamuis eandem curam Chriſtus principaliter gerat.] Hanc igitur ſummi viri eruditiſſimam diſputationem labefactare nititur aduerſarius, atque [ſe quidem reliquorum miniſtrorum, quos inſtituit Chriſtus, neceſſitatem admittere dicit, quòd oporteret prædicari Euangelium ore materiali, linguis, & verbis humanis per totum mundum, quòd baptizandi eſſent credentes aqua materiali, lotione corporali, iuxta illud, Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. At vnius alicuius Vicarij neceſſitatem indè non haberi, atque gratis dici, egere Eccleſiam vno aliquo viſibili ſummo Iudice, qui lites Eccleſiæ componat.] Sed reuera gratis hæc à ſe dicta prodit, cùm nulla probatione vtatur ad Bellarminum refellendum; Pollicetur tamen ſe Caluini cauſam acturum alijs locis. Itaque bellum eò transfert, quò cùm ventum fuerit, aciem conferemus, etſi opus fuerit magno viro, ſubueniemus.

1. Petr. 2.
Matth. 17.
Ioan. 1.

Spalat. Num. 16. in fin.

Anticipato iam prælio quærit à Bellarmino [quomodo in rebus fidei, & interuis poſtea ſit facturus ſupremum Iudicem Papam, cui nunc ſolam externam tribuat gubernationem?] Quid? igitur harum controuerſiarum adeò rudis eſt, vt exiſtimet litium Eccleſiaſticarum diremptionem, quæ à ſummo Iudice fiat, rem eſſe interioris influxus? Atqui, dicet, de fide pronunciat: Pronunciat quidem, ſed interiores eius actus, quorum non eſt penès eum poteſtas, niſi ſuadendo non attingit, ſed totus in eo verſatur, vt ſinceram eius exteriorem profeſſionem inducat, quam propterea pro ea, qua pollet auctoritate, edicit. Atqui ſi hoc eſt in rebus interioribus verſari, quomodo [Iudicia Eccleſiaſtica] (quorum certè pleraque ad fidem pertinent) [ſi qua ſunt interdùm neceſſaria ab Epiſcopis, & Synodis, adeòque ab ipſa Eccleſia vniuerſali terminari] ipſe aſſerit? Parùm cohærentia loquitur.

Eodem num. ante fin.

Vellicat modò ſimilitudinem ab Angelorum ordinibus deſumptam, qua vſus eſt Cardinalis Bellarminus, vt oſtenderet aliquos eſſe debere in Eccleſia militante, qui rerum habenas moderarentur, quando triumphans ſuos habet Principes, quorum fulgorem, & Imperij dignitatem non obſcurat, ſed potiùs illuſtrat præſentia Chriſti. Et quia argumentum eſt à coniectura ductum, probabile ſcilicet non epidicticon, aut demonſtratiuum, eò ſe attineri negat. Fatemur verò argumentum eſſe probabile; ſed rudis ſit, ac paulò iniquior, qui vt in Mathematicis hic, niſi euidētiſſimis demonſtrationibus non acquieſcat. Enim verò Eccleſiam hanc militantem in terris inſtar triumphantis habere, ordinem, & ſeriem imitari, ac pro modulo adumbrare perſuaſum nobis erat, in eaque perſeueraturi eramus opinione, niſi nouus hic *Magiſter in Iſrael* nos dedocuiſſet, & hoc errore liberaſſet. Cæterùm eſſe in Angelis Principes, quos reliqui ſuſpiciant, ac venerentur, auctor eſt etiam Hieronymus. [Puto] inquit [& Angelos, cæteraſque virtutes habere principes ſui generis in cæleſtibus, quos Patres gaudeant appellare. Archangelus enim, niſi Angelorum dici non poteſt, & Dominatio, & Principatus, & Poteſtas, niſi inferiores ſubiectos habeant, non vocantur.]

Spalat. Num. 18. Bellarm. l. 1 de Rom. Pont. c. 9 & prius Ioann. Echius de primatu Petri l. 2. c. 26.

Hieron. ad c. 3. ad Eph.

Alium iam parem ſibi quærit gladiator, & Sanderum Angliæ decus laceſſit, ac prouocat ad pugnam. Scripſerat ille, [Formam regiminis Eccleſiaſtici eandem debere perſeuerare in Eccleſia, quam Chriſtus in gubernanda ſua Eccleſia primitiua, dum ageret in terris, tenuiſſet, adeòque cùm initiò Chriſtus ipſe tamquam ſpectabilis, & viſibilis Monarcha ei præfuiſſet, exiſtimandum eſſe non excidiſſe illo florentiſſimo ſtatu poſt receptum eum in cælum tantòpere dilectam Eccleſiam: Proindèque cum relictis terris in cælum ſe contulerit Chriſtus, de capite viſibili ei prouidiſſe, cui vices ſuas hac in parte, id eſt in exteriori regimine commiſerit, ac demandarit.] Firmarat hanc ſuam ſententiam [exemplo reliquorum miniſtrorum, nempè Epiſcoporum, qui ſucceſſerint in locum Apoſtolorum, & Presbyterorum, qui iam nullo reclamante vices impleant diſcipulorum] Obiecerarque [niſi his admiſſis variatum iri ordinem, & gubernandi formam, quam Chriſtus tenuerit in terris agens.] Rhetoricatum Sanderum [& hoc argumentum magis oratoriè, quàm Theologicè tractaſſe] occlamat aduerſarius, profiteturque] ſe maluiſſe ab eo audire, quomodo, quando, & vbi Chriſtus hanc ſubſtitutionem fecerit alicuius, puta Petri, vt viſibile, & vnicum caput ipſius loco viſibiliter præeſſet Eccleſiæ.] Igitur ne eſt auribus, aut etiam luminibus orbatus? Adeat illum libro ſexto de viſibili Monarchia Eccleſiæ, & toto libro tonantem magis, ac fulgurantem, quàm diſſerentem, audiat, videat, obſeruet. Sed & nos ſuo loco ſumus illi in hac quæſtione facturi ſatis. Interim obſeruet pius lector magnam iniuriam facere aduerſarium Sandero, qui eum quæſiiſſe Chriſto ſucceſſorem mentiatur: Sic enim eum inducit loquentem, ac ratiocinantem. [*Habet Eccleſia Epiſcopos, qui ſuccedunt Apoſtolis, habet Presbyteros, qui ſuccedunt Diſcipulis, cur non habebit vnum, qui ſuccedat Chriſto?*] Atqui Sanderus non ſic loquitur, neque de ſucceſſore ſufficiendo, cùm de Chriſto loqueretur, vmquam cogitauit.

Spalat. Num. 18. Sander. de viſib. Monarch. lib. 5. cap. 8.

Dixit. *Equidem quemadmodùm Chriſtus Epiſcopos, qui ſuccederent Apoſtolis, & Presbyteros, qui ſuccederent ſeptuaginta Diſcipulis inſtituit: ſic eo in cælum aſcendente alium Eccleſiæ paſtorem, qui ab eo inſtitueretur, expectandum fuiſſe, qui vice, ac nomine Chriſti, & Epi-*

ſco-

ſcopos, ſibi inſtar Apoſtolorum tamquam fratres adiungeret, & Presbyteros inſtar Diſcipulorum Domini certis Eccleſijs præficeret. Dixit & *Lutheranos dare Epiſcopos, & Presbyteros inſtar Apoſtolorum, & Diſcipulorum, nec dare aliquem Summum Pontificem inſtar ipſius Chriſti,* ſed de ſucceſſore Chriſti ne Gry quidem: Quare Sycophantam agit quiſquis id ei imponit, de quo ne per ſomnium quidem cogitarit. Nam, vt ſuperiùs monui, Vicarium habet Chriſtus, ſucceſſorem habere non poteſt, quòd ſucceſſor in locum demortui, aut certè abdicati cum pari poteſtate tranſeat; Vicarius verò nomine Principis, etiamnum viui, ac ſpirantis ſuam obeat Prouinciam, & commiſſo ſibi munere defungatur. Atqui, nec inter mortuos agit Chriſtus, nec officio ſe abdicauit, cùm ſit *Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* Succeſſorem itaque non habet, haber autem Vicarium, cui ab eo dictum agnoſcimus, *Paſce oues meas, Paſce agnos meos.*

Pſal.109.

Ioan. vlt.

Spalat. Num.21.

Perſtat tamen in ſententia aduerſarius, & Sanderi, ac ſequacium, hoc eſt omnium Orthodoxorum, [rationes facilè concidere] ait [detecto non exiguo errore, quo tenentur, dum putant] inquit ille, [& immeritò volunt Eccleſiam poſt Chriſti diſceſſum, ſeù gubernationem eius non eſſe eandem, quæ fuit primitiua, Chriſto in terris degente, ſed aliam tamen ei ſimilem; Nam] [inquit Spalatenſis] [ſicut Eccleſia eadem prorsùs eſt, non alia ſimilis, ità gubernatio eadem perſeuerat, non alia ſimilis. Nam idem Chriſtus viuus adhuc, & corpore dumtaxat non ſpiritu abſens, per plures miniſtros, & operarios regit, & adminiſtrat corporalibus functionibus Eccleſiaſticam hanc Rempublicam, neque corporalis ipſius præſentia, aut abſentia gubernationem variat, aut mutat.] Rem illuſtrat, imò obſcurat exemplo. [Sicut] inquit [ſi Rex terrenus peregrè proficiſcens is eſſet, qui poſſet nihilominùs momento quolibet, ſecreta aliqua via ſuis miniſtris, & gubernatoribus animo, & conſilijs adeſſe; eoſque ſingulis momentis inſtruere, & per illos totam Regni gubernationem exercere, periudè, ac ſi corpore præſens eſſet, eo ſanè caſu nullo Prorege indigeret, ſed ipſe ſuum Regnum nihilo ſeciùs gubernaret, & ipſius ſola abſentia corporalis, ne minimam quidem gubernationis induceret varietatem: Ità fit in Eccleſia, Apoſtoli enim, ſicut exiſtente in terris mortali Chriſto, operariorum munus exercuerunt, ita multò magis poſt Chriſti aſcenſum in celum, in eodem munere perſeuerauerunt, & ſibi ſimiliter alios ſocios aſciuerunt, & poſt ſe reliquerunt, qui ſunt nunc etiam potiſſimùm Epiſcopi, in eodem operè, Apoſtolorum ſucceſſores, Chriſti verò officiales, Miniſtri, & ſerui viuentis adhuc, & regnantis: Solo tamen corpore non item animo, neque internis monitis, & conſilijs abſentis, qui ſpiritu ſuo perpetuò præſens, Paſtores omnes ipſe vnus moderatur, vt verus Princeps; quem omnes ſuum ſuperiorem agnoſcunt.] Atqui hoc merum eſt effugium, nec ſatisfacit argumento, cuius vis in eo poſita eſt, vt quemadmodùm Chriſto per ſe Eccleſiam gubernante, illa caput ſpectabile habuit, ità etiam poſt receptum eum in cælum habeat ſuum viſibile caput, cuius opera tenorem, & formam prioris regiminis retinere cenſeri meritò poſſit. Non enim citrà mutationem regiminis ab aſpectabili capite ad inuiſibilem Principem traduci potuerit eius imperium. Et exemplum ipſum Marci Antonij licèt plenum fuci, tamen nullius momenti eſt, aut ponderis, cùm mutationem regiminis velit, nolit, inuehat, ac inducat. Nam eo caſu, quem fingit admiſſo, atque priore forma obtinente, qua rex ipſe per ſe ſua munia obiret, ac præſens ius diceret, eſſet caput ſpectabile, ac de eius mente neminem dubitare contingeret, cui præſto non eſſet ipſum conſulere, quòd nimirùm per externam vocem, & directionem gubernaret, tùm miniſtros, tum ſubiectos ſibi populos. Poſteriore verò forma inuecta his duobus nudaretur regnum. Nam neque ſpectabile haberet caput, ſed inuiſibile, quòd per internam inſpirationem regeret ſubditos; neque ſi aliqua ſuboriretur de eius voluntate dubitatio, poſſent illum populi conuenire, & ex eius ore clarè ipſius ſententiam audire.

Hęc longè diuerſa ſunt, & quod maximè attendendum eſt in hac controuerſia, ipſe præſens omnes dubitandi occaſiones facilè amputaret, quia per ſe ediceret, ſed eo abſente poſſet alicui in mentem venire falsò iactare miniſtros regni illam internam regis inſpirationem, eaque ad ſuos priuatos affectus, & ſubditorum perniciem abuti, quod certè probat diuerſum tunc futurum regendi modum, adeòque diuerſam regiminis formam.

Obiecerat Sanderus contrà multorum Principatum [Schiſmati eum aperire feneſtram, quod poſſent multi illi Paſtores, quibus credita eſſe ſumma rerum populum in mille ſectas diuidere.] Declinat hoc telum aduerſarius, reſpondetque [Id fieri non poſſe, quia cùm primùm miniſter aliquis in denia gregem abripit, Eccleſia ipſa, & reliquus bonorum miniſtrorum cętus eum, aut ab errore retrahit, aut ab Eccleſia præſcindit, & à corpore ſacræ Reipublicæ proijcit, Chriſto Domino per ſpiritum ſuum huiuſmodi negotium, tamquam vero Principe, & Rege peragente.] Sed quid fiet ſi ipſi Epiſcopi auctores deprehendantur Schiſmatis? quis in viam reuocabit? An inferiores Sacerdotes, & infimæ plebis homines, quibus nulla eſt in ſuos Antiſtites poteſtas? Ponat ſibi ob oculos Spalatenſis dirum illud Antiochenorum Antiſtitum diſſidium, *quo vetuſto oriens inter ſe populi furore colliſus indiſciſſam Domini tunicam, & deſuper textam minutatim per fruſta olim diſcerpſit,* vt conqueritur Hieronymus. Paulinus, Vitalis, Melitus magno orientis malo pro Epiſcopatu conſequendo turbas ciebant, & habebant ſuarum partium ſtudioſos nimiùm multos.

Num.21. in fin.

Cypr.lib 3, epiſt.13.

Hier.tom.2 epiſtola 57. ad Damaſc. Pap.

Quid ergo viro pio in Oriente agenti præſtandum fuit? Quis quætendus, qui ſchiſma ſopiret, aut qui ſaltem quid agendum, aut quid ſequendum in his turbis moneret? Hieronymum audi virum ſapientiſſimum, *Non noui Vitalem, Meletium reſpuo, ignoro Paulinum, quicumque tecum non colligit* (Damaſum Pontificem alloquitur) *ſpargit, hoc eſt, qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt.* Non à reliquo

presby-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

presbyterorum cętu, non à cæteris fidelibus, ſed à Damaſo, à Summo Pontifice præſidium petit; *Quamquam*, inquit, *tui me terreat magnitudo*, vides Romanæ poteſtatis faſtigium à Hieronymo celebratum, *inuitat tamen humanitatis. A Sacerdote victimam ſalutis, à paſtore præſidium ouis flagito. Faceſſat inuidia Romani culminis, recedat ambitio, cum ſucceſſore piſcatoris, cum Diſcipulo crucis loquor.* Quàm igitur à priſcorom Patrum iudicio, & pietate longè recedit deſertor? Sed erit poſteà locus de his fuſiùs agendi.

Spalat. Num. 22.

Nouam iam, & inexpiabilem doctrinam inducit in Eccleſiam Spalatenſis, negat Eccleſiam ab ipſo Chriſto fundatam, & conditam. [Non eſt difficilè, inquit, in doctrina Catholica defendere Eccleſiam veram primitiuam, poſt Chriſti aſcenſum propriè ſuum ortum habuiſſe.] Imò ne Lutheranis quidem idipſum perſuaſeris. Audi tuos Centuriatores: *Etſi verè Chriſtus eſſet Summus Sacerdos, tamen titulum ſibi arrogare noluit, ſed res ipſas ad Pontificem pertinentes exequitur. Primò tradit cæleſtem doctrinam illuſtriùs, quàm vllo vmquam ſeculo factum erat, adminiſtrat claues regni cælorum. Matth. 9. Quæſtiones perplexas, & obſcuras, tam Apoſtolis, quàm aduerſarijs ſoluit. Secundò orat pro toto mundo, Ioan. 17. Tertiò ſacrificium præſtat pro toto mundo. Alios quoque ad iuuandum miniſterium docendi è reliquo cętu adſciſcit, nempè duodenos Apoſtolos, & ſeptuaginta, quos ante ſe binos ablegat.* Atqui ni fallor *inſtituere miniſtros Eccleſiæ, nouum ſacrificium celebrare, ac tradere, adminiſtrare claues regni cælorum, cæleſtem doctrinam docere,* Eccleſiam fundare, & ædificare eſt.

Cent. 1. lib. 2. cap 7. pag. 268. 269. 270.

Adde ſequentia: Chriſtus in terris agens inſtituit noua Sacramenta, condidit nouum teſtamentum, quibus duobus niti totam Machinam Eccleſiæ, vos Eccleſiæ hoſtes defenditis; Sanciuit leges Euangelicas, & inſuper his omnibus pondus, & vim addidit, cùm expanſis in cruce brachijs dixit, *Conſummatum eſt*, nouiſſimè verò cùm in procinctu res eſſet, & ſe in cœlum recipere vellet, dixit Apoſtolis. *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Maiorisne igitur molis erat Eccleſiam condere? Paſtorem etiam, & Rectorem ouibus datum fortaſſe requiris, *Paſce oues meas, paſce agnos meos*, dicit Dominus Simoni Petro. Certè Eccleſiam, & fundaſſe, & condidiſſe Chriſtum, cùm mortali carne circumamictus, populus ad pœnitentiam hortaretur, & eis clauium regni cæleſtis miniſtros præficeret, conſtantiſſimè docent antiqui Patres; nec veretur Auguſtinus Eccleſiam vocare, quæ Chriſtum præſentem habuerit. *Secundum præſentiam maieſtatis*, inquit, *ſemper habemus Chriſtum; ſecundùm præſentiam carnis, rectè dictum eſt Diſcipulis, Me autem non ſemper habebitis. Habuit enim illum Eccleſia ſecundùm præſentiam carnis paucis diebus, modò fide tenet, oculis non videt.*

Ioan 20.

Imò contendit Ambroſ. omninò à Chriſto initium ducere debuiſſe, non ab homine, ſic enim ad illa verba, *Anno quinto decimo Imperij Cæſaris, factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem, &c. Congregaturus*, inquit, *Eccleſiam Dei filius ante operatur in ſeruulo. Et ideò benè poſuit ſanctus Lucas, factum eſſe Verbum Domini, ſuper Ioannem Zachariæ filium in deſerto: vt Eccleſia non ab homine cæperit, ſed à Verbo.* Sed alijs teſtibus opus non eſt. Ipſe Marcus Antonius teſtimonium fert in caput ſuum, & proprio ſe iugulat gladio; nam homo mirè inconſtans ſcribit, *Facilè admittimus neceſſitatem miniſtrorum, quibus vti voluit Chriſtus, etiam dum ipſe mortalis in ſua Eccleſia verſabatur.* Rurſùs. *Dicimus Apoſtolos omnes immediatè à Chriſto aſſumptos eſſe, vt eſſent operarij, & miniſtri ipſius viuentis adhuc, & regnantis, & in fundanda Eccleſia coadiutores.* Quid poteſt dici apertiùs? Non igitur doctrinam Sanderi profligauit, ſed ſuam ſententiam ipſe euertit, ac funditus ſuſtulit.

Ambroſ. lib. 2. comm. in Luc. ad. cap. 3.

Num. 16.

Num. 19.

Nititur tamen labantem fulcire teſtimonio Scripturarum, quia ſcilicet filio dictum eſt à Patre. *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ; Nimirùm*, inquit, *poſtquam, Aſtiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduersùs Dominum, & aduersùs Chriſtum eius.* Et alibi ſcriptum, *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput. Exaltatus*, inquit, *namque eſt Chriſtus, vt caput Eccleſiæ, poſtquam de torrente Paſſionis bibit. Et, Pro eo, quòd laborauit anima eius, videbit ſemen longæuum, hoc eſt ſuam Eccleſiam; Priùs tamen vidimus eum, & non erat aſpectus, virum dolorum. Et verè languores noſtros ipſe tulit, & vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, & oblatus eſt, quia ipſe voluit. Et ſicut ouis ad occiſionem ductus eſt; & abſciſſus de terra viuentium; & tunc tandem longæuum ei ſemen eſt conceſſum, non priùs. Et nonne paſſim dicitur à noſtris, Eccleſiam ex latere Chriſti fluxiſſe, hoc eſt poſt Paſſionem Chriſti fuiſſe inchoatum.*

Pſal. 2.

Pſal. 109.

Iſa. 53.

Ibidem.

At hæc miſeram cauſam nil iuuant; Oſtendunt enim Chriſtum, id morte ſua conſecutum, vt ei iuxta Prophetarum vaticinia *curuaretur omne genu*, ſed ante redditum Deo ſpiritum, & ante aſcenſum eius in cœlum non fuiſſe Eccleſiam ab ipſo fundatam, minimè euincunt. Ad fulgorem Euangelij, non ad primam Eccleſiæ fundationem iſta pertinent. Imò ſi verum fateri volumus, inuexit in Eccleſiam iam fundatam, hoc ſemen longæuum, id eſt populorum multitudinem tantæ propaginis auctor Deus, & termini terræ eidem iam conditæ, & conſtitutæ obuenerunt: Non enim confeſtim, aut ab initio prædicationis Apoſtolorum regna paruerunt Chriſto, ſed ſucceſſu temporis illam ſuam hæreditatem adeptus eſt. Meminiſſe ergo oportet *exciſi de monte lapidis*, qui cùm initio exigua mole eſſet, tandem creuerit *in montem maximum, & impleuerit terram*: Nimirùm initio Eccleſia Chriſti grex puſillus erat, (Caluiniſtæ hunc locum ad ſuam paucitatem deferendam aliquando detorſerunt,) ſed intereà grex erat, ouileque iam ſuum habebat Chriſtus, cui paſtoris inſtar præeſſet, quod ipſe ſatis innuit his verbis, *Alias oues habeo, quæ non ſunt de hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus Paſtor.* Cogitandum itaque fuit aduerſario aliud eſſe Eccleſiam fundari, & ædificari, aliud augeri, & propagari.

Daniel 3.

Ioan. 10.

Fundata eſt, & ædificata ante Chriſti aſcenſum in cœlum, quando ei conſtituti miniſtri, Sacramenta data, & leges ad Euan-

gelium proximè pertinentes ſancitæ ſunt. Aucta, & propagata eſt poſt aſcenſum Chriſti in cœlum, quando per orbem diffuſa eſt, & gentes, quæ Deum non nouerant, opera Apoſtolorum in ouile Chriſti adductæ, & admiſſæ ſunt. Hoc poſteriùs innuunt verba illa, *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ*. Et illa Eſaiæ 53. *Pro eò quòd laborauit anima eius, videbit ſemen longæuum*. Nam ſequitur in Propheta, *Ideò diſpertiam ei plurimos, & fortium diuidet ſpolia, pro eò quòd tradidit animam ſuam in mortem, & cum ſceleratis reputatus eſt*.

Hunc autem ſuæ mortis fructum, nonniſi Eccleſia iam condita, & conſtituta conſecutum, & adeptum fuiſſe, tam eſt omnibus notum, vt ſit putidum, & otioſum in eo probando operam ponere. Clarum eſt enim ipſam Eccleſiam omnibus ſuis numeris abſolutam, ac Sacramentis, & miniſtrorum officijs plenè inſtructam ſinu ſuo venientem ad ſe multitudinem populorum excepiſſe. Expendatur locus Eſaiæ, *Surge, illuminare Hieruſalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt: Ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in ſplendore ortus tui. Leua in circuitu oculos tuos, & vide, omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi, &c. Dicitur hoc*, inquit Hieronymus, *ad Eccleſiam, quæ primùm per Apoſtolos congregata eſt in Sion*: Ergo iam erat Eccleſia cùm ei filij de longè venirent. Imò nonniſi ſæculo Conſtantini, & Principum Chriſtianorum impleta fuiſſe huiuſmodi
Hier. lib 7. in 1. Eſa. ad cap. 60.
oracula doctiſſimè aduertit idem Hieronymus. *Hoc*, inquit, *vel carnaliter*, id eſt iuxtà hiſtoriæ ſeriem, *vel ſpiritaliter*, id eſt iuxtà quendam recordatiorem ſenſum, quem myſticum vocant, intelligitur; *Si carnaliter, videmus Cæſares Romanos, Chriſti iugo colla ſubmittere, ædificare Eccleſias expenſis publicis, & aduersùs perſecutiones gentium, atque inſidias hæreticorum legum ſcita condere*. Quid igitur? Ante Conſtantinum, & Cæſares Romanos factos Chriſtianos non erat Eccleſia? Ait Propheta. *Et aperientur portæ tuæ iugiter, die ac nocte non claudentur, vt afferatur ad te fortitudo gentium, & Reges eius educantur*. Certè magnam iam illam fuiſſe domum Dei, de qua Apoſtolus ad Thimotheum, eamque iam ædi-
1. Tim. 3.
ficatam, & conditam fuiſſe, cùm hæc ei dicerentur; *Iſtæ aperiendæ gentibus, & gentium Regibus portæ*, mihi ſatis innuere videntur. Locus ergo ille Dauidis, & alter Eſaiæ, de propagatione, non de fundatione, aut ædificatione Eccleſiæ intelligendi veniunt.

Propiùs rem contingit, quod obijcit Marcus Antonius, paſſim dici à Theologis [Eccleſiam de latere Chriſti fluxiſſe,] id eſt, [poſt paſſionem Chriſti fuiſſe inchoatam,] vt ille exiſtimat. Sed neque hæc ratio eſt vllius momenti; Eodem enim ſenſu aſſeritur à Theologis Eccleſiam de latere Chriſti fluxiſſe, quo defenditur, indè quoque Sacramenta fluxiſſe,
Aug. tract. 120 ad 20. cap. Ioan.
ac vim ſuam hauſiſſe. Sumptum eſt ex Auguſtino ad illa verba, *Vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit ſanguis, & aqua. Vigilanti verbo*, inquit Auguſtinus, *Euangeliſta vſus eſt, vt non diceret, latus eius percuſſit, aut vulnerauit, aut quid aliud, ſed aperuit; vt illic quodammodo vitæ oſtium panderetur, vndè Sacramenta Eccleſiæ manauerunt, ſine quibus ad vitam quæ verè vita eſt, non intratur. Ille ſanguis in remiſſionem fuſus eſt peccatorum, aqua illa ſalutare temperat poculum. Hæc & lauacrum præſtat, & potum. Hoc prænunciabat, quòd de Noe in latere arcæ oſtium facere iuſſus eſt, qua intrarent animalia, quæ non erant in diluuio peritura, quibus præfigurabatur Eccleſia. Propter hoc prima mulier facta eſt de latere viri dormientis, & appellata eſt vita, materque virorum. Magnum quippè ſignificauit bonum ante malum præuaricationis malum. Hic ſecundus Adam inclinato capite in cruce dormiuit, vt indè formaretur ei coniux, quod de latere dormientis effluxit, omnes vndè mortui reuiuiſcunt. Quid iſto ſanguine iucundius? Quid vulnere ſalubrius?*

Vides Marce Antoni ex ſententia Auguſtini, non ſolùm Eccleſiam, ſed Sacramenta quoque fluxiſſe ex aperto latere Chriſti dormientis, & hoc ipſum docent paſſim alij Patres. Peto igitur abs te, num cenſeas Euchariſtiam, & baptiſmum, quæ duo Sacramenta potiſſimùm hoc myſterio adumbrantur, nonniſi poſt paſſionem Chriſti in Eccleſia extitiſſe? Negaturuſne es Apoſtolos baptizaſſe, etiam ante paſſum Chriſtum, quod mille locis aſſerit Auguſtinus, & Euangelium indicat? Saltem inficiari non potes Euchariſtiã à Chriſto necdum paſſo eſſe inſtitutam. Eodem ergo ſenſu fluxit Eccleſia ex latere Chriſti, quo fluxere Sacramenta. Quomodo inquies? Symbolicòs, & meritoriè, vt loquuntur in Scholis: Symbolicòs quidem, quia ſanguis, & aqua, quæ ex hoc latere emanarunt, teſſeræ, & Symbola fuere, atque ſigna Euchariſtiæ, & Baptiſmi, quæ præcipua ſunt Eccleſiæ Sacramenta. [*Hæc aqua*, inquit Auguſtinus, *ſalutare temperat poculum, hæc aqua, & lauacrum præſtat, & potum*. Quibus verbis vtrumque innuit Sacramentum: Meritoriè verò, quia vt docent veteres Patres, & ipſi Claſſici Doctores, omnia Sacramenta vim ſuam à paſſione Chriſti hauriunt, cùm nonniſi eius ope, & beneficio remiſſioni peccatorum ſubſeruire, etiam, vt inſtrumenta poſſint. Quemadmodùm igitur Sacramenta ante apertum latus Chriſti iam erant inſtituta, ita vigebat Eccleſia.

Sed vrget Pſeudoantiſtes dictum à Chriſto, *Ædificabo Eccleſiam meam*, idque *præſtitiſſe Chriſtum per Apoſtolos poſt Aſcenſionem* contendit. Spalat. Nom. 23. Matth. 16.
Primùm reſponderi poteſt, & optimè, hanc futuram ædificationem Eccleſiæ intelligendam de viſibilis capitis adaptatione, quæ interitum, & reſurrectionem Chriſti conſecuta ſit, & ſuum effectum ſortita, cùm dixit Chriſtus Petro, *Paſce oues meas, paſce agnos meos*. Hunc enim eſſe ſenſum verborum Chriſti ex ipſo textu ritè colligitur, *Tu es Petrus*, inquit, *& ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, quod perindè eſt, ac ſi diceret, [Cœlum repetiturus, & hoc ſpectabile corpus ſyderibus in proximo illaturus, commiſſurus ſum tibi vices meas, tibi vni paſcendarum mearum ouium ſum potiſſimam curam demandaturus.] Secundò reſponderi poteſt, & etiam quàm optimè, hanc ædificationem, de qua loquitur Chriſtus, non eſſe noui operis, quod nondum eſſet auſpicatus molitio-

nem

Digitized by Google

nem, ſed iam inchoati propagationem. Meminiſſe enim oportet Chriſtum non vnico momento, ſed quodam tractu, atque mora temporis Eccleſiæ ſuæ ſtructuram abſoluiſſe.

Primùm elegit Diſcipulos, Baptiſmum poſteà inuexit, multa alia edixit, & nouiſſimè Euchariſtiæ auguſtiſſimum Sacramentum inſtituit. Eius celebrandi poteſtatem Apoſtolis, & Sacerdotibus fecit, ac demùm totum ritum Chriſtianæ religionis in cruce, ſuo ſanguine ſanciuit, & conſecrauit. Poſt reſurrectionem arbitros, & Iudices peccatorum fecit Apoſtolos, conceſſa illis poteſtate retinendorum, aut remittendorum, prout res ferrent, & ipſa hominum conſcientia exigere videretur: Vna, eademq; manu Petrũ in Eccleſię ſolium induxit, eique paſcendarum ouium curam commiſit, addita ſummi Paſtoris dignitate. Reliqua per Apoſtolos præſtitit, qui & ipſi, non niſi ſenſim, ac ſucceſſu temporis miniſterium ſuum impleuerunt, & populos in ouile Chriſti pertraxerunt. Igitur, vt rem totam abſoluamus, antè paſſionem Chriſtus Eccleſiæ ſuæ fundamenta iecit, iiſque ea ſuperſtruxit, quæ verum ei Eccleſiæ nomen aſſererent, propter rationes à nobis allatas. Etſi autem erat prioribus illis temporibus *puſillus Grex*, Grex tamen, vt diximus, erat, cuius amore Pater cœleſtis caperetur, ac pietate delectaretur. *Nolite timere puſillus grex*, inquit Chriſtus, *quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum*. Poſteà opera, & induſtria Apoſtolorum, quos in totum mundum allegauit Spiritus ſanctus, magna facta eſt Sacro fidelium numero acceſſio, & Eccleſia ipſa plena fulgoris ab Oriente in Occidentem diffuſa, inſtar ſolis cuiuſdam vbiuis gentium, & terrarum ſe ſpectandam præbuit.

Luc. 12. v.31.

Neque verò in hoc, quaſi orbis theatro poſita alia fuit, quàm quæ in angulo Iudææ, ſuperſtite Chriſto, veluti delituerat. Infantia iſta fuit, illa, vt ita dicam, virilitas: quemadmodùm igitur non alius eſt homo, qui antea puer in virum euaſerit, ſed dumtaxat ætatum gradu à ſeipſo differt, ita planè tenerior illa Eccleſia à Chriſto fundata, diuerſa non eſt ab illa, quaſi robuſtiore, & grandiore, quæ poſtea connitentibus Apoſtolis, & rem, eodem promouente Chriſto, vniuerſum occupauerit orbem. Itaque quemadmodùm illa ſpectabile Caput habuit, quemadmodùm eam præſens (de præſentia corporali eſt nobis ſermo) moderatus eſt tanti operis Rector, & Architectus Chriſtus; ita par eſt credere, & huic relictum ſpectabile aliquod caput, cuius adminiculo eadem moderaminis, & regiminis forma perſeueraret: Incubuiſſe autem Chriſtum Petro, in quem Imperij onus reclinaret pluribus in ſequentibus contra Marcum Antonium ſumus probaturi. Sufficit hìc oſtendiſſe Sanderum iis nixum in explicanda Catholica doctrina argumentis, quæ ſuis oppugnationibus conuellere non potuerit vanus diſputator.

Spalat. Num.24.

Proijcit tamen ampullas, & ſeſquipedalia verba. [Illud, inquit, vel maximè ab Hieromonarchis noſtris, erat nobis exponendum, quanam in re Chriſtus in terris degens fuerit in illa Eccleſia Caput viſibile: & quænam ſint officia talis Capitis, pro quibus adimplendis Eccleſia poſt diſceſſum Chriſti corporalem egeat vnico capite viſibili.] Ad poſtremam dilemmatis partem, quam maximè vrget, reſpondent Sacræ Monarchiæ defenſores Hieronymus, & Optatus; Hieronymus, *propterea inter duodecim, vnus eligitur, vt Capite conſtituto, Schiſmatis tollatur occaſio*. Optatus, *Bono vnitatis B. Petrus, cui ſatis erat, ſi poſtquam negauit, ſolam veniam conſequeretur, & præferri Apoſtolis omnibus meruit, & claues regni cælorum communicandus cæteris accepit*. Hæc ne irrequietum animum ſedant? Hæc ne typhum illum extingunt? Accipe, & iſtud eiuſdem Optati. *Negare non potes ſcire te in vrbe Roma Petro primo Cathedram Epiſcopalem eſſe collatam, in qua ſedeat omnium Apoſtolorum Caput Petrus, vndè & Cephas appellatus eſt, in quo vna cathedra vnitas ab omnibus ſeruaretur, ne cæteri Apoſtoli ſingulas ſibi quiſque defenderent, vt iam Schiſmaticus, & peccator eſſet, qui contrà ſingularem Cathedram alteram collocaret.* Ergo tollendis Schiſmatibus, & firmandę vnitati, ac paci Eccleſiæ conſeruandæ, neceſſarium fuit ſpectabile Caput, de quo quærit aduerſarius. Cùm præſens ageret Chriſtus, contentiones Diſcipulorum ſedabat, nunc corpore abſens, tamen ſpiritu, ac diuinitate, & inuiſibili gratia præſens, hoc per Vicarium ſuum exequitur Pontificem, *Ego clamito* (ſcribit Hieronymus Damaſo) *Si quis Cathedræ Petri iungitur, meus eſt, Meletius, Vitalis, atque Paulinus tibi hærere ſe dicunt. Poſſem credere, ſi hoc vnus aſſereret; nunc aut duo mentiuntur, aut omnes. Idcircò obteſtor beatitudinem tuam per crucem Domini, per neceſſarium fidei noſtræ decus, per paſſionem Chriſti, vt qui Apoſtolos honore ſequeris, ſequaris, & merito. Ita in ſolio cùm duodecim iudicaturus ſedeas; ita te alius ſenem cum Petro cingat; ita municipatum cœli cum Paulo conſequaris; vt mihi literis tuis, apud quem in Syria debeam communicare ſignifices, noli deſpicere animam, pro qua Chriſtus mortuus eſt.* Refragatur aduerſarius. *Ego verò*, inquit, *in Chriſti viſibili regimine ordinario hæc tantùm obſeruo Sacramenta viſibilia inſtituere; Miniſtros vocare, & mittere, euangelizare, Miniſtros ſuos errantes corripere, & increpare, Legem explicare, eamque à corruptelis vindicare*. Addit, *Hæc omnia officia ſaltem, quæ in Eccleſia reſtent, æquè à Chriſto eſſe Apoſtolis commiſſa*. Videtur verò ſui oblitus. Hic enim Capitis munus tribuit Chriſto mortali, diuerſum ab interno influxu: atqui dixerat, hoc vno ſolo niti capitis dignitatem, quam in Eccleſia obtinuerit Chriſtus. Vult ne ſua verba, *Chriſtus nullum Capitis viſibilis vnquam munus in Eccleſia ſua exercuit*, inquit. Agnoſcat & iſta, & videat, quàm inſtar hæreticum omnium à regulis ſuis variet, *Ego ſanè*, ait, *in Chriſti viſibili regimine ordinario hæc tantùm obſeruo, Sacramenta viſibilia inſtituere, &c. Alterius generis officia à Capite Chriſto vt viſibilis erat prodeuntia, ego certè non reperio*. Ita ædificat, & diruit Chriſtus in terris agens fuit, viſibile Caput Eccleſiæ, quia viſibilia Sacramenta inſtituit, Miniſtros miſit, legem explicauit. Non fuit, quia nullum viſibilis capitis munus exercuit. Moneo etiam poſt doctiſſimum Becanum eum non rectè enumeraſſe omnia officia Chriſti Capitis; Namque non ſolùm explicauit, & illu-

ſtrauit

Hier. lib. 1. cont. Iouin.
Optat. lib. 7. cont. Donatiſt.
Idem lib. 2.
Hieronym. Damaſo ep. 58.
Matth 28. & Luc. 22.
Matth. 28. & Ioan. 20.
Iſa. 61. & Luc. 4.
Matth 16. & Luc. 22.
Matth. 5. 6. & 7.
Num. 24.

ſtrauit legem Moſaicam, ſed etiam nouas leges ille dixit, quæ ad legem Moſaicam nihil pertinerent, vt eſt illa, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poterit introire in regnum cælorum*. Et illa, *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Quod autem ſubijcit, omnia munia Capitis à ſe enumerata *ex aquo participata ab Apoſtolis*; hoc vt concederemus, nihil tamen officeret Primatui Petri: Exciperemus enim quatenùs hæc ad Apoſtolatus dignitatem pertinerent, ex quo fuiſſe ab Apoſtolis participata, ſed vt ad ipſam regiminis rationem referrentur, poſtulaſſe legem à Chriſto poſitam, vt nonniſi in vnitate, quæ vno Petro niteretur, vſurparentur. Atqui cùm gratis iſtud dixerit, nunc non refellimus, abundè de hac re aliàs contra eum diſputaturi.

DISCVSSIO

SECVNDI CAPITIS LIBRI PRIMI.

CONSPECTVS CAPITIS SECVNDI.

Apoſtolos miniſtros fuiſſe Chriſti. Quæ præcipua eorum fuerint munia. Error Spalaten. in explicatione vocis Oeconomi: Reges quoque Oeconomos, & miniſtros audire. Chriſtum ipſum ſpecie miniſtrantis fuiſſe. Præditos eſſe iuriſdictionis authoritate Chriſti miniſtros. Soluuntur argumenta.

[Spalat. Num. 1. Ioan. 4.] REdemptor generis humani Chriſtus homo-Deus, miſſus à Patre, vt perficeret opus eius; quod opus erat conuerſio hominum ad fidem per Euangelij prædicationem, quo illuminarentur mentes hominum; erat enim Chriſtus ad hoc lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; [Ioan. 1. Io 8. 9. 12. Iſa. 9. Luc. 1.] Ego ſum, inquit, lux mundi, illa lux, quæ, iuxtà vaticinium, habitantibus in regione vmbræ mortis, erat oritura; nempè ad illuminandos eos, qui in tenebris, & vmbra mortis ſedebant, ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis. Ipſe, inquam, Ieſus Dei Filius, ſocios habere voluit, & miniſtros; quorum opera ad eiuſdem Euangelij prædicationem vteretur: ipſiſque idem opus committeret, quod ipſe iniunctum habuit à Patre ad perficiendum. Ad hoc igitur diſcipulos cœpit vocare, & congregare. [Ioan 4. Luc. 10.] Dicebatque eis, ego miſi vos metere. Et, Rogate Dominum meſſis, vt mittat operarios in meſſem ſuam. Quid verò ſignificat hæc meſſis metaphora, niſi colligere homines in horrea Dei, quæ eſt ſancta Chriſti Eccleſia, per fidem, & Euangelij perceptionem, &c.

DEmetrium filium ob purpuram, regioſque faſces turgentem, ac erga ſubditos violentiùs, & immodeſtiùs ſe gerentem Antigonus Pater humaniſſimis, ac ſapientiſſimis verbis caſtigatum in girum rationis reuocare tentauit. *An neſcis*, inquit, *regnum ſplendidam eſſe ſeruitutem?* Innuens ſcilicèt, diadema quamquam nobilem ornatum, cuiuſdam veluti ſeruitutis publicæ inſigne eſſe. Sed quod ille de regno dixit, quàm meliùs in Eccleſiæ adminiſtrationes quadrat, quas ſeruitutis nomen ferre, ac retinere iuſſerit Scriptura? [Bern. lib. 2. de Conſid. cap. 6.] *Audiamus edictum*, clamat Bernardus, *qui maior eſt veſtrum, inquit Chriſtus, fiat ſicut iunior, & qui præceſſor eſt, ſicut qui miniſtrat. Forma Apoſtolica hæc eſt, dominatio interdicitur, indicitur miniſtratio.* Certè Paulus non alio loco ſe, ſuoſque Collegas Apoſtolos habere vult, quàm miniſtrorum Chriſti, in quibus ſola fides ſpectetur. [1. Cor. 4.] *Sic*, inquit, *nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, o ypiretas Chriſtu*, quæ vox famulos ſignificat. Quamquam igitur vanus eſt, ac verboſus Spalatenſis, atque inſignitèr abutitur otio ſuo, & Scripturis ſacris, toto tamen hoc capite propemodùm vera dicit. Contendit *Apoſtolos miniſtrorum impleſſe vices*, ſed lucem ſoli infert, & hoc vltrò confitentibus non erar pluribus probandum, aut confirmandum. Officia eorum ſic perſtringit, vt primùm ſtatuat *incubuiſſe illis Prouinciam, & onus promulgandi Euangelij, & ad hoc onus implendum potiſſimùm miſſos eſſe à Chriſto.* Non repugnamus. Apoſtoli nomen à Græco vocabulo *Apoſtello* deductum agnoſcimus, eo verò inſignitos fuiſſe duodecim, quod à Filio Dei, tamquam ſeduli operarij in regiones, quæ iam eſſent *albæ ad meſſem* allegarentur, nos docet Euangelium. [Ioan. 4. Ioan. 17.] *Sicut tu me miſiſti in mundum*, dicebat Chriſtus optimo Patri, *ita ego miſi eos. Quos*, inquit Auguſtinus, *miſit, niſi Apoſtolos ſuos? Nam & ipſum nomen Apoſtolorum, quoniam Græcum eſt, nihil niſi miſſos ſignificat in Latino.* [Aug. tract. 168. in Io.] *Miſit ergo Deus filium ſuum non in carne peccati, ſed in ſimilitudine carnis peccati, & miſit filius eius eos, quos natos in carne peccati ſanctificauit à labe peccati.* Et certè, quod non nemo aduertit, cùm primùm Chriſtus Diſcipulos ad promulgandum Euangelium miſit, quaſi ex Diſcipulis magiſtros creans, *Apoſtolos* nominauit. [Benedictus Iuſtinianus initio Comment. in ep. ad Rom. de Apoſt. voc. cap. 1.] Quare omninò verè ſcripſit aduerſarius *Ieſum Dei filium ſocios eos habere voluiſſe, & miniſtros, quorum opera ad Euangelij prædicationem vteretur.* Ac præterea *habuiſſe Chriſtum maximum quidem Diſcipulorum numerum, ſed hos potiſſimùm duodecim elegiſſe, quibus cum familiariùs conuerſaretur, & quaſi ex conſuetudine conuiueret.* [Matth. 10. Marc. 3. Luc. 6. Num. 3. Marc. c. 3.] Nam Marcus id diſertè docet, *Aſcendens*, inquit, *in montem, vocauit ad ſe, quos voluit ipſe, & venerunt ad eum. Et fecit, vt eſſent duodecim cum illo, & vt mitteret eos prædicare, & dedit illis poteſtatem curandi infirmitates, & eijciendi dæmonia, & impoſuit Simoni nomen Petrus, &c.* Græca aliquantò meliùs ſonant, quàm Latina, *Cæ epiiſen dodeca,*

ina oſi met' autu , ca ina Apoſtelli autis eiryſſin ; ca echin exuſian therapeuin tas noſis , ca ecuallin ta dæmonia, ca epethiee to Simoni onoma Petron.
Quibus verbis Euangeliſta , & feciſſe duodecim , & cur fecerit , dnas explicat cauſas, vna eſt , *vt eſſent*, inquit, *duodecim cum illo*, id eſt, vt ipſi tamquam ſamiliares,& domeſtici ſemper adeſſent.

[Altera , inquit , vt mitteret eos prædi-
Spalat. Num 4. care .] Itaque duo fuere veluti propria Apo-
ſtolorum munera , primum Chriſto adeſſe ,
tamquam laboris ſocios , & vitæ , ac miracu-
lorum teſtes ; Cum illo denique haud tam-
quam hoſpites , ſed veluti contubernales , &
Tertul. de domeſticos habitare , ac conuiuere . Vndè
præſc.c.20. Tertul. eleganter ſcribit , [adlegiſſe lateri ſuo
Chriſtum deſtinatos nationibus magiſtros .]
Hinc rursùs non malè colligit [Apoſtolos
fuiſſe ad id conſilio, & ſapientia Chriſti con-
gregatos , & ſelectos, vt teſtes eſſent Reſurre-
Spalat. Num. 5. ctionis Chriſti.] Hoc namque innuit S. Pe-
trus, cùm de ſufficiendo Iudæ proditori quo-
piam ſucceſſore ad Apoſtolicum Senatum re-
fert [Oportet] inquit [teſtem Reſurrectionis
eius nobiſcum fieri vnum ex iſtis .] Ipſe
Act. 1. 11. etiam Chriſtus migraturus ad Patrem [Eri-
tis] ait [mihi teſtes in Hieruſalem, & in omni
Iudæa à Samaria,& vſque ad vltimum terræ.]
Hoc tam illuſtri nomine meritò gloriabatur
Act. 1. 8. Petrus [Præcepit nobis prædicare populo, &
Act. 10. 42. teſtificari , quia ipſe eſt Iudex viuorum , &
mortuorum .] Paulus quoque [Nil enim ve-
reor , nec facio animam pretioſiorem , quàm
Act. 20. 14. me , dummodò conſumem curſum meum , &
miniſterium verbi , quod accepi à Domino
Ieſu , teſtificari Euangelium gratiæ Dei.] Re-
Num. 5. ctè igitur ſentit Tertullianus à Spalatenſi te-
ſtis citatus Apoſtolos à Chriſto aſſumptos [vt
Paul. in ep. 11. teſtes omnium geſtorum Chriſti eſſent.] Rectè
quoque ſcripſit Paulinus Nolanus ei Comes
additus [Quia] inquit [Apoſtoli in orbem
terrarum mittendi forent ad omnium gen-
tium informationem , non auribus tantùm ,
ſed & oculis prędicandam fidem capere debe-
bant, vt quod firmiùs didiciſſent, conſtantiùs
Act. 10. 41. edocerent.] Hæc enim omnia firmantur teſti-
monio Petri , qui de ſe, ſuiſque collegis pro-
nunciat [Teſtibus præordinatis à Deo,nobis,
qui bibimus , & manducauimus cum illo .]
Spalat. Num 6. Poſtremò rectè fecit aduerſarius , qui conui-
ctum illum ſamiliarem cum Chriſto,quo ma-
ximè nititur illa Reſurrectionis probatio, in
Paulo farcitum aſſeruit [Per ſpecialem Chri-
ſti reuelationem,& ſtupendam illam glorioſæ
carnis ſuæ manifeſtationem] qua fretus non
1. Cor. 9. 1. veretur dicere [Non ſum liber , non ſum
Spalat. Num 7. Apoſtolus, nonne Ieſum Chriſtum Dominum
noſtrum vidi?] Quare hæc diligentiori diſcuſ-
ſione non egent,vt nec quod tum ipſius Pauli,
tum reliquorum Apoſtolorum præcipuum mu-
1. Cor. 3. nus fuiſſe prædicationem verbi ex loco Pauli
probarit [Non miſit me Chriſtus baptizare ,
Num. 7. ſed euangelizare.] Rectè quoque docet [Apo-
ſtolos , vt in hoc munus incumberent expedi-
tiùs , diaconos renunciaſſe , qui menſarum ,
& viduarum curam in ſe reciperent . Non eſt
Act 6. iuſtum] inquiunt Apoſtoli [nos relinquere
verbum Dei , & miniſtrare menſis .]

Nec dum verò venena profundit . Ora-
Num 3 & 9 tione enim non admodùm acri contendit
Apoſtolatum [miniſterium eſſe , ac miniſte-
rium quidem verbi] quod nos vltrò concedi-
mus . [Nos autem] inquiunt Apoſtoli poſt
renunciatos diaconos [miniſterio verbi in-
tenti erimus] & ipſe Paulus non plùs ſibi ſu-
mit , quàm vt miniſter ſit Chriſti , & habea-
tur . [Miniſtri ſunt Chriſti] inquit [& ego.] Num. 9.
In his ſi acquieuiſſet Spalatenſis , non erat
nobis iuſta ratio cum eo expoſtulandi . Sed
iam aconita miſcet . [Putaſne] inquit [æco- Num. 10.
nomos Patrum familias, & domus Magiſtros
habere vllum verum dominium, An verò eſſe
potiùs conſeruos cum alijs ſeruis , & horum
opus , paraſne ſie herile , & imperioſum ?]
hoc ſcilicet vrget [vt nudum miniſterium]
tribuat Apoſtolis , adeòque ipſi Petro , ac Matth. 24. 4.
eos omnes poteſtate ſpoliet , quam accepe- Luc. 12. 42.
runt à Chriſto . Tu ne igitur Marce Antoni
œconomo, & diſpenſatori , adeòque [fideli
ſeruo , quem conſtituit Dominus ſuper ſami-
liam ſuam] omnem adimis poteſtatem in re-
liquos ſeruos? Tu ne ius omne imperandi ab-
rogas ? Certè huius nominis , & dignitatis
[œconomus] plenam in Heri domo nactus po-
teſtatem , omnia regit , omnia moderatur ,
diſtribuit , ordinat, quin, & donat , & debita
relaxat , poſtquam probo miniſtro placere
iſta Domino ſuo conſtat , aut gloriam eius
illuſtriorem reddere . Hoc vnum ſcilicet ab
eo exigitur , vt cum fide , atque integritate
ſuo munere defungatur . [Hìc iam quæritur] Epheſ. 4.
inquit Apoſtolus [inter diſpenſatores,vt quis
fidelis inueniatur .] Haud propterea tamen
dixerim , aut Apoſtolis , aut Petro relictum
herile imperium , aut ſuperbum dominatum 1. Pet. c. 5.
in Eccleſiam [Non dominantes in cleris] in-
quit ipſe Petrus , ſed diſpenſationem cum
ſuauiori quadam, ac longè mitiori poteſtate, Bernard. de
quam Reges gentium , ſibi tribuant , adeò vt Conſid. ad
comparatione Chriſti , non niſi famulorum Eugen. lib. 2
loco haberi poſſint rationem etiam bene , vel c. 6. ſupra .
malè geſti imperij ſupremo Monarchæ reddi-
turi . Intereà vim nominis [Oeconomi] non
eſt aſsecutus Spalatenſis , non enim nudum
miniſterium, ſed poteſtatem, & auctoritatem
imperij adminiſtrationi adiunctam non rarò
ſignificat , ac præ ſe fert .

Certè Ariſtoteles de Principe agens, *ico-* Ariſt. in po-
nomos, inquit, *all' u tyrannos inæ doxi* [Diſpen- liticis.
ſator , ſeù Oeconomus] ait [non tyrannus
videbitur eſſe] Neque tamen propterea prin-
cipem ſua auctoritate nudat . Illud etiam
eiuſdem Ariſtotelis communi omnium re-
ctè philoſophantium calculo eſt compro-
batum , hoc inter legitimum Principem ,
& tyrannum potiſſimùm intereſſe , quòd
bonus Princeps populi ſibi crediti com-
modum , & vtilitatem quærat ; & quibus
poteſt modis procuret,contrà verò, tyrannus
ad ſeipſum , & priuatas ſuas rationes omnia
imperij iura referat . Imò ipſum nomen *mi-*
niſtri, quod tantòperè vrget Spalatenſis, in re-
gem quadrat , qui *miniſter Dei* à Paulo indi-
gitatur , *Theu gar Diaconos eſt , Dei enim Mi-*
niſter eſt , inquit Pauls . Ac rursùm de omni- Rom. 13.
bus omninò poteſtatibus à Deo præſtitutis ,
liturgi gar Theu iſin is auto tuto proſcarteruntes.
Nam Miniſtri Dei ſunt in hoc ipſum ſeruien-
tes . *Ideò* , inquit , *tributa præſtatis* , *Miniſtri*
enim Dei ſunt liturg . Sint ergò Apoſtoli , ſit
Petrus , ſit Pontifex , ſint Epiſcopi diſpenſa-
tores , œconomi , & Miniſtri Chriſti , haud

Digitized by Google

propterea excidunt poteſtate ſibi à Deo tributa, aliàs Chriſtum ipſum omni auctoritate orbatum in ſeruorum numerum cogeremus,

Rom. 15. 8.

cùm eum miniſtrum Circumciſionis deſcripſerit Paulus, *lego de Iiſun Chriſton Diaconum gegeniſtha peritomis. Dico autem Ieſum Chriſtum miniſtrum fuiſſe Circumciſionis*, quòd nimirùm per ſe Iudæis prædicauerit. Sed & Chriſtus ipſe hoc vltrò de ſe profitetur: *Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare &c. Cai gar o yos tu Anthprou uc ilthe Diaconi ſphina, allà Diaconiſa, &c.* Itaque æconomi, diſpenſatoris, & Miniſtri vocabulum, verum imperium non euertit, ſed officij, & pietatis in ſubditos paſtores in Eccleſiaſticarum terum faſtigio poſitos commonefacit, illudque

Matth. 20.

Chriſti ſubindè ob oculos ponit. *Quicumque voluerit inter vos maior fieri, ſit veſter miniſter, & qui voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſeruus.* Hæc ſcilicet eo fine dicuntur, vt longè ſint à faſtu, & typho ſæculi, vt loquuntur Patres Concilij Carthaginenſis, qui in Eccleſia Chriſti primas tenent. Olim cùm Mitridatem quemdam in Armeniam Regem illi

Annal. l. 12.

genti à ſe datum deducendum curaret Claudius [quamquam Princeps vecors, præcepta tamen addidit] inquit Tacitus [vt non dominationem, & ſeruos, ſed Rectorem, & ciues cogitaret, &c.] Quantò igitur æquiùs fuerit Chriſti miniſtros meminiſſe ſe *Sacerdotes*,

Epiſtola 2. tom. 1.

vt loquitur Hieronymus, *non Dominos eſſe*? Certè, qui clauum imperij Eccleſiaſtici, & gubernacula tractat Summus Pontifex, ſe Seruorum Dei Seruum magna nominis, & dignitatis ſuę commendatione nuncupat. Quod

Ad obiect. pat. à Spal. induct.
Num. 11.
Opta. lib. 5. cont. Parm.
Chryſ. ſer. de Pentech
Num. 12.
Auctor. op. imp. hom. 35 apud Chryſ.
Num. 13.
Hier. ep. 3.

ergo ſcripſere antiquiores Patres, quos profert aduerſarius, non debere Epiſcopos [maieſtatis dominium ſibi vendicare, Apoſtolatum rem eſſe plenam laboris, obſequio addictam, ab omni ambitione dominandi longè remotam, ſeruos Chriſti non debere de Primatu in Eccleſia contendere, imò non poſſe citrà perpetuæ ſalutis iacturam; Præfecturam ſæculo Apoſtolorum non honorem, ſed curam ſubditorum fuiſſe] planè verum eſt, & in eam rem accommodatum, vt meminerunt Epiſcopi eius, quod eſt ſapienter à Hieronymo inculcatum [Regem præeſſe nolentibus, Epiſcopum volentibus, illum terrore ſubijcere, hunc ſeruituti donari, illum cuſtodire corpora ad mortem, hunc animas ſeruare ad vitam.] Hoc ſcilicet præ ſe ferunt tituli à Spalatenſi ex Optato, Chryſoſtomo, Auctore operis imperfecti, Cyrillo, & Auguſtino ſelecti,

A num. 11. ad 19.

vt oſtenderet hos Patres non niſi miniſtrorum loco habuiſſe Epiſcopos. Certè ſuperbus ſit, & valdè arrogans, qui titulum Miniſtri Chriſti aſpernetur, ac faſtidiat, vt dignitatis honorem in Eccleſia oſtentet. Atqui ſi quod res eſt fateri volumus, diuina hæc modeſtia auctoritatem miniſtrorum non labefactat, ſed magis commendat, & ornat.

Spalat. Num. 13.
Homil. 35. apud Chryſoſt.
Num. 19.

Inſtat autem Spalatenſis, & vrget teſtimonium Chryſoſtomi, quem ſignificaſſe ait, [Miniſterium verbi in ſolo Chriſto fuiſſe dignitatem, & poteſtatem, in Apoſtolis verò non niſi purum, & nudum miniſterium.] Additque in ſequentibus, *maximam eſſe differentiam inter miniſterium Chriſti, & Apoſtolorum. Benè*, inquit, *dicit Chriſtus, Ego ſum tamquam, qui miniſtrat, verè enim non miniſtrabat, vt verus miniſter tantùm, ſed ad ſpeciem, & humilitatem: vndè & ſe meritò Dominum ab Apoſtolis vocari apertè eſt profeſſus.*

Ioan. 13.

Vos vocatis me Magiſter, & Domine, & benè dicitis; ſum etenim. Apoſtoli verò erant verè, & propriè miniſtri. Hæc Spalatenſis. Fatemur verò magnum diſcrimen intercedere inter Chriſtum, & Apoſtolos, ac reliquos Eccleſiæ miniſtros. Chriſtus enim Dei filius tamquam iuſtus regni hæres, ita gubernacula Eccleſiæ ſuæ, imò totius mundi tractat, vt à nullo pendeat, ſed pro libito de omnibus ſtatuat, nemini factorum rationem redditurus.

Apoc. 17.

Quare vt eſt in Apocalypſi ſcriptum, gerit in femore, *Rex Regum, & Dominus dominantium*, Apoſtoli verò, & reliqui miniſtri alienam perſonam ſuſtinent, Domini vices gerunt, ſuo priuato nomine nil moliuntur, vno verbo, delegatam habent prouinciam, ſed planè veri nominis poteſtate ornatam. Hoc ſenſu etiam dixit Chriſtus ſe *in medio diſcipulorum inſtar eſſe miniſtrantis*, cùm tamen *Dominus* quoque audiret.

Cœterùm illud, *quaſi, qui miniſtrat*, vim, & rationem miniſterij non infringit, ſed aſſumpti hominis œconomiam ſubindicat, iuxta quam verè miniſtraſſe nullus negauerit, qui ex Apoſtolo *formam ſerui* induiſſe eum meminerit. Clariſſima ſunt illa verba ſuperiùs à nobis allata, *Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare*. Cùm igitur forma ſerui, ac illa miniſtrantis facies ſummæ poteſtati nihil detraxerit, quàm ineptè ex vocabulo *Miniſtri* argumentantur, qui ſpecie nominis omnem Paſtoribus Eccleſiæ poteſtatem adimere tentant? Et quidem cùm Apoſtolos mitteret ad promulgandum Euangelium, *Sicut miſit me*, ait, *Pater, & ego mitto vos*. Hoc eſt, vt interpretantur Chryſoſtomus, & Thophylactus, ſuum illis munus, atque officium reliquit, ac ſuos veluti Vicarios Eccleſiæ adminiſtrandæ præfecit. Chryſoſtomi, quem perpetuò ſequitur, ac imitatur Theophylactus, verba ſunt ad illud, Chryſoſt. in cap. 20. in Ioan. hom. 86. *Sicut miſit me, &c. Quare hoc dicit?* inquit, *Eorum animos erigit, & ſuam proponit auctoritatem; ſiquidem ſuum eis relicturus erat miniſterium: & cùm nondùm rogaſſet Patrem, ſua eis auctoritate poteſtatem præbet. Inſufflauit enim, & dixit: Accipite Spiritum ſanctum. Quorumcumque remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt. Quemadmodùm enim rex præfectos mittens, vt in carcerem reos intrudant, & vt liberent, poteſtatem præbet, ità Ieſus Diſcipulos dimittens hac munit auctoritate.* Quare etiam apud Lucam alloquutus Diſcipulos dicit, Luc. 10. *Qui vos audit, me audit, qui vos ſpernit, me ſpernit.*

Non ergo eſt, quod Spalatenſis opponat miniſterium Chriſti miniſterio Apoſtolorum, ſed potiùs eſt ei ex miniſterio Chriſti, cui proportione quadam illud Apoſtolorum reſpondeat, ratio inueſtiganda miniſterij Apoſtolorum, vt quemadmodùm Chriſtus cum eximia, ac plena poteſtate illud eſt executus, ità quibus exercendum poſt ſe reliquit, in eos poteſtatis ſuæ iura ſingulari charitate tranſfuderit. Miniſtri Chriſti ſunt? non reluctor; at à Chriſto eximia quadam poteſtate donatos fuiſſe tam eſt clarum in Scripturis, & Patri-

Digitized by Google

tribus, vt cuiuſdam inſolentiſſimæ inſaniæ eſſe videatur id negaſſe. Quid? Nonne Chriſti miniſter fuit Paulus? Nullamne igitur poteſtatem habuit in fideles? Qua te igitur fretus Corinthijs dixit, *Vultis in virga veniam ad vos, an in charitate, & ſpiritu manſuetudinis?* (1 Cor.) Quærit vtrùm malint ſeueritatem ſupplicij, an lenitatem, & manſuetudinem experiri. Ergo, vt lenitatis, & manſuetudinis, irà quoque ſeueritatis, ac ſupplicij penès ipſum erat ius, & arbitrium, vt vel ex eo appareat olim Apoſtolos vlciſcendi, ac puniendi ſcelera poteſtatem habuiſſe.

Sed rem totam eleganter explicat Chryſoſtomus, atque quid ſit illud *en rando in virga* egregiè interpretatur *ea tin exuſian paſſan* (Chryſoſt. hom. 14. in 1. Cor. & 4.) habentis verba eſſe docet, *Quid eſt*, inquit, *in virga, in caſtigatione, & ſupplicio; Hoc eſt de medio tollam, & excecem. Quod quidem Petrus fecit in Sapphira, quod ipſe in Elyma Mago. Non enim iam hoc dicit, tamquam ſeipſum cum illis conferens, ſed cum auctoritate*. Illa igitur Pauli verba *in virga*, eximiam quandam auctoritatem, ac poteſtatem præ ſe ferunt, qua de poſteriore Epiſtola hunc in modum ſcribit. *Prædixi, & prædico, vt præſens, & nunc abſens ijs, qui ante peccauerunt, & cæteris omnibus, quoniam ſi venero, non parcam*, Vellem autem expendiſſet ſequentia verba Spalatenſis, *Ideò*, inquit, *hæc abſens ſcribo, vt non præſens duriùs agam ſecundùm poteſtatem, quam dedit mihi Dominus in ædificationem, & non in deſtructionem*. Annon enim hæc eximiam, ac ſingularem illam auctoritatem firmant, de qua altero capite dixerat. *In promptu habentes vlciſci omnem obedientiam?* Ergò, vt Ilia Codro frangantur, fatendum eſt conceſſam fuiſſe Apoſtolis ſupremam quandam auctoritatem, qua non modò poſſent Euangelium promulgare, miniſtrare Sacramenta, miracula edere, (2. Cor. Verſu 10. 1 Cor. 10. 6.) & id genus alia præſtare; ſed etiam leges dicere, & pænis, ac ſupplicijs contumaces fręnare, ac coercere. Id oſtenderem pluribus, ſed importunitate aduerſarij, qui ſæpè eodem reuoluitur, futurum eſt, vt hæc ipſa diſputatio iterùm recurrat.

Nunc igitur ſatis fuerit annotaſſe eos ipſos Patres, qui miniſtros fuiſſe Apoſtolos diſputant, ſummam in illis auctoritatem agnouiſſe. Certè Auguſtinum, quem inducit (Num. 14.) de miniſtrorum auctoritate diſſereurem contrà Donatiſtas, qui nimiùm eis tribuerent, & ex eorum ſanctitate, ac probitate vim, & efficacitatem Sacramentorum pendere ſtatuerent, iniquè torquet ad omnem miniſtrorum euertendam poteſtatem. Si quidam Principes orbis terrarum, tum Apoſtolos, tum Epiſcopos facit ad illa verba Dauidis: *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij, conſtitues eos principes ſuper omnem terram*. Sic enim Eccleſiam (Auguſt. in Pſal. 44.) alloquens, *Quid eſt*, inquit, *pro Patribus tuis nati ſunt tibi filij? Patres miſſi ſunt Apoſtoli, pro Apoſtolis filij nati ſunt tibi, conſtituti ſunt Epiſcopi: Hodiè enim Epiſcopi, qui ſunt per totum mundum, vndè nati ſunt? Ipſa Eccleſia Patres illos appellat, ipſa illos genuit, & ipſa illos conſtituit in ſedibus Patrum. Non ergo te putas deſertam, quia non vides Petrum, quia non vides Paulum, quia non vides illos, per quos nata es; de plebe tua ibi creuit paternitas. Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij. Conſtitues eos principes ſuper omnem terram. Vide templum regis, quàm latè diffuſum eſt: vt nouerint virgines, quæ non adducuntur in templum Regis, non ſe ad iſtas nuptias pertinere. Pro Patribus tuis nati ſunt tibi filij, conſtitues eos ſuper omnem terram. Hæc eſt catholica Eccleſia. Filij eius conſtituti ſunt principes ſuper omnem terram, filij eius conſtituti ſunt pro Patribus. Agnoſcant, qui præciſi ſunt, veniant ad vnitatem, adducantur in templum Regis. Templum ſuum Deus vbique collocauit, fundamenta Prophetarum, & Apoſtolorum vbique firmauit. Filios genuit Eccleſia, conſtituit eos pro Patribus ſuis Principes ſuper omnem terram*. Pulchrè in hanc ſententiam Epiphanius hær. 29. *Manet*, inquit, *quippè ſedes illius* (Chriſti) *& regni eius non erit finis, atque in Dauidis ſolio conſidet: proptereà quòd Dauidis regnum tranſtulit, idque ipſum vnà cum Pontificatu ſeruis ſuis indulſit, hoc eſt catholicæ Eccleſiæ Pontificibus*. Hæc ne oculis aſpicis æquis mi Antoni?

Concidit ergo tota illa moles argumentorum à Spalatenſi contrà Epiſcoporum poteſtatem inductorum, & cum ſemper eò relabatur, vt miniſtros eos fuiſſe contendat, hilum non proficit, cùm illi probandum reſtet, in ordine miniſtrorum nullum poſſe eſſe caput, cui vices ſuas familiæ Dominus commiſiſſe credi poſſit? Hoc ſi probauerit Euangelium euerterit, à quo edoceamur eſſe *fidelem, & prudentem ſeruum, quem familiæ ſuæ impoſuerit*, cuique vices ſuas cum ampliſſima poteſtate demandarit Chriſtus his verbis, *Paſce oues meas, Paſce agnos meos?* Hunc miniſtrum expreſſit Bernardus libris de conſideratione lib. 2. cap. 7. ad Eugenium; *Sic*, inquit, *te exiſtimet homo, vt Miniſtrum Chriſti, & quod abſque præiudicio ſanctitatis cuiuſpiam dixerim*, ſummum planè miniſterium. Huius poteſtatem indagandam cùm ſuſcepiſſet, de ea ſic pronunciauit, *Quis es? Sacerdos magnus, Summus Pontifex. Tu Princeps Epiſcoporum, tu hæres Apoſtolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noe, Patriarchatu Abraham, ordine Melchiſedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyſes, iudicatu Samuel, poteſtate Petrus, vnctione Chriſtus. Tu es, cui claues traditæ, cui oues creditæ ſunt. Sunt quidem, & alij cæli Ianitores, & gregum Paſtores; ſed tu tantò glorioſiùs, quantò, & differentiùs vtrumque præ cæteris nomen hæreditaſti*. (Idem cap. 8.)

De iſtis poſteà acturum ſe minatur. Audiemus illum igitur iterum, de his diſſerentem, ſed quæſo à ſolis illis ſuis nugis abſtineat. (Spalat. Num. 20. & ſeq. Ioan. 21.) Vexat, & fatigat robuſtiores illa mole malè inſtructorum argumentorum, ſed nihil (Num. 25.) exquiſitionis doctrinæ profert, quod, vel tantillum impiam cauſam iuuet. Claudit hoc caput Encomio Apoſtolorum ex Auguſtino mutuato. Atqui *non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris*, & maluiſſent olim terræ, nunc iam cęli Principes Apoſtoli, eorum fuiſſet fidem, patientiam, humilitatem, obedientiam imitatus, quàm his eos laudibus ornaſſet. Non erat verò quod pro Coronide ſplendidum mendacium adderet, *non agnouiſſe Auguſtinum poteſtatem vllam iuriſdictionis in Apoſtolis*, quos tamen *Principes Eccleſiæ à Deo conſtitutos*, diſertis verbis, vt oſtendimus, vocat.

Nam otioſum illis Principum titulum nō tribuiſſe, vel ex eo patet, quod libris ſuis de

Ciui-

Ciuitate Dei locum Ioannis, *Et vidi ſedes, & ſederunt ſuper eas, & iudicium illis datum eſt*, non ad extremum illud iudicium; ſed ad huius temporis iudicia, quæ per Epiſcopos exerceantur, referre non vereatur doctiſſimus Antiſtes, *Non hoc putandum eſt*, inquit, *de vltimo iudicio dici, ſed ſedes præpoſitorum, & ipſi præpoſiti intelligendi ſunt, per quos Eccleſia nunc gubernatur, iudicium autem datum nullum melius accipiendum videtur, quàm id, quod dictum eſt, Quæ ligaueritis in terra, ligata erunt in cælo, & quæ ſolueritis in terra, ſoluta erunt in cęlo. Vndè Apoſtolus, Quid mihi, inquit, eſt de his quæ foris ſunt, iudicare? Nonne de his, quæ intùs ſunt, vos iudicatis?* Sunt hæc ipſa Solis luce clariora, ac illuſtriora: ſed

Quid miſerum Thamirem picta tabella iuuat?



DISCVSSIO
TERTII CAPITIS
LIBRI PRIMI.

CONSPECTVS CAPITIS.

Eccleſiam præcipua quadam ratione Petro commendatam à Chriſto: Magnificentiùs cum Petro egiſſe Chriſtum, quàm cum reliquis Apoſtolis, qui proindè in adminiſtranda Eccleſia, & eius gubernaculis tractandis æquales, aut pares ei non fuerint: Cyprianus explicatus, ac Catholicis aſſertus: Similiter Hieronymus, Auguſtinus, Ambroſius, Chryſoſtomus, Leo Magnus, Caietanus, Baronius, & Bellarminus defenſi: Illuſtris locus Auguſtini, quo maximè gloriatur Spalatenſis Orthodoxis vindicatus.

QVàm formam regiminis Chriſtus Dominus in Eccleſia, per homines mortales ipſius miniſtros exercendi ordinauerit, quærebamus: Apoſtolis porrò commiſſam fuiſſe Eccleſiam, nemo puto negabit; Siquidem dictum eſt ipſis à Chriſto; Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Et, Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos, &c. ſenſerunt hoc Patres. Auguſtinus modum à fidelibus in ſumenda Euchariſtia ſeruandum ait ab Apoſtolis fuiſſe præſcribendum: Et ideò, inquit, non præcepit (Chriſtus) quo deinceps ordine ſumeretur; vt Apoſtolis, per quos Eccleſias depoſiturus erat, ſeruaret hunc locum.] Et Hieronymus, Apoſtolos, ait, eſſe à Chriſto conſtitutos Principes Eccleſiarum. Quo titulo paſſim inſigniuntur etiam in noſtris Eccleſijs.

Spalat. Num. 1. Ioan. 20. Matth. 28. Aug. ep. 118. Hier. in Iſa. c. 1. item in præf. in ep. ad Gal. In hymn. Apoſt.

Fatetur hoc ipſum Nicolaus Papa primus; quamuis ſingularum, ait, Eccleſiarum, quæ propter diuerſitatem terrarum multæ eſſe dicuntur, (cùm vna ſit, & vnica ſponſo ſuo, ſicut ipſe in Canticis Canticorum dicit: Vna eſt columba mea. Et per Pſalmiſtam: Erue de manu canis vnicam meam) Paſtor, & Epiſcopus, ac Pontifex Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui hanc creauit, & redemit, exiſtat, ita vt ille veracitèr, ac principalitèr iſta ſit omnia, iuxtà quod fidelibus per primum Apoſtolum dicitur: Conuerſi eſtis nunc ad Paſtorem, & Epiſcopum animarum veſtrarum: Et iuxtà quod egregius prædicator de eo loquens: Talis, inquit, decebat, vt nobis eſſet Pontifex; Subiturus tamen ad cœlos hanc Apoſtolis commendauit; ac per eos, tamquam hæreditario iure, ſucceſſoribus eorum, nobis ſcilicèt, quos Paſtores, & Epiſcopos, ac Pontifices ſuper ipſam conſtituit, eius prouidentiæ curam indulſit: quatenùs pro patribus nati filij; & pro eis conſtituti Principes, in omnem terram imitatores eorum eſſemus, ſicut & ipſius Chriſti.] Hæc Nicolaus. Caietanus acerrimus Monarchiæ Romanæ propugnator, negare id non potuit: Explicans enim ea verba Apoſtoli: Poſuit Deus in Eccleſia primùm Apoſtolos: Suprema, inquit, membra Apoſtolos explicat: ad eos enim ſpectat vniuerſale Eccleſiæ regimen; non ſolùm verbo, & actione, ſed etiam Scriptura.]

Spalat. Num. 2. Nicol. ep. 42. tom. 3. ep. decret. Rom. Pont. Cant. 2. Pſal. 21. 1. Petr. 2. Heb. 7. Pſal. 44. 1. Cor. 12. Caietan. in Comment in 1. Corin.

QVamquam importuna illa, & parùm erudita diſſertatione de Miniſtris Eccleſiæ ab aduerſario ſuperiori capite inducta, nihil poſſit fingi frigidiùs, mirè tamen ſibi in illa placet, ac rursùm eam nobis obtrudit, ſcilicèt *Siſyphi* inſtar *verſat ſaxum ſudans nitendo, neque proficit hilum*. Ne tamen nihil dixiſſe videri poſſit, quædam, vt ſuam ſententiam fulciat, hoc capite addit, quæ ſunt à nobis expendenda, & excutienda diligentiùs: Magno igitur conatu, magnas nugas dicturus Apoſtolos, quos Principes Eccleſiæ à Chriſto conſtitutos non erat, quod vltrò cum Hieronymo, Auguſtino, Nicolao Primo, & Caietano confitentibus probaret, pares omninò fuiſſe, nec plus tributum Petro, quàm reliquis aſſumit. Hoc verò poſtremum ſi probauerit, nobilem tulerit palmam; ſed quàm imbellè pugnat? *Æquè*, inquit, *omnibus, & ſingulis datam fuiſſe à Chriſto poteſtatem Apoſtolis, facilè eſt oſtendere. Primùm enim, inquit, æquè erudiuntur omnes à Chriſto, quando eos primùm rudes elegit, æquè omnes format, & perficit*

Num. 3.

ad

ad munus *Apoſtolatus, & non magis vnum, quàm alios inſtituit*. Non ſumus tam acuti, vt vim huius argumenti peruideamus. Demus omnibus, & ſingulis Apoſtolis inſtituendis, ac rerum diuinarum ſcientia informandis parem nauaſſe operam Chriſtum, quod fortaſsè verum non eſt, cùm Paulum raptum in tertium cœlum ad ea edoctum, *quæ non liceret homini loqui*, ex Scriptura conſtet, quod de reliquis Apoſtolis non aſſeueratur; Hinc tamen non rectè colligitur pares omninò in adminiſtranda Eccleſia fuiſſe, neque enim, ni fallor, ſcientia pares, ſemper authoritate pares ſunt. Namque pondus illud regiminis eximia illa rerum ſcientia non nititur, ac ſententia Theologorum Iuriſdictio à maiori doctrina non pendet, ſed ab inſtituentis, & gubernacula tradentis auctoritate, aut obiectæ etiam, vt loquuntur, conceſſæ poteſtatis. Viderunt præterea viri docti Imperiorum adminiſtrationem, & gubernationem artem quamdam eſſe à priuata ſcientia diuerſam, qua qui imbuti non eſſent, eos ad rerum habenas regendas planè ineptos iudicarent. Aſſero igitur vni Petro dictum, *Paſce oues meas, Paſce agnos meos*. Vnumque edoctum à Chriſto, quonam modò vniuerſæ Eccleſiæ imperium eſſet à peritiſſimo Vicario adminiſtrandum. Reliquis ea eſt indita rerum diuinarum, & humanarum cognitio, quæ fundandis Eccleſijs, populis inſtituendis, legibus ſanciendis, Scripturis ſacris propalandis ſufficeret. Itaque eminentior illa imperandi ratio credita eis non eſt, ſed hac parte aliquantò magnificentiùs egit Chriſtus cum Petro, quàm cum ſuis collegis, iiſque eum inſtruxit chariſmatibus, quæ non modò ad munus Apoſtolatus exequendum, ſed etiam ad vniuerſam religionem titulo, & dignitate Capitis moderandam forent neceſſaria. Itaque vt ſimplicitèr dicam, verum eſt, quod inſinuat Spalatenſis, *Chriſtum commendaſſe Eccleſiam ſuam ſingulis Apoſtolis*: Sed falſum eſt, quod rurſùs aſſumit, *omnibus ex æquo commendaſſe*, & malè ex parilitate doctrinæ, parilitatem iuriſdictionis colligit.

1.Cor.14.

Ioan.20.

Sed inſtat, [poſt Aſcenſionem æquè omnes Apoſtoli à Spiritu ſancto recti, inflammati, edocti, & roborati ſunt, neque ſemel tantùm, ſed bis, &c.] Nec hoc argumentum priore neruoſiùs eſt, ac rurſùs dubio, & planè fragili nititur fundamento. Etſi enim eodem Spiritu afflatos omnes Apoſtolos doceant Scripturæ, ac Scripturis conſentientes Ignatius, Tertullianus, & Irenæus, illud tamen, quod tantoperè iactitat aduerſius, *æquè* non habent. Audiamus Scripturas. *Cùm complerentur dies Pentecoſtes, &c. repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & cœperunt loqui*. Iterùm verò, *Et cùm oraſſent, motus eſt locus, in quo erant congregati, & repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & loquebantur verbum Dei cum fiducia*. Audio repletos omnes Spiritu ſancto, at *æquè repletos* non audio. Hoc ſcilicèt aduerſarij commentum eſt nugaciſſimum. Patres quoque ſcribunt. Ignatius quidem, vt ille exiſtimat, *Quemadmodùm, & pſeudo-Prophetæ, & pſeudo-Apoſtoli vnum, & eundem Spiritum malum, fallacem, & populi ſeductorem acceperunt; ſic & Prophetæ, & Apoſtoli vnum, & eundem Spiritum ſanctum bonum, eximium, verum, & doctorem rectum acceperunt à Deo per Ieſum Chriſtum*. Tertullianus. *Apoſtolos Domini habemus authores, qui nec ipſi quicquam ex ſuo arbitrio, quod inducerent, elegerunt; ſed acceptam à Chriſto diſciplinam, fidelitèr nationibus adſignauerunt*. Irenæus, *Etenim ſi recondita myſteria ſciſſent Apoſtoli, quæ ſeorſim, & latentèr à reliquis perfectos docebant; his vel maximè traderent ea, quibus etiam ipſas Eccleſias committebant*: Innuunt verò hi Patres conſecutos omnes Apoſtolos eundem Spiritum ſanctum, at eius *ex æquo* participes fuiſſe omninò non dicunt, ſed rurſùs illud, *æquè*, maleſani cerebri commentum eſt. Sapientèr verò Apoſtolus iſtud pronunciat, *diairesis* hoc eſt *diſcrimina*, *Diuiſiones gratiarum ſunt, idem autem Spiritus. Diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus, &c.* Idem igitur Spiritus ſanctus docens Apoſtolos, potuit illum ſuum afflatum ita attemperaſſe, vt pro ratione muneris, cui quemque deſtinaſſet, eum cœleſtibus ſuis Chariſmatibus impertiret, neque tamen pares omnes faceret in regenda Eccleſia. Etſi verò Iudas *ſortem miniſterij Apoſtolici ſortitus ſit*, quod Apoſtolorum Coryphæus in Actis Apoſtolicis ſignificat, parem tamen omninò, cum reliquis gratiam conſecutum fuiſſe, ęgrè perſuaſerit aduerſarius, ſunt enim pleraque, quæ contrarium ſuadere videantur, de quibus tamen non eſt hic dicendi locus; hoc tantùm addimus haud ſemper omnibus, etiam in eiuſdem miniſterij partem, vocatis parem à liberrimo largitore Deo gratiam conferri, *Vnicuique noſtrum*, inquit Paulus, *data eſt gratia ſecundùm menſuram donationis Chriſti*. Olim quidem cùm Moiſem Dominus onere regendi contumacis populi, quo maximè grauaretur, leuare vellet, congregari ſeptuaginta viros ad oſtium tabernaculi fœderis iuſſit, vt eos Moyſi adlegeret, tumque dixit ei. *Auferam de Spiritu tuo, tradamque eis, vt ſuſtentent tecum onus populi, & non tu ſolus graueris*. Hic eodem igitur Spiritu afflantur ſeptuaginta, quo Moiſes, imò portionem fuiſſe Spiritus Moiſis, quæ in illos diuiſa ſit, non obſcurè ſignificat Scriptura. Numquid igitur, quia eodem Spiritu afflati, pares, aut ſanctitate, aut poteſtate cum Moyſe fuerunt? Numquid non in hoc Optimatum conſeſſu penès Moſem ſumma imperij Iudaici fuit? Non ergo idem Spiritus eadem chariſmata inducit, ſed vt dicebamus, & gratiarum, & miniſtrationum diſcrimina quædam ſunt à ſuaui illa prouidentia temperata. His poſitis, facilis eſt explicatio eorum, quæ tum ex Synodo Conſtantinopolitana, tum ex Hilario, & Hieronymo adducuntur. Docent enim hi Patres abundè cumulatos Apoſtolos Spiritus ſancti gratia, *eos totos lucidos fuiſſe, eis aſſuiſſe Spiritum ſanctum, & vnà cum eis verſatum in India, Romæ, in Illyria, in Achaia, &c.* Sed nulli eorum vmquam venit in mentem eius æqualitatis, quam ſibi fingit aduerſarius, & certè, vt iuriſdictio non nititur peritia rerum, aut ſcientia, ita nec ſanctitate vitæ, quamquam hæc duo poteſtates maximè ornant.

Spalat. Num.3.

Act.2. Act.4.

Num. eod. Ignat. ep.6. quæ eſt ad Philadel.

Tertul. de præſcriptio. adu. hæret.

Iren.l.3.c.3. adu. hær.

1.Cor.12.

Ad finem n.3. Act.1.

Epheſ.4.7.

Num.11.

Num 4 & 5. Conc. Conſtantin. 2. Collat.8. Henr. in Pſalm. 138. Hier. epiſt. 148. ad Marcellam.

Sed iam preſſiùs agit, & maioribus nos tormentis oppugnat dirus hoſtis, qui & ipſos Patres, nulla conſcientia, & impio ſcelere truncat. [Expreſſam, inquit, æqualitatem poteſtatis inter Apoſtolos, agnouit ſemper anti-

Spalat. Num 6. Cyp. trac 3. de ſimplic. prel. ſiue de vnit. Eccl. Matth. 15.

antiquitas. Audiamus Cyprianum. Loquitur Dominus ad Petrum, ait Cyprianus. Ego tibi dico, quia tu es Petrus, &c. Tibi dabo claues regni cœlorum. Et idem, ait, poſt Reſurrectionem ſuam dicit, Paſce oues meas, & quamuis Apoſtolis omnibus poſt Reſurrectionem ſuam parem poteſtatem tribuat, & dicat, Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos,
Ioan. 20. Accipite Spiritum ſanctum, ſi cui remiſeritis peccata, remittentur illi, ſi cui tenueritis, tenebuntur, tamen vt vnitatem manifeſtaret, vnitatis eiuſdem originem ab vno incipientem, ſua authoritate depoſuit. Hoc erant vtique cæteri Apoſtoli, quid fuit Petrus pari conſortio præditi, & honoris, & poteſtatis, ſed exordium ab vnitate proficiſcitur, vt Eccleſia vna monſtretur. Hæc Spalatenſis.

Ac primum, quòd [æqualitatem inter Apoſtolos ſtatuiſſe antiquiores Patres] præfidentiſſimè aſſerit ſplendidum eſſe mendacium, quæ ſunt à nobis in prioris Capitis diſcuſſione diſputata, oſtendunt.

Quod verò attinet ad Cypr. etſi hìc calamos inflat vehementiùs Spalaten. totumque eſſe ſuum clamitat, non verebor tamen aſſerere, pugnantia cum Cypriani mente dicere, qui eam æqualitatem inter Apoſtolos inducere moliuntur.

Spalat. Num. 7. At, inquit, eius verba ſunt, [Hoc erant vtique cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus pari conſortio præditi, & honoris, & poteſtatis.] Fatemur eſſe verba Cypriani, cuius mentem non ſit aſſequutus aduerſarius. Loquitur enim de *intrinſeca, & eſſentiali poteſtate Apoſtolatus*, qua pares fuiſſe, nemo vnquam Catholicus eſt inficiatus, non *de poteſtate extrinſeca, & accidentaria*, quæ in ordine, ac diſpoſitione regiminis poſita ſit, qua inferiores fuiſſe Petro, Patres omnes conſtantiſſimè cum Cypriano docent. Hoc eſt, quod noſtri dicunt, omnes Apoſtolos habuiſſe parem poteſtatem, quod attinet *ad amplitudinem rerum gerendarum*, ſed non, quod attinet *ad authoritatem in ordine, & modo gerendi*. Id enim ſic explicant, pleniſſimam ſinguli Apoſtoli habebant, & ſupremam poteſtatem reſpectu aliorum omnium Chriſtianorum, non autem inter ſe, quia videlicèt Petrus ſic caput erat omnium Chriſtianorum, vt etiam ipſorum Apoſtolorum caput eſſe, non contrà. Hæc tamen, *quia ſe non intelligere fugit* aduerſarius, dicam apertiùs. Ad Apoſtolatum dignè, & ex officio exercendum duo neceſſaria fuere. Primum, vt, qui tanto munere fungerentur, eam poteſtatem à Chriſto nacti eſſent. Deindè, vt non niſi Eccleſiæ vnitate ſeruata, quæ eſſent ſui muneris exequerentur. Itaque duo in tantò munere obeundo, ſpectanda erant, authoritas ſcilicèt, & vnitas, authoritas, quòd qui non eſſent à Chriſto eo honore impertiti, & tamen munere fungerentur, pſeudo-Apoſtolorum loco haberentur, & ſacrilegi, ac vſurpatores alieni officij cenſerentur, iuxta illud, *Nullus aſſumat ſibi honorem, ſed qui vocatur à*

Stapleton. tom. 1. lib. 6. Cont. 2. c. 7. de Primatu Iudicij Eccleſiaſtici ſubiecto. Card. Bell. de Roman. Pont. lib 1. cap. 12. Car. Perrō. Repl. ad reſponſ. Reg. p 534. n. 7.

Hebr. 5. *Deo, vt Aaron*; Vnitas vero, vt ſcilicèt, non niſi vnitate Eccleſię ſeruata, eò defungerentur, ſecùs, pro ſchiſmaticis haberentur, etiamſi eis authoritas non deficeret. Huius ſententiæ

Optat. Mil. lib. 2. aduerſus Parmenianum. propugnatorem habes Optatum, *Negare non potes*, inquit, *ſcire te in vrbe Roma Petro primo Cathedram Epiſcopalem eſſe collocatam, in qua ſederit omnium Apoſtolorum Caput Petrus, vndè & Cephas appellatus eſt; in qua vna Cathedra vnitas ab omnibus ſeruaretur, ne cæteri Apoſtoli ſingulas ſibi quiſque defenderent: vt iam Schiſmaticus, & peccator eſſet, qui contrà generalem Cathedram, alteram collocaret*. Hanc vnitatem cùm ſtatuiſſet Chriſtus ſeruandam in Eccleſia, primum eius fundamentum poſuit in Petro, à quo originem, & exordium illa duceret, *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*: & demùm, quòd ad ſtabiliendum, & fulciendum hoc vnitatis veluti initium, & caput, eximia quadam auctoritate opus eſſet, quæ ſchiſmata, aut auerteret, aut tolleret de Eccleſia, præter communem illam omnibus Apoſtolis eſſentialem authoritatem, facta eſt perſonæ Petri, quem huic muneri obeundo deſtinaſſet Chriſtus, dignitatis, ac poteſtatis acceſſio, vt nimirùm omnes omninò fideles, adeòque ipſos Apoſtolos in officio contineret, ac ne quis audacior Eccleſiæ vnitatem ſcinderet, prohiberet. Non quòd periculum eſſet, ne Apoſtoli à Chriſto inſtituti, à Spiritu ſancto plenè informati ſcinderent populos, ſed quòd in eorum politia extare voluerit Chriſtus imaginem, & ideam regiminis in Eccleſiam poſt eorum obitum inducendi. Matth. 16.

Iam redeo ad Cyprianum, & dico, cùm pares poteſtate faceret, & honore Apoſtolos, illum loquutum de ipſa interna, & eſſentiali tanti muneris dignitate, quæ in eo poſita ſit, vt ſeruata vnitate, quamquam orbis terrarum Prouincias inter ſe partiti eſſent, quas obirent, & luſtrarent, fas tamen eſſet omnibus, ac ſingulis vbiuis gentium Apoſtolico munere defungi, & non ſolùm Euangelium promulgare, Sacramenta miniſtrare, à peccatis abſoluere, Spiritum ſanctum impertiri, miracula edere, libros ſacros ſcribere; ſed etiam leges condere, ius dicere, Epiſcopos creare, populos pijs, ac in conſcientiam obligantibus inſtitutis imbuere, & informare. At nego de accidentaria illa poteſtate, quam ſeruandæ, & retinendæ vnitati ipſe neceſſariam duxerit eum intellexiſſe. Ac certè, ſi quis alius huius vnitatis propugnator, & defenſor acerrimus, eſt Cyprianus, qui huius eiuſdem vnitatis veluti centrum, fontem, ac radicem, faciat Petrum. Expendamus locum non iam truncum, & mutilum, qualem nobis illum exhibuit Spalatenſis, ſed integrum, & ſanum, qualem edidit Cyprianus. *Loquitur* Cyp. tract. 3 de ſimplic. prælatorum
Dominus ad Petrum, Ego tibi dico, inquit, *quia tu es Petrus, & ſuper iſtam petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. Tibi dabo claues regni cœlorum, & quæ ligaueris ſuper terram, erunt ligata, & in cœlis. Et eidem poſt reſurrectionem ſuam dicit: Paſce oues meas. Et quamuis Apoſtolis omnibus poſt reſurrectionem ſuam parem poteſtatem tribuat, & dicat, Sicut miſit me Pater; & ego mitto vos, accipite Spiritum ſanctum, ſi cui remiſeritis peccata, remittentur illi, ſi cui tenueritis, tenebuntur; tamen vt vnitatem manifeſtaret* (audis Marce Antoni) *vnitatis eiuſdem originem ab vno* (ſcilicèt à Petro) *incipientem, ſua authoritate diſpoſuit. Hoc erant vtique, & cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio præditi & honoris, & poteſtatis, ſed exordium ab vnitate proficiſcitur, vt Eccleſia vna monſtretur.*

Digitized by Google

Spalat. Num. 7. Hic ſtupe noſter, *Miror*, inquit, *quomodo noſtri monarchici locum hunc Cypriani ad Petri monarchiam detorqueant, cùm nihil poſſit clariùs in contrarium dici.* Ignoratio cauſarum mirationem facit, inquiunt Philoſophi. Stupentem igitur, aut potiùs in media luce caligantem eum ipſe demirot. Quid potuit clariùs dici pro primatu Petri his verbis; *Loquitur Dominus ad Petrum, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & illi paſcendas mandat oues ſuas, &c. vt vnitatem manifeſtaret, vnam Cathedram conſtituit, & vnitatis eiuſdem originem, ab vno Petro incipientem ſua auctoritate diſpoſuit.* Attende Marce Antoni, dicit Cyprianus, vnitatis originem voluiſſe Chriſtum ab vno Petro, non à ſe vno Chriſto initium ducere. Demùm auctoritate, certè grauiſſima, id prouidiſſe: At ſi nihil ampliùs eſt Petro collatum, quàm cęteris, quorsùm hîc auctoritate Chriſti opus fuerit? quorsùm illam Cyprianus aduocauerit ad hoc exordium vnitatis ducendum? Firmant noſtram interpretationem, quæ alijs locis idem Cyprianus docet. Epiſtola 73. ad Iubaianum, de hær. baptiz. [Petro, inquit, primùm Dominus, ſuper quem ædificauit Eccleſiam, et vndè vnitatis originem inſtituit, poteſtatem iſtam dedit, vt id ſolueretur in Cœlis, quod ille ſoluiſſet in terris.]

Vides Petrum ad Eccleſiæ œconomiam ſtabiliendam conſtitutum vnitatis originem, & veluti centrum, ac fontem, qua ratione ipſe Cyprianus [Eccleſiam Romanam, quam Cathedram Petri vocat, Eccleſiam facit principalem, vndè vnitas Sacerdotalis exorta ſit. Poſt iſta,] inquit, de ſceleratis illis Fortunato, & Feliciſſimo, qui Eccleſia ab Epiſcopis Africanis pulſi, ad Cornelium fucum illi facturi confugerant, [Poſt iſta adhuc Pſeudoepiſcopo ſibi ab hæreticis conſtituto, nauigare audent, & ad Petri Cathedram, atque ad Eccleſiam principalem, vndè vnitas Sacerdotalis exorta eſt, à prophanis, & ſchiſmaticis literas ferre.] Hæc num ad guſtum ſunt aduerſarij? En Petrum fundatorem Cathedræ Romanæ, en ipſam Romanam Eccleſiam, [principalem Eccleſiam,] en centrum vndè reliquæ veluti lineæ ducantur, En ſedem, ex qua [Sacerdotalis vnitas orta ſit.] Sed vndè [principalis Eccleſia] niſi à regiminis Eccleſiaſtici Principe Petro, quem eximia quadam auctoritate ornatum vnitatis Eccleſiaſticæ originem eſſe voluerit Chriſtus? At vrget, hoc admiſſo, [ſe non videre, quomodo à contradictione liberari poſſit Cyprianus, quia futurum eſt, vt affirmet Petrum eſſe ſupremum in poteſtate, & inficietur eſſe ſupremum in eadem, quia reliquos ei facit pares.] Ergone illi exciderunt oculi, aut non potius mens, & animus conciderunt?

Epiſt. 55. lib. 1. ep. 3.

Num 7.

In externo regimine, & accidentario illo munere aſſerendæ vnitati deſtinato, ſupremum facit Petrum, quia nimirùm, vt ipſe loquitur, [Petro Dominus, ſuper quem ædificauit Eccleſiam, & vndè vnitatis originem inſtituit, poteſtatem iſtam dedit.] Pares facit reliquos in intrinſeca illa, & eſſentiali muneris Apoſtolici functione, quæ eſt à nobis ſuperiùs explicata. Igitur ne tam ieiunè eſt dialecticis imbutus, vt in his, quæ, vt loquuntur in Scholis, diuerſo reſpectu dicuntur, contradictionem ponat? Ipſe inæqualitatem inter Apoſtolos, [& maioritatem quandam, & minoritatem,] (illius ſunt verba) admittit, imò ex Scripturis colligit, & tamen pares omnes fuiſſe Apoſtolos contendit. Numquid igitur ipſe ſibi contradicit? Anacleti, & Clementis, quos nihil morantur aduerſarij, dicta non expendo, quod non aliud præ ſe ferant, quàm quod habet Cyprianus. Cap 5. n. 6. Num. 8.

At erat, quòd Hieronymum non perturbatorem, ſed interpretem Cyprianææ ſententiæ aſciſceret. Nam poſtquam argumentum in Iouinianum retorſiſſet his verbis, [At dicis ſuper Petrum fundatur Eccleſia, licèt id ipſum in alio loco ſuper omnes Apoſtolos fiat, & cuncti claues regni Cœlorum accipiant, & ex æquo ſuper eos Eccleſiæ fortitudo ſolidetur,] ſtatim ſubiecit: [tametſi propterea inter duodecim vnus eligitur, vt, capite conſtituto, ſchiſmatis tollatur occaſio.] Itaque illud, ex æquo, non euertit dignitatem capitis, rem iudicio Hieronymi ad tollendum ſchiſma neceſſariam: Et tamen veretur aduerſarius, [ne quis inconſtantiæ arguat Hieronymum, qui tam paucis lineis, ſi hæc vera ſunt pugnantia dixerit.] Apage iſtas nugas. Ex æquo ſolidatur fortitudo Eccleſię ſuper omnes Apoſtolos, ſi de intrinſeca illa ratione Apoſtolatus, quam in fundandis Eccleſijs, prædicando Euangelio, ſtatuendis legibus, ſoluendis peccatis, Scripturis ſacris concinnandis, miraculis patrandis, & ſimilibus, poſitam eſſe ſuperiùs docuimus. At ſi accidentaria illa altera poteſtas, ſi euertendi ſchiſmatis, & vnitatis ſeruandæ ratio habeatur, inter duodecim vnus Petrus eligitur, vt, [capite conſtituto, ſchiſmatis tollatur occaſio.] Pares igitur Apoſtoli Petro in omnibus, quæ ad munus Apoſtolicum propriè, & per ſe pertinent. Haud pares in cauendo, & extirpando ſchiſmate, quod vnius capitis proprium munus eſſe agnoſcit Hieronymus. Spalat. Num 9. Hier. lib. 1. adu Iouin. Num 10.

Non deſinit tamen eſſe contumax aduerſarius, [Profectò, inquit, ſi Hieronymus primatum verum, & proprium iuriſdictionis in Petro agnouiſſet, nunquam ſubdidiſſet ea verba, quæ paulò pòſt ſubdidit, dicens, Petrus Apoſtolus eſt, & Ioannes Apoſtolus, maritus & virgo, ſed Petrus Apoſtolus tantùm, Ioannes, & Apoſtolus, & Euangeliſta, & Propheta, non enim, inquit, tacuiſſet in hac comparatione tantam eius præeminentiam.] Vellet, credo, de primatu quodam honoris loquutum Hieronymum, & ita eum nobis gratis daret. Sed lubet quærere, num in euertendo, aut etiam ſarciendo ſchiſmate, aliqua eximia poteſtate opus non ſit, quæ diſſidentes, ac ab ordine diſcedentes ſchiſmaticos in ordinem cogat? An qui ea inſtructus non fuerit, turbas Eccleſiæ ſedare poterit in illa magna animorum contentione, & contumacia? Vidit hoc ipſe Hieronymus, qui ad extirpandum ſchiſma Orientis, Damaſi auctoritatem neceſſariam duxit, cum aduocauit, & ad ſucceſſorem Petri in illis turbis ſe recipit. Quod autem ait, [tacuiſſe Hieronymum prærogatiuam capitis, cùm Petrum cum Ioanne conferret,] hominis eſt obſtinatiſſimè errare volentis. [Exegerat iam, & abſoluerat eam de capite diſputationem, & hoc argumentum, qua poterat dexteritate, & ſolertia verſarat, Spalat. Num. 10. Ibidem ad finem numeri.

vt

vt virginitati, quam propugnandam aduerſùs nefarium hoſtem ſuſceperat, Ioannis commendatione patrocinaretur.

Cumque non haberet, quod defenderet, in prærogatiua capitis tributa Petro, & Ioanni negata, reſponderat, quod Ioannes non eſſet electus, ſcilicet caput inter duodecim, electus autem eſſet Petrus, id ætati delatum, quòd Petrus ſenior eſſet, [ne adhuc adoleſcens, & penè puer progreſſæ ætatis hominibus, attende, præferretur.] Ne autem manus dediſſe videretur, ac decus virginitatis malè defendiſſe, alium callem inſiſtendum ſibi putauit, & nouo veluti collecto exercitu, ac reparatis viribus, Iouiniano noua virginis Ioannis ornamenta opponit, quibus Petrum antecellat. Sed hęc Primatum Petri, tam firmis præſidijs munitum, non euertunt, cùm Prophetæ, aut Euangeliſtæ encomium, Ioannem quidem ornet maximè, ſed ad ſplendorem, & dignitatem capitis non pertineat. Neque enim, aut Euangeliſtam, aut Prophetam, neceſſe eſt eſſe Pontificem Eccleſiæ.

Spalat. Num. 11.

Antæi inſtar ſolo afflictus, etiamnum refugit, ac vires reparat. [Alibi etiam, inquit,

Hieron. l. 1. in Iouinian.

Hieronymus æqualitatem hanc inter Apoſtolos poſuit, quando dixit, Ioannes, & Iacobus, quia plùs cæteris petierunt, non impetrauerunt, & tamen non eſt dignitas eorum imminuta, quia reliquis Apoſtolis pares fuerunt. Excipiat, ait, hic mihi aliquis Petrum, certè Hieronymus non excepit.] Atqui hæc aſſertio eſt hominis ſplendidè mentiri cupientis. Excepit ſanè, cùm eum inter duodecim electum, cui capitis dignitas tribueretur, docuit. Aſſerit quidem non [imminutam Ioanni, & Iacobi dignitatem, quòd repulſam paſſi eſſent à Chriſto, ſed manſiſſe pares Apoſtolis.] Atqui hoc nos non conturbat; quippè quibus ſit exploratum de dignitate Apoſtolatus in ſe, non in ſerie, & ordine regiminis originem

Num. 11.

ab vnitate ducente ſpectata, eum diſſeruiſſe. Iam frontem poſuiſſe, ac omnem pudorem abieciſſe mihi videtur Spalatenſis, quippè qui ad Petri primatum euertendum auſus ſit ab Epiſtola Heronymi ad Damaſum ſcripta præſidium ducere.

Hieron. Damaſc. ep. 57.

Scripſit Hieronymus: [Quoniam vetuſto oriens inter ſe populorum furore colliſus, indiſciſſam Domini tunicam, & deſuper textam, minutatim per fruſtra diſcerpit; & Chriſti vineam exterminant vulpes; vt inter lacus contritos, qui aquam non habent, difficilè, vbi fons ſignatus, & hortus ille concluſus ſit, poſſit intelligi; ideò mihi Cathedram Petri, & fidem Apoſtolico ore laudatam, cenſui conſulendam, indè nunc meæ animæ poſtulans cibum, vndè olim Chriſti veſtimenta ſuſcepi, &c. apud vos ſolos incorrupta Patrum ſeruatur hæreditas. Quamquam tui me terreat magnitudo, inuitat tamen humanitas. Ego nullum primum (imò præmium) niſi Chriſtum ſequens, beatitudini tuæ, id eſt Cathedræ Petri communione conſocior? ſuper illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicunque tecum non colligit, ſpargit.]

Poteſt ne aliquid apertiùs dici, aut etiam excogitari ad vendicandam, & aſſerendam Petro auctoritatem, & poteſtatis prærogatiuam, quam propugnamus: & tamen prolato hoc teſtimonio, audet homo ineptiſſimus Hieronymum in conſortium criminis vocare, & ſui erroris facere patronum. [Damaſum Pontificem alloquens,] inquit Spalatenſis, ait, qui Apoſtolos ſequeris honore, ſequaris & merito, quia nimirùm Petri, cuius ſucceſſorem facit Damaſum, (& hoc te monuiſſe debuit, vt eum inter Apoſtolos diſcrimen poſuiſſe agnoſceres,) & aliorum Apoſtolorum idem honor, & dignitas æqualis erat. O miras argutias! quaſi verò non poſſit idem hęres eſſe Principis Apoſtolorum, & ipſorum Apoſtolorum. Cui maius tribuitur, non poſſit minùs concedi? Imò heredem fecit Apoſtolorum, quod pro Petri hęrede habuerit, quoniam, teſte eodem Hieronymo, omnium Apoſtolorum, perſonam Petrus in terris ſuſtinuit. Certè quemadmodùm in capite omnium membrorum vigent ſenſus, ita in Petro veluti recolliguntur omnia Apoſtolorum ornamenta, vti iam qui Petri hęres ſit, omnium illorum hęres haberi poſſit.

Hieron. ad c.16. Matth.

Cæterùm Hieronymus illis verbis, [vt qui Apoſtolos ſequeris honore, ſequaris, & merito,] ad parilitatem, aut imparilitatem tum honoris, tum meriti nulla ratione reſpexit, ſed Damaſum adhortatus eſt, vt quemadmodùm honorem Apoſtolorum conſequutus eſſet, ita ſe hæredem præberet, & pietatis. Quid igitur? non potuerit pietatem imitari Apoſtolorum, niſi omnes inter ſe dignitate fuerint pares? Pudet harum ineptiarum. Iam Auguſtinum accerſit, & vt æqualitatem illam ſuam fulciat, tam præclari Doctoris teſtimonio abutitur, atque multa affert, quibus nititur oſtendere pares eum feciſſe Apoſtolos.

nu. 12 & 13.

Vrget verò ea loca in quibus aſſerit Petrum geſſiſſe figuram Eccleſiæ, & Apoſtolorum ſuſtinuiſſe perſonam.

Auguſt. de agon. Chriſti, cap. 30.

Primus locus eſt, *Non enim ſine cauſa*, inquit Auguſtinus, *inter omnes Apoſtolos huius Eccleſiæ Catholicæ perſonam ſuſtinet Petrus. Huic enim Eccleſiæ claues regni Cælorum datæ ſunt, cùm Petro datæ ſunt, & cùm ei dicitur, ad omnes dicitur, Amas me.* Sequitur in Auguſtino,

Idem lib. 3. de bapt. contra Donat. c. 7. Idem tract. 50. in Ioan.

Nam quòd in typo vnitatis Petro Dominus dedit poteſtatem, vt id ſolueretur in terris, quod ille ſoluiſſet, manifeſtum eſt, quòd illa vnitas, etiam vna columba perfecta ſit. Et item illud, *Petrus quando claues accepit, Eccleſiam ſanctam figurauit, &c.* Ex his ergo, & ſimilibus colligit, quæ Petro tribuantur, non eſſe illius propria, ſed omnibus omninò Apoſtolis, quos ille repræſentarit, eſſe communicata. Atqui longè abeſt à mente Auguſtini. Non enim Petrum [figuram geſſiſſe Eccleſiæ, aut eius nomine accepiſſe claues] aſſerit, quòd exiſtimet nullo diſcrimine Petri, & reliquorum claues à Chriſto Petro communicatas, ſed duas omninò ob alias cauſas.

Primùm enim Petrus, ſententia Auguſtini [claues accepit nomine Eccleſiæ,] quòd fas ei non fuerit earum vſum aliò referre, quàm ad commodum, & vtilitatem Eccleſiæ, cui promouendæ eſſent à Chriſto deſtinatæ, adeò, vt munus ipſum clauium [formaliter,] & præcisè, vt loquuntur in Scholis, ſit collatum Petro, tamen eo fine, vt Eccleſiæ vſibus accommodarentur, ideòque ſi [finem muneris] ſpectes, propter Eccleſiam ſunt quidem illi collatę; ſed ſi munus ipſum attẽdas, proculdubiò Petro datę, à quo in Apoſtolos, & reliquam

Eccleſiam transfunderentur. Deindè figuram ille geſſit Eccleſiæ, non tamquam vnus ex cęteris, vel fortuitò ad id aſſumptus, ſed tamquam princeps, qui ipſam Eccleſiam nobiliſſimè repræſentarit. Hoc tam clarè explicat Auguſtinus, vt ſubeat mirari, qui fieri potuerit, vt non aduerterit Spalatenſis. Hæc enim magni Doctoris ſunt verba; *Quædam dicuntur, quæ ad Apoſtolum Petrum pertinere videantur, nec tamen habent illuſtrem intellectum, niſi cùm referuntur ad Eccleſiam, cuius ille agnoſcitur in figura geſtaſſe perſonam, propter Primatum, quem in Diſcipulis habuit, ſicuti eſt, Tibi dabo claues regni Cælorum, & ſi qua huiuſmodi, &c.* Item, & hæc, *Eccleſiæ Petrus Apoſtolus propter Apoſtolatus ſui principatum gerebat, figurata generalitate perſonam. Quod enim ad ipſum propriè pertinet, natura vnus homo erat, gratia vnus Chriſtianus, abundantiore gratia* (aduerte abundantiore gratia) *vnus, idemque primus Apoſtolus.* Tu igitur pie lector, cùm audis, Petrum perſonam Eccleſiæ ſuſtinuiſſe, atque hac ratione claues accepiſſe, intellige ipſum propter eminentiorem dignitatem, qua eum ornauit Chriſtus, huiuſmodi perſonam ſuſtinuiſſe, & claues accepiſſe, ita vt illi formaliter datæ ſint; ſed ſi finem ſpectes, haud in ſuos vſus, ſed in vſus Eccleſiæ.

Aug. in Pſ. 108. enarrat. 1.

Tract. 124. in Ioan.

Veriſſimè enim à magno viro eſt pronunciatum, [eſſe non modò eius, qui ſocijs, & ciuibus, ſed etiam qui ſeruis, qui mutis pecudibus præſit eorum, quibus præſit, commodis, vtilitatique ſeruire:] quanto igitur ęquiùs eſt iſta præſtare Pontificem Eccleſiæ, qui illis præſit, quos cruore ſuo ablutos, à ſeruitute vindicatos, & libertatem aſſertos, fratrum loco habuerit Chriſtus ſummus omnium princeps? Hac igitur ratione aſſerimus Petrum perſonam ſuſtinuiſſe Eccleſiæ, eius figuram geſſiſſe, ac eius nomine à Chriſto omnem omninò iuriſdictionem, & auctoritatem conſecutum fuiſſe: ſed & eadem ratione regem populi, Magiſtratum ciuitatis, patremfamilias domus, Epiſcopum Diœceſeos figuram gerere, & perſonam ſuſtinere aſſeueramus, quòd videlicet Rex ius gladij, & ferendarum legum poteſtatem, magiſtratus, paterfamilias, & Epiſcopus ſuas omnes prærogatiuas nomine ſubditorum accipiant, & in eam rationem toto ſtudio incumbere teneantur, vt eos, quos ſuæ fidei, poteſtatique Deus optimus maximus commiſerit, ac crediderit, diligant, & omni ratione tueantur, vtque eſſe, quàm beatiſſimos velint.

Itaque iſta omnia, [Petrum nomine Eccleſię accepiſſe claues, Eccleſiam accepiſſe in Petro, & Petrum geſtaſſe quadam generalitate figuram Eccleſiæ, ac eius perſonam ſuſtinuiſſe, pro vnitate vnum reſpondiſſe:] non ſolùm parilitatem non inducunt inter Apoſtolos, ſed etiam principatum Petri confirmant, de quo rursùs Auguſtinus, [Petrus à Petro cognominatus beatus, Eccleſiæ figuram portans, Apoſtolatus principatum tenens, &c.] Vides, vt hęc duo coniunxerit, & figuram geſſiſſe Eccleſiæ: & principatum obtinuiſſe. Hac eadem ratione cùm Pontificem Romanum Petri iuſtum hęredem agnoſceret, & Eccleſiam Romanam pro Sede Petri haberet, audacter pronunciauit. [In Eccleſia Romana ſemper viguiſſe Apoſtolicæ Cathedræ principatum. Itaque Auguſtinus totus à Catholicis ſtat, vt noſtri probè oſtendunt. [Addo tamen maioris lucis gratia, Auguſtinum proculdubiò duobus modis Petrum ſpectaſſe; primùm quidem, quà vnum certum quendam hominem à Chriſto ſummis honoribus auctũ, adeòque chori Apoſtolici, atque totius Eccleſiæ Coryphæum delectum; ſecundùm verò, quà fontem Eccleſiaſticę poteſtati ab eo in ſucceſſores deriuandæ, ac tranſfundendæ. Igitur cùm Petrum primo ſenſu ſpectat, ad eum propriè, ac per ſe illa verba, *Tibi dabo claues regni Cęlorum, Paſce oues meas*, pertinere nullus dubitat; at cum poſteriore ratione eum conſiderat, iam ad totam Eccleſiam, in quam poteſtatem conceſſam Petro, continuata Pontificum ſerie, ac ſucceſſione, transfuderit Chriſtus, pertinere, celſiore quodam, ac illuſtriore ſenſu veſtigato, docet. Hoc enim eſt, quod illuſtrem ſenſum vocat; ſcilicet haud quaquam in Petro, cuius eſſent vitæ anguſtiores termini, deſijſſe, ſed prætereà ad ſucceſſores tranſijſſe illum poteſtatis fulgorem, cuius luce in æuum tota perfunderetur, ac colluſtraretur Eccleſia.

Serm. 13. de verb. Domini ſecundũ Luc.

Auguſt. ep. 162.

Matth. 16. Ioan. vlt.

Vtrumque ſenſum expreſſit eximius Pater aduersùm Manichæos, [Multa ſunt, inquit, quę in Eccleſiæ gremio me iuſtiſſimè teneant. Tenet conſenſio populorum, atque gentium; tenet auctoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata: Tenet ab ipſa Sede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oues ſuas poſt Reſurrectionem Dominus commendauit, vſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio Sacerdotum.] Hic enim Auguſtinus Petro paſcendas oues à Domino commiſſa agnoſcit, ac demùm ad ſucceſſores tranſijſſe hanc curam oſtendit, vt proptereà figuram geſſiſſe Eccleſiæ cenſendus ſit, quòd demandatam ſibi poteſtatem in hęredes transfuderit. Hanc eſſe mentem Auguſti, illa euincunt contrà Donatiſtas, [Si ordo Epiſcoporum ſibi ſuccedentium conſiderandus eſt, quantò certiùs, & verè ſalubritèr ab ipſo Petro numeramus, cui totius Eccleſiæ figuram gerenti Dominus ait: Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. Petro enim ſucceſſit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus, &c.] Itaque Auguſtinus dicit, & traditam Petro poteſtatem, & illi figuram Eccleſiæ gerenti traditam, vt nimirùm eam ad ſuos tranſmitteret ſucceſſores. Non igiturpoteſt aduerſarius ab Auguſtino, vt nec à Hieronymo præſidium ducere.

Tomo 6. Cont. Ep. Manich. quam vocāt ſundam.

Tom. 2. ep. 165. ad libr. cuiuſdam Donatiſtæ.

Rursùm tamen Auguſtinum in nos, quod ille ſomniat, arietantem inducit, [Quid, inquit, aliud ſpectabat Auguſtinus, quàm æqualitatem hanc inter Apoſtolos, quando dicebat; Sed fortè Apoſtoli ſancti, primi ſummi arietes, gregis paſtores, membra paſtoris, fortè ipſi non habebant peccata. Et alibi. Denique fratres, vt citò agnoſcatis, ipſi Apoſtoli didicerunt orare, quod oramus, ipſis data eſt regula poſtulandi à Iuriſperito Cœleſti, ſic orate, inquit, & cùm quædam promiſiſſet, poſuit, & hoc, vt dicerent arietes, noſtri duces ouium, & præcipua membra paſtoris, & congregationis vnius gregis.] Ambroſium addit. [Sic etiam inquit Ambroſius, ſiue alius quiſpiam quiſquis ſit ille, Primogenita gre-

Spalat. n. 14. Aug. l. 50. hom. 43. Item in Pſ. 142.

Ambroſ. in Apoc. c. 6.

gre-

gregis ſunt Apoſtoli, quos primos genuit Eccleſia, & ex quibus Eccleſia nata eſt. Si igitur,] inquit, [omnes Apoſtoli ſunt, & ſummi arietes, & Domini ouium, & Primogenita gregis, quomodo non æquales?

At certè, aut nil videmus, aut planè cœcutit Spalatenſis, qui non aduerterit, hìc non conferri Apoſtolos cum Apoſtolis, ſed cum ipſo grege, cuius comparatione procul dubio, & arietes, & primogenita, & duces gregis, & membra paſtoris, & à nobis non inuitis celebrantur, & deprædicantur; ſed inter ſummos comparatione inferiorum poteſt admitti vnus ſupremus Princips, qui hos moderetur, vt illi reliquos, Certè conſtans eſt ſententia Auguſtini, & omnium Patrum. quibus ſe aſſenſorem præbet aduerſarius[omnes Epiſcopos ſummos eſſe Sacerdotes] adeòque ſummos Eccleſiæ Principes; atqui inter Epiſcopos inæqualitatem ſummam eſſe vbique fatetur. Ad Bonifacium namque Pontificem Romanum ſic loquitur, [Neque dedignaris, qui non alta ſapis, quamuis altiùs præſideas, eſſe amicus humilium.] Ac rurſus, Cùm, inquit [communis ſit omnibus, qui fungimur officio Epiſcopatus, quamuis ipſe in eo præmineas celſiore faſtigio] (aduerte celſius faſtigium Epiſcopatus in Romano Pontifice) [ſpecula Paſtoralis.] Sic ad Innocentium, vnà cum Patribus Mileuitani Concilij [quia te Dominus gratiæ ſuæ præcipuo munere in Sede Apoſtolica collocauit, &c.] Vides igitur inter ſummos arietes vnum ſupremum, celſiore faſtigio conſpicuum, altiùs præſidentem, ac præcipua quadam potentia effulgentem. Fuerint igitur eximia charitate, pietate, zelo, ac omni ſanctitate ornati Apoſtoli, *Stella*, tamen, *differt à ſtella in claritate*, & his omnibus prælucet ſol aliquis. Fuerint, & omnes Paſtores, atqui Paſtorem vnum ſe excitaturum pollicetur Deus, quod quamquam refertur ad Chriſtum, tamen oſtendit poſſe paſtoribus omnibus aliquem vnum antecellere. Fuerint, & omnes membra paſtoris, at non omnia membra dignitate paria ſunt, aut magnitudine, aut etiam honore [quæ putamus ignobiliora eſſe corporis] inquit Apoſtolus [his honorem abundantiorem circumdamus.]

Tom. 7. cõt. duas Epiſt. Pel. ad Bon. lib. 1. c. 1.

Tom. 2. epi. 102.

1. Cor. 15.

Ezech. 34.

1. Cor. 12.

Viderit igitur Spalatenſis, quàm pro ſe faciat Auguſtinus. Ambroſius citatus, etſi nil nos lædit, tamen Pſeudo-Ambroſius eſt, non ille Ambroſius Mediolani decus. [Primogenita gregis] vocat Apoſtolos, ſed non negat inter hos primogenitos excellere Petrum, & ipſe Spalatenſis ſui oblitus, Petrum eſſe *Primogenitum Apoſtolorum*, atque ea ratione primum locum ei deberi alio loco aſſerit. Sint ergò Apoſtoli, *Primogeniti* gregis, Petrus verò *Primogenitus Apoſtolorum*, num propterea aduerſario triumphus decernendus? Non vrgeo, quòd contra eum hic Pſeudo-Ambroſius pugnat, quippè, qui ſcripſerit *Eccleſiam genuiſſe Apoſtolos*, quam tamen Apoſtolis longè poſteriorem facit. Id inſcitum dogma ſuperiùs eſt à nobis abundè confutatum, & profligatum.

Cap 5. n. 13. & 17.

Confugit ad alios Patres, qui Paulum Petro parem faciant, [Chryſoſtomus] inquit, [etiam conſiderans officium Pauli in inuiſendo Petro ait: Quid hoc animo poſſit eſſe modeſtius? poſt tanta, taliaque benefacta, cùm nihil opus haberet Petro, nec illius egeret voce, ſed honore par eſſet illi, nihil enim hìc dicam amplius, tamen aſcendit velut ad maiorem, ac ſeniorem. Ambroſius, Vna gratia fulgebat in his, quos ſpiritus vnus elegerat, nec Paulus inferior Petro, quamuis ille Eccleſiæ fundamentum, & hic ſapiens Architectus ſciens veſtigia credentium fundare populorum. Nec Paulus indignus Apoſtolorum Collegio; cum primo quoque facilè conferendus, & nulli ſecundus, nam, qui ſe imparem neſcit, facit æqualem. Leo Magnus, Quos gratia Dei in tantum apicem inter omnia Eccleſiæ membra prouexit, vt eos in corpore, cui caput eſt Chriſtus, quaſi geminum conſtitueret lumen oculorum, de quorum meritis, atque virtutibus, quæ omnem loquendi ſuperant facultatem, nihil diuerſum, nihil debemus ſentire diſcretum, quia illos, & electio pares, & labor ſimiles, & finis fecit æquales.] Erit aliàs locus hæc diligentiùs excutiendi, namque eadem ſæpiùs repetit, & ad nauſeam vſque inculcat. Nunc breuiſſimè dico, poſſe Paulum conferri cum Petro duplici reſpectu, ſcilicet, vel ratione priuatæ ſanctitatis, laboris pro Eccleſia ſuſcepti, zeli adeòque officij, & gradus Apoſtolici, & hoc reſpectu Paulum Petro parem facere non dubitamus. Rectè enim Leo dicit, *de eorum meritis, atque virtutibus nihil nos debere ſentire diſcretum*, vel ratione iuriſdictionis, & poteſtatis, ſicque Paulum primas concedere Petro aſſeueramus. Et quamquam addiderit Leo, *electionem pares, laborem ſimiles, finem feciſſe eos æquales*, aliquid tamen elargiemur aduerſario in fauorem Pauli, quo ipſi Petro aliqua ratione antecelluiſſe videri poſſit, ſapientia enim, quam ipſe Petrus commendat, ac celebrat, ita excelluit, vt Maximus Antiſtes Taurinenſis eleganter omninò Petro *clauem quidem potentiæ*, Paulo verò, *clauem ſapientiæ tribuerit, & aſſeruerit*. Hoc ſenſu Chryſoſtomus, Ambroſius, Theophylactus, Leo Magnus, de cuius mente ſe dubitare, non erat, quòd fingeret Spalatenſis, Paulum nedum parem, ſed etiam ſuperiorem Petro facere potuerunt.

Spalat. Num. 14. Chryſoſt. in ep. ad Gala. cap 4.

Ambroſ in fine lib. 2. de Spiritu ſancto.

Leo ſer. 1. in natal. Petri, & Pauli.

Serm. vlt. de SS. Petro, & Paulo.

Redit ad vniuerſos Apoſtolos, Victorem Carthaginenſem, Didymum quoque cœcum adducit, qui eis omnibus *datum Principatum Sacerdotij*, illis verbis *euntes, docete omnes gentes, &c.* auctores ſint: Atqui iſta nos non turbant, qui in eadem confeſſione ſimus. Vnum aduerſario reſtat probandum, in quo diſputationis cardo appenditur, nimirùm inter hos Sacerdotij Principes non extitiſſe aliquem ſummum, qui Eccleſiam pro ratione Capitis moderaretur. Nos ſuprà contrarium oſtendimus.

Cæterùm Scholaſticorum, & hodiernarum controuerſiarum tractatores doctiſſimos ſibi prætereundos non duxit, & vt hoſtium dignitate inclareſceret vexandos Illuſtriſs. Cardinales Caietanum, Bellarm. & Baronium ſumpſit: Quid vexandos? Imò veluti parta victoria impoſito clariſſimis viris iugo, cathenis oneratos, manibus quaſi poſt terga reuinctis in caſtra ſua captiuos trahere conatur, quamquam in eos omnes inſultat. Et acumine, ſine auctoritate, ſine lepore, qui-

Spalat. Num. 16 17. 18. 19. 20. 21. & reliquis.

quidem quod attinet ad Caietanum, fatemur vltrà hominem Scholaſticis diſciplinis natum, atque ad miraculum imbutum in tractandis grauioribus iſtis diſputationibus, haud æquaſſe ſummam illam gloriam, quam in illo pulnere, & vmbratilibus pugnis omnium eruditorum calculo eſt conſecutus, ſubtilius agit, quàm patiatur grauitas harum quæſtionum, quæ vna eſt ratio, cur à noſtris plerumque deſeratur. Tanti momenti tamen non ſunt, quæ à Marco Antonio ei obijciuntur, vt difficilè ſit ab importuni hominis criminationibus eum vindicaſſe. Aſſerit, *Caietanum à ſe ſtare, quòd omnes Apoſtolos pares Petro agnouerit, qua Apoſtoli ſunt, etſi inferiores, qua oues Chriſti fecerit; Si enim*, inquit, *in quantum Apoſtoli ſint omnes Petro æquales, proculdubiò etiam poteſtate in Eccleſia pares fuerunt*. Addit etiam, Caietanum *plus ſibi concedere Apoſtolos*, nimirùm, *à Chriſto immediatè, & nullo interuentu Petri ſuam auctoritatem nactos à Chriſto*.

Num. 17.

Itaque magnos excitat plauſus, ſibique triumphum canit, perindè, ac ſi quiſquam noſtrũ negauiſſet vmquam Apoſtolos à Chriſto, non à Petro Apoſtolatus dignitatem conſecutos. Imò verò ſuprà diximus tanti muneris parem fuiſſe in omnibus honorem, hoc vno excepto, quòd *ad tollendas ſchiſmatis occaſiones* iuxta Hieronymi ſententiam, vnum caput Petrum à Chriſto electum agnoſcere tenerentur, nec iuxta Optatum *aliam ſibi Cathedram facere præſumerent*, quæ vnitatem eccleſiæ vno Petro iuxta Cyprianum nixam ſcinderet, & conuelleret. Vide igitur, quàm etiam Caietano ipſo liberaliores ſimus. Largimus illi non ſolùm eam æqualitatem, pro qua acriter quidem, ſed otioſè eſt ab eo pugnatum, & omnem omnino officiorum omnium, quæ in Apoſtolatu animo percipi poſſunt, æqualitatem, ijs ſolis exceptis, quæ, vt obuiam iretur ſchiſmati, ſunt ſapienter à Chriſto prouiſa.

Lib. 1. aduer. Iouin.

Ea autem ſunt, quæ ad dignitatem capitis ſpectant, citra cuius opem conſiſtere non poſſe aſpectabilem Eccleſiæ fabricam, viderit prudentiſſimus tanti operis architectus, ac propterea de eo ſufficiendo cogitarit. Tam multæ enim Eccleſiæ toto orbe ſatæ, & ſparſæ, ac montibus, inſulis, maris, & continentis longiſſimis ſpatijs diſcretæ, vix, ac ne vix quidem in vnam fidei profeſſionem, ſublato capite, & ſommo Paſtore, qui eis legem ponat, & cuius reuerentia teneantur, aut coaluerint, aut perſeuerarint. Quare ne quid detrimenti eorum caperet fides, eſt eis de huiuſmodi capite ſapientiſſimè prouiſum. Itaque non tam Apoſtolis, à quibus nil timeretur, quàm reliquis fidelibus eſt conſultum, ſed eam formam regiminis illorum ſęculo extare voluit Chriſtus, quæ in ſecuturis temporibus præſcriberet, vt etiam Apoſtoli dignitate Apoſtolatus pares, Petro tamen primas concederent in tractandis gubernaculis Eccleſiæ, & ab eo vnitatis originem ducerent.

Hæc non ſolùm Caietanus, ſed etiam Baronius, & Bellarminus flos, & robur exercitus Domini, vltrò aduerſario ſunt conceſſuri. Atqui ſemper eodem reuoluitur, & quòd pares in Apoſtolatu habeat Apoſtolos, pares omninò fuiſſe contendit, quod ineptiſſimum eſſe argumentandi genus, omnes Dialectici vident. Nam, vt paucis contraham, quæ à me ſunt ſuprà vberiùs explicata; fuit par dignitas in omnibus Apoſtolis, quod attinet ad omnia munia intrinſecè ad Apoſtolum ſpectantia; ſed quod attinet ad retinendam, & tuendam vnitatis auctoritatem, par non fuit, cùm eam à capite eximia quadam poteſtate ad ſeditioſorum continendos animos, & impios conatus reprimendos maximè pendere, nemo ſit tam ſtultus, qui non cogitet, aut tam cœcus, qui non videat. Verè itaque omninò Cardinalis Bellarminus cenſet duodecim fuiſſe æquè à Chriſto Apoſtolos renuntiatos, quod etiam tres Euangeliſtæ affirmant, & nos ſuprà docuimus: quandoquidem, & Paulus ipſe, quamquam extra hunc ordinem vocatus, ſe à Chriſto Apoſtolum conſtitutum eſſe magno conatu probat, negatque ſe *quicquam ab Apoſtolis accepiſſe, ne à Petro quidem*. Neque tamen propterea inficiandum eſt alicuius Apoſtolatum ex accidenti cæteris præſtantiorem, & eſſe, & iure optimo appellari poſſe. Namque, quod ipſe Spalatenſis non diffitetur, Pauli Apoſtolatus, vel hoc potiſſimùm cæteris præſtat, & antecellit, quòd à Chriſto immortali gloria donato fuerit in Collegium Apoſtolorum cooptatus. Alia verò ex parte Petri Apoſtolatus cunctis eſt multiplici ratione præferendus. Quòd ſcilicet auctoritas adminiſtrandi vniuerſam Eccleſiam, cæteris Apoſtolis, veluti extra ordinem, & ex priuilegio conceſſa ſit, non quà Epiſcopi, aut paſtores eſſent, ſed quà Apoſtoli. Petrus autem ordinarius omnium mortalium Paſtor, & Pontifex renunciatus ſit. Eadem verò ratione titulo Vicarij Chriſti præcipuo quodam iure, quod infrà ſumus probaturi, in vniuerſa Eccleſia eſt inſignitus. Alij quaſi delegati, aut etiam Legati cenſendi ſunt, & non niſi ampla quadam, latèque patenti ſignificatione Chriſti Vicarij nuncupantur, cùmque reliqui inter ſe omninò pares eſſent, neque alius in alium auctoritatem vllam haberet, vnus Petrus præerat vniuerſis, & in omnes ſuam poterat exercere poteſtatem, quòd ei à Chriſto dictum eſſet, *Paſce oues meas, Paſce agnos meos*. Nam vt benè Chryſoſtomus in eum locum obſeruauit, & ab eo hauſit Caietanus, *ab ouium grege, & numero neutiquam Apoſtoli excludebantur*. Hoc ſcilicet ſibi voluit Cardinalis Bellarminus, cùm referente Spalatenſi ex Caietano, *ſummam poteſtatis Eccleſiaſticæ datam Petro, vt ordinario Paſtori, cui perpetuò ſuccederetur, alijs verò tamquam delegatis, quibus non ſuccederetur*, aſſereret.

In ep. 2. ad Galat. c. 2.

Ioan. 21.

Chryſoſt. ad illum locũ. Num. 20. in fine. Bellar l. 1. de Rom. Pont. cap. 1. Et l. 4. c. 23. & Caiet. lib. de auct Pap. & Cõc. c. 3. Spalat. Num. 21.

Sed cùm Bellarminus duo dixerit, nempè *pares fuiſſe Apoſtolos*, quod attinet *ad eſſentiam Apoſtolatus*, & Petrum in moderanda Eccleſia *Paſtorem fuiſſe ordinarium*, illos verò *delegatos*, de poſteriori nil ſollicitus, priùs arripit aduerſarius, [Ego ſanè] inquit [accipio æqualitatem hanc tanquam ex Euangelijs ſacris Scripturis, & Patribus celeberrimis notiſſimam, differẽtiam verò illam de delegatione, aut ſucceſſione, aut non ſucceſſione, neque in Scripturis poſitam, neque agnitam à Patribus facilè tantiſper omitto. At mi Antoni rectè tibi inſuſurrarim in aurem illud Iuriſconſulti [ſi diuidas, perdes.] Æquales

fuiſſe

fuiſſe Apoſtolos docer Bellarminus, Paſtorem ordinarium ſummum fuiſſe Petrum ex Chriſti verbis, *Paſcr oues meas, Paſcr agnos mros,* Probar. Non fuiſſe pares Apoſtolos, ex eo oſtendit, quòd nulli eorum id dictum ſit, ſenſu, quo Petro dictum eſt, *Paſce oues meas, Paſce agnos mros.* Quorsùm igitur hæc diſiungis?

Spalat. Num.22. Ar, inquit [videat Bellarminus, ne non pugnanria ſint iſta, Apoſtolos, ſecluſo etiam Petro, eſſe capita, Rectores, & Paſtores, cum ſumma, atque ampliſſima poteſtate; imò cum plenitudine poteſtatis. Deindè habere ſuprà ſe caput Petrum, & ab illo pendere. Si quis Epiſcopus non Romanus, ſe caput nunc diceret Eccleſiæ, cum ſumma, & ampliſſima poteſtate, & cum plenitudine etiam poteſtatis; ità tamen, vt Romanum Pontificem caput ſuum eſſe diceret, & ab illo ſe pendere profitetur. Poſſet autem per Bellarm. meritò hæc dicere (nam Apoſtolorum locum renere Epiſcopi paſſim dicuntur) neſcio quàm libenter Romæ audiretur; Certè niſi fallor, aut irrideretur, vt ſtultús, & pugnanria loquens, aut ſummorum Inquiſitorum poteſtati traderetur, fortè vt hæreticus.] Sunt hæc futilitatis, ac ſummæ leuitatis plena. Ergone Apoſtolis in plenitudinem poteſtatis ſucceſſerunt Epiſcopi? Ergone quemadmodùm ſententia Bellarmini Petro ęquales ſunt Apoſtoli in regimine Eccleſiæ, ità Epiſcopi de eius mente pares ſunt Pontifici in ea adminiſtranda? Vaticinatur, non ſeriò ſcribit.

Sed linquamùs tantiſper Bellarminum, Apoſtoli tanta auctoritate fuerunt, vt eis licuerit libros canonicos ſcribere, noua dogmata Eccleſiæ proponere, diuerſorum populorum Eccleſias regere, &c.

Hæc ne igitur etiam cenſet eſſe Epiſcoporum propria? malè itaque inter Epiſcopos, & Apoſtolos eſt ab eo inſtituta comparatio, cùm certum ſit in ſolo regimine priuatatum Eccleſiarum Epiſcopos in Apoſtolorum locum ſuccedere: ſed quia hæc in alium locum reijcit, vberiùs hìc non ſunt explicanda.

Spalat. Num.23. Bellarm. de Rom. Pont. lib 1.c.12. Rursùs ſibi conſentientem inducit Cardinalem Bellarminum Spalatenſis, quòd nimirùm interpretatus locum Cypriani ſuperiùs diſcuſſum dixerit [Apoſtolos in Apoſtolica dignitate fuiſſe pares, & habuiſſe in populos Chriſtianos eandem auctoritatem, ſed non fuiſſe pares inter ſe. Hæc, inquir, mihi viderur manifeſta contradictio.] Nam addit Spalatenſis [vel comparantur inter ſe ratione Apoſtolatus, ſicut in ratione Apoſtolatus conſiderantur in ordine ad populos Chriſtianos, vel aliqua alia ratione, non alia, neque enim affertur, neque ſi afferatur, erit ad rem, vt quod verbi gratia vnus ſenior ſit, alter iunior, vnus promptior, alter tardior, vnus nobilior, alter vilior, hæc enim, & innumerabiles ſimiles priuatæ conditiones non faciunt, vt verè, & propriè vnus alteri ſubdatur. Relinquirur itaque, vt etiam inter ſe ratione Apoſtolatus conferantur. Si igitur ratione Apoſtolatus comparati ad populos, omnes prorsùs ſunt in poteſtate æquales, cur eidem Apoſtolatui ſingulorum nil addendo, nihil detrahendo, etiamne inter ſe non erunt pares? Fateor equidem me hìc nullam varietatem percipere.] Enm fortaſsè de mente deiecit exilij tædium, & ſpretæ iniuria formæ [Non percipere ſe vllum in his diſcrimen] air. Ar Bellarminus non vno loco eum docuit, Apoſtolos poſſe inter ſe conferri, non iam quod attiner ad munia Apoſtolatus, quæ illis ſunt communia, ſed quod attinet ad poteſtatem ſeruandæ Eccleſiaſticæ vnitatis, ac depellendi Schiſmatis, quam in Petro iure optimo excellentiori quodammodo eſſulſiſſe aſſerit, nixus his verbis: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam mram.* Item; *Paſce oues meas, Paſce agnos mros;* adeòque conſerendos eos cenſet, non ſolùm in Apoſtolatu, non ſolùm in ætatibus, non ſolùm in nobilitate, quæ aduerſarij leuiſſimę ſunt coniecturæ, ſed in ipſo regiminis officio, in quo cùm Petrus capitis rationem ſortitus ſit, non verò Apoſtoli; impares omninò hac in parte fuiſſe, eſt ſolis luce clariùs ab eo demonſtratum. Hoc ſcilicer, & ipſe docuit Echius, cuius teſtimonio abutitur aduerſarius. Hoc voluerunt ſancti Patres Cyprianus, & Hieronymus, quorum mentem ſuprà ſumus interpretati. At ſtupenti ſimilis rursùs ait, *Hoc mirabile eſt, vt poteſtas ſit eadem, & nihilominùs alia ſit poteſtas Apoſtolatus, alia regiminis communis paſtoralis, qui poteſt hæc diſtinguere, diſtinguat.* Atqui diſtinxiſſe Hieronymum rectè aduertiſſet, ſi non Leberide cæcior fuiſſet: *Dicis, ſupra Petrum fundatur Eccleſia* (reſpondet ille Iouiniano) *licèt idipſum in alio loco ſuper omnes Apoſtolos fiat, & cuncti claues regni cælorum accipiant, & ex æquo ſuper eos Eccleſiæ fortitudo ſolidetur* (ecce parem Apoſtolatus dignitatem) *tamen prepterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite conſtituto* (en tibi caput regiminis) *Schiſmatis tollatur occaſio.* Hæc cum Hieronymo, & vidiſſet, & diſtinxiſſet, *ſi mens læna non fuiſſet.* Pares enim primùm facit Apoſtolos in his, quæ ad Apoſtolatus dignitatem pertineant, ac poſita illa æqualitate, caput tamen inducit Petrum, cui ſumma poteſtas demandata ſit, non alio fine, quàm vt ſartam, rectamque à Schiſmate ſeruaret Eccleſiam, quod citrà vberioris auctoritatis opem fieri non potuiſſe, rectè ille aduertit, atque nomine capitis explicauit,

Ibidem Num. 25. Echius l. 1. de prim cap 24. Ibidem ad finem numeri. Hier. lib. 1. cont. Iouin.

Illam verò aduerſarij ſtupiditatem miror, quæ eum non paſſa ſit animo præcipere, inter pares potuiſſe vnum deligi, qui poſteà reliquis præficeretur. Certè antequam vnus aliquis de numero Cardinalium Pontifex renuncietur, ſunt ei reliqui Cardinales dignitate pares; ſed poſtquam omnium electione eſt in ſolium Petri euectus, auctoritate iam ei pares non ſunt, ſed omnes faſces ſubmittunt, ac capitis loco habent, & venerantur.

Hoc ille factum cogitet in Apoſtolorum collegio; Erant pari præditi honoris, & poteſtatis conſortio, ſed quod ex vſu Eccleſiæ eſſet aliquem deligi, cuius auctoritate vnitas Eccleſiæ aduersùs Schiſmata firmaretur, Petrus fidei Petra inconcuſſa, à Chriſto Caput omnium dictus eſt, & renunciatus. Itaque parilitas poteſtatis in Apoſtolatus munere, haud quaquam parilitatem in modo, & forma regiminis inducit. Leo Magnus, quem tamen ſolùm ex antiquis huius diſcriminis propugnatorem imperitè, & valdè ignoranter facit, magna facundia iſta explicat; *Inter Beatiſſimos Apoſtolos,* inquit, *in ſimilitudine*

Leo ep 58. ad finem.

dine honoris fuit quædam diſcretio poteſtatis, & cùm omnium par eſſet electio, vni tamen datum eſt, vt cæteris præemineret; Aduerſarius tamen in inuidiam trahit, & ambitus inſimulat, *Quidni*, inquit Leo Romanus Epiſcopus, *in propriæ dignitatis, & ſedis auctoritatem animum inclinet, vbi liberum videatur optari? Propterea, inquit, omnium Romanorum Pontificum, in hoc genere dicta, ſuſpecta poſſunt haberi.*

Spalat. Num. 24. Cypr. lib. 4. ep. 9. Athan. orat. cont. ar.

Addit Spalatenſis teſtimonia Patrum, *qui reis in propria cauſa teſtificandi ius ademerunt.* Itaque pro reis habet ſummos illos Pontifices. Iracundè ſatis, & id quidem valdè intemperantèr. Tanta ne igitur impudentia fuerunt homines ſanctiſſimi, vt, vniuerſo orbi illudentes, teſtimonium pro ſuę ſedis amplificandis honoribus dixerint aduerſùs Chriſtum, & aduerſùs Apoſtolos, & per verba legis, legem impugnarint? Certè, quod attinet ad Leonem, contumelioſè eum vexat Spalatenſis, quem, adhibita ratione, pij Cæſares innocentem hac in parte pronunciarunt. Sic enim illi in cauſa Leonis. *Cùm ſedis Apoſtolicæ primatum ſancti Petri meritum, qui princeps eſt Epiſcopalis coronæ*, inquiunt Sacerrimi Imperatores Theodoſius, & Valentinianus, *& Romanę dignitas ciuitatis, ſacræ etiam Synodi firmarit authoritas, ne quid præter authoritatem ſedis iſtius illicitum præſumptio obtemperare nitatur. Tunc enim demùm Eccleſiarum pax vbique ſeruabitur, ſi rectorem ſuum agnoſcat vniuerſitas.* Hoc tam præclarum, & quo auguſtius nullum eſſe poſſit teſtimonium, is ne, qui beneficio Regum vitam trahat, reijcere auſit? Non paraſitantur, credo, Leoni, magni Imperatores, qui præterquam quòd ipſi eam *diſcretionem poteſtatis* inter Epiſcopos, & Pontificem, quam propugnat Leo, inducunt, præterea *meritum Petri*, hoc eſt, dignitatem à Chriſto ob confeſſionis meritum Petro collatam ſublimioris illius poteſtatis fontem faciunt, & cauſam. Non ergo nimio ſtudio augendi Pontificum honores, ac ſuæ poteſtatis extollendæ, ſed pio quodam, ac ſincero veritatis affectu, hæc dixiſſe Leonem, æquum eſt, eum credere, nec repugnare, niſi & in Pontificem, & in Imperatores velit eſſe contumelioſus. Tamen mitis laniſta, cùm factum bonum non probet, ad Leonem, & pios Pontifices excuſandos, addit *zelum quendam ſincerioris fidei, quo arderent, & vrerentur in cauſa fuiſſe, vt Cathedram ſuam magnificè laudarent, quo nimirùm*, inquit, *ſincera tam fide, addita ſedis authoritate, tot vndique pullulantes hæreſes poſſent faciliùs comprimere.* Itaque inuolabant in patrimonium aliorum Epiſcoporum, ſuas res collegarum diſpendio augebant, Pomœrium vrbis cum orbis iniuria proferebant, vt his artibus religionis gloriam promouerent, vbi ergo illud Apoſtoli, *Non ſunt facienda mala, vt eueniant bona?* Et ſanè hæc aduerſarij in eos pietas valdè impia eſt, & crudelis: tamen ſibi etiam de Leone blanditur, *nec eum ſibi aduerſari exiſtimat.*

Theodoſij A. legum Nouell. tit. 24.

Ad finem num. 23.

Rom. 3.

Spalat. Num. 25. Leo ep. 88. ad finem.

Scilicèt illum non mouent illa verba, [Cùm omnium eſſet par electio, vni tamen datum eſt, vt cæteris præemineret,] ſed aliò refert, quàm ad legitimum Petri Primatum. Bono igitur animo ſit, vnà enim cum Leone ab eo ſtat orbis terrarum. Iſta eius lenitas, & inſolentia, qua tamquam manu iniecta ſibi nullo iudicio magnum illud Patrum agmen vindicat, an ſanis ſit ſenſibus dubitare facit. Tantorum Patrum fultus præſidio, nauci non facit huius æui lumina Bellarminum, Caietanum, Baronium, potiſſimùm verò Baronium, quo nihil ſanctiùs, aut doctiùs noſtra vidit ætas, homo propudioſus, ac præ ſummo viro non ſolùm in reliquis diſciplinis, ſed etiam in ſcientiarum regina Theologia planè infans, ita peſſundat, vt ſuo iudicio in *Theologorum albo poni non poſſit!* Itaque veluti per contemptum profert, quæ ſunt ab eo pro Primatu Petri aſſerendo diſputata.

Spalat. Num. 26. Baronius to. 1. an. 34. num. 202.

Sed quàm rudis, quàm impolitus, quàm barbarus eſt in homine diſertiſſimo vexando? Vidiſti, puto, lector, inquit, Baronium feruidiſſimum Monarchiæ pugilem diſtinguere in Petro aliqua communia, & alia peculiaria; ex quibus, & ſaluat æqualitatem Petri cum Apoſtolis à Scripturis, & Patribus aſſeueratam, & Petri primatum tuetur. Eius ego, addit, verba non grauabor aſſerre, quæ ſic habent. Sicut enim, quæ cæteris Apoſtolis æquè, ac Petro contulit, & communia omnibus eſſe voluit, euidentèr expreſſit, nimirùm cùm dixit de his, quæ ad ſacrificium pertinent, Hoc facite in meam commemorationem, & quæ ad verbi prædicationem, quæque ad baptiſmum, Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos, Quæque inſuper ad remiſſionem peccatorum ſpectarent, Quæcumque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata, & in cœlis, & quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta, & in cœlo; vel cùm dixit, Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt; ſiue cùm aperuit illis ſenſum, vt intelligerent Scripturas: Ita etiam, quæ peculiaria voluit eſſe Petri, apertè ſignificauit: ſiue cùm dixit, Tu vocaberis Cephas; vel cùm ait, Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. Aut cùm ſubdit, Et tibi dabo claues regni cœlorum. Ac denique cum eodem perficiens, atque implens, ait, Paſce agnos meos, Paſce oues meas. Ex his igitur videas Dominum noſtrum, certò quodam diſcrimine adhibito, quæ communia eſſent omnibus Apoſtolis, & quæ Petro tantummodò contuliſſet, egregiè diſtinxiſſe, vt non mireris ſi eadem adhibita diſtinctione Patres dixerint, aliquandò omnes Apoſtolos pari fuiſſe præditos poteſtate; aliquando verò Petrum cæterorum caput, & Principem. Hæc Baronius.] Quid igitur Mirmillo Illiricianus de magno athleta ſtatuit? [Certè, inquit, in Theologicis parùm, aut propemodùm nihil mihi ſatisfacit; Neque enim hæc tanti momenti erant adeò ieiunè attingenda, ſed fuſiùs ſingula ex Scripturis, & Patribus probanda, & ab oppoſitionibus vindicanda inueniſſet, proculdubiò illa eadem, quæ ipſe peculiaria Petri aſſerit fuiſſe, ad mentem multorum Sanctorum Patrum, nihil ſeciùs cum omnibus Apoſtolis communia, quod ego in ſequentibus apertiſſimè oſtendam.] Sed primùm iniquiorem ſe prebet illuſtriſſimo Cardinali. Potuitne igitur vir ſummus in elaborandis prolixiſſimis Annalibus, & temporum, ac rerum longa ſerie ducenda, ac hiſtoria Eccleſiaſtica tota texenda occupatiſſimus, hæc Theologica non leui,

Luc. 22. Matth. 28. Matth. 18. Ioan. 20. Luc. 24. Ioan. 1. Matth. 16. Ioan. 21.

aut ſuſpenſa manu, ſed quaſi ex profeſſo rem agens vberiùs pertractaſſe? Demùm verò nec aliquid profert, quod Baronium lædat.

Spalat. Num.27. Aug. in Pſ. 108. Vrget Auguſtinum, illius diſtinctionem totam labefactare, [Dicto illo, inquit, prorſùs mirabili, dum ait. Sicut enim quædam dicuntur, quæ ad Apoſtolum Petrum propriè pertinere videantur, nec tamen habent illuſtrem intellectum, niſi cùm referuntur ad Eccleſiam, cuius ille agnoſcitur in figura geſtaſſe perſonam propter Primatum, quem in Diſcipulis habuit, ſicuti eſt, Tibi dabo claues regni cœlorum, & ſi qua eiuſmodi.] Atqui eſt ſuperiùs à nobis demonſtratum, nihil illuſtriùs potuiſſe vnquam dici pro Petri Primatu firmando. Profectò, quid per *illuſtrem intellectum* ſibi voluerit Auguſtinus, non videtur aſſecutus. Putat enim de fulgore dignitatis cogitaſſe eum, cùm illuſtrem intellectum ſe perſequi ſignificaret. *Quid*, inquit, *eſt illuſtriùs, quàm Petrum eſſe ſucceſſorem, & ſolùm verum, & proprium Chriſti Vicarium in terris, cum abſoluta in totam Eccleſiam Monarchia?* *At tamen*, inquit, *ab hoc ſenſu cauendum monet Auguſtinus*. Atqui hoc eſt vaticinari. Per illuſtrem enim intellectum, quem à Petro non remouere, ſed explicare voluerit, *ſenſum myſticum*, intellexit Auguſtinus, cum prætermiſſo literali, qui obſcurior videretur, & multò illuſtriorem, & nobiliorem, addo, & faciliorem, eliciendum, & excutiendum duxiſſet. Itaque Auguſtinus non negat *propriè Petro collatas claues*, ſed addit cogitandum, cùm verba, *Tibi dabo claues regni cœlorum*, & ſimilia, ad illum dicerentur, perſonam ſuſtinuiſſe Eccleſiæ, cuius ei procurationem ex voto demandaſſet Chriſtus. Fundamentum autem huius illuſtrioris intellectus facit *Primatum, quem in Diſcipulis habuit*, quia ſcilicèt, vt ſuprà dicebamus, Principes, Magiſtratus, Patresfamiliæ, adeòque Epiſcopi regnorum, ciuitatum, familiarum, atque diœceſium perſonam ſuſtinent, & quæ diuinitùs conſequuntur, ſubditorum bono, & commodo conſequuntur; quippè qui ad eorum vſus ſe, omniaque ſua referre teneantur. Quare cùm Petrus, & *Primatum in diſcipulis* habuerit, & in vſus Eccleſiæ claues acceperit, ad poſteros quoque tranſmiſerit, eius dicitur perſonam ſuſtinuiſſe in figura, & eius nomine claues accepiſſe. Hìc eſt ille illuſtrior ſenſus, quem rimatur Auguſtinus, tantùm abeſt, vt de expugnanda Monarchia, quam animo præcepiſſent Pontifices Romani, cogitarit. Interim tamen Spalat. [hoc vnum tanti Patris dictum, quod nequidem intellexit, ſolum ſufficientiſſimum eſſe ad omnem monarchiæ ſubſtructionem facilè demoliendam, & omninò exſufflandam, pronuntiat: Additque ſe eo vſurum ſæpiſſimè in ſequentibus, tamquam ſtella polari inter nauigandum.] Itaque vt cum de hoc præſidio deijciamus, lubet locum diligentiore trutina examinare, ac quàm pro Catholicis faciat oſtendere. Quid igitur per *illuſtrem intellectum* ſibi voluerit Auguſtinus, eſt nobis vberiùs tractandum.

Spalat. Num.28. Hoc enim, quia non aſſequitur Spalatenſis, toto hoc loco ariolatur. [Videbat, inquit, id ſapientiſſimus Auguſtinus, Pontifices Romanos ſibi nimiùm applaudere, & ex peculiaribus hiſce datis, & pollicitis Petro poſse illos aliquam ſuæ amplitudinis anſam arripere, & fortaſsè præuidebat etiam hinc tandem in apertam, ſed indebitam, Eccleſiæ Monarchiam erupturos, antidotum ſingulare voluit apponere, & Eccleſiam totam monere, ne vllo vmquam tempore Petri Primatum verum admitteret, illud præſtando, nihil illuſtre debere intelligi in perſona Petri: quicquid ei dicatur, aut promittatur à Chriſto, niſi referatur ad totam Eccleſiam: Quod nos meliùs alijs locis adhuc declarabimus. Quid verò illuſtrius, quàm Petrum eſſe ſucceſſorem, & ſolum verum, & proprium Chriſti Vicarium in terris, cum abſoluta in totam Eccleſiam Monarchia? Et tamen ab hoc ſenſu cauendum eſſe docet Auguſtinus. Quod vnicum tanti Patris dictum ſolum ſufficientiſſimum eſt, ad omnem Monarchiæ ſubſtructionem facilè demoliendam, & omninò exſufflandam; quo nobis ſæpiſſimè in ſequentibus, tamquam ſtella polari inter nauigandum, erit vtendum. Sed non video quid ſit deſipere, niſi hoc deſipere eſt. Per *illuſtrem* enim *intellectum* Aug. in Pſ. 108. *ſenſum myſticum* omninò intelligit, qui tamen literalem, vt vocant, & proprium non euertat, Propoſitum ſiquidem illi fuit explicare, quo ſenſu in Iudam conuenirent, quæ Pſalmo illo, quem enarrandam ſumpſiſſet, dicerentur; Quòd autem videret plura eſſe, quæ minùs in proditorem iuxtà literæ ſeriem quadrarent, *ad ſenſum quendam altiorem*, vt ille vocat, confugiendum ſibi duxit. Hoc ipſe innuit, *Si*, inquit, *de illo vno homine omnia, quæ hìc in malo dicta ſunt, intelligere conemur, expoſitionis ratio non omnimodo, aut vix valebit occurrere*. Senſus autem ille altior, quem ſibi perſequendum duxit, *non ſuperficie hiſtoriæ*, vt ipſe loquitur, *ſed altitudine Prophetiæ*: is eſt, quem ipſe inſinuat, quo nimirùm ingratis Iudæis, quorum Iudas perſonam ſuſtinuerit, verba prophetiæ tribuuntur. Hoc rurſus docet Auguſtinus, *Sic enim*, inquit, *quædam dicuntur, quæ ad Apoſtolum Petrum propriè pertinere videantur, nec tamen habent illuſtrem intellectum, niſi cùm referuntur ad Eccleſiam, cuius ille agnoſcitur in figura geſtaſſe perſonam, propter Primatum, quem in Diſcipulis habuit, ſicuti eſt, Tibi dabo claues regni cœlorum, & ſi qua huiuſmodi: ita Iudas perſonam quodammodò ſuſtinet inimicorum Chriſti Iudæorum, qui & tunc oderant Chriſtum, & nunc per ſucceſſionem, perſeuerante genere ipſius impietatis, oderunt. De quibus hominibus, & de quo populo poſſunt non inconuenientèr intelligi, non ſolùm ea, quæ apertiùs de ipſis in hoc Pſalmo legimus, verùm etiam illa, quæ propriè de ipſo Iuda dicuntur expreſſiùs*. Itaque vt ſibi conſtet diuinus vir, reſque ipſæ omninò cohæreant, quemadmodùm, quæ de ipſo Iuda propriè dicuntur, ita illuſtri ſuo ſenſu ad totum illum ingratum Iudæorum populum referri debere cenſet, Vt tamen hiſtoriam ſartam, tectamque eſſe velit, & in Iuda verè adimpleta ea omnia exiſtimet: Ita cùm in altero ſimilitudinis membro iuxtà eundem illuſtrem intellectum ad Eccleſiam refert, quæ Petro propriè dicta videantur: proculdubiò hiſtoricum, & literalem ſenſum non eleuat, nec deſtruit; ſed eo poſito, altiorem quendam, & diuiniorem venatur. Igitur verus, & proprius hiſtoricus, & literalis ſenſus eorum ver-

borum, is eſt, qui ipſi perſonæ Petri datas claues aſſumit, ſed illuſtris intellectus, hoc eſt myſticus, & allegoricus is eſt, qui iſta ad Eccleſiam refert, & reuocat, haud tamen ſecluſa perſona Petri. Sicut illuſtris intellectus prophetiæ Dauidis, quam enarrandam ſuſceperat Auguſtinus, is eſt, qui ad ingratum populum Iudæorum, cuius perſonam ſuſtinuiſſe agnoſcitur Iudas, illum refert, quamquam ad literam de Iuda, tamquam de diro hoſte Chriſti omninò vaticinatum Prophetam non ambigitur: quandoquidem quod ipſe Auguſtinus obſeruauit in ſortitione, & ſuffe-
Act. 1. ctione Matthiæ in locum Iudæ, verba huius prophetiæ, *Epiſcopatum eius accipiat alter*, à Petro in Iudam ſine vſurpata. Videndum igitur, qua ratione dictum ſit ab Auguſtino, illuſtrem habere intellectum, quæ propriè ad Petrum pertinere videantur, cùm ad Eccleſiam referuntur. Sententia eſt Philoſophorum, res omnes, fine ſibi præſtituto, illuſtrari, ac nobilitari, vt illuſtriores, & nobiliores habeantur, quibus ſit illuſtrior, & nobilior finis propoſitus. Hæc explicatione non indigent. Itaque cùm Auguſtinus in rebus optimis, ac maximè illuſtribus poneret procurationem Eccleſiæ, pro qua ſanguinem fuderit Dei filius, eò quoque retulit prærogatiuas Petri, atque declaratione tanti, tamque præſtantis finis eius, dignitatem illuſtrauit. Fundamentum autem huius illuſtrioris, quem vocat, intellectus, vt dicebamus, facit *Primatum, quem in Diſcipulis habuit*, quia ſcilicèt Principes, Magiſtratus, Patresfamilias, adeòque Epiſcopi, regnorum, ciuitatum, familiarum, atque Diœceſeon perſonam ſuſtinent, & quæ diuinitùs conſequuntur, ſubditorum bono, & commodo conſequuntur; quippè qui ad eorum vſus ſe, omniaque ſua referant. Quare cùm Petrus, & *Primatum in Diſcipulis habuerit*, & in vſus Eccleſiæ claues acceperit, eius *perſonam ſuſtinuiſſe in figura* dicitur, & eius nomine *claues* accepiſſe, cùm etiam ad ſucceſſores ſuos toto decurſu ſæculorum in Eccleſia regnaturos, eam poteſtatem transfuderit, & tranſmiſerit. Deſinat ergo vaticinari aduerſarius, atque inter nauigandum Auguſtini hac veluti Cynoſura vtatur, *Petrus Apoſtolus propter Apoſtolatus ſui primatum, totius Eccleſiæ gerebat figurata generalitate perſonam. Si propter Primatum*, ergo falſum, falſiſſimum, quod atiolabatur, Auguſtinum totam Eccleſiam monere voluiſſe, *ne vllo vmquam tempore Petri Primatum verum admitteret*. Quæ autem inſerit, aut interijcit de primatu ætatis, & vocationis, adeò ſunt futilia, vt confutatione non indigeant; ſunt tamen etiam alio loco à nobis excutienda, & refellenda.


Spalat. Iam paſſis velis inuehitur in Caietanum
Num. 29. ſubtiliùs philoſophantem de eo ordine, quem
30. 31. 32. ſeruarit Chriſtus in inſtituendis Apoſtolis, [Petrum, vt ait ille, præueniendo, à quo tamen via ordinaria eſſent poteſtatem accepturi, niſi ex ſpeciali gratia anteuertiſſet Chriſtus Petrum, atque per ſe omnibus Apoſtolis traditam ſibi à Patre poteſtatem communicaſſet; ſed quia nos alium callem inſiſtimus, & hæc Scholis agitanda, ac diſſerenda reliquimus, non eſt, quòd in tuendo Caietano operam ponamus. Hoc tamen virum illum doctiſſimum veriſſimè, nedum ſubtiliſſimè dixiſſe aſſeueramus, [nihil præiudicare, aut officere dignitati Petri, quòd ab eo non ſine Apoſtolij inſtituti, aut in terrarum orbem miſſi, quòd à Chriſto extrà ordinem hæc fieri oportuerit,] vt ſcilicèt primi Eccleſiarum fundatores non ab homine, ſed à Deo inſtituti, in Domino (quod ſæpiſſimè facit Paulus) gloriari poſſent, atque adeò maiorem de ſe opinionem apud populos excitare. Cæterùm hæc durare non debuerunt, ſed mortuis Apoſtolis, defecerunt, & ad vnum ſpectabile caput Pontificem, eſt ex inſtitutione Chriſti res reuocata. Hoc ſibi voluit Bellarminus, quem
rurſùs exagitat Spalatenſis, cùm doceret [po- Num. 33.
teſtatem ſummam in Petro fuiſſe cum ſucceſſione, in alijs verò Apoſtolis fuiſſe item ſummam, ſed ſine ſucceſſione.] At inſtat Spalatenſis, etiam hoc diſcrimine admiſſo, pares omninò manere Apoſtolos: [Nam, inquit, dum reipſa Apoſtoli noſcuntur in poteſtate Petro æquales, certè ſubditi eidem eſſe non poſſunt, quicquid ſit de iſta ſucceſſione. Sine enim, ait, duo fratres in locupleri hæreditate æquales, quorum alter prolem habeat, & ſucceſſionem, alter minimè; Profectò erunt adhuc inter ſe in eadem hęreditate pares, neque propterea, qui prolem non habeat, neque ſperat, ſit alteri ſubditus illam habenti.] Atqui ſemper eodem relabitur Spalatenſis, ex eò enim, quòd pares in Apoſtolatu concedimus, Apoſtolos omninò pares eſſe contendit, nec aduertit ſubeſſe diſcrimen inter Petrum, & reliquos ex alio Capite, nempè ex inſtitutione regiminis, cuius ſummam penès Petrum eſſe voluerit poteſtatem Chriſtus. Dico igitur ad ſubiectum exemplum, prolem nihil facere ad dignitatem vtriuſuis fratrum, niſi ex alio capite illam nactus ſit alter, ſed ſi ea lege pater filijs hæreditatem ex ęquo partitus fuiſſet, vt verbi gratia, minor ætate Primogenito ſubeſſet, eique ſummam rerum gerendarum permitteret, proculdubiò hæc ſucceſſioni lex, & conditio impoſita primogenitum ſuperiorem facere. Atqui Petro, vt poſteà ſumus probaturi, eamquam primogenito inter Apoſtolos dictum eſt; *Paſce oues meas*, in quarum numero certè ſunt Apoſtoli. Ampliorem igitur collegis ſuis ſortitus eſt honorem, & excellentiorem conſecutus eſt poteſtatem. Fruſtrà eſt itaque Spalatenſis in illa ſua æqualitate Apoſtolatus propugnanda, quippè, qua poſita nihil dignitati Petri detrahatur, cùm ex alio Capite Collegis ſuis antecelluiſſe eum, ſit ſat, ſuperque probatum, nimirùm ex auctoritate regiminis, cuius eum Principem voluerit eſſe Chriſtus ad ſchiſmata arcenda.

Perſtat tamen in ſententia obſtinatiſſi- Spalat.
mus aduerſarius, & poſtremo huius Capitis Num. 34.
argumento aſſumit, quod omnium ſęculorum teſtimonió reuincitur, ac falſum eſſe oſtenditur, nimirùm [per plura prima ſæcula Chriſti Eccleſiam formam Apoſtolicam regiminis ſeruantem, conſtanterque retinentem, numquam ne vmbram quidem Monarchiæ admiſiſſe, ſed omnium Epiſcoporum potiſſimùm iudicio, & ſanè inter ſe parium conſilio peracto fuiſſe.] Sed quia hoc gratis dicit, & nulla auctoritate probat, ac tantùm [in ſequentibus libris de ijs acturum ſe] quaſi minatur, hoc loco in eo refellendo non immorabimur, aliàs hanc cauſam contrà eum acturi:

mo-

monuerim tamen, tam à veritate alienum eſſe, quod ille dicit de ignorata monarchici regiminis forma in Eccleſia, vt nullo ſæculo, nulla ætate, nullo loco licuerit Epiſcopis, *parà tin gnomin tu Epiſcopu Romis tas Eccliſias canonizin*, *abſque ſententia Epiſcopi Romani decreta Eccleſiis ſancire*. Hæc ſanè, vel vmbram habuerint Monarchiæ. Certè Auguſtini ſententia eſt, *In Eccleſia Romana ſemper viguiſſe Cathedræ Apoſtolicæ Principatum*. Nimirùm *Cathedra vna eſt Romæ Petro collata*, vt pluribus aduersùs Parmenianum diſputat Optatus; Ac propterea Tertullianus etiam totus hæreticus volens nolens, Pontificem Romanum, Petri ſucceſſorem, *Epiſcopum Epiſcoporum* deprædicat. Annon iſta meram Monarchiam (ſpiritalem intelligo) ſpirant? Ad calcem capitis fatetur ſe non parùm turbatum illo dicto Gregorij, *Certè Petrus Apoſtolus primum membrum ſanctæ, & vniuerſalis Eccleſiæ eſt, Paulus, Andreas, Ioannes; quid aliud, quàm ſingularium ſunt plebium capita?* Liberum eſt illi, ſi modò veritati dare manus velit, cum magno Pontifice tranſigere.

Soc. lib. 2. cap. 8.
Aug. epiſt. 162.
Optat. lib. 2.
Tertull. de Pudicit.
Greg. epiſt. 38. lib. 4. indict. 13.



DISCVSSIO
QVARTI CAPITIS
LIBRI PRIMI.
DE CHRISTI VICARIO.
CONSPECTVS CAPITIS.

Titulum Vicarÿ Chriſti eminentiori quadam præ reliquis Apoſtolis ratione in Petrum conuenire: Improbè Spiritum ſanctũ Vcarium cenſeri Chriſti: Refelluntur rationes Spalatenſis: Error Tertulliani exploſus: Auguſtini locus explicatus: Item alius Ambroſÿ: Equidem, & reliquos Apoſtolos Chriſti fuiſſe Vicarios, ſed haud pari cum Petro dignitate, aut auctoritate.

Spalat. Num. 1. MOnarchici nostri Romani, Petrum ſolum à Chriſto Domino in terris Vicarium relictum, & toti Eccleſiæ vicaria plena poteſtate præfectum fuiſſe, conſtanter aſſeuerant. Sed æqualitas, quam in præcedenti Capite probauimus, & perfecta paritas inter Petrum, & alios Apoſtolos, officium hoc Vicarij Chriſti in ſolo Petro non benè collocari, ſatis manifeſtat. Meliùs adhuc in ſequentibus oſtendemus nullum eſſe in Euangelio, aut ſacris Scripturis locum, in quo Petro ſoli vniuerſalis hęc vicaria cura Eccleſię demandatur, ſed eam ęquè omnes in omnes Apoſtolos tranſijſſe. Nunc videamus hoc tantùm, an ſoli Petro in Eccleſia, Apoſtolorum tempore, conuenerit Chriſti Vicarij officium, & nomen; & quid in hoc ſenſerit vetus Eccleſia. Ideò paucis hoc caput abſoluemus; quandoquidem de commiſſione Vicariatus, præſertim per claues, & paſturam, alijs ſit capitibus huius libri, nimirùm 6. 7. & 8. fuſiùs agendum.

QVanquam viſibilem, & ſpectabilem Eccleſiæ Monarchiam, quę Petri Primatu niteretur, non ſolùm labefactaſſe ſe, ſed funditùs ſuſtuliſſe prioribus capitibus ſit gloriatus Spalatenſis, ſerram tamen per eandem lineam reciprocat, ac immodicum, & (Num. 1.) importunum ſe prębet in eodem hoc argumento verſando. Quemadmodùm igitur omninò pares ſuperiori capite fecit Apoſtolos, etiam iſto, haud magis in Petrum, quàm in reliquos Vicarij Chriſti titulum quadrare contendit, aut vt veriùs dicam, tum Petrum, tum Collegas ſummo illo honore ſpoliat, ac tanto munere nudat. (Spalat. Num. 2.) [In primis,] inquit, [ſi de vero, & proprio Vicario loquamur, qui perfectiſſimè Chriſti vices poſt eius in Cœlum aſcenſum, plenè geſſerit, geratque in terris, & geſturus ſit vſque ad conſummationem ſeculi, quis dubitat eſſe Spiritum ſanctum Paracletum? Hunc enim non Petrum, non hominem aliquem ſingularem, ſe miſſurum ſui loco ſpopondit dicens, Expedit vobis, vt ego vadam: ſi enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos; ſi autem abiero, mittam eum ad vos. Et non relinquam vos (Ioan. 16.) orphanos; Paracletus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos (Ioan. 14.) docebit omnia, &c. Ideò Tertullianus commemorans varios fidei noſtrę articulos, vnum dicit eſſe, credere Ieſum Chriſtum in Cœlos (Tertull. de præſcript.) ereptum, ſedere ad dextram Patris, miſiſſeque vicariam vim Spiritus ſancti. Et poſteà; Age nunc, inquit, omnes errauerint, deceptus ſit, & Apoſtolus de teſtimonio reddendo quibuſdam. Nullam reſpexit Spiritus ſanctus, vtì eam in veritate duceret, ad hoc miſſus à Chriſto, ad hoc poſtulatus de Patre, vt eſſet Doctor veritatis, neglexerit officium Dei villicus, Chriſti Vicarius, ſinens Eccleſias aliter interim intelligere, aliter credere, quàm quod ipſe per Apoſtolos prędicabat. Et alibi: Cùm propterea, inquit, Paracletum miſerit Dominus, vt quoniam humana mediocritas omnia ſimel capere non poterat, paulatim dirigeretur, & ordinaretur, & ad per- (Idem de Virg. Veland.) fectum perduceretur ab Vicario Domini Spiritu ſancto.] Atqui ſunt hęc viro Theologo prorsùs indigna; meritòque Theologiæ Principes noſtri Pariſienſes de impio illo aduerſa-

Cenſura Acad. Pariſienſ.

rij dogmate ità cenſuerunt. [Hæc propoſitio eſt erronea, & periculoſa, atque hæreſim Macedonij expreſsè redolens in verbo Vicarij propriè ſumpti.] Vicarius enim apud Iuriſconſultos, Oratores, & Poetas, vſurpatur pro ſeruo ſerui maioris in familia vices gerente; vndè eſt illud Martialis.

Eſſe ſat eſt ſeruum, Vicarium eſſe nolo.

Cenſura Pariſienſ. ad.c.4.lib.1. num.2.

Itaque ſi vicariam operam Chriſto impenderit Spiritus ſanctus, proculdubiò eo eſt longè inferior, vt eſt ſemper Vicarius Domino, quem Ordinarium illi vocant. Rectè igitur eam opinionem, quæ vicarium eum faceret, ad errorem Macedonij accederet, noſtri Pariſienſes pronunciarunt; ſiquidem Macedonius elato vir ingenio, & turgido cum Semiarianiſmum eſſet antea profeſſus, parùm ducens aliena inuenta ſequi, niſi ſectę alicuius Principatum obtineret; nouam hæreſim exorſus in Spiritum ſanctum furere auſus eſt, eumque contendebat nihil ad Patris, ac filij diuinitatem, & gloriam pertinere. Coierunt igitur Conſtantinopoli centum quinquaginta Patres, quibus, damnato Macedonio, ſtudium fuit Spiritui ſancto ſuam aſſerere gloriam, & diuinitatem.

Greg. Naz. orat. in præſentia 150. Epiſc. Conſtantinopol. habita.

Quare Patre, aut filio nihilo inferiorem iuxtà Scripturas pronunciauere, nimirùm, [vna his tribus natura eſt Deus,] vt eis coràm diſſeruit Nazianzenus. Extincto igitur Macedonio, non erat, quòd eius cineres excitaret Spalatenſis, quod tamen facit Spiritui ſancto imprudenter ſatis Chriſti Vicario, contrà Orthodoxorum ſententiam conſtituto. Rationes à Scriptura, & Theologia petitas, quibus eum oppugnauerit, ac impium dogma funditùs euerterit doctiſſimus Becanus, lubens omitto, quod cuique in promptu ſit eum conſulere. Sed lubet expendere, quæ firmandæ ſuę ſententię aggerit aduerſarius. Vrget primùm illud, [Paracletus Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia,] ac voluiſſe videtur his verbis, [in nomine meo,] ſignificatum, [ſuppoſitum Spiritum ſanctum Vicarium Chriſto.] Et quidem non ęgrè admiſerim ad hoc miſſum Spiritum ſanctum, vt interno afflatu, quę à Chriſto dicta eſſent, inſtillaret clariùs in animos diſcipulorum; ſed Vicarium egiſſe, propterea non dixerim, quòd in illuſtrandis Apoſtolorum mentibus parem cum eo operam, & Pater, & Filius impenderint. Sunt enim, ſi benè meminit aduerſarius, [opera Trinitatis ad extrà indiuiſa, & indiſcriminata;] ſecùs etiam ipſe filius Vicarij Patris titulo inſigniendus foret, quòd nimirùm ipſe dixit, [Ego veni in nomine Patris,] quod tamen cum impudenti Caluino excidiſſet, durum, & impium pronunciatum conati ſunt mollire Caluiniani, vtque magiſtrum excuſarent [de humanitate, non de diuinitate loquutum Caluinum, perſuadere nobis voluerunt, quòd ſcilicet nomine Vicarij gloriam diuinitatis inſtingi diffiteri non poſſent.

Ioan 14. 26.

Idem igitur aduerſarius de Spiritu ſancto in animum inducere non grauetur, quem tamen nos ipſi miſſum in nomine Chriſti agnoſcimus, tum quòd augendæ gloriæ nominis Chriſti ſtuduerit; iuxta illud, [*Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis*, tum etiam quòd ob meritum Chriſti, eam Prouinciam vltrò ſubierit, vt doctiores interpretes aduertunt. Et certè mirum eſt in magno illo numero interpretum nemini veniſſe in mentem huius Epitheti, Vicarij Chriſti, in quo triumphos ſuos ponit aduerſarius. At Tertullianum profert, non optimum ſanè hac parte interpretem. *Is*, ait Spalatenſis, *inter fidei noſtræ articulos recenſet miſiſſe Chriſtum, vim vicariam Spiritus ſancti*, *Et poſteà*: *Neglexerit officium Spiritus ſanctus*, *Dei villicus*, *Chriſti Vicarius*, *ſinceos aliter intelligere*, *&c.* Atqui meminiſſe eum oportuit, primùm duriùs de Trinitate loquutum Tertullianum, quòd Hæreticorum partibus nimiùm addictus, pluribus probat Rhenanus, vt mirum non ſit homini Afro quædam excidiſſe, quæ excuſatione opus habeant, quale eſt illud Vicario affine, ac germanum, [de villico.] quo nomine etiam inſigniuit Spiritum ſanctum: [Villicus] enim propriè, teſte Hieronymo, [villæ gubernator eſt,] nomine ſcilicet Domini. Demùm non debuit aduerſarium prætеriiſſe illud Hilarij de Tertulliano, [Conſequens error detraxit ſcriptis probabilibus auctoritatem.]

Ioan. 16.

Rhenan. admonit. ad lecto. de quibuſdam dogmatibus Tertul. Hieron. ad Alga. Hilarius.

Potiſſimùm verò cauendus eſt in ijs, quæ ad Spiritum ſanctum pertinent, cùm abreptus in Montani errorem, de Paracleto ea docuerit, quæ ſint prorsùs à Catholica ſententia aliena: Quare illum hæreticis relinquit ſanctus Pacianus, [Tertullianus, inquit, poſt hæreſim veſter eſt.] Miror itaque Spalatenſem etiam de hoc fonte hauſiſſe illud, quod poſtremò vrget ex libro de velandis virginibus, [Cùm propterea Paracletum miſerit Dominus, vt quoniam humana mediocritas omnia ſimel capere non poterat, paulatim dirigeretur, & ordinaretur, & ad perfectum perduceretur diſciplina ab Vicario Domini Spiritu ſancto.] Planè enim montanizat eò loci Tertullianus. Hoc cùm per ſe videre non poſſet, homo parùm in his verſatus erat, quod doctiſſimum interpretem Pamelium conſuleret, qui errantem in viam reduxiſſet. Sic enim ad illa verba, [Cùm propterea Paracletum miſerit Dominus, &c. Pertinent hæc, inquit, & ſequentia ad finem huius capitis vſque ad hæreſim Tertulliani, ac Montaniſtarum, qui Montanum Paracletum faciebant.] Vides itaque vt ſtudio oppugnandi Catholicos, in caſtra tranſierit veterum hæreticorum, Spalatenſis.

Pac. lib. de Pœnitent. Tertul. li. de velandis virg. cap. 1. montanizat.

Pamel. ann. 6. ad lib. de velandis virginib.

Auguſtinum iam teſtem ſubornat; ſed ipſe, ſiue, [Quicunque ille auctor eſt, cuius teſtimonio abutitur, contrà illum vocem mittit; hæc enim illius ſunt verba de miſſione Spiritus ſancti, [vt ſecuri eſſent Apoſtoli, quia poſt Aſcenſionem Domini, non minorem, aut degenerem ad tuitionem habituri eſſent Paſtorem, aut Regem, &c.] Si enim Chriſto non minorem Paſtorem, aut Regem erant habituri, cùm Vicarius minor ſit, & inferior Domino, proculdubiò Spiritus ſanctus nihilo Chriſto inferior, eius Vicarius dici non poteſt. Sed te pie Lector, ſiſto, attende hominis impudentiam: Prolato in medium hoc teſtimonio, in nos non ſine ſtomacho inuehitur; [Sed, inquit, noſtri monarchici volunt hunc Paſtorem, & Regem, ſeu

Auctor. qu. ver. & nou. teſt. q. 93.

Pro-

Proregem fuiſſe Petrum.] Ergone Antoni, idem tibi eſt Prorex; [ac non miror, nec degener Paſtor aut Rex?] Credo mentem tibi eripuit ſceleris recordatio. Nos igitur, magnum illum Paſtorem, nec Chriſto inferiorem ſuſcipimus Spiritum ſanctum, qui Eccleſiam excellentiſſimo quodam modo, ſed eo inuiſibili, & interno dirigat, doceat, & inſtituat. Petrum verò Chriſti Vicarium Ordinario, hoc eſt, domino ſuo longè inferiorem, qui ei in aſpectabili monarchia Eccleſię operam ſuam vicariam commiſerit. Quòd ſi tanti eſt apud Spalatenſem hic auctor, quotſùm ei Petrum caput Eccleſiæ prædicanti aurem non accommodat, & fidem non habet?

Auctor qu. [Sicut, inquit, in Saluatore erant omnes cauſæ magiſterij, ità, & poſt Saluatorem in Petro omnes continentur: ipſum enim conſtituit eſſe caput eorum, vt Paſtor eſſet gregis Dominici.] Et ibidem, [Manifeſtum eſt in Petro omnes contineri. Rogans enim pro Petro, pro omnibus rogaſſe dignoſcitur, ſemper enim in præpoſito populus, aut corripitur, aut laudatur.]

Spalat. Num. 3. Aug lib. 2. contr. 2. Gaud. Epiſt. cap. 12. At totos nos obruit prolixo ſincerioris Auguſtini teſtimonio. [Omittamus alia,] inquit Auguſtinus, [& nouiſſima verba eius in terris audiamus; vbi videamus, quam fidem de Eccleſia reliquit Apoſtolis, quale teſtamentum quodammodo fecerit; non vitam finiturus, ſed ſine fine victurus; non mittendus in ſepulchrum, ſed aſcenſurus in cœlum. Surgens enim à mortuis, poſteaquam apparuit diſcipulis ſuis, intuendus oculis, manibuſque tractandus, Oportebat, inquit, impleri, quæ ſcripta ſunt in lege, & Prophetis, & Pſalmis de me. Tunc aperuit illis ſenſum, vt intelligerent ſcripturas, & dixit eis: Quoniam ſic ſcriptum eſt, & ſic Oportebat pati Chriſtum, & reſurgere tertio die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Hieruſalem. Itemque in monte Oliueti; Poſtquam nihil vlteriùs in terris poſitus dixit, ſed quod maximè fuerat neceſſarium, hoc commendauit extremum, (nempè prædicationem in omnes gentes) multi quippè erant futuri per vniuerſas patres terræ vendicaturi ſibi nomen Eccleſiæ, & contrà vniuerſalem domum, quæ per vniuerſam terram cantat canticum nouum, de quo ſcriptum eſt, Cantate Domino canticum nouum, cantate Domino omnis terra; de ſuarum quiſque ruinarum angulis latraturi, aliud namque Apoſtoli audire cupiebant, & quod illis maximè fuerat neceſſarium, non quærebant; Dic nobis, inquiunt, ſi in tempore hoc præſentaberis, & quando reſtitues Regnum Iſrael? At ille, Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate, ſed accipietis virtutem ſuperuenientis Spiritus ſancti in vos, & eritis mihi teſtes in Hieruſalem, & in totam Iudæam, & Samariam, & vſque ad terminos terræ. His dictis, nubes ſuſcepit eum, nihil vlteriùs verbis addidit. Hoc tantò tenaciùs, quantò poſteriùs audientium mentibus fixit. Hanc ſponſam ſuis amicis ſponſus abiens commendauit. Hanc ergo de ſancta Eccleſia diſcipulis dereliquit. Huic fidei Donatiſtæ reſiſtitis, vt pro fide, quam Dominus Chriſtus reliquit, Apoſtolis vos perſecutionem ferre contenditis, huic hominis filio, qui Eccleſiam ſuam incipientem ab Hieruſalem, & per omnes gentes fructificantem, atque creſcentem tanta diligentia commendauit, mira cœcitatis impudentia contradicitis, &c.] Hæc Auguſtinus.

(Margin notes: Luc. 24. — Act. 1. — Pſal 95. — Act. 1.)

Spalat. Num. 4. Ex quo iſta colligit aduerſarius. [In confirmationem noſtrorum dictorum in primis apparet, inquit, quodnam præcipuum munus, quod officium Chriſtus Apoſtolis ſuis commiſerit, nempè prædicationem Euangelij, & teſtificationem vitæ, doctrinæ, & Reſurrectionis eius in totum mundum, ab Hieruſalem incipiendo. Apparet ſecundò interprete, & teſte Auguſtino, omnes Apoſtolos, & ſingulos curam accepiſſe totius mundi indifferenter abſque vlla limitatione, aut coarctatione poteſtatis, aut iuriſdictionis, & non Petrum ſolum. Habemus tertiò, Eccleſiam Chriſti ſponſam ęquè Apoſtolis omnibus, tamquam amicis, & Vicarijs à Chriſto in ſuo diſceſſu commendatam; & non magis vni, quàm alijs. Conſtat quartò, Petro nihil ampliùs præ cæteris Chriſtum auctoritatis contuliſſe; ſiquidem in hoc diſceſſu, quando eis regimen Eccleſiæ commendauit, nihil peculiare Petro dixit; nihil alios de Petri vicariatu monuit, ſed æquè omnes ſuos vicarios inſtituit. Patet deniquè Auguſtinum in Petro nullum Primatum auctoritatiuum agnouiſſe; imò ne ſuſpicatum quidem fuiſſe. Nam hoc tam opportuno loco, in quo de teſtamento Chriſti loquebatur, non ſiluiſſet, ſi quid peculiare, & tam inſigne, quàm erat vicariatus Chriſti abſolutus, Petro relictum cenſuiſſet.] Sed haud bona fide nobiſcum agit, & peſſimè Patres interpretatur, fatemur præcipuum munus Apoſtolorum fuiſſe [prædicationem Euangelij,] quæ ferè omnia complectatur munia Apoſtolica. Aſſentimur hoc munere fuiſſe pares omnes Apoſtolos, ſed addimus, regimen Eccleſiæ haud ſola prædicatione verbi conſtare, atque iuriſdictione etiam opus habuiſſe, quæ arcendis, & depellendis ſchiſmatibus par eſſet. Hanc in Petro ſummam fuiſſe prædicamus. Quid vrget? [Auguſtinus, inquit, fidem facit, Eccleſiam Chriſti ſponſam æquè Apoſtolis omnibus, tamquam amicis, & Vicarijs à Chriſto commendatam, &c.

Quouſque tandem perget abuti patientia noſtra, aut potiùs ſanctiſſima auctoritate veterum Patrum? Aſſerit quidem Auguſtinus, Chriſtum ſponſum Eccleſiæ in limine ſui in cœlum reditus, ſponſam ſuam amicis Apoſtolis commendaſſe, nihilque vlteriùs addidiſſe, (ſcilicet erat ab eo de reliquis antea prouiſum, & quod attinet ad hunc locum, Vicarium ſuum inſtituerat Petrum, illis verbis, *Paſce oues meas.*) Poſtquam dixiſſet hæc verba, [Eritis mihi teſtes in Hieruſalem, & in totam Iudæam, & Samariam, & vſque ad terminos terræ.] Sed nuſquam Auguſtinus aſſerit ęquè, hoc eſt, pari poteſtate omnibus eam commendaſſe: quod toties falſarius, & deprauator Patrum in ſuas cartas inducit. Allegatos autem, in totius mundi oras cum plenitudine poteſtatis, ac iuriſdictionis, quis negat? Sed fuit extraordinaria, & initijs Eccleſiæ accommodata poteſtas, in alios mi-

nimè

nimè trsnsfundenda; ac propterea vniùs capiris auctoritate nitebatur, quod Apoſtoli retinendæ vnitacis cauſa à Chriſto ſibi impoſitum agnoſcerent, vt alijs locis probamus. Agnouiſſe autem Auguſtinum Primatum Petri non poteſtate nudatum, ſed ſumma auctoritate inſtructum, eſt iam à nobis oſtenſum, atque vberiùs eſt poſteà demonſtrandum.

Ad cap. 5. Spalat. Num 5. Ambroſ. in Pſal. 38. 2. Cor. 3. Hebr 7.

Sed nondùm eſt ineptiarum finis. [Ambroſius] inquit [non aliter ſentit, dum Apoſtolos omnes æquè, & non ſolum Petrum Chriſtum in terris repræſentaſſe affirmat, & ex hoc illas Chriſti imagines vocac. Aſcende ergo, inquit, homo in cœlum, & videbis illa, quorum vmbra hic erat, & imsgo. Videbis non ex parte, non in ænigmate, ſed in conſumatione, non in velamine, ſed in luce; videbis verum illum, & æternum, atque perpetuum ſacerdotem; cuius hic imagines videbas Petrum, Paulum, Ioannem, Iacobum, Matthæum, Thomam.] Tollat ſuum illud æquè, & ſincerum nobis exhibeat Ambroſium, à partibus noſtris ſtat Magnus Antiſtes.

Sed an ſanus eſt, aut ſobrius ſcribit, qui ex eò quòd *imagines Chriſti* omnes Apoſtolos vocarit Ambroſius, collegerit eos ex æquo eum reptæſentaſſe? Ergo Chriſti, qui omni imagine ſit maior, multiformes ille non putar extrare poſſe imagines? Eſt mi Antoni multiformis earum ſpecies, & in numeroſa illa multitudine vnam altera præſtantiùs, ac rxpreſſiùs Chriſtum referre poſſe, nullus niſi Thamiris negauerit. Fuerint itaque omnes Apoſtoli *imagines Chriſti*, nihil tamen prohibuerit Petrum excellentiorem quandam eius ſpeciem, cùm in terris ageret, oculis obieciſſe.

Itaque, vt ad rem veniamus, & Spalatenſi ſatisfaciamus. Fatemur etiam Vicarios fuiſſe reliquos Apoſtolos, ſed Petro pares in eo munere fuiſſe negamus.

Spalat. Num. 5.

Priùs aſſeruerunt omnes Patres ab eo teſtes adducti: Poſteriùs ne quidem per ſomnium cogitarunt, Et quidem cùm rurſùm Ambroſium, quamqnam non ſit auctor Commentariorum in Epiſtolas Pauli, qui eius nomine præferuntur, inducit differentem [Apoſtolos fuiſſe Chriſti Vicarios, quod nos fatemur, eum, vera præſidia deficiunt. Neque enim, vel ſyllabam, vel apicem profert, ex quo ſuum illud æquè coagmentari poſſit. Certè ipſe auctor Commentariorum Ambroſio adſcriptorum ad cap. 12. Andrea fratre ſepoſito, Petro Primatum vindicat. *Prior*, inqnit, *ſecutus eſt Andreas Saluatorem, quàm Petrus, & tamen Primatum non accepit Andreas, ſed Petrus*. Idem auctor Pontificem Romanum ſucceſſorem Petri, Rectorem facit vniuerſæ Eccleſiæ. [Cùm totus mundus] inquit [Dei ſit Eccleſia, tamen eius domus dicitur, cuius hodiè Rector eſt Damaſus.] Verus Ambroſins lumen infert doctrinæ Catholicorum; ad illa enim verba, *Petre amas me*, ſic commentatur, *Dominus*, inquit, *non dubitabat, qui interrogabat, non vt diſceret, ſed vt doceret, quem, eleuandus in cælum, amoris ſui nobis velut Vicarium relinquebat*. Ac poſt pauca de Petro, *quia ſolus profitetur ex omnibus, omnibus antefertur*. Quoquo igitur modo hic locus intelligatur, apparet Apoſtolos, quibus omnibus antefertur Petrus, non eſſe ex æquo cum Petro *Vicarios* Chriſti. Perſequitur adnerſarius.

1. Ad Cor. In 1. ad Timoth. cap 3. Ambroſius lib. 10. Commen. 10 c. 24 Euang Luc.

Spalat. Num 6. 2. Cor. 5. Epheſ. 6.

[Et ſanè Paulus Apoſtolus de ſe, & alijs Apoſtolis loqnens: ſibi, & illis, Legati nomen, & officium tribuit; Pro Chriſto ergo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos. Et, Pro quo (Euangelio) fungor in catena. Quis verò ignorat legacum ſuum principalem repræſentare; ab eo immediatè mitti, & vices ipſius, vbi ille abeſt, ſupplere? Sed audi Chryſoſtomum hoc vicariſtus in legatione munus in Apoſtolis explicantem: Vidiſti, inquit, quomodo officium ſuum affert (Psulus) induens Chriſtum, qui legationem hanc iniunxit, imò non Chriſtum ſolùm, ſed & Patrem? Quod enim dicit, hunc ſenſum habet. Miſit filium Pater exhortari, & legstione fungi apud humanum genus pro ſe: quoniam autem ille occiſus abijt, nos legationem ſuſcepimus; & pro illo, & Patre exhortamur vos. Intantum honorat humanum genus, quòd & filium impendit, quamuis ſciret occidendum, & Apoſtolos nos propter vos fecit, & ità meritò dicebat, omnia propter vos: Igitur pro Chriſto legatione fungimur, hoc eſt, illius loco; nam nos, quæ illius officij ſunt ſuſcepimus. Quid plùs de Petro dici poſſet, ſecundùm monarchicos? Nonne, & Paulus dicit, & Chryſoſtomus egregiè interpretatur, Apoſtolis omnibus Chriſti in terris vices fuiſſe commiſſas.] Verba dat nobis, & ſine mente ſonos. Paulum profert aſſerentem, omnes Apoſtolos [legatione functos pro Chriſto] & Chryſoſtomum inducit hanc rationem afferentem, quòd ſcilicet [ſuſceperint, quæ eſſent officij Chriſti.]

Chryſoſt. hom. 11. in Epiſt. 2. ad Cor.

Quid tum? Ergone omnium legatorum eſt par poteſtas? Chryſoſtomus dicit Chriſtum à Patre miſſum, vt legatione fungeretur, ipſe itaque etiam in numero legatorum. An verò propterea ei pares Apoſtolos fecerit, quòd fuerint quoque, & ipſi legatione functi? Neminem fugit legatorum non vnam eſſe rationem, cùm enim liberum ſit Principi eorum munia definire, ac circumſcribere pro ratione, tum perſonarum, tùm negotiorum, aut amplificat, aut contrahit dignitatem, & gloriam Legati. Itaque alius quidem maiore poteſtate, alius minori præditus legatione fungitur.

Ac id quoque videre fuit in Apoſtolis, cùm enim omnes Chriſtus in mundum legatos miſerit, quò ſcilicet verendum Chriſti numen, & nomen portarent coram gentibus, Regibus, & Principibus, Petrum eximia quadam honoris amplificatione ornauit dignitate capitis, qua reliquos non impertiuit, etſi ipſi cum magna dignitatis, & poteſtatis amplitudine Legati eſſent renunciati, ac in orbem terrarum dimiſſi. Habemus igitur Spiritum ſanctum propriè non eſſe Vicarium Chriſti, quippè qui ſit ei, atque Patri omninò æqualis, Petrum longè inferioris dignitatis, quàm fuerit Chriſtus Deus, & homo, primum, ac potiſſimùm eius eſſe in terris Vicarium; quippè, cui vni dictum ſit, *Paſce oues meas, Paſce agnos meos*. Poſtremò omnes Apoſtolos dici quoque poſſe Vicarios Io 20.

Chri-

Digitized by Google

Chriſti, quòd ſcilicet vicariam operam ei impenderint in prædicatione Euangelij, teſtificatione Reſurrectionis, & reliquis officijs, quæ proximè, & intrinſecè ad Apoſtolatum pertinerent, quò tamen non pertinet dignitas capitis, quæ potiùs ad vnitatis Eccleſiaſticæ conſeruationem ſpectat, ne quid eam turbent ſchiſmata, quibus arcendis, & depellendis ſit accommodata.

Neque verò hìc confugimus ad ſubtiliorem illam Caietani diſtinctionem, quam inſectatur Spalatenſis. Eſto enim, vt benè monet ſanctus Thomas, [auctoritas omnibus Apoſtolis data fuerit] vt ille loquitur [executiua, auctoritas verò ſoli Petro data præceptiua] Nihilominùs tamen Apoſtolos Chriſti fuiſſe Vicarios, haud ægrè fatemur: ſolummodò id diſcriminis intercedere contendimus, quod eſt in Euangelio à Chriſto declaratum, quodque in eo poſitum ſit, quòd præter communem Apoſtolatus dignitatem, ſit Petrus præ cæteris ea auctoritate inſtructus, qua obuiam iretur ſchiſmati, & vnitas Eccleſiaſtica, ab eo vno incipiens, ſarta, tectaque ſeruaretur. Reliqua ſuo loco explicabuntur.

DISCVSSIO
QVINTI CAPITIS
LIBRI PRIMI.
DE VERO PRIMATV PETRI.

CONSPECTVS CAPITIS.

Spalatenſis in explicando Primatu Petri fraudes: Quo ſenſu Petrus, & Paulus, Principes Apoſtolorum dicti: Petrus princeps ratione ſummæ poteſtatis, Paulus intuitu reconditioris doctrinæ: Malè Spalatenſis exiſtimat Primatum Petri anteuertiſſe omnem promiſſionem Chriſti: Locus Matthæi 10. explicatus: Inæqualitatem inter Apoſtolos admittit Spalatenſis: Eius de Primatu ætatis, vocationem, & charitatis, nugæ, ordine exploſæ.

PEtrum titulo principis Apoſtolorum inſigniri, vel antiquiſſima Eccleſiaſtica ſcripta teſtantur. Dionyſius Areopagita, vbi agit de Epiſcoporum conſecratione, Matthiæ exemplum electionis contemplans, ait: Atque etiam ipſe diſcipulorum facilè princeps (loquitur de Petro) cum decem condiſcipulis paribus, & Pontificibus, cùm ad ſupplendum, perficiendumque condiſcipulorum duodecim numerum, in Pontifico honore veniſſet, Deo electionem timidè, religioſèque permiſit Euſebius, Sub ipſo Claudij imperio, benigna, & propitia Dei totius vniuerſitatis Rectoris erga humanum genus prouidentia, fortem, ac præpotentem, & reliquorum Apoſtolorum omnium propter virtutis amplitudinem, facilè principem Petrum, Romam verſùs ad eiuſmodi peſtiferam vitæ humanæ corruptelam (Simonis Magi) delendam, quaſi manu deduxit. Optatus Mileuitanus, ait; Igitur negare non potes (compellat Parmenianum) ſcire te in Vrbe Roma Petro primo Cathedram Epiſcopalem eſſe collatam, in qua ſederit omnium Apoſtolorum caput Petrus. Item; Potuit vtique caput Apoſtolorum ita ſe gubernare, vt nihil incurreret, quod doleret. Origenes ſummum verticem Apoſtolorum Petrum vocat. Cyrillus Hieroſolymitanus: Nemo, inquit, deſperet de ſua ſalute: Petrus princeps Apoſtolorum excellentiſſimus, coràm ancilla ter negauit Dominum; ſed ad ſe reuerſus fleuit amarè: Item, Omnibus autem tacentibus ſuprà vires enim humanas hæc erat doctrina, Petrus princeps Apoſtolorum, & ſupremus Eccleſiæ præco, non commiuiſcens ſibi, neque ratione humana perſuaſus, ſed à Deo Patre in mente illuminatus, dicit ad ipſum, Tu es Chriſtus &c. Item, In eadem Spiritus ſancti virtute, & princeps Apoſtolorum, & regni cœlorum Clauiger Petrus paralyticum Æuæam curauit. Gregorius Nyſſenus: Dominus, inquit, ait ad Principem Apoſtolorum, Tu es Petrus, &c. Hieronymus eundem Petrum, non ſemel titulo Principis Apoſtolorum decorat. Chryſoſtomus, & verticem, & præcipuum Apoſtolorum ſæpiùs vocat Petrum. Theodoretus; Antiochenſium, inquit, magna ciuitas. Magni illius Petri thronum obtinet, qui & beati Marci magiſter fuit, & Apoſtolorum chori primus, & princeps. Cyrillus Alexandrinus, ait; vt princeps, caputque cæterorum, primus exclamat; Tu es Chriſtus filij Dei viui &c. Septima Synodus generalis: Præcipit enim, inquit, & Petrus Apoſtolorum ſummus, paſcite, qui in vobis eſt, gregem, &c. Concilium Aquenſe, Per beatum Petrum, ait, Apoſtolorum principem in Occidentis partibus fundatam Eccleſiam, &c. de recentioribus nihil dico, qui iiſdem titulis principis, & capitis, verticis, primi, ſummi, &c. Petrum paſſim inſigniunt.

Spalat. Num. 1.
Dionyſius Areop. in lib. de Eccl. Hier.
Euſeb. lib. 2. hyſt. c. 13.
Opt. lib. 2. contr. Parmenian.
Idem lib. 7.
Orig. hom. 2 in diuerſ.
Cyril. Hier. Catech. 2.
Idem Cat. 11
Ibidem.
Nyſſ. in de. lectis teſtiv. et teſt.
Hier. de viris illuſt. in Petro, & lib 1. aduerſus Pelag.
Chryſoſt. hom. 55. & 85. in Matt. & lib. 2. de Sacerdot.
Theod. epiſt 86. apud Baron. tom. 5. ann. 439.
ann. 33.
Cyrill. in Io. lib. 12. c. 64. Concil. Aqu. lib. 1. c. 12.

Dionyſium Siciliæ profligatiſſimum, & perditiſſimum tyrannum, iam imitatur noſter Spalatenſis. Is Dionyſius cùm à Peloponneſo Claſſem appuliſſet in Siciliam, & in fanum veniſſet Iouis Olympij, aureum ei detraxit amiculum grandi pondere, quo Iouem ornarat ex manubijs Carthaginenſium tyrannus Gelo; atque in eo cauillatus eſt, [æſtate grauè eſſe aureum amiculum, hyeme frigidum] eique laneum pallium iniecit, cùm id eſſe aptum ad omne anni tempus diceret. Haud diſſimili arte, & fraude Spalatenſis, Petro ſummis illis ornamentis, quibus eum cohoneſtarat Chriſtus, detractis, hoc eſt, præcipua illa auctoritate, qua donatum eum docet Euangelium, & Patres confirmant, labefactata, ac funditùs ſublata, illum iam ornat prærogatiuis confictis, & ad hæreſim accommodatis. Scilicet homo acutus cùm ſubodoratus eſſet, ac benè, planèque percepiſſet ſe imponere orbi non poſſe, aut in Schola Chriſti eruditis perſuadere, Petrum, cuius tot enumerarentur in Euangelio dotes, non alio loco, nec alia dignitate vnquam fuiſſe, quàm reliquos Apoſtolos, nouos, & ſuo iudicio non incommodos honores commentus eſt, quibus, vitata infami ſacrilegij labe, ſimplicioribus, ac incautioribus fucum faceret. Itaque pro aureo amiculo laneum pallium Petro iniicit, & in re maximè ſacra, etiam cauillis ludit, contenditque Petro *non eximium illum iuriſdictionis, & auctoritatis primatum*, qui à Catholicis defenditur, ſed primatum *quendam vocationis*, *aut etiam amoris in Chriſtum feruentioris* eſſe illi concedendum, ac tribuendum. Hæc ſunt à nobis ordine refellenda.

Primùm igitur, quòd negare non poſſet Dionyſium, Euſebium, Optatum, Origenem, Cyrillum Hieroſolymitanum, Gregorium Nyſſenum, Hieronymum, Chryſoſtomum, Theodoretum, Cyrillum Alexandrinum, Concilium ſeptimum, Concilium Aquenſe, quorum ille non indiligenter locos collegit, Petro mirificos *principis*, *capitis*, *verticis*, atque *primi Apoſtolorum* titulos tribuiſſe, vt his, excogitato commento, ſe expediret, eas omnes prærogatiuas ad *ætatem prouexiorem*, *& vocationem*, deindè ad *eximias eius virtutes*, *charitatem*, potiſſimum, & *ardentiſſimum in Chriſtum amorem* reuocandas
Num. 7. 18. & 19. duxit. Atqui facilè probauerimus flexiſſe eum, ac aliò, quàm ipſi vellent detorſiſſe ſanctiſſimos Patres; ſed obiectiones vani hominis ſunt primùm à nobis refellendæ, & oppugnandæ.

Spalat. Num. 3. Hier. lib. I. Comment. in epiſt. ad Galat. in Pro.

Primùm igitur hìc obijcit aduerſarius verum Pauli primatum. [Hic ſanè titulus, inquit, principis Apoſtolorum, ſi Monarcham inter ipſos, & verum cum iuriſdictione primatem, ac ſuperiorem denotaret, ſoli Petro tantus honos non eſſet deferendus: Nam, & Paulum non rarò eodem titulo prænotatum obſeruamus. Hieronymus enim Petrum, & Paulum, ſimul principes Apoſtolorum vocat, ità & Moſes Barcephas Syrus lib. de Paradiſo cap. 11. Et Romani Pontifices etiam antiquiores in ſuis Decretalibus epiſtolis, ſæpè Petrum, & Paulum pariter principes vocant Apoſtolorum. Ità Nicolaus I. epiſt. 7. Ioannes VIII. epiſt. 45. 75. 77. & alij dicunt ſe auctoritate principum Apoſtolorum Petri, & Pauli aliquid agere. Qua ratione igitur princeps inter Apoſtolos Paulus fuit, eadem, & Petrus. Sed certè Paulus princeps non fuit dominio, neque iuriſdictione, ſed quia abundantiùs omnibus laborauit.
Ità ob aliquam ſimilem perſonalem excellentiam, & Petrus principis Apoſtolorum titulo decoratur. 1. Cor. 5. Atque hæc ipſa coniunctio Pauli cum Petro, ſub eodem titulo principum Apoſtolorum apud modernos eſt peruia. Petro tamen, ſicuti frequentiſſimè tribuuntur tituli principis Apoſtolorum, primi, capitis, verticis, primatis &c. ità peculiares indagandæ ſunt rationes eiuſmodi titulorum.] Hæc leuiora ſunt, quàm, vt prolixa refutatione indigeant. Petrum, & Paulum principes Apoſtolorum vocarunt Hieronymus, Moſes Barcephas Syrus, Nicolaus I. Ioannes VIII. & alij; *In diuerſo genere*, fatemur, *in eodem*, negamus. Lib de Parad. cap. 11. epiſt. 7. ep. 45.75.77. Hoc diſcrimen, de quo plura aliàs, ipſi ſanctiſſimi Patres nos docuerunt. Maximum, qui Gennadio teſte, ante ferè mille ducentos annos Eccleſiam Taurinenſem, ſumma vir pietate, & doctrina rexit, ſat fuerit hic teſtem citaſſe.

Is igitur, cùm Chriſtianæ fidei, ac Eccleſiarum omnium principes nuncupaſſet, quo ſenſu accipiendum eſſet, ſtatim ſignificandum duxit. *Cùm*, inquit, *omnes beatiſſimi Apoſtoli parem gratiam apud Dominum ſanctitatis obtineant, neſcio, quo tamen pacto Petrus, & Paulus videntur præ cæteris peculiari quadam in Saluatore fidei virtute præcellere*, Hom. 1. & 2 in natal. Petr.&Pau. Hom. 3. *quòd quidem Petro* (attende diſcrimen) *ſicut bono diſpenſatori clauem regni cæleſtis dedit, Paulo tamquam idoneo doctori magiſterium Eccleſiaſticæ inſtitutionis iniunxit, ſcilicet, vt quos iſte erudierit ad ſalutem, ille ſuſcipiat ad quietem, vt quorum corda Paulus patefecerit doctrina verborum, eorum animabus Petrus aperiat regna cælorum. Clauem enim quodammodo à Chriſto ſcientiæ, & Paulus accepit. Ambo igitur claues à Domino acceperunt, ſcilicet ſcientiæ iſte, ille potentiæ, diuitias immortalitatis ille diſpenſat, ſcientiæ theſauros iſte largitur.*

Qua ratione Leo Magnus cùm vtrumque ſummis laudibus ornaſſet, tamen Cathedræ Petri tribuit, quòd ad tantum faſtigium aſſurrexiſſet Roma, & caput orbis Chriſtiani haberetur. *Iſti*, inquit, *ſunt qui te* (Romam alloquitur) *ad hanc gloriam prouexerunt, vt gens ſancta, populus electus, ciuitas Sacerdotalis, & regia poteſtas per ſacram B. Petri ſedem caput orbis effecta, latiùs præſideres religione diuina, quàm dominatione terrena*. Leo 1. ſerm. in nat. Ap. Petr.&Pau. Quare etiam Petrum abſoluta poteſtate Apoſtolici ordinis principem eò loci facit, *Beatiſſimus Petrus*, inquit, *princeps Apoſtolici ordinis ad arcem Romani deſtinatur imperij*. Itaque vides Petro ſuum conſtare primatum, etiamſi Paulus princeps, & ipſe Apoſtolorum dicatur. Eſt enim princeps Petrus *iuriſdictionis auctoritate*, eſt idem Paulus *merito doctrinæ*.

Quod attinet ad locum Hieronymi, ſi eum benè expendiſſet, aduertiſſet Spalatenſis, ex eodem loco haberi, nedum ſanctiſſimo Patri, aut reliquis ſolùm Chriſtiana fide imbutis de primatu Petri conſtitiſſe, verùm etiam hanc ipſam opinionem apud impios,

& ſce-

& ſceleratos, Idololatras, ac Apoſtatas obtinuiſſe: Namque Potphyrium Chriſtiani nominis hoſtem inducit, [Procacitatis notam Paulo inurere volentem, quod Petrum reprehendere] procul dubiò inferior ſuperiorem auſus eſſet. [Batancotes, & ſceletatus ille Porphyrius] inquit [Petrum à Paulo obiecit eſſe teprehenſum, volens, & illi (Petto) maculam etroris inurere, & huic (Paulo) procacitatis.] Addit autem in Commentario, pleroſque aſſeruiſſe Cepham, cui Paulus in faciem reſtiterit, Apoſtolum Petrum non fuiſſe,

Hieron. in proœm. in ep. ad Gal. Idem ad e. 2 epiſt.

ſed alium de ſeptuaginta diſcipulis iſto vocabulo nuncupatum, [Ne, inquit, locus daretur Porphyrio blaſphemanti, ſi aut Petrus erraſſe, aut Paulus procaciter Apoſtolorum principem confutaſſe crederetur.] Quamquam igitur hunc alterum Cepham non agnoſcat Hieronymus, tamen Petrum etiam cum Paulo redarguente collatum, de communi fidelium ſententia principem facit Apoſtolorum. Quòd autem Nicolaum I. & Ioannem VIII. indueit ſuæ ſententiæ auctores, id ſummæ ſtultitiæ deputandum omninò videtur. Qui enim eotum ſcripta etiam obſcitantiùs legerit, facilè aduerterit pro ſummo Primatu Petri totis vitibus, ac neruis eos contendiſſe. Hoc ſcilicet nomint à reliquis Eccleſiæ peſtibus ambitus, & malis artibus affectati honoris arceſſuntur.

Certè Nicolaus I. epiſtolis ſuis ad Michaelem Conſtantinopolitanum Imperatorem Photio fauentem, adeò accutatè iſta eſt perſecutus, vt Scenæ fabulas componere iure optimo videri poſſit Spalatenſis, qui de eius ſententia Petro auctoritate parem facere moliatur Paulum. Etſi enim [tamquam duo lumina magna cœli in Eeeleſia Romana conſtitutos] ambos prædicat [qui totum orbem ſplendore fulgoris ſui illuſtrarint] tamen cùm præeisè de auctoritate ampliſſima, & dignitate ſuæ Sedis illi ſermo eſt, ad Petrum

Epiſt. 1. ad Imper. Michaelem to. 3. Concil.

huius faſtigij principem confugit. *Principatum itaque diuinæ poteſtatis*, inquit, *quem omnium conditor electis ſuis Apoſtolis largitus eſt, ſuper ſolidam fidem Apoſtolorum principis (Petri videlicet) ſoliditatem conſtituens eius egre-*

Idem ep 8.

giam, imò primam ſedem deliberauit. Nam voce dominica ei dictum fuerat, Tu es Petrus &c. Ac rutsùs, *Non Nicana, non denique vlla Synodus, quidquam Romanæ contulit Eccleſiæ priuilegium, quæ in Petro nouerat, eum totius iura*

Epiſt. 7.

poteſtatis pleniter meruiſſe, & cunctorum Chriſtianorum regimen accepiſſe. Sic ea ipſa epiſt. 7. quam citat Spalatenſis, Ignatium ſanctiſſimũ Patriareham Conſtantinopolitanum vinculo excommunieationis ſoluens, quòd eum anathemate innodaſſent eius ſedis adulter Photius, ac teliqui ſchiſmatici Epiſcopi, id ſe primùm auctoritate Chriſti, demùm poteſtate, diuina voce in beatiſſimo Petro ſibi collata, facere præfatur, ac proteſtatur. Verba

Nicol. 1. epiſt 7.

eius ſunt [Fratrem, & conſacerdotem noſtrum Ignatium Patriarcham, omni vinculo anathematis ab eo remoto per poteſtatem diuina voce in beatiſſimo Petro collatam &c. priſtino honori, priſtinæ dignitati, & ſedi, priſtino gradui, & Patriarchio, ac priſtinis, & pontificalibus Infulis, atque offieijs reſtituimus, ſtatuimus, & confirmamus.] Ipſe etiam Ioannes VIII. qui mille locis Petrum, & Paulum principes Apoſtolorum nuncupat, cùm de Sedis Apoſtolicæ auctoritate preſſiùs agit, ſedem vocat Petri, qui à petta nomen ſit conſecutus, atque adeò ipſum Petrum, ſpecialem principem Apoſtolorum facit. Sic enim ad Epiſcopos Manaducenſem, & Equilenſem, qui Gradenſi Archiepiſcopo obſequium non exhibuiſſent.

Quàm ingrati, inquit, *& inhumani fueritis erga Reuerendum fratrem noſtrum Eccleſiæ Gradenſis Antiſtitem, in hoc maximè datur intelligi, in quo ille pro legibus paternis incolatum arripiens nullum veſtrum, comitem ſuæ peregrinationis habere promeruit: præſertim cùm ad limina ſit Apoſtolorum profectus, ſedemque adierit, vbi ſemper Catholicis ſubuenitur, & vbi plurimi Sanctorum iniuriam paſſi, Petram, à qua Petrus nomen ſortitus eſt, refugium inuenerunt.* Ep. 18. B Io. Pap. VIII.

Cœterùm valdè ſtolidum oportuit eſſe Spalatenſem, qui non aduerterit Eccleſiæ Romanæ Pontifices, hand minùs Pauli, quàm Petri ſempet ſtudioſos fuiſſe, quòd ſeilicet ad vtrumque quamquam diuerſa ratione ſuæ dignitatis otiginem referrent: Etſi enim Petrum ſummi, & ſanctiſſimi magiſtratus eaput, & veluti fontem agnoſcunt, iuſtam tamen ſibi eſse cauſam ornandi Pauli ſemper exiſtimarunt, quod ſocium ſe laborum, & in Eccleſia Romana fundanda Collegam Petro præbuiſset, atque non ſecùs, ac ille totum ſanguinem nouellæ illi, & eximiæ plantationi irrigandæ profudiſset. [Fœlix Eccleſia, inquit Tertullianus de præſcipt. cui totum ſanguinem cum doctrina profuderunt Beati Apoſtoli Petrus, & Paulus.] Et Tertulliano aliquantò antiquiot Iren. lib. 3. contr. hæreſ. cap. 3. [Quoniam valdè longum eſt in hoc tali volumine omnium Eccleſiarum enumerare ſucceſſiones, maximæ, & antiquiſſimæ, & omnibus cognitæ à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ, & conſtitutę, eam, quam habet ab Apoſtolis traditionem, & annunciatam hominibus fidem pet ſucceſſiones Epiſeoporum petuenientem vſque ad nos, indicantes, Confundimus omnes eos, qui quomodo, vel pet ſui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cęcitatem, & malam ſententiam, præterquam oportet, eolligunt.] Vides Matce Antoni fundatam à glorioſiſſimis Petro, & Paulo Romanam Eccleſiam: Qua ratione Pontifices Romani, cùm in vtrumque eorum ſuam referrent originem, illos diſiungendos non putarunt, ſed ferè ſimilibus honotibus coluerunt; Tamen hoc diſcrimine, quod Paulum principem doctrinæ facerent, Pettum verò caput ſupremæ poteſtatis, quippè, cui vni à Chriſto dictum ſit, *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, Et illud; *Paſce oues meas, Paſce agnos meos.* Sed nimiùm multa in re non dubia loquot.

Hoc igitur vnum dico, & Petrum, & Paulum *principes Apoſtolorum* meritò ſemper audijſse, *Petrum* quidem *propter primatus honorem*, quo excelluerit; Paulum verò tum *propter reconditiorem quandam ſapientiam*, qua à Deo ornatus fuerit, tum etiam propter *longè operoſiorem operam*, quam Eccleſijs, in quibus inſtituendis, *plùs ſe omnibus laboraſſe* non inaniter gloriatur in epiſtolis, viuens impenderit.

Digitized by Google

Hoc ſenſu Romanam Eccleſiam alloquens, ita de vtroque pronunciat ſanctiſſimus,& eloquentiſſimus Leo. *Iſti ſunt viri, per quos tibi Euangelium Chriſti Roma reſplenduit, & quæ eras magiſtra erroris, facta es diſcipula veritatis. Iſti ſunt Patres, tui veriquepaſtores, qui te regnis cœleſtibus inſerendã multò meliùs, multòque fœliciùs condiderunt, quàm illi, quorum ſtudio prima mœnium tuorum fundamenta locata ſunt; ex quibus is, qui tibi nomen dedit, fraterna te cæde fœdauit: Iſti ſunt, qui te ad hanc gloriam prouexerunt, vt gens ſancta, populus electus, ciuitas Sacerdotalis, & regia, per ſacram beati Petri Sedem caput orbis effecta, latiùs præſideres religione diuina, quàm dominatione terrena.* Vide, ni fallor, tamquam Patres, & Paſtores Romanæ Eccleſię laudatos Petrum, & Paulum à magno Pontifice, qui tamen ad Cathedræ Petri faſtigium ſuæ dignitatis originem conſtantiſſimè ſemper retulerit. His ergo duobus Apoſtolorum principibus, tamquam firmiſſimis columnis nixa Eccleſia Romana, vtrumque illorum laudibus in cœlum vehit, ſed Petro principatum iuriſdictionis aſſerit, Paulo verò primatum ſcientiæ aſcribit, vt in diſpari genere, citrà primatus Petri labefactionem, aut euerſionem, Apoſtolorum principes meritò cenſeantur. Atque illud eruditè notauit Becanus, magnam differentiam eſſe inter Petrum, & Paulum, primò, [quia Petrus duplici titulo vocatur princeps Apoſtolorum, tum propter eminentiam poteſtatis, ſeu præfecturæ, tum propter eminentiam laboris, & coniunctim cum Paulo vocatur princeps, at Paulus ſeorſim numquam.]

Leo ſerm. 1. in nat. Petr. & Paul.

Becan. p. 95.

Itaque, vt totam hanc diſputationem contrahamus, cùm Petrus ſeparatim princeps Apoſtolorum vocatur, nedum reliquorum, ſed etiam ipſius Pauli princeps ſignificatur, quòd haud ſecùs, quàm reliqui ſit in numero ouium, quas paſcendas ſuſceperit Petrus: Cùm autem ſimul Petrus, & Paulus princeps vocantur, ad labores ſuſceptos, ad operam ſuprà reliquos egregiè nauatam, ſe extendit oratio.

In inueſtigandis autẽ Petri prerogatiuis fœdè labitur Spalatenſis, quippè qui exiſtimarit primatum Petri anteuertiſſe omnem Chriſti promiſſionem, adeòque illa verba. [Tu es Petrus, Paſce oues meas, Facilè, inquit, oſtendo Petrum iam primatum aliquem inter Apoſtolos habuiſſe, antequam à Chriſto ipſi illa dicerentur. Matthæus enim priuſquam illa contigiſſent, recenſet nomina duodecim Apoſtolorum hoc pacto. Duodecim autem Apoſtolorum nomina ſunt hæc, primus Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas, frater eius, Iacobus, &c. In hoc autem (ait, vt & benè Turrecr. lib. 2. de Eccl. c. 5.) quòd primum Apoſtolorum Petrum nominat, & eum in capite Apoſtolorum ponit, manifeſtè ipſum habuiſſe primatum Apoſtolicæ dignitatis oſtendit. Nam & mihi certum videtur, eò loci poni ab Euangeliſta nomen, Primum, non quidem tantùm numeraliter ratione ordinis, ſecutus enim fuiſſet ſecundus, tertius, &c. quod non fecit, vt benè obſeruat idem Turrecr. ibid. & Sander. li. 6. de viſi mon. c. 4. ſignificaſſet enim eodem modo, tertium ſubdi ſecundo, quo ſecundus primo, & ſic de cæteris, quod non eſt verum; ſed primus dicitur inter omnes Petrus ratione alicuius dignitatis, & præeminentiæ, quam haberet inter diſcipulos ipſe ſolus, etiam antequam ei dictum fuiſſet: Tu es Petrus, & Tibi dabo claues.] Pugnantia dicit: Admittit enim primatum, quem vrgent Turrecremata, & Sanderus ex illis verbis, *primus Apoſtolorum Simon Petrus* haberi, atqui primatum huiuſmodi ſententia Cardinalis à Turrecremata, & Sanderi, non eſt conſecutus Petrus, niſi beneficio, & interuentu promiſſionis, aut etiam inſtitutionis Chriſti, quæ ordinem ab Euangeliſta poſitum ſit ſequuta; itaque fallitur maximè in eo, adeòque ineptè antè hunc recenſitum ordinem ponit initium primatus Petri. Et certè non ſolùm non obtinuiſſe faſtigium illud honoris, ac dignitatis Petrum initio ſuæ vocationis, ſed ne quidem ſtatim poſt illa verba, *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam,* eum fuiſſe conſequutum, tum illud ſuadet, quòd tamquam de re futura, nec confeſtim ad finem perducenda, ſit loquutus Chriſtus. tum quòd veteres Patres idipſum grauiſſimè doceant. Ita Hieron. cap. 16. verſans illum locum Matthæi, *Vade retrò me Sathana. Prudens Lector*, inquit, *inquirat, quomodo poſt tantam beatitudinem, Beatus es Simon Barjona. Et; Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſùs eam. Et tibi dabo claues regni cœlorum. Et quod ligaueris, vel ſolueris ſuper terram, erit ligatum, vel ſolutum in cœlo, nunc audiat, Vade retrò me Satana, ſcandalum mihi es? Aut quæ ſit tam repentina conuerſio, vt poſt tanta præmia Satanas appelletur? Sed ſi conſideret, qui hoc quærit, Petro illam benedictionem, & beatitudinem, ac poteſtatem, & ædificationem ſuper eum Eccleſiæ in futuro promiſſam.* (Videſne Marce Antoni tuam ſententiam à doctiſſimo viro iugulatam) *non in præſenti datam intelliget: Ædificabo, inquit, ſuper te Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſùs eam, & dabo tibi claues regni cęlorum: omnia de futuro. Quæ ſi ſtatim dediſſet ei, numquam in eo prauæ confeſſionis error inueniſſet locum.* Hæc lumen interpretationis non requirunt, ſed per ſe apertiſſimè oſtendunt, non ſolùm, non obtinuiſſe Petrum initio vocationis, ſed ne quidem ſtatim à confeſſione, quam edidit, vt loquitur Hieronymus, illam poteſtatem, de qua nobis ſit ſermo.

Spalat. Num. 3.

Matth. 16.

Matth. 10.

Matth. 16.

Obijcit Spalatenſis. *Non ergo rectè colligere Catholicos ex Matth. 10. cap. primatum Petri.* Reſpondeo rectè colligere. Eſt enim locus aptiſſimus ad eum probandum, quod cùm ſubodoratus eſſet Beza, neſcio, quid de falſaria manu commentus eſt. Sic enim ad illa verba, [primus Simon, qui dicitur Petrus. Quid, inquit, ſi hoc vocabulum (primus) ab aliquo additum eſt, qui primatum Petri vellet ſtabilire? nihil enim ſequitur, quod cohæreat.]

Beza ad illum locum.

Atqui Spalatenſis mirè inter ſe cohærere, ac quadrare vniuerſa prædicat, digladientur igitur inter ſe. Nos illud ſtatuimus ab Euangeliſta, non à falſario aliquo iniecta ea verba: Namque ipſe Beza reperiſſe ſe ita ſcriptum in omnibus exemplaribus, & Theophylacto Romano, quamquam ægrè, tamen fatetur.

Addimus, Euangeliſtam in recenſendis Apoſtol. nominibus *dignitatis ordinem* tenuiſſe, adeò-

adeòque non primatum aliquem *ordinis inter pares*, quemadmodùm ſomniauit Beza, ſed *gradus ſuprà inferiores*, quemadmodùm ſanctiſſimi Patres prædicant manifeſtiſſimè declaraſſe. Hoc autem, inquies, qui fieri potuerit, cùm nondum eſſet ad hoc dignitatis faſtigium euectus Petrus? Reſpondeo duabus rationibus, primùm, quia cùm hæc in chartas referret Matthæus, erat ille primatus omnibus ſuis muneribus inſtructus, atque iam plenè obtinuerat in Eccleſia, vt probabile ſit, Matthæum recenſuiſſe Apoſtolorum nomina, iuxtà ſeriem, & ordinem à Chriſto, antequam remeaſſet in cœlum, impoſitum.

Deindè, vt iſtud non fateamur, nemo negauerit eo ipſo tempore, in quod incidit celebrior illa vocatio Apoſtolorum, Petro iam promiſſionem factam fuiſſe immutationis nominis, vt anteà Simon diceretur, poſteà Petrus vocandus eſſet. Nam Ioannes refert in ipſo limine prioris vocationis Petri,
Ioan. 1. 42. Chriſtum intuitum in Petrum dixiſſe ei, *Tu es Simon filius Iona, Tu vocaberis Cephas, quod ſonat ſic, interpreteris Petrus*. Cùm igitur hæc de mutando nomine pollicitatio, velut quædam proluſio eſſet ad futurum Primatum Petri, quam iam animo concepiſſet, ac deſtinaſſet Chriſtus, meritò Euangeliſta primum inter Apoſtolos recenſuit, meritò etiam nos ex eodem loco argumentamur, fuiſſe Petrum inter Apoſtolos omninò primum, hoc eſt, non ſolius ordinis, ſed & dignitatis, & poteſtatis primatum conſecutum fuiſſe.

Spalat. Num. 4. Ambr. de Incarn. c. 4. Sed, vt primatum Petri, præclaram de Chriſto editam confeſſionem, anteuertiſſe probet, ad patres confugit. [Profitetur, inquit, hoc Ambroſius, cùm ait, vos autem, quem me eſſe dicitis? Statim loci non immemor ſui Petrus primatum egit, primatum confeſſionis vtique, non honoris; primatum fidei, non ordinis. Iam igitur Petrus, teſte Ambroſio, loci primatum gerebat, antequam diceret, Tu es Chriſtus, &c. & audiret, Tu es Petrus, &c. Quod adhuc clariùs cernitur in præcedentibus illis eiuſdem Ambroſ. eodem loco dictis: Denique ait, cùm interrogaſſet Dominus, quid homines de filio hominis exiſtimarent? cùm diceretur vulgi ſententia, Petrus tacebat: Taces ergo Simon? & reſpondentibus alijs, adhuc taces, cùm ipſe ſis primus?] Sed in Ambroſio prorſùs nil videt: ſiquidem ſummus vir in illo primatu confeſſionis, quem cum primatu honoris confert, non acquieſcit, ſed eò ad ampliſſimum, & auguſtiſſimum quemdam alium primatum, viam ſibi muniiſſe Petrum contendit. Sequitur enim, *Hic eſt ergo Petrus, qui reſpondit præ cæteris Apoſtolis, imò præ cæteris* (en priorem Primatum confeſſionis) *& ideò fundamentum dicitur*, en poſteriorem, & quidem illum, in quo cum Ambroſio acquieſcunt Orthodoxi, quique eſt confeſſionem Petri conſecutus.

Spalat. Num. 5. Aug. in Pſ. 108. Pergit Spalatenſis, [Agnouit hoc etiam Auguſtinus, quando dixit: Sicut enim quædam dicuntur, quæ ad Apoſtolum Petrum propriè pertinere videantur, nec tamen habent illuſtrem intellectum, niſi cum referuntur ad Eccleſiam, cuius ille agnoſcitur in figura geſtaſſe perſonam; propter primatum, quem in Diſcipulis habuit; ſicuti eſt: Tibi dabo
Aug. tract. 124 in Ioã. claues, &c. Et alibi. Hoc agit Eccleſia ſpe beata in hac vita ærumnoſa, cuius Eccleſiæ Petrus Apoſtolus, propter Apoſtolatus ſui primatum, gerebat figurata generalitate perſonam. Quod enim ad ipſum propriè pertinet, Natura vnus homo erat; gratia vnus Chriſtianus; abundantiore gratia vnus, idemque primus Apoſtolus: Sed quando ei dictum eſt, Tibi dabo claues, &c. vniuerſam ſignificabat Eccleſiam. Videſne, inquit Spalatenſis, ſecundùm Auguſtinum, propterea Petro datas eſſe claues, & ad illas accipiendas, tamquam figuram Eccleſiæ aſſumptum; quia iam habebat primatum inter Apoſtolos? Et obſerua eum dixiſſe, propter primatum, quem in Diſcipulis habuit, non (dixit) in Diſcipulos. Quomodò ergo in confeſſione, ſeu promiſſione clauium, de primatu dicetur tunc primùm inueſtitus, ſi propterea illi ſoli, & non alijs claues dantur, aut promittuntur, quia ipſe ſolus inter alios omnes Apoſtolos iam primatum obtinebat. Idem ſuprà vidimus in Cyrillo dicente; vt princeps, caputque cęterorum, primus exclamauit, Tu es Chriſtus, &c. Petrus itaque primus eſt, & princeps, & caput, etiam antè confeſſionem. Neceſſitate igitur compellimur primatum indagare Petri, qui ei competebat, antequam, aut Petra ædificandæ Eccleſiæ factus fuerit; aut claues acceperit; aut curam paſtoralem.] Sed rurſùs eximios Patres non intellexit. Quod attinet ad Auguſtinum, expendimus ſuprà teſtimonia, quibus denuò his abutitur aduerſarius. Oſtendimuſque, quo ſenſu Petrum *in Perſona Eccleſiæ* claues accepiſſe dixerit. Sed quæ ſunt huius loci propria, non ſunt à nobis prætereunda. Exiſtimat igitur, Auguſtinum cenſuiſſe, Petro datas eſſe claues, *Quia iam habebat primatum inter Apoſtolos*, & eòdem flectit locum Cyrilli. Sed immanitèr errat. Non enim tantorum Patrum mens eſt, vt vult aduerſarius, Petrum actu, quemadmodùm loquuntur in Scholis, primatum tunc iam nactum fuiſse, ſed ſola deſignatione, quæ tum temporis in mente reſideret Chriſti, nec niſi obſcurè ſe in animum inſinuaret collegarum. Quod verò vrget ſententia Auguſtini, Petrum *non in Diſcipulos*, ſed *in Diſcipulis* primatum habuiſse, friuolum eſt; ſiquidem *Primatum in diſcipulis*, non *in diſcipulos* habuiſse, ab Auguſtino dicitur, quòd quamquam authoritate, ac dignitate eis anteiret, longè tamen ab herili, & deſpotico dominatu abeſset, maximè verò præſente Chriſto, penès quem vnum ſumma imperij in diſcipulos eſset. Solent certè Patres, omnem principatum, & dominatum, qui in Eccleſia obtineat, modeſtiſſimis verbis efferre. Neque propterea vim eius, aut vigorem eneruant, ſed Pontifices ſui officij commonent; ne ſcilicèt Tyrannorum inſtar in ſubditos graſsentur. Hæc alibi à nobis vberiùs tractantur.

Videtur autem, neſcio, quis radius veritatis affulſiſse Spalatenſi, quandoquidem hoc Spalat. Num. 6.
numero *inæqualitatem inter Apoſtolos* admittit, vt iam nil nos mouere debeant argumenta ex pari conſortio honoris, & dignitatis deſumpta. [Certè, inquit, inæqualitas aliqua inter Apoſtolos, & maioritas quodammodo, & minoritas interdùm obſeruata reperitur!] Concidit itaque illa ab eo tantoperè prædicata omnimoda inter eos æqualitas!

tas! Sed ſententiam ſuam, imò noſtram fulcit ineluctabilibus argumentis. *Nam*, inquit, *& Paulus abundantiùs cæteris ſe laboraſſe pro Chriſto teſtatur: Et comparat ſe cum magnis Apoſtolis: magnus autem non eſt, niſi cum reſpectu ad paruum. Magnos fortaſsè intelligit vndecim reſpectu aliorum diſcipulorum ad Apoſtolatum vltrà illos duodecim aſſumptorum, aut magnos vocat Petrum, Iacobum, & Ioannem, qui videbantur columnæ eſſe, & de quibus aſſerit, quòd videbantur eſſe aliquid: quibus verbis certè innuitur aliqua differentia inter illos, inter quos maiores, & minores fuiſſe, planè fatetur idem Paulus, dum ait: Nihil enim minùs fui ab ijs, qui ſunt ſuprà modum Apoſtoli, tametſi nihil ſum.* Hæc veriſſimè ſunt à Spalatenſi dicta, ſed non diù perſeuerat in hac bonorum interuallorum luce, deijciunt eum de mente, ac conſilio, hæreſeon, quibus vrget, ſtimoli, ac ſcelerum recordatio. Itaque id efficere molitur, vt concidat ab eo iactata hæc inæqualitas. *De hac*, inquit, *quacumque inæqualitate audiamus Chryſoſt. hom.* 47. *in c.* 13. *Matth. dum præponit probitatem ſignis, verbis illis differentem; Petro quoque non dixit, ſi me amas, ſigna fac, ſed paſce oues meas: Cumque ipſum cæteris præponeret, cum Iacobo ſimul, atque Ioanne propter ſigna forſan proponebat. Ab omnibus certè paritèr leproſi mundabantur, mortui ſuſcitabantur, omnibus enim æqualitèr poteſtas fuit conceſſa. Vndè igitur tres illi anteponebantur? Et alibi*; Chryſ. ſer. de præmijs ſanct. *Haud æquè idem Beatis omnibus in Dei regno honos habebitur; Siquidem neque Diſcipulos Chriſti inter ſe pares omnes fuiſſe conſtat: tres enim erant, qui cæteris præſtarent, quos inter diſtare etiam videbatur; quippè cum Deo, vel minima quæque acriori ſunt curæ: Aſtrum enim ab aſtro differt gloria: Tametſi Diſcipuli omnes pro Apoſtolis haberentur; vniuerſique ſint ſuper ſedes duodecim conſeſſuri; palàmque ſit, & ſua ſingulos reliquiſſe, cum Chriſto, & vitam duxiſſe ſingulos: qui tamen cùm eſſet orandi gratia ſeceſſurus, tres ſecum ſumpſit, alioquin hos inter neminem præſtare aſſerit, cùm dicit: Sedere enim ad dexteram meam, aut ad ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus à Patre paratum eſt. Item & Petrum reliquis præfert dicens, Petre, amas me plùs his? Ioannes autem præter cæteros ab eo colebatur.*

1.Cor.15. 2.Cor.11. Gal.2. 2.Cor.12. 1.Cor.15. Luc.22.

Ac tandem paulò inſolentiùs concludit, [Conſiderent Monarchici, & videant, an Patres iſti agnouerint maximum illum, & abſolutum Petri Principatum, qui in his comparationibus nullam prorsùs tanti principatus rationem habuerint, aut fecerint mentionem; vbi tamen prælationes, ex quocunque capite poterant, inter Apoſtolos quærebantur. Obſeruarunt nihilominùs differentias aliquas, quæ nonnullas inæqualitates inter Apoſtolos conſtituerent, vt conſtat ex dictis, non tamen vllæ erant ex parte poteſtatis, & iuriſdictionis, ſed ex quibuſdam perſonalibus prærogatiuis, & virtutibus, abſque vlla tamen inter ipſos vera, & propria ſubiectione, ex quibus perſonalibus prærogatiuis, ſeu præeminentijs inuenio ego, Petrum Primatum aliquem, citrà tamen Principatum poteſtatiuum, & iuriſdictionalem eſſe conſecutum, nimirùm ex ætate ordine vocationis, amoris feruore, & proprijs virtutibus, vndè factum eſt, vt aliquo modo primas inter Apoſtolos retineret.] Diceres, pro tribunali ſedere, ac decernere hunc Pſeudo-Epiſcopum.

Spalat. Num.7.

Vult igitur Primatum Petri in eo poſitum eſſe, [quòd ætate, vocatione, & amoris in Chriſtum feruore,] primas teneat inter omnes Apoſtolos. Quamquam autem ſunt hęc ità vitiosè ſtructa, vt ſpontè ſua ruant, & concidant, tamen ne præoccupatus animus lectoris ei aſſentiatur, quàm improbè ſanctos Patres in ſuam ſententiam trahat, nobis demonſtrandum eſt. Primùm igitur ſtatuo, Patres omnes, qui modò hanc diſputationem ſeriò attigerint, conſtantiſſimè aſſeueraſſe, Petrum à Chriſto in ſpiritualium rerum adminiſtratione impoſitum Eccleſiæ ſummum Principem, qui ea auctoritate vigeret, quæ depellendis, & exſtinguendis diſſentionibus, & ſeditionibus, ſi quæ in Eccleſia mouerentur, (quod tamen ille futurum præuiderat) par eſſe poſſet, nec, cùm hæc ſcriberent, vlli in mentem veniſſe vmquam, ad illos motus ſedandos, & vnitatem corporis Chriſti ſartam, tectamque ſeruandam, ſufficere potuiſſe eum [Primatum,] quem Spalatenſis excogitauerit, [ætatis, vocationis,] aut etiam [Charitatis eximiæ.] Et quidem ijs, quæ diſſertatione prima ſunt à nobis diſputata de dignitate capitis, id abundè eſt probatum.

Nam Patres inter duodecim Apoſtolos Chriſtum elegiſſe Petrum aſſerunt, [vt, Capite conſtituto, ſchiſmatis tolleretur occaſio.] Hìc autem quis non videat vim quandam ampliorem, & maiorem, quàm ſit, aut ætatis, aut vocationis, aut etiam priuatæ virtutis, in hoc ſummo capite ineſſe debere? Tu ne igitur, Marce Antoni, ætatem grandiorem huic muneri ſufficere potuiſſe credis? Fuit certè, credo, quondam cani Capitis reuerentia maxima; Fragrat, & bonus odor in vocatione Chriſti; Habent ſuas laudes charitatis ſanctiſſimi ardores; Sed non in hos, de quibus loquimur, vſus, quæſitas opes oſtentas. Non hæc frænandis improbis, & contumacibus mentibus ſufficiunt, quæ, veluti fræno excuſſo, vix, ac ne vix quidem in ordinem cogi poſſint. Capite, quòd omnes illi Patres viderunt, opus fuit, cuius vi, ac poteſtate ingenti, tamquam potentiſſimo fræno, ſuperbę mentes coercerentur, & ipſi perduelles, eò furoris, vt vnitatem ſcinderent, progreſſi, mulctarentur, ac Eccleſiaſticis pœnis, vt eſt illa ab communis Eccleſiæ communione reſectio, & amputatio, cuius viuidum exemplum nobis dedit Victoris Sęculum, plecterentur.

Spalat. Num.8. Hieronym. lib.1. contr. Iouin.

Sed, inquit Spalatenſis, [In his comparationibus nullam prorsùs tanti principatus rationem habuerunt, aut fecerunt mentionem; vbi tamen prælationes, ex quocunque Capite poterant, inter Apoſtolos quærebantur.] Reſpondeo primùm, neque etiam debuiſſe: ſiquidem cùm in comparationibus id demùm ſeruandum ſit, vt in eodem genere fiant, cùm Patres conferendos duxiſſent Apoſtolos, quà Apoſtolos, certè in his, quæ ad Apoſtolatum intrinſecè pertinerent, nec extrà hoc genus vagarentur, conferre, ac contendere omninò debuerunt. Quare cùm extrà Apoſtolatum ſit dignitas capitis, neque cum eo, niſi ex accidenti ſit coniuncta, eam præterierunt. Addo verò non ſolùm ſexcenti

tis alijs locis, eam docuiſſe, illuſtraſſe, ac propugnaſſe: ſed etiam ijs ipſis, quibus eos inter ſe conferrent, ſummę dignitatis Petri non raro meminiſſe, ac planè inſinuaſſe.

Sic Nazianzenus, cùm, ſuſcepta de ordinis bono diſſertatione, comparationi locum daret, Petri prærogatiuam præcipuam non diſſimulauit. *Vides*, inquit, *quemadmodùm ex Chriſti diſcipulis, magnis vtique omnibus, & excelſis, atque electione dignis, hic petra vocetur, atque Eccleſiæ fundamenta in fidem ſuam accipiat, ille impenſiùs ametur, & ſuprà pectus Ieſu requieſcat, ac reliqui diſcipuli eos ſibi præferri æquo animo ferant.* Sic Chryſoſtomus, quem tanta pompa in hanc ſcenam inducit Spalatenſis, cum quoque eam comparationem admitteret oratio, ſiquidem de præfecturis agebatur, idipſum non tacuit. Petrum enim cum Iacobo conferens, *Quòd ſiquis*, inquit, *percontaretur, quomodo igitur Iacobus* (in tantis ſcilicet prærogatiuis Petri, de quibus ſuprà egerat) *ſedem Hieroſolymis acceperit: reſponderem, tunc Petrum totius orbis magiſtrum præpoſuiſſe.* Ac rurſùs, *Cùm magna Chriſtus Petro communicaſſet, orbis terrarum curam demandaſſet, martyrium prædixiſſet, & maiorem erga eum dilectionem teſtatus eſſet, cùm vellet Petrus Ioannem ſocium, & collegam, inquit: Hic autem quid?* Sed relinquamus iſta, atque in ipſam arcem diſputationis inuadamus.

Greg. Naz. orat. 26. de mod. in diſput. ſeruanda.

Chryſ. hom. 87. in Ioan.

Prima quæſtio nobis eſt de ætate Petri. Prouectiore enim, ac grandiore ætate fuiſſe, inter Apoſtolos, contendit Spalatenſis, nos eum ariolari credimus; & quidem res eſt valdè incerta, cùm vel ipſo teſte, Epiphanius grauis auctor, in cuius ſententiam manibus, pedibuſque iere, Baronius, Lorinus, Becanus, egregij ſanè, & hiſtorici, & Theologi, Andream Petro antiquiorem faciat. Contrà alij, plures numerant annos Petri, quàm Andreæ, adeòque rem, de qua Scriptura nuſquam pronunciarit, in incerto relinquunt. Cæterùm qui Petrum ætate prouectiorem faciunt, haud tamen primatum Petri in eius ætate ponunt, ſed in eximio quodam principatu, & auctoritate, quam vt dicerent ætati datam, tamen ætatis munus eſſe, non proindè cenſerent. Hoc ipſo ſenſu plerique Orthodoxi affirmant, Romam, quòd caput eſſet Imperij, conſecutam, vt Eccleſiæ quoque caput conſtitueretur. Quòd eò non ducit, vt dignitatem Eccleſiæ Romanę poteſtati imperij acceptam habeamus; ſed volunt illi amplitudinem imperij, & vrbis ſplendorem, conditionem ſuiſſe, vt loquuntur in Scholis, materialem, adeòque remotam, cui illa electio inniteretur, cùm tamen formalem, & præciſam rationem dignitatis Eccleſiæ Romanæ, non à potentia ſęculari, ſed à ſede Petri, qui religionis, & fidei caput eſſet, pendere, omnibus Orthodoxis ſit conſtitutum. Demus igitur, in ſubiecta materia, ætatem Petri conditionem eiuſmodi fuiſſe, vt ſcilicet Canities Petri ſanctiſſimum magiſtratum ornaret, proindè non conſequitur ætatis hanc eſſe Prærogatiuam, ſed auctoritatis Petro communicatę, quæ ætati addita ſit.

Bar. tom. 1. ann. 31 n. 23 & 51. Serr. tract. de Apoſt.
Lorin. in c. 1. act. Bec. lib. 2. de Rep. Eccl. cap. 2.

Sed vrget Spalatenſis Patrum teſtimonia. [Accipiamus,] inquit, [dictum Hieronymi, dum quærens, quare Chriſtus aſſumpſerit Petrum, vt eſſet ille vnus, cui in typum tantùm vnitatis, vt Schiſmaticis tolleretur occaſio, prefectura traderetur, & non potiùs Ioannem, quem adeò diligebat? reſpondet hoc pacto, Ætati delatum eſt, quia Petrus ſenior erat; ne adhuc adoleſcens, ac penè puer, progreſſæ iam ætatis hominibus præferretur.] Fateor, neminem vnquam vidi, qui maiori auctoritate nihil diceret. Et certè ſi benè expendatur locus Hieronymi, omninò pro nobis facit. Is cùm ſtudio virginitatis amplificandæ in eo totus eſſet, vt Ioannem celibem Petro olim coniugato anteferret, magna, vt ita dicam, verborum pompa, dotes Ioannis explicandas ſuſcepit. Cumque premeretur argumento Iouiniani, qui Petrum Ioanni in ſummo Eccleſiæ magiſtratu eſſe prælatum contenderet, neque contrà quid opponeret, haberet, excepit quidem [tollendo ſchiſmati Petrum Eccleſiæ caput conſtitutum, non Ioannem, ſed hanc ei prærogatiuam ſuprà Ioannem conciliaſſe prouectiorem ętatem. [Cur,] inquit, [Ioannes non electus eſt virgo? ętati delatum eſt, quia Petrus ſenior erat, ne adhuc adoleſcens, ac penè puer, progreſſæ ętatis hominibus pręferretur.] Itaque ſi Ioannem, Petro prætermiſſo elegiſſet Chriſtus, fuiſſet ille proculdubiò cęteris antelatus.

Spalat. Num 8.
Hier. lib. 1. contr. Iou.

Qua verò in re? In capitis certè dignitate, de qua eſſet inter eos controuerſum. Cæterùm quod exiſtimat Spalatenſis, ex eò quòd Ioanni prelatus fuerit ratione ætatis Petrus, rectè colligi Petrum quoque reliquis ætate maiorem fuiſſe, tam eſt ſtultè dictum, vt communi ſenſu carere videri poſſit, qui hoc eſſutierit. Ioannes, quòd penè puer eſſet, nec adoleſcentiam exceſſiſſet, non eſt habitus par tuendæ, ac ſuſtinendæ dignitati Capitis, quòd illud honoris faſtigium grauitatem ſenilem depoſceret, Ergo ſimili ratione, Iacobus, aut quiuis alius de numero Apoſtolorum, quamquam ętate prouectus, par non fuit per ętatem tanto muneri? An hę pręſtigię ſunt, quibus ſimplicioribus illudatur? Erat certè Iacobus, erat Andreas ea ętate, quam depoſceret ea dignitas, ſed qui omnia nutu gubernat [pro beneplacito ſuę voluntatis.] Petrum ſibi eligendum duxit, non certè quà ſeniorem, (erant enim tam multi, quos prętereundos ſibi duxit,) ſed quà ſibi ob æternas, & principales illas ſuę electionis cauſas ſibi acceptum. Itaque non rugæ, non cani auctoritatem Petro aſſeruerunt, ſed ipſa Chriſti inſtitutio, quà vna detracta, ac ſublata, funditùs interire primatum Petri neceſſe ſit.

Hoc igitur vult Heronymus, Ioannem, quamquam iuuenili ſpecie, ſenili eſſet prudentia, quod tamen adoleſcentiæ terminos non exceſſiſſet, atque ea ętas grauitati magiſtratus aliquid detractura videretur, non fuiſse à Chriſto electum, qui gubernacula Eccleſię tractaret, ſed Petrum his admodùm, quòd virenti ſenectute, quę eum magiſtratum ornaret, eſſloreſcens, aptior ad tanti faſtigij dignitatem ſuſtinendam omninò videretur: Ergo canis, & ętati iam additam agnoſcimus, vt hęc ab illis non pendeat, ſed aliundè aſſeratur. Caſſianus Hieronymo ſuccenturiatus cauſam Spalatenſis non iuuat. Tametſi enim aſſerat Petrum ętate prouectiorem fuiſſe, ętati tamen amplitudinem honori, & digni

Digitized by Google

gnitatis non aſcribit, ſed principatum Petri, rem facit ab ætate ſeiunctam.

Neque verò hominem principatus Petri, tam apertum, & tam vehementem propugnatorem accerſiſſet Spalatenſis, ſi in eo prudentiæ ſenſus vllus fuiſſet. Sic enim loquitur, [Cassianus lib. 3. de Incarn. Dom. cap. 12. Interrogemus, inquit, ſummum illum, & inter diſcipulos diſcipulum, & inter Magiſtros Magiſtrum, qui Romanæ Eccleſiæ gubernaculum regens, ſicut fidei habuit, ita, & Sacerdotij principatum. Dic nobis ergo, dic nobis, quæſumus, princeps Apoſtolorum Petre, dic, quemadmodùm credere Eccleſiæ Deum debeant: æquum eſt enim, vt doceas nos, doctus à Domino, & aperias nobis ianuam, cuius clauem accepiſti. Exclude omnes ſuffodientes cœleſtem domum: & eos, qui per adulterinas cauernas, & illicitos intrare aditus moliuntur, auerte; quia certum eſt, quòd nullus oſtium regni intrare poterit, niſi cui clauis à te in Eccleſijs collocata reſerarit. Dic ergo, quemadmodùm credere Ieſum Chiſtum, & confiteri communem Dominum debeamus. Reſpondebis vtique abſque dubio: quid me conſulis qualiter Dominus confitendus ſit? cum habeas qualiter ſim ego ipſe confeſſus. Lege Euangelium, & non requires perſonam meam, cùm habeas confeſſionem meam: imò illic habes perſonam meam, vbi confeſſionem meam: quia cum perſona mea auctoritatem ſine confeſſione non habeat, auctoritas eſt perſonæ meæ ipſa confeſſio. Dic ergo Euangeliſta, dic nobis confeſſionem, dic ſummi fidem Apoſtoli: hominem ne tantùm confeſſus ſit Ieſum, an Deum: carnem in eo tantùm eſſe dixerit, an Dei filium prædicarit? Interroganti ergò Domino Ieſu Chriſto, quem eum crederent, quem confiterentur eſſe diſcipuli, reſpondet primus Apoſtolorum Petrus, vnus vtique pro omnibus: idem enim vnius habuit reſponſio, quòd habeat omnium fides. Sed primum decuit reſpondere: vt idem eſſet ordo reſponſionis, qui erat honoris: & ipſe antecederet cõfeſſione, qui antecedebat ętate.]

Hæc poſtrema verba, quæ in ſpeciem ſuo dogmati fauere viderentur, arripuit Spalatenſis: ſed priora, quæ ſuam ſententiam euerterent, verſutus homo egregiè diſſimulauit. Ad Chryſoſtomum iam confugit, rurſùs infeliciſſimè; Vt enim Petrum Andrea maiorem natu crediderit, quam eſſe multorum Patrum ſententiam non inficiamur, ac proptereà primogenitum vocarit, in eo tamen primatus Petri opes poſitas eſſe non exiſtimauit. Verba eius ſunt, cùm de Didrachmis loqueretur, quæ vir eloquentiſſimus vectigal fuiſſe primogenitorum, contendit; quamquam alij meo iudicio aliquantò probabilius, ad penſitationem à Deo iuſtitutam, in vſum tabernaculi, aut templi referunt. *epi un prototocos in o Chriſtos; edoci de ton mathiton proton inæ o Petros auto proſerchontæ.* Latinus interpres ſic reddidit, *Cumque ita primogenitus eſſet Chriſtus, Petrus quoque diſcipulorum primus eſſe videretur, ipſum adeunt.* Hæc ad ætatem non pertinent: Pertinere verò videntur illa eiuſdem Patris, *Pro me verò,* inquit, *& te, quoniam, & Petrus primogenitus erat.* Atqui ſi nodum in ſcirpo, quod toties facit Spalatenſis, quærendum duceremus, an non ei perpendendum relinqueremus, num Chriſtus, quo cum Petrum confert Primogenitus, fuerit ſolùm ætatis prærogatiua, aut etiam ſplendore dignitatis?

Quicquid ſit de ea re, Chryſtomus ſolùm ætatis decus non ſpectauit, ſed dignitatem quoque Petri, quam ſcilicet animo præcepiſſet Chriſtus: Sic enim ad illa verba, *De eis pro me, & te. Vidiſti,* inquit, *honoris excellentiam, vide nunc quanta philoſophia vtitur Petrus. Huncenim locum Marcus, qui Petri diſcipulus fuit, ideò non ſcripſiſſe videtur, quoniam ingens hinc honor magiſtro deferebatur: ſed negationem quidem ille quoque diligentiſſimè ſcripſit; hæc verò, quæ ad magiſtri laudem pertinent, ipſo forſan deprecante, ne magnifica de eo diceret, omninò ſiluit.* Hìc multa ſunt obſeruatu digniſſima; Primùm, facundiſſimum Patrem in maximis honoribus Petri reponere, quod ei à Chriſto ſit dictum, *da eis pro me, & te, ides,* inquit, *tò ipernallon tis timis.* Addit, ab his recenſendis abſtinuiſſe Marcum Petri diſcipulum, *ne magnifica de eo diceret,* quod magiſtri modeſtiæ deputat: At quæſo, quæ illa eximia laus, ac præſtantiſſimus honos fuiſſet, ſi id totum ſibi prouectior ætas vindicat? An *tò ipernallon, honoris præſtantiam,* de qua Chryſtomus, ætatis beneficium cenſet aduerſarius? Addit Chryſoſtomus, humanum quid paſſos diſcipulos, ac veluti inuidiæ ſtimulis concitatos occaſione honoris Petro delati, quæſijſſe à Chriſto; [*Quis putas maior eſt in regno cælorum? Humanum quid,* inquit, *paſſi diſcipuli ſunt; quod Euangeliſta quoque ſignificauit, dicens: In illa hora, quando ſcilicet cæteris omnibus Petrum prætulit. Nam cùm ex Iacobo, & Ioanne alter primogenitus eſſet, nihil tamen tale pro ipſis feciſſe videtur: Veriti autem turbationem profiteri ſuam, non apertè, quare Petrum ipſis præponeret, ſed confusè, Quis ergo maior eſt, interrogarunt. Quando tres illos præferri conſpexerunt, nihil tale paſſi ſunt: cùm verò ad vnum delatus honor eſt, tunc nimirùm doluerunt: quamuis non ex hac re ſolùm, ſed ex alys quoque multis inflammati fuerunt: Tum quia dixit illi, Dabo tibi claues regni Cælorum, tum quia, Beatus es Simon Bar-Iona: tum etiam hic, Da eis pro me, & te: tum denique, quia liberiùs cum multò Chriſto colloqui conſpiciebant.* An hæc quoque ad ætatem grandiorem pertinerent? Atqui ait Spalatenſis; *Alio loco Petrum Paulo facit antiquiorem. Cùm nihil* (Paulus) *opus haberet Petro,* inquit *Chryſoſtomus, nec illius egeret voce, ſed honore par eſſet illi, nihil enim hìc dicam ampliùs, tamen aſcendit velut ad maiorem, ac ſeniorem.* Reſpondeo Chryſoſtomum hęc duo connectere *mizona cæ preſuiteron,* vt igitur aduerſario litem non mouerim de vocabulo *preſuiteron,* cuius diuerſas acceptiones non ignorat, quis neſciat, tum Græcis, tum Latinis ſæpiſſimè vſurpari *mizona maiorem,* pro eo, qui dignitate, & auctoritate maior ſit? Certè Chryſoſtomus feriò expendit, quod dicit Paulus, aſcendiſſe ſe Hieroſolymam, vt videret Petrum, *Non dixit,* inquit, *idin, id eſt, vt cernerem Petrum: ſed iſtoriſæ, id eſt, vt viderem, quomodo loqui ſolent, qui magnas, ac ſplendidas vrbes inuiſunt cognoſcendi gratia, adeò iudicabat operæ pretium, multoque ſtudio dignum tantummodò viderem virum.* Exiſtimauit igitur Chryſoſtomus Paulum coluiſſe Prtrum alia quadam maiori ratione,

Chryſoſt. hom. 59. in cap. Math. 19.

Chryſoſt. in ep. ad Galat. cap. 1.

tione, quàm quòd ſenior eſſet: ſed de Cyhrſoſtomo plura in ſequentibus. De Primatu vocationis iam nobis agendum, atque ea ſecunda quæſtio diſputanda occurrit.

Triumphantis verò, non dimicantis more incedit Spalatenſis. [De ordine vocationis, inquit, neminem habemus, qui ſe nobis opponat, omnes enim facilè concedunt ad Apoſtolatum primum omnium Petrum fuiſse à Chriſto vocatum.] Hîc rursùs mihi monendus eſt pius lector, Spalatenſem magno conatu nihil, vel nugas dicere; vt enim daremus Petrum primò vocatum à Chriſto, quid indè haberet? An hinc rectè colligeret; ergo ſola vocatione fuiſse Petrum primum? Non potuerit igitur Chriſtus, quem primùm vocaſſet, ad ſupremum regni ſui, & Eccleſiæ faſtigium euexiſſe, ac ſumma dignitate, & auctoritate ornaſſe! O mirifica argumenta! Cæterùm quod attinet ad ſeriem vocationis Apoſtolorum, etſi res ſit perobſcura, exiſtimamus tamen hunc ordinem ſeruaſſe Chriſtum. Primùm cum præconio Ioannis, qui illum Agnum mundi, peccata tollentem indice monſtraſſet, Philippus, & Andreas mirificè excitati eſſent, adque ipſum Chriſtum Andreas germanum ſuum Petrum adduxiſſet, Philippus verò Nathanaelem, eos cum nonnullis alijs familiares auditores habuit, ſed tamen, nec dum diſcipuli eſſe Chriſti cœperant, cùm nondum omnia deſeruiſſent; quare tum de his, tum de reliquis, qui ſub illa initia Chriſto ſe adiungerent, dixit Auguſtinus, Non ſic illum ſequutos, quaſi illi inhærerent,
Tract. 7. in Ioan. *Nam*, inquit, *manifeſtum eſt, quando illi inhærent, quia de naui eos vocauit, &c.* In hac igitur prima vocatione, ſi tamen vocationem facimus, proculdubiò Andræas præceſſit Petrum; quippè cui auctor fuerit conueniendi Chriſtum. Poſteà verò nonnullos illorum ita ad ſe pertraxit, vt illi planè adhærerent, ac cum eo perſeuerarent noctu, diuque. Hæc illa eſt vocatio, quam de naui factam dicebat Auguſtinus; quòd ſcilicèt de naui eos voca-
Matth.4. uerit Chriſtus dicens, *Venite poſt me, faciam vos piſcatores hominum.* Quidam autem interpretes, diuerſam eam faciunt ab ea, quam cap.8. narrat Lucas. Alij verò planè eandem eſſe autumant. Nulli de ea re litem mouerim. Conſtat ſanè hoc loco, vnà cum Petro vocatum fuiſſe Andream, cuius tamen non meminerit Lucas, cùm Petri vocationem deſcriberet: Qua ratione alij volunt, & Petrum, & reliquos rursùm vocatos à Chriſto.

Spalat. Num.10. Matth 4. & Luc. 5. Et quidem Spalatenſis contendit, cùm de perfecta adhæſione ad latus Chriſti agi cœptum eſt, priorem Petrum adhæſiſſe Chriſto:] Sed quid illum poſterior iſta vocatio iuuat? Reſtat enim quarta, in qua maximè diſcrimen ſtatui oporteret, vt eum *primatum vocationis*, quem vnum inducere molitur, ſtabiliret. Hæc autem ſimul tota facta eſt. Cùm enim Chriſtus apud ſe iam ſtatuiſſet renunciare Apoſtolos aliquot ex eorum numero, quos anteà diſcipulos habuiſſet, omnes ſimul ad hunc veluti honoratiorem gradum euexit, nec hunc priùs, illum poſteriùs, vocauit Teſtis mihi optimus Lucas, *Et cùm dies factus eſſet, vocauit diſcipulos ſuos, & elegit duodecim ex ipſis, quos & Apoſtolos nominauit.* Quo ſenſu veteres Patres, & in his Leo Magnus ep.84. *electione pares* fuiſſe Apoſtolos cenſent. Quamquam igitur Petrus in recentiori illa vocatione præceſſiſſet Andream, non eſſet tamen, cur ob hanc vnam rationem ei præferretur, maximè cùm in priore, non ſolùm anteuertiſset Petrum Andreas, ſed & eum adduxiſset ad Chriſtum.

Atqui, vt quod ſentio, aperiam. Exiſtimo nuſquam antè Andream vocatum Petrum; cùm enim Lucæ 8. Hiſtoria viris doctiſſimis planè eadem eſse videatur, cum ea, quam habet Matth.c.4. de vocatione Petri, & Andreæ, probabile omninò eſt in eorum ſententia, vocatione quidem omninò pares fuiſſe. Fateor tamen, Andreæ non meminit Lucas, id verò fortaſsè compendio factum eſt hiſtoriæ. Qui verò diuerſam faciunt hiſtoriam, vt Maldonatus, facilè etiam ſe expediunt, atque negant apud Lucam legi à Chriſto vocatos, aut Petrum, aut Andream, ſed tantùm miratione miraculi adductos, ſpontè eum ſecutos eſse; Sentiat quiſque, quod volet.

Hoc tantùm dicimus, operam, & oleum perdidiſse Spalatenſem, qui elicere ſe poſse putarit ex ſacris Scripturis, aut Petrum primum fuiſse *ordine vocationis*, aut antegreſsam iſtam vocationem cauſam extitiſse, cur primatum inter Apoſtolos ſit conſecutus. Fateor, multi Patres Petrum faciunt primum *ordine, & vocatione*, ſed vt demus, ita intellexiſse, vt ipſe ſentit, tamen in conſtituendo primatu Petri, ab eorum ſententia aberrat, quàm longiſſimè.

Nam, quod ſciam nullius Patris ſententia eſt, primatum Petri, *in Primatu illo vocationis* poſitum eſse, quæ tamen eſt ſententia Spalatenſis. Igitur calamos inflat, omnes neruos intendit, & totis viribus enititur, vt eos vel inuitos in ſuas partes abducat. *Epiphanius*, inquit, *ita habet, occurſus Andreæ primus* Epiph. hær. 51.
contigit, cùm minor eſſet Petrus tempore ætatis, (hæc priùs eius dogma euertunt, atque ita ad ſummum dimidiatum habet Epiphanium) *Poſteà enim rursùs, quando perfecta renunciatio facta eſt, ipſe fratrem ſuum præceſſit.* Atqui de *Primatu* Petri, qui ſit *in ordine vocationis* poſitus, hìc nil audio: Aſserit Epiphanius in perfecta renunciatione præceſſiſse Petrum fratrem ſuum Andream, ergo primatus eius conſiſtit in primatu vocationis; quàm inconſequentèr mi Antoni? Epiphanium verò cur Epiph. hær.
truncat? Quàm parùm enim ſollicitus fuerit 51. ſeu 51.
de ea ſerie vocationis externæ, vt quæ nihil ad rem faciat, tota ſeries diſputationis indicat. *Etenim*, inquit, *Andreas prior in Dominum incidit, quo Petrus erat ætate iunior. Poſteà verò, cùm abſoluta illa, ſuſcepta eſt omnium rerum abdicatio, initium eſt à Petro factum. Tunc enim, & ipſe fratri ſuo præiuit: Accedit, quòd Deus humanorum cordium nutus, ac propenſiones animaduertit, ac qui ſit primo loco dignus, intelligit. Quare Petrum Diſcipulorum ſuorum Principem elegit, vti perſpicuè declaratum eſt. Egregius locus*; inquit doctiſſimus, & facundiſſimus Epiphanij interpres Patauius, *ex quo liquet Petrum Andreæ, ac cæteris Apoſtolis, non ætatis, aut vocationis ordine, ſed principatus, & dignitatis anteponi.* Non exiſtimat itaque Epiphanius Chriſtum, cùm ducem, & coryphæum Apoſtolorum faceret Petrum ad

ordinem exterioris vocationis, ſed ad ſinceriores motus cordis, quos tamen ille excitaſſet, reſpexiſse; ac propterea hoc honore beaſse.

Atqui, inquit Spalatenſis, *alio loco dicit; Ipſe Dominus conſtituit Petrum primum Apoſtolorum.* Agnoſco lubens, nam hoc eſt, quod dicimus, & pro quo, tanmquam pro aris, & focis depugnamus. Neque verò Epiphanio Petrus tantummodò *protos ton Apoſtolon*, primus Apoſtolorum, ſed etiam *o coryphæotatos*, princeps dicitur. Proferamus verò locum integrum. *Templum Dei vocantur homines ſancti, qui ſancto Dei Spiritui domicilium in ſeipſis præbent: vti Princeps Apoſtolorum teſtatur: qui fœlix à Domino prædicari meruit, eò quòd Pater ipſi reuelaſſet. Huic igitur germanum ſuum filium Pater indicat; & beatus idcircò dicitur. At ille ipſe rursùm Spiritum ſanctum pateſecit. Sic enim ei, qui inter Apoſtolos primus eſſet, conſentaneum erat, ſolidæ, inquam, illi petræ: ſuprà quam eſt Eccleſia Dei fundata, & portæ inferi non præualebunt illi. Quarum portarum nomine hæreſes, & hæreſeon conditores intelliguntur. Omnibus quippè modis, in eo ſtabilita fides eſt, qui cęli claues accepit; qui & in terra ſoluit, & ligat in cęlo. In eo ſiquidem ſubtiliores qualibet fidei quæſtiones reperiuntur.* Quid ad hæc addi poſſit, planè non video. Quis igitur, vel per ſomnium vmquam cogitauerit, perindè eſſe, Chriſtum Petrum conſtituiſſe Apoſtolorum primum, & Chriſtum antè omnes alios Petrum vocaſſe ad Apoſtolatus honorem. An non ſibi ſomnia fingit aduerſarius? Abutitur rursùm teſtimonio Cypriani: *Cyprianus*, ait, *Petrum dicit eſſe primum, quem Dominus elegit.* Ita certè Cyprianus ad Quirinum, *Petrus, quem primum Dominus elegit.* Sed primatum Petri hic rursùs agnoſco, non qui ſit in ordine vocationis poſitus, ſed qui vocationem huiuſmodi ſit cum aliquo auctoritatis fulgore conſecutus. Suprà enim oſtendimus Cyprianum ſenſiſſe, *Eccleſiam Domini voce ſuprà Petrum fundatam*, quare eò referenda ſunt, quæcumque de primatu Petri ex tanti Patris ſcriptis eruuntur. Sed cur non interpretemur *Petrum primum*, hoc eſt, vt primus eſſet, *Dominum elegiſſe*? Eſt enim iſte tenor verborum Cypriani, quòd nimirùm præ duodecim hunc elegerit, vt eſſet primus. Certè hunc eſſe planum, ac germanum ſenſum Cypriani, facilè ex ſuperioribus liquet; cùm euicerimus, totum in id incubuiſſe Cyprianum, vt oſtenderet his verbis, *Tu es Petrus, &c. Paſce oues*, Chriſtum vnitatis Eccleſiaſticæ centrum, originem, & exordium Petrum conſtituiſſe.

Epiphan. in Ancor.

Cyprian. ad Quirinum, ſeu Quinctinum, ſeu Quintum.

Atqui non memini me legere, ob primatum vocationis dicta iſta omnia Petro, ſed omnium Patrum vna vox eſt, Chriſtum, cùm hæc diceret, fidem quamdam eximiam Petri, hoc eſt mirificam illam confeſſionem, *Tu es Chriſtus*, remuneratum fuiſſe. Clementem Romanum, etſi nihili faciat, tamen teſtem profert, eumque inducit ita loquentem, *Petrus, qui fuit primitiæ electionis Domini primus Apoſtolorum.* Sed vereor ne hìc Clemens non magis impiæ patrocinetur cauſæ, quàm reliqui Patres ab eo citati. Petrum vocat *primitias electionis Domini*, ſed de electione, quæ aliorum anteuerterit, vocationem non loquitur, imò ſe de ea electione loqui, qua ſit impoſitus Eccleſiæ princeps, innuere ipſe videtur; hæc enim eius ſunt verba, quæ ſuo more detruncat aduerſarius: *Simon Petrus, qui vera fidei merito, & integræ prædicationis obtentu fundamentum Eccleſiæ definitus eſt, qua de cauſa etiam Domini ore cognominatus eſt Petrus, qui fuit primitiæ electionis Domini Apoſtolorum primus, cui & primo Deus Pater, & filium reuelauit, & competentèr beatitudinem contulit, qui & vocatus, & electus eſt, & conuiua Domini, & comes effectus, tamquam bonus, & probatiſſimus diſcipulus, qui obſcuram mundi plagam occidentis, veluti potentior illuminare præceptus eſt, &c.* Videt cordatus lector, vt hæc à legitimo Clemente eſſent, aduerſario haud quaquam fauere, ſed nobis. Potentiorem enim agnoſcit Petrum, & ad confeſſionem, *Tu es Chriſtus filius Dei viui*, eius dignitatem refert: quare ne ſomnians quidem de antegreſſa vocatione locutus eſt, ſed eam electionem intellexit, qua petra, hoc eſt fundamentum Eccleſiæ, participato nomine Chriſti, declaratus eſt. Quod igitur eum vocauerit *primitias electionis Domini, quodque primum eum fecerit Apoſtolorum*, ad *auctoritatis prærogatiuam*, non ad *vocationis primatum* referendum omninò videtur; ſed nolim diutiùs in apochryphis immorari, quæ aliquantò prudentiùs in obſcuro delitescere paſſus fuiſſet. *Epiſtolæ quinque Clementis, quæ nunc extant*, inquit illuſtriſſimus Cardinalis Bellarminus, *non carent ſcrupulo, nam conſtat Iacobum, ad quem ſcribuntur duæ epiſtolæ*, (harum prior eſt, quam citat aduerſarius,) *obijſſe multò antè Sanctum Petrum, & tamen in ijs ſignificatur Iacobi mors ſancto Petro.* Aduocat iam Hilarium medius fidius fideliorem teſtem, *Petrus*, inquit Hilarius, *primus credidit, & Apoſtolatus eſt princeps. Proculdubiò*, ait aduerſarius, *quia primus adhæſit Chriſto, & in eum credidit.* At illud *proculdubiò* mihi valdè ſuſpectum eſt, & reor, mendacio firmando iuramentum adhibuiſſe hominem fraudibus natum. Quòd enim Hilarius primum crediditſſe aſſerit ſanctum Petrum, vel ipſo interprete, non ad quamcumque fidei profeſſionem referri debet, ſed ad eximium illum fidei actum, quo Chriſtum filium Dei profeſſus eſt, *Beatus eſt*, inquit Hilarius, *qui vltrà humanum oculos intendiſſe, & vidiſſe, laudatus eſt, non id, quod ex carne, & ſanguine erat continens, ſed Dei filium cęleſtis Patris reuelatione conſpiciens, dignuſque indicatus eſt, qui quod in Chriſto Dei eſſet, primus agnoſceret.* Vides non diſſeruiſſe eum de ea fidei profeſſione, quam exegerit antè collegarum ſuorum vocationem, (erant enim omnes renunciati Apoſtoli, atque tum Chriſto adherebant) ſed de ea laudatiſſima confeſſione, quam primus omnium edidit, vt magiſtro ſuo ſatisfaceret, qui ab alijs quæſijſſet, quem eum dicerent eſſe homines? *O in nuncupatione noui nominis fœlix Eccleſiæ fundamentum*, exclamat Hilarius, *dignaque ædificatione illius Petra, quæ infernas leges, & tartari portas, & omnia mortis clauſtra diſſolueret. O beatus cęli ianitor, cuius arbitrio claues æterni aditus traduntur, cuius terreſtre iudicium, præiudicata auctoritas ſit in cœlo, &c.* Itaque nil habet præſidij in Hilario, ſed ipſe Hilarius vanum illud commentum de primatu vocationis euertit, noſtrum verò dogma

Clemens epiſ. ad Iac. frat. Domini initio.

Lib. de Eccleſ ſcript. in Clemente Roma.

Hilarius in Matth. Can. 8.

Hilar. in Matth. Can. 16.

de

de primatu auctoritatis, qui ſit Petro à Chriſto attributus, conſtabilit, ac vndequaque firmat.

Spalat. Num. 10. Greg. lib. 2. in Ezec. homil. 18.

Putatne verò Gregorium Petri magnum ſucceſſorem, errori fauere poſſe? [Scripſit. inquit, ille de Petro à Paulo reprehenſo, non ad memoriam reuocat, quòd primus in Apoſtolatum vocatus ſit. Sed integrum recenſeamus, Amicus ergo veritatis (de Petro loquitur à Paulo reprehenſo) laudauit etiam, quod reprehenſus eſt; Atque ei ad hoc ipſum placuit, quia in his non placuerat, quæ aliter, quàm debuerat, ſenſit, ſeque etiam minori fratri ad conſenſum dedit: Atque in eadem re factus eſt ſequens minoris ſui, etiam vt in hoc præiret: Quatenùs, qui primus erat in Apoſtolatus culmine, eſſet primus, & in humilitate. Penſate erga fratres chariſſimi, in quo mentis vertice ſtetit, qui illas epiſtolas laudauit, in quibus ſcriptum ſe vituperabilem inuenit. Quæ illa manſuetudo tanta eſſe potuit, quæ quies animi, quæ ſoliditas, atque imperturbatio cogitationis? Ecce à minore ſuo reprehenditur, & reprehendi non dedignatur. Non ad memoriam reuocat, quòd primus in Apoſtolatum vocatus eſt, non quòd claues regni cœleſtis acceperit, non quòd peccata quæcumque in terra ſoluerit, eſſent ſoluta, & in cœlo.]

Laudat Gregorius ſummam humilitatem Petri, qui cùm in Apoſtolatus culmine eſſet, adeòque Paulo ſuperior, tamen æquo animo paſſus ſit ſe ab inferiore coargui, ac reprehendi: Igitur de ſolo Primatu vocationis non egit; qui ad humilitatem Petri magnificentiſſimis iſtis verbis ornandam, & tantoperè commendandam non faceret.

Ac certè illa verba *Primus in Apoſtolatum vocatus eſt*, non efficiunt hunc ſenſum, *Primus ad Apoſtolatum vocatus eſt*, ſed hunc potiùs, in *Principem Apoſtolatus* vocatus eſt, vel ad *principatum Apoſtolatus* vocatus eſt, vt rectè ante nos monuit doctiſſimus Becanus; eò enim ſpectaſſe Petrum aſſerit Gregorius, [*vt qui primus eſſet in culmine Apoſtolatus, eſſet primus in humilitate*; Vndè conſequitur, dignitatis culmen cum humilitatis faſtigio contuliſſe, ac proindè de primatu dignitatis, ac auctoritatis, cùm de Petro ageret, locutum fuiſſe. Itaque alium quærat ſuæ ſententiæ Patronum aduerſarius, A noſtris enim patribus omninò ſtat tantus pontifex. Ad Hieronymum ſe recipit, nil de inani iſto dogmate cogitantem.

Hieronym. epiſt. 13. ad Paulinum.

Quemadmodùm, inquit, *Paulus ab Hieronymo dicitur nouiſſimus in ordine, primus in meritis, ità à contrario ſenſu eſt, quia Petrus primus fuit in ordine vocationis, hinc primatum hunc ordinis inter alios eſt conſecutus*. Hieronymum audio aſſerentem Paulum *in ordine Apoſtolorum nouiſſimum, primum in meritis*: At contraria ratione aſſeuerantem, Petrum primatum habuiſſe, quod eſſet ordine vocationis primus, non audio, ſed hæc eſt inconſequens aduerſarij conſequentia, quam propterea nullo ſcrupulo repudiamus.

Inter opera Aug. impr. Baſilien. ſerm 41. de diuerſi pag. 1660.

Sequitur Auguſtinus, quem ſibi quoque addicit, *Quo etiam*, ait, *reſpexit Auguſtinus, quando dixit B. Petrus primus Apoſtolorum, Beatus Paulus nouiſſimus Apoſtolorum*. Addit autem de ſuo, *In quo ergo*, inquit, *Paulus nouiſſimus, in eo Petrus primus*. At hic duo certo certiora occurrunt. Primùm, hunc ſermonem non eſſe Auguſtini, quod nunc pluribus non probo, cum omnes pro ſuppoſitijs habeant aduerſarij, niſi qui in alijs legitimis operibus Auguſtini inueniantur. Præterea Spalatenſis aliò mentem flexiſſe huius concionatoris, quam ipſe voluerit, Paulum namque nouiſſimum dixit, non quòd ſerie temporis nouiſſimus eſset, quamquam eſt hoc veriſſimum, ſed alia quadam ratione, quam ex ipſo Paulo hauſerat [Verba tua] inquit ille Paulum alloquens [de prioribus factis tuis legimus in epiſtola tua, & per te te nouimus, Tu dixiſti; Ego enim ſum nouiſſimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus. Quare? quia perſecutus ſum Eccleſiam Dei.] Quo loco Paulus, ſi penitiùs intueamur in eius mentem, non facit ſe minimum ordine vocationis, nam hoc ad ſummam eius humilitatem, quam tantoperè celebrant interpretes, parùm, aut nihil conduceret, ſed minimum ſe facit anteactæ vitæ indignitate, Quia, inquit, perſecutus ſum Eccleſiam Dei. Quo nomine non ſolùm ſe eximio Apoſtolatus honore indignum iudicat, ſed etiam ſupplicio digniſſimum.

At quid hæc ſpectant ad ordinem vocationis? Miror Cyrillum accerſiri teſtem, cùm quæ ille ſcripſit, dogma Spalatenſis euertant.

Lib. 12 in Io. cap. 64.

Sic enim ille, *Cùm Saluator Diſcipulis quæreret, Vos autem quem me eſſe dicitis? Petrus, vt Princeps caputque cæterorum, primus exclamauit, Tu es Chriſtus filius Dei viui.* Exauditne ſonum potentiſſimæ huius vocis aduerſarius? An illi de primatu vocationis, aut auctoritatis loqui videatur Cyrillus, At, inquit eius verba ſunt [reſponſio ei committitur, quia ordine maior erat.] An igitur, quia Imperator in militum ordine primus loquitur, aut etiam reſpondet, is ſolo ordine temporis, non verò dignitatis, ac auctoritatis reliquis antecellit? Putat Spalatenſis, ordinem, tempus notare, cùm maximè inter eos, qui imperant, & qui parent, eius ratio ſpectetur. Errantem eum in viam reducere potuerunt illa verba Cyrilli initio capitis, vndè argumentum deſumptum eſt, poſita [Per vnum] inquit [qui præerat] (deſignatione ſcilicet, [non actuali dignitatis poſseſſione] vt loquuntur in Scholis) [omnes reſpondent:] Seruati autem ordinis laudat Apoſtolos, [Quia, inquit, opus erat diuinitùs comprobatæ prudentiæ ſoli reſponſionem committere illi, qui ordine maior erat.] Hoc eſt, ipſo interprete, qui præerat; nimirùm tum ordo optimè ſeruatur, cùm inferiores reſpondendi prouinciam ſuperioribus concedunt, quid hoc ad primatum vocationis? Quod verò vrget Spalatenſis [non ſequi, vt qui primus ordine ſit, & vocatione, primus item ſit in poteſtate, & iuriſdictione.

Reſpondemus non ſequi in vniuerſum, fieri enim proculdubiò poteſt, vt ordine, & vocatione primus, iuxta ſenſum Spalat. cæteros poteſtate, & iuriſdictione non antecellat, cuius rei exemplum in Eccleſiæ inferioribus ordinibus apparet, ſed in ſubiecta materia planè ſequi; vt enim fateremur Petrum ordine temporis fuiſse primum, quod tamen ab aduerſario hactenùs non eſt confeſſum, præterea addendus eſset alius [Primatus di-

Digitized by Google

gnitatis, & auctoritatis] quippè, qui ex Chriſti verbis toties repetitis colligatur. Opponit Chryſoſtomum ſic diſſerentem. [Verùm ordinis dumtaxat honos eſt verbum id, primum, neque enim ſuperiores partes in hoc obtinet (Iudæus ſuprà Græcum) quòd maiorem iuſtitiam acceperit, ſed in hoc ſolùm honoratur, quòd primus eam acceperit.] Et paulò poſt [Igitur hoc loco, primum, verbi honos eſt, non gratiæ abundantia.] Deindè ſic argumentatur [Primitas ergo hæc ſecundùm Chryſoſtomum,] viro eloquentiſſimo barbariem effingit, [neſcio quid honoris ſecum fert, non poteſtatis.] Reſpondeo, Chryſoſtomus confert Iudæum cum Græco in ſuſceptione Euangelij, & quo ſenſu dictum ſit ab Apoſtolo, *Virtus enim Dei eſt, in ſalutem omni credenti, Iudæo primùm, & Græco*, verſat, atque particulam, Primùm, quæ nonnihil detrahere Græcorum gratiæ videretur, explicat, & homo Dialecticis diſciplinis in Schola Patrum Societatis Ieſu imbutus, ad Petri primatum ſuprà Apoſtolos euertendum flectit, & torquet? Quàm acutè? Chryſoſtomus quod exploratum haberet *to proton* quo vocabulo vſus Paulus, *tis diaphoras* indicium eſse, atque inter ſuperiores, & inferiores vſurpari, monet eo loci honoris tantùm eſse, non potioris cuiuſdam excellentiæ verbum.

Eodem Num. 10. Chryſ. in ep. ad Rom. hom. 2.

Rom. 1. ver. 16.

Cumque exemplum ſubiecisset de accedentibus ad baptiſmum, quorum, qui prior immerſus fuiſſet, & lotus, non potiorem, quam qui ſubſecuti eſſent, gratiam fuiſſet conſecutus, addidit *to tinyn protos en tautha rimatos eſt timi u charitos pleonaſmos*. Igitur hoc loco (aduerte *en tautha*) primùm, verbi honos eſt, non gratiæ abundantia. Annon igitur ignorantiſſimè faciat, qui ex hoc loco Chryſoſtomi colligat, Primùm, vbique honoris, non poteſtatis eſſe vocabulum? Conſulat Calepinum, is eum docebit, non ſolùm *proton* Græcum vocabulum, ſed etiam, primùm, latinum quandoque idem valere, ac verbum princeps, teſtemque dabit illi ipſum principem poetarum:

Aeneid. 1. Prima exponit Seruius Princeps.

Prima quod ad Troiam pro charis geſſerit Argis.

Eod. nu. 10. Chryſoſt. de Pæn. hom. 9.

At, inquit [ſolius honoris non poteſtatis primatum, ſeu prælationem, tribuit Petro, quando ait, Petrum cùm dico, Petram nomino indebilem, crepidinem immobilem, Apoſtolum magnum, primum diſcipulorum, primum vocatum, & primum obedientem] Infœliciſſimè pugnat. Probandum ſumpſerat ſolius honoris, non poteſtatis primatum tribuiſſe Petro Chryſoſtomum, & locum adducit, in quo cum dixerit [primum vocatum, & primum obedientem.] Igitur ne magnus eſt dialecticus, qui ex propoſitionibus, quas ſimplices categoricas vocant, excluſiuas componat? Demus Chryſoſtomum aſſeruiſſe Petrum vocatione fuiſſe primum, an proindè fas fuerit ſic collegiſſe: Ergò ſola vocatione primus eſt? An non potuit, qui primus eſſet vocatione, primus quoque eſſe auctoritate? Num hæc pugnant? Quàm eſt importunus? Potiùs vtrumque Petro aſſeruiſſe, Chryſoſtomum (ſi tamen primatum vocationis, de quo agitur, agnoſcit) didicerit ex his, quæ eodem loco habentur. *Petros*, inquit, *i to yphi ton Apoſtolon, o protos en ti Eccleſia, o philos Chriſtu o tin apocalipſin parà anthropon mi dexaminos, &c. Petrus ille Apoſtolorum princeps, in Eccleſia primus, amicus Chriſti, qui reuelationem ab hominibus non accepit, ſed à Patre, ſicut ipſe Dominus teſtimonium reddit. Beatus es Simon Bariona, quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui in cælis eſt*. Namque ſequitur proximè apud Chryſoſtomum, *Petrum cùm dico, Petram nomino infragilem, crepidinem, immobilem, Apoſtolum magnum, principem Apoſtolorum, primum vocatum, & primum obedientem*.

Vides, vt hæc omnia pulchrè oratione complectatur, vides, vt confeſſionem, quam edidiſſet Petrus, fulcrum, & baſim fecerit omnium honorum, qui vnquam Petro obtigerint, vt ſiquidem cum voluerit eſſe vocatione primum, in eo primatu non conquieuit, ſed prætereà primatum eximiæ dignitatis, & auctoritatis agnouerit. Quid enim, quod dixit, *en ti Eccleſia proton* fuiſſe, de primatu vocationis interpretabimur? Apage iſtas ineptias, principem quoque dixit Apoſtolorum, quo nomine aliquid ampliùs ſignificari, quàm primò vocatum, omninò apparet. Neque verò etiam primatum illum ſuum vocationis, ex loco, quem profert Chryſoſtomi, rectè colligit. Is enim Commentarijs in Matthæum Andream ſimul vocatum, ſimul obedientem cum Petro fratre deſcribit.

[Perpende, inquit, fidem, & obedientiam vocatorum (Petri, & Andreæ) & cognoſces, quàm dulcis ſit piſcatio, ſiquidem in medio ipſius operis conſtituti, cùm illum audiſſent iubentem, nihil diſtulerunt, nihil omninò cunctati ſunt, non dixerunt reuertemur domum, loquemur propinquis, ſed cuncta illicò relinquentes, fecerunt, quod Heliſæus quoque ſub Helia legitur impleuiſſe.] Neque quidquam diſcriminis ponit inter vtrumque, neque Petrum Andreæ antoponit, vt, nec Andream Petro. Nec tamen pugnantia dixit, etſi Petrum loco ab aduerſario verſato primum voluerit vocatum, & primum obedientem, cum reliquis enim illum confert, quos ſocios non habuerit prioris illius vocationis, non cum fratre, qui etiam, vt ſuprà monuimus, auctor ei fuerit primùm conueniendi Chriſtum. Et quidem ſi ambo primi vocati ſunt, cùm in hoc numero Petrus ſit, vtique primus vocatione appellari potuit, vt & ipſe Andreas. Nec enim hæc pugnant, Petrus primus vocatus eſt, Andreas primus vocatus eſt, quòd ſcilicet ſimul primi vocati ſint. Itaque cùm alter illorum dicitur primus, comparatione reliquorum dicitur, non comparatione fratris, hos enim Chryſoſtomus non diuidit, aut disiungit. Iam ad Triarios res redijt.

In cap. 4. Matth. hom. 14.

[Non latuit Auguſtinum] inquit Spalatenſis [hic Petri primatus in ordine vocationis, ait enim, Petrus in Apoſtolorum ordine primus, in Chriſti amore promptiſſimus, ſæpè vnus reſpondit pro omnibus, vnus pro multis dedit reſponſum, vnitas in multis. Et paulò poſt; In illo ergo vno Apoſtolo, id eſt, Petro in ordine Apoſtolorum primo, & præcipuo, in quo figurabatur Eccleſia, vtrumque genus ſignificandum fuit, ideſt firmi, &

Spalat. Num. 11. Aug. ſerm. in de verbis Domini.

infirmi, quia ſine vtroque non eſt Eccleſia. Quid mirum igitur, ſi qui primus erat in ordine inter Apoſtolos veluti primus vocatus; hinc etiam interdum caput diceretur. Certè Gregorius ep. 53. ind. 2. lib. 7. ex hac ordinis primitate capitis nomenclaturam libenter poſuit, vbi Nicęnam Synodum reſpectu aliarum trium generalium illam ſubſequentium primam, caput earum vocat, ſic enim ait; Nam, & nos præcedentes Patres ſequi debemus, qui, auctore Deo, à ſacra doctrina illorum non diſcordamus. A capite itaque incipientes vſque ad quartum altaris miniſtrum, hanc formam ſeruandam agnoſcimus, & ſicut minorem maior præcedit in honore, ita &c. Atqui primùm, præterquam quòd Auguſtinus de primatu Petri, & quidem verbis honorificentiſſimis loquitur, vt alibi oſtendimus, hìc mirùm eſt de primatu vocationis ſilentium. Nam quod dicit [eum in ordine Apoſtolorum primum] ad ordinem [præſtantioris dignitatis, & poteſtatis] non ad primatum vocationis referri debet, quod vt ipſe perſuaderet, non contentus eum vocaſſe primum in ordine Apoſtolorum: Præcipuum etiam dixit; [In illo ergo vno Apoſtolo] ideſt Petro, inquit [in ordine Apoſtolorum primo, & præcipuo &c.] Itaque concidit tota illa moles argumentorum malè inſtructorum, quibus oppreſſum voluit, & extinctum Petri principatum Spalatenſis.

Neque iam fas ei fuerit in hac diſputatione de capitis acceptione ex malè compactis, ac ad primatum vocationis ineptè accommodatis ratiunculis, argumentari. Facilè verò, fatemur, fuerit oſtendiſſe, caput aliquando initium rei ſignificare, ſed multo vberior ſeges argumentorum occurrit probare volentibus, caput pro principe vſurpari. Hęc verò ad hanc diſputationem non pertinent, quare ad alia properemus. Tertullianum etiam teſtem adhibet Spalatenſis: [Prioritatem hanc, & poſterioritatem] inquit [ratione ordinis ex vocatione inter Apoſtolos, conſiderauit optimè ante hos etiam Tertullianus: vbi de Luca Euangeliſta loquens, ſic ait; Porrò Lucas non Apoſtolus, ſed Apoſtolicus, non magiſter, ſed diſcipulus, vtique magiſtro minor, certè tantò poſterior, quantò poſterioris Apoſtoli ſectator Pauli ſine dubio. Quis non videt hic rationem haberi tantummodo temporis vocationis, quia enim Paulus nouiſſimus eſt vocatus à Chriſto ad Apoſtolatum; certè Lucas erit hoc nomine inferior Marco, quippè ille diſcipulus vltimi Apoſtoli Pauli, hic verò diſcipulus primi Apoſtoli Petri, ſed quamuis Marcion hinc detraheret fidem Euangelio Lucæ; docet tamen Tertullianus illum decipi; quia Pauli auctoritas, & certitudo, quam habebat de ſuo Euangelio, maximè poſt collationem habitam cum Apoſtolis, fidem plenam conciliabat Euangelio Lucæ, Pauli diſcipuli. Aduerte quæſo obiter Lector &c.] Ego quidem audio à Tertulliano Paulum dictum poſteriorem Apoſtolum, ratione ſcilicet temporis, & vocationis. At Petrum ſola vocatione priorem Apoſtolum dictum non audio. Deſtitui ſolidioribus argumentis oporteat, qui his futilioribus vtatur.

Spalat. Num 12.
Tertul. lib. 4 aduersùs Marcionem
Gal 2.

Pergit [Ex hoc primatu ordinis, & vocationis, nec non ætatis ſimul, illud conſecutus eſt Petrus, vt inter reliquos Apoſtolos locum haberet, quaſi Decani inter Cardinales, & primogeniti inter fratres. Quis verò ignorat primogenitos, vbi hæreditas ad ſolos primogenitos non ſpectat, hoc eſt maximos natu habere quamdam prælationem inter fratres, fraternam quidem, non deſpoticam, neque iuriſdictionalem; nam ſolo honore primogenitus, & fortaſsè aliqua ſuperintendentia, quantam ipſi fratres ei permittunt, & concedunt in regimine domus, & hæreditatis ſolet præcedere mortuo, ſeu abſente patre, reliquis omnibus in optima ætate conſiſtentibus. Ita Ruben primogenitus inter filios Iacob, hoc pacto alloquitur ſuos fratres, quando Ioſeph perierat, apud Chryſoſtomum. Puer non comparet, & ego quo ibo? Qualem habebimus defenſionem, & maximè ego, qui vobis præeſſe videor? Non diſſimili ratione Epiſcopalem propriam prælationem comparat, idem Chryſoſtomus, prælationi primogeniti inter fratres, dum ait, omnes enim nos fratres ſumus, vnus autem eſt noſter magiſter, quamquam, & inter fratres fas eſt, vt vnus præſcribat, & cæteri obtemperent.] Ve ineptiſſimam Petri cum Decano Collegij comparationem ſuo loco profligandam prætercam, hic proprio ſeſe iugulat gladio Spalatenſis; quippè, qui primogenitorum iura, qualia olim in lege erant, ad Petrum magna imprudentia trahat. Igitur veluti ex compacto rem tranſigamus.

Spalat. Num. 13.
Genef 37. Chryſoſt. hom. 61. in c. 37. Geneſ. Idem Chry. hom. 3. in Act. Apoſt.

Tu Spalatenſis vis Petrum, adeòque Pontificem in iura tranſijſſe primogenitorum. Atqui primogenitus non ſolùm in diuiſione hæreditatis paternę præponebatur cęteris filijs [accipiendo duas partes, & de bonis paternis cuncta duplicia] ſed prætereà quod ad honorem, & dignitatem attinet, habebat quaſi regalem quendam principatum, atque dominatum in omnes fratres: ergò pari ratione, & Petrus, & pontifex non ſolùm potiori parte hæreditatis Chriſti potiri, ſed & regalem quendam principatum, ac dominatum inter fratres obtinere debent, hic inter Epiſcopos, ille inter Apoſtolos. Habuiſſe autem primogenitum regalem quemdam principatum, ac dominatum, ipſæ ſcripturæ loquuntur, vt opus non ſit confugere ad Chryſoſtomum de Ruben Iacobi primogenito diſſerentem. Iſaac enim Iacob, quem opinionis errore putaret eſſe Eſau, primogenitum conſtituens. his eum verbis affatur. *Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini, & ſeruiant tibi populi, & adorent te tribus: Eſto Dominus fratrum tuorum, & incuruentur ante te filij matris tuæ: qui maledixerit tibi, ſit ille maledictus, & qui benedixerit, tibi benedictionibus repleatur.* Vt igitur cætera omittamus, comprehendit hæc benedictio præſtantiam domeſticæ cuiuſdam dominationis, & dignitatis ſuper alios fratres, qui primogenitum fratrem non ſecùs, ac parentem, aut Dominum reuerituri, atque honoraturi eſſent.

Deut. 21.
Chryſoſt. hom. 37. ad c. 37. Gen.
Geneſ. 27.

Igitur ſi hæc iura primogenitorum conceſſerit Petro, & pontificibus Romanis Petri ſucceſſoribus, auguratur animus futurum, vt per eum fatales iſtæ diſcordiæ, quæ Eccleſiam turbant, ac incendunt, conſopian-

Digitized by Google

piantur, & reſtinguantur. Vt autem animum inducat, meminiſſe illum oportet frendenti Eſau, ac pro recuperanda prærepta ſibi benedictione eiulanti reſpondiſſe Iſaac, *Dominum tuum illum conſtitui*, Iacob ſcilicet, *& omnes fratres eius ſeruituti illius ſubiugaui, viues in gladio, & fratri tuo ſeruies &c.* Hæc certè longè ampliorem, & auguſtiorem dignitatem, ac dominatum requirunt, quàm qui ſit Decani in Cardinales.

Ibidem.

Quod autem vrget ex Chryſoſtomo [omnes fratres eſſe] facilè ſoluitur ex conſequentibus verbis ab eo etiam recitatis: [Quamquam, inquit, & inter fratres fas eſt, vt vnus præſcribat, & cæteri obtemperent.] Permittat ergo Spalatenſis Petro, permittat Pontifici ſummum rerum iudicium, & ſibi, ac ſui ſimilibus obedientiæ gloriam relictam agnoſcat. Sinat, inquam, illum imperare, & Eccleſiæ gubernacula tractare, quem Chriſoſtomus *anteſignanum eximium, & Coryphæum diſcipulorum* vocarit; Patiatur eum primas tenere in populo Dei, quem magnus Cyrillus *ordine maiorem* prædicarit. Hæc enim, vt oſtendimus, primatum quendam, primatu vocationis altiorem comprobant, ac commonſtrant, quo effloruerit Petrus à Chriſto Eccleſiæ caput impoſitus. Veniamus iam ad primatum charitatis.

Spalat. Num. 13. Chriſoſt. hom. 1. in ep. ad Rom. & hom. 87. in Ioann. Cyril. lib. 4. in Io. c. 8.

Et quidem Petrum ſummo erga Chriſtum amore flagraſſe, nec facilè vlli diſcipulorum hac in parte conceſſiſſe non inuiti agnoſcimus, cùm ſummus iſte amor etiam noſtram fulciat ſententiam, ſed cùm de primatu agitur, illum ipſum amorem in cauſis antepoſitis, non proximis, & vt vocant immediatis, numeramus. Obſcura tamen eſt quæſtio, & diſſidentium Theologorum contrarijs ſententijs verſata [Num abſolutè Petrus omnes omninò; & ſingulos Apoſtolos charitate in Chriſtum anteuerterit? Qui à Spalatenſi aſſeruntur, Ambroſius, Cyrillus, Chryſoſtomus, Euſebius, & Bernardus aſſerentem partem defendere videntur: Contrà Hieronymus pro Ioanne acerrimè pugnat, cùmque decus virginitatis (quam Eccleſiaſtici germinis florem, adeòque gregis Chriſti illuſtriorem portionem vocat Cyprianus) propugnandum aduersùs Iouinianum ſuſcepiſſet, Petro coniugato cœlibem, ac virginem anteponit Ioannem, ac Chriſto chariorem fuiſſe contendit, quo planè ſignificat etiam magis dilexiſſe.

Spalat. Num 15. 16. 17. 18. & 19.

Cypr. lib. de diſcip. & habit. virg.

Verba eius ſunt [Ioannes vnus ex diſcipulis, qui minimus (natu ſcilicet) traditur fuiſſe inter Apoſtolos, & quem fides Chriſti virginem reccperat, Virgo permanſit, & ideò plùs amatur à Domino, & recumbit ſuper pectus Ieſu. Et quod Petrus, qui vxorem habuerat, interrogare non audet, illum rogat, vt interroget, & poſt reſurrectionem, nunciante Maria Magdalene, quòd Dominus reſurrexiſſet, vterque cucurrit ad ſepulchrum, ſed ille præuenit: Cùmque eſſent in naui, & piſcarentur in lacu Geneſareth, Ieſus ſtabat in littore, nec ſciebant Apoſtoli, quem viderent, ſolus virgo virginem agnoſcit, & dicit Petro, Dominus eſt, &c. Si autem obnixè contenderit Ioannem virginem non fuiſſe, vt nos amoris præcipui cauſam virginitatem diximus, exponat ille, ſi virgo non fuit, cur cæteris Apoſtolis plùs amatus ſit?] Hæc Hieronymus pro Ioanne. Aſtipulari videtur Tertullianus vetuſtiſſimus ſcriptor, atque Petro quidem eminentiorem poteſtatem, ſed Ioanni feruentiorem vendicare amorem; [Latuit, inquit, aliquid Petrum, ædificandæ Eccleſiæ Petrum dictum, claues regni cœlorum conſecutum, & ſoluendi, & alligandi in cælis, & in terris poteſtatem? Latiuit aliquid Ioannem dilectiſſimum Domino, pectori eius incumbentem, quem loco ſuo filium Mariæ commendauit?] Itaque haud facilè dixeris, cui ſit hæc palma amoris in Chriſtum adiudicanda.

Ipſe Sanctus Thomas 1. quæſt. 20. art. 3. in reſp. ad tertium, cùm perplexam hanc quæſtionem attigiſſet, vt erat ſumma modeſtia, noluit nodum ſoluere, ne in hac varietate opinionum magis in hos, quàm in illos inclinaſſe, atque alteri parti præiudicaſſe videretur. Aſcribam eius verba. Cùmprobandum ſumpſiſſet [Deum ſemper meliora diligere] hoc argumentum in ſeſe inſtruxit: [Petrus melior fuit Ioanne, quia plùs Chriſtum diligebat; vndè Dominus ſciens hoc eſſe verum, interrogauit Petrum dicens, Simon Ioannis diligis me plùs his? Sed tamen Chriſtus plùs dilexit Ioannem, quàm Petrum, vt enim dicit Auguſtinus ſuper illud, Simon Ioannis diligis me, hoc ipſo ſigno Ioannes à cæteris diſcipulis diſcernitur, non quòd ſolùm eum, ſed quòd plùs eum cæteris diligebat; non ergo ſemper diligit meliora.] Ne autem ceſſiſſe argumento videretur, ſic reſpondit [Dicendum, quòd hæc dubitatio de Petro, & Ioanne multipliciter ſoluitur: Auguſtinus namque refert hoc ad myſterium dicens, quòd vita actiua, quæ ſignificatur per Petrum, plùs diligit Deum, quàm vita contemplatiua, quæ ſignificatur per Ioannem, quia magis ſentit præſentis vitæ anguſtias, & æſtuantiùs ab eis liberari deſiderat, & ad Deum ire. Contemplatiuam verò vitam Deus plùs diligit, quia magis eam conſeruat. Non enim finitur ſimul cum vita corporis, ſicut vita actiua. Quidam verò dicunt, quòd Petrus plùs dilexit Chriſtum in membris, vt ſic etiam à Chriſto plùs fuit dilectus, vndè ei Eccleſiam commendauit; Ioannes verò plùs dilexit Chriſtum in ſeipſo, & ſic etiam plùs ab eo fuit dilectus; vndè ei commendauit matrem. Alij verò dicunt, quod incertum eſt, quis horum plùs Chriſtum dilexerit amore charitatis, & ſimiliter quem Deus plùs dilexerit in ordine ad maiorem gloriam vitæ æternæ. Sed Petrus dicitur plùs dilegiſſe, quantùm ad quandam promptitudinem, vel feruorem; Ioannes verò plùs dilectus quantùm ad quædam familiaritatis indicia, quæ Chriſtus ei magis demonſtrabat propter eius iuuentutem, & puritatem. Alij verò dicunt, quòd Chriſtus plùs dilexit Petrum, quantùm ad excellentius donum charitatis; Ioannem verò plùs, quantùm ad donum intellectus; vndè ſimpliciter Petrus fuit melior, & magis dilectus; ſed Ioannes ſecundum quid. Præſumptuoſum tamen videtur hoc dijudicare, quia vt dicitur Prouerb. 16. ſpirituum ponderator eſt Dominus, & non alius.]

Aug. tract. vlt. in Ioan.

Memoriæ proditum eſt Alexandrum, cùm impenſiùs amaret, ac eximia quadam beneuolen-

uolentia complecteretur Ephæſtionem, & Craterum duos exercitus ſui duces apprimè nobiles, atque ab his quoque redamaretur, dicere ſolitum, [Craterum quidem Regem amare, Ephæſtionem verò Alexandrum:] hoc fortaſſe non ineptè ad Petrum, & Ioannem flexiſſe fas fuerit, ad eam ſententiam illuſtrandam, in qua diſtinguitur [Petrum plùs dilexiſſe Chriſtum in membris, vndè ſit ei Eccleſia commiſſa, Ioannem in ſeipſo, vndè ſit ei mater commendata.]

Sed demus Petrum maiore charitate fuiſſe in Chtiſtum, quàm Ioannem; quis proindè in animum induxerit primatum Petri, quem Scriptura, & Patres rantoperè celebrant, in ſummi illius amoris prærogatiua poſitum eſſe? Si diceret Spalatenſis hunc ſummum amorem [iu cauſis,] & quidem [antecedentibus, ac prępoſitis] numerandum, non repugnaremus; ſed ferendus in eo non eſt, quod aſſerat [præciſam,] & vt vocant [formalem rationem primatus] Petri, in hac charitatis præſtantia poſitam eſſe. Certè ipſæ Scripturæ, ipſique Patres, quos oppugnandos magis, quàm explicandos ſuſcepit, aliud docent. Et quod ſcribit, hanc eis fuiſſe cauſam, cur Petro tantùm tribuerent, tam eſt abſurdum, quàm falſum, & ab omni, non ſolùm veritate, ſed etiam veriſimilitudine alienum eſt, [Apoſtolos Petrum ſuum principem feciſſe;] vt verò alicuius ponderis eſſet Anacleti epiſtola, quam laudat, facilè reſponderi poſſet, id eodem ſenſu ab eo dictum, quo dicitur antiquiora Concilia ei tribuiſſe primatum. Hæc enim doctè Nicolaus I. eò refert, vt exiſtimemus, & Concilia, & Patres, adeòque ipſos Apoſtolos Petro attributam à Chriſto poteſtatem veneratos fuiſſe. Atque quidem non aliò ſenſu accepiſſe hunc ipſum Anacletum, iſta produnt ex epiſtola tertia: Inter epiſt. Anacl. ep. 3. [Hæc ſacroſancta Romana, & Apoſtolica Eccleſia,] inquit, [non ab Apoſtolis,] (audiſne Marce Antoni) [ſed ab ipſo Domino Saluatore noſtro primatum obtinuit, & eminentiam poteſtatis ſuper vniuerſas Eccleſias, ac totum Chriſtiani populi gregem aſſecuta eſt; ſic, vt ipſe beato Petro Apoſtolo dixit,] *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, &c.*

Itaque falſum falſiſſimum, quod aſſumit Spalatenſis, Spalat. n. 17. huius Anacleti ſententia niti [primatum Petri, ordine vocationis, & feruore charitatis, ac prędicationis, & delatione,] vt loquitur, [voluntatia Apoſtolorum.] Quare, quod dixit, [voluiſſe Apoſtolos Petrum principem ſuum eſſe,] ſenſu Nicolai accipiendum eſt, annuiſſe ſcilicet eos, ac paruiſſe Chriſti decreto, quo ſanxiſſet Petrum pro capite Eccleſię ſuę omnibus omninò fidelibus habendum, colendum, & obſeruandum. Num. 18. quod ex Auguſtino, Ambroſio, & Cyrillo hic retexit, ac importuniùs repetit, diſpunximus ſuprà. Operam itaque luſit Spalatenſis toto hoc capite, atque ne hilum quidem, quod illi eſt ſolemne, profecit. Efficere tentauit, Petrum omnibus Apoſtolis natu maiorem fuiſſe; At dubia res eſt, potiſſimùm verò ſi cum Andrea conferatur, quem multi doctiſſimi viri ætate ſuperiorem fecerint. Conſtitueret ſibi probandum Petrum omnes vocatione anteuertiſſe, id nos falſum eſſe comprobauimus.

Poſtremò aſſumpſerat Petrum ceteris Apoſtolis amore in Chriſtum excelluiſſe, probauimus verò diſſidere, ac diſceptare de eo Patres, ac proindè problema eſſe Theologorum. Ac vt omnia, quæ deſtinaſſet animo, planè probaſſet, tamen in ætate, aut vocatione, aut etiam amore, quo præ ceteris extitiſſet Petrus, primatus, quem eſſet conſecutus, rationem præciſam, & formalem ponendam eſſe, non effeciſſet; Ampliorem ſcilicet quandam dignitatem, ac longè auguſtiorem conſecutum fuiſſe Petrum, nos Patres omnes docent, quorum ſuis locis teſtimonia proferentur. Exequiamus ſequentia.

Digitized by Google

DISCVSSIO SEXTI CAPITIS LIBRI PRIMI.

DE SENSV HORVM VERBORVM, TV ES PETRVS.

CONSPECTVS CAPITIS.

In verbis, Tu es Petrus, &c. *non immeritò Catholicos maximum ſuæ cauſæ præſidium ponere: Ea ad Petrum proximè pertinere: Hanc ſententiam Orthodoxorum eſſe propriam: Expenduntur aliæ tres ſententiæ de ſenſu horum verborum, quas Eraſmo, Caluino, ac Luthero tribuit Illuſtriſſimus Cardinalis Bellarminus: Conciliantur Patres, qui eas ſententias primi inuenerunt, ac longè abfuiſſe à Sectariorum errore oſtenditur: Priorem quoque de primatu Petri amplexatos fuiſſe, ac propugnaſſe: Bellarminus, & Baronius paſſim defenſi: Turrecremata quoque calumnijs vindicatus.*

VErum, proprium, abſolutum, & maximum Petri primatum; quo ſolus omnes Apoſtolos ſuperauerit, vt confirment Monarchiei noſtri Theologi, Neo-
Spalat.nu.1. terici innumera cogunt diuinæ Scripturæ loca; ex quibus dictum primatum diuino iure ad Petrum pertinere oſtendant. Caietanus tamen totam
Caiet. tract. de Rom. Pont. cap. 1. huius quæſtionis vim de Petri, & conſequenter de Pontificis Romani primatu in duobus ſacri Euangelij locis dicit conſiſtere. Ait enim, quia verò ex ſacris literis pendet omnis quæſtionis huius veritas; & duo ſunt præcipuè textus, ſcilicet Matthæi 16. & Ioan. vltimo expreſsè de hoc myſterio loquentes: Ideò primò, iuxtà vtrumque textum, inueſtigandum eſt, an ſoli Petro verba Chriſti dicta ſint, & an per hæc ſoli Petro Pontificatus totius Eccleſiæ à Chriſto ſit commiſſus. Ita Caietanus. Quod ſanè adeò verum eſt, vt quicumque Romanam tuentur Hieromonarchiam, nihil ſæpiùs in ore habeant, quàm, Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam: Et, Tibi dabo claues regni cœlorum. Et, Paſce oues meas, quid igitur his locis, ac dictis intendatur; quid fiat, quid & cui committatur, eſt nobis iam exquiſitè indagandum. Et ſi his locis Chriſtus monarchiam non inſtituit in alijs minoribus, non multùm laborandum; ſiquidem Caietanus monarchicorum dux ex præcipuis; in his ſolis totam vim conſiſtere fatcatur.

Primus, & maximè inſignis locus, ex quo Petri primatus ſolet colligi diuino iure, hoc eſt, Chriſti inſtitutione in ipſum collatus, eſt in Euangelio, vbi interrogat Dominus diſcipulos, Quem dicunt homines eſſe filium hominis? & reſpondentibus alijs, variaſque hominum de Chriſto opiniones referentibus, denuò interrogat eos; Vos autem quem me eſſe dicitis? Tunc Petrus ſtatim erupit in verba illa nobiliſſimæ confeſſionis diuinitatis Chriſti, Tu es Chriſtus filius Dei viui. Rependit ei vices Chriſtus, & ait; Et ego dico tibi, quia, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Hìc iam nos Romani ſiſtere ſolemus, & dicere: Petrum à Domino deſignari pro fundamento totius Eccleſiæ, quæ debeat eidem inniti; quemadmodùm ædificium innititur fundamento: hoc eſt, ipſum Petrum ſolum deſignari in Rectorem, & vniuerſalem totius Eccleſiæ, qui illam debeat ſuo viſibili regimine ſuſtentare; ſicut fundamentum ſuſtentat totam domum.

Olim

Digitized by Google

OLim cum Tiberio Iudice,& arbitro Senatu Romano, vndecim Aſiaticæ vrbes pari ambitione pro templo Auguſti certarent, ac ſingulæ argumenta, & inductiones proferrent, quibus illud ſuæ genti aſſererent, [paulùm addubitatum,] tradit Tacitus, [quòd Halicarnaſſij mille, & ducentos per annos nullo motu nutauiſſe ſedes ſuas, viuoque in ſaxo fundamenta templi adſeuerarent.] Iam non de Auguſti templo, ſed de Chriſti Eccleſia inter nos, & Hæreticos magna animorum, & ſententiarum contentione pugnatur; per mille, & ſexcentos annos duraſſe noſtram viuo ſaxo, hoc eſt Petræ, ſuper quam hanc molem ædificaturum ſe pollicitus eſſet Chriſtus, innixam oſtendimus. Hoc argumento non fragili, & fluxo, quale fortè fuerit Halicarnaſſiorum, ſed ſolido, & firmo, quippè quo ſancti Patres acerrimi veritatis vindices, ſint olim aduersùs hæreſes vſi, probamus penès nos eſſe viuum illud Dei templum: *Quò ſi quis non intrauerit, vel à quo ſi quis exierit, à ſpe vitæ, ac ſalutis æternæ alienus ſit*. Quis ergo niſi paulò iniquior, addubitet, hanc domum Dei viuentis agnoſci debere pro qua depugnemus? Non nutauit hæc fides per ſexcentos,& mille annos, & erunt, qui eam conuellere moliantur? Magno certè fragore, & ſonitu id tentat Spalatenſis. Atqui ſtat dura ſilex immota, ſtat ædificium Chriſti, nullo impio conatu euertendum. *Probatio eſt ad fidem facilis*, inquit Cyprianus, *compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum; Ego dico tibi, quia, Tu es Petrus, & ſuper iſtam petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non vincent eam: &, Tibi dabo claues regni cælorum*. Non diffitemur igitur præſidium omne Petri, hoc eſt ſummi principatus, quo eum ornauerit Chriſtus, hoc optimo, & apertiſſimo teſtimonio maximè niti, ac in eo ferè cauſæ noſtræ firmamentum poſitum eſſe.

Apud Tacit.

Lact. lib. 4. cap. vlt.

Aug. contra Epiſt. fundamenti cap. 4 Cipr. de virtut. Eccl. initio.

Spalat. n. 3. Et ſanè iuuat cauſam noſtram aduerſarius. [Certè, inquit, verba Chriſti adeò ſunt arcta, & vocculis indiuiduantibus ad vnum Petrum directa, vt nefas ſit ea à Perſona diuellere, & directè ad alios dirigere.] Dixerat hoc multò elegantiùs magnus Baſilius, Poſtquam enim aduerſus Eunomium oſtendiſſet Petri, ac Pauli, & omnium hominum vnam eſſe ſubſtantiam, licèt diuerſæ ſint appellationes, atque eo argumento probaſſet appellationes haud ſolùm ſubſtantias, ſed etiam proprietas, quibus ſinguli deſignarentur ſignificare, vt exemplo rem illuſtraret, ſubiecit. *Hinc eſt, vt cùm Petrum, nomen videlicet hoc audiamus, non ſubſtantiam eius intelligamus, &c. Sed earum proprietatem, quæ circa ipſum inſpiciuntur ſenſum concipimus. Illicò enim per hanc vocem intelligimus Ionæ filium, qui fuit ex Betſaida, Andreæ fratrem, qui ex piſcatore in Apoſtolatus miniſterium vocatus eſt, qui quoniam fide præſtabat, Eccleſiæ ædificationem in ſeipſum recepit*. Neſcio an quicquam illuſtriùs pro hac ſententia afferri poſſit.

Baſil. adu. Eunom li. 2.

Num. 3. in fine. Spalat. Num. 4.

Hæc cum ſolis luce clariora videret Spalat. non auſus eſt refellere, nutat tamen, ac præfatur, nomen *Petræ* varias habere interpretationes, & explicationes, quibus totum locum obſcurare viribus omnibus conatur. Et primùm quidem cùm Bellarminum vexãdum ſibi propoſuiſſet, conqueritur illum, cùm quatuor eius loci explicationes attuliſſet, ſecundam, tertiam, & quartam, quæ eſſent antiquorum Patrum, tribuiſſe Eraſmo, Caluino, & Luthero. *Non video*, inquit, *cur tres poſteriores ſententias maluerit tribuere, Eraſmo, Caluino, & Luthero, quàm Catholicis Patribus, etiam in Romana Eccleſia celeberrimis*. Nos vt prudentiſſimũ Cardinalem omni noxa liberemus; Reſpõdemus, idcircò eas opiniones, quas ſtatim proferemus, non tribuiſſe Patribus, ſed tum Eraſmo, tum Caluino, tum Luthero, quòd hæretici eas iam ſibi proprias fecerint, repudiata (etiam confeſſione Spalatenſis) vera, germana, & directa, & literali, quam tamen illi ipſi Patres, qui tres iſtas poſteriores innexerunt, propugnarint, & defenderint conſtantiſſimè.

Bellar. lib. 1 de Roman. Pont. ca. 10.

Vt igitur fidẽ faciamus Lectorib. repetendæ ſunt ex Cardinali doctiſſimo illę interpretationes. *Prima*, inquit, *ſententia Catholicorum eſt communis Patrum, ſcilicet illam eſſe Petrum, ideſt illam perſonam, quæ dicebatur Petrus, non tamen, vt perſona erat particularis, ſed vt Paſtor, & caput Eccleſiæ. Secunda eſt Eraſmi, omnem hominem fidelem eſſe hanc petram. Tertia Caluini, petram illam eſſe Chriſtum. Quarta Lutheri fidem, ſeu fidei confeſſionem eſſe petram, de qua Dominus eò loquitur*. Videamus iam, num vera dixerit Cardinalis. aſſero igitur eam eſſe iam Catholicorum propriam, quæ per *Petram*, de qua ſit locutus Chriſtus, cùm de ædificanda ſua Eccleſia coràm Apoſtolis diſſereret, propriè, directè, ac præciſè intelligendum eſſe Petrum cenſeat. Nititur autem his rationibus euidentiſſimis.

Eraſm. ad c. 16. Matth. Calu. lib 4. inſtit. c. 6 §. 6. Luth. lib de poteſtate Papæ.

Prima eſt, quòd cùm pollicitus eſſe, Chriſtus Petro, fore, vt detracto Simonis nomine, ei Cephas nomen imponeret, nuſquam aliàs legimus ipſum eius nominis vim explicaſſe, ſed vno hoc loco id factum accepimus; atqui ne quidem hoc loco explicatur vis nominis Cephas, ceu Petræ, niſi quemadmodùm in his verbis, *Tu es Petrus*, Apoſtolum deſignat, ita eundem in ſequentibus, *& ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*; expreſsè ſignificet, & oſtendat. Altera ratio eſt, quòd Chriſtus eò loci vices omninò rependat Petro, atque ad inſignem illam, & tantoperè laudatam confeſſionem, quam de eo edidiſſet, reſpondeat, quandoquidem Petrum allocuturus, hunc in modum eſt præfatus. *Et ego dico tibi*, seu vt habet Eraſmus; *At ego viciſſim dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*. Petrus autem illo ſuo reſponſo, ac confeſſione duo quidem præſtiterat, namque nomen, vt vocant, appellatiuum, Chriſti expreſſerat, *Tu es Chriſtus*, & vim eius nominis indicarat, *filius Dei viuentis*. Itaque vt res cohæreant, & antitheſis ſuos expleat numeros, par eſt credere, Chriſtum non ſolùm extuliſſe vocem nominis, quod aliquando impoſiturum ſe dixiſſet, ſed & vim, ac energiam ſubindicaſſe. Et quidem nomen extulit cum dixit, *Tu es Petrus*; Vim verò nominis aperuit, additis illis verbis, *& ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*. Vt igitur priore loco indicatur Petrus, ita quoque poſteriore venit intelligendus.

Eraſm. ad c. 16. Matth.

Tertia ratio eſt, quòd nihil neceſſe habuerit Chriſtus proloqui, ac profari, *Beatus*

es Simon Bar-Iona, quia caro, & ſanguinis non reuelauit tibi, &c. Ego dico tibi, niſi quæ erat veluti coronidis vice adiecturus, ad ipſum quoq; Petrum pertinerent. Et quidem illa poſtrema verba; *Et tibi dabo claues regni cælorum, & quodcunque ſolueris, &c.* metaphoræ Petræ non rectè aptari poſſunt, niſi Petræ nomine, Petrum intellexeris.

Quarta ratio; Eſſet valdè implicata, & perturbata ſeries verborum Chriſti, niſi eodem tenore, orationem ad vnum Petrum flexiſſet: Siquidem enim hæc diuerſitas inducitur, ei dicendum fuit: *Tu ſcilicet*, Apoſtole, *es Petrus, & ſuper hanc petram*, ideſt ſuprà me, *ædificabo Eccleſiam meam; Et tibi*, Petro Apoſtolo, *dabo claues regni cælorum*. Quis non videat hæc eſſe perturbatiſſima?

Quinta ratio, pronomen *hanc* vnà cum nomine *Petra* repetitum, innuere videtur de ea Petra ſermonem eſſe, quam in antepoſita propoſitione expreſserat Chriſtus. Atqui ea petra, Petrus eſt Apoſtolus, quòd ſi ſermonem aliò torſiſset Chriſtus, adeòque ad ſe ipſum conuertiſset, proculdubiò ad omnem errorem funditus tollendum, & eliminandum, id vel ipſe nutu aliquo, & ſigno expreſſiſset, cùm hæc diceret, vel ſaltem poſteà Euangeliſtæ in eius hiſtoriæ narratione explicaſsent, quod in re haud diſsimili alio loco fecerunt. Cùm enim dixiſset Chriſtus, *Soluite templum hoc, & in tribus diebus ædificabo illud*, ne quis pronomen, *hoc*, ad templum Salomonis referret, mentem expreſſit Chriſti Euangeliſta, *Hoc autem dicebat de templo corporis ſui*, quod tamen hic non facit.

Sexta ratio, eaque palmaria, Chriſtus his verbis, *Tu es Petrus, &c.* proculdubiò ad nomen *Petri*, quod Simoni impoſuiſset, alluſit. Itaque ſi in nomine efferendo, & explicando aliò, quàm ad Petrum, ab eo eſt tranſlata petræ metaphora, non illum ornare, ſed detrahere gloriæ eius, ac eam, aut infringere, aut imminuere conſtituit. Cum enim ad nomen alicuius alludimus, & eum laude aliqua eximia ornamus, ad vnum illum præclari nominis ſignificatum flectimus, atque iam ſi aliò torqueamus, aut iniuriam ei facimus, aut ſaltem, quadrare in eum, veluti inficiamur. Exemplo ſint iſta. Apud Vopiſcum Probus *verè Probus* dicitur, & Carus *verè Carus*, ſi igitur de perſona Probi, aut Cari accipis, in honorem illorum ceſſerit: at ſi dixeris cum

August. in Pſal. 3.

Auguſtino; *Abſalon perindè eſt, ac pax Patris, at Chriſtus eſt illa pax Patris*: Nonne vides veluti labem inuri Abſaloni, quem hoc nomine indignum cenſeas? Itaque ſi cùm primùm nominis *Cephas*, quod Simoni impoſuiſset, vim explicauit Chriſtus, aliò rem retulit, quàm ad Petrum, illum proculdubiò inſigni iniuria affecit, atque grandi probro aſperſit: Id enim fuerit oſtendiſse, non ſatis eius virtutes nominis ſplendori reſpondere.

Atqui conſtans eſt veterum Patrum ſententia, Chriſtum hoc loco Petrum, ob primò editam de ſe præclaram, & admirandam confeſſionem, remuneratum fuiſse, adeòque ſingulari quodam honore eum ornaſse. Itaque propriè illum affatus eſt, atque eum eſse petram, ſuper quam ædificaturus eſset Eccleſiam ſuam, apertè pronunciauit. *Dignum planè*, inquit Hilarius, *confeſſio Petri præmium*

Can. 16. in Matth.
Math. 16.

conſecuta eſt, quia filium Dei in homine vidiſſet. O in nuncupatione noui nominis fælix Eccleſiæ fundamentum, &c. Sed de his poſteà. His ergo rationibus nixi omninò arbitrantur Orthodoxi verum, genuinum, & maximè proprium ſenſum huius loci; *Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*: eum eſse, qui petræ ſignificatum ad Petrum Apoſtolum referat, cui ſit hęc nominis appellatio à Chriſto communicata, vt Eccleſiæ ſuæ caput eum ſpectabile faceret, eximia laude ornaret, & maximo munere bearet.

Sed vnum præſidium ducunt Catholici à communi antiquorum Patrum conſenſu, qui vno ore, vno conſenſu, *Petrum* illam eſse *petram* prædicant. Neque eorum modò, qui in Occidente floruerunt, ſed, & eorum, qui Orientis Eccleſias excoluerunt, ea communis vox eſt. Incipiamus igitur ab iſtis, de quibus nulla poſſit eſse ſuſpicio, impenſiùs fauiſse eos Pontificiæ cauſæ. Origenes quidem Græcorum longè doctiſſimus, hunc in modum loquitur; *Vide magno illi Eccleſiæ fundamento, & Petræ ſolidiſsimæ, ſuper quam Chriſtus fundauit Eccleſiam, quid dicatur à Domino, &c.* Ac rursùs interprete Hieronymo; *Petro cùm ſumma rerum de paſcendis ouibus traderetur, & ſuper ipſum, velut ſuper terram fundaretur Eccleſia, nullius confeſſio virtutis ab eo, niſi charitas exigitur.* Item apud Euſebium; *Petrus, ſuper quem Chriſti Eccleſia, contrà quam inferorum portæ non præualebunt; ædificata eſt, vnam epiſtolam omnium aſſeueratione approbatam, reliquit.* Baſilius hanc, & ipſe amplectitur interpretationem: *Illicò*, inquit, *per hanc vocem, Petrus, intelligimus Ionæ filium, qui fuit ex Betſaida Andreæ fratrem, qui ex piſcatore in Apoſtolatus miniſterium vocatus eſt. Qui quoniam fide præſtabat, Eccleſiæ ædificationem in ſeipſum recepit.* Item ad ea verba Eſaiæ; *Erit in nouiſsimis diebus manifeſtus mons Domini*, poſtquam oſtendiſset ſuper Apoſtolos, tamquam ſuprà montem ædificatam Eccleſiam, id peculiari ratione approbaturus in Petro. *Vnus*, inquit, *ex montibus erat Petrus, ſuper quam petram pollicitus fuerat Dominus ſuam ſe ædificaturum Eccleſiam.* Gregorius Nazianzenus. *Vides, quemadmodùm ex Chriſti diſcipulis, magnis vtique omnibus, & excelſis, atque electione dignis, hic Petra vocetur, atque Eccleſiæ fundamenta in fidem ſuam accipiat, ille impenſiùs ametur, & ſupra pectus Ieſu requieſcat, ac reliqui diſcipuli eos ſibi præferri æquo animo ferant.* Chryſoſtomus: *Vt indicaret Chriſtus, quàm ſtudioſè rem illam expeteret, quantàque paſsionis cupiditate teneretur, primum Apoſtolorum, fundamentum Eccleſiæ, principem cætus diſcipulorum, idque cùm ex ignorantia loquutus, dixiſſet, Propitius tibi eſto Domine, non erit tibi hoc; audi, quid vocarit: Vade poſt me Satana, ſcandalum es mihi.* Rursùs alio loco: *Quid Petrus baſis Eccleſiæ, ille vehemens amator Chriſti, ille ſermone indoctus, & Rhethorum victor, ille imperitus, qui tamen philoſophis obturauit os, ille, qui Græcanicum ſapientium non aliter, quàm aranearum telam diſſoluit, qui terrarum orbem paragrauit, qui ſagenam miſit in mare, & piſcatus eſt orbem, non habuit hic quoque vxorem? Sanè habuit.* Idem: *Columna illa Eccleſiæ, illa fidei baſis; illud Apoſtolici chori caput, Petrus, an non ſemel, & iterùm*

Orig. in ca. 14. Exod h. 5.

Apud Euſ. lib. 6. cap. 15 Græc. & 19. Latin.

Baſil. lib. 2. contra Eunomium.

Baſil. ad cap 2. Eſaiæ.

Greg. Naz. Baſilij Achates orat. 26. de moderatione in diſput. ſeruanda.

Chryſ ad eos qui ſcandal. ſunt, lib. 1.

Idem de verb. Eſaiæ hom. 4.

Idem ho. 2. de Pœn. in Pſal. 50.

rùm

Digitized by Google

Epipha. aduerſ. Hæreſ. 59.
rùm, & tertiò Dominum abiurauit? Epiphanius: *Princeps Apoſtolorum Petrus*, inquit, *qui Dominum aliquando negauit. Qui quidem ſolidæ petræ inſtar nobis extitit, cui velut fundamento Domini fides innititur: ſuprà quam Eccleſia modis omnibus extructa eſt. In primis quidem, quòd Chriſti Dei viui filium eſſe confeſſus eſt, idque viciſsim audiit: ſuprà hanc ſolidæ fidei petram ædificabo Eccleſiam meam.*

Idem in Ancorato.
Idem in Ancorato: *Ipſe autem Dominus conſtituit eum primum Apoſtolorum petram firmam, ſuper quam Eccleſia Dei ædificata eſt, & portæ inferorum non valebunt aduerſùs illam. Portæ autem inferorum ſunt hæreſes, & hæreſiarchæ: Iuxta omnem enim modum in ipſo firmata eſt fides, qui accepit clauem cælorum, & ſoluit in terra, & ligat in cælo.*

Cyril. lib. 2. in Ioan. cap. 22.
D. Cyrillus; *Diſcipulum inſtruit eum ſe eſſe, qui cuncta, etiam antequam fiant, nouit; nec Simon fore iam nomen ſibi, ſed Petrus prædicit, vocabulo ipſo commodè ſignificans, quòd in eo, tamquam in petra, lapideque firmiſsimo ſuam eſſet ædificaturus Eccleſiam.*

Theoph. ad 22. Lucæ.
Theophylactus: *Planus huius intellectus eſt: quia te habeo, vt principem diſcipulorum, poſtquam me negato fleueris, & ad pœnitentiam veneris, confirma ceteros. Hoc enim te decet, qui poſt me Eccleſiæ petra es eſt firmamentum.*

Hæc ſunt, & ampliſſima, & veriſſima Græcorum Patrum teſtimonia, quibus nitimur, cùm per petram, Petrum interpretamur. Conueniamus iam Latinos, qui cùm longè antè huius æui turbas floruerint, nullo partium ſtudio laboraſſe, credi queant. Exordiamur à vetuſtiſſimo Tertulliano reuincente, ac refellente argumentum hæreticorum, qui

Tertul. de præſcr. adu. hæret. c. 21. de Circumſ.
dicerent non omnia Apoſtolos sciſſe. *Latuit*, inquit, *aliquid Petrum ædificandæ Eccleſiæ petram dictum, claues regni cælorum conſecutum, & ſoluendi, & alligandi in cælis, & in terris poteſtatem:* Magiſtrum excipiat diſcipulus,

Cyp. ep. 55.
Cyprianus: *Petrus*, inquit, *ſuper quem ædificata* (*ædificanda* legunt alij) *à Deo fuerat Eccleſia, vnus pro omnibus loquens, & Eccleſiæ voce, reſpondens ait, Domine ad quem ibimus?*

Epiſt. 71. Epiſt. 40.
Item: *Petrus, quem primum Dominus elegit, & ſuper quem ædificauit Eccleſiam, &c.* Ac rurſùs: *Deus vnus eſt, & Chriſtus vnus, & vna Eccleſia, & Cathedra vna, ſuper Petrum Domini voce fundata.*

Epiſt 69.
Ac item: *Loquitur illic Petrus, ſuper quem ædificata* (rurſùs *ædificanda* legunt alij) *fuerat Eccleſia.*

Lib. 1. adu. Pelag. c. 4.
Item Hieronymus; *Vt Plato princeps Philoſophorum, ſic Petrus Apoſtolorum fuit, ſuper quem Eccleſia Domini ſtabili mole fundata eſt, &c.* Idem rurſùs: *Secundùm metaphoram Petræ rectè dicitur ei, Ædificabo Eccleſiam meam ſuper te.*

Serm.
Zeno Veronenſis, vetuſtus ſanè auctor, *Non ſine ratione Simoni, ſuper quem ædificauit Eccleſiam Chriſtus, Petrus nomen impoſuit.*

Hila. Can. 26. in Matth. 16.
Hilarius: *O in nuncupatione noui nominis, fœlix Eccleſiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius petræ, quæ infernas leges, & Tartari portas, & omnia mortis clauſtra diſſolueret.* Ambroſius in verſibus ab Auguſtino laudatis,

In hym.

Hoc ipſa Petra Eccleſiæ
Canendo culpam diluit.

Auguſtinus etiam, etſi in aliam propendeat ſententiam, quæ hanc petram Chriſtum facit, noſtram tamen non reijcit, quam etiam antè editos ſuarum retractationum libros, eſſet amplexatus. *Harum duarum ſententiarum*, inquit, *quæ probabilior ſit, eligat Lector.* Sed extat celeberrimus locus pro Petro, & pro Eccleſia Romana in Pſalmo contrà partem Donati; poſt enumeratos Sacerdotes, qui in Cathedra Petri ſucceſſiſſent. *Hæc eſt*, inquit, *illa petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ.*

Leo ſerm. 2. in anniuerſ. aſſumpt. ſuæ ad Pontificatum, vide epiſt. 89. c. 1.
Leo Magnus: *Manet diſpoſitio veritatis, & B. Petrus in accepta fortitudine petræ perſeuerauerit, ſuſcepta Eccleſiæ gubernacula non reliquit, ſic enim præ cæteris eſt ordinatus, vt dum petra dicitur, dum fundamentum pronunciatur, &c. qualis ipſi cum Chriſto eſſet ſocietas, per ipſa appellationum eius myſteria noſceremus.*

Proſ. Aquit. lib. 2. de vocat. gent. 28.
Proſper Aquitanicus ſuo ſæculo eruditorum eruditiſſimus, [Quis ergo ambigat, quis ignoret hanc fortiſſimam petram, quæ ab illa principali petra communionem, & virtutis ſumpſit, & nominis. hoc deſiderium ſemper habuiſſe, vt ei moriendi pro Chriſto conſtantia donaretur.]

En nubem teſtium, tum Latinorum, tum Græcorum pro Catholica ſententia: Et Spalatenſis illis etiam ſe annumerat, qui illam propugnant.

Num. 2. in fine.
[Hic, inquit, iam nos Romani ſiſtere ſolemus, & dicere Petrum à Domino deſignari pro fundamento totius Eccleſiæ, quæ debeat eidem inniti, &c.] Tu ne igitur Romanus mi Antoni? Audi Hieronymum contrà Ruffinum, qui hoc ipſum iactarat: *Si Romanam ſuam fidem dicit, Catholici ſumus.* Excuriamus iam alias ſententias, quas Eraſmo, Caluino, & Luthero tribuit Cardinalis Bellarminus.

Hier. adu. Ruff.
Secunda igitur ſententia eſt omnem hominem fidelem eſſe hanc petram.

Spalat. Num. 4. Orig. tract. 1. in Matth.
Hic autem quærit Spalatenſis, quorſùm eam tribuerit Eraſmo Cardinalis Bellarminus, cùm ea longè antiquiorum ſit Origenis, & Ambroſij. [Certè, inquit, Origenes ſic ſcribit: Quòd ſi nos quoque locuti, quod dicit Petrus: Tu es Chriſtus filius Dei viui, tamquam non accepta huius reuelatione à carne, & ſanguine, ſed luce cordi noſtro illuceſcente, à Patre, qui in cœlis eſt, efficimur Petrus: Et nobis dicetur, quod hunc ſermonem ſequitur, Tu es Petrus, &c. Petra eſt enim, quiſquis Chriſti diſcipulus eſt, ex quo biberunt de ſpirituali conſequente petra:

1. Cor. 10.
& ſuper talem petram conſtruitur omnis Eccleſiaſtica doctrina, & ſecundùm hanc, vitæ inſtitutio. In vnoquoque enim perfecto habente congregationem eorum, qui complent beatitudinem verborum, factorum, & ſenſuum, eſt quæ à Deo ædificatur Eccleſia. Quid igitur nobis Eraſmum obiectat, vbi auctorem habemus Origenem?]

Reſpondeo id meritò feciſſe Bellarminum: namque ea opinio, quam inuexit Eraſmus, proculdubiò non eſt, aut Origenis, aut Ambroſij. Nam hi cùm dicerent, quemuis fidelem petram illam, aut eſſe, aut eſſe poſſe, ſic illam moralem, & allegoricam expoſitionem inducebant, vt tamen docerent veram, genuinam, ac literalem interpretationem eſſe verborum Chriſti, *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram*, quæ illa ad perſonam Petri referret. At Eraſmus ſuam interpretationem dicit eſſe germanam, etiam exploſa literali, quam Origenes tribus inſignioribus locis à me citatis, & Ambroſius paſſim conſtantiſſimè defendunt,

dunt, ac propugnant. Hoc igitut differunt Origenes, Ambroſius, & Eraſmus, quod hic abſurdum eſſe cenſeat, ſuper hominem Petrum ædificari Eccleſiam. Illi verò doceant id à Chriſto ſapientiſſimè factum. Meram autem allegoriam attigiſſe Origenem, ac ſolùm ſenſum moralem eruiſſe, cùm diceret, *omnem fidelem eſſe illam petram,* patet, quia locis à nobis citatis aſſerit, Petrum fundamentum Eccleſiæ fuiſſe à Chriſto conſtitutum.

Origen. in c. 14. Exod. lib. 5. Idem in c. 6. ep. ad Rom. lib. 6.

Sic enim ait; [Vide magno illi Eccleſiæ fundamento, & petræ ſolidiſſimæ, ſuper quam Chriſtus fundauit Eccleſiam, quid dicatur à Domino, &c. Item; Cùm ſumma rerum de paſcendis ouibus traderetur, & ſuper ipſum, veluti ſuper terram fundaretur Eccleſia, nullius Eccleſia, nullius confeſſio virtutis alterius ab eo, niſi charitas exigitur.]

Spalat. Num. 5.

Quod autem garrit Spalatenſis, Origenem, [præmiſſo præambulo allegorico, flexiſſe tandem literalem ad Apoſtolos,] tam eſt allegoricum, vt ſenſum effugiat, ac in eo turpitèr errat, quòd de Apoſtolis ſolis loquutum exiſtimat Origenem, Etſi enim, vt hanc ſuam allegoriam fulciret, & illuſtraret Ioannis, & Apoſtolorum exemplum vſurpauit, tamen quis neſciat pronunciati indefiniti, ac illimitati, exempla eſſe priuata, & ſingularia? Per diſcipulum enim Chriſti Origenes, quemuis Chriſtianum intelligit, ac planè cœcum exiſtimo, qui hoc non videat. Locum lege;

Orig. tract. 1. in cap. 16. Matth.

[Si, inquit, dixerimus, quemadmodùm dixit Petrus, &c. ſumus, & ipſi, quod fuit Petrus, &c. ſi nos quoque locuti, quod dicit Petrus; Tu es Chriſtus filius Dei viui, tamquam non accepta huius reuelatione à carne, & ſanguine, ſed luce cordi noſtro illuceſcente à Patre, qui in cœlis eſt, efficimur Petrus. Et nobis dicetur, quod hunc ſermonem ſequitur, Tu es Petrus, &c. Petra eſt enim quiſquis Chriſti diſcipulus eſt; (audis pronunciatum generale Marce Antoni) ex quo biberunt de ſpirituali conſequente petra: Et ſuper

1. Cor. 10.

talem petram conſtituitur omnis Eccleſiaſtica doctrina, & ſecundùm hanc vitæ inſtitutio. In vnoquoque perfecto habente congregationem eorum, qui complent beatitudinem verborum, factorum, & ſenſuum, eſt, quæ à Deo ædificatur Eccleſia. Quia tamen duriorem hanc videri poſse ſuam interpretationem non dubitabat Origenes, eam molire ſtudet exemplo Apoſtolorum, *Quòd ſi,* inquis, *ſuper vnum illum Petrum tantùm ædificari totam Eccleſiam, quid dicturus es de Ioanne filio tonitrui, & Apoſtolorum vnoquoque?* Quòd nimirùm faciliùs eſſet iſtud de Apoſtolis perſuadere.

Atqui poſt inductum hoc exemplum, perſeueraſse Origenem in allegorico illo ſuo ſenſu, vidiſſet Spalatenſis, ſi modò in Origene aliquid vidiſset: ſic enim totum illum ſermonem claudit: *Proindè multi dicunt Seruatori, Tu es Chriſtus filius Dei viui, ſed non omnes, qui dicunt hoc, docent illud, nequaquam à carne, & ſanguine accepta reuelatione docti. Sed ab Epiſcopo, qui ex cœlis conſequetur ea, quæ dicta ſunt, vt Euangelij quidem ſcriptum habet ad illum Petrum, vt verò docet illius Spiritus ad quemuis* (audiſne Marce Antoni) *qui talis factus fuerat, qualis ille Petrus, ſiquidem nomen ducunt à Petro, quicumque ſunt imitatores Chriſti, &c.* Hæc tam clara ſunt, vt pudeat pluribus cauiſſe Origeni; eiuſque veram ſententiam propugnaſſe. Nec obſcuriora ſunt, quę habet Ambroſius ab aduerſario adductus:

Ambroſius in Luc. c. 9. lib. 6.

Qui carnem, inquit, *vicerit, Eccleſiæ fundamentum eſt, & ſi æquari Petro non poteſt, imitari poteſt.* Vides feſtiuitatem allegoriæ, vides imitationem Petri propoſitam, vides dignitatis eius prętantiam, & excellentiam explicatam. Quod attinet verò ad Origenem, præter ſuam illam moralem expoſitionem, ſenſiſſe literali interpretatione, verba Chriſti propriè ad Petrum referenda eſſe, oſtenditur ex illis, quæ nos ſuprà adduximus, ad firmandam Catholicorum ſententiam. *Vide,* inquit, *magno illi Eccleſiæ fundamento, & petræ ſolidiſſimæ, ſuper quam Chriſtus fundauit Eccleſiam, quid dicatur à Domino, &c.* Item, *Cùm ſumma rerum de paſcendis ouibus traderetur, & ſuper ipſum, veluti ſuper terram fundaretur Eccleſia, nullius confeſſio virtutis ab eo, niſi charitas exigitur.*

Orig. in c. 16. Exod. lib. 5. Idem in c. 6. epiſt. ad Rom. lib. 6.

Spalat. Num. 7.

Tertia ſententia eſt, quæ Chriſtum vnā illā petram prædicat, de qua ipſe dixerit, *& ſuper hanc ædificabo Eccleſiam meam.* Dolet Spalatenſi, illuſtriſſimum Cardinalem Bellarminum eam tribuiſſe Caluino, quem iam infœlix homo defendendum ſuſceperit. Profert autem multa Patrum teſtimonia, qui cùm longè antè Caluinum ſcripſerint, eam tamen propugnauerint: In primis Auguſtini. Antequam autem excutiamus mentem Auguſtini, rursùs dicimus, iure optimo eam ſententiam tribuiſſe Caluino Bellarminum, non Auguſtino. Nam Aug. etſi poſteriorem hunc ſenſum perſequatur, & amplectatur, tamen priorem ſententiam, tantùm abeſt, vt damnet, vt etiam lectori eius eligendæ, ac ſequendæ libertatem relinquat. Caluinus verò impietatis arceſſit, qui aliò, quàm ad Chriſtum fundamenti rationem referant, quod nimirùm ſcriptum ſit, *Fundamentum aliud nemo ponere poteſt, præter id, quod poſitum eſt Chriſtus Ieſus.* Quare, longè

1. Cor. 3.

ſit ab Auguſtino, qui neutram ſententiam improbarit. Iam igitur ad rem propiùs accedentes, dicimus, Patres, qui longè alia mente, quàm Caluinus, *Petræ* nomine hoc loco Chriſtum intelligunt, ad fundamenti *primi, & maximi,* rationem, vt ſeipſum explicat Auguſtinus, reſpexiſſe, ac propterea allegoricos verba Chriſti; *& ſuper hanc petram, &c.* ad eam retuliſſe, vt proindè nil officiat eorum expoſitio ſententiæ Catholicorum. Etſi verò, proculdubiò Auguſtinus ſententiam piam, Orthodoxam, & Catholicam amplexatus ſit, vt Sanderus, & Stapletonus duo Angliæ lumina agnoſcunt, tamen nec proprius, nec plenus illius loci ſenſus eſt, quem maximè perſequitur: namque, vt rectè argumentatur Stapletonus, [licèt prima, principalis, & abſolutè loquendo, petra Eccleſiæ Chriſtus eſt, nec primò, & principalitèr, & abſolutè loquendo ſuper Petrum, aut aliquem hominem, ſed ſuper Chriſtum fundatur, & ædificatur Eccleſia; tamen Chriſtus non eſt hæc petra, illo videlicèt loco à Chriſto deſignata. Dixit autem Chriſtus, ædificabo Eccleſiam meam ſuper hanc petram. Hęc verba reſpondent prioribus, Tu es Petrus, & rationem reddunt, quare ſit vocatus Petrus: ſicuti ſanè in Geneſi. Cùm dixiſſet Deus, Tu vocaberis Abraham, cauſam ſubiungit, quia patrem multarum gentium conſtitui te: Et

In Pſal. 84.

Staplet. l. 6. cap. 3.

præ-

præterea non dixit hic Chriſtus, tua fides, aut confeſſio, aut beatitudo à Patre accepta eſt petra, ſed perſonæ dicitur, Tu es Petrus, ſicuti perſonæ dicitur, Tu vocaberis Abraham, moxque infertur, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, ſanè quæ tu es (alioqui vana, & falſa talis planè eſſet copulatiua coniunctio) ædificabo Eccleſiam meam.] Hæc doctiſſimus Stapletonus, ad quæ firmanda faciunt, quæ ſunt ſuperiùs à nobis diſputata, vt probaremus verba, [& ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, omninò ad Petrum referenda eſſe.] Excutiamus iam ſententiam Auguſtini, quem Magiſtrum Eccleſiarum doctiſſimum ipſe Cœleſtinus Pontifex meritò agnoſcit, ac prædicat.

Spalat. Num. 7.

Is igitur pluribus locis Chriſtum interpretatur petram illam, ſuper quam fundata ſit Eccleſia. Sermone de verbis Domini, *Tu es Petrus, Simon quippè antè vocabatur*, inquit. *Hoc autem nomen ei, vt Petrus appellaretur, à Domino impoſitum eſt, & hoc, vt ea figura ſignificaret Eccleſiam. Quia enim Chriſtus petra, Petrus populus Chriſtianus, petra enim principale nomen eſt, ideò Petrus à petra, non petra à Petro, quomodo non à Chriſtiano Chriſtus, ſed à Chriſto Chriſtianus vocatur. Tu es ergo, inquit, Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, ideſt ſuper meipſum filium Dei viui, ædificabo Eccleſiam meam, ſuper me ædificabo te, non me ſuper te.* Ruſus alio loco, *Vndè Petrus nomen accepit, non enim à Petro petra, ſed Petrus à petra, ſicut non Chriſtus à Chriſtiano, ſed Chriſtianus à Chriſto vocatur. Ideò quippè ait Dominus, ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, petra enim erat Chriſtus, ſuper quod fundamentum etiam ædificaturus eſſet Petrus, fundamentum quippè aliud nemo poteſt ponere, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus.* Hæc Auguſtinus.

(Aug. ser. 13. de verbis Domini. — Aug. tract. 124. in Io. — 1. Cor. 10. — 1. Cor. 3.)

Putat autem Spalatenſis nos adeò his teſtimonijs premi, & quaſi vinclis conſtringi, vt ea excutere, aut effugere non valeamus.

Spalat. Num. 8

Reſponſum ſiquidem parat noſtro nomine, quo nos magis implicari oſtendat; fingit enim nos reſpondere [dicta ſua retractaſſe Auguſtinum] quod ſanè verum non eſt, ac nobis imponit. Tantùm enim abeſt ab ea retractatione Auguſtinus, vt in ipſis retractationibus hanc maximè ſententiam propugnet. Alium verò callem inſiſtimus, ac reſpondemus, equidem Auguſtinum hanc interpretationem probaſſe, ſed nec noſtram damnaſſe, verùm pro Orthodoxa habuiſſe. Audiamus diuinum doctorem, qui cùm libro quem contrà epiſtolam Donati ſcripſiſſet, non Chriſtum, ſed Petrum, Petram, ſuper quam fundata eſſet Eccleſia interpretatus eſſet, rurſùs hoc tractandum duxit. [In hoc libro] inquit [dixi in quodam loco de Apoſtolo Petro, quod in eo tamquam in Petra fundata ſit Eccleſia, qui ſenſus etiam cantatur ore multorum in verſibus beatiſſimi Ambroſij, vbi de gallo gallinaceo ait, hoc, ipſa Petra Eccleſiæ, canente, culpam diluit, ſed ſcio me poſtea ſæpiſſimè ſic expoſuiſſe, quod à Domino dictum eſt, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, vt ſuper hanc petram intelligeretur, quem confeſſus eſt Petrus dicens, Tu es Chriſtus filius Dei viui, ac ſi Petrus ab hac petra appellatus, perſonam Eccleſiæ figuraret, quæ ſuper hanc Petram ædificatur, & accepit claues regni cœlorum. Non enim dictum eſt illi, Tu es petra, ſed tu es Petrus; Petra autem erat Chriſtus, quem confeſſus Simon, ſicut eum tota Eccleſia confitetur, dictus eſt Petrus. Harum autem duarum ſententiarum, quæ ſit probabilior eligat lector.] Hæc poſtrema ſummi viri verba [Harum duarum ſententiarum, quæ ſit probabilior eligat lector] mentem eius denudant, oſtenduntque vtramque ſententiam pro Orthodoxa habuiſſe Auguſtinum. Ipſe Spalatenſis, cùm monſtra ſibi finxiſſet, ac eorum interpretamentum impugnaſſet, qui cenſerent, Auguſtinum ſententiam de Chriſto petra dicto recantaſſe, ità hanc cauſam perorauit.

(Aug. lib. 1. retract. c. 21. — 1. Cor. 10.)

Spalat. Num. 8.

[Hoc certè, inquit, non eſt retractare, vt patet.] Dicamus igitur eadem ratione ſuperiorem ſententiam, quam in libro contrà epiſtolam Donati probaſſet, nimirùm [illam de Apoſtolo Petro, Petra dicto] non mutaſſe. Quod enim addit Spalatenſis [Auguſtinum potiùs hanc ſententiam, quàm priorem ſe retractare, ſatis innuere] commentum eſt hominis ſtudio partium ad delirium vſque laborantis. Quid enim habeant illa verba [Harum ſententiarum, quæ ſit probabilior eligat lector] ex quo conijci poſſit animum fuiſſe Auguſtino, hanc, vel illam recantandi?

At inquit Spalatenſis [in hanc de Chriſto magis inclinat. Nimirùm quod Marcus Antonius non aduertit, aut non aduertiſſe ſe ſimulauit, cur in illum ſenſum procliuior eſſet Auguſtinus, multæ ſuberant cauſæ, quarum tamen nulla noſtram ſententiam poſſit labefactare. Primùm enim Genius fuit quidem Auguſtini, ac eius propria indoles, relicto ſenſu hyſtorico, ſublimiores ſenſus, quos myſticos vocant, perſcrutari, ac verſare, quod totis enarrationibus in pſalmos; adeòque tractatibus in Ioannem facere, nemò eſt tam in eius ſcriptis peregrinus, qui non videat. Hoc igitur ſtudio rimandi ſenſus myſticos abreptus, ſcripſit in Euangelium Ioanis, *Petrum, & Ioannem* duas vitas figuraſſe, ſingulos ſingulas, quarum vna ſit in fide, altera in ſpecie, vna in tempore peregrinationis, altera in æternitate manſionis, vna in labore, altera in requie, vna in via, altera in patria, vna in opere actionis, altera in mercede contemplationis, & illam quidem ſignificatam per Apoſtolum Petrum, hanc verò per Ioannem: Et cùm hoc explicandum ſumpſiſſet eius vitæ [quæ in fide, in tempore peregrinationis, in labore, in via, in opere actionis &c.] eſſet, non ſolùm [ærumnas, labores, miſerias, tentationes periculoſas] ſed etiam [conſolationes, tùm corporales, tùm ſpirituales] enumerandas duxit [cumque peccatis, quæ de huius vitæ infirmitate ſurrepunt (ſunt illius hæc omnia verba) à Deo prouiſa eſſe, eleemoſynarum remedia ſalutaria, quibus fidelium adiuuaretur oratio, vbi eos dicere docuit, dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris] oſtendiſſet, ſubiecit; [Hoc agit Eccleſia ſpè beata in hac vita ærumnoſa, cuius Eccleſiæ Petrus Apoſtolus propter Apoſtolatus ſui primatum, gerebat figurata generalitate perſonam.

(Aug. tract. 124. in Io.)

Quod

Digitized by Google

Quod enim ad ipſum propriè pertinet, natura vnus homo erat, gratia vnus chriſtianus, abundantiore gratia vnus, idemque primus Apoſtolus. Sed quando ei dictum eſt, Tibi dabo claues regni cœlorum, & ; Quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum, & in cœlis, & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum, & in cœlis; vniuerſam ſignificabat Eccleſiam, quæ in ſolo ſæculo diuerſis tentationibus velut imbribus, fluminibus, tempeſtatibuſque quatitur, & non cadit, quoniam fundata eſt ſuper petram, vndè & Petrus nomen accepit. Non enim à Petro petra, ſed Petrus à petra, ſicut non Chriſtus à chriſtiano, ſed chriſtianus à Chriſto vocatur. Ideò quippè ait Dominus, Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; quia dixerat Petrus, Tu es Chriſtus filius Dei viui. 1. Cor. 10. Super hanc ergo, inquit, Petram, quam confeſſus es, ædificabo Eccleſiam meam. Petra erat Chriſtus, ſuper quod fundamentum etiam ipſe ædificatus eſt Petrus. Fundamentum quippe aliud nemo poteſt ponere, præter 1. Cor. 3. id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. Eccleſia ergò, quæ fundatur in Chriſto, claues ab eo regni cœlorum accepit in Petro, id eſt poteſtatem ligandi, ſoluendique peccata: quod enim eſt per proprietatem in Chriſto Eccleſia, hoc eſt per ſignificationem Petrus in petra, qua ſignificatione intelligitur Chriſtus petra, Petrus Eccleſia. Hæc igitur Eccleſia, quam ſignificabat Petrus, quamdiù degit in malis, amando, & ſequendo Chriſtum, liberatur à malis. Magis autem ſequitur in eis, qui certant pro veritate vſque ad mortem, ſed vniuerſitati dicitur, ſequere me, pro qua vniuerſitate paſſus eſt Chriſtus, de quo dicit idem Petrus, Chriſtus pro nobis paſſus eſt, relinquens nobis exemplum, vt ſequamur veſtigia eius. Ecce propter quod ei dictum eſt, Sequere me.] Quis igitur adeò obſtinato eſſe poſſit animo, vt non fateatur Auguſtinum, toto iſto ſermone, allegoricum ſenſum, hyſtorico tantiſper relicto, perſequutum? Quid? an non eſt ad ipſum Petrum priuatim ſpectatum, non verò ad vniuerſam Eccleſiam dictum [Sequere me?] Quomodo verò, niſi myſtico quodam ſenſu Petrus ſignificauerit hanc vitam ærumnoſam, Ioannes verò illam beatam? Totus eſt igitur Auguſtinus in rimanda allegoria, vt propterea mirari iam nemo debeat, cur hic Chriſtum potiùs, quàm Petrum illam petram dixerit, quę id Eccleſiæ præſtet [vt cum hoc ſæculo diuerſis tentationibus, velut imbribus, fluminibus, tempeſtatibuſque quatiatur, non cadat, quòd ſuper eam petram ſit fundata:] ſiquidem non à Petro per ſe ſpectato, ſed à Chriſto opem ferente, ac ipſum Petrum fulciente habet Eccleſia, vt immobili huic fundamento innixa, oppugnata non poſſit expugnari, ſed omnibus tentationibus ſuperior euadat. Atqui hic ſenſus myſticus literalem non euertit, ſed multò illuſtriorem reddit, cùm inſtrumenti vim ad principem cauſam, & quæ ſunt de priuata perſona Petri dicta, ad vniuerſitatem fidelium, cuius ille [propter primatum ſui Apoſtolatus, gerferit, figurata generalitate, perſonam referat.

Hæc vera mens eſt Auguſtini eò loci. Sed & alium rationem habuit, cur iniſteret maximè ei ſententiæ, quæ Chriſtum Petrum, ſuper quam fundata eſſet Eccleſia, interpretaretur: ſiquidem res erat illi ea tempeſtate contra Donatiſtas, ſuperbos, ac inſolentes hæreticos, quorum ea eſſet inſania, vt in hominis ſanctitate Sacramentorum vim ponerent. Cùm enim ſubtimeret Auguſtinus, ne ſi Petrus Eccleſiæ petra, & fundamentum haberetur, ſuper hominem ædificarent homines, hoc ſcrupulo adductus, reliquendam eam ſententiam, ac ad Chriſtum fundamenti rationem reuocandam eſſe cenſuit, ne vel in ſpeciem daretur hominibus occaſio cum Donatiſtis errandi, ac de ſanctitate miniſtrorum præſumendi. Hunc ſcrupulum habuiſſe ſe, ipſe Auguſtinus ſatis prodit altero loco à Spalatenſi adducto. Locus eſt huiuſmodi.

[Hoc autem nomen ei, vt Petrus appellaretur, à Domino impoſitum eſt, & hoc, vt Serm. 13. de verb. Dom. ea figura ſignificaret Eccleſiam. Quia enim Chriſtus petra, Petrus populus chriſtianus: Petra enim principale nomen eſt, ideò Petrus à petra, non petra à Petro, quomodo non chriſtianus à Chriſto, ſed à Chriſto chriſtianus vocatur. Tu es ergo, inquit, Petrus, & ſuper hanc petram, quam confeſſus eſt, ſuper hanc petram, quam cognouiſti dicens, Tu es Chriſtus filius Dei viui, ædificabo Eccleſiam meam; id eſt, ſuper me ipſum filium Dei viui ædificabo Eccleſiam meam. Super me ædificabo te, non me ſuper te. Nam volentes homines ædificari ſuper homines, dicebant, Ego quidem ſum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ: ipſe eſt Petrus. Et alij, qui nolebant ædificari ſuper Petrum, ſed ſuper petram, ego autem ſum Chriſti. Apoſtolus autem Paulus, vbi cognouit ſe eligi, & Chriſtum contemni; Diuiſus eſt, inquit, Chriſtus? Numquid Paulus pro vobis Crucifixus eſt? aut in nomine Pauli baptizati eſtis? quomodo non in Pauli, ſic nec in Petri, ſed in nomine Chriſti? vt Petrus ædificaretur ſupra petram, & non petra ſuper Petrum. Idem ergo Petrus à petra cognominatus beatus, Eccleſiæ figuram portans, Apoſtolatus principatum tenens, continuò poſt paululum iam audito, quòd beatus eſſet, iam audito, quòd ſupra petram ædificatus eſſet, poſteaquam audiuit futuram Domini paſſionem, quia prædixerat eam citò futuram diſcipulis ſuis, diſplicuit ei. Timuit ne perderet morientem, quem confeſſus fuerat vitæ fontem, Turbatus eſt, Abſit à te, inquit, Domine, ne fiat iſtud. Propitius eſto tibi Domine, nolo te mori Petrus dicebat Chriſto, nolo te mori, ſed meliùs dicebat Chriſtus, volo pro te mori. Denique continuò reprehendit quem &c.] Auguſtinus itaque ad Donatiſtarum errorem refellendum, ac reuincendum, oſtendit habere Eccleſiam Dei, tùm firmos, tùm infirmos, ipſumque Petrum huius rei figuram [modò fidere, modò titubare, nunc immortalem Chriſtum confiteri, nunc timere ne moriatur] moxque concludit [In illo ergo vno Apoſtolo, id eſt Petro, in ordine diſcipulorum primo, & præcipuo, in quo figurabatur Eccleſiæ vtrumque genus ſignificandum fore, id eſt firmi, & infirmi, quia ſine vtroque non eſt Eccleſia.] Quibus verbis funditùs tollit ſententiam Donatiſtarum, qui hominum ſanctitatem tantòpere prædicarent,

cùm

cùm nequidem ſuprà Petrum ædificare, aut eius firmitate niti deberent fideles; quippè, qui ipſe peccator fuiſſet, & Chriſti dextra opus habuiſſet,quæ eum titubantem fulciret.

Quæ eò ſpectant, vt non exiſtimemus Petrum qua hominem impeccabilem, aut per ſe, & ſeorſim à Chriſto conſideratum Eccleſiam ædificaſſe: non enim dixit Chriſtus [Tu ædificabis Eccleſiam] ſed planè dixit [ædificabo Eccleſiam meam] vt eum totius huius ædificationis gloria maneret. Quo pio, & Orthodoxo ſenſu ita proponitur Chriſtus Princeps, cauſa, & agens præcipuum, vt tamen inſtrumentarium Petri miniſterium non excludatur. Quod cùm videret Auguſtinus, ac Eccleſię cauſam contrà Donatiſtas ageret, ad eorum ſuperbiam infringendam; non dubitauit hæc verba referre ad Chriſtum, tamquam ad principem cauſam, & princeps agens, haud excluſo Petro, quem Chriſto ſuam operam commodaſſe, & probaſſe alijs locis agnoſcit.

Auguſt. de Ciuit. Dei lib. 18. c. 54. *Nos*, inquit, *qui vocamur chriſtiani, non in Petrum credimus, ſed in quem credidit Petrus, Petri de Chriſto ædificari ſermonibus*. Nihil igitur detraxit Petro, quem alijs locis fundamentum Eccleſiæ, ſecundariũ ſcilicet agnouerit. Immò hoc ipſo loco commentariorum in Ioannem Petrum primum, & præcipuum Apoſtolorum vocat, & eius Apoſtolatus principatum commendat, ac eo nomine Eccleſię figuram portaſſe, clariſſimis verbis ſignificat. Ipſo certè retractationum loco, quem maximè vrget Spalatenſis, vtramque ſententiam comprobat, & proculdubiò ſi noſtram ſententiam non probaſſet, vtraque in medium propoſita, haud poteſtatem vtram vellet, eligendi, lectoris arbitrio reliquiſſet. Liceat enim argumentum Spalatenſis in auctorem retorquere. Cùm eos refutandos ſuſcepiſſet, qui Auguſtinum humanum quid paſſum, ac lapſum in explicatione vocis Cephas dicerent.

Spalat. Num. 8. [Eſto, inquit, ignorauerit Auguſtinus, & cum ipſo alij grauiſſimi viri, etiam non Africani, paulò poſt afferendi vocem Cephæ, ſi tamen ipſius interpretatio, licèt cum tali vocis ignorantia, præiudicaſſet primatui Petri, ipſe certè hoc ſciuiſſet, & animaduertiſſet eius interpretationem eſſe contrà fidem, ſi de fide ſit primatus Petri, vt noſtri inſulsè contendunt, in illis verbis fundatus, aut ſaltem declaratus, Tu es Cephas, abſtinuiſſet profectò à tali interpretatione, vbi nomine Petræ Chriſtum ſignificari dixit. Et hanc omninò retractaſſet, & expunxiſſet, neque arbitrio lectoris permiſiſſet, ne Petro præiudicaret, & fidei, cùm tamen nihil tale metuerit planè conſtat, non Caluinum, ſed Auguſtinum in hoc loco, Tu es Petrus &c. nullum agnouiſſe Petri primatum fundari, aut declarari. Sanderus de viſib. Mon. lib. 6. c. 3. Certè Sanderus, vt oſtendat contrà fidem non eſſe illam interpretationem, qua Petrus dicitur nomine Petræ ſignificari, non Chriſtus, ſic argumentatur: Illud ergo primum ex Auguſtini iudicio certum eſt, probabilem ſententiam eſſe, vt ipſe Petrus credatur illa petra eſſe, ſuper quam Dominus promittit ſe Eccleſiam ſuam ædificaturum. Verè igitur credidit Auguſtinus non repugnare fidei chriſtianæ, vt in Petro velut in petra fundari Eccleſia credatur; alioquin numquam faſſus eſſet illam ſententiam eſſe probabilem, quæ veram fidem oppugnaret. Quantò maiorem hoc argumentum vim habet in ea interpretatione, quæ petra Chriſtum dicit ſignificari, & non Petrum. Hæc enim Auguſtino ſemper placuit, & illam de Petro propèmodùm retractauit; quòd ſi alteram fidei repugnantem agnouiſſet, numquam eandem, vt probabilem, immò, vt longè altera probabiliorem propoſuiſſet.]

Dicamus igitur, & nos ſimiliter; Si Auguſtinus ſententiam, quæ Petrum, petram, ſuper quam ædificata ſit Eccleſia, ſinceræ fidei aduerſari, ac Chriſti dignitati officere animaduertiſſet, abſtinuiſſet vtique ab ea, auctoritate Ambroſij non firmaſſet, & libertatem eius eligendæ, ac amplexandæ, lectori non reliquiſſet, quod tamen feciſſe, celeberrimo illo loco omnes vident. Quod attinet autem ad lapſum Auguſtini, qui certè minimus ſit; ex malè intellecto nomine, non niſi piam, & Orthodoxam ſententiam elicuit, ac propterea is quidem viro omnium, quos vmquam habuerit Eccleſia, longè doctiſſimo condonandus eſt, tamen negandum non eſt, quòd ipſi hæretici agnoſcunt, vocabulum Cepha, quo Chriſtus vſus ſit, tùm Petrum, tùm petram Syriaco ſermone ſignificare, ac proindè concedendum, in verbis Chriſti nullam ſignificati diuerſitatem in nomine ineſſe. Audiamus Bezam hoc ipſum aſſerentem, ad illa verba, *Si i Petros, cæ epi tauti ti petra, Dominus*, inquit, *Syriacè loquens nulla vſus eſt agnominatione, ſed vtrolibet dixit Cepha, quemadmodùm, & vernaculum nomen Pierre, tam de proprio, quàm de appellatiuo dicitur. In Græco quoque ſermone Petros, & petra non re, ſed tantùm terminatione differunt*. Plùs ponderis, & auctoritatis fuerit in Hieronymo. Beza ad cap 16. Matth.

Is igitur commentarijs ſuis in Epiſtolam ad Galatas, ità de nomine cenſet [*Non quòd aliud ſignificet Petrus, aliud Cephas, ſed quòd nos latinè, & Græcè Petram vocemus, hanc Hebræi, & Syri propter linguæ inter ſe viciniam Cepham nuncupent*. Hier. in c. 2. ep. ad Gal. Hoc igitur ſi aduertiſſet Auguſtinus (nec enim planè ignoraſſe hominem in ſcriptis Hieronymi verſatum facilè in animum induxerim) non exiſtimaſſet ſubeſſe in verbis Chriſti eam diuerſitatem, quam haud malo animo inuexit. Vt autem omnibus ſit exploratum, Auguſtinum ipſum in ea fuiſſe ſententia, quæ Petrum fundamentum, & Petram Eccleſiæ faciat, quædam eius rei teſtimonia ex ipſius ſcriptis proferemus: In pſalmos, *Petrus*, inquit, *qui paulò antè Chriſtum confeſſus erat filium Dei, & in illa confeſſione appellatus erat petra, ſuprà quam fabricaretur Eccleſia, paulò poſt, Domino dicente de futura paſſione ſua, ait, Abſit à te Domine &c.* In Pſal. 69. In Ioannem: *Cùm dixiſſet Chriſtus, Nunquid, & vos vultis abire? Reſpondit Petrus, petra illa: voce omnium, Domine ad quem ibimus?* Epiſtola aduersùs Vrbicum ſcripta, *Petrus caput Apoſtolorum, ianitor cæli, Eccleſiæ fundamentum*. Item in Pſalmo contrà partem Donati, *Numerate Sacerdotes, vel ab ipſa Sede Petri, & quis, cui in eo ordine ſucceſſerit, videte; hæc eſt illa petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ*. Epiſt. 86. ad Caſulanum. Itaque cùm Auguſtinus eam ſententiam tenuerit, nec retractarit, ſed

etiam

etiam eiuſdem amplectendæ poteſtatem lectori fecerit, non eſt, cur ab ea recedamus; Etſi enim in alteram videatur magis propendere propter rationes adductas, hanc tamen non damnat, ac prætereà, cur illam alteram præferret, non ſatis firmam attuliſſe rationem, noſtri optimè probant. Sufficit in noſtra quoque fuiſſe ſententia, nec eam recantaſſe.

Hoc vnum hìc obiter monuerim Auguſtinum, cùm libros, de quibus agitur, retractationum inſcriberet, noluiſſe innuere in his ſe omnia, de quibus diſputaſſet, retractaſſe, hoc eſt, recantaſſe, ac ſuperiores ſententias mutaſſe, ſed retractaſſe, ideſt, rursùs tractaſſe, ac maiore cura expendiſſe, quo ſenſu de Auguſto Suetonius *Leges retractauit, & quaſdam ex integro ſanxit*.

Quod attinet ad reliquos Patres, qui Chriſtum volunt eſſe petram, ſuper quam ſit fundata Eccleſia, hi nobis non aduerſantur. Nec enim hæc duo pugnant, *Chriſtum eſſe petram, & fundamentum Eccleſiæ, & Petrum quoque petram eſſe, ac fundamentum Eccleſiæ*, cùm haud eodem ſenſu dicantur. Chriſtus ſiquidem Deus, & homo propria virtute, & auctoritate fundamentum eſt Eccleſiæ: At Petrus purus homo, non niſi poteſtate à Chriſto accepta petra eſt illa, cui præclarum illud ædificium innitatur. Non igitur iſta inuicem magis ſibi aduerſantur, quàm quod habet ſcriptura, Exod. 15. 13 *Dominum ducem fuiſſe populo Iſ- Iſrael, & Moyſen induxiſſe populum in terram Chanaam, ac fuiſſe cum Eccleſia in ſolitudine*, quandoquidem illa ipſa ſcriptura ſignificat, *Deum in fortitudine ſua portaſſe populum*. Moyſen verò à Deo *miſſum principem, & redemptorem deſcribit*.

Spalat. Num 9. Hier. lib. 2. ad Iouin: Idem l. 1. in Matth. c. 7. Et in Eſa. c. 54. Pſal. 39. Pſal. 103. Hier. ibid.

Quare Hieronymus, qui diuerſis locis Chriſtum [Petram, & fundamentum Eccleſię] prædicat, vt citat Spalatenſis, alijs non paucis, etiam Petrum eodem titulo ornat. Dixiſſe igitur illum fatemur; [Nulla ne fuit alia in toto orbe prouincia, quæ reciperet præconium voluptatis, in quam coluber tortuoſus irreperet; niſi quam Petri doctrina ſuper petram fundauerat Chriſtum? Rursùm alibi: Super petram hanc Dominus fundauit Eccleſiam, ab hac petra Apoſtolus Petrus ſortitus eſt nomen,] ideſt à Chriſto, [ſuper hanc petram non inueniuntur ſerpentis veſtigia. De hac Propheta loquitur confidenter, Statuit ſuprà petram pedes meos. Et in alio loco, petra refugium leporibus, ſiue Herinacijs: Item, Fundamentum, quod Apoſtolus Architectus poſuit, vnus & Dominus noſter Ieſus Chriſtus, ſuper hoc fundamentum ſtabile, & firmum, & per ſe robuſta mole fundatum, ædificatur Chriſti Eccleſia.] Sed nec minùs diſertè aſſerit Petrum quoque petram eſſe, & fundamentum Eccleſię. Ipſo commentario in Matthęum ad illa verba, *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram*, qui locus maximè expendi debet. [*Secundùm metaphoram petræ*, inquit, *rectè dicitur ei, ædificabo Eccleſiam meam ſuper te*, Sed excutiamus aliorum teſtimonia: [Cyrillus Alexan- Hier. ad c. 16. Matth. drinus,] inquit Spaſatenſis, [conſiderans illa verba, Iſa. 33. Hic habitabit in excelſa ſpelunca petræ fortis;] hæc habet, [Quini[illegible]ò, inquit, conſentaneum eſt his verbis vo[illegible]ri Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, in qu[illegible], tanquam ſpelunca quædam, vel ouium ſtabulum, Eccleſia intelligitur, habemus tutum, & inconcuſſum, ita vt benè ſit domicilium; Tu es enim, inquit Seruator, Petrus, & ſuper hanc petram, &c. Hoc quoque fatemur.

Sed, & idem grauis auctor in c. 2. Ioan. ad illa verba, [Tu vocaberis Cephas,] hæc habet, [Nec Simon fore iam nomen ſibi, ſed Petrus prædicit,] (hìc vides Petrum, & petram pro eodem vſurpaſſe Cyrillum) [vocabulo ipſo commodè ſignificans, quòd in eo tamquam in petra, lapidèque firmiſſimo ſuam eſſet ædificaturus Eccleſiam.] Beda quoque, vt habet Spalatenſis, ſcribit, [Super hanc petram, ideſt Saluatorem quem confeſſus es;] Sed & Bedæ verba ſunt. [Ideò Beatus Petrus, qui Chriſtus vera fide confeſſus verò eſt amore ſequutus, ſpecialiter (audiſne) claues regni cœlorum, & principatum iudiciariæ poteſtatis accepit, vt omnes credentes intelligant, quia quicumque ab vnitate fidei, vel ſocietatis illius quolibet modo ſeipſos ſegregant, tales, nec vinculis peccatorum abſolui, nec ianuam poſſint Cœleſtis regni ingredi.] Tharaſius etiam ſcripſit, addit aduerſarius, [Quandoquidem video, & conſidero ſuper hanc petram, Chriſtum Deum noſtrum, fundatam Eccleſiã,] ſed & cùm ad eum ſcripſiſſet Adrianus de impia Synodo Conſtantinopolitana, quæ ſanctæ ſedi Romanæ non probaretur damnanda, addidiſſetque Petro dictum, [*Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam*; Et, *Tibi dabo claues regni Cœlorum*, *Et*, *Quecumque ligaueris ſuper terram, erunt ligata, & in cęlis, & quæcunque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta, & in cælis*; ac inſuper ſubieciſſet, [cuius ſedes in omnem terrarum orbem primatum tenens, refulget, & caput omnium Eccleſiarum Dei conſiſtit, vndè & idem Beatus Petrus Apoſtolus Domini præcepto, paſcens Eccleſiam, nihil diſſolutum dimiſit, ſed tenuit, & tenet ſemper principatum;] Hęc, inquam, cùm ſcripſiſſet Adrianus, probauit Tharaſius. Sic enim habet ſancta Synodus, [Tharaſius ſanctiſſimus Patriarcha dixit, ſacratiſſimus Paulus Apoſtolus, qui illuſtratus eſt lumine Chriſti, & genuit nos per Euangelium, cùm Romanis ſcriberet, approbans ſtudium ſinceræ fidei eorum, quam in Chriſtum verum Deum habebant, ſic ait: Fides veſtra annunciatur in vniuerſo mundo. Hoc teſtimonium ſequi neceſſarium eſt, & inconſultè agit, qui huic conatur reſiſtere. Vndè Adrianus prę ſul ſenioris Romæ, cùm eſſet particeps eorum, qui prædicto teſtimonio muniri meruerunt, ſcripſit expreſsè, & veraciter pijs Imperatoribus noſtris, atque ad humanitatem noſtram affirmans benè, ac optimè ſe habere antiquam traditionem Eccleſiæ Catholicæ. Vides, vt Adriano ſe aſſenſorem prębeat Tharaſius. [Gloſſa quoque interlinearis,] inquit Spalat. [ſuper hanc Petram Chriſtum, inquit, in quem credis.] Sed gloſſa interlinearis omninò ſenſum myſticum perſequitur, ac ferè ſemper ab hiſtorico recedit, quo vno noſtra aſſertio nititur.

Cyril. lib. 2. in Ioan. cap. 12.

Beda ad c. 16. Matth. Homil. in die Apoſt. Pet. & Pau.

Thar. in 7. Synod. Gen. Act. 1.

Act. 2.

Act. 3. Syn. 7. tom. 3. p. 1.

Viderunt ergo Patres, hæc, quòd diuerſa ratione dicantur, non pugnare. Itaque, & Chriſtum petram agnoſcunt, & Petro petræ nomen attribuunt. Proindè, quod ſuprà monebamus, longè eſt à mente Patrum Caluinus,

qui

qui hos titulos ita proprios eſſe Chriſti cenſet, vt nulla ratione Petro communicari poſſint, ac propterea meritò eum tertiæ ſententiæ auctorem fecit Cardinalis Bellarminus. 1. Cor. 3. Locus verò Apoſtoli, [Fundamentum aliud nemo ponerere poteſt, præter id, quod poſitum eſt Chriſtus Ieſus,] infrà explicabitur, cum de confeſſione fidei Petri agetur. Interim aduertat pius lector ſermonem eſſe Apoſtoli de primo, & maximo fundamento, quod fidei Chriſtianæ obiectum ſit, non de inſtrumentario, quod Eccleſiæ miniſterio ſubſeruiat.

Spalat n. 10. Hier. l. 17. in Iſa. cap. 62. Idem l. 3. in Hier. ca. 16. Tertul. li. 4. cont. Marc. Cæterùm Petrum à primaria illa, & principe petra Chriſto petram dictum, non erat, quòd tam multis Patrum auctoritatibus probaret Spalat. cùm eſſet id nobis exploratiſſimum. Verè omninò ſcripſit Hieronymus, [Tu es Petrus, & ſuper hanc petram, &c. quod vocabulum, inquit, à nomine Domini deriuauit. Item, non ſolùm Chriſtus petra, ſed & Apoſtolo Petro donauit, vt vocaretur petra.] Verè etiam Tertull. [Mutat, inquit, & Petro nomen de Simone, quia, & creator Abrahæ, & Sarræ, & Auſeæ nomina reformauit, hunc vocando Ieſum, illis ſyllabas adijciendo, ſed & cur Petrum? ſi ob vigorem fidei multæ materiæ ſolidæque nomen de ſuo accommodarent. An quia, & petra, & lapis Chriſtus, ſiquidem legimus poſitum eum eſſe in lapidem offendiculi, & petram ſcandali. Omitto cætera, itaque affectauit chariſſimo diſcipulorum de figuris ſuis peculiariter nomen communicare, puto proprius, quàm de non ſuis.] Verè quoque Auguſtinus,] Quando,] Petrus, [in Deo laudabat ſermonem, non Satanas, ſed Petrus à petra. Et, petra ergo pro deuotione Petrus dicitur, & petra pro virtute Dominus nuncupatur, ſicut ait Apoſtolus, Bibebant autem de ſpirituali petra, rectè conſortium meretur nominis, quia conſortium meretur, & operis.] Verè etiam Ambroſius, ſeu potiùs Proſper Aquitanicus loquens de Petro ait, [Hæc fortiſſima petra ab illa principali petra communionem accipit nominis, & virtutis.] Verè rurſus Ambroſius non ſemel, verſans illud, Petra autem erat Chriſtus, Etiam, inquit, diſcipulo ſuo huius vocabuli gratiam non negauit, vt & ipſe ſit Petrus, quod de petra habeat ſoliditatem conſtantiæ, fidei firmitatem. Item, Rectè igitur, quia petra Chriſtus, Simon nuncupatus eſt Petrus, vt qui cum Domino fidei ſocietatem habebat, cum Domino haberet, & nominis Dominici vnitatem, vt ſicut à Chriſto Chriſtianus, ita & à petra Chriſto Petrus Apoſtolus vocaretur.] Vera denique ſunt teſtimonia Gregorij, Leonis, Bedæ, Nicolai I. Gregorij, Innocentij III. Gratiani, Alphonſi de Caſtro, & aliorum, quibus idipſum aſſeritur.

Aug. in Pſ. 55. Idem ſerm. 16. de ſanctis qui eſt 2. in Cath. Petri. Proſp. li. 2. de voc. gen. cap. 28. Amb l. 6. in Luc. cap 9. Idem ſerm. 54.

Num. eod. Hæc, inquam, omnia vera ſunt; ſed quod de ſuo addit Spalatenſis, [Hos Patres dum Petrum à Petra, ideſt à Chriſto nomen habuiſſe contendunt, proculdubiò per illa verba, ſuper Petram, vix conſentire poſſe ſignificari ſuper Petrum, ſi Petrus, Petrus non eſt, niſi à petra, qui eſt Chriſtus,] quàm falſiſſimum eſt. Patres enim, qui Petrum à Chriſto hoc nomen mutuatum agnoſcunt, etiam à Chriſto deſignatum, vt eſſet fundamentum Eccleſiæ ſcribunt, ac proindè Chriſtum [primum, & maximum] fundamentum eſſe docent, Petrum verò comparatione Chriſti ſecundarium. At inſtat Spalat. [Saltem hi omnes in Petri, ſeu Petræ ſi vis, hoc eſt Cephæ nomine deuotionem Petri, atque conſtantiam, & Chriſti in eum amorem, qui de proprio ſuo nomine illum appellauit, colligunt, & agnoſcunt, Monarchiam verò in Eccleſiam, ac ſupremum Petri Dominium non agnoſcût.] Nugaris, mi Antoni, Petri virtutes, deuotionem, conſtantiam, & fidei firmitatem celebrant Patres, ſed & à Chriſto præmium, conſecutas eximias illas virtutes agnoſcunt, & amorem Chriſti, non otioſum illum, ſed efficacem, quique vnà cum communione nominis vim ipſius in illum transfuderit, ac ſummum in Eccleſiam, cuius fundamentum eſſet dominatum, largientem inducunt.

Lib. aduerſ. Iouin. cap 4. Hieronymus quidem; [At dicis, ſuper Petrum fundatur Eccceleſia, licèt idipſum alio in loco ſuper omnes Apoſtolos fiat, & cuncti claues regni Cœlorum accipiant, & ex æquo ſuper eos Eccleſiæ fortitudo ſolidetur, tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite conſtituto, ſchiſmatis tollatur occaſio.] Tertullianus, [Latuit aliquid Petrum ædificandæ Eccleſiæ Petram dictum, claues regni Cœlorum conſecutum, & ſoluendi, & alligandi in cœlis, & in terris poteſtatem.] Mitto, quòd Petri ſucceſſorem [Pontificem Maximum, & Epiſcoporum Epiſcopum] indigitat. Auguſtinus: [Hoc agit Eccleſia ſpe beata in hac vita ærumnoſa, cuius Eccleſiæ Petrus Apoſtolus propter Apoſtolatus ſui primatum gerebat figurata generalitate perſonam. Idem ergo Petrus à petra cognominatus beatus, Eccleſię figuram putans, Apoſtolatus principatum tenens.] Proſper Aquitanus: [Quis ergo ambigat, quis ignoret hanc fortiſſimam petram, quæ ab illa principali Petra communionem, & virtutis ſumpſit, & nominis, hoc deſiderium ſemper habuiſſe, vt ei moriendi pro Chriſto conſtantia douaretur?] Ambroſ. ad illa verba, [Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. Eidem autem,] inquit, [ſuprà dicenti, Tu es Chriſtus filius Dei viui, reſpondet; Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædifico Eccleſiam meam, & tibi dabo claues regni cœlorum: Ergo, cui propria auctoritate regnum dabat, huius fidem firmare non poterat? quem petram dicit, firmamentû Eccleſię indicauit.]

Tertul de præſc. hær. cap. 22. Aug. tract. 124 in Ioan. De vocatio ne gent. lib. 2. Amb. ad ca. 22. Luc.

Gregorius. [Quis neſciat ſanctam Eccleſiam in Apoſtolorum principis ſoliditate firmatam, quia firmitatem mentis traxit in nomine, vt Petrus à petra vocaretur] Et rurſùs: [Cunctis Euangelium ſcientibus liquet, quòd Dominica ſancto, & omnium Apoſtolorum Petro principi Apoſtolo totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt: Ipſi quippe dicitur, Petre amas me, paſce oues meas. Ipſi dicitur, Ecce Satanas expetiuit, vt cribraret vos, ſicut triticum, & ego pro te rogaui, vt non deficiat fides tua; Et tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos. Ipſi dicitur, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædifico Eccleſiam meam.] Leo Magnus, [Soliditas illius fidei, quæ in Apoſtolorum principe eſt laudata, perpetua eſt; & ſicut permanet, quod in Chriſto Petrus credidit, ita permanet, quod in

Ep. ad Salo. gium lib. 6. Reg. ep. 37. Lib. 4. ep 32 ad Mauritium.

Digitized by Google

Serm. 2. in anniuerſario aſſumptionis ſuę.

in Petro Chriſtus inſtituit, ſic enim, addit Leo, præ cæteris omnibus eſt ordinatus, vt dum petra dicitur, dumque fundamentum pronunciatur, dum regni cœlorum ianitor conſtituitur, dum ligandorum, ſoluendorumque arbiter manſura, etiam in cœlis iudiciorum ſuorum, definitione præficitur, qualis ipſi cum Chriſto eſſet ſocietas, per ipſa appellationum myſteria noſceremus. Rursùs, De toto mundo vnus Petrus eligitur, qui & vniuerſarum gentium vocationi, & omnibus Apoſtolis cunctis Eccleſiæ paſtoribus præponatur, &c. Beda: Beatus Petrus, qui Chriſtum vera fide confeſſus, vero eſt amore ſecutus, ſpecialiter claues regni cœlorum, & principatum iudiciariæ poteſtatis accepit.]

Serm. 8.

Hom. in die Apoſt. Pet. & Paul.

Hiſt. Angl. lib. 3. c. 25.

Idem quoque alio loco Columnano, ac ſocijs, pro celebratione Paſchæ contrà Romanum morem contendentibus, oppoſuiſſe Valfridum nomine Orthodoxorum recenſet; [Si tu Columnane, & ſocij tui, audita decreta Sedis Apoſtolicæ, imò Eccleſiæ, & hæc ſacris literis confirmata, ſequi contemnitis, abſq; vlla dubietate peccatis. Et ſi ſanctus erat Columba veſter, imò, & noſter, & Chriſti erat, num præferri potuit beatiſſimo Apoſtolorum principi, cui Dominus ait, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meã? Hæc peroranti Walfrido, addit Beda, dixit, Oſwi Rex Saxonum, An vtrique veſtum in hoc conſentiunt, quòd hæc principaliter Petro dicta, & ei claues cœlorum ſunt datæ à Domino. Reſponderunt etiam vtrique (en priſcam fidem Anglorum) at ille ita concluſit. Et ego vobis dico, quia hic eſt oſtiarius ille, cui ego contradicere nolo, ſed in quantum noui, & valeo, huius cupio in omnibus obedire ſtatutis, ne fortè me adueniente ad fores regni cœlorum, non ſit, qui reſerat, amoto illo, qui claues tenere probatur.] Hęc Beda.

Nic. 1. ep. 2. Greg. 7. l. 8. ep. 70. Innoc. 3. l. 2. ep. 79. Alphonſ. à Caſtro l. 12. adu. hæret. Grat. diſt. 21. §. decr. Bart. tom. 1. ann. ad. ann. 34.

Sequuntur Nicolaus I. Gregor. VII. Innoc. III. Gratianus, & Alphonſus à Caſtro. Sed quid attinet de his referre, cum tres priores Pontifices fuerint, poſteriores verò tamquam monarchicos, hoc eſt monarchiæ Pontificiæ propugnatores Spalat. traducat? Itaque quod dicebamus, falſum falſiſſimum eſt, Patres à Spalat. magno agmine in aciem oductos, non pugnare pro ſpirituali Petri monarchia, cùm eius defenſores ſe præbuerint acerrimos. Hæc ſcilicet ratio fuit Baronio, cur damnaret tertiam ſententiam, ac hæreſeos arceſſeret eius auctores, quod nimirùm ſe non continuerint intra limites doctrinæ Patrum, qui Chriſtum quidem petram aſſerunt, cui innitatur fabrica Eccleſiæ, ſed proptereà Petrum à communione nominis, & virtutis non arcent, quod illi faciunt.

Spalat. Num. 11. Bellar. 1. de Rom. Pont. cap. 10.

Quarta igitur ſententia eſt, quæ verba, *& ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meã*, ad fidem, & confeſſionem Petri, non ad Petrum ipſum refert. Hanc meritò quoque Luthero, ac Centuriatoribus tribuit Cardinalis Bellarminus, non antiquis Patribus, qui tamen, & ipſi verba Chriſti de confeſſione Petri ſunt interpretati. Namque etſi hoc, & ipſi docuerunt, tamen ad confeſſionem Petri, ita verba Chriſti retulerunt, vt Petro quoque conuenire non ſint inficiati; cùm contrà, Lutherus, & Centuriatores de Petro non poſſe intelligi; inflatis buccis occlament. Vt igitur ab eo errore vindicemus Patres, oſtendendum nobis eſt, eos ipſos, quos pro ſe teſtes profert Spalatenſis, [ſuper fidem, & confeſſionem Petri, ædificari Eccleſiam, ita cenſuiſſe, vt perſonam Petri non ſemouerint, ſed omninò ſubindicari exiſtimarint. Neque enim, vt Marcus Antonius exiſtimat, hæc pugnant [ſuprà Petrum eſſe ædificatam Eccleſiam, & ſuper fidem, aut confeſſionem Petri ædificatam eſſe Eccleſiam.] Cùm namque Patres aſſeuerant Eccleſiam fundatam eſſe ſuper fidem, & confeſſionem Petri, cauſam, vt vocant, meritoriam, ob quam Petrus eum honorem ſit conſecutus, indicant. Et cùm Petrum huiuſmodi petram eſſe prędicant, ſubiectum denotant, in quo ea dignitas inſit. Itaque formaliter in Petro ineſſe vim Petræ, ac ſuper eam ædificari Eccleſiam ſcribunt, ſed huius rei occaſionem ad confeſſionem ab eo editam referunt.

Hier. ad Pammach. adu. errores Ioan. Hieroſ. ep. 61.

Hoc eodem ſenſu eleganter dixit Hieronymus, [Petrus ſuper aquas ambular, graui, & ſolido corpore, mollis vnda non cadit; paululùm fides dubitat, & ſtatim naturam ſuam corpus intelligit, vt ſciamus ſuper aquas non corpus ambulaſſe, ſed fidem.] Non quòd eò vſque deliraret Hieronymus, vt exiſtimarit Petri corpus, ſeu potiùs ipſum Petrum ſuper aquas non ambulaſſe, ſed quod oſtendere voluerit, non agilitati corporis, aut vi alicui naturali id tribuendum eſſe, ſed fidei, cuius ille vna ope niteretur. Quemadmodùm igitur hæc duo non pugnant, [Petrus ambulauit ſuper aquas, & fides Petri ambulauit ſuper aquas,] quòd ſcilicet in priore pronunciato, [Petrus ambulauit ſuper aquas,] innuatur, Petrum propriè, ac formaliter ambulaſſe ſuper aquas; In poſteriore verò ſignificetur, fidem cauſaliter, vt loquuntur, ambulaſſe ſuper aquam, nimirùm quòd fides promeruerit, vt non Petrus ſubmergeretur, ſed tuto veſtigio, & ſecuro greſſu, ſuper mare ambularet; Ita in ſubiecta materia, hæc non pugnant, [Eccleſia fundata eſt ſuper Petrum, Eccleſia fundata eſt ſuper fidem, aut confeſſionem Petri;] ſed vtrumque pronunciatum veriſſimum eſt, nimirùm quod Eccleſiam formaliter ſuper Petrum fundata ſit, cauſaliter, verò ſuprà fidem, & confeſſionem Petri.

Spalat. Num. 15.

Proptereà vtrumque docuerunt Patres, & ſuper confeſſionem Petri, & ſuper ipſum Petrum fundatam eſſe Eccleſiam. Ita namque Hilarius, quem profert Spalat. equidem ſcribit, [Super hanc igitur confeſſionis petram, inquit, Eccleſiæ ædificatio eſt. Et paulò pòſt, Hæc fides regni cœleſtis habet claues: Hæc fides, quæ in terris ſoluerit, aut ligauerit, & ligata ſunt in cœlis, & ſoluta. Hæc fides Eccleſiæ eſt fundamentum, per hanc fidem infirmæ aduersùs eam ſunt portæ inferorum, &c. Superiùs verò dixerat, vnum igitur hoc eſt immobile fundamentum: vna hæc eſt fœlix fidei petra, Petri ore confeſſa; Tu es Chriſtus filius Dei viui, tanta in ſe ſuſtinens argumenta veritatis, quantæ peruerſitatum quæſtiones, & infidelitatis calumniæ mouebuntur. Item, Petrus filium Dei confeſſus, ob hoc beatus eſt, hæc reuelatio Patris eſt, hoc Eccleſiæ fundamentũ eſt, hæc ſecuritas æternitatis eſt.] Iſta quidem, inquam, ſcribit Hilarius, ſed & hæc quoque habet. [In cunctorum Apo-

Hilarius de Trinit. l. 6.

Idem lib. 2. de Trinit.

Idem de Trinit. l. 6.

ſto-

ſtolorum ſilentio, Petrus, Dei filium reuelatione Patris intelligens vltrà humanæ infirmitatis modum ſupereminentem, beatæ fidei ſuæ confeſſione gloriam meruit, &c. Ille confeſſus eſt Chriſtum filium Dei, &c. Filium Dei confeſſus, ob hoc beatus eſt. Hæc reuelatio Patris eſt, hoc Eccleſiæ fundamentum eſt, hæc ſecuritas æternitatis eſt, hinc regni cœlorum habet clauem, hinc terrena eius iudicia cœ-

Hilar. Can. 16. in c. 16. Matth.

leſtia ſunt. Infrà quoque, Hæc ſola fides confeſſa Chriſtum Dei filium, omnium beatitudinum gloriam meruit in Petro.] Quid clariùs dici poſſit? Rurſùs ipſe ſuis in Matth. Canonibus, Dignum planè confeſſio Petri præmium conſecuta eſt, quia Dei filium in homine vidiſſet. Beatus eſt hic, qui vltrà humanum oculos intendiſſe, & vidiſſe, laudatus eſt, non id, quod ex carne, & ſanguine erat contuens, ſed Dei filium cęleſtis Patris reuelatione conſpiciens; dignuſque iudicatus, qui, quod in Chriſto Dei eſſet, primus agnoſceret: ô in nuncupatione noui nominis fœlix Eccleſiæ fundamentum; dignaque ædificatione illius petra, quæ infernas leges, & tartari portas, & omnia mortis clauſtra diſſolueret.

Greg. Niſſ. adu. Iudæos. In Can. ſub finem.

Sequitur Gregorius Nyſſenus, apud Spalatenſem pro confeſſione Petri, [petra fidei Chriſtus tamquam fundamentum, vt ipſe Dominus ait ad principem Apoſtolorum. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: ſuper confeſſionem videlicèt Chriſti, quia dixerat, Tu es Chriſtus filius Dei viuentis.] Sed ipſe quoque eum locum Matthæi, quem tractamus, magno verborum ſplendore ad Petrum retulit, [Nil, inquit,

Idem adu. eos, qui nolunt caſtigari.

falſi ſcriptum eſt in Euangelijs, neque Chriſti prędictio aberrantem, & incertum habet euentum. Per Petrum dedit Epiſcopis claues bonorum cœleſtium.] Certè ei claues dedit, de quo dixit, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.]

Epiph. hær. 59.

Gregorio Nyſſeno ſuccedit apud Spalatenſem Epiphanius. [Fundamentum Eccleſiæ, ait Spalatenſis, facit Petri confeſſionem, quia, inquit, confeſſus eſt Chriſtum filium Dei viuentis, & audiuit, ſuper hanc petram

Epiphan. in Ancorato.

fidei ædificabo Eccleſiam.] Atqui ipſe Epiphanius ſic loquitur in Ancorato, [Sic enim ei, qui inter Apoſtolos primus eſſet, conſentaneum erat, ſolidæ inquam illi petræ; ſuprà quam eſt Eccleſia Dei fundata.]

Victor Antioch. ad c. 3. Matth. Idem c. 8.

Victor Antiochenus, non quidem ad caput octauum, vt citat Aduerſarius, ſed ad tertium Marci ſcribit; [quia Chriſtus Dominus ſuprà petram, hoc eſt ſuprà infractam, ſanamque Petri doctrinam, inconcuſſamque eiuſdem fidem, Eccleſiam ſuam ædificaturus erat, &c.] Sed fidem, & doctrinam Petri à Petro nuſquam diſiungit, ac prætereà, quo loco habeat Petrum, alio capite oſtendit, verſans enim locum illum: [Quem dicunt homines eſſe filium hominis, ſic commentatur, Quid ad hoc quæſitum Apoſtolorum os, Petrus, qui nuſquam non feruidum ſeſe declarat? omnibus interrogatis, ſolus ipſe, Tu es filius Dei viui, reſpondit.]

Cyril. l. 4. in Iſa. orat. 2. Idem in Io. vt ſupr. Gr.

Cyrillus, perſequitur Spalatenſis, ſic loquitur, [petram, opinor, nil aliud, quàm inconcuſſam, & firmiſſimam diſcipuli fidem vocauit. Atqui idem Cyrillus ſimilitèr ſcribit, Chriſtus hac re Petrum inſtituit cum ſe eſſe, qui cuncta antequam fiant, nouit, nec Simonem fore iam ſibi nomen, ſed Petrum prædicit vocabulo ipſo commodè, ſignificans, quòd in eo, tamquam in petra, lapideque firmiſſimo ſuam eſſet ædificaturus Eccleſiam.

Aug. tract. 7. in Ioan.

Auguſtinus item pro confeſſione Petri, hæc habet. Ibi nominauit petram, & laudauit firmitatem Eccleſiæ in iſta fide. Item alibi:

Idem tract. 10. in ep. 10. & Serm. 13. de verbis Dom.

Videte, quæ laudes proſequantur hanc fidem, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam? Quid eſt, ædificabo ſuper hanc petram Eccleſiam meam? Super hanc fidem, ſuper id, quod dictum eſt, Tu es Chriſtus filius Dei viui, Super hanc petram, inquit, fundabo Eccleſiam meam. Atqui ſimilitèr ſcribit Auguſtinus;

Auguſt. in Pſal. 69.

Petrus, qui paulò antè confeſſus erat eum filium Dei, & in illa confeſſione appellatus erat petra, ſuprà quam ædificaretur Eccleſia, paulò poſt, Domino dicente de futura paſſione ſua, ait, Abſit à te Domine.

Chryſoſto. hom. 55 in Matth. & ſer. de Pentec. Chryſ. hom. 2. in Pſal. 50.

Chryſoſtomus eandem ſequutus interpretationem; de confeſſione, inquit aduerſarius, & hæc habet, Super hanc, inquit, petram ædificabo Eccleſiam meam, ideſt fidem, & confeſſionem: Atqui ſimilitèr ſcripſit Chryſoſt. Audi, quid Petro dixerit Chriſtus, columnæ, & fundamento fidei, qui ob robur confeſſionis vocatus eſt Petrus, dicente Domino, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ędificabo Eccleſiam meam. Ac rurſùs, Hic etiam Petrus ait, Exi à me Domine, quia homo peccator ſum. *did tuto themelios tis Ecclisias gegonen*.

Amb. l. 6. in Luc. Ambr. ſerm. 63. de natal. Apoſ. Petri, & Pauli.

Ambroſius etiam pro confeſſione fidei. Fundamentum, inquit, Eccleſiæ, fides eſt.] Atqui ſimilitèr ipſum Petrum à Domino nuncupatum, petram, cenſuiſſe Ambroſiũ, ſuprà oſtēdimus pluribus teſtimonijs.

Accedat, & iſtud. [Si ergo Petrus eſt, ſuper quem ædificatur Eccleſia, rectè priùs pedes ſanat, vt ſicut in Eccleſia Dei fundamentum continet, ita & in homine membrorum fundamenta confirmet.

Greg. epiſt. 53. l. 7. ind. 2.

Gregorius pro confeſſione etiam habet. Eſt locus apud Deum, videlicèt ſanctæ Eccleſiæ vnitas, in qua ſuper petram ſtatur, dum confeſſionis eius ſimilitèr ſoliditas tenetur.

Idem li. 35. moral. c. 7.

Item alio loco: In petra Moyſes ponitur, vt Dei ſpeciem contempletur, quia niſi quis fidei ſoliditatem tenuerit, diuinam præſentiam non cognoſcit, de qua ſoliditate Dominus dicit, Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.

Idem lib. 3. ind. 12. ep. 33.

Item, Vitam veſtram in petra Eccleſiæ, hoc eſt, in confeſſione Petri Apoſtolorum principis ſolidauit. Atqui idem Gregorius ſcripſit. Quis neſciat ſanctam Eccleſiam in Apoſtolorum principis ſoliditate firmatam, quia firmitatem mentis traxit in nomine, vt à petra Petrus diceretur; cui voce Domini dicitur, Tibi dabo claues regni cœlorum? [Damaſcenus item pro confeſſione, ſic loquitur: Tu es Chriſtus, hæc eſt fides recta, & inconcuſſa, ſuper quam Eccleſia firmata, ex qua (Petre) dignè nomen accepiſti.]

Hiſtoria Barlaam, lib. 11.

Atqui, ſi quod ferè omnes volunt, hiſtoria de Barlaamo, & Ioſaphato ſcripta eiuſdem eſt Damaſceni, ita de Petro cenſet; Princeps diſcipulorum Petrus, fidei petra, ſaluriferæ paſſionis tempore, certò quodam Conſilio, aliquantiſpèr à Deo deſertus, cò peccati prolapſus eſt, vt Dominum abiuraret. Oratione verò de transfiguratione, hęc habet. Hoc petre à Chriſto ſupplex contende, ab illo, iu-

inquam, qui Eccleſiæ immaculatus ſponſus eſt, qui te cœleſtis regni clauicularium inſtituit, qui tibi vinciendorum, ac ſoluendorum peccatorum poteſtatem conceſſit, quem tu diuino ore Dei viuentis filium prædicaſti, &c. Ac rurſùs, Aſſumpſit Dominus Petrum, vt antiſtitem,qui totius Eccleſiæ gubernacula ſuſcepiſſet.]

Spal. lib. 10. num. 10. Neque verò id negat aduerſarius dixiſſe Damaſcenum, ſed oppreſſus viri ſancti teſtimonio, clamat alio loco, Non eſſe eum tantæ auctoritatis, vt inter recentiores, aut dormitantes, aut adulantes non poſſit interdùm reponi.] Cur igitur illum teſtem profert? Sed virum ſanctiſſimum, & doctiſſimum, infrà ab inſolentiſſimis criminationibus ſumus vindicaturi. Beda quoque ſic ſcribit pro confeſſione: [Super hanc fidei perfectionem, quam tu confeſſus es, ædificabo Eccleſiam meam. Atqui idem Beda ſcripſit, Ideò Beatus Petrus, qui Chriſtum vera fide confeſſus, vero eſt amore ſequutus, ſpecialiter claues regni cœlorum, & principatum iudiciariæ poteſtatis accepit, vt omnes per orbem credentes intelligant, quia quicumque ab vnitate fidei, & ſocietatis illius quolibet modo ſeipſos ſegregant, tales nec vinculis peccatorum abſolui, nec ianuam regni cœlorum poſſint ingredi. Theophylactus item pro confeſſione. Quia, inquit, confeſſus eſt Petrus ipſum filium Dei; Dicit Dominus, hanc confeſſionem, quam confeſſus eſt, fundamentum futurum fidelium, ita vt omnis homo conditurus domum fidei, hanc confeſſionem fundamenti loco ſit ſubtracturus,&c. Atqui idem Theophylactus ſic loquitur; (Theoph. ad c. 16. Matth.) Remunerat Petrum Dominus, mercedem illi dans magnam, quòd ſuper eum ædificauit Eccleſiam. Ac rurſùs ad illa verba; (Ad 22. Lu.) Ego rogaui pro te. Planus huius intellectus, hoc eſt, quia te habeo vt principem diſcipulorum, poſtquam negato me fleueris, & ad pœnitentiam veneris, confirma cæteros. Hoc enim te decet, qui poſt me Eccleſiæ petra es, & fundamentum.

Ionas Aure. de cultu imag. lib 3. Pergamus: Ionas Aurelianus Epiſcopus, inquit Sgalatenſis, ante octingentos circitèr annos; Multi, ait, & penè omnes petram, ſuper quam ædificatur Eccleſia, fidem intelligunt Beati Petri, quæ communis eſt totius Eccleſiæ, videlicèt eam, quæ paulò antè promiſſionem hanc præceſſerat, ideſt, Tu es Chriſtus filius Dei viui, & huic petræ ſuperædificandam Eccleſiam ſuam Dominus promiſit.] Atqui idem Ionas cùm ad peregrinationes à ſimplicioribus ad limina Apoſtolorum ſuſceptas aduersùs Claudium Turinenſem tutandas, & à calumnijs vendicandas, Sancti Petri confeſſionem etiam à rudioribus teneri oſtendiſſet,ac proindè meriti eius poſſe eſſe participes, ſtatim ſubiecit. [Quid enim ſi claues regni cœlorum, quaſi eminentiſſimo Eccleſiæ membro, intelligo traditas, beato videlicèt Petro, vt per illum ad cæteros hæc dignitas tranſeat? Num idcircò mens mea ab eius amore tepeſcet, quem pluris videam à Domino honorari? Potior namque in eius deuotione amoris concaleſcit ignis,qui adeò, inter reliquos conſtituitur inſignis, vt quod omnium eſt commune, ipſe quodammodo accepiſſe videatur ſingularis.

[Eutychianus prout ei attribuitur, inquit Spalatenſis, ait: vnum igitur hoc immobile fundamentum, &c. repetit dictum Hilarij paulò antè recenſitum.] (Spalat. Num. 13. Euryc. ep 1. tom. 1. p. 1. Euryc. ep 1. tō. 1. Conc.) Atqui Eutychianus ille, quem ſubornat à Petro, eam confeſſionem non ſeiungit, ſed Hilarium ſequutus,vult eius eſſe propriam, vt iam in eo nihil præſidij habeat, etiamſi ea epiſtola pro Eutychiani germana habeatur. Leo magnus ſic ſcribit, inquit aduerſarius; (Leo ep. 66. tom. 1. p. 2.) [Quoniam ſicut dixi, Catholicæ fidei petra (cuius cognomen Beatus Petrus Apoſtolus ſumpſit à Domino) nullum recipit ab vtraque impietate veſtigium.] Sed quàm nullo iudicio contrà Petrum teſtis inducitur Petri ſucceſſor, quo non animoſior alter iurium Petri propugnator? Audi magnum virum; (Serm. 2. in anniuerſ. aſſumpt. ſuæ ad Pontif.) [Manet ergo, inquit, diſpoſitio veritatis, & beatus Petrus in accepta fortitudine petræ perſeuerans, ſuſcepta Eccleſiæ gubernacula non relinquit, ſic enim eſt præ cæteris ordinatus, vt dum petra dicitur, dum fundamentum pronunciatur, dum regni cœleſtis ianitor conſtituitur, dum ligandorum, ſoluendorumque arbiter, manſura etiam in cœlis iudiciorum ſuorum definitione, præficitur, qualis ipſi cum Chriſto eſſet ſocietas, per ipſa appellationis eius myſteria noſceremus.]

Felix, dicit Spalatenſis, (Fœlix 3. ep. 3. tom 1. par. 2.) [Chriſtum ſic loquentem inducit, Beatus es Simon Barjona, quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui in cœlis eſt; Et ſuper iſta confeſſione, ædificabo Eccleſiam meam.] Atqui cùm Romanam Eccleſiam non poſſe errare docuiſſet, hæc ſubiecit; [Secundùm ipſius Domini Saluatoris, inquit, diuinam pollicitationem, qui ſuorum diſcipulorum principi in ſuis fatus eſt Euangelijs: Petre, inquiens, Ecce Satanas petiuit, vt cribraret vos,ſicut qui cribrat triticum, (Felix ep. 1. to. 1. Conc.) Ego autem pro te rogaui, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos. Conſidera itaque omnia, excellentia, prudentia, &c. Quoniam Dominus, & Saluator omnium, cuius fides eſt, qui pro nobis mori non dubitauit,& proprio nos ſuo redemit ſãguine, fidem beati Petri non defecturam promiſit, & confirmare eum fratres ſuos admonuit, quod Apoſtolos Pontifices meæ exiguitatis prædeceſſores confidentèr feciſſe ſemper, eſt cunctis cognitum.] Hoc eſt Felicis teſtimonium, quo,per nos licèt,vtatur aduerſarius. (Adria. ep 4. tom. 2.) Pergit, [Adrianus I. ſic loquitur: Quid enim præſtabilius,inquit,quidue clarius, & omni religione deuotiùs, quàm B.Petri primi paſtoris Eccleſiæ,fęlici confeſſione prolatæ fidei, tenere fundamẽtum? Fundamentum,inquit magiſter gentium, aliud nemo poteſt ponere, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. Huius nimirùm fundamenti immobilis ſoliditatem beatus Petrus, non carne, & ſanguine, ſed Patre reuelante de cœlo, confitendum declarauit, cùm refutatis quorundam opinionibus, quid in diſcipulorum animis fides operaretur, cunctorum cognitor exploraret, ſolus pro ſe, & pro omnibus, & pro vnitate vnus, teſtimonium fidei perhibuit dicens, Tu es Chriſtus filius Dei viui, qui mox confeſſionis præmium, nulla interueniente mora adeptus, & cæli ianitor, & ligandi, ſoluendique arbiter factus eſt animarum, ſtatimque Dominus: Et ego dico tibi, quia,

quia, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Super hanc ſoliditatem fidei Eccleſiam meam ædificabo.] Atqui idem Adrianus hunc in modum loquitur; [Euangelium ſcientibus liquet, quòd voce dominica ſancto, & omnium Apoſtolorum principi Petro claues regni cœlorum, & totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt; Ipſi quoque dicitur, Petre amas me, Paſce oues meas. Ipſi dicitur, Ecce Satanas expetiuit, vt cribraret vos, ſicut cribratur triticum, ſed ego rogaui pro te. Ipſi dicitur, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, Ecce cura ei totius Eccleſiæ, & principatus committitur.]

Adrian. I. epiſt. 3.

[Nicolaus primus, inquit Spalatenſis, ſic ſuam orditur epiſtolam ad Imperatorem Michaelem primam; Principatum itaque diuinæ poteſtatis, quem omnium conditor electis ſuis Apoſtolis largitus eſt, ſuper ſolidam fidem Apoſtolorum principis, Petri ſcilicet, ſoliditatem conſtituens eius egregiam, immò primam ſedem deliberauit. Nam voce dominica ipſi dictum fuerat, Tu es Petrus, &c. Petrus denique à firmitate Petræ, quæ Chriſtus eſt, ſtructuram vniuerſalis Eccleſiæ inconcuſſam, & fidei robore ſolidatam, ità precibus ſuis munire non ceſſat, vt &c.] Atqui Nicolaus primus hæc addit. [Nam voce dominica ipſi Petro dictum fuerat, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam. Petrus denique à firmitate Petræ, quæ Chriſtus eſt, ſtructuram vniuerſalis Eccleſiæ inconcuſſam, & fidei robore ſolidatam, ita precibus ſuis munire non ceſſat, vt errantium veſaniam rectæ fidei norma reformare feſtinet &c.] Igitur fidem Petri à Petro non ſeiungit; Immò alia epiſtola poſt explicata illa verba [Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam] Cùm oſtendiſſet pro ea ſoliditate fidei, quam Chriſtus impertijſſet chariſſimo diſcipulo, Eccleſiam ſemper pugnaſſe, ſubiecit. [Cuius primatum, ſicut omnibus Orthodoxis manifeſtum eſt, B. Petrus princeps Apoſtolorum, & ianitor regni cœleſtis meritò promeruit.]

Nicol. ep. 2. tom. 3.

Hæcne palato Spalatenſis adblandiuntur? [Ioannes etiam octauus, inquit, ita ſcribit ad Imperatorem, Vt Deo noſtro clementer auxiliante, potentiæ veſtræ brachio triumphali, Eccleſiam Chriſti voce ſuprà petram veræ fidei fundatam, tueri ſemper, & ab iniqui, crudelique Paganorum infeſtatione, pio mentis defenderetis intuitu.] Atqui idem Ioannes fretus auctoritate verborum Chriſti [Tu es Petrus &c. non veretur aſſerere, Romę Chriſtum totius Eccleſię fundamentum locaſſe, & religionis, atq; iuſtitiæ caput inſtituiſſe.] Qui hæc vera eſſe poſſint, ſi non eſt Petrus ſententia Ioannis VIII. Eccleſiæ fundamentum?

Ioan 87. Act ep. 54. tom. 3.

Io. 8. ep. 54. tom. 3.

Profert iam alios. [Stephanus Sextus; Catholica, inquit, Chriſti, & Dei noſtri Eccleſia fundata ſuper firmam Petram, Apoſtoli videlicet Petri confeſſionem.] Atqui idem Stephanus Sedis ſuæ auctoritatem propugnans aduersùs Baſilium Imperatorem, Phorio impenſiùs fauentem, liberrima oratione, ſic apud eum diſſerit [Gregis cura nobis commiſſa eſt tantò (temporali) præſtantior, quantùm diſtant à cœlo ea, quæ in terris ſunt. Audi Dominum dicentem Petro, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam &c.] Addit verò, inſtitutionem, & ſacerdotium omnium, quæ in orbe ſunt, Eccleſiarum, à principe Petro originem duxiſſe.]

Epiſt. 25.

Tom. 3. Concil. p. 2. apud Baron. tom. 10 ann. 886 num. 16. Ep. 1 ad Baſil. Imper.

An non igitur is cenſuit Petrum fundamentum eſſe Eccleſiæ? [Innocentius II. ſic ſuam, inquit Spalatenſis, exorditur epiſtolam, quam ad Gallicanas direxit Eccleſias, & eam dictauit Bernardus Clareuallenſis. Teſtante Apoſtolo, ſicut vnus Deus, vna fides eſſe dignoſcitur; in qua tamquam immobili fundamento, præter quod nemo aliud poteſt ponere, firmitas catholicæ Eccleſiæ inuiolata conſiſtit. Indè eſt, quòd B. Petrus Apoſtolorum princeps pro eximia huius fidei confeſſione audire meruit, Tu es, inquam, B. Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, Petram vtique firmitatem fidei, & catholicæ vnitatis ſoliditatem manifeſtè deſignans.] Atqui quos oculos habeat, neſcio, qui non videat his verbis: [Indè eſt quòd B. Petrus Apoſtolorum princeps, pro eximia huiuſce fidei confeſſione à Domino, ac Saluatore noſtro audire meruit, Tu es, inquit, Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, Petram vtique firmitatem fidei, & catholicæ vnitatis ſoliditatem manifeſtè deſignans] & Innocentium, & Bernardum eam firmitatem fidei in Petro, cuius cathedra veritatis Eccleſiaſticæ, veluti centrum ſit, reſidentem, veneratos fuiſſe. Hinc enim circà finem epiſtolæ, ità pronunciat Innocentius.

Apud Bern. ep. 194.

Inter epiſt. Bern. 194.

[Nos itaque, qui in B. Petri cathedra, cui à Domino dictum eſt, Et tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos, licèt indignè reſidere conſpicimur &c. Fidei igitur firmitatem his verbis deſignatam agnoſcit Pontifex illa epiſtola; At eius firmitatis prærogatiuam accepiſſe Petrum à Chriſto, Petri ſucceſſor gloriatur; Sed negotium abſoluit Gloſſa apud Spalatenſem. [Gloſſa decreti, inquit, ſic habet; Per hanc dictionem, ſuper hanc petram, Non credo, inquit, Dominum aliud demonſtraſſe, quàm hæc verba, quæ Petrus reſpondit, Tu es Chriſtus filius Dei viui, quia ſuper illo articulo fidei fundata eſt Eccleſia; Ergò ſuper ſeipſo fundauit Deus Eccleſiam.] Atqui non à Iuris canonici, ſed à Theologiæ peritis eſt verborum Chriſti explicatio petenda, quamquam etiam nos non lædat illa Gloſſa, quæ de fidei, non de viſibilis miniſterij, fundamento, de quo nobis ſit ſermo, ità cenſeat. [Patres quoque Concilij Sueſſionenſis ita loquuntur, inquit aduerſarius, Quæ Eccleſia catholica cùm generaliter ab vno capite Chriſto ſupra Petram, ideſt, ſuper confeſſionem Petri ſit ædificata, &c.] Atqui ijdem Patres vno tenore adduut: [Manifeſtum tamen eſt per omnem Italiam, Galliam, & Hiſpaniam nullum inſtituiſſe Eccleſiam, niſi eos, quos venerabilis Petrus, aut eius ſucceſſores conſtituerunt Sacerdotes, & quoniam Eccleſia in iis quoque partibus ſuper hanc Petræ ſoliditatem non tantùm fundata, ſed ab eo, eiuſque ſucceſſoribus eſt etiam edocta, cum Dei gratia ipſius B. Petri ſuffragantibus meritis, firmitatem fidei, quam primò percepit, hactenùs inconcuſſam ſeruare

Aduersùs Abailardū.

Gloſs. in c. ita Dom. diſt. 19.

Apud Bar. tom 11. ann. 909. num. 6.

Ex Innocẽtio I.

Digitized by Google

uare ſtudent.] Diceres, Marce Antoni, hos teſtes in caput tuum ſubornatos. Omnes enim à te excitati clariſſimis verbis docent, ſe, cùm fidem, aut confeſſionem Petri fundamentum Eccleſiæ faciunt, eam in Petro ſpectaſſe, nec à Petro ſeparaſſe.

Spalat. Num. 14. Excuſſimus itaque aduerſario illam verborum iactationem [Illa tamen loca, inquit, protuli, in quibus vix ſit coniunctio fidei, ſeù confeſſionis cum Petro? Quòd os habere eum oporteat, qui hæc tam arroganter profundat? Oſtendimus, comprobauimus, euicimus nullum eſſe ſanctorum Patrum, qui eam fidem, quam Eccleſiæ fundamentum faciat, ad Petrum non referat; Et homo audaciſſimus à ſe adductos de fide, ſeorſim acceptas abſque ordine, & relatione ad Petrum loquutos aſſeuerare non veretur? Scilicet pallet, ad eam diſtinctionem, quam adhibent noſtri Theologi, duobus modis ſpectari poſſe fidem Petri, primò abſolutè, & ſine relatione ad Petrum, quo ſenſu negant Patres eam fundamentum Eccleſiæ facere: Secundò cum relatione ad Petrum, qui ea fide ornatus fuerit, & eam confeſſionem primus ediderit, quo ſenſu admittunt fundamentum eam feciſſe Patres Eccleſiæ, quòd ſcilicet eam remuneratus ſit in Petro Chriſtus Dominus. Igitur rationibus hanc diſtinctionem oppugnat homo ſine ratione.

Spalat. Num. 14. [Nam, inquit, fides in Petro, vel eſt ratio finalis, cur Petrus ſit fundamentum, & ſic vbique, vbi erit illa fides, & illa confeſſio, erit fundamentum; vel eſt tantùm conditio, ſine qua Petrus non eſſet fundamentum, & ſic locutio eſt valdè impropria.]

Reſpondeo breuiter neutrum eſſe, ſed cauſam eſſe meritoriam, vt etiam à nobis ſuprà probatum eſt teſtimonio Patrum. Quemadmodùm enim cùm ſcribit Nazianzenus, Athanaſium, Baſilium Eccleſiæ gubernacula, hunc quidem Cæſareæ, illum verò Alexandriæ, ob eximiam fidem, pietatem, & doctrinam ſuſcepiſſe, non cauſam finalem, aut formalem, ſed meritoriam deſcribit; ità Patres cum fidem, aut confeſſionem fidei, Petrum ad faſtigium imperij Eccleſiaſtici euexiſſe contendunt, non agunt illi de cauſa, aut finali, aut formali, neque etiam præciſè de conditione, ſine qua non, ſed de cauſa meritoria; quippè cuius interuentu eum honorem à Chriſto ſit conſequutus Petrus. Nam quòd Chriſtum his diuinis verbis confeſſus fuiſſet, *Tu es Chriſtus filius Dei viui*, eum hoc honorificentiſſimo reſponſo dignatus eſt Chriſtus; *Sed & ego dico tibi, quia, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Nihil, aut pleniùs, aut etiam planiùs dici poſſe, mea quidem eſt ſententia. Namque Patres ferè omnes aſſerunt hac ſua confeſſione promeruiſſe Petrum, vt caput Eccleſiæ conſtitueretur, & princeps Apoſtolorum renunciaretur. Neque verò propterea neceſſe ſit, vt vbicumque ea fides effulſerit, ibidem ſtatim fundamenti nomen cogitetur; Non enim ſimpliciter fidem, & confeſſionem Petri remuneratus eſt Chriſtus, ſed fidem illam remuneratus eſt, & confeſſionem, quòd ad eam edendam primus à Patre excitatus eſſet Petrus, & primus eam prodidiſſet.

Ibidem. Concidunt ergo illa ineptiſſima argumenta de communione reliquorum fidelium, vt & illa de improprietate locutionis, nam poſita illa cauſa morali, & meritoria, quam ſtatuimus, neque oportet omnes confeſſionis Petri participes, eius dignitatis quoque participes eſſe, cùm in eius confeſſionis præmio hoc attendatur, quod reliquos Apoſtolos ſit antegreſſus, & ab viſitato more loquendi non recedatur, cùm dicitur, *Fidem eſſe cauſam moralem, cur aliquis præmium, aut honorem ferat à Chriſto*.

Nec dum arma ponit Spalatenſis [Quicquid ſit de hoc, inquit, certè loca, quæ protuli; cùm non habeant adiunctum Petrum, de fide, & confeſſione abſolutè, & ſine relatione ad perſonam Petri erunt intelligenda; alioquin non ſine violentia magna flecti poſſunt, vt per fidem, & confeſſionem intelligatur ex vi verborum, Petrus fidelis, & confitens. Dicebat ſuprà Auguſtinus, Super hanc fidem, ſuper, id quod dictum eſt.] Spalat. Num. 15.

[Hìc apparet, perſequitur Spalatenſis, manifeſta ſeparatio fidei, & confeſſionis ab ipſo Petro fidem confitente.] Atqui ni fallor, & ſermo ad eum, qui prociarit, omninò referri debet, & confeſſio ad eum, qui ſit confeſſus, & fides ad eum, qui illa fuerit ornatus; ergo quocumque ſe vertas Spalatenſis, efficere non poteſt, vt Petrus ab illa ſua eximia fide, aut confeſſione abſtrahatur. Etſi enim in alijs quoque fidelibus poſſit intercedere, etiamnùm ſumma huius virtutis communio, tamen eo gradu, quo fuit in Petro, in neminem conuenire iam poteſt, quòd, vt diximus, haud ſpectarit Chriſtus ſolam fidem, aut confeſſionem, ſed eam fidem, & eam confeſſionem, quam primò protuliſſet Petrus à patre excitatus. Quod attinet ad locum Auguſtini, diximus ſuprà, eò loci receſſiſſe eum, vt locus indicat, à communi ſententia propter Donatiſtas, qui in ſanctitate miniſtrorum vim ponerent, & efficacitatem Sacramentorum. Seiungit ergo Petrum à Chriſto eo loco Auguſtinus, quantùm ad principalem rationem ædificationis, ne quis diceret, *Ego ſum Pauli, ego ſum Cephæ.* Hunc enim Apoſtoli textum verſat: *Fundamentum aliud nemo ponere poteſt, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Dominus Ieſus*, ex eoque elicit dictum Petro, *Super me*, inquit, *ædificabo te, non me ſuper te*; ideſt, non à te conſequar, vt ædificare poſſim Eccleſiam meam, ſed tu à me conſequeris, vt illi ſupra me, tanquam ſuprà primo, & maximo fundamento, ædificandæ, par eſſe poſſis, immò, vt tu ipſæ ędificeris, non autem ſpectat rationem, & operam, vt vocant, vicariam, & miniſterialem, in qua pręſtanda proculdubiò Petrum ſententia Auguſtini adhibuerit, & fundamentum ſecundarium fecerit, vt eſt à nobis centies probatum. Quòd verò occaſione huius loci in Breuiarij reformatores inuehitur Spalat. ne nauci quidam faciendum ſit; quid enim deſertori, & Breuiario, quid impio, & pietati? Cœterùm expendimus etiam ea loca, quæ more ſuo repetit Spalatenſis Gregorij, & Bernardi, ſeù Innocentij, ac oſtendimus proculdubiò confeſſionem, & fidem à Petro non abſtraxiſſe illos Patres. At iam noua auxilia aduocat aduerſarius.

[Vt meliùs, inquit, hanc diſtinctionem

(de

Spalat. Num. 16. Ambroſ. de Incar. c. 5.

(de fide abſolutè, ac ſecundùm ſe, & ſine relatione) eſſe merum effugium, oſtendamus, affero nouum Ambroſij locum, ſubterfugium hoc nullo modo admittentem. Ait enim, fides ergo eſt Eccleſiæ fundamentum, non enim de carne Petri, ſed de fide dictum eſt, quia portæ mortis ei non præualebunt, ſed confeſſio vincit infernum, & hæc confeſſio non vnam hæreſim excludit. Nam cùm Eccleſia multis, tamquam bona nauis fluctibus ſæpè tundatur, aduersùm omnes hæreſes debet valere Eccleſiæ fundamentum. Videſne, inquit, Lector, ab Ambroſio expreſsè negari petram illi ad perſonam Petri referri? Non enim de carne Petri, ſed de fide dictum eſt, &c. Nemò, puto, dubitabit per carnem, ſuppoſitum ipſum, ſeù perſonam, atque indiuiduum, intelligit. Vidit locum Baronius; cui hanc appoſuit expoſitionem. Hanc idcircò Ambroſius de carne Petri, & de fide Petri habet diſtinctionem; ne videretur cum Petro etiam interijſſe Eccleſia: cæterùm non niſi ex fidei confeſſione eam Petrus prærogatiuam promeruit. Sed hæc expoſitio videtur ſatis frigida, & nullius momenti. Habet enim Ambroſius contradictionem huiuſmodi: Non loquitur (ait) de Petri carne; ſed de fide: dubitari enim poterat, num de Petro ipſo, an de ipſius fide intelligi deberet id, quod à Chriſto promittebatur verbis illis, Et portæ inferi non præualebunt &c. Ac reſpondet; non de Petri carne, ſed de fide illa intelligi: quomodo verò formabitur contrà diſtinctio ad mentem Baronianæ expoſitionis?

Bar. tom. 1. an. 33. n. 23.

Hieron. ad Pamm. adu. error. Ioan. Hieroſol.

Dicat igitur ſimiliter contradictionem ſubeſſe in illo dicto Hieronymi, *Petrus ſuper aquas ambulat, graui, & ſolido corpore vndæ non cedit, paululum fides dubitat, & ſtatim naturam ſuam corpus intelligit, vt ſciamus ſuper aquas non corpus ambulaſſe, ſed fidem.*

Puto enim quòd hìc de Ambroſio dicit Spalatenſis, per corpus quoque Hieronymum, [Suppoſitum ipſum, ſeù perſonam, atque indiuiduum intellexiſſe.] Atqui poſita etiam oppoſitione Hieronymi inter corpus, & fidem Petri, omnis contradictio ſoluitur, adhibita diſtinctione inter cauſam, & ſuppoſitum. Namque, & verum eſt corpus, qua ſuppoſitum ſignat ambulaſſe ſuper aquas, & fidem tamquam miraculi cauſam itidem ſuper aquas ambulaſſe. Sic igitur in propoſitio optimè diſtinguit Baronius inter fidem, & Petrum, vt contrà Petrum tentationum fluctus non præualuerint, vicerit autem fides, hoc eſt, eius victoriæ, quam reportarit aduersùs inferorum portas, cauſa cenſeatur. Hæc adeò ſimilia ſunt, vt non magis ouum ouo ſimile haberi poſſit.

Bar. tom. 1. an. 33 n. 23.

Fruſtrà igitur eſt Spalatenſis in Baronio oppugnando. Id enim agebat Ambroſius, vt cauſam eliceret, cur immobilis, & inuicta perſeuerarit Eccleſia ſupra Petrum fundata. Hoc autem aſcribit fidei, non carni Petri. Neque verò Baronius Ambroſio contrarius eſt, vt enim eam prærogatiuam Petri dixerit, cuius tamen cauſam vidit doctiſſimus Annalium Scriptor, non à carne Petri, ſed à fide deriuari exiſtimauit. Stultum autem eſt putare carni Petri, hoc eſt hypoſtaſi Petri non eſſe factam eam promiſſionem, *& portæ inferi non præualebunt*, cùm apertiſſimis verbis dixit Chriſtus, *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* An non enim, Marce Antoni, illud nomen Petrus, nomen eſt perſonæ, & indiuidui? Illico, ait Baſilius, per hanc vocem Petrus, intelligimus Ionę filium, qui fuit ex Betſaida, Andreæ fratrem, qui ex piſcatore in Apoſtolatus miniſterium vocatus eſt, *ton dia piſteos yperochiun eph' eauton in icodomin tis Eccleſias dexamenon.* Vides igitur, Lector, cùm carni Petri negatur victoria de inferorum portis, ſpectari eam ſecundùm propriam, adeòque nudam rationem carnis: cùm autem ei tribuitur ille triumphus ſpectari iuxta rationem gratiæ, hoc eſt vnà cum fide, quæ illi aduersùs tentationes prę-dio ſit, & tutamento. Pluribus opus non eſt ad ea euertenda, quæ duabus integris ſectionibus de loco Ambroſij verboſiſſimè diſputat Spalatenſis.

Baſil. lib. 2. cont. Euno.

Spalat. Num. 18.

Eodem ſanè ſpectauit Auguſtinus, cùm verba Chriſti ad Petrum propriè dicta, [non habere illuſtrem intellectum, niſi cùm ad Eccleſiam referuntur] aſſeruit: cùm enim ad Eccleſiam referantum eam fidem inuoluunt, quam nomine Eccleſiæ profeſſus eſt Petrus, vndè, & claues accepit, quæ Eccleſiæ vſibus accommodarentur, & deſeruirent: ſed nos plura de Auguſtini loco in ſuperioribus.

Spalat. Num. 19. Chryſ. ſer. de Pentec. tom. 3.

At inſtat Spalatenſis [Si Auguſtinus, & Ambroſius non ſufficiunt ad tollendum omnem ſcrupulum ijs, qui non libenter audiunt fidem à Petro confeſſam, abſque vlla relatione ad Petrum, intelligi petram illam ſuper quam fundanda erat Eccleſia, addam ipſis adhuc Chryſoſtomum, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram, non dixit (inquit Chryſoſtomus) ſuper Petrum, non enim ſuper hominem, ſed ſuper fidem ædificauit Eccleſiam ſuam. Quid autem erat fides, Tu es Chriſtus filius Dei viui, Petram vocauit Eccleſiam fluctus ſuſcipientem, & non titubantem. Etenim Eccleſia tot ſuſcipit tentationes, non tamen vincitur. Quid eſt ſuper petram; Hoc eſt, ſuper confeſſionem, ſuper ſermones pietatis. Audiſti, non ſuper Petrum, non ſuper hominem, ſed ſuper fidem, ſuper confeſſionem. Quid quæris clarius? Lutherus ne, Centuriatores, Smalchaldica Synodus, & ſimiles, quos nobis tamquam portenta quædam nominat Bellarminus, erunt huius expoſitionis auctores, an verò optimi quique, & doctiſſimi, ac ſanctiſſimi Eccleſiæ catholicæ Doctores, & Magiſtri? Et non erit magna temeritas, hanc expoſitionem adunco naſo reſpuere, & inter putatas quiſquillas hæreticorum reponere?]

Reſpondeo, hic ſuo ſe gladio iugulat: Etſi enim Chryſoſtomus triumphos Petri ad confeſſionem refert, Petrum tamen à confeſſione non ſeiungit. Audiamus aureum os, & virum planè Epiſcopatu dignum, de hac re differentem ipſis in Matthæum Commentarijs, *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, ideſt*, inquit Chryſoſtomus hom. 55. ad c. 16. Matt. *fidem, atque confeſſionem hìc apertè prædixit magnam eorum, qui crediturì, & erant, & ſunt, multitudinem fore, & ſublimiora ſapere ipſum facit, & Eccleſiæ paſtorem conſtituit.* Ergo fidei confeſſionem aduersùs inferorum portas præualituram ad Petrum paſtorem à Chriſto inſtitutum

tum refert; nec vnum ab altero ſeiungit.

Loco autem à Spalatenſi adducto, Petrum, vt merum hominem ſpectat, atque negat eo ſenſu ſuper eum fundatam Eccleſiam. Neque verò, cùm fidem Eccleſiæ præſidium, & firmamentum facit quo nitatur, eam à Petro auellit, aut ſeparat. *Quid autem*, inquit, *erat fides, Tu es Chriſtus filius Dei viui?*

Quæro igitur à Spalat. Quis ea verba protulit? Quis confeſſus eſt? An non Petrus fęlix à Chriſto hoc nomine nuncupatus? Addo, Chryſoſtomum eò loci de obiecto fidei propriè loqui, cuius fundamentum non homo, ſed Chriſtus ipſe ſit, ideòque meritò non ſuprà Petrum, ſed ſuprà fidem, Eccleſiam eſſe ædificatam, prædicaſſe. Suſceperat enim probandum aduentu Spiritus ſanctifactum, vt Eccleſia nullis mergeretur fluctibus, nullis expugnaretur tentationibus, hoc autem non habere à ſuæ naturæ conditione, ſed ab eo, qui dixerit, *Ecce ego vobiſcum ſum, vſque ad conſummationem ſæculi*, oſtendit.

Huius verbum potentiſſimum eſſe clamat, cui vim vltimam inferre tyranni non poſſunt, [Faciliùs, inquit, cœlum exterminari poteſt, & terra perire, quàm aliquid mali pati Eccleſiam. Quis eſt, qui hæc dixit, ipſe Chriſtus loquitur, cœlum, & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt. Benè enim Verbum Dei ipſo cœlo validius eſt, quia cœlum opus Verbi eſt, &c. quæ autem ſunt verba, adducamus in medium, videamus, ne fortè interciderint,] & quæ ſequuntur, vt planè conſtet, de obiecto fidei, & doctrinę loquutum eum; quo nixos non ſolùm Apoſtolos, ſed & reliquos fideles, victores euaſiſſe, tyrannide proculcata, commonſtrat. Atqui cùm de fundamento miniſterij Eccleſiaſtici agit, ad vnum confugit Petrum, & quidem tamquam ad principem Apoſtolorum à Chriſto in fide ſolidatum, & firmatum.

Addo, eam de Pentecoſte homiliam non cenſeri inter germana, ac genuina opera Chryſoſtomi, nec in poſtrema editione operum eius apparere; quod ſcilicet Græcè non extet. Certè veris operibus adeò validè noſtram propugnat ſententiam, hoc eſt, fidem non eſſe à Petro ſeiungendam, vt huius eum faciat firmamentum, & confeſſionis fundamentum.

Chryſ. de debit decē milium talent.

Petrus chori Apoſtolorum princeps, os diſcipulorum, columna Eccleſiæ, firmamentum fidei, confeſſionis fundamentum, orbis terrarum piſcator, qui genus noſtrum ex profundis errorum in cælum ſubtraxit, &c. Auelle igitur, ſi potes, Marce Antoni, fidem à ſuo firmamento, & confeſſionem à ſuo fūdamento. Vt tamen planior ſit huius capitis doctrina, aduertendum eſt, quod ante nos monuerunt viri doctiſſimi, tum fidem in Chriſtum, tum confeſſionem eius fidei, tum Petrum fundamenta Eccleſiæ diuerſis rationibus conſtitui. Igitur ſunt hæc tria diſtinguenda.

Primò, fides in Chriſtum, quæ in eo conſiſtit; vt credamus Chriſtum eſſe filium Dei, verum Deum, ac verum hominem. Secundò, confeſſio illius fidei, de qua Apoſtolus, *corde creditur ad iuſtitiam, ore autem fit confeſſio ad ſalutem*. Tertiò, prædicatio eiuſdem fidei, de qua idem Apoſtolus. *Quomodo credent ei, quem non audierunt; quomodo autem audient ſine prædicante; quomodo verò prædicabunt niſi mittantur?* Iuxta igitur hanc diſtinctionem, hæc tria iſta pronunciata omninò vera ſunt. Primùm, *Chriſtus eſt primum, & maximum fundamentum Eccleſiæ*. quòd nimirùm fidei Chriſtianæ obiectum ſit Deus, & homo, creator, & redemptor. Secundùm, *Petrus eſt ſecundarium fundamentum Eccleſiæ*, ratione ſcilicet confeſſionis illius fidei, quam primus Apoſtolorum profeſſus ſit his verbis: *Tu es Chriſtus filius Dei viui*, cuiuſque interuentu promeruit firmitatem, ac ſtabilitatem, quam tum pro ſe, tum pro ſuis ſucceſſoribus ſit conſecutus. Tertiùm, *Apoſtoli ſunt ſecundaria fundamenta Eccleſiæ vnà cum Petro*, ratione prædicationis eiuſdem fidei, & miniſterij, ita vt tamen eam firmitatem quidem pro ſe, non tamen pro ſuis ſucceſſoribus conſecuti ſint.

Igitur ad prioris pronunciati amuſſim illud exigendum eſt, quod tantoperè vrget Caluinus, Apoſtolum ſcripſiſſe, *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus.* Nam loquitur Apoſtolus de fundamento primo, & maximo, quod ſit fidei noſtræ obiectum; quodque animo complecti omninò teneamur, ſi modò Chriſtiani eſſe velimus. Ita enim articulus de diuinitate, & humanitate Chriſti fundamenti rationem habet, vt quicunque alij ſuperſtruuntur, aut ſuperędificātur fidei noſtę, quà Chriſtiana dicitur, acceſſiones quædam cenſeantur, & veluti ad eam fidem appendices.

Scio quoſdā de fide viua eum locum interpretatos, ſed penitiùs intuentibus, ac mentem Pauli altiùs ſcrutātibus, apparet illum de doctrina fidei Chriſtianæ locutum, cuius aliud fundamentum eſſe non poſſit, quàm Chriſtus propter rationem adductam. Iuxtà ſecundam intelligendū eſt confeſſionem quidem cauſaliter, Petrum verò formaliter fundamētum eſſe, non fidei (vni ſcilicet Chriſto hoc proprium eſt) ſed miniſterij Eccleſiaſtici. Hoc enim rurſùs obſeruandum eſt, longè hæc differre, fundamentum fidei, & fundamentum miniſterij, quo ſpectabile regimen Eccleſiæ veluti capite ſuſtentatur. Igitur hoc ſenſu dicimus, Petrum eſſe fundamentum Eccleſiæ, quòd ei dictum ſit à Chriſto, *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*: Patres enim omnes, potiſſimùm, qui ante exortam Arrianorum factionem floruerunt, ex eo loco colligunt, Petrum à Chriſto conſtitutum principem, & paſtorem Eccleſiæ, vt probant loca ſuperiùs à nobis adducta in confirmationem prioris ſententiæ, quam eſſe Catholicorū communem oſtendimus.

Addimus verò, quæcunq; ad huius principatus dignitatem pertinere poſſint, ea conſecutum Petrum merito diuinioris cuiuſdam confeſſionis, quàm ſilentibus reliquis, quod, quid reſponderent, iam non occurreret, ediderit. Habent enim hunc ſenſum verba Chriſti, *Beatus es Simon Bar-Iona*, ob excellentiam, & præſtantiam huius tuæ confeſſionis, quà in hæc verba erupetis, *Tu es Chriſtus filius Dei viui*; Atque ideò tam præclaræ vocis, ac confeſſionis intuitu, te iam in Eccleſiæ meæ fundamentum ſum conſecraturus; quare in animo, eſt te firmam Petram, & ſpirans ſaxum facere, cui hæc me auctore, moles, & fabrica innitatur. *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*. Quorsùm iſtud petis? Quia ita

Orthodoxa interpretatio verborū Chriſti ad Petrum.

re-

rebus tuis conſului, ac tibi proſpexi vt caſura numquam ſit fides tua; *Ego enim pro te ro-*

Luc.22.

gaui, vt non deficiat fides tua. Itaque Patres rectè dixerunt, fidei confeſſionem eſſe fundamentum Eccleſiæ, confeſſionem ſcilicet vnà cum Petro ſpectatam, atque quidem Petrum formaliter, fidem verò cauſaliter hoc nomen ſibi vendicare. Hìc tamen obiter monuerim, Patres, qui per Metonymiam confeſſionem fidei Petri fecerint fudamentum Eccleſiæ, id feciſſe importunitate Arrianorum, qui cùm Chriſtum via generationis à Patre procedere inficiarentur, conuincendi fuere aperto aliquo teſtimonio, quod id maximè vrgeret, & comprobaret.

Exiſtimarunt autem Patres ad id præſtandum, quàm maximè idoneam eſſe Petri confeſſionem, in qua haud ſolùm Chriſtus filius Dei, ſed filius Dei viui dictus eſset, quòd ſcilicet gignere ex ſe alium, viuentium proprium ſit. Eſt enim, ſententia Philoſophorum, Generatio origo viuentis à viuente, Itaque cùm Tertullianus, Origenes, & Cyprianus Arrianis ſuperiores locum Matthæi de Petro intellexiſsent, atque fundamentum eſse Petrum pronunciaſsent: Hilarius, & qui eum ſecuti ſunt in eo ſenſu non acquieuerunt; ſed cùm illum conſtantiſſimè tenerent, alium quoque perſecuti ſunt, qui Catholicam cauſam aduerſùs Arrianos fulciret. Hinc videre eſt tum Hilarium, tum Chryſoſtomum, tum Cyrillum, modò hunc, modò illum ſenſum ita amplexatos, vt tamen à neutro abhorruerint, ſed vtrumque pro Othodoxo habuerint. Tantum autem abeſt, vt hoc recentius interpretamentum funditùs ſuſtulerit priorem ſententiam, vt etiam illo ſæculo extiterint, qui locum illum, *Tu es Petrus*, Petro, in ratione

Baſil. hom. de Pœniten.

petræ, ſpectato tribuerent. Audi Baſilium; *At Petrus dixerat iam antea, & beatus pronunciatus fuerat: cùm dixiſſet, Tu es filius Dei excelſis, & viciſſim audierat, ſe eſſe petram, ita laudatus à Domino: licet enim, & ipſe petra eſſet, non tamen petra erat vt Chriſtus. Vt Petrus petra erat; Nam Chriſtus verè eſt immobilis petra, Petrus verò propter petram.* Iuxta tertium pronunciatum intelligendum eſt illud Apoſtoli, *Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu.* Quo loco dicuntur Apoſtoli, & Prophetæ fundamenta Eccleſiæ, quod nimirùm Apoſtolorum, & Prophetarum fidei, doctrinæ prædicationi, & inſtitutioni, quaſi fundamento Eccleſia incumbat, quò interpre-

Pſal.86. Auguſt. in Pſal 86.

tes referunt illa Dauidis, *Fundamenta eius in montibus ſanctis*; *Ipſe*, Chriſtus, *angularis lapis*, inquit Auguſtinus, *monteſque Apoſtoli, Prophetæ magni, portantes fabricam ciuitatis, faciunt viuum quoddam ædificium.* In fundamentum ergo Eccleſiæ poſitos Apoſtolos, reliquoſque Chriſtianos eis veluti ſuperædificari, atque hoc modo abſolui Eccleſiæ fabricam, docet Paulus.

Beza ad locum Apoſtoli fundamentũ aliud &c.

Apoc.21.

Nam quod *Antichriſtianam vocem eſſe aliud ponere fundamentum, quàm Chriſtum*, occentat Beza, verè Antichriſtianum eſt, ſi de omni omninò fundamento intelligatur, cùm Scripturam ſacram funditùs euertat, quę Apoſtolos fundamenta, ſecundaria ſcilicet, Eccleſiæ faciat. Certè in Apocalypſi Ioannis, murus ciuitatis Hieruſalem de cœlo deſcendentis, hoc eſt Eccleſiæ, habere fundamenta duodecim, & in ipſis duodecim nomina Apoſtolorum agni, dicitur. Vt igitur quæ ſunt à nobis vberiùs explicata vno veluti faſce complectamur. Dicimus, Chriſtum primum, & maximum fundamentum eſſe fidei noſtræ, adeòque totius Eccleſię, neque in huius honoris conſortium aliquem Apoſtolorum, ne quidem ipſum Petrum vocandum eſſe. Addimus, Petrum miniſterij Eccleſiaſtici fundamentum eſſe præcipuum, quod emiſſa diuiniſſima confeſſione, Petræ nomine, adeòque primatu Eccleſiæ ornatus ſit à Chriſto; Apoſtolos huius miniſterij participes faciamus; hoc enim erant, quod Petrus in Apoſtolatu, cuius partes quoque eſſent ſuſtentare Eccleſiam, non ſolùm docendo, ſed etiam regendo; verumtamen exordium ab vnitate proficiſcitur, ac vnus à Chriſto eligitur, *quo capite conſtituto, ſchiſmatis tollatur occaſio.* Ergo

Hier. lib 1. cont. Iouin.

regunt Eccleſiam Apoſtoli, regit Petrus, ſed principatum obtinet Petrus, hoc eſt nomine, & poteſtate capitis, etiam Apoſtolorum, gaudet.

Proptereà igitur peculiari quadam ratione *Petra*, hoc eſt fundamentum Eccleſiæ à Chriſto eſt nuncupatus. Quod attinet autem ad miniſterium prædicationis Euangelij, pares omninò fuerunt Petro Apoſtoli. Imò *plùs ſe in eo miniſterio implendo laboraſſe*, non immeritò gloriatur Paulus. Cæterùm cum de Petro agitur, meminerit Spalat. nec eum, quà caput eſt Eccleſiæ, à fide abſtrahendum eſſe, nec fidem, aut confeſſionem fidei, quam ſit remuneratus Chriſtus, ab eo auellendam. Meminerit item, ſi qui Patres videri poſſint, fidem à Petro ſeiunxiſſe, illos de fide iuxta primam rationem, hoc eſt, iuxta rationem præcipuam ſui obiecti locutos; ſic enim proculdubiò fides à Petro rectè ſeparari poteſt, cùm vnum reſpiciat Chriſtum Deum, & hominem; qui eius ſit primum, & maximum fundamentum. At verò, cùm de fide loquuntur, quæ pro merita ſit, vt Chriſtus Petrum faceret fundamentum Eccleſiæ, de fide Petri proculdubiò loquutos, quæ ab eo auelli non poſſit, nec ad alios ſe porrigat, niſi participatione quadam, quatenùs ſcilicet in eius ſententiam annuendo, & conſentiedo diſceſſerunt. Neque enim ipſi Apoſtoli auctores fuere huius confeſſionis primùm edendæ, ſed afflatu Patris editam à Petro probarunt, eique aſſenſi ſunt, vndè, & dignitatis Petri participes quidem facti ſunt, ſed ipſe princeps, & caput illius chori, adeòque totius Eccleſiæ eſt conſtitutus.

Spalat. Num. 23. Bellar. lib 1 de pontif. cap. 10.

Iam aggreditur Spalat. ad ea refellenda, quæ ab Illuſtriſſimo Cardinali Bellarmino ſunt in medium allata, ad euertendas eorum ſententias, qui aliò, quàm ad Petrum verba Chriſti, [& ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, referrent. Oppoſuit, inquit, Bellarminus; Si ita eſſet (hoc eſt, ſi vera eſſet ea opinio, quæ de vno Chriſto dicta eſſe verba, Et ſuper hanc petram ædificabo, contendit) non diceret Dominus, ſuper hanc petram ædificabo, ſed ædifico, vel ædificaui Eccleſiam meam. Iam enim multi crediderant, ſed oppoſitioni huic facilè fit ſatis, reſpondendo, ſermonem eſſe de Eccleſia Chriſti, prout diſtinguitur à Synagoga, de illa videlicet, quam

Chriſtus Dominus eſſet fundaturus; non de illa, quæ eius aduentum præceſſit, cuius licèt idem ipſe caput eſſet tamquam venturus, non erat tamen illa ab eo Deo-homine fundata, neque actu cum ipſo deſponſata; Neque loquitur de ſola Eccleſia ſua inchoata, & nondùm à Synagoga perfectè ſeparata, ſed de illa, quæ eſſet propriè Chriſtiana Eccleſia, iam ſanguine eius abluta, & in baptiſmate mundata, ea verò, nonniſi poſt Paſſionem, & Reſurrectionem fundari cœpit, & dilatari, vtì iam dixi, Catholicos Theologos explicare.]

Sed primùm, nos ſuprà oſtendimus, merum eſſe figmentum, & hominis parum accuratè Theologiam tractantis commentum, eam ſententiam, quæ nomen Eccleſiæ cœtui Apoſtolorum, ac primorum fidelium negaret; Cùm planè certum ſit, etiam ante paſſionem Chriſti, Eccleſiam à Chriſto colligi cæpiſſe, adeòque auguſtiſſimum hoc nomen ſibi vendicaſſe, quòd tum primùm fundata eſſet à Chriſto, leges accepiſſet, & Sacramentis à Sacramentis etiam Synagogę diſtinctis, eſſet ornata. Itaque, & ſi tum fulgorem ſuum, vt diximus, non eſſet conſecuta, fundabatur intereà, vt propterea ſi de ſe ipſo, ſuper quem fundaret Eccleſiam, ſermonem habuerit Chriſtus, proculdubiò ei dicendum fuerit, *Non ego ædificabo, ſed ego ædifico Eccleſiam meam*, cuius ſcilicet tum fundamenta iaceret, imò iecisset. Si enim benè aduertis, Mace Antoni, ædificatio à fundamentis incipit, quare cùm illa etiam ante paſſionem iacerentur, atque tum Apoſtolos, tum alios plures diſcipulos ædificaſſet, ac inſtituiſſet, dicere omninò debuit, *ego ædifico*; Sed aliò ſpectaſſe eum certum eſt, atque idcircò futuro vſum ædificabo, quòd nimirùm nondùm conſtituiſſet Petrum fundamentum, ſed id poſt reſurrectionem præſtiturus eſſet.

Spalat. Num.20. in fine. Chryſoſtomum nobis opponit Spalatenſis: [Vnico, inquit, nunc Chryſoſtomo contenti ſumus. Duodecim erant, inquit, diſcipuli ſequentes ipſum, & Eccleſiam referebant, quamuis nullus tunc eam mente conciperet, ſiquidem nec nomen Eccleſiæ erat, ſed florebat Synagoga. Itaque, inquit Spalaten. & Chriſtus, & fides Chriſti Eccleſiam illam, quam meam dixit Chriſtus, poſt paſſionem tantùm, & reſurrectionem ædificauit: ac ideò dixit Petro, ædificabo, & non dixit, ædifico, vel ædificaui.] Atqui non videt eloquentiſſimum Antiſtitem eò loci, non de Eccleſia vtcumque ſpectata, ſed de Eccleſia inſtar ſolis in omnibus gentibus, quas ſol, vt ille loquitur, aſpectat, obtinente. *Nec ideò*, inquit, *quia paucis dicitur*, ideſt cum paucis, *ædificabo Eccleſiam tranſcurras obiter, ſed conſidera, & cogita tecum, quid ſit in tam breui tempore omnem ſub ſole terram tantis Eccleſiis impleri, tantas gentes ad fidem transferri, populos perſuaderi, vt patrias leges abrogent, conſuetudinem ſtabilitam, & radicatam reuellant, imperium voluptatis, nequitiæ vim, tamquam puluerem abijciant, altaria, & templa, & ſtatuas, & ſacrificia, & prophana feſta, & immundum odorem, ſicut fimum aliquem aboleant. Et excitent altaria vbique gentium, in regione Romanorum, Perſarum, Scytharum, Maurorum, Indorum, & vltra orbem noſtrum.* Vides igitur inſinuaſſe Chryſoſtomum, infidelibus, & exteris qui-

Chryſ. adu. Gent. Quod Chriſtus ſit Deus.

dem tunc incognitam fuiſſe eam Eccleſiam, quæ poſteà totum orbem peruagata ſit, atque crucifixo faſces ſummittere etiam ſummos Reges adegerit. At non negaſſe iam antè paſſionem eam in diſcipulis incœpiſſe, ac enituiſſe; Duodecim enim Apoſtolos *eam retuliſſe*, ipſe clariſſimis verbis docet. Cœterùm ſuprà monuimus, aliud eſſe Eccleſiam fundari, & ædificari, aliud augeri, & propagari. Ædificari cœpit, ſpirante, & in terris agente Chriſto, propagata eſt autem poſt paſſionem, ac eo in cœlum recepto.

Alterum argumentum Bellarmini vellicat Spalatenſis. Opponit 2. Bellarminus, inquit Spalatenſis, debet eiuſdem generis eſſe fundamentum, & reliquum ædificium: eſt autem Eccleſia hominum congregatio, quaſi lapidum viuorum; vt dicitur 1. Petri 2. Debet ergo petra, quæ eſt fundamentum, eſſe etiam aliquis homo, non aliqua virtus. Quaſi verò, inquit, quiſpiam ponat pro fundamento Eccleſiæ fidem in concauo lunæ, vel alibi, à ſuo ſubiecto ſeparatam, & nudam per ſe, tamquam accidens ſine ſubiecto. Fidem illam ponunt Patres fundamentum, quam fuit confeſſus Petrus, etiam ſecluſo Petro: hoc eſt, fidem diuinitatis Chriſti in hominibus exiſtentem; & ab hominibus amplectendam, & confitendam, fundare, & fundaturam Eccleſiam. Lapides enim illi viui, ratione fidei, quæ ſit in ipſis, non in Petro ædificium conſtant Eccleſiæ: Hæc enim eſt metaphora, & non propria locutio: quæ in aliquo quadrat, in alio nequaquam. Vndè ineptè quæritur vera ratio fundamenti; & vera ædificatio: in vera enim ædificatione, poſito fundamento, ſuper ipſum alius lapis ſuperponitur, & ſuper illum alius, & ſic deinceps vſque ad faſtigium: non ita in Eccleſia; ea enim creſcit, & ædificatur, non per ſuper impoſitionem horum lapidum viuorum; ſed per ſolam coadunationem, & cohærentiam; nec quidem localem, ſed ſpiritualem, per conſenſum in eadem fide. Similitudo verò, ſeu metaphora ædificij in eo conſiſtit; vt ſicut fundamento hærent reliqui lapides, & ab eo ſuſtentantur in illa vnione, & cohærentia; Ita Eccleſia, hoc eſt, fideles in fide vna, & eadem innixi, inter ſe retinent cohærentiam, & vnionem; qua fide ſublata concidunt ex ędificio illi, qui cum cæteris fidelibus, ſola fide, & ei adnexis cohærebant. Hoc autem neque de Petro, neque de vllo homine poteſt verificari. Imò omninò contrarium ſequeretur, ſi homo eſſet fundamentum Eccleſiæ: non enim fideles, qui faciunt Eccleſiam, inter ſe ſunt vnum, quia vni Petro, vel alteri homini adhærent, hinc enim ſchiſmata, & diuiſiones illæ: Ego ſum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ: Sed ſunt vnum, quia in vna fide conueniunt, in qua, & Petrus, & Paulus, & Apollo paritèr conueniunt: & in vno corpore concordiæ mutuæ glutinè, (vt loquitur Cyprianus) copulantur. Non ergo fides eſt tantùm fundamentum iuſtificationis, & omnium virtutum, quod opponit ibidem Bellarminus; ſed etiam eſt fundamentum proximum, & verum vnionis, & cohærentiæ inter fideles, quæ vnio, & cohærentia facit illud corpus perfectiſſimè compaginatum, & cohærens pulcherrima membrorum diſtinctione, quod eſt Eccleſia. Quid mirum

Spalat. Num.21.

1. Cor. 1.

igi-

igitur, ſi tot ſapientiſſimi Patres, toties inculcant fidem, & non Petrum, eſſe petram, & fundamentum Eccleſiæ? Certè infrà oſtendam vix poſſe explicari, quomodo Petrus ſit, aut poſſit eſſe Eccleſiæ fundamentum.]

Atqui hoc non eſt Bellarminum impetere, ſed Chriſto maledicere, qui minùs apta ſit vſus metaphora, & à qua argumentum peti non poſſit ad id firmandum, quod ipſe voluerit.

Namque Patres omnes, vt oſtendimus, & ipſe ſtatim admiſſurus eſt Spalatenſis, ex eo loco colligunt Chriſti animo inſediſſe illa metaphora explicare, quænam futura eſſet fidelium in Eccleſia ædificatio, & quo niteretur fundamento. Atqui credo non ineptè exiſtimauit Cardinalis Bellarminus, fideles ædificandos homines eſſe ſpectabiles, ac proptereà Spalat. quoque fateri oportet eum rectè concluſiſſe, debuiſſe igitur proportione quadam reſpondere fundamentum ædificandorum conditioni, & naturæ. Cùm igitur Eccleſia hominum congregatio ſit, quaſi lapidum viuorum, debet quoque omninò *Petra*, quæ fundamenti rationem habeat,
1.Cor.11.
ſpirans eſſe, ac proindè eſt aliquis homo, non aliqua virtus. Quòd autem ex ſchiſmate orto tempore Pauli colligit, non poſſe perfectam vnionem membrorum in Eccleſia ſtabiliri, homine ad gubernacula tractanda admoto, eoque huius fabricæ fundamento conſtituto, ineptum, & frigidum eſt. Nam huius diſſentionis, quàm culpat Paulus, cauſa non erat, quòd quidam Patrum præ Paulo tamquam Eccleſiæ caput complecterentur, & obſeruarent, aliàs etiam dicendum fuit, cauſam huiuſmodi quoque fuiſſe, quòd Chriſto ſe adiungerent, cùm alius diceret, *Ego quidem ſum Pauli*, alius verò, *ego ſum Apollo*, alius autem, *ego ſum Cephæ*, alius denique, *ego ſum Chriſti*; ſed ea fuerat cauſa, quòd Corinthij, ſuum quiſque quaſi certum doctorem, reliquis neglectis, depoſcerent, ac ſibi vendicarent, alij quidem Paulum, alij Apollo, alij Cepham, alij denique Chriſtum, perindè quaſi eorum diuerſa dogmata eſſent, aut etiam miniſtros ipſi Chriſto æquare vellent, vel eos ab ipſorum magiſtro, ac principe, & ſalutis auctore diuellere; Atqui cùm hoc nomine turbas cierent, & tumultuarentur, *Diuiſus eſt Chriſtus*, inquit Paulus, *numquid Paulus crucifixus eſt pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati eſtis?* Quibus verbis oſtendit quidam Corinthios, adeòque fideles omnes vno Chriſto niti debere, ab eoque ſalutem expectare, ſed proindè miniſtrorum, qui legatione fungerentur pro Chriſto, dignitati nihil detractum voluit, ſed monuit tantùm Corinthios, vt cum Chriſto illos non conferrent, quod ipſi non pręſtamus, qui Petrum *prudentem quidem, ac fidelem ſeruum, quem conſtituerit Dominus ſuper familiam ſuam* agnoſcimus, ſed ſalutis noſtræ auctorem non facimus: nihil igitur ad rem hoc diſſidium Corinthiorum, qui *Dominum, & ſeruum,*
Theod. in 1.c. 1.ep. ad Cor.
vt aduertit Theodoretus, *in eodem ordine ponerent*, ac eodem loco haberent. Cæterùm quod attinet ad vnius capitis rationem, nemo, credo, tam bardus eſt, qui non videat, vnitatem corporis ab vnitate capitis pendere, vt proptereà diutiùs nobis non ſit in eo immorandum.

Et quod de fide vrget Spalatenſis, [eam eſſe fundamentum proximum, & verum vnionis, & cohærentiæ inter fideles, quæ faciat corpus perfectiſſimè compaginatum, ac pulcherrimè cohęrens membrorum diſtinctione,] ad rem non eſt; fidem enim, & fundamentum, & veluti ſuſtentaculum, tum rerum ſperandarum, tum virtutum omnium, rectè docent omnes Theologi, quorum doctrinam eſt ſecutus Bellarminus, ſed quod ſciam, nemo adhuc præter Spalatenſem, *regiminis, aut gubernationis* fundamentum eſſe dixit. Prælucet quidem, vt quædam cynoſura, gubernacula tractantibus, at gubernacula tractare fidem, quis niſi vecors pronuaciarit? Eſt hoc ſcilicet ſpirantis hominis, vt benè argumentatur Bellarminus, non virtutis opus, aut officium.

Poſtremò ſententiæ Caluini oppoſuerat Bellarminus pronomen, *hanc*, in verbis Chriſti referri ad petram, petram verò proximè, & immediatè enunciatam eſſe ipſummet Petrum, non fidem Petri. Spalatenſis impijſſimi Hereſiarchæ propugnator excipit. Spalat. Num.12. [Sed, inquit, iam diximus alios per petram intelligere Chriſtum; à quo Petrus ita denominetur: erit ergo ſecundùm hos, hic ſenſus; Tu es Petrus, à me petra ita dictus, & ſuper hanc petram, à qua tu diceris Petrus, ædificabo, &c. ſeu ſic, Tu es Petrus à fide, & confeſſione de me facta, quæ eſt petra ita denominatus; & ſuper hanc fidem, ideſt, petram, à qua te Petrum vocamus, ædificabo Eccleſiam meam. Nam, vt inquit Hieronymus, Petrus ex fidei firmitate nomen accepit, &c.] Hier. in ep. ad Titum cap.1. Atqui nos oſtendimus inuictiſſimis argumentis, Patres, qui aliò, quàm ad Petrum retulerunt, à ſenſu hiſtorico, & literali, vel tantillum receſſiſſe, vt allegorico inſiſterent, cæterùm literalem proculdubiò eſſe, qui *hanc petram*, Petrum interpretatur.

Cùm eam ſententiam, quam nos priore loco tamquam Catholicorum propoſuimus, in quartum ordinem reiecerit Spalatenſis, iam reliquis aduerſùs Eccleſiam propugnatis, ad hanc ſuis præſidijs fulciendam aggreditur. Ita nimirùm ſapientiſſimi Imperatoris Ioſue Ioſue 9. iuſſu Gabaonitæ coguntur, [ligna cædere, & aquam comportare in domum Domini.] Prolatis igitur teſtimonijs, non ſolùm Sanderi, Num.23. & num.24. Bellarmini, & Baronij, ſed & vetuſtiſſimorum omnium Patrum Tertulliani, Cypriani, Origenis, Hilarij, Athanaſij, Baſilij, Gregorij Nazianzeni, Epiphanij, Hieronymi, Chryſoſtomi, Cyrilli, Ambroſij, Leonis, Theophylacti, Euthymij, Pſelli, Auguſtini, Concilij Chalcedonenſis, Anaſtaſij Imperatoris, Orientalium Clericorum, & Abbatum ad Imperatorem, qui de Petro verba Chriſti, *& ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, ſint interpretati, vanus homo, quaſi ſupremam ſententiam ſibi tribuens, ac ſummum ius de Patribus ſtatuendi, *His*, inquit, *aſſentior, & ipſe libentiſſimè*.

Sed ne crabrones aduerſùm ſe irritaret, Spalat. Num.25. hæreticos etiam palpandos ſibi duxit. [Atque hunc ſenſum Euangelica illa verba poſſe habere, ita puto, inquit, vt tamen temerarium eſſe cenſeam, hoc ſolo ſenſu retento, duos præcedentes omninò excludere, ſiue etiam, quod peius eſt, inter hęreticas ſcripturę interpretationes eos connumerare. Addit verò,

Hanc itaque interpretationem petrę pro ipſomet Petro, vt fortaſsè literæ congruentem, admitto nunc, & probo; ita tamen, vt duæ illæ Sanctorum Patrum interpretationes, quæ petræ voculo, vel Chriſtum intelligunt, vel fidem, & fidei diuinitatis Chriſti confeſſionem, adhuc vt probabiles maneant, & nihil Eccleſiæ Catholicæ contrariæ, licèt hanc de Petri perſona illis probabiliorem eſſe concederemus: libentèr tamen Auguſtino aſſentior, & ab eo doceri volo, dum cum ipſo probabile aſſero vtrumque, tum petram Petrum ſignificare, tum verò Chriſtum, à quo Petrus petræ

Aug. lib. 1. retract. c. 21.

nomen acceperit; liberumque eſſe cuique vtram voluerit amplecti expoſitionem. Interim video in poſteriorem magis inclinare Auguſtinum; priorem verò de petra Petro, vt improbabiliorem, ac propemodùm retractandam fermè reijci ab eodem. Atque in interpretatione illa ſua de Chriſto petra, quæ illi magis placuit, nihil eum cognouiſſe contrarium fidei Euangelicæ, neque præiudiciale primatui Petri; vt etiam ſuprà num. 8. monui, eſt manifeſtiſſimum: non enim cognoſcebat illis verbis, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, Petri ſuper alios præfecturam ſtabiliri, aut Eccleſiaſticum regimen vni Petro, Chriſti ordinatione, committi.]

Atqui in ſuperioribus oſtendimus, vt probabiles ſint aliæ, tamen hiſtoricas, literales, directas, & proprias non eſſe, ſed allegoricas, indirectas, & à Patribus poſt longa tempora excogitatas. Quæ autem rationes illos permouerint, vt eas amplecterentur, eſt à nobis explicatum: maximè cur in illam de Chriſto inclinarit Auguſtinus, quam tamen noſtrâ probabiliorem cenſuiſſe eum, nemo aſſeruerit, cui priùs non fuerit negandum reliquiſſe eum lectoris arbitrio, vt quam vellet, ipſe eligere poſſet. An enim alteri eorum prę-iudicatum eſſe voluerit magnus vir, cuius hęc

Aug. lib. 1. retr. cap. 21.

ſint verba, *Harum autem duarum ſententiarum, quæ ſit probabilior, eligat lector*? An in cauſam vocaturum eum putas illos, quibus noſtra arriſerit poſt relictum nobis liberum ius, vtram velimus eligendi, & in quam ipſe etiam tot locis propenderit, quamque non infrequentèr laudarit, & propugnarit.

Spalat. Num. 56.

His velitationibus pręmiſſis, iam totis ſignis congreditur Spalatenſis. [Iam verò, inquit, admiſſa etiam hac Interpretatione de Petro petra, non modò vt probabili, ſed etiam, ſi vis, vt abſolutè vera, nondùm video, quo pacto Petri primatus, & omnimodus ſuper cæteros Apoſtolos, & totam Eccleſiam principatus ex verbis illis, ſuper te Petrum ædificabo Eccleſiam meam, colligatur. Nam vbinam, & quomodo, & quando verificata fuerit hæc promiſſio, ſuper Petrum innixam Eccleſiam eſſe, & ab eo viſibili regimine ſuſtentari, non nihil laborandum eſt; & præterea adhuc magis laborandum, vt oſtendatur ſolùm Petrum fuiſſe hoc Eccleſiæ fundamentum, à Chriſto deſtinatum, & primarium lapidem collocatum; adeò vt alijs Apoſtolis hoc neque conueniat, neque à Chriſto idem fuerit ipſis etiam conceſſum. Vtrumque igitur erit diligentiùs excutiendum.]

Spalat. Num. 57.

Inuehitur autem in Cardinalem Baronium, qui ex nomine Cephas, atque ex re ipſa, quòd ſcilicèt Petrus ea petra fuerit, de qua dictum ſit, *& ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, primatum Petri conficere niſus ſit, numquam ſatis laudato opere Annalium. Verba Baronij ſunt.

Baron. tom. 1. ann. 31. n. 19. & ſeq.

[Quòd igitur diuino, humanoque iure, hac optima, rationique in omnibus conſentanea inſtitutione, ſanctè, pièque ab omnibus, non niſi numine impellente, vel naturæ iure id exigente, mutua velut quadam conſenſione factum eſſe reperiretur: Ieſus, qui non legem ſcriptam veniſſet abrogare, iuſue naturale adeò menti cuiuſque inſitum labefactare; ſed numeris omnibus omnia abſolutiſſima reddere, inſtituto iam in Eccleſia Collegio Apoſtolorum, ex illis vnum omnium maximum, ac principem, qui cæteris præeſſet, elegit: fuit hic Simon Ioannis, ſiue dixerimus Ionæ (eſt idem Ioannes, quòd Ionas abbreuiatè apud Hebræos) hic inquam, qui (vt vidimus) tam prompto, & alacri animo, quæ diuinitùs acceperat, de Chriſti diuinitate palàm confeſſus fuit; vt ab eo gratiam rependente, ſponſionem illam, omnium maximam, quòd Cephas vocandus eſſet, acceperat, in præſentiarum eſt, id felicitèr conſecutus, dicente ei Domino: Tu es Cephas (ſic enim vocem hanc, vt à Domino Syriacè eſt prolata, deſcribimus, & ſuper hanc Cepham (quod ſignificat duriſſimam petram) ædificabo Eccleſiam meam: Latinè ſic dicenda ſententia; Tu es Petra, & ſuper hanc petram, &c. Sed vſitatiùs loco petræ Petrus, quòd magis conueniat viro vox maſculina, dici conſueuit. At de nomine Petri, quod idem ſit, ac Petra, & non deriuatiuum ab ea, ſatis ſuperiùs oſtenſum eſt, cùm de Cephæ nomine diſſeruimus, eoſque inſignitèr decipi ignorantia vocis Syriacæ demonſtrauimus, qui Petrum non eſſe petram, ſed à petra deductum eſſe, exiſtimarunt.

Idem Bar. num. 20.

Quoniam verò hoc ſacro Apoſtolorum conuentu Dominus noſter Ieſus Chriſtus Eccleſiæ ſuæ ſanctæ iacturus fundamentum, primarium lapidem ponit, dicens: Tu es Petrus, &c. quod inſtituti ratio poſtulat, de ipſo Eccleſiæ fundamento paulò fuſiùs agamus. Nemo quid abiectum, vel humile cogitet, dum audit ſuper Petrum à Chriſto eſſe ſuperædificatam Eccleſiam, quaſi tanta ſtructura ſuper hominem quempiam innitatur: nam ſic eam dicimus ſuprà Petrum eſſe à Chriſto fundatam, vt idem ipſe Chriſtus baſis quædam ſit, ac potiùs ſtructuræ fundamentum, de quo Paulus ait: Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. 1. Cor. 3. Et quoniam, ſicut caput eſt Eccleſiæ Chriſtus, ita & caput Chriſti (vt idem 1. Cor. 11. Apoſtolus ait) Deus eſt: meritò affirmandum ſit tantam molem ædificij potiſſimùm ſuprà Deum inniti, in quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum ſanctum in Domino. Ephes. 2. Verùm quamtumlibet Deus omnipotens totum hoc, quod oculis cernitur, admirabili quadam ſapientia, ac prouidentia moderetur: nihilominùs tam in cœlo, quàm in terra, ſtatuit principatus, quibus, qui ſunt ſubditi, pareant. Quamobrem licèt ipſe ſit auctor Eccleſiæ, protector, ac moderator; tamen principatum quemdam in ea eſſe voluit, ac monarchiam, quam Petro contulit, ac in eius ſucceſſores propagauit. Sicut ergo (quod

certum eſt) nemo poteſt aliud ponere fundamentum, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus; ita etiam, nec aliud quiſpiam ponet, quàm quod poſuit Chriſtus, neque conuellet, quod ipſe firmauit, dicens: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam,] Hactenùs Baronius.

Spalat. Num. 28.

Hìc igitur Spalatenſis ſtupenti, attonitoque ſimilis, [Quid tibi videtur lector, inquit, de celebri huius hominis victoria? Quid de illa, quaſi reticentia oratoria, qua omnes Scriptores Orthodoxos, & Synodos Petrum Eccleſiæ fundamentum conſtantèr profiteri affirmat? & tamen ad hoc confirmandum congeſſit, quicquid habuit, & potuit. Nec aliud conuicit, ſi tamen conuicit, niſi Petræ nomine poſſe etiam, & ſolere ipſum Petrum intelligi. Quid de illa aſſertione libera, & abſoluta, parùmque modeſta, primatum Petri ſtabiliri illis verbis, Tu es Petrus, &c. cum tamen nihil, dum habeat de primatu Petri, ex illis; niſi priùs oſtendat, quomodo ſolus Petrus, ex eo quòd dicatur petra, toti Eccleſiæ præficiatur illis Chriſti verbis promiſſorijs tantùm; Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam? Si Baronius Theologicè proceſſiſſet, certè, nondum capta præda, non exultaſſet; neque aſſeruiſſet verbis illis Chriſti, ſuper hanc petram &c. Petri primatum ſtabiliri. Sunt enim, vt dicebam, promiſſoria dumtaxat (ædificabo.) Inquirendum igitur erat, vbinam promiſſio effectum habuerit, meminiſſe certè poterat, & debebat bonus Iuriſconſultus Gloſſæ illius, quæ dicit, Hoc verbo, Paſce oues meas, factus eſt princeps (Petrus) extra de elect. Significaſti, non illo, Tu es Petrus, &c.]

Diceres, penès hunc ineptiſſimum, & inſolentiſſimum Ariſtarchum, iſtarum rerum arbitrium, & cenſuram omnem eſſe. Atqui mi Antoni peritiorem, doctiorem, & ab omni affectu liberiorem iudicem requirunt, & poſtulant. Tu ne cœcus, qui non videas, patres à Baronio inductos clariſſimis verbis primatum Petri inſinuaſſe, atque ex loco Matthæi, quem verſamus, probaſſe? Id ſi verum non eſt, quid igitur ſibi voluit Cyprianus, cùm, referente Baronio, diceret, [Petrus, cui oues ſuas Dominus paſcendas, tuendaſque commendaret, ſuper quam poſuit, & fundauit Eccleſiam, aurum quidem ſibi eſſe, & argentum negat.] Ac rursùs, primatus Petro datur, vt vna Chriſti Eccleſia, & Cathedra vna monſtretur &c.

Hæc enim, quæ in Geneuenſibus editionibus omittuntur, tamquam genuina, & germana Cypriani, poſt Pamelium, & aliquot vetuſtiores decreti compilatores, eſt amplexatus: Qua de re videro infra. Quid item Origens, cùm hæc ſcriberet, *Petro cùm ſumma rerum de paſcendis ouibus traderetur, & ſuper ipſum, velut ſuper petram fundaretur Eccleſia, nullius confeſſio virtutis alterius ab eo, niſi charitas exigitur &c.* Neque verò de interpretis fide dubitauerit; Is enim non aliquis eſt ex recentioribus, ſed vetuſtiſſimus Hieronymus, ſumma vir integritate, & doctrina, vel ſi Eraſmo aſſentiamur, Ruffinus ab ipſis pontificibus anathemate percuſſus. Quid rursùs Hilarius cùm exclamaret, *O in nuncupatione noui hominis fœlix Eccleſiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius petra, quæ infernas leges, & tartari portas, & omnia mortis clauſtra diſſolueret. O beatus cęli ianitor, cuius arbitrio claues æterni aditus traduntur, cuius terreſtre iudicium præiudicata auctoritas ſit in cœlo, vt quæ in terris, aut ligata ſint, aut ſoluta, ſtatuti eiuſdem conditionem obtineant, & in cœlo?* Claues æterni aditus arbitrium ſignificantes, terreſtre illud iudicium, cuius præiudicata auctoritas ſit in cœlo, nihil ne aduerſario ad Petri primatum facere videautur? Quid quoque Hieronymo mentis erat, cùm in hunc modum diſſereret; *Sicut ille princeps Philoſophorum*, Plato, *ita hìc Apoſtolorum fuit, ſuper quem Eccleſia Domini ſtabili mole fundata eſt?* An otioſus, an nihil ad primatum pertinere illi videtur principatus Petri? Illumne verò etiam fugit illud parentis eloquentiæ, *Principatum autem id dico, quod Græci i gemonicon vocant: quo nihil in quoque genere, nec poteſt, nec debet eſſe præſtantius?*

Origenes lib. 5. in ep. ad Rom.

Hilar. can. 16. in Matt.

Hieron. l. 1. Dialo. adu. Pelag. c. 4.

Quid item Ambroſius, cuius hæc ſit diſſertatio ad illa verba, *Vos autem quem me eſſe dicitis? Petrus*, inquit, *ſtatim loci non immemor ſui primatum egit. Primatum confeſſionis vtique, non honoris, primatum fidei, non ordinis, hoc eſt dicere, Nunc nemo me vincat, nunc meæ partes ſunt &c.* Et paulò poſt. *Hic eſt ergo Petrus, qui reſpondit præ cæteris Apoſtolis, imò pro cæteris, & ideò fundamentum dicitur, quia nouit, non ſolùm proprium, ſed etiam commune ſeruare.*

Ambr. de Incar. c. 4. in fine.

Hìc ne fallatur Spalatenſis, duos primatus inducit, vel certè innuit Ambroſius, vnum confeſſionis, & fidei, quo fretum præ alijs, ac etiam pro alijs cenſet reſpondiſſe Petrum; alterum dignitatis quem vult conſecutum eum poſt editam illam de filio Dei celeberrimam confeſſionem. Ideò, inquit, fundamentum dicitur, hoc ſcilicet ſubindicans primatum confeſſionis, & fidei antegreſſum fuiſse primarum auctoritatis. Hæc enim mens eſt Ambroſij, cuius, & illa verba affert Baronius, *Petra dicitur* (Petrus) *eo quòd primus in nationibus fidei fundamenta poſuerit, & tamquam ſaxum immobile totius operis chriſtiani compagem, molemque contineat &c.*

Ac, vt reliquos omittam, quid Chryſoſtomo mentis erat, cùm hæc eloqueretur, *Princeps Apoſtolorum Petrus, ſuper quem Chriſtus fundauit Eccleſiam, verè immobilis Petra, & firma confeſſio &c.* Si ne quidem per ſomnium in his, quæ ſunt à Baronio recitata, de primatu Petri cogitauerit. An non quoque, & hoc illius eſt, *Pater ad Hieremiam dicebat, ſicut columnam ferream, & ſicut murum æneum poſui te, ſed ipſum quidem genti vni Pater, hunc autem Petrum vniuerſo terrarum orbi Chriſtus præpoſuit.*

Chryſoſt ad c. 16. Matth.

An non igitur meritò Baronius hanc cauſam ita perorauit. *Hæc itaque adeò ſolida atque conſtantia, verbo Domini, ac totius catholicæ Eccleſiæ conſenſione recepta, atque probata, velle igitur iterum in dubium reuocare, non niſi emotæ mentis, perfrictæ frontis, infrenis linguæ, ac denique vecordis hominis eſſe poteſt. Sed inſaniant licèt: firmata tamen ſemel verbo Domini ſupra firmam petram Eccleſia, portæ inferi non præualebunt, ſicut nec præualuerunt aduerſùs eam. Verùm ſtabit, & in hoc verax ſententia Domini qua dicit; qui ceciderit ſuper lapidem iſtum confrin-*

Bar. vbi ſup. num. 27.

fringetur : ſuper quem verò ceciderit, contereret eum. Cæterùm quod pertinet ad Primatum Petri iam verbis Domini ſtabilitum, quomodo aliàs in futurum frequentiùs fuerit demonſtratus, & certis quibuſdam ſignis euidentiſſimè declaratus, ac ſubindè in poſteros propagatus, ſuis locis opportuniùs dicemus, nec ſuo etiam loco tacebimus, quomodo Dominus pollicitus ſit ſe daturum claues Petro, & quando id impleuerit.

At inſtat Spalatenſis : [Inquirendum erat, vbinam promiſſio effectum habuerit, cùm verba ſuper hanc petram &c. ſint promiſſoria.] Reſpondeo, nec Baronio, nec vlli vmquam Orthodoxorum veniſſe in mentem, his verbis, *& ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, fuiſſe actu, vt loquuntur, & reipſa collatum primatum Petro, ſed omnes ita demùm cenſuiſſe, fuiſſe promiſſum, adeòque ipſum Petrum, non quidem reipſa, ſed deſignatione obtinuiſſe principatum, cùm autem fidelis ſit Chriſtus, nec mentiri poſſit, exiſtimamus eum promiſſis ſtetiſſe, atque quod erat pollicitus, tribuiſſe. Si locum quærit, preſtò eſt, nec vllo, aut iuris interprete, aut etiam Echio inſtigatore opus habemus. Dixit Chriſtus Petro, *Petre amas me, Paſce oues meas, Paſce agnos meos*. Hic Chriſtus, vt fidem ſuam liberet numquam falliturum, Petrum in poſſeſſionem inducit eius dignitatis, quam prioribus verbis eſſet illi pollicitus.

Num. 58.

Rectè igitur Spalatenſis inducit Origenem primatus rationem in his verbis, *Paſce oues meas*, agnoſcentem. *Origenes*, inquit, *Petro cùm ſumma rerum de paſcendis ouibus traderetur, & ſuper ipſum velut ſuper petram fundaretur Eccleſia, nullius confeſſio virtutis alteribus ab eo, niſi charitatis exigitur &c.* Quare etſi ad illa verba, *Tu es Petrus*, nihil eſſet à patribus de actuali primatu Petri expreſſum, quod tamen falſum eſſe, ſuprà oſtendimus, ſufficeret, conſpirantibus votis, quotquot à Spalatenſi adducuntur, hoc tribuiſſe Petro, vt fundamentum Eccleſiæ definitus ſit.

Orig lib. 5. in epiſt. ad Rom.

Retexamus eorum teſtimonia à Spalatenſi hoc loco adducta, Propterea, inquit, tantoperè laborant omnes, qui rerum inquirunt ſenſum verborum illorum, ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, vt perſonæ Petri applicata plana fiant. Clementi Romano pontifici huius nominis primo, illud dictum tribuitur. Simon Petrus veræ fidei merito, & integræ prædicationis obtentu fundamentum eſſe Eccleſiæ definitus eſt, qua de cauſa etiam Domini ore cognominatus eſt Petrus. Tertullianus; Mutat, inquit, & Petro nomen &c. Sed, & cur Petrum? ſi ob vigorem fidei, multæ materiæ, ſolidæque nomen de ſuo accommodaretur. An quia, & petra, & lapis Chriſtus; ſiquidem, & legimus, poſitum eum in lapidem offendiculi, & in petram ſcandali? Itaque affectauit chariſſimo diſcipulo de figuris ſuis peculiariter nomen communicare; puto proprius, quàm de non ſuis. Epiphanius; Ioannes, inquit, cùm à filio didiciſſet, reuelationem ſuam ſcripſit: Petrus verò à patre inſtructus eſt certitudinem fidei fundaturus. Leo; Cùm ego Chriſtus ſim inuiolabilis petra, tamen, & tu quoque petra es, quia mea virtute ſolidaris. Auguſtinus; Nam talem vocem protulit Nathanael, Tu es filius Dei; Tu es Rex Iſrael: qualem tantò poſt Petrus, quando ei Dominus ait; Beatus es Simon Bariona, quia non tibi reuelabit caro, & ſanguis, ſed Pater meus, qui eſt in cœlis. Et ibi nominauit petram, & laudauit firmamentum Eccleſiæ in iſta fide. Item: Nos qui vocamur Chriſtiani, non in Petrum credimus, ſed in quem credidit Petrus, Petri de Chriſto ædificati ſermonibus. Idem; ſiuè Ambroſius, ſic habet, Tamquam enim bonus paſtor (Petrus) tuendum gregem accepit; vt qui ſibi antea infirmus fuerat, fieret omnibus firmamentum, & quia ipſe interrogationis tentatione nutauerat, cæteros fidei ſtabilitate fundaret. Denique pro ſoliditate deuotionis Eccleſiarum petra dicitur, ſicut ait Dominus, Tu es Petrus &c. Petra enim dicitur, eò quòd primus nationibus fidei fundamenta poſuerit: & tamquam ſaxum immobile, totius operis chriſtiani compagem, molemque contineat. Petra ergo pro deuotione Petrus dicitur, & petra pro virtute Dominus nuncupatur; ſicut ait Apoſtolus, Bibebant autem de ſpirituali, ſequente eos Petra; Petra autem erat Chriſtus. Rectè conſortium meretur nominis, qui conſortium meretur, & operis. In eadem domo enim Petrus fundamentum ponit, Petrus plantat; Dominus incrementat, Dominus irriguum ſubminiſtrat. Chryſoſtomus: Audi denique, inquit, quid Petro dixerit Chriſtus, columnæ, & fundamento fidei, qui ob robur confeſſionis, vocatus eſt Petrus, dicente Domino, Tu es Petrus &c. Item, Petrus, inter Apoſtolos primus Chriſtum prædicauit. Item: Petrus Petri cognomen ſortitus eſt ob immutabilem, & immobilem fidem. Item, Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, ideſt, fidem, atque confeſſionem. Hìc apertè prædixit, magnam eorum, qui crediturі, & erant, & ſunt, multitudinem fore, & ſubliminiora ſapere ipſum facit, & Eccleſiæ futuræ paſtorem ipſum conſtituit. Et paulò poſt: Quænam maiora dona videntur, quæ Pater, aut quæ filius Petro largitus eſt? Pater quidem reuelationem ei filij ſui dedit; filius autem partim, vt tam Patris, quàm filij ſui reuelationem vbique terrarum poſſet ſeminare &c. Gregorius: Quis enim neſciat, ſanctam Eccleſiam in Apoſtolorum principis ſoliditate firmatam; quia firmitatem mentis traxit in nomine, vt Petrus à petra vocaretur? Nazianzenus, & ipſe ſic ſuprà loquebatur; Petrus petra vocatur, atque Eccleſiæ fundamenta fidei ſuæ credita habet.] Excutiamus iam iſta, ac paucis contrahamus. Iudicio Clementis *Simon Petrus veræ fidei merito, Eccleſiæ fundamentum definitus eſt*: Sententia Tertulliani, *affectauit Dominus chariſſimo diſcipulo de figuris ſuis nomen communicare*, hoc eſt Petræ ei nomen impertiri: Cenſet Epiphanius Petrum hoc à *Patre conſerutum, vt fidei firmitatem fundaret, ac fulciret*: Sic enim habent Græca, *ſ de parà tu patros ophelito, tin aſphaliam tis piſteos themelium*. Clamat Leo etiam Petrum petram dictum. Agnoſcit Auguſtinus *Petrum petram dictum, & firmamentum Eccleſiæ laudatum*. Scribit Ambroſius *cæteros fidei ſtabilitate fundaſſe Petrum, Eccleſiæ firmamentum; ac eo totius operis chriſtiani molem, compagemque contineri*. Chryſoſtomus, *Immobilem columnam fidei Petrum futuræ Eccleſiæ paſto-*

Spalat. Num. 59.
Clem. ep. 1. ad Iacobum Frat. Dom
Tertul. l. 4. contr. Marcionem.
Epiph. in Anc.
Leo ferm. 3. in Aſſump. ſui ad Pont.
Aug. trac. 2. in Ioan.
Aug. de Ciuit. Dei lib. 15 cap. 54.
Aug. ſer. 16. de Sáct. qui eſt 2 de Car. Petri ponitur etiam inter ſermones.
Amb. ſer. 47
1. Cor. 10.
Chryſoſt. hom. 2. in Pſal. 50.
Id. hom. 3. ad pop. Antioch.
Id in ep. ad Gal.
Id. hom. 55. in Matth.
Gregor. in ep. 37 lib. 6. indic. 15.
Nazianz. in orat de moder. ſeruanda in diſp.
Clem. e. 1. ad Iac fratrem Dom.
Tert. l 4 cōtra Marciō.
Epiph. in Anc. Aug. tract. 2. in Io. Aug. ſer. 16. de Sanct. qui eſt 2 de Cath. Petr. ponitur etiā inter ſermones.
Amb. ſer. 47.
Chryſ hom. 2. in Pſal 50

Greg in ep. 37. lib. 6. indic. 15.
Nazianz. in orat. de moder. ſeruanda in diſp.

paſtorem conſtitutum. Gregorius Magnus pontifex, *Sanctam Eccleſiam in Petri Apoſtolorum principis ſoliditate firmatam* celebrar, ac poſtremò Nazianzenus, *Petrum petram vocatum, ac Errleſiæ fundamenta fidei ſuæ credita fuiſſe*, inculcat.

Cui igitur non conſtet, his tam præclaris teſtimonijs omninò euinci, Patres cenſuiſſe illum locum, *Tu es Petrus*, veluti, præfationem, & proluſionem, vt irà dicam, fuiſſe, qua Chriſtus ſignificarit, ac etiam in mentibus diſcipulorum defixerit, propoſitum ſibi eſſe ex eorum numero, vnum, ſcilicet Perrum deligere, quem capitis dignitate ornaret, ac toti gregi, & vniuerſitati fidelium præficeret? Proindè ſi monarchiæ Eccleſiaſticæ nomen quęrit Spalatenſis, non expreſſerunt, ſi rem poſtulat, tradiderunt.

Spalat. num. 10. in fine.

Miror verò hominis ſtuporem, qui Orthodoxos exiſtimarit [onere preſſos, quò ſe vereant non inuenire, vt in nomine, ſeu metaphora fundamenti primatus inueniant auctoritarem, & Petri ſuptemam præfecturam.] Nec oculos igitur, nec autes, nec quidpiam ſimile hominis habet, qui non ſenſerit, aut aduerterit, quàm nullo negorio ſe ab hac difficultate explicarit Bellarminus. Audiat, audiat Marcus Antonius, [Verborum Chriſti, (Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram, &c.) planus eſt, & obuius ſenſus, inquir Bellarminus, vt intelligamus ſub duabus metaphoris promiſſum Perro totius Eccleſiæ principatum. Prior metaphora eſt fundamenti, ac ædificij; quod enim eſt in ædificio fundamentum, ideſt in corpore caput, in ciuirate Rector, Rex in regno, Paterfamilias in domo. Et poſterior eſt clauium, &c. Vides rationem de facili redditam, vides vno ferè verbo Cardinalem ſe expedientem, tantùm abeſt, vt quò ſe vertat, inuenire non poſſit.

Bellar. lib. de Pont. ca. 10.

Spalat. Num. 31.
Turrecr de Eccleſ. li. 2. cap. 17.

Cardinalis Turrecremata ſeptem induxerat rationes, cur eſſet [Petrus fundamentum Eccleſiæ dictus: has ordine recenſet, & impugnat Spalatenſis. Prima ratio erat, fuiſſe illum [dictum fundamentum huiuſmodi,] intuitu illius glorioſiſſimæ confeſſionis, quam Chriſtum prę cæteris omnibus Apoſtolis confeſſus ſit.

Opponit Spalatenſis, hanc rationem potiùs oſtendere, cur Petrus meruerit fieri aliqua ratione fundamentum, nimirùm propter fidem, & confeſſionem (hìc igitur fidem, & confeſſionem, non cauſam finalem, vt aliàs, ſed meritoriam, & moralem agnoſcit Marcus Antonius) quam quomodo ex hoc, quod dicatur fundamentum commune, ſolus acceperit regimen vniuerſalis Eccleſiæ. [Nam, inquit, in reuelatione ſolus non fuit, & pares habuit alios.] Mirè autem inconſtans eſt. Superiori capite vrgebat ex Ambroſio, & Cyrillo, Petrum ideireò dictum fuiſſe fudamentum, quòd primus diuinitatem Chriſti eſſet confeſſus, addebat confeſſionem illam potiùs effectum primatus, quàm cauſam eſſe deputandam. Nunc verò quaſi de alio Chriſto, ac de alio Petro ſit illi ſermo, confeſſionem vult eſſe cauſam, cur Petrus [meruerit aliqua ratione] fundamentum eſſe Eccleſiæ, quod in eum, non niſi ratione primatus conueniat,

Expendamus verò eius rationes. [In reuelatione, inquit, primus non fuit, & pares habuit, & alios.] Hoc diſertis verbis negant Athanaſius, Cyrillus Hieroſolymitanus, Hilarius, & alij quoque multi Patres. Verba ſunt Athanaſij, [Cùm priùs reuelaſſet Petro ea, quæ ex Patre cognouerat, poſteà humanitùs iſta interrogat, &c. Cyrillus; Omnibus autem reticentibus, (ſuprà vires enim humanas hæc erat doctrina) Petrus princeps Apoſtolorum, & ſupremus Eccleſiæ præco, non comminiſcens ſibi, neque ratione humana perſuaſus, ſed à Patre Deo, in mente illuminatus dicit ad ipſum, &c. Hilarius de Petro: Beatus hic eſt, qui vltrà humanum modum oculos intendiſſe, & vidiſse laudatus eſt; non id, quod ex carne erat, & ſanguine contuens, ſed Dei filium cœleſtis Patris reuelatione conſpiciens, dignuſque iudicatus eſt, qui, quod in Chriſto Dei eſset, primus agnoſceret.] Quamobrem etiam alio loco Petrum primum filij Dei confeſsorem prædicat: [Tanta, inquir, Chriſto religio fuit pro humani generis ſalute patiendi, vt Petrum primum filij Dei confeſsorem, Eccleſiæ fundamentum, cœleſtis regni Ianitorem, & in terreno iudicio iudicem cœli, Satanæ conuicio nucuparet.]

Athanaſ. or. 4. contr. Arrian.
Cyrillus Catech. 11.
Hilar. in Matth. can. 16.
Hilar in Pſal 131.

Sed hos Patres, quia eius dogma funditùs tollunt reijcit, & præ ijs audiendos alios, qui in contraria ſint ſententia, aſserit. Age verò, concedamus illi ex iuſtorum numero reuelationibus, Zachariam Patrem Ioannis, Simeonem Iuſtum, Annam filiam Phanuelis, Apoſtolos omnes, quibus, quæ eſsent à ſapientibus abſcondita, reuelaſset, claruiſse; Effulſiſse verò laude confeſſionis Nathanaelem, Ioannem Baptiſtam, Martham, ac plures alios, ideò tamen Petri primatum non euerterit; aut funditùs ſuſtulerit.

Primùm enim conferimus Petrum, non cum omnibus omninò, qui aut reuelationibus, aut confeſſione diuinitatis effloruerint, ſed cum collegis, ac Coapoſtolis ſuis, in quorum ſilentio, ac ipſis tacentibus, ipſe in has voces eruperit, *Tu es Chriſtus filius*. Hoc enim ſibi volunt Patres à me teſtes citari: Sed quod dicit, eiuſdem meriti, dignitatis, aut excellentiæ fuiſse fidem reliquorum, aut reuelationem, & confeſſionem cum fide, reuelatione, & confeſſione Petri, falſum eſt, tum quòd eum Chriſtus præ illis eum remuneratus ſit, tum quod fœlicem prædicauerit, viciſſim illum laudarit, petram eum dixerit, claues regni cęlorum ei tradiderit, vt gratiam rependeret. Id enim argumento eſt, eximiam, ac ſingularem illam fuiſse, tum reuelationem, tum fidem, tum etiam confeſſionem, eamque eximio aliquo priuilegio hac in re enituiſse, quo non effulſerint Zacharias, Simeon, Anna, Nathanael, Baptiſta, aut reliqui. Sanè verò etſi ante Abrahamum multi crediderint, multi etiam ſingulari fide ornati fuerint, tamen *Pater credentium* à Deo meritò inſtitutus eſt, & creatus, quòd plura, quàm quiuis alius, & inſigniora fidei ſuæ teſtimonia edidiſset; Simili igitur ratione, nihil prohibet Petrum Patrem Chriſtianæ plebis, & principem Eccleſię factum, licèt ante eum multi fidem habuerint, atque diuinitatem Chriſti, & agnouerint, & confeſſi ſint. Chriſto namque ſpirituum ponderatori dignior, & celebrior illa Petri viſa eſt confeſsio, quàm cuius, quàm alteriùs, quare illam quoque muneratus eſt, & eximia

qua-

Digitized by Google

quadam, ac ſingulati dignitate otnandum ipſum duxit Petrum.

Oſtendat igitur Spalat. alicui, aut recentiorum. aut antiquorum dictum, *Beatus es, quia caro, & ſanguinis non reuelauit tibi.* Certè plures de Nathanaele dubitant, an confeſsus fuerit dininitatem, atque ſolum Regem Iſrael, hoc eſt, ſolum egregium quendam principem hominem agnouiſse autumant; Sed hæc nihil moramur, cùm proculdubiò præſtantiùs quiddam, ac præexcellentiùs in hoc genere præſtitiſse Petrum, quàm vllus alius præſtiterit, argumento ſit præclarum illud vocis Chriſti reſtimonium. Fallitur autem ruſùs Spalatenſis, qui exiſtimarit, confeſsionem illam, quam nomine Apoſtolorum Ioannis ſexto ediderit Petrus, priorem ſuiſse hac ipſa, de qua agitur. Hanc enim conſecuta eſt illa quam poſt ſcandalum Capharnairarum, & Apoſtaſiam quorundam diſcipulorum nomine ſuo, & collegarum edidit Petrus. Cyp ep. 55. Hoc illum Cyprianus edocuerit; *Petrus tamen*, inquit, *ſuper quem ædificata à Domino fuerat Eccleſia, vnus pro omnibus loquens, & Eccleſiæ voce reſpondens, ait, Domine ad quem ibimus?* Cyril. lib. 4. in Ioan. c. 18 quò etiam reſpexiſse Cyrillum certum eſt, cùm hæc ſcriberet. [Per vnum, qui præerat, omnes reſpondent,] quod quia vidit Spalarenſis, Cyprianum torſit, & aliò flexit.

Congerit iam multa Scripturæ, & Patrum teſtimonia, quibus probare contendit, tum Ioannem, tum Paulum Petro antecelluiſse; ſed eſto daremus iſtud, tamen nihil obtineret, vt enim à propoſito exemplo Abrahæ non recedamus, potuerunt multi eſse poſt hunc Patrem credentium, qui eius fidem, aut ſuperarent, aut certè æquarent, perſtat tamen ille in attributo ſibi honore Patris credentium, quod tum cùm eius fidei argumentum depopoſciſset Deus, egregium illius monumentum edidiſſet, ac vnicum filium, in quem incumberet, & quo vno niteretur ſpes poſteritatis, quę Meſſiam eſset conſecutura, in ſpem contrà ſpem credens, immolare ſe paratum eſse oſtendiſſet; Ita igitur in ſubiecta materia, quamuis non defuerint, qui Petri fidem, & confeſsionem æquarint, quòd tamen efflagirante, & rogante Chriſto, ille opportunè confeſsus ſit Chriſti dininitatem, manet enim conceſsi primatus dignitas, quæ excellentiori in vniuerſum ſanctitati non innitatur, ſed ab edita primùm inter Apoſtolos confeſsione pendeat.

Spalat. Num. 32. [Recubuerit ergo in cœna ſuprà pectus Domini Ioannes, indè gratiæ fluenta hauſerit; Fuerit Paulus ad tertium vſque cœlum raptus, & inſignior reuelationibus fuerit:] Origenes hom 2. in diuerſos. laudarit Origenes Ioannem [ſummoque Apoſtolorum vertici,] (vides eminentiora illa Ioannis chariſmata Petri gloriam non imminuiſſe) prætulerit; [fuerit eius ſententia Ioannes Typus contemplationis, Petrus verò actionis; euolarit Ioannes inſtar aquilæ in cœlum, & æternos diuini ſolis ſplendores,] hoc eſt, Chriſti diuinitatem [propiùs contemplatus ſit, & eum ante ſæcula genitum] intellexerit; vndè eſt illud, [In principio erat verbum: Ornauit eundem Ioannem Tertullianus, & dilectiſſimum diſcipulum pectori Domini incumbentem] prædicarit; quid hæc faciunt ad infringendam eam poteſtatem, quam Petro contulerit Chriſtus, cùm ea non ex poſt conſecutis, aut etiam anregreſſis ſanctitatis luminibus, ſed ex ipſa confeſſionis præſtantia, & excellentia, quam, cæteris ſilentibus, & ad interrogata Chriſti minimè reſpõdentibus, vnus ediderit primus, omninò pendeat? Fatemur verò quòd Athanaſius, Caſſianus, Ambroſius, Victor Antiochenus, Chryſoſtomus, Tertullianus, Ambroſius iterum, Gandentius, Brixianus, Auguſtinus, rurſùs Chryſoſtomus, & Cyrillus inſinuarunt, reliquos Apoſtolos in confeſſionem Petri conſenſiſſe, ſed aduerterunt quoque Petrum anteuertiſſe collegas, ac veluti ſermonis ducem ſuiſſe, atque primatum hac ratione ei tributum obſeruarunt.

Andiamus illos, prout ſunt à Spalat. in hanc diſputationem inducti. [Primùm, inquit Athanaſius, Petrus, deindè omnes diſcipuli confeſſi ſunt Chriſtum verum eſſe filium Dei. Caſſianus: Interroganti vtrum Ieſu Chriſti, quem eum eſſe crederent, quem confiterentur eſſe diſcipuli, reſpondet primus Apoſtolorum Petrus, vnus vtique pro omnibus. Idem enim vnius habuit reſponſio, quod habebat omnium fides. Ambroſius. Licèt, inquit, cæteri Apoſtoli ſciant, Petrus tamen reſpondet pro cæteris, &c.] Petrum ergo primùm edidiſſe confeſſionem dininitatis, aſſerunt Athanaſius, & Caſſianus, eundem pro cæteris reſpondiſſe clamat Ambroſius, eaque eſt omnium Patrum ſententia, Petrum [os ſuiſſe Apoſtolorum, eum præiuiſſe cæteris, & pro cæteris] loquutum ſuiſſe, quorſum iſtud, niſi quòd eſſet omnium Princeps, & caput? Mirè placent illa Gaudentij. [Solus Petrus omnium ore reſpondit, *Tu es Chriſtus filius Dei viui*: ſolus ergo cùm loquitur Petrus, nequaquam reliquorum credentium fides excluditur, ſed congruus ordo ſeruatur, dum principi Apoſtolorum (audiſne Marce Antoni) primus loquendi modus defertur, ne tumultus quidam magis, quàm reſponſio videretur, ſi tunc vniuerſi certatim, ac pariter reſpodiſſent.] Similia habet Cyrillus, ſimilia reliqui Patres, qui etiam hoc addunt, neſcijſſe Apoſtolos, quid tum reſponderent, ac futurum etiam ſuiſſe, vt cum reliquis ſileret Petrus, ni eum Pater excitaſſet, ac reuelatione facta induxiſſet, vt quaſi euigilans Chriſti interrogatis ſatisfaceret. Reddito ergo à Petro reſponſo, annuerunt, & aſſenſi ſunt reliqui, & proculdubiò eius confeſſionem ſuo aſſenſu firmarunt, vndè & eius meriti, & præmij pro ſuo capite participes euaſerunt. Atqui, vt edendæ illius confeſſionis auctor illis fuit, ita proculdubiò conſecuti præmij, & eius gloriæ, quam eſſet adeptus Petrus, nonniſi pro capite agnito illo, participes eſſe potuerunt: quare in communione Petri eis ita perſeuerandùm fuit, vt illi tamquam Principi, & capiti perpetuò adhærerent, & innitecentur.

Frustrà eſt igitur Spalat. in conquirendis alijs teſtimonijs Patrum, quibus oſtendat non ſoli Petro eam reuelationem factam, ſed etiam reliquis ſuiſſe communicatam. Fuit Marce Antoni, ſed primus illam à Patre accepit, & expreſſit Petrus, vndè, & vnus laudatus eſt à Chriſto, *Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro,*

Margin notes (right column): Athan orat. 4 contr. Arrian. — Caſſianus de incarn. lib. 3 — Amb. lib 6. in Luc c. 9. — Gaud. Brix. tract. in die ſuæ ordinat. — Hilar. in Matth. — Num. 33. — Spalat. Num. 34.

ro, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui in cœlis eſt, & vnus quoque Primatum accepit, & Eccleſiæ fundamentum eſt conſtitutus. Hoc docent Hieronymus, Epiphanius, Cyrillus, Ambroſius, Beda, quibuſcum non erat, quòd Hilarium, Optatum, Eutymium committeret, nihil diuerſum, aut diſſentiens profeſſos.

Spalat. Num. 35.

Itaque Baronio non eſt alius labor ſuſcipiendus, cùm egregiè probauerit in confeſſione Petri, cuius auctor eſſet Pater cœleſtis, cauſam præceſſiſſe, cur ſit à Chriſto caput Apoſtolorum conſtitutus. Quòd autem Petri, poſt ſuſcepta gubernacula, errores, & lapſus enumerat Spalat. friuolum eſt, aut ſi quid ſit erroris ab eo admiſſum, os impurum, vt ſe ipſe vocat, non debuit mutire, vt etiam immeritas iniurias Apoſtolorum Principi affingeret, & ea labe aſpergeret. Expungamus igitur, ac diluamus, quæ ſceleſtus iſte Chamus magno parenti, & diuino Patriarchæ obiectat. [Sathanas, inquit, ſtatim vocatus eſt, qui paulò antè petra vocatus fuerat.] Poſſem reſpondere, quod Hilarius reſpondit, hoc Sathanæ probrum, non in Petrum, ſed in Sathanam, qui improba ſuggeſſiſſet Petro, coniectum, ſed quia id Hieronymo non placuit, Hieronymum ipſum inducam reſpondentem.

Matth. 26.

Comment. Hier. l. 3. ad cap. 16. Matthæi.

Multi putant quòd non Petrus correptus ſit, inquit Hieronymus, *ſed aduerſarius Spiritus qui hæc Apoſtolum dicere ſuggerebat. Sed mihi hic error Apoſtolicus, & de pietatis affectu veniens, numquam incentiuum diaboli videbitur. Vade retrò me Sathana. Diabolo dicitur, vade retro, Petrus audit, vade retro me, hoc eſt, ſequere ſententiam meam, quia non ſapis ea, quæ Dei ſunt; ſed quæ hominum. Meæ voluntatis eſt, & Patris (cuius veni facere voluntatem) vt pro hominum ſalute moriar; tu tuam tantùm conſiderans voluntatem, non vis granum tritici in terram cadere, vt multos fructus afferat.*

Pergit maledicere Petro Spal. *Ianitor cœli*, inquit, *ter Chriſtum negauit in paſſione.* Valet adhuc cauillum refellendum prior Hieronymi ſolutio; addo tamen pleroſque Patres in his Hilarium, & Ambroſium exiſtimaſſe Petrum in humanitatem Chriſti (quod tamen per ſeipſum ſcelus eſſet) peccaſſe, nec diuinitatem negaſſe, ſed quòd rursùs iſtud minimè Hieronymo, aut Auguſtino placuerit, non vtor. [*Certè ipſe Petrus*, vt verbis vtar Auguſtini, *ſuos redarguit defenſores, & vndè eos conuincat, lachrymas produnt teſtes.* Dixerim tamen cum Poeta Chriſtiano,

Aug. tract. 66. in Ioan.

Prudent. Cathem.

Fleuit negator denique
Ex ore prolapſum nefas,
Cùm mens maneret innocens,
Animuſque ſeruaret fidem.

Et vt benè notant Theologi, excidit à conſtantia fidei, à fide autem non excidit, quod haud reclamante Auguſtino defendit Baronius. Cùm enim in fide nutaſſe Petrum ſcribit Auguſtinus, fidem intelligit, fidei conſtantiam, & inuictum robur, à quo proculdubiò exciderit. [Atqui, inquit Spalatenſis, etiam poſt aſcenſum Chriſti in cœlum ſcandaloſam ſuperſtitionem, legaliumque obſeruantiam in Eccleſiam Chriſti inducebat, & de hoc à Paulo fuit reprehenſus.] Hunc Petri, vt putat, lapſum, aggrauat vir importunus, ac eius vehementiorem vituperatorem inducit Auguſtinum, ſed præuertit Tertullianus, adeòque Petro, hac in re, obiectum crimen diluit; [Si, inquit, reprehenſus eſt Petrus, quòd cùm conuixiſſet Ethnicis, poſteà ſe à conuictu eorum ſeparabat perſonarum reſpectu; vtique conuerſationis vitium fuit, & non prædicationis, non enim ex hoc alius Deus, quàm Creator, & alius Chriſtus, quàm ex Maria, & alia ſpes, quàm reſurrectio annunciabatur. Addunt recentiores leue, & veniabile fuiſſe hoc peccatum, ſapienterque à Beato Thoma animaduerſum eſt. *Licèt Spiritus ſanctus in Apoſtolos deſcendens in Pentecoſte, eos deinceps confirmauit, in prudentia, & gratia, vt euitarent omnia peccata mortalia, non tamen confirmaſſe, vt omnia venialia effugerent.* quod attinet ad apologiam illam, quam pro Petro contexuit illuſtriſs. Cardinalis Baron. non eſt præſentis inſtituti de ea ſtatuere, aut iudicare. Examini ſubijcietur ſuo loco.

Spalat. Num. 36. Tertul. de præſc. c. 23. & 24.

Thom. in 1. 2. Epiſt. ad Galat.

Spalat. Num. 37.

Veniamus ad ſecundam rationem Cardinalis à Turrecremata, quem inſectatur Spalatenſis. Dixerat igitur ſecundò Turrecremata, Petrum Eccleſiæ fundamentum dictum, quia [primus in nationibus fidei fundamenta iecit. Excipit Splat. hanc rationem nihil omninò ſingulare continere, quòd Petro ſoli quicquam peculiariter tributum oſtendat. Nam, inquit, ſi Petrus fundamenta fidei in nationes ſparſit, hoc idem etiam alij Apoſtoli effecerunt; quamuis Petrus, & primus omnium prædicationem ſit aggreſſus, & maximè omnium ſi comparetur cum reliquis vndecim, in hoc profecerit. Sed magis, & minùs, inquit, non variant ſpeciem, vt dicunt Philoſophi: & æquè perfectè ignis eſt, quo vnica ardet candela, atque ille, quo ingens clibanus inflammatur, vt propterea de omnibus Apoſtolis meritò loqueretur Paulus, dum dicebat, fideles eſſe ſuperædificatos ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum. Certè Paulus, addit Spalatenſis, etiam in hoc ſuperauit Petrum, ipſomet hoc de ſeipſo atteſtante; & ſua itinera deſcribente; Luca etiam illa in commentarios redigente.] Atqui Turrecrematam non lędit, non enim ſimpliciter dicit, prædicaſſe gentibus, quod alios itidem feciſſe Apoſtolos, cum non latuit; ſed primùm electum à Deo, qui viam hanc panderet, quippè, cui primùm aperto cœlo in terrā demiſſo velo quadrupedibus, ſerpẽtibus, & volatilibus oppleto, addita etiam voce, *macta, manduca*, qua ſignificaretur, illi eſſe iam gentes Eccleſiæ Chriſti coniungẽdas, & inſerendas, Corneliū religione Chriſtiana imbuerit, ac informarit. Ac certè acutè obſeruat Bellarmin. vni Petro has voces optimè conuenire, quoniam capitis eſt manducare, & præmanſum cibum in ſtomachum traijcere. Ambroſius etiam prærogatiuam eſſe cenſet Petri, vt primus gentiles inuexerit in Eccleſiam, admiſſo Centurione Cornelio, quem eleganter [primum animal Deo à gentibus immolatum vocat.]

Epheſ. 2. 1. Cor. 15. 1. Rom. 15. Act. 9. 13. 14. 16. &c.

Ambr. ſer. 10.

Spalat. Num. 38.

Tertia ratio Turrecrematæ erat, Petrum dictum fundamentum propter fidei firmitatem, & conſtantiam; Opponit Spalatenſis [locum non habere, quia, inquit, cæteri Apoſtoli ſaltem æquè conſtantes in fide fuerunt, & æquè illuminati, & lapſus Petri, inquit, à

nobis paulò antè conſiderati contrarium probant.] Atque hæc ratio non eſt Turrecrematę, ſed omnium penè Patrum, qui iuxtà metaphoram Petræ, Petrum dictum cenſent ob fidei firmitatem; etſi verò conſtantiſſimi in ea retinenda fuerunt Apoſtoli, tamen de nihilo non eſt, quod dixit Chriſtus, *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos*. Et quod attinet ad lapſus Petri, diluimus obiectos.

Luc. 22.

Spalat. Num. 39.

Quarta ratio, idcircò dictum Petrum *fundamentum*, quòd confirmandorum fratrum curam in eum conieciſſet Chriſtus, *Confirma fratres tuos*. Oppugnat Spalatenſis, & primùm [ad omnes fideles refert illud Confirma fratres tuos, ac demùm non hoc facere ad laudem Petri, ſed veluti ob oculos lapſum eius ponere,] contendit. Atqui, vt poſteà oſtendemus, prærogatiuam confirmandorum fratrum, non ſolùm exemplo, & lachrymarum profuſione, qua tamen cæteris præiuiſſe, ac præluxiſſe cum Theophylacto, Gregorio, Ambroſio, Arnaldo Bonæuallenſi, ac Sandero fatemur, ſed etiam doctrina, & inſtitutione Petro conceſſam, ac commiſſam, omnes omninò Patres, etiam qui ſunt ab aduerſario teſtes adducti, docent, ac defendunt; Ipſum enim ſuo lapſu edoctum, vt alios ad pœnitentiam edoceret, vno ore clamant, ac prætereà ad alia omninò doctrinæ genera referunt. Eò nimirùm ſpectauit Theophylactus, qui Chriſtum ad hunc modum loquentem Petro inducit, [Quia te habeo, vt principem Apoſtolorum, poſtquam negato me fleueris, confirma fratres tuos, hoc enim te decet, qui poſt me Eccleſiæ petra es, & fundamentum.] An igitur ad dignitatem capitis id ſolùm pertinebat, vt pœnitentiæ exempla, non verò innocentiæ, ſanctitatis, & religionis, ac pietatis documenta depromeret? Sed de his iterùm in ſequentibus.

Theoph. ad cap 22. Luc. vt ſup. Græcè.

Luc. 24.

Quod autem vrget ex Euangelio Spalat. [Verba mulierum Chriſti reſurrectionem nunciantium viſa eſſe deliramenta Apoſtolis, & Chriſtum exprobraſſe incredulitatem, quodque addit, ſi Petrus fidem diuinitatis retinuiſſet, reſurrectionis nunciatio non fuiſſet ei viſa deliramentum.] Petrum non tangit, quippè Lucas poſtquam ſcripſiſſet, Apoſtolos mulierum ſermones, quibus Chriſtum reſurrexiſſe aſſeuerarent, pro fabulis habuiſſe, protinùs ſubiunxit, *Petrus autem ſurgens, cucurrit ad monumentum*. Hìc certè aduerſatiua particula, *autem*, omni ſuſpicione erroris, & infidelitatis eum liberare mihi videtur: neque certè cucurriſſet, niſi fidem habuiſſet mulierum verbis.

Spalat. Num. 40.

Quinta ratio Turrecrematæ erat, [Dictum Petrum fundamentum Eccleſiæ, quia Cathedra ipſius, deindè habuit magiſterij firmitatem. Excipit Spalatenſis, eam nihil ad rem eſſe. Nam, inquit, quod poſteriùs eſt, & à priori totum pendet; non poteſt prioris ratio, & cauſa eſſe. Cur enim Cathedra Petri habebit firmitatem magiſterij, niſi quia ſit Cathedra illius, qui erat fundamentum Eccleſiæ, ſuper quem ædificata illa fuerit? At auctor iſte vult indè probari Petrum fuiſſe fundamentum Eccleſiæ, quia Cathedra ipſius deindè habuit magiſterij firmitatem. Iſti ſunt veri circuli in logica, & principij petitiones. Idem prorsùs dicendum etiam de ſexta, & ſeptima rationibus. Doceat priùs, quomodo Petrus ſolus fuit Eccleſiæ fundamentum; nam ex hoc ſedes ipſius obtinebit, vt ſit in Eccleſia fundamentum, & regula in iudicijs, nec mihi ignotum explicet per ignotiùs.] Atqui homo dialecticis diſciplinis in Collegio doctiſſimorum Patrum imbutus, meminiſſe debuit in argumentationibus ab effectis, non verò à cauſa ductis, ex poſteriori priùs inducere, licere.

Non igitur vult Turrecremata, auctoritatem, quam ſit conſecuta Cathedra Petri, probationem eſſe à cauſa, ſed veluti à ſigno, quia proculdubiò non floruiſſet in ea Cathedra *Eccleſiæ principatus*, vt loquitur Auguſtinus, niſi *Petrus Eccleſiæ fundamentum* in ea prior ſediſſet. Audiamus autem Hieronymum hanc Cathedræ Petri auctoritatem prædicantem, *Beatitudini tuæ, ideſt, Cathedræ Petri, communione conſocior; ſuper illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicumque extrà hanc domum agnum comederit, prophanus eſt*.

Ep. 161.

Ad Damaſ. epiſt. 57.

Hic hæret Spalatenſis, & à perſequendo, & laceſſendo Turrecremata abſiſtit, vt Bellarminum rursùs inſectetur. Exiſtimat verò Cardinalem angi, ac animo diſtineri, valdèque laborare, vt Petro fundamenti rationem aſſerat, ac vindicet. [Modò enim, ait, Petrus, in eo potiſſimùm eſt Eccleſiæ fundamentum, quòd cùm fides eius deficere non poſſit, ipſe omnes alios in fide confirmare, & ſuſtentare debet. Sic enim ad eum Dominus ait; Rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos. Itaque cùm ratione fidei ſuæ indefectibilis Petrus ſit petra firmiſſima, totam Eccleſiam ſuſtentans, idem eſt dicere ſuper Petrum, & ſuper eius fidem Eccleſiam eſſe fundatam. Nos verò in Petro, neque fidem indefectibilem reperimus, qui toties lapſus eſt; & Chriſti oratio illud obtinuit, vt non amitteret Petrus fidem irrecuperabilitèr; neque ſolùm Petrum fidei firmitate poſt conuerſionem valuiſſe arbitramur. Confirmandi verò alios curam non ſuſcepiſſe ſolum, niſi cum aliqua ipſius depreſſione, iam oſtendimus; quippè qui exemplo ſui lapſus, & eleuationis deberet alios erigere. In quo nullam inuenio fundamenti rationem, quam quærimus, quæ in ſolum Petrum poſſit, reſpectu totius Eccleſię, conuenire.] Atqui fundità ſuſtulimus hæc effugia.

Spalat. Num. 41. Bellar. li. 1. de Roman. Pont. c. 10.

Luc. 22.

Oſtendimus enim Petri fidem numquam defeciſſe, ex quo potiſſimùm munere principis, & dignitate capitis eſt à Chriſto honeſtatus; atque prouinciam confirmandorum fratrum ei demandatam, non ad ſola exempla pœnitentiæ, ſed etiam, ac certè potiſſimùm, ad auctoritatem docendi, & inſtituendi reliquos ſeſe fudiſſe probauimus, quod omninò fundamenti rationem præ ſe fert, ac inducit.

Sed alios nodos nectit aduerſarius. [Modò verò idem Bellarminus, inquit Spalatenſis, rursùm ait; Catholici docent hac metaphora ædificationis, ſignificari, Petro eſſe commiſſum regimen totius Eccleſiæ; & pręcipuè circa fidem; Petræ enim fundamentali hoc eſt proprium, totum ædificium regere, & ſuſtentare. Atque hoc ipſum eſt, quod quærimus:

Spalat. Num 42. Bellar. li. 1. de Roman. Pont. c. 11.

timus: Doceat, obſecro, nos vbinam, quando, & quomodò Petrus acceperit regimen hoc totins Eccleſiæ circa fidem: Audio ei promitti ſuper hanc petram, ideſt, ſuper te Petrum (eſto) ædificabo Eccleſiam meam. Ædificata, inquit Bellarminns, eſt Eccleſia ſuper Petrum, dum Petro regenda, præſertim in fide, committitur; non tamen docet vbinam ſoli Petro Eccleſia eſt commiſſa regenda, ſi dicat ibi committi, vbi ei dicitur, Paſce oues meas. Ioan. 21. Ergo nihil tum habet de primatu Petri ex illis præcisè verbis, Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. De illis autem, paſce oues meas, erit ſeorſim ſua diſputatio. Interim verò, cur Lectores angitis tam prolixis diſputationibus, ſuper illa verba, ædificabo Eccleſiam meam; ſi nihil aliud in illis continetur, niſi id, quod in alijs, paſce oues meas? Arqui proculdubiò, aliud ſignificatur metaphota fundamenti, & ædificij: aliud metaphora ouium, & paſtoris.]

Sed Spalatenſis hoc primùm in animum inducere debuit, ſolitum Chriſtum, cùm res maximas præſtare vellet, promiſſis primùm, quæ eas anreuerterent, ac veluri earum ſpem facerent, agere, ae demùm quod eſſet pollicitus largiri. Dicimus igitur, & id quidem rectè expendit Bellarminus, dignitaris Petri præceſſiſſe promiſſionem illo loco; *Tu es Petrus, & ſuper banc petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo cluues regni cælorum*: Sunt enim omnia iſta verba de futuro, vt loquuntur, ſed rem ipſam præſtitiſſe, cùm Petrum poſt reſurrectionem alloquutus dixit, *Paſce oues meas, paſce agnos meos*. Falſum eſt igitur prioribus illis verbis, *Tu es Petrus*, nihil haberi, quod ad poteſtatem Petri, & fundamenti rationem faciat; ſiquidem mentiri non poteſt Chriſtus, & quod erat pollicitus, proculdubiò præſtitit, ac opere compleuit. Neque eſt, quòd *diuerſitatem metaphoræ fundamenti, & ædificij, atque paſtoris ouium tantoperè vrgeat*, cùm ſoleat ſcriptura, diſtinctis, ac differentibus metaphoris, vnam, eandemque rem indicare. Vno Geneſis loco id abundè probatur; ſic enim Ioſephum futurum principem Ægypti duabus planè ſimilibus metaphoris adumbrauit, & expreſſit: Geneſ. 49. *Sedit*, inquit ſcriptura, *in forti arcus eius, & diſſoluta ſunt vincula bruchiorum, & manuum illius, per manus potentis Iacob: Indè paſtor egreſſus eſt lapis Iſrael*. Vides vt paſtoris ſimul, ac lapidis metaphora, ſit ſignificatus Ioſeph, & firmamentum, & princeps, ac altor Ægypti. Quis igitur iam miretur, & has duas metaphoras ad vnius, eiuſdemque principatus Petri, diuerſa munia explicanda à Chriſto vſurpatas?

Spalat. Num 43. Fugit itaque, Spalatenſem, ratio, neque verum ſcripturarum ſenſum eſt aſſequutus. Quod attinet ad Patres, luce ſolis clariùs oſtendimus, omnes omninò, qui locum Matthæi, vel leuiſſimè attigerunt, ex eo collegiſſe Petrum conſtitutum *fundamentum, columnam, ac baſim* ædificij Eccleſiæ, vt hac ratione princeps eſſet Apoſtolici cœtus, adeòque omnium fidelium. Verùm tamen eſt; illo loco deſtinatum modò, ac deſignatum fuiſſe caput, & Rectorem vniuerſitatis; At verò in actualem, & vt ita dicam, realem poſſeſſionem inductus eſt, cùm eſt ei à Domino dictum, *Paſce oues meas, &c.* Quod, quæ eſſet pollicitus Chriſtus tunc præſtiterit cumulatiſſimè. Hoc ſcilicet à Bellarmino citati Chryſoſtomus, Gregorius, & Ambroſius clariſſimis verbis docuerunt, vt immeritò eorum ſententiam aliò traxerit Spalatenſis.

Verba Chryſoſtomi ſunt; *Tu es Petrus*, Chryſoſt. hom. 55. in Matth. *& ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; ideſt, fidem, atque confeſſionem. Hic apertè prædixit magnam eorum, qui credituri, & erant, & ſunt, multitudinem fore; & ſublimioru ſapere ipſum facit; & Eccleſiæ futuræ paſtorem conſtituit*. Gregorius verò. Greg. lib. 4. ep. 31. *Totius Eccleſiæ curam committi Petro illis verbis, Tu es Petrus, &c.* Adeòque Ambroſius: Ambroſ. ſerm 47. *Petra dicitur Petrus, eò quòd tãquam ſaxum immobile, totius operis Chriſtiani compagem, molemque contineat*. Certè, cùm paſtorem Eccleſiæ ſingulari quodam iure fecerit Chryſoſtomus, nullus ſapiens dubitarit reſpexiſſe eum, non ſolùm ad prædicationem verbi, quæ reliquorum Apoſtolorum fuerit communis, ſed & ad eximiam quandam regiminis auctoritatem, qua ſit inter collegas potitus, hoc honore auctus à Chriſto, qui ei dixerit, *Tu es Petrus*; Et prætereà ineptiſſimam obſeruationem Spalatenſis funditùs tollit, qui imprudentiſſimè exiſtimarit, *non eodem ſpectare metaphoram fundamenti, & ædificij, ac paſtoris, & ouium*; cùm per metaphoram petræ, eum Rectorem conſtitutum ſignificarit, & *non vni genti, vt Hieremiam, ſed ipſi orbi terrarum præpoſitum*, paſtorem. Verba Gregorij nullis tenebris obſcurari poſſunt, & Ambroſium magnificè de Petro loquutum faſſus eſt Caſanbonus.

Hoc telum vt declinaret, ac victoriam nobis eriperet Spalatenſis, aliò ſe recipiendum duxit, & ad tritum illud æqualitatis argumentum confugit, Spalat. Num. 44. [omneſque omninò Apoſtolos fundamenta Eccleſiæ, ſcripturæ, & Patribus haberi contendit.] Magna igitur pompa, ſed haud neceſſario labore ſcripturas, & Patres profert, *Qui reliquos Apoſtolos non ſecùs, ac Petrum fundamentu Eccleſiæ faciant: cumque quod attinet ad rationem viui, & ſpirantis fundamenti, vnum eſſe Chriſtum, in quem fundamenti nomen, & rationem conuenire poſſit*, ex Paulo prubaſſet, ſubiecit: *Fundamentales tantùm lapides, qui ſuper tale ſolum lapideum viuum*, (Spalarenſis ſunt verba) *primi imponuntur, ad molem erigendam, plures ſunt, & non vnus*: 1. Cor. 3. Spalat. Num 45. *Tales fuerunt omnes Apoſtoli, vt deſcribit Ioannes in fundamento cæleſtis Hieruſalem*, Apocal. 21. quod firmat auctoritate Pauli, Lucæ, ipſius Epheſ. 2. Petri, Ignatij, Tertulliani, Hieronymi, Ori- 1. Cor 3. genis, Hilarij, Cyrilli, Auguſtini, Ambroſij, Epheſ. 4. Chryſoſtomi, Concilij Aquenſis. Rom 15. Nicolai III. Act. 9. Nicolai Cuſani, adeòque Cardinalis à Turre- 1. Petr. 2. cremara, Sixti Senenſis, atque Cardinalis Bellarmini. Ign. ep ad Philadelph. Id. ad Magneſianos. At quid neceſſe fuit in re clariſſima, nullo hoſte repugnante, tot quæſiuiſſe præſidia, tot adhibuiſſe teſtes, & veluti ſoli lumen intuliſſe? Tertull l 4. adu. Marci. Fatemur, quod doctiſſimè diſſeruit Cardinalis Bellarminus, Hier. lib. de Scrip Eccl. in Ioan. Apoſtolos vnà cum Petro fuiſſe fundamenta Eccleſiæ conſtituta, quæ viuo, ac ſpiranti ſaxo, ac fundamento Id. li. 1. adu. Iouinian. Chriſto inædificarentur. Fatemur ieciſſe illos Id in Iſa. c 2. fundamenta pietatis, ac ipſos in cœleſti Hieruſalem, hoc eſt, militanti Eccleſia, ædificanda Id in ep. ad Gal. li. c 2. fundamenta à Ioanne meritò deſcribi; ſed Id. in Iſai. l. 17. in c. 62. pari fuiſſe cum Petro, dignitate, & auctoritate, hoc eſt, quod conſtantiſſimè negamus; Orig. tr. 1. in Matth. in: c.

Digitized by Google

Hilar. in Pſ. 67. Cyrill. lib. 4 in Iſa. ora 2. Aug. in Pſal 86. Idem hom 18. in Apoc. Idem Aug. in Pſal. 103. Ambroſ. in Pſal. 47. Idem tract. de 42. Manſ. 13. Id. in Apoc. c. 21. Chryſ. hom. 18. ex varijs in Matth. loc. Idem ſerm. de Pentec. Id. in dem. aiu. gent. Id. ho 10. in ep. ad Eph. Conc. Aqu. lib. 1. c. 12. Nicol. 3. de elect. in 6. cap. fund. Idem extrauag. quia quorũdam. de verb. ſig. Cuſan. de Concor. Cath. lib. 2. cap. 13. Turr. l. 2. de Eccl. c. 11. Sixt. l. 6. Biblior. annot. 68. Bell. l. 1. de Rom. Pōtif. c. 11.

Hoc eſt, quòd Patres omnes, qui de hac re ſcripſerunt, meritò inficiantur. Et quidem, quo ſenſu dicantur inſtar Petri fundamenta Eccleſiæ Apoſtoli, quoque ſenſu *fundamentum aliud præter Chriſtum nemo ponere poſſit*, eſt à nobis fuſè ſupra explicatum: ſed vt importuniſſimo homini, idem ſaxum ſemper voluenti, abundè ſit ſatisfactum, non grauabimur in ea re adhuc immorari, remque paulò altiùs repetere. Dico igitur longum, latùmque diſcrimen intercedere inter eum, qui fidei fundamentum ſit, & illum, qui miniſterij Eccleſiæ fundamentum cenſeatur. Immò ipſum fidei noſtræ fundamentum bipartitum eſt, eſt enim fundamentum, quod planè inſtar obiecti, fidei noſtræ ſit propoſitum, eſt & fundamentum noſtræ in ea fide inſtitutionis, fundamentum *obiectiuum* (vt vocant) fidei noſtrę illud cenſetur, quod credimus, quod fide complectimur, colimus, & veneramur, vt chriſtiani ſimus; vno verbo, quo ſalus noſtra continetur. Hoc fundamentum intellexit Apoſtolus illo Corinthiorum loco, *fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus*. Hoc enim ſibi vult Paulus fundamentum, ò Corinthij, aliud nemo poteſt ponere præter id, quod iactum eſt, à nobis tradita vobis de Chriſto doctrina, ac fide, citra quam nullus fidelis, aut Chriſtiani nomen ſibi vindicare poſſit, videant alij quid ſuperſtruant, haud tamen quicquam de nouo ædificent, quia ſcilicet, & Chriſtus primarium illud eſt fundamentum, & obiectum fidei chriſtianæ, ad quod reliqua fidei capita referantur. Fundamentum verò inſtitutionis noſtræ illud vocamus, quod nobis erudiendis, & in Chriſto ædificandis ſubſeruiat, quoque certitudo ipſa doctrinæ, quam ſimus complexi, nitatur. Et hoc quidem rurſùm bipartitum eſt. Eſt enim princeps, & præcipuum fundamentum, à quo fluenta illa, & puriores vndæ Chriſtianæ doctrinæ, tamquam ab vberrimo fonte, & ſcaturigine deriuentur. Hoc fundamentum vnus eſt Spiritus ſanctus, de quo nimirùm dixerit Chriſtus. *Ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis*. Eſt, & fundamentum ſecundarium inſtrumentarium, adeòque minùs præcipuum inſtitutionis noſtræ in fide, ſcilicet prædicatio ipſa fidei, aut ipſa eius in ſacris literis delineatio, ſuſcepta ab his, quorum eſſet infallibilis auctoritas, in ſalutis noſtræ dogmatibus fideliter, ac ſincerè tradendis. Hoc ſenſu non ſolùm omnes Apoſtoli, & Euangeliſtæ, verùm etiam Prophetæ, & quotquot Spiritus acti peculiari inſtinctu, myſteria nobis Chriſtianæ Religionis tradiderunt, fundamenta Eccleſiæ dicuntur; quòd nimirùm ab his ita inſtituti ſimus, vt nec nutet, nec vacillet fides, ad quam ſumus ab ijs edocti.

Epheſ. 2. verſ. 20.

Iam, inquit Apoſtolus, *non eſtis hoſpites, & aduenæ, ſed ciues, & domeſtici Dei, ſuper ædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu*. Aliquantò clariùs in Græco, *epi to temelio ton Apoſtolon, ontos acrogoniæu autu Iiſu Chriſtu*, vbi quod aduertit non nemo, *Chriſtu*, qui eſt genitiuus, non poteſt referri ad *temelio*, qui eſt datiuus, ſed ad *acrogoniæu* genitiuum.

Reſtat igitur alterum membrum prioris noſtræ diſtinctionis explicandum, nempè quod ſit fundamentum miniſterij Eccleſiæ. Fundamentum itaque huius miniſterij dicimus, id, quo tota moles regiminis Eccleſiæ nititur, & in quod incumbit adminiſtratio, & gubernatio familiæ Chriſti; Diſtinctum autem, & diſcriminatum voluimus à fundamento fidei, & doctrinæ, non quòd ipſum miniſterium Eccleſiæ doctrinam, & fidem qua ſimus inſtituendi, & erudiendi, non complectatur. Certum eſt enim miniſtris Chriſti, & Eccleſiæ hoc onus incumbere, vt fidem Chriſti, aut reuelent, quod Apoſtolorum, & diſcipulorum Chriſti proprium fuit, aut reuelatam tueantur, ac propalent, & efferant; ſed quòd miniſterij fundamentum latiùs ſe fundat, quàm fidei. Nam certum eſt, Lucam, qui fundandæ fidei Chriſti ſuam operam commodarit, fundamentum miniſterij, qua miniſterium regiminis, & gubernationis formaliter ſpectatę auctoritatem ſubindicat, dici non poſſe, cum in ordine diſcipulorum fuerit, quibus nulla eſſet adminiſtrandæ, ac regendæ Eccleſiæ auctoritas ex officio commiſſa.

Ad hoc igitur fundamenti genus reſpexiſſe Chriſtum, cùm diceret, *Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, Catholicorum eſt indubitata ſententia, quæ hac ratione nititur, quòd nimirùm proximis verbis ſe de miniſterio loquutum ſignificarit Chriſtus. Quid enim illis verbis apertius, *Et tibi dabo claues regni cœlorum*; *quodcumque ſolueris &c.* An non purum, putumque miniſterium ſpirant, ac ſubindicant? Itaque Petrum huius miniſterij, & regiminis fundamentum præcipuum à Chriſto conſtitutum prædicant, ac venerantur Orthodoxi. Quod verò Apoſtoli etiam ligandi poteſtatem, atque ſoluendi accepiſſe traduntur; id poſteà, ac nulla imminutione primatus, aut dignitatis Petri, factum interpretantur. Vni enim Petro dictum eſt primò, *Et ſuper hanc petram*, *Et tibi, inquam, dabo &c.* Quare quicquid eſt illis, Chriſtus poſthac impertitus, poteſtatis, primario iure non eſt impertitus, ſed vt loquuntur in ſcholis, per aggregationem, & aſſociationem, vnà cum Petro id ſunt conſecuti, ea demùm lege, vt illum pro capite haberent, & miniſterij Eccleſiaſtici fontem, originem, & exordium, quo vnitatis tota compages niteretur, ac ſtabiliretur, agnoſcerent. Quod doctiſſimus Cardinalis Perronius eleganter omninò, ac pro more ſuo acutè retulit, communicatam 72. Senioribus ſpiritus, ac poteſtatis Moyſi portionem, non quòd partibilis eſſet ſpiritus Domini, vt in partes duceretur, ac ſecaretur, ſed, vt exploratum Hebræis eſſet, ſartam, tectamque Moyſi ſuam conſtare dignitatem; atque ſeptuaginta ſeniores ab eo ſuæ poteſtatis originem ducere, cui propterea non ſe æquarent, nec incommoda, & importuna ambitione ſe ab eius auctoritate, & communione ſubducerent, ne vinculum vnitatis ſcindentes; quod poſteà fecerunt Core, Dathan, & Abiron, totam Eccleſiam perturbarent.

Card. Pero. Reſp. ad Reg. Mag. Brit. c. 56.

Ad hunc ferè modum (neque enim, vt aduertit diſertiſſimus Cardinalis, omnia quadrant) primùm Chriſtus Apoſtolo Petro au-

aučtoritatem miniſterij Eccleſiaſtici, ac Cathedræ Apoſtolicæ, vni Petro largitus eſt, intelligere deſignatione, ac certa deſtinatione, non actu, aut tunc reipſa. Et hoc capite deſignato, in conſortium honoris, & poteſtatis Apoſtolos poſteà vocauit, vt vnitatis communio, adeóque ab vno capite pendentis aučtoritatis, ratio conſtaret.

Cypr. ep. 73 ad Iubaianum. Hoc ſignificauit Cyprianus illis verbis, quæ Spalatenſem valdè pupugerunt. [Quò venturus eſt, qui ſitit? Vtrumne ad hæreticos, vbi fons, & fluuius aquæ vitalis omninò non eſt? An ad Eccleſiam, quæ vna eſt, & ſuper vnum (Petrum intelligit) qui claues eius accepit, voce Domini fundata?] Cyprianus cùm Apoſtolos alibi aſſerat in conſortium honoris, & poteſtatis Petro à Chriſto collatæ, veniſſe, hìc ſuper vnum Petrum, fundatam Eccleſiam docet, vt nimirùm oſtendat, ipſum Petrum eius vnitatis, quam contrà hæreticos vrgeret, fontem eſſe, & originem, beneficio Chriſti tanti muneris, aučtoris. Vt igitur hæc omnia vno quaſi faſce complectar: dico, Chriſtum primùm pollicitum fuiſſe ſe concrediturum vniuerſam Eccleſiam Petro, illis verbis, *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, demùm verò in illam communitatem poteſtatis reliquos Apoſtolos conſociaſſe, atque coniunxiſſe, hac lege, vt ſummum regendæ Eccleſiæ ius penès Petrum eſſe paterentur. At excutit omnem pudorem, atque quàm obfirmato, & impudenti animo ſint hæretici, docet Spalatenſis.

Spalat. Num. 46. Cypr. ep. 73. ad Iubaianum. Nec nos, inquit, turbet verbum Cypriani, aliud eſt enim vnum, aliud ſolum, vbi vnum dixit propter myſterium vnitatis.] O egregium Grammariſtam! Quid igitur, an pluſquam vno nititur primaria illa ratio vnitatis, quam perſequitur Cyprianus? An non idcircò primùm fundatam ſeorſim ſuprà Petrum Eccleſiam vrget, quod exordium ab vnitate proficiſcatur? Et quod libro de vnitate Eccleſiæ addit [Apoſtolos præditos fuiſſe eodem conſortio honoris, & poteſtatis] An non hoc exordium, ad hanc originem, ad hunc vnum Petrum reuocat, ſuper quem fundatam Eccleſiam aſſerit, vt Eccleſia vna monſtretur?

Cypr. de vnit. Eccleſ. epiſt. 73 ad Iubaianum. Sed audi florentiſſimum martyrem ea ipſa epiſtola, cuius verba in diſputationem vocantur; *Nam Petro, inquit, primùm Dominus, ſuper quem ædificauit Eccleſiam, & vndè vnitatis originem inſtituit, & oſtendit; poteſtatem iſtam dedit, vt id ſolueretur in cœlis, quod ille ſolniſſet in terris. Et poſt reſurrectionem quoque ad Apoſtolos loquitur, dicens; Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Hoc cùm dixiſſet, inſpirauit, & ait illis; Accipite Spiritum ſanctum. Si cuius remiſeritis peccata, remittentur illi: ſi cuius tenueritis, tenebuntur. Vndè intelligimus, non niſi in Eccleſia præpoſitis, & in Euangelica lege, ac Dominica ordinatione fundatis licere baptizare, & remiſſam peccatorum dare, foris autem, nec ligari aliquid poſſe, nec ſolui, vbi non ſit, qui aut ligare poſſit aliquid, aut ſoluere,* Super vnum ergo dixit fundatam à Chriſto Eccleſiam, non quòd ſoli Petro, repudiaris cœteris, poteſtatem ligandi, & ſoluendi collatam à Chriſto iudicarit, ſed quòd ſuprà eum vnum, primùm fundaſſe Eccleſiam, ac demùm huius regiminis, quod fundaſſet, conſortium in alios deriuaſſe cenſuerit.

Longè enim, ſi neſcit aduerſarius, hæc differunt, eſſe ſolùm fundamentum regiminis, & eſſe ſolùm primum fundamentum regiminis. Petrus, aučtore Cypriano, ſolus *primum fuit fundamentum* vnitatis, & regiminis, *quia ſuper eum vnum Dominus fundauit Eccleſiam, & quia Petro primùm, ſuper quem fundauit Eccleſiam, & vndè vnitatis originem inſtituit, & oſtendit, poteſtatem iſtam contulit &c.* Sed Petrus (reclamante Cypriano) ſolus non fuit fundamentum regiminis. Nam Apoſtoli pari fuerunt præditi conſortio honoris, & poteſtatis, ipſique Epiſcopi, & præpoſiti Eccleſiæ partem eius nanciſcuntur, & obtinent, ſeruato tamen ſemper capitis honore, quo Petrum ornandum duxerit Chriſtus.

Hoc ipſum igitur, quod Turrecremata, quod Senenſis, quod Bellarminus, tradidere, docuit Cyprianus, in cuius ſententia acquieſcimus, hoc vnum addidiſſe contenti cum Bellarmino, ordinarium fuiſſe, & quod in æuum durare deberet, miniſterium Petri, cùm miniſterium Apoſtolorum, quippè extraordinarium, vltra vitæ illorum terminos non eſſet progreſſurum, ſed ijs vita functis, intercidere deberet, portione tantùm eius poteſtatis ad Epiſcopos tranſmiſſa, vt eſt iam à nobis ſuprà explicatum, & ampliùs explicabitur in ſequentibus. Spalat. Num 48 49

Quod enim quærit Spalatenſis [vndè ſolùm Petrum eſſe caput, & ordinarium gubernatorem Eccleſiæ] habeamus, facilè ſoluitur: Indè enim habetur, quòd vni ei dixerit Chriſtus, *Tu es Petrus; Confirma fratres tuos, Paſce oues meas.* Confluunt enim omnia iſta ad ſtabiliendam, & conſtituendam capitis ordinarij dignitatem, ac fruſtrà eſt Spalatenſis in vno ſaxo oppugnando; cùm alia ſint huius ſententiæ firmamenta, & præſidia, quæ diſtrahi, ac diſiungi non ſimus paſſuri.

Quod autem hic circulos ſibi fingit Spalatenſis, hominis eſt delirantis, ac in circuitu ambulantis. Ariſtoteles alicubi dixit, dexteriorem partem cœli eam eſſe, in qua oriatur, quòd ab oriente motus cœli initium ducat, alibi verò ab oriente incipere motum cœli ex eo arguit, quòd dexterior pars cœli ſit Oriens. Nunquid igitur nouo iſti dialectico ineptiſſe videtur ſummus vir, qui hæc, vt loquuntur Philoſophi, in diuerſo genere cauſarum aſſumpſerit? Hieronymi locum à nobis ſuprà illuſtratum, & explicatum, non eſt cur hoc loco retractemus. Ipſe certè; Etſi *Eccleſiæ fortitudinem ex æquo ſuprà Apoſtolos omnes ſolidatam agnoſcat*, quòd nimirùm omnes in fundanda Eccleſia, quod ad muuia planè Apoſtolica, & maximè ad prædicationem Euangelij attinet, eandem operam poſuerint: tamen addit, *Inter duodecim vnus eligitur, vt capite conſtituto, ſchiſmatis tollatur occaſio.* Hic vnus locus inſtar omnium eſſe poſſit ſoluendis omnibus argumentis, quæ ab æqualitate Apoſtolorum ducantur. Vidit enim vir doctiſſimus eam æqualitatem in officio Apoſtolatus, non modò non pugnare cum ſumma capitis aučtoritate, verùm etiam eam depoſcere, vt nimirùm hac vna aučtoritate firmata inter æquales, pax ſarta, tectaque perſeueret, & nullo ſchiſmaticorum impio conatu perturbetur. Lib. 1. cont. Iouin.

Ne-

Neſcio verò quàm meritò de nobis, quos monarchicos ſeditioſus homo indigitat, conqueratur. [Quòd numquam expoſuerimus quid ſit Eccleſiæ ædificatio, quomodoque illa in ſolo Petro fuerit verificata, quia ei ſoli promiſſa.] Idolorum igitur inſtar oculos habet, & non videt, aures habet, & non audit. An non enim paſſim clamant noſtri, tùm regimine, tùm doctrina illam conſtare. Et quidem quod attinet ad doctrinæ, & fidei ædificationem, pares Petro fuiſſe Apoſtolos non negant; Cùm etiam ipſe Paulus de ea te loquens, plùs ſe cęteris laboraſſe glorietur, Quod attinet verò ad ædificationem regiminis, Petrum vnum fundamentum huius ædificationis fuiſſe quidem deſignatum, cùm eſt ei dictum, *Tu es Petrus &c.* in poſſeſſionem verò inductum, cùm eſt ei dictum, *Paſce oues meas*, *Paſce agnos meos*. Quo in munere obeundo, etſi partes quoque ſuas habuerint Apoſtoli in conſortium vocati, honoris, tamen Petro ſummiſiſſe faſces, ac pro ſummo Eccleſiæ paſtore, cui tota illa moles ex præſcripto Chriſti inniteretur, agnouiſſe, nec alias Cathedras ſibi conſtituiſſe. Hoc Patres omnes docuerunt; hoc noſtri æui Scriptores Orthodoxi probarunt, hoc validiſſimis argumentis confirmarunt, vt iam hominis nihil ſimile habeat, ſed truncus planè ſit, & marmor, qui hæc non ſentiat, aut aduertat. Extorſimus itaque furioſo homini impia arma, neque, quod voluit, cruentos enſes extulit; vt iam illi fractis viribus, ac deſperata victoria in luto hærendum ſit. Hinc ſcilicet dolor, hinc illæ lachrymæ! Sed iniuſtè conquerenti, ac dolenti non eſt, quòd, haud profuturam medicinam adhibeamus.

Reſtabat vltimus articulus diſcutiendus de impoſitione nominis Petri, ſed quod in alium locum à Spalatenſi reiectus ſit, ne idem ſæpiùs dicere cogamur, ab eo expendendo hic nobis temperabimus, id alio loco cumulatiſſimè præſtituri.

DISCVSSIO
SEPTIMI CAPITIS LIBRI PRIMI.
EXPENDITVR LOCVS ILLE, TIBI DABO CLAVES.

CONSPECTVS CAPITIS.

Verba Chriſti, Tibi dabo claues regni cœlorum, *ad vnum Petrum, Patrum ſententia, proximè pertinere: Pleniſſimam tamen poteſtatem ligandi, atque ſoluendi habuiſſe Apoſtolos:* Hoc *quomodo intelligendum: Cyprianus fuſè explicatus: Optatus, & Leo Orthodoxis aſſerti: Bellarminus defenſus: Item Maldonatus: Locus Eſaiæ de claue Dauid verſatus: Bellarminus excuſatus. Vrgentur circumſtantia verborum,* Tibi dabo, &c. *Quo ſenſu accipiendi Cyprianus, Auguſtinus, Pacianus, & Optatus, qui Petrum vnitatis fontem, & caput faciant: Hieronymi locus, quo Petrum cum Ioanne confert, illuſtratus: Quomodo Petrus ex Auguſtino perſonam geſtarit Eccleſiæ, cùm claues acciperet: Vana myſteria Spalatenſis eliminata, ac expuncta.*

DVæ præcipuæ fueruut promiſſiones, quas Cheiſtus fecit Petro, occaſione illius celeberrimæ ipſius confeſſionis, quando reſpondens dixit, Tu es Spalat. Num. 1.
Chriſtus filius Dei viui: Altera fuit, Petrum futurum præcipuum, & maximè inſigne fundamentum, ſuper quo ædificium Eccleſiæ Chriſti, hoc eſt, propagatio fidei debebat exurgere: Altera continetur illis verbis; Et tibi dabo claues regni cœlorum; Et, Quodcumque ligaueris ſuper terram, Matth. 16.
erit ligatum, & in cęlis, & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum, & in cęlis. Si autecedenria verba illa, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, verè, proptiè, & proximè Petro ipſi à Chriſto dicta eſſe conceſſi in ſuperioribus, & ſpontè, ac libeuter admiſſi; vbi tamen ambigi meritò poterat, quænam ſit illa petra, ſuper quam Chriſtus ſe Eccleſiam ſuam ædificaturum promiſit, quantò libentiùs, & promptiùs admittere debeo, alteram hanc promiſſionem eidemmet Petro verè, propriè, & proximè fieri? Siquidem dicitur expreſsè à Chriſto Petrum alloquente, Tibi dabo claues. Valeant igitur, & recedanr quicumque vim huic litetæ adhibentes, non Petro proximè, ſed, excluſa Petri perſona, vel toti Eccleſiæ, vel alteri, qui non ſit Petrus, claues dari, aut promitti, contendunt. Mihi in hoc audire Pattes, vera Eccleſiæ Catholicæ lumina, ab illis diſcere, & cum illis loqui, placet.

SErpentem fabri ferrarij, cuius officinam eſſet ingreſſus, limam morſibus apperentem rident fabulæ, quòd irrito illo labore, vni ſibi perniciem machinetur, ac conciſcat: dentium aciem obtundente, ac hebetante fetro, cuius duritiem vis illa non infringat.

Haud magis auſpicatò Spalatenſis ad Petri claues abolendas, ac conficiendas, hoc capite aggreditur, neque impio conatu aliud efficit, quàm, vt ſuam amentiam, ſuumque furorem prodat, iu tuto poſitis, quas attodit, clauibus. Igitur quod rem mali hominis eſſe videret, primùm conſtituit nobis adblandiri, quaſi is eſſet, qui res Eccleſiæ ſaluas eſſe vellet. Principiò enim omnem inuidiam à ſe amoliri tentat, idque facit, vt Caluiniani, ac Lutherani, à quibus palàm diſſideat, ſoli, nefarij criminis, ac peſſundatarum clauium poſtulentur.

{ Valeant, inquit, & recedant quicumque vim huic literæ adhibentes, non Petro proximè, ſed excluſa Petri perſona, vel toti Eccleſiæ, vel alteri, qui non ſit Petrus, claues dari, ac promitti, contendunt, Mihi in

hoc

Spalat. Num. 2. Tertull. in Scorp. Orig. tract. 6 in Matth. Hieron. in Matt. c. 16 Cyr. Hier. Catech. 6. Id. Catech. 14. Aug. lib. 2. contra 2. Gaud. epiſt. cap. 23. Ambr. ſer. 38. de Ieiun. & quadrag. Id. lib. 10. in Luc. c. 24. Id. in Pſ. 40. Id. lib. 1. de Pœnit. c. 6. Chryſ. hom. 55. in Matt. Beda ho. in Matth. c. 16. Matth. 18. Ioan. 20. Matth. 28.

hoc audire Patres vera Eccleſiæ catholicæ lumina, & ab illis diſcere, & cum illis loqui, placet.]

Vt igitur ſe Patrum preſſiſſe veſtigia oſtendat, Tertullianum profert, Origenem, Hieronymum, Cyrillum Hieroſolymitanum, Auguſtinum, Ambroſium, Chryſoſtomum, & Bedam, qui quicquid eſt dignitatis, ac myſterij in clauibus à Chriſto traditis, in vnum Petrum conferunt. Atque illa tam præclarorum teſtimoniorum mole oppreſſus clamat, *Monſtri ſimile eſt, negare hoc loco, & tibi dabo claues regni cęlorum, Dominum cum ipſamet perſona Petri loqui; eique promittere claues, quas poſteà ipſi etiam infallibiliter conceſſerit.* Hæc Marcus Antonius; ſcilicet, vt nos circumueniat, ac fallat: addit enim, *Sed monſtri adhuc fortaſsè maioris ſimile fuerit; ad Petrum ſolùm hanc promiſſionem, ipſiuſque executionem adeò arctare, vt claues Apoſtolis alijs neque fuerint promiſſæ à Chriſto, neque datæ, ſanè promiſſionem ſimilem, ſi non etiam traditionem, non multò poſt omnibus Apoſtolis à Chriſto factam habemus in Euangelio; Amen dico vobis, Quæcumque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata, & in cœlo, & quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta, & in cęlo. Pares ergo ſunt in promiſſione Apoſtoli omnes cum Petro. Quòd verò priùs ſeorſim Petro facta fuerit promiſſio, deindè cæteris, mihi prætenſum illum primatum non videtur concludere; dummodò reipſa etiam in ipſis effectum habuerit promiſſio, vt reuera habuit: nam omnibus ſimul poſt reſurrectionem dixit Chriſtus: Sicut miſit me Pater, ità & ego mitto vos, vt poſteà explicabimus. Item: Euntes, docete omnes gentes: Probabimus enim nihil ibi conceſſum Petro, quod æquè non fuerit etiam alijs Apoſtolis conceſſum.* Atqui Eccleſiæ claues non ita, quod vult aduerſarius, ad Petrum arctamus, vt noſtro iudicio vnus ijs potiatur: Fatemur enim ligandi, ſoluendique pleniſſimam poteſtatem Apoſtolis quoque conceſſam, ac commiſſam, ſed pari auctoritate fuiſſe cum Petro negamus.

Ambr. lib. 1. de Pœniten. cap. 6.

Neque verò vmquam probauerit, cuique eorum dictum, quod vni Petro dictum docet Euangelium, *Tibi dabo claues regni cęlorum*. Vertat ſe in omne latus, omnem moueat lapidem, nihil ſimile inuenerit, adeòque fruſtrà fuerit in eorum cum Petro æqualitate conſtituenda.

Præclarè certè Ambroſius, *poteſtatem remittendorum peccatorum Petri hæreditatem*, vocat. Itaque noſtra ſententia, eſt ſpeciali quadam, ac priuata ratione promitti Petro procurationem clauium, haud ſolùm cum amplitudine poteſtatis ligandi, atque ſoluendi, hoc enim, & ad Apoſtolos ſpectat, ſed etiam cum titulo, ac dignitate capitis, vt quidam huius imperij vis etiam in reliquos Apoſtolos transfundatur, ſed quàm, non niſi ordine quodam, ac relatione ad Petrum vnitatis Eccleſiaſticæ fontem à Chriſto conſtitutum, naniſcantur.

Spalat. Num. 2.

Tertull. in Scorp.

Priorem noſtræ aſſertionis partem, Petrum ſcilicet ſpeciali quadam, ac priuata ratione claues accepiſſe, affirmant omnes Patres ab aduerſario ſecunda ſectione citati, lubet hìc eorum retexere teſtimonia? [Tertullianus hæc habet; Nam etſi adhuc clauſum putas cęlum, memento claues eius hic Dominum Petro, & per eum Eccleſiæ reliquiſſe: quos hìc vnuſquiſque interrogatus, atque confeſſus ferret ſecum. Origenes; Sed quoniam oportebat, inquit, aliquid maius habere Petrum, præ illis, qui ter arguerant; Ideò illi ſic quidem dicit, & tibi dabo claues regni cœlorum. Hieronymus; Prudens Lector inquirat, quomodo poſt tantam beatitudinem, Beatus es Simon Barjona: &, Tu es Petrus &c. &, Tibi dabo claues regni cœlorum &c. nunc audiat, Vade retro Satana? Cyrillus Hieroſolymitanus ait; Petrus enim is erat, qui claues cœlorum ſecum ferebat. Item: Non pudeat te Apoſtolorum; non ſunt Moyſe deteriores, neque Prophetis inferiores: ſed boni cum bonis, & boni meliores. Elias enim aſſumptus eſt in cœlum, ſed Petrus habet claues regni cœlorum, cùm audiret; Et quæcumque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta, & in cœlo. Auguſtinus; Numquid melior Razias, quàm Petrus Apoſtolus, qui vbi dicit, Tu es Chriſtus filius Dei viui; tam beatus à Domino appellatus eſt, vt claues regni cœlorum accipere mereretur? Ambroſius; Quemadmodùm autem clauſi cœli aperiendi ſunt, inquirere nos oportet. Puto autem aliter eos aperiri non poſſe, niſi claues Petri Apoſtoli ſumpſerimus, quas, Domino largiente ſuſcepit, ſicut ipſe dixit; Tibi dabo claues regni cęlorum. Item: Qui poſterior venerat, primus ingreditur (Petrus) quaſi, qui claues regni, vt alijs aperiret, acceperat. Item: Beatus Petrus, cui non inferorum porta præualuit; Non cęli porta ſe clauſit; ſed è contrariò deſtruxit inferni veſtibula, patefecit cęleſtia. In terris itaque poſitus, cælum aperuit, inferos clauſit. Item: Sed hoc improbè, quod etiam (Nouatiani) in Eccleſia donari peccata negant poſſe, cùm Petro dictum ſit, Tibi dabo claues &c. Chryſoſtomus; Quænam maiora, inquit, dona videntur, quæ Pater, aut quæ filius Petro largitus eſt? Pater quidem reuelationem ei filij ſui dedit, filius autem partim, vt tam Patris, quàm filij ſui reuelationem, vbique terrarum poſſet ſeminare; partim, vt quamuis homo eſſet mortalis, cæleſti tamen poteſtate polleret, & claues haberet regni cęlorum. Beda; Qui enim regni cælorum maiori dilectione præ cæteris confeſſus eſt, meritò præ cæteris, collatis regni cæleſtis clauibus donatus eſt.] Errat, quòd præclaris iſtis Eccleſiæ luminibus ſe aſſenſorem præberet aduerſarius, nec eorum placitis tenebras offunderet. Neque verò doctiſſimi iſti Patres recēs aliquod dogma, aut ſuo ſęculo natū in Eccleſiam inuexerunt, ſed quod obſcuriùs dixiſſe alij videntur, illi paulò clariùs explicarunt; Erat ſcilicet in eadem ſententia Cyprianus, quamquam eum nobis valdè infeſtum velit Spalatenſis, cùm ſcriberet [Loquitur Dominus ad Petrum, Ego tibi dico, inquit, quia tu es Petrus, & ſuper iſtam petram ædificabo Eccleſiam meam; & portæ inferorum non vincent eam. Tibi dabo claues regni cęlorum, & quęcumque ligaueris &c. & eidem poſt reſurrectionem ſuam dicit, Paſce oues meas. Et quamuis Apoſtolis omnibus poſt reſurrectionem ſuam parem poteſtatem tribuat, & dicat, Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Accipite Spiritum ſanctum, ſi cui

Orig. tract. 6 in Matth. Hieron. in Matt. c. 16. Cyrill. Hieroſoly. Catechet. 6. Id. Catech. 14. Aug. lib. 2. contra 2. Gaud. epiſt. c. 23. Ambr. ſerm. 38. de Ieiun. & quadrag. Amb. lib. 10 in Luc. in c. 24. Id. in Pſ. 40. Idem lib. de Pœnitent. c. 6. Chry ho. 55 in Matth. Beda ho. in Matth. c. 16. Spalat. Num. 4. Cypr. de ſimpl. Præl. ſiue de vnit. Eccl.

remi-

Ioan.20.

remiſeritis peccata, remittentur illi; ſi cui tenueritis, tenebuntur; Tamen, vt vnitatem manifeſtaret, vnitatis eiuſdem originem ab vno incipientem ſua auctoritate diſpoſuit.

Vt autem iam omnes dubitandi occaſiones amputemus, lubet paulò vberiùs hunc locum tractare, ac altius repetere, quæ ſunt à

Initio.

Cypriano libro de vnitate Eccleſiæ pertractata. Hîc igitur impij demonis fraudibus detectis, qui oblita Idolorum vanitate, cùm ſe illa via ampliùs proficere non poſſe cerneret, hæreſes ſubornaſſet, quibus fidei nitorem obſcuraret, mali labem aperit, adeòque huius calamitatis grauiſſimę cauſam, ac fundum in deſerto, ac derelicto ſummo fidei paſtore reponit, cuius obſeruantia prohiberi potuiſſet. *Hoc*, inquit, *fit fratres dilectiſſimi, dum ad veritatis originem non reditur, nec caput quæritur, nec magiſtri cęleſtis doctrina ſeruatur.* Poſtea quæ ſit fidei origo, quod caput, à cœleſtis doctrinæ magiſtro præſtitutum declarat: *Quæ*, inquit, *ſi quis conſideret, & examinet*, Caput videlicet fidei, & originem veritatis, *tractatu longo, atque argumentis opus non eſt, probatio eſt ad fidem facilis compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum, Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper iſtam petram ædificabo Eccleſiam meam; & portæ inferi non vincent eam: Et tibi dabo claues regni cœlorum, & quæ ligaueris ſuper terram, erunt ligata, & in cœlis, & quæ ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta, & in cœlis; Et eidem poſt reſurrectionem ſuam dicit, Paſce oues meas; ſuper illum vnum ædificat Eccleſiam ſuam, & illi paſcendas mandat oues ſuas.* Hîc te ſiſto Lector doctiſſime.

Veritatis originem, & capitis fidei rationem explicaturus, Ad vnum confugit Petrum Cyprianus, ac iſtius ædificationis molem Petro impoſitam oſtendit, vt compendio fidem ipſam aſtruat, ac impios hæreticorum conatus obtundat: Ergo eius iudicio eſt aliquid dignitatis in Petro ſeorſim ſpectato, quod illis motibus ſopiendis, ac remouendis ſubſeruiat; quid verò illud eſſe poſſit niſi illa verba, *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; & tibi dabo claues regni cœlorum: & paſce oues meas*, ad vnum Petrum dicta? Et quia obijci poterat pari poteſtate donatos Apoſtolos, aggreditur iam ad obiectionem diluendam: *Et quamuis*, inquit, *Apoſtolis omnibus poſt reſurrectionem ſuam parem poteſtatem tribuat, & dicat, Sicut miſit me Pater, ita ego mitto vos: Accipite Spiritum ſanctum, ſi cui remiſeritis peccata, remittentur illi, ſi cui tenueritis tenebuntur: tamen vt vnitatem monſtraret, &c. vnitatis eiuſdem originem ab vno incipientem ſua auctoritate diſponit: Hoc erant vtique, & cæteri Apoſtoli, quod fuerat Petrus, pari conſortio præditi, & honoris, & poteſtatis, ſed exordium ab vnitate proficiſcitur, vt Eccleſia vna monſtretur.* Non igitur, vt auctoritatem Petri, aut imminueret, aut infringeret, ſed vt obiectionem diſpungeret, hæc diſputationi ſuæ voluit inſerta. Hoc indicat particula, quamuis, qua oſtendit ſe, non obſtante ratione, quam eſſet inductus, in priori ſe perſtare ſententia, atque vnum illum de Petro aſſertum, fundamenti inſtar eſſe, quo,quę eſſent ab eo dicenda omninò niterentur.

Itaque depulſo argumento, poſtremam ſuæ orationis partem reperit, atque mollit.

Hoc, inquit, *erant cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio præditi honoris, & poteſtatis, ſed exordium ab vnitate proficiſcitur.* Itaque niſi cœcus fuiſſet Spalatenſis, vidiſſet omninò Cyprianum particula aduerſatiua, *Sed*, veluti lumine orationis interpoſito, lucem intuliſſe, vt ſcilicet nil officiat priori ſententiæ de Eccleſia *ſuper vnum Petrum ædificata, de collatis ei vni clauibus, de cura paſcendi gregis*, conſortium poteſtatis, & honoris, quo ſint prędediti reliqui Collegæ, quòd nimirùm nihilo ſeciùs Eccleſiæ ſuæ vnitatem capitis creatione, & inſtitutione formandam duxerit Chriſtus, vndè Chriſtiani fidei ſuæ originem peterent, & hoc veluti compendio veritatis hæreſes omnes profligarent. Hæc mens eſt Cypriani. Poſteriorem partem noſtræ aſſertionis, ſcilicet Apoſtolos in conſortium admiſſos honoris Petro tributi, probant Patres, qui altera ſectione hoc ordine à Spalat. adducuntur.

Origenes, [An verò ſoli Petro, inquit, Spalat nu.4.
dantur à Chriſto claues regni Cęlorum, nec Orig. tract.1
alius beatorum quiſquam eas accepturus eſt? in Matth.
Quòd ſi dictum hoc, Tibi dabo claues regni cœlorum, cæteris quoque commune eſt; cur non ſimul omnia, & quæ priùs dicta ſunt, & quæ ſequuntur, velut ad Petrum dicta, ſunt omnia communia? Hilarius orationem ſuam Hilar. de
ad Apoſtolos omnes conuertens, Tanta, & Tri. lib.6.
tam propriè vos, inquit, ô ſancti, & beati viri, ob fidei veſtræ meritum, claues regni cęlorum ſortiti, & ligandi, atque ſoluendi in cœlo, & in terra ius adepti, geſta eſſe per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Dei filium videratis, &c. Item, illi (Apoſtoli) manu, at- Id. lib. contra Arian. & Auxen.
que opere ſe alentes, intrà cœnacula, ſecretaque coeuntes, vicos, & caſtella, genteſque ferè omnes terra, ac mari, contrà Senatus conſulta, & Regum edicta, peragrantes, claues, credo regni cælorum non habebant? Hieronymus; At dicis, inquit, ſuper Petrum funda- Hier. lib.1. adu. Iouin.
tur Eccleſia: Licèt idipſum in alio loco ſuper omnes Apoſtolos fiat, & cuncti claues regni cælorum accipiant, & ex æquo ſuper eos Eccleſiæ fortitudo ſolidetur, &c. Gaudentius Gaud. Brix.
Brixienſis, Omnes, inquit, Apoſtoli, Chriſto tract. in die
ſurgente, in Petro claues accipiunt, quin imò ſuæ ordinat.
cum Petro, cœleſtis regni claues, ab ipſo Domino accipiunt, quando ait illis; Accipite Spiritum ſanctum, &c. Et iterum; Euntes docete, &c. Auguſtinus, Petrus, inquit, multis Aug. ſer.30.
locis ſcripturarum apparet, quod perſonam de Diuer.
geſtet Eccleſiæ; maximè illo in loco, vbi dictum eſt, Tibi dabo claues regni cęlorum. Nunquid iſtas claues Petrus accepit, & Paulus non accepit? Petrus accepit, & Ioannes, & Iacobus non accepit, & cæteri Apoſtoli? Ambroſius; Quod Petro dicitur, cæteris Apo- Ambroſ. in
ſtolis dicitur; Tibi dabo claues, &c. non po- Pſal.38.
teſtatem vſurpamus, ſed ſeruimus imperio. Iem; Impoſſibile videbatur per pœnitentiam id. de pœn.
peccata dimitti: conceſſit hoc Chriſtus Apo- lib.2.cap.2.
ſtolis ſuis, quod ab Apoſtolis ad ſacerdotum officia tranſmiſſum eſt, Leo Pontifex Roma- Leo ſer.3.
nus tractans illa Chriſti verba, Tibi dabo cla- de ann. ſuæ
ues, &c. Tranſiuit, inquit, in alios Apoſtolos Aſſumpt.
vis poteſtatis iſtius: & ad omnes Eccleſiæ principes decreti huius conſtitutio commeauit. Theophylactus; Licèt ad Petrum tan- Theoph. in
tùm, inquit, dictum ſit illud, Tibi dabo; ta- Matth.c.16.
men omnibus Apoſtolis olim datum eſt, quando

N

Euthym. in Matth.c.23. Beda in Matth.c.16. Cathena The. in Matth.

do dixit, quorum remiſeritis, &c. Euthymius, Tibi dabo clanes, &c. Atqui donum hoc cæterorum fuit Apoſtolorum. Beda; Quodcunque ligaueris, &c. Hæc poteſtas, inquit, ſine dubio, cunctis datur Apoſtolis, quibus ab eo poſt reſurrectionem dicitur generaliter; Accipite Spiritum ſanctum, &c. Rabanus, Hæc autem ligandi, atque ſoluendi poteſtas, qnamuis ſoli Petro data videatur à Domino, tamen, & cæteris Apoſtolis datur, nec non etiam nunc in Epiſcopis, & Presbyteris, omni Eccleſiæ. Lyranus, Non ſolùm pro te dabo claues, ſed etiam pro alijs. Sicut enim confeſſio Petri erat confeſſio aliorum, ita poteſtas hæc data Petro, intelligatur dari alijs, licèt Petro principaliùs, (aduerte principaliùs) in quantum erat aliorum Capitaneus. Synodus Lemouicenſis, ante ſexingentos fermè annos, ita habet; Vt ſicut Dominus Beato Petro, & huic Beato Martiali, ad cuius ſacratiſſimum corpus aſſiſtimus, cæteriſque Apoſtolis virtutem, atque poteſtatem ligandi, atque ſoluendi tribuere dignatus eſt, ita, &c.] Hi igitur Patres, vt eſt ſuprà à nobis oſtenſum, Petri primatum, præſtantiam, & excellentiam in ædificatione Eccleſiæ, ac clauium quoque miniſterio tuentur, prædicant, illuſtrant.

Lyran in Matth. c.16.

Apud. Bar. tom.11.ann. 1034 nu,11.

Itaque æqualitas iſta, quæ nobis obijcitur, primatum, præſtantiam, & excellentiam Petri non tollit funditùs, vt ſibi perſuaſum voluit Spalatenſis. Non grauabor retexere argumentum Hieronymi, quòd perilluſtris ſit locus, & vt monui, ad hanc controuerſiam dirimendam accommodatiſſimus, *At dicis*, inquit, *ſuper Petrum fundatur Eccleſia, licèt idipſum in alio loco ſuper omnes Apoſtolos fiat, & cuncti claues regni cælorum accipiant, vt ex æquo ſuper eos Eccleſiæ fortitudo ſolidetur, tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite conſtituto, ſchiſmatis tollatur occaſio*. Vides Marce Antoni, nam etiam decies repetita tibi placent, Hieronymum pro æqualitate Apoſtolorum, contrà Iouinianum infeſtis ſignis depugnantem, in noſtra tamen ſententia acquieſcere, ac primatum Petri, capitiſque dignitatem ſuo etiam calculo probare. Quid tibi igitur mentis ſit, & Concilij, cùm hæc ſecum pugnare homo clamoſus, & importunus, tam imprudenter aſſeueras? Coronidis vice ſplendido mendacio ſuos beauit aduerſarius.

Hier lib 1. adu. Iouin.

Cùm enim incidiſſet in Concilium Colonienſe ad annum Domini 1549. ac ex eo probaſſet, non ad ſolùm Petrum pertinere promiſſionem clauium, hoc addidit de ſuo. *Illius Concilij Patres primatum Petri ſuprà alios Apoſtolos non agnoſcebant, & conſequenter illi monarchiam Petri certè hoc loco non admittebant*. Atqui ſi primatum Petri non agnoſcebant: quorsùm igitur conſpirantibus votis omnia Eccleſiæ Romanæ dogmata ſeruanda conſtituerunt? Quorsùm ad ſedem Apoſtolicam remittendos Apoſtatas, duxerunt? Audi ſaluberrimum decretum: *Similiter requirimus*, inquiunt Patres illi Colonienſes, *& paterno affectu monemus Monachos, & ſanctimoniales, Apoſtatas Sacerdotes ſui ordinis, & diſciplinæ deſertores, Clericos, & Laicos, eoſque omnes, qui communione ſchiſmatica, aut prauorum dogmatum contagione, per hanc tempeſtatem, ſe ab vnitate Eccleſiæ Catholicæ, extrà quam non eſt ſalus, ſepararunt, & hæreſi, ſchiſmateque omni abiurato, abſolutionem, & reconciliationem à Sede Apoſtolica, vel eis, quibus hoc munus delegatum eſt, petant, ſtudeantque deinceps in vnitate communionis, & fidei cum Eccleſia ſancta Catholica permanere*. An hæc ſchiſmaticorum vox eſt? Sed annon Petri ſedem, ac prærogatiuas, venerantium hæc ad Calcem Concilij verba ſint? *Ea verò quæ hic conſtituta ſunt iudicio ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, & Oecumenici Concilij, vt omnia noſtra reuerenter ſubmittimus*.

Conc. Colon. vbi de 6. medio reform.

De abiuranda hæreſi.

Nihil eſt igitur, tum in recentiorum, tum in vetuſtiorum ſcriptis, quod primatui Petri officiat, aut eius poteſtatem imminuat. Sed fortiſſimè omnium noſtram ſententiam propugnant Optatus, & Leo, quos propterea immaniter torquet aduerſarius. [His tamen, inquit, contrarius videtur vir, & antiquitate, & auctoritate in Eccleſia ſatis celebris, Optatus Mileuitanus; dum ait: Bono vnitatis, B.Petrus (cui ſatis erat, ſi poſtquam negauit, ſolam veniam conſequeretur,) & præferri omnibus Apoſtolis meruit, & claues regni cœlorum communicandas cæteris, ſolus accepit. Quæ ſanè verba prima fronte viderentur contrà ſenſum omnium, quos modò recenſuimus Patrum aſſerere, ſolùm Petrum claues à Domino accepiſſe, quas ipſe Petrus poſteà alijs Apoſtolis communicaret. Quoniam tamen ſenſus hic in antiqua Eccleſia eſt intolerabilis; & nullum, imò omninò contrarium habens in Euangelio, & ſacra Scriptura fundamentum; remouendæ ſunt ab eo Catholicæ mentes; neque putandum eſt tantum virum tanti momenti veritatem ignoraſſe, ac neſciſſe, claues à Domino immediatè non Petrum modò, ſed etiam omnes Apoſtolos habuiſſe. Itaque Optatus nihil aliud voluit, quàm quod inſignis Aphricæ magiſter, non multò antè ipſum Optatum Aphrum ſimiliter, docuerat Cyprianus, nimirùm, propter vnitatis myſterium, Petrum Apoſtolis prælatum in eo, quòd ipſe Petrus, & non alij à Chriſto pro vnitatis myſterio fuerit aſſumptus, prout infra declarabimus: Et claues regni cœlorum ſolus acceperit: hoc eſt, quòd ipſi per ſe ſeorſim primo ſoli promiſſæ fuerint, & poſtea etiam ſeorſim ſoli traditæ videantur verbis illis, Paſce oues meas: ſed hoc non excludit alios Apoſtolos, quin & ipſis omnibus tum promiſſæ, tum collatæ à Chriſto fuerint: Et quod dicit hic autor, Petrum claues accepiſſe cæteris communicandas, non eſt ſenſus, à Petro communicandas; ſed Petrum accepiſſe illas claues, quæ nihilominùs erant cæteris quoque Apoſtolis communicandæ; putà à Chriſto Domino.] Sed ſumma impudentia dici, ſententiam Optati [eſſe intolerabilem, & nullum, imò contrarium habere in Euangelio, & Scriptura ſacra fundamentum, locus Gregorij Nyſſeni oſtendit, Nihil, inquit, falſi, aut mendacij ſcriptum eſt in Euangelijs, neque Chriſti prædictio exitum fallacem habet. Per Petrum Epiſcopis dedit clauem cœleſtium bonorum.]

Spalat. Num 5.

Optat. contrà Parm. lib.3.

Greg. Niſſ. de caſtigatione.

De Cypriano egimus ſuprà, ac ab eo fruſtrà quæſijſſe præſidium Spalatenſem oſtendimus. Leo præterea, inquit Spalatenſis, videtur contraria tradidiſſe, cùm dixit, Manet

Spalat. Num. 6. Leo ſerm.3. in anniu.

ergo

ſuæ aſſump. & ſer. 2. de nat. Apoſt. Pet. & Paul.

ergo Petri priuilegium, vbicumque ex ipſius fertur æquitate iudicium; nec nimia eſt vel ſeueritas, vel remiſſio, vbi nil erit ligatum, nihil ſolutum, niſi quod Beatus Petrus, aut ſoluerit, aut ligauerit. Videtur itaque innuere Leo, ſolum Petrum claues accepiſſe; ſiquidem nihil, aut ligatum, aut ſolutum affirmat, niſi quod Petrus, aut ſoluerit, aut ligauerit. Sed certè contrarium potiùs ſenſum ex his Leonis verbis mihi videor poſſe elicere: nam nomen Petri hoc loco myſticè à Leone ſumi non eſt dubium; nimirùm, vt Petrus ſignificaret prælatum quemcunque, qui ex æquitate, & cum ſumma iuſtitia, inſtar Petri, clauibus vtatur. Vt nihil ſit, aut ligatum, aut ſolutum; niſi vbi cum magna æquitate eo modo fertur iudicium, quo à ſanctiſſimo Petro Apoſtolo eſſet ferendum. Potiùs ergo ſupponit penès quencumque prælatum claues eſſe, ſicuti erant penès quencunque Apoſtolorum: in hoc ipſomet Leone ſuprà etiam num. 4. conſentiente.] Sed hæc ſunt dormientis inſomnia.

Propriè enim non ſymbolicòs Petrum intellexiſſe, Leonem, argumento eſt, quod priuilegium Petri vocat, & præterea ſexcentis alijs locis euincitur in noſtra fuiſſe ſententia, ac Petro cum ſumma capitis dignitate tradidiſſe claues Chriſtum, docuiſſe. Quid enim ſibi iſta volunt; [Tranſiuit quidem, inquit, etiam in alios Apoſtolos vis poteſtatis illius, & ad omnes Eccleſiæ principes decreti huius conſtitutio commeauit: ſed non fruſtrà vni commendatur, quod omnibus intimetur. Petro enim, ideò hoc ſingulariter creditur, quia cunctis Eccleſiæ rectoribus Petri forma præponitur. Manet ergo Petri priuilegium, vbicumque ex ipſius fertur æquitate iudicium. Nec nimia, vel ſeueritas, vel remiſſio, vbi nihil erit ligatum, nihil ſolutum, niſi quod B. Petrus, aut ſoluerit, aut ligauerit.] Quod attinet verò ad Caietanum, non erat, cur in eo vexando, ac refellendo operam poneret homo, vt videtur mirè otioſus: Sapientiſſimè cenſuit Cardinalis Bellarminus, Caietani doctrinam, quæ munus ligandi, & ſoluẽdi à clauibus diſtinguat, & ſecernat, ſubtiliorem eſſe, quàm veriorem. [*Inauditum eſt enim*, inquit ille, *in Eccleſia eſſe alias claues, quàm ordinis, & iuriſdictionis, & planus ſenſus illorum verborum, Tibi dabo claues, Et, Quodcunque ſolueris ſuper terram, &c. eſt iſte, vt primò promittatur auctoritas, ſeu poteſtas deſignata per claues; deindè vt actiones, ſiue officium explicetur per illa vocabula, ſoluere, & ligare, ita vt omninò ſit idem ſoluere, ac aperire, ligare, & claudere, &c.*

Leo ſerm. 3. de die anniuerſ. aſſump ſuæ.

Num. 7. 8. 9.

Bellar. lib. 1. de Roman. Pont. c. 12.

At hìc Bellarminum interpellat aduerſarius, & ei diem dicit, quòd cùm ſenſiſſet aduerſus Caietanum, [nihil eſſe in metaphora clauium, quod non ſufficienter per actus ligandi, & ſoluendi explicaretur;] Poſteà tamen in clauibus, [forſim à poteſtate ligandi, & ſoluendi principatum Petri conetur expiſcari, velitque metaphoram ipſam clauium hunc principatum redolere.] Falleris, mi Antoni, cùm eſt clauium metaphora ad aſſerendum Petri principatum vſus Cardinalis Bellarminus, nõ claues à ligandi, & ſoluendi munere ſeiunxit, ſed eminentiori, ac excellentiori quodam dicendi genere ornatum hoc munus ligandi, & ſoluendi, cùm in Petrum conferretur à Chriſto, & doctiſſimè, & prudentiſſimè aduertit. Namque metaphora clauium, quàm ſoluendi, & ligandi vocabulum, illuſtrior eſt, & ornatior, quod vt plurimùm in Scripturis ad ſignificandam ſummam quandam dignitatem aſſumatur.

Spalat. Num. 10. Bellarm. de Rom. Pont. lib. 1. c. 13.

Certè non deſunt viri doctiſſimi, & in his Maldonatus, acerrimo vir ingenio, & iudicio, qui metaphoram clauium arbitrentur ad vnum, ac vnicum Petrum propriè pertinere, cùm ad eum vnum, & vnicum intendiſſe Chriſtum, tam ſingularis allocutio comprobare videatur, *Et tibi dabo claues regni cælorum*. Quis enim hìc alium, quàm vnum cogitauerit Petrum? Vult autem Maldonatus, promiſſarum clauium munus in vnum, etiam Petrum, collatum his verbis ad eum ſolum dictis, *Paſce oues meas*. Illam verò exhibitionem poteſtatis remittendorum, aut retinendorum peccatorum, de qua Ioannis 20. reſpondere contendit, non promiſſioni factæ Petro his verbis, *Tibi dabo claues*, ſed promiſſioni factæ omnibus in vniuerſum Apoſtolis, *Quecumque ligaueritis ſuper terram*.

Maldon ad c. 16. Matth. Spalat. Num. 13.

Sententia eſt Eulogij apud Photium c. 280. Matth. 16. Non de eadem omninò poteſtate ſermonem eſſe, atque Matt. 18. & Ioan 20. ſed Matt. 16. agi de ſingulari quadam poteſtate, tum primùm ſoli Petro promiſſa.

Quamquam autem à magnis illis Eccleſiæ columnis ægrè auelli me patior, Auguſtino, Hieronymo, Ambroſio, Chryſoſtomo, qui claues Petro promiſſas, etiam reliquis Apoſtolis traditas conſtantiſſimè docuerunt; Obſeruo tamen eoſdem Patres, cùm in Petro claues accepiſſe Apoſtolos, cùm Petrum figuram geſſiſſe Eccleſiæ, cùm etiam per Petrum accepiſſe Epiſcopos prædicent, clariſſimè oſtendiſſe ſuam eſſe ſententiam, Petrum præſtantiori quodam iure eas à Chriſto conſecutum, vt ſcilicet caput Eccleſiæ ſignificaretur.

Maldonati opinio.

Quare Sycophantam agit Spalatenſis, qui, quòd Maldonatus ſuam illam interpoſuiſſet interpretationem, qua in metaphora clauium aliquid ineſſe, quod in poteſtate ligandi, ac ſoluendi non ineſſet, contendit, exclamandum ſibi duxerit ipſum, *Primatus Petri noſtro ſæculo auctorem habendum*. Quod os, quos oculos, imo quid hominis ſimile habeat, qui tam præfidenter mentiatur? Exiſtimauit quidem Maldonatus ſe veram interpretationem inueniſſe, ac ſuam ſententiam firmauit auctoritate Scripturæ, ſed neque Patribus obtrectauit, cùm & ipſe claues quoque habuiſſe Apoſtolos doceat, neque firmamentum, aut præſidium cauſæ, quam defendit, in vna illa ſua interpretatione poſuit; quare furori hactenùs indulſiſse mihi videtur declamator, qui etiam in hæc verba prorupeṙit, O *præclarum primatum, quem numquam Eccleſia Catholica in clauibus Petri agnouerit*. Atqui, quæ ipſe initio ex Patribus retulit hunc primatum omninò probant, vt oſtendimus; Et facilè probarim inficias non iiſse Spalatenſem. Siquidem faſsus eſt vni perſonæ Petri dictum, *Tibi dabo claues regni cælorum*. Explicet igitur nobis, quid illa perſona accepeṙit? Si reſpondeat, idem accepiſse, quod reliqui acceperunt; vrgeo, igitur fruſtrà Chriſtum Petrum priuatim alloquutum: Certè vix, ac ne vix quidem in animum induxerit ſanæ mentis homo, Chriſtum tot, vt ita dicam, cæremonijs circa Petrum vſum, vt efficeret nihil. Quid igitur ſibi volebat ſplendor iſte verborum, *Et tibi dabo claues regni cælorum*? Num. 13. Matth. 16.

lorum? Sanè quoties Scriptura vtitur metaphora clauium, ſignificat poteſtatem, non quamlibet, ſed eximiam quandam, ac ſingularem. Itaque cùm apud Eſaiam vellet Deus ſignificare daturum ſe eſse Eliacim ſummam

Eſa. cap.22.

auctoritatem in aula regia, dixit, *Dabo clauem Domus Dauid ſuper humerum eius, & aperiet, & non erit, qui claudat, & claudet, & non erit, qui aperiat*. Hoc enim de eximia quadam, & ſingulari auctoritate Scriptura interpretata eſt, vt ſtatim indicabimus. Et apud

Luc. 11.

Lucam Chriſtus, *Veh vobis legis-peritis, qui tuliſtis clauem ſcientiæ, idest; qui vobis* arrogatis ſummam auctoritatem interpretandi Scripturam. Et in Apocalypſi, vt Chriſtus indicaret ſe vnum habere poteſtatem vitæ, ac mortis, & occidere poſſe, & ad vitam reuocare, dixit ſe habere *clauem vitæ, & mortis*, ideſt, vtriuſque ſummam poteſtatem, & imperium. Et rursùs, vt indicaret ſe eſſe omnium maximum in regno Dauid, dixit ſe habere *clauem domus Dauid*. Ergo pari ratione hoc loco, cùm ſit Petro dictum à Chriſto, *Tibi dabo claues regni cælorum*, eximia quoque, ac ſingularis aliqua poteſtas Petro conceſſa eſt. Atque, vt intelligas, parem omninò non fuiſſe Apoſtolis conceſſam, lege, ac reuolue Euangelia, nuſquam inuenies Dominum, cùm poteſtatem retinendorum, aut dimittendorum peccatorum Apoſtolis in vniuerſum impertiretur, eadem metaphora aliquando eſſe vſum.

Spalat. Num. 11.

At hìc Bellarminum mordet Spalatenſis, quòd Eliacim ſummum Pontificem, qui in locum Sobnæ præfecti templi, ac Cardinalis iudicio in ſummi Pontificis locum ſucceſſerit, faciat, cùm tamen is Sobna non ſummus Pontifex, ſed theſaurorum templi cuſtos omninò fuerit; ſed ſi quid hìc erratum eſt à Cardinali, induxit eum in errorem Hieronymus,

Hier. l. 5. in Iſa. c. 22.

quæ, quòd in Sobna meminiſſet Scriptura coronæ Pontificis, & ſanctificationis in auri lamina, eiuſque Pontificatum ad Chriſtum ipſum retuliſſet, ac ſcripſiſſet, *Chriſtum poſſediſſe in ſpiritu, quod ille in terra habuiſſet*, putauit omninò Hieronymi ſententia, Sobnam, in cuius locum ſucceſſit Eliacim, ſummum Pontificem fuiſſe: Quamquam ipſe Hieronymus ex 70. interpretatione, qui *tamian* illum vocarint, eum Quæſtorem, & Diſpenſatorem Theſaurorum fuiſſe, non potuerit neſcijſſe. Quicquid autem ſit de Hieronymi ſententia, planum eſt eò loci, per clauem Dauid eximiam quandam, & ſingularem poteſtatem ſignificari. Ita enim Deus minatur Sobnæ, *In die illa vocabo ſeruum meum Eliacim filium Elkiæ, & induam illum tunica tua, & cingulo tuo confortabo eum, & poteſtatem tuam dabo in manu eius, & erit quaſi pater habitantibus Iuda, & domui Hieruſalem, & dabo clauem domus Dauid ſuper humerum eius*. Hoc idem eſt, ac ſi

Brent. ad cap. 22. Eſa.

dixiſſet, inquit Brentius. *Eliacim tanta erit auctoritate, & poteſtate in regia aula ſucceſſorum Dauid præditus, vt quod ipſe iuſſerit, nemo retractet, & quod ipſe vetuerit, nemo iubeat*. Hoc Marcus Antonius concedat Petro in domo Chriſti, afferat Pontifici, & belli exitus, ac finis erit. Quæ autem aggerit, & coaceruat, vt mole argumentorum premat Bellarminum, adeò aliena ſunt ab hoc inſtituto, vt in his non ducam tempus terendum, ſatis eſt, quòd audaciæ eum armis ſpoliauerimus, effecerimuſque, vt niſi planè deſipiat, illi fatendum ſit in metaphora clauium notas ineſse eximię cuiuſdam dignitatis, vt proindè Petro aliquid illi concedendum ſit, quo reliqui Apoſtoli non ſint potiti. Id nimirùm eſt ſummum in vniuerſam Eccleſiam imperium, quod titulo Capitis eſt conſequutus. Hoc ſenſu rectè aduertit Bellarminus, cùm dictum eſt Petro generalitèr: *Quicquid ſolueris, poteſtatem præcipiendi, puniendi, diſpenſandi, & omnia pro dignitate capitis agendi, adeòque ſummam eius in Eccleſiam poteſtatem deſignatam*: Scilicèt quòd his poſtremis verbis actus, & officia clauium, quarum metaphora eſset ea dignitas expreſſa, interpretatum Chriſtum meritò cenſuerit. Num. 11.

Sed vrget Spalatenſis, [Nulla verba generaliora dicta Petro, quàm Apoſtolis, cum his dictum ſit, quæcumque alligaueritis, & ſolueritis, illi etiam haud ſecùs, quodque ſolueris, quodcumque ligaueris.] Oſtendat igitur illis prioribus adiunctam metaphoram clauium, quæ imperium ſummum, & auctoritatem eximiam deſignet, dabimuſque non inuiti manus; ſed cum ſolis his poſterioribus ſit addita, & inſerta, reſtat ei ratio metaphoræ, qua argumentum ex conſequenti nititur, refellenda.

Iam verò ſi factis, quæ ille in hanc diſpu- Spalat. Num. 12.
tationem inducit, ſtandum eſt, nos plura in ſecuturis capitibus afferemus, ex quibus liceat colligere primatum inter Apoſtolos obtinuiſſe, adeòque exercuiſse Petrum. Docuerint igitur populos alij, & in hoc labore ſuſcipiendo præſtantiorem operam poſuerit Paulus; ligarint, & ſoluerint reliqui; Iacobus extremæ vnctionis Sacramentum publicarit: Hæc ſuprà Apoſtolatus dignitatem, & auctoritatem non ſunt, quam in alijs parem agnoſcimus. At Petrus ſe caput Eccleſiæ præbuit, alijs ſexcentis argumentis, quæ ſuo loco examinabuntur.

Proindè ſi, quod habet Spalatenſis, [effectus ipſi ſunt nobis regula certa, & firmum documentum,] procuidubiò palmam alijs præripuit Petrus, vt oſtendetur. Sed Patronorum inopia Bellarminum laboraſse clamat Spalatenſis, quòd Chryſoſtomum, & Gregorium ſolos protulerit.. At certè potuit hoc prætetuolaſse Spalatenſis, non enim, quòd eum, ea præſidia deficerent, hos tam paucos teſtes extulit, ſed quòd, præterquam eorum teſtimonia alio loco protuliſset in re non valdè dubia multitudine opus non haberet. Atqui Chryſoſtomum Bellarmino eripuiſse ſe gloriatur homo vaniſſimus; nos tamen ſuprà eum totum Eccleſiæ Catholicæ aſseruimus, ac vindicauimus.

Gregorij etiam teſtimonium infringere
conatur, [Non enim ſatis habemus, inquit, Spalat. Num. 13.
quòd Gregorius dicat, Petro totius Eccleſiæ curam eſse commiſsam illis verbis, Tibi dabo claues regni cœlorum, &c. niſi exponatur, vbi, quando, & quomodo data fuerit cura iſthæc ſoli Petro; & tollatur difficultas illa, cur etiam alijs Apoſtolis nihilò ſeciùs, quàm Petro claues traditæ fuerint; Cùm præſertim etiam Gregorius dicat quidem, Petro totius Eccleſiæ curam eſse commiſsam; non tamen dicat ſoli Petro; verumque ſit, totius Eccleſiæ curam, & ſanè præcipuam, Petro maximè omnium duodecim Apoſtolorum eſse commiſ-

miſsam, ſed tamen eandem totius Eccleſiæ curam cæteris etiam Apoſtolis ſimul cum Petro in ſolidum æquè commiſsam non dubitamus: Et hoc Gregorij dictis non repugnat.]

Quaſi verò non ſit centies ei dictum, eam curam Eccleſiæ Petro poſt reſurrectionem omninò demandatam, cùm ei dixit Chriſtus,
Spalat. Num. 14. cap. 16. *Paſce oues meas, Paſce agnos meos.* Ipſe certè Maldonatus, cuius hic pios Manes ſollicitat, eo maximè loco nititur, vt oſtendat ſtetiſſe promiſſis Chriſtum, atque quod erat pollicitus apud Matthæum impleſſe.

Hic iam totam cauſam lacerat Spalatenſis, atque in fruſtrà concidit, ſed mirè inconſtans eſt. Catholicos vexat, Bellarminum, Turrecrematam, [quòd Petrum, cæteris ſpectantibus Apoſtolis, vnum audiſſe à Chriſto, Tibi dabo claues regni cœlorum] prædicarint, ex quo etiam colligant [vni ei promiſſas fuiſſe, ac ſtatim ſui oblitus, ſe eis hac qui-
Spalat. Num. 15. dem in parte annumerat. [Nos verò, inquit, ſicut libentèr fatemur, Petro ſoli, & promiſſas eſſe claues ſeorſim (& ſi vis, etiam datas ſeorſim, atque ſingularitèr, non repugno) quas cum omnibus ſimul, & in ſolidum iam acceperat, vt meliùs adhuc ſequenti capite declarabimus, &c.] Fatetur ergo Petro ſeorſim, & promiſſas, & datas. Atqui hoc eſt, quod contendimus.

Quæro enim abs te Spalatenſis, ſi nihil peculiare, aut eximium eſt tributum Petro, cùm ei eſt ſeorſim dictum, *Tibi dabo claues regni cœlorum*, quid attinuit, eum ſeorſim conueniſſe, alloquutum fuiſſe, tantis promiſſis oneraſſe? An luſiſſe illi videtur Chriſtus, aut præſtigijs egiſſe, qui magno apparatu nihil eximium ſit molitus?

Num 15. Iam verò ſi præ reliquis non eſt amplificata Petri gloria, ſi nihil conſecutus eſt, quod illi cum reliquis commune non ſit, cur tam multa circa illius perſonam priuatam acta ſunt? Sed, inquit, Auguſtinus docet, *verba Petro dicta illuſtrem ſenſum non habere, niſi ad Eccleſiam referantur.* Reſpondimus ſuprà per illuſtrem intellectum Auguſtinum intellexiſſe ſenſum allegoricum, qui hiſtoricum non euertat, ſed illuſtret. Atque prætereà eodem loco docet Auguſtinus, eius illuſtrioris ſenſus fundamentum eſſe *primatum Petri*, ob quem *geſſerit figurata generalitate Eccleſiæ perſonam*, nimirùm quomodo Imperator, Rex, Magiſtratus, Patresfamilias, ſubditorum, ac domeſticorum ſuſtinent perſonas, ſed minimum videt in Auguſtino aduerſarius. Oſtendam certè in ſequentibus, totum eſſe Auguſtinum in aſſerendo primatu, & principatu Petri.

Videtur autem veluti à febre conualuiſſe
Spalat. Spalatenſis. Agnoſcit enim iam ſingulare
Num. 16. quiddam in Chriſti actione ineſſe, quod ad vnum Petrum proximè ſpectet, quia inquit, [Otioſam profectò Chriſti hanc actionem,
Num. 17. ſine blaſphemia (hoc ſcilicèt eſt, quod monebamus) nemo dixerit.] Sed dilucidiora hęc interualla minimum durant. [Illud, inquit, ad ſummum dumtaxat videtur externis viſibus elucere, nimirùm Petro, tamquam Apoſtolorum duodecim primo, & præcipuè commendari Eccleſiæ gubernationem. Sicuti ſi vineæ alicuius Dominus mitteret plures operarios in vineam ſuam ad operandum, eamque omnibus commendaret in ſolidum, vni tamen, cui, vel maximè fideret, quemque agnoſceret officioſum ſuprà omnes, & induſtrium, ac indefeſſum, ſeorſim diceret: Commendo tibi vineam meam; hoc profectò non eſſet illum principem ſuper omnes conſtituere, vbi vult ille Dominus omnes in ſolidum culturæ illius vineæ applicare: neque ille proptereà diceretur ab hoc Domino accepiſſe in illos colonos, & in totam vineam vllam iuriſdictionem, cùm nihil aliud, & ipſe ſit, niſi vnus ex colonis, quamuis præcipuus, vt fuſiùs infrà explicabo.] Sed quàm illiberalis es mi Antoni, qui magnum Pontificem Apoſtolorum caput, cœli Ianitorem, in ordinem Colonorum citrà vllius dignitatis acceſſionem impudentiſſimè cogas? Fateor Colonus eſt, ſed vineæ Sorech, vineæ electæ, cuius eum Rectorem præcipuum cum Leone agnoſcunt ſexcenti Patres, qui Concilium Orthodoxum, & Oecumenicum Chalcedonenſe clauſerunt. Audi magnos Patres audaciam tuam in nouo Iuda Dioſcoro deteſtantes, ac damnantes. *Poſt hæc omnia*, inquiunt de Dioſcoro, *inſuper, & contrà ipſum, cui vineæ cuſtodia à Saluatore commiſſa eſt, extendit inſaniam, ideſt, contrà tuam quoque Apoſtolicam ſanctitatem; & excommunicationem meditatus eſt contrà te, qui corpus Eccleſiæ vnire feſtinas, & dum de talibus pœnitere eum potiùs oporteret, dum deberet miſericordiam lachrymis poſtulare, tamquam de bonis (malè ſobriùs) exultabat, Epiſtolam quidem tuæ reſpuens ſanctitatis, omnibus verò dogmatibus veritatis aduerſans.* Igitur iam præſtet, quod ſe facere velle hoc loco proteſtatur. *Habemus*, inquit, *illam, quæ eſt columna veritatis, & firmamentum à Spiritu ſancto illuminatam, & per ſanctiſſimos doctores inſtructam, eam ſequamur: & ex fontibus illis ſanam doctrinam, & diuinæ Scripturæ interpretationem bibamus, qui limpidiſſimè fluentes, ipſam Eccleſiam lepidiſſimè irrigarunt: Riuuli vt plurimùm impuri fluunt. Quæramus ex Cypriano, Hieronymo, Auguſtino, & ſimilibus, quid ipſi in eo cognouerint myſterij, & ſanæ doctrinæ, noſtræque inſtructionis contineri, quod Chriſtus voluerit ſeorſim Petrum alloqui, eique ſingularitèr claues, & promittere, & conſignare, quas tamen omnibus Apoſtolis eſſet æquè traditurus. Interroga Patrem tuum, & annunciabit tibi, maiores tuos, & dicent tibi.*

Cap. 8 ſequenti n. 12.

Conc. Chalc. par. 3. in relatione Synodi ad Leonem Papã.

1. Tim. 3.

Deut. 32.

Itaque ad magnam illam Elicem, ad claros illos Septentriones oculos conuertat, tutus nauigabit. Atqui veluti nubem cogit, vt eos obſcuret, & opprimat. Cypriano primùm vim affert, ac ſuprà oſtendimus ſanctiſſimum Patrem in noſtra eſſe ſententia, à qua eum remouere, in caſſum laboret. Vnam ille ſtatuit Eccleſiam, vnitatis illius caput, exordium, & originem facit Petrum: *Super vnum illum*, inquit, *ædificat Chriſtus Eccleſiam ſuam, & illi paſcendas mandat oues ſuas*: Et non vult Spalatenſis pro paſtore ordinario Eccleſiæ eum, Petrum habuiſſe? Doceat igitur, hoc enim illi faciendum ſit, Cyprianum vnum aliquem, aliorum Apoſtolorum agnouiſſe eiuſdem vnitatis fontem, exordium, & caput, & parem eum hac dignitate cum Petro feciſſe, non ægrè fatebimur.

Cypr. de vnit. Eccl.

Hic autem ſtatuendum eſt illi, quod etiam aduertit Bellarminus, non intellexiſſe Cyprianum priùs ordine temporis hanc poteſtatem datam eſſe vni Petro, quàm cæteris, vt

Bellarmin. vbi ſuprà.

vt per illum monſtraretur vnitas Eccleſiæ, ſed cœpiſse Eccleſiam in vno Petro, eamquam in fundamento, ac capite, vt ex eo, quòd Eccleſia haberet vnum fundamentum, & vnum caput, vna tantum eſse probaretur, ſicut vna domus dicitur ab vno fundamento, & vnum corpus ab vno capite. Ipſe certè funditùs tollit eum primatum temporis, cùm Eccleſiam eſse vnam cenſet, eò modò, quo omnes radij ſolis dicuntur vnum lumen, quia ab vno ſole manant, & multi riui vna aqua, qui ab vno fonte deriuantur, & multi rami vna arbor, quia ab vna radice pullulant, nimirùm inſanus ſit, qui hanc vnitatem radiorum, ramorum, riuorum ab ordine temporis deſumendam, ac repetendam duxerat. Vnus ſol, vna radix, vnus fons, hanc aſtruit. Quod attinet ad conſortium honoris, & poteſtatis, pertinet illud ad auctoritatem intrinſecam Apoſtolatus, qua omninò pares fuiſſe Apoſtolos, centies diximus, ſed externæ, & accidentariæ dignitatis ſplendorem non obſcurat, vt Hieronymus, qui contrà Iouinianum clariſſimis verbis, & quibus tenebras offundere non poſſit aduerſarius, eſt Cyprianum rectiſſimè interpretatus. Itaque in ſumma illa ęqualitate Apoſtolatus, diſcretionem fuiſſe auctoritatis in adminiſtranda, & regenda Eccleſia, Patrum, & noſtra quoque eſt ſententia. Non prætermittam, quin ſplendidum hìc annotem mendacium Spalatenſis in verſando loco Cypriani.

Spalat. Num. 18. Quòd enim quædam editiones haberent hæc verba [Primatus Petro datur &c.] quæ in alijs non appareant, pronunciat [Pamelium Aldo grammatico nixum ineptè intruſiſſe illa verba, quæ ex aliquo marginali, inquit, ſi dolus malus abfuit in textum aliquem impurum irrepſerunt, quem Aldus in hoc ſciolus purioribus prætulerit. Etiam Cathedram, perſequitur Spalatenſis, neſcio, quam addunt, ſic; Tamen, vt vnitatem manifeſtaret, vnam Cathedram conſtituit. Et multis modis, pro ſuo arbitratu, citant hunc locum, & corrumpunt? Nos verò, addit ille, antiqua lectione firmata, non faciamus, obſecro, vt aliàs monui, magnos viros, & prima Eccleſiæ lumina, ſibi in paucis verbis contradicere; & adiectis additionibus, ea, quæ aſſeruerant, ipſoſmet ſtatim prorſùs deſtruere.]

Iuo de ſubl. ep c. 361. O acutum caſtigatorem! Equidem ſi veteris decreti codices conſuluiſſet, deprehendiſſet Iuonem, illa de *vna Cathedra* verba habere, *Petri vnitatem*, inquit, *qui non tenet, tenere ſe fidem credit? Qui Cathedram Petri, ſuper quam fundata eſt Eccleſia, deſerit, in Eccleſia ſe eſſe confidit?* Sic ex Cypriano Iuo, vt proindè ab Aldi, vel Pamelij manu eſſe non poſſint illa verba.

Cypr. epiſt. 40. aliàs lib. 1. epiſt. 8. Sed numquid non Cypriani eſt illa aſſertio de vna Cathedra? *Deus*, inquit, *vnus eſt, & Chriſtus vnus, & vna Eccleſia, & Cathedra vna, ſuper Petrum Domini voce fundata.* Quod ad priora attinet, veterum codicum fide firmantur, quamquam etiam his vſi non ſumus. Neque vero illis opus habemus ad eliciendam mentem Cypriani, qui cùm vnitatem Eccleſiæ vno Petro, ſuper quem fundata ſit Eccleſia, niti aſſeruerit, proculdubiò capitis eum loco habuit, ac eius primatum agnouit.

Perridiculus eſt autem ille à Spalatenſi confictus primatus, vt hanc vnitatem fundaret: [Vnitatis, inquit, originem indè Chriſtus inſtituit, & oſtendit, vbi primùm cum Petro vno cœpit agere de futura Eccleſiæ fundatione, vt Eccleſiæ nimirùm vna indè monſtraretur.] Quid igitur eius ſententia illud ſit, quo illa vnitas monſtretur? quòd nimirùm Petrum vnum ſit alloquutus? Nihil ne igitur eximium circa illum actum ſit? Nihil ne priuatim ſit conſequutus? Ergò ex hac actione, quam tamen totam verſatam in eo ornando, certum ſit, non habet, vndè colligat, vnitatis eum, originem, fontem, & caput conſtitutum eſſe, quod tamen contendit Cyprianus. Nudus enim ſermo, & ad eum nihil pertinens, qui eum caput conſtituerit? Niſi enim valdè fallimur, ea capitis, originis, & exordij ratio, quam veſtigat Cyprianus, aliquid eſt in rerum natura exiſtens, quod proindè fundamento aliquo reali, vt loquuntur, omninò niti debeat? Et vt aduerſarij de triuio ſimilitudinibus vtamur, ſi magnus Paterfamilias dimiſſurus colonos in vineam, vnum aliquem eſſet alloquutus de vineæ præſtantia, de prouentu, de racemis, de ſarmentis, an hoc alloquio Spalatenſi videretur præcipuo aliquo munere impertijſſe, vndè vinitorum vnitas colligeretur? hominis ineptientis ſunt iſta figmenta.

Certè conceptis verbis opus ſit, quibus peculiaris cuiuſcumque dignitatis ratio ſtabiliatur, etſi non ſit expreſſa, in vanum de ea contenderit, quem aliàs vnum ſit alloquutus paterfamilias. Itaque nedum Cyprianus, verùm etiam Auguſtinus, Pacianus, reliquique patres omnes, qui eam vnitatem obſeruant, primum omnium impoſitum Eccleſiæ vnum caput aſſumunt, vndè illa vnitas induceretur, ac firmaretur, apertèque docent, in eo vno eius vnitatis originem actu, ac reipſa reſediſſe, quæ membrorum compagem necteret.

Sed videamus, quibus artibus eos in ſuam ſententiam pertrahere conetur. Infœliciſſimè ſanè Auguſtinum, & Pacianum teſtes accerſit inſani ſui commenti: [Hoc idem myſterium vnitatis in eodem ſenſu, inquit, quo à Cypriano conceptum eſt, in hac Spalat. Num. 19. Chriſti actione, dum cùm ſolo Petro loquitur, & agnouit, & commemorauit Auguſtinus; apud quem iſta legimus: Auguſt. de bapt. contra Donat. l. 3. cap. 17. Nam quod in typo vnitatis Petro Dominus dedit poteſtatem, vt id ſolueretur, quod ille ſoluiſſet, manifeſtum eſt, quòd illa vnitas, etiam vna Columba perfecta ſit dicta. Pacian. p. 13 ad ſym. pr. Et Pacianus Barcinonenſis, ad Petrum, inquit, loquutus eſt Dominus, ad vnum, ideò, vt vnitatem fundaret ex vno, mox id ipſum in commune præcipiens, ſenſus Auguſtini, & Paciani hic eſt; multi erant Apoſtoli eiuſdem officij, & dignitatis, ſed cum vno ſolo res tranſigitur, vt ità in illis multis, licèt multi, & diuerſi eſſent, effectus tamen per omnes inſolidum producendi, qui erat Eccleſiæ fundatio, vnitas appareret.]

Atqui primùm Auguſtinum nobiſcum ſentit, nec enim Petrum typum vnitatis facit, quòd cum eo ſolo ſit Chriſtus loquutus (quæ chimæra eſt in Spalatenſis cerebro nata) ſed quòd ei dederit poteſtatem, vt id ſolueretur, quod ille ſoluiſſet, quæ noſtra eſt ſen-

ten-

tentia, eaque planè vera. Et quod ſcribit Paciannsſid quoque alijs pnſteà maodatum, quod eſſet Petro iniunctum] mirè nobis placet, cùm ex eo habeamus, à Petro, non modò verborum, ſed & poteſtatis in Apoſtolos transfundendæ, & tranſmittendæ initium duxiſſe Chriſtum, vt nimirùm ,ex capitis Eccleſiæ impoſiti vnitate, eiuſdem corporis Eccleſiæ vnitas comprobaretur.

Sed errat, quòd integrum nobis exhiberet Pacianum: *Ad Petrum*, inquit, *locutus eſt Dominus, ideò, vt vnitatem fundaret in vno* (ergò in vno Petro iacta ſunt vnitatis fundamenta) *mox idipſum in commune præcipiens, qualiter tamen ad Petrum incipit? Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper iſtam petram ædificabo Eccleſiam meam*. Ita igitur incæpiſſe Chriſtum à Petro cenſet, vt ſuper eum fundaſſe Eccleſiam ſuam doceat, & ex Euangelio demonſtret.

Hoc modo cum vno rem tranſegit, ideſt peregie, ac perfecit, adeòque totam controuerſiam diremit, ac negotium expediuit, quod non intellexit Spalatenſis. Itaque nihil in negotio vnitatis reliquum erat ad agendum] quòd nimirùm rem abſoluiſſet Chriſtus, Petro capite Eccleſiæ conſtituto, ac declarato.

Spalat. Num. 20. Optat. l. 1. cont. Parm. Idem l. 7.

Sed qnàm ferus eſt Spalatenſis in torquendo Optato, vt craſſi erroris confeſſionem à veritatis doctore vi cormentorum exprimat, ac extorqueat. Vult Orthodoxum Epiſcopum his verbis: [Bono vnitatis, inquit, Beatus Petrus (cui ſatis erat, ſi poſtquam negauit, ſolam veniam conſequeretur) & præferri Apoſtolis omnibus meruit, & claues regni cœlorum communicandas cæteris, ſolus accepit. Bonum vnitatis in hac actione agnouiſſe, & vnitatem Eccleſiæ, quam ad Petrum retulerit, in eo poſuiſſe, quòd Petrus ſua negatione, vel amiſerit Apoſtolatum, vel dignus fuerit, vt loco moueretur, Ex quo vnio illa Collegij Apoſtolici, in quo primus fuerat Petrus, quæque myſterium vnitatis Eccleſiæ iam continebat, fuiſſee diſſoluta: Ne ergo, inquit, talis diſſolutio ſequeretur, ſed idem myſterium perſeueraret, Petrum, vult Optatus, à Chriſto ad ſuum primum inter Apoſtolos locum, illis verbis, Paſce oues meas, reſtitui, & rursùm Apoſtolis omnibus non præfici, ſed præferri.]

Putaſne verò, mi Spalatenſis, intelligis, quæ ſcribis? Vnitatem Eccleſiæ poſuerit vir doctiſſimus in negatione Petri? Atqui tuo iudicio hæc pernicies eſt vnitatis? Rectiùs dixiſſes, in vno Petro vnitatis rationem poſuiſſe, qui cùm excidiſſet ſtatu gratiæ non gradu Apoſtolatus, periculum erat tandem, ne, eo reſciſo, vnitas collaberetur, ac diſſiparetur. Sed perſequamur reliqua. Contendis diſſolutam iri, ſi Petrus in negatione perſtet, & tamen negas ab illo pendere. Redditum illi vis ſuum locum, cum eſt ei dictum, *Paſce oues meas*. Quid? Igitur ante lapſum aliquo loco, eoque eximio erat Petrus inter Apoſtolos, cumque ob admiſſum flagitium dignus eſſet, qui eo excideret, hanc veniam conſecutus eſt, vt loco non moueretur, qui poſſunt iſta intelligi, niſi locus, à quo potuerit meritò remoueri, in rerum natura cenſeatur? Certè ſi aliquod potuit eſſe ſceleris ſupplicium, ea depulſio, qua Petrus ſuo loco motus fuiſſet: Ergo ipſe locus dignitatis erat plenus, vt, quo amiſſo, pœnas negationis luiſſet. Vide in quas anguſtias declinandæ veritatis cauſa te conieceris. At quæ ea dignitas, quis ille locus fuerit, meliùs nos docuerit Optatus, quàm mille Spalatenſes.

Negare non potes, inquit, Parmenianum Donatiſtarum Epiſcopum alloquens, *ſcire te in Vrbe Roma Petro primò Cathedram Epiſcopalem eſſe collatam, in qua ſederit omnium Apoſtolorum caput Petrus, vndè & Cephas appellatus eſt, à qua vna Cathedra vnitas ab omnibus ſeruaretur, ne cæteri Apoſtoli ſingulas ſibi quiſque defenderent, vt iam ſchiſmaticus, & peccator eſſet, qui contra ſingularem Cathedram, alteram collocaret. Ergo Cathedra vnica, quæ eſt prima de dotibus, ſedit prior Petrus*. Tene igitur, Marce Antoni, lateat, quod Parmenianum latere non potuit: ſed rursùs te conuenio, nec ab hoc tuo pronunciato recedo, vis *illi redditum ſuum principatum, cùm eſt ei dictum, Paſce oues meas*: & tamen non ſolùm Euangelium te doceat, iam anteà cõſpicuum ſe feciſſe Petro Chriſtum, & proculdubiò in gradum priſtinum reſtituiſſe, ſed tu ipſe omnem Apoſtolatus dignitatem, poteſtatem, ſplendorem, amplitudinem his verbis, *Sicut miſit me Pater, ità ego mitto vos, Accipite Spiritum ſanctum &c.* in diſcipulos Chriſti effuſam deprædicas? Qui Spiritum ſanctum vnà cum alijs acceperat, qui Apoſtolus cum eximia illa honorum amplificatione renunciatus fuerat, an non erat ſuo loco redditus?

Opt. Mileu. lib 2.

Quid igitur neceſſe fuit, eum poſteà audijſſe, *Paſce oues meas, Paſce agnos meos*, ſi his verbis nullam peculiarem poteſtatem ſit conſecutus, imò ſi nil eſt illi conceſſum, quod illis verbis, *Sicut miſit me Pater*, non fuiſſet cumulatiſſimè ei tributum? Vnitatem ergò etiam iudice Caſaubono, quamquam acerrimo hoſte Petri, in eo ponit Optatus, *quòd vnica eſſet Cathedra ſuper Petrum fundata, ratione originis, & vnitatis*.

Caſ exer. 16 p. 742.

Sed nos vberiùs hac de re poſteà; tantummodò hic audiatur Optatus, & euaneſcent omnes impuriores fumi à deſertore excitati, & inuecti. *Bono vnitatis*, inquit, *Beatus Petrus, cui ſatis erat, ſi poſtquam negauit, ſolam veniam conſequeretur, & præferri Apoſtolis meruit*, non ergo illi omni ex parte, in negotio ſcilicet vnitatis habiti æquales, *& claues regni cœlorum communicandas cæteris ſolus* (nota ſolus) *accepit*. Nihil cogitari poteſt illuſtriùs ad primatum Petri aſſerendum, & ab impugnationibus ſectariorum vindicandum.

Quod autem vrget Spalatenſis [Collegium Apoſtolicum habuiſſe vnitatem, antequam Petrus negaret] id verò eſt, quod nos aſſerimus, quòd ſcilicet iam Petrum caput deſignaſſet Chriſtus, hac tamen lege, vt nonniſi poſt reſurrectionem gubernacula tractaret, propter ſcilicet viuentis, ſpirantis, ac in terris agentis Domini ſui, cui is honos deberetur, præſentiam.

Ita Auguſtinus, *Dicite, & vos, quem me dicitis eſſe? Reſpondens Petrus pro omnibus, pro vnitate vnus, Tu es Chriſtus filius Dei viui. Item · Petrus in Apoſtolorum ordine primus, in Chriſti amore promptiſſimus, ſæpè vnus reſpondet*

Aug. in Pſ. 58.

Id ſer. 13. de verb. Dom.

Digitized by Google

det pro omnibus, Vnus pro omnibus dedit reſponſum, vnitas in multis.

Spalat. Num.2.1 Hier. l. 1. adu. Iouin. Neſcio verò qua fronte Hieronymum proferre auſus ſit Spalatenſis. Hieronimi verba ſunt [At dicis, ſuper Petrum fundatur Eccleſia, licèt idipſum in alio loco ſuper omnes Apoſtolos fiat, & cuncti claues regni cœlorum accipiant, & ex æquo ſuper eos Eccleſiæ fortitudo ſolidetur; tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite conſtituto, ſchiſmatis tollatur occaſio.] Poteſtne aliquid dici, aut etiam animo fingi, quod apertius cauſam Spalatenſis iugulet?

Supra c. 3. n.9. & 10 & cap.6. n.49. huius. Quid igitur ad hæc ille: [Æqualitatem ſummam, inquit, ac perfectam in primis Hieronymus cum Cypriano agnoſcit inter Apoſtolos, qua nihilominus inuiolabili permanente, vnus, inquit, inter duodecim eligitur; nimirùm Chriſtus ipſum Apoſtolicum cœtum voluit ſuum præſidem, & caput habere Petrum, qui ordine, dignitate, honore, & præcedentia omnes anteiret Coapoſtolos, & omnes repræſentaret. Tractando itaque cum ſolo Petro Chriſtus voluit cæteros Apoſtolos intelligere, ipſum Petrum, ſic à ſe aſſumi pro reliquorum Apoſtolorum præſide, & repræſentante, vt ſic capite conſtituto, vnitatis inter ipſos Apoſtolos myſterium intelligeretur; atque ita ſchiſmatis, & diuiſionis tolleretur occaſio. Dum enim cernunt Apoſtoli Chriſtum Dominum cum vno ſolo incipere agere de Eccleſiæ fundatione, tamquam cum primo Apoſtolo, & capite, ac præſide cœterorum, facilè hinc intelligunt, ſe omnes in vnicum corpus eſſe à Chriſto redactos, & propterea iam neque poſſe, neque debere ſe quemquam illorum ab alijs ſeparare, & ſeorſim per ſe, ac independenter ab hoc corpore quicquam in Chriſti miniſterio operari: ſed vnicuique ipſorum, in vnitate huius Collegij Apoſtolici eſſe permanendum, alioquin diuiſionem, & ſchiſma aſſecturos.]

Me hæc verborum portenta terrent, exiſtimoque, nec ipſum Spalatenſem ſcire quid dicat; vult Chriſtum cum Petro, tamquam cum capite, & præſide, qui reliquos repræſentaret, non enim me ab eius recedere verbis diſputatio patitur [ac indè perſpexiſſe reliquos ſe vnum eſſe corpus, quippè, qui caput ſuum, ac præſidem peruiderent, & tamen Petrum præſidem, & caput fuiſſe] audaciſſimè negat. Quid poſſit dici inconſtantius? Fortaſsè conceſſerit caput fuiſſe ordinis, & præſidem quendam, vt vocant honorarium. At præterquam quòd hoc eſt in eodem luto hærere, funditùs tollunt ineptam interpretationem Hieronymi verba [Propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite conſtituto, ſchiſmatis tollatur occaſio.] Quid enim proficeret ad ſchiſmata depellenda honorarij capitis inſtitutio? An non ad ea arcenda auctoritate opus ſit, quæ ius dicat, quæ in ordinem cogat ſeditioſos, ac reluctantes, & immorigeros foras excludat? Cùm ergo Chriſtus longè prouidens, hunc vnum præſidem Eccleſiæ conſtituerit, qui ab eius ceruicibus hanc peſtem depelleret, proculdubiò eum auctoritate muniiſſe credendus eſt, quæ ad id præſtandum neceſſaria foret.

Ead. n.21. Pergit Hieronymus, inquit Spalatenſis. [Sed cur non Ioannes electus eſt Virgo? ætati delatum, quia Petrus ſenior erat; ne adhuc adoleſcens, ac penè puer progreſſæ ætatis hominibus præferretur, & Magiſter bonus, qui occaſionem iurgij debuerat auferre diſcipulis, & qui dixerat eis, Pacem meam do vobis, Pacem meam relinquo vobis, & qui voluerit inter vos maior eſſe, minimus omnium ſit, in adoleſcentem, quem dilexerat, cauſam videretur præbere inuidiæ. Aſſumendus vnus erat, & omnibus duodecim Apoſtolis, qui primum locum inter ipſos obtineret, & præſes, caputque dignitate eſſet in Collegio cæterorum, ac veluti fratrum primogenitus: In hoc, inquit Hieronymus, præfertur Petrus Ioanni, tamquam ſenior Iuniori, & ne erga dilectum occaſio exſurgeret inuidiæ. Præfertur, ait, non ait præficitur; hoc iuriſdictionis eſt, illud tantummodò comparationis; vt ſi quis dicat, aurum præferri argento. Itaque Petrus præfertur, dum præteritis alijs, ipſe à Chriſto aſſumitur, modo explicato, in ſignificationem vnitatis vnius corporis Senatus Apoſtolici. Ad quod munus ſi aſſumptus fuiſſet Ioannes dilectus, & ſic alijs prælatus, facilè potuiſſent cæteri obmurmurare, quare Chriſtus in dando Præſide Senatui Apoſtolico, adoleſcentulum alijs ſenioribus prætuliſſet, & in eum aliqua perturbatione humana nondùm edomita concitari. Quod autem Petrus ad hoc fuerit aſſumptus, vt Præſes eſſet cæterorum, cui nomine omnium, Chriſtus ſoli grauiſſimum negotium fundandæ, & regendæ Eccleſiæ communicaret (quæ erat prærogatiua valdè eminens, ſed perſonalis) alij non ægrè ferebant, ille enim & ætate, & vocatione omnibus antecellebat. Huius hactenùs myſterij hæ de vnitate explicationes ſupponunt omnes, cum ipſamet Petri perſona haberi à Chriſto hanc de clauibus tractationem.]

Paſſim ſe egregium grammatiſtam prodit Spalatenſis. [Præfertur, ait, non præficitur hoc iuriſdictionis eſt, illud comparationis.] Haud ergo bonus latinitatis auctor Cicero, qui auctoritatem in Prouincia conſulari nactum, cæteris omnibus honore antelatum dixerit. Si neſcis, mi Antoni, anteferri etiam de auctoritate vſurpatur, ac latinè dixeris, Gregorium quintum-decimum omnibus Cardinalibus antelatum, cùm ad ſummi Imperij dignitatem eſt meritò ſuo euectus: Si velis, ex eodem fonte fluunt Antelatus, & Prælatus: Sed ſi nihil inerat auctoritatis in eo, quòd eſt Petrus Ioanni antelatus, quid erat, quod præcaueret Chriſtus, ne occaſio daretur Apoſtolis obtrectandi, & obmurmurandi, quòd iuniorem prætuliſſet Ioannem? Quorsùm litem ei mouiſſent de primatu, quem nullum imperium, nulla poteſtas eſſet conſecuta? Quid erat illis à perturbationibus Ioannis timendum? Nimirùm monſtra mauult ſibi fingere, quàm veritatem conſectari aduerſarius.

Sed oro te, Marce Antoni, ſi quòd tot locis vrges, Petri primatus, primatus quidam ætatis eſt, cur Hieronymus in eo ornando ætati Chriſtum detuliſſe prædicat? Ætati, inquit, delatum, Ergò non ætas dedit, ſed accepit. Atqui ſi vocationis primatus eſt, cur Hieronymus primùm pares facit Apoſtolos, vocatione ſcilicet, & ad Apoſtolatum aſſum-

aſſumptione; ac demùm vnum eligi, docet, inter duodecim, vt capite conſtituto, ſchiſmatis tollatur occaſio? Quorsùm eligitur, quorsùm conſtituitur, cui per te ætas, & vocatio hunc honorem aſſeruiſſent? Parùm conſentanea dicis; ſed iſte hic mos tuus ſolemnis. Itaque Hieronymi, & reliquorum Patrum ſententia, agens de clauibus cum Petro Chriſtus, eum ſumma auctoritate ornauit, ac vt cæteri faſces ſummitterent, præcepit, bono ſcilicet vnitatis, quæ non niſi conſtituto capite, ac ſupremo moderatore, qui ſchiſmatum tolleret occaſionem, ſanciri potuerit.

Spalat. Num.22.

Ad Auguſtinum iam prouocat, à quo toties ſit depulſus. Congerit autem diuerſa eius loca, vt probet, Petrum figuram geſtaſſe Eccleſiæ, ac per eum Eccleſiam claues accepiſſe, in typo vnitatis, vt ſcilicet vnius Petri miniſterio, illa Eccleſiæ vnitas aſtrueretur. Audiamus igitur Auguſtinum:

Auguſt. de Agon. Chriſt. cap. 30.

[Non enim, inquit, ſine cauſa inter omnes Apoſtolos huius Eccleſiæ Catholicæ perſonam ſuſtinet Petrus: huic enim Eccleſiæ claues regni cœlorum datæ ſunt, cùm Petro datæ ſunt; & cùm ei dicitur, ad omnes dicitur, Amas me? Paſce oues meas: debet ergo Eccleſia Catholica correctis, & pietate firmitatis filijs libenter ignoſcere, cùm ipſi Petro perſonam ipſius geſtanti, videamus veniam eſſe conceſſam. Item,

Idem in Pſal. 108.

Sicut enim quædam dicuntur, quæ ad Apoſtolum Petrum propriè pertinere videantur, nec tamen habent illuſtrem intellectum, niſi cùm referuntur ad Eccleſiam, cuius ille agnoſcitur in figura geſtaſſe perſonam propter Primatum, quem in diſcipulis habuit; ſicuti eſt, Tibi dabo claues regni Cœlorum, & ſi qua huiuſmodi: Ita Iudas, &c. Item Iudas malus corpus malorum ſignificat, quo modò Petrus corpus bonorum, corpus Eccleſiæ; imò corpus Eccleſię, ſed in bonis: nam ſi in Petro non eſſet Eccleſiæ Sacramentum, non ei diceret Dominus, Tibi dabo claues regni cęlorum: Quæcumque ſolueris, &c. Si hoc Petro tantùm dictum eſt, non facit hoc Eccleſia; ſi autem, & in Eccleſia fit, vt quæ in terra ligantur, in cęlo ligentur, & quæ ſoluuntur in terra, ſoluantur in cęlo; quia cùm excommunicat Eccleſia, ligatur in cœlo excommunicatus, cùm reconciliatur ab Eccleſia, in cęlo ſoluitur reconciliatus, ſi hoc ergo in Eccleſia fit, Petrus, quando claues accepit, Eccleſiam ſanctam ſignificauit. Item:

Aug. tract. 124. in Ioan.

Hoc agit Eccleſia, dimittere peccata, ſpe beata in hac vita ærumnoſa, cuius Eccleſiæ Petrus Apoſtolus, propter Apoſtolatus ſui primatum, gerebat figurata generalitate perſonam. Quod enim ad ipſum propriè pertinet, natura vnus homo erat: gratia vnus Chriſtianus; abundantiore gratia, vnus, idemque primus Apoſtolus, ſed quando ei dictum eſt, Tibi dabo claues regni cœlorum, Et, Quodcunque ligaueris ſuper terram, &c. vniuerſam ſignificabat Eccleſiam, &c. Et paulò pòſt: Eccleſia ergo, quæ fundatur in Chriſto, claues ab eo regni cœlorum accepit in Petro, ideſt, poteſtatem ligandi, ſoluendique peccata: quod enim eſt per proprietatem in Chriſto Eccleſia, hoc eſt per ſignificationem Petrus in petra: qua ſignificatione intelligitur Chriſtus petra, Petrus Eccleſia. Hæc igitur Eccleſia, quam ſignificabat Petrus, quamdiù degit in malis, amando, & ſequendo Chriſtum, liberatur à malis. Item, loquens de conuerſione Gentilium ſignificata per animalia immunda Petro oſtenſa, ait:

Act. 10. Idem Aug. in lib. 50. hom. 45.

Vndè iam poſt remiſſionem peccatorum, quare non recipiantur Gentiles in corpus Chriſti, quod eſt Eccleſia Dei, cuius perſonam Petrus geſtabat? Petrus in multis locis apparet, quòd perſonam geſtet Eccleſiæ; ſi Petrus figuram geſtabat Eccleſiæ, & Eccleſia corpus Chriſti eſt; recipiat in ſe quaſi in eſcam ſuam, iam mundatas gentes, quibus peccata dimiſſa ſunt. Item,

Act. 10. Idem Aug. ſerm. 30. de diuerſ. Idem lib. 1. Retr. cap. 21.

Petrus, inquit, multis locis Scripturarum apparet, quòd perſonam geſtet Eccleſiæ, maximè illo in loco, vbi dictum eſt, Tibi dabo claues, &c. Item, Sed ſcio me poſteà ſæpiſſimè ſic expoſuiſſe, quòd à Domino dictum eſt, Tu es Petrus, &c. vt ſuper hanc petram intelligeretur, quem confeſſus eſt Petrus, dicens, Tu es Chriſtus filius Dei viui: ac ſi Petrus ab hac petra appellatus, perſonam Eccleſiæ figuraret, quæ ſuper hanc petram ædificatur, & accepit claues regni Cœlorum.] Atqui ſi cauſæ ſuæ interitum molitus non eſſet Spalatenſis, abſtinuiſſet ab Auguſtino proferendo, quippè qui omnibus illis locis ſententiam Catholicorum ſua auctoritate, ac ſuis telis armarit.

Propterea enim Petrum *figuram geſſiſſe Eccleſiæ, Eccleſiam in Petro accepiſſe claues, Petrum ſuſtinuiſſe perſonam Eccleſiæ, in Petro eſſe Eccleſiæ Sacramentum, Petrum eſſe Eccleſiam,* cenſuit. Quòd is nimirùm caput Eccleſiæ, Princeps Apoſtolorum, Ianitor cęli eſſet à Chriſto conſtitutus,

Tract. 124. in Ioan.

Eccleſiæ, inquit, *Petrus Apoſtolus, propter Apoſtolatus ſui Primatum, gerebat figurata generalitate perſonam.* En radicem, en cauſam, cur geſſerit figuram Eccleſię, cur eius perſonam ſuſtinuerit, cur eius nomine acceperit claues. Niſi enim eximia aliqua auctoritate antecelluiſſet, & anteuertiſſet cęteros, quid erat, quòd vnum, eum præteritis, ac prætermiſſis collegis, faceret Auguſtinus figuram Eccleſiæ, cuius perſonam ſuſtineret, ac eius nomine claues acciperet? Ac propterea alibi quoque Auguſtinus hæc duo connectit,

Ser. 13. de verb. Dom.

Petrus Eccleſiæ figuram portans, Apoſtolatus principatum tenens, nimirùm vt antè eſt à nobis explicatum, princeps ſubditorum perſonam gerit, eorum nomine gladium accipit, & ad eorum vſus totum illum regni ſplendorem conuertere omninò tenetur.

Spalat. Num.23.

At vrget Spalatenſis, [Si quis igitur quærat ab Auguſtino, cur putet Chriſtum Dominum cum vno Petro loquutum, eique vni ſeorſim claues, & promiſiſſe coràm alijs, & dediſſe, etiamſi eaſdem cæteris nihilominùs æquè promiſerit Apoſtolis, & donauerit. Reſpondet, vt vidimus, idcircò id actum à Chriſto, vel vt hoc quaſi myſterio ſignificaret, quanti faceret vnitatem, quam, vel ſic cupiebat mentibus diſcipulorum imprimere. Quod voluere Cyprianus, Optatus, & Hieronymus: vel quia Petrum Chriſtus voluerit eſſe typum, & figuram totius Eccleſiæ, atque ita quicquid Eccleſiæ erat donaturus, hoc Petro dedit, quem volebat Eccleſiæ locum tenere, ipſiuſque perſonam, figurata generalitate, geſtare. Atque hæc Auguſtini toties, & clariſſimè repetita dicta, nullo modo patiuntur illum ſenſum, ad quem nonnulli Monarchici illa per ſummam vim conantur detor-

torquere; nimirùm Auguſtini ſenſum eſſe, Petrum nomine Eccleſiæ accepiſſe claues: hoc eſt, illas pro Eccleſia, ſiue ad vſus Eccleſiæ accepiſſe; quaſi exprimat cauſam finalem, ad quid eas acceperit: Conſtat etenim ex tot locis Auguſtini, Petrum ipſum totam Eccleſiam repræſentare, & ipſius nomine multa agere, & quę videntur ad ſolam perſonam propriam dici, non habere vllum illuſtrem intellectum, niſi ad totam Eccleſiam, cuius ipſe eſſet figura, referantur; & Petrum in ſua perſona nihil aliud eſſe, niſi ad ſummum ex abundantiori gratia vnum, & primum Apoſtolum, & quando ei dicitur, Tibi dabo claues, tunc eum vniuerſam ſignificaſſe Eccleſiam. Hęce, & ſimilia habent ſolùm ſenſum finalem. an verò perfectiſſimè formalem?]

Reſpondet Auguſtinus, non quod dicit Spalatenſis, ſed id factum propter Apoſtolatus ſui primatum, aut etiam principatum, hanc enim ille veram, germanam, ac natiuam cauſam reddit, quòd ſcilicet, ex eo quòd ad hoc honoris, & dignitatis faſtigium euectus eſſet, Eccleſiæ perſonam ſuſtineret, ac eius vnitatem corroboraret. Cùm autem ſcribit Spalatenſis, [Hebes eſt, qui non videt Petrum ab Auguſtino verè, & propriè exui in quibuſdam locis Euangelicis, & ſacræ Scripturæ à propria perſona, indui tantùm perſona vniuerſalis Eccleſiæ, vt ipſius typus ſit, & figura,] Ipſe ſe ſtupiditate ipſa ſtupidiorem prodit, qui non aduerterit, cuiuſcunque illuſtrioris intellectus inueſtigationem ab hiſtorico ſenſu citra ſacrilegium ſeiungi non poſſe. Hoc enim eſt, quod in Philone, & Origene oſtendit, quàm maximè, quòd ſcilicet, relicto hiſtorico ſenſu, allegorico luſerint, ac ſcripturæ illuſerint.

Proindè, *ſi Petrus ab Auguſtino verè, & propriè exuitur in quibuſdam locis Euangelicis, & ſacræ Scipturæ à propria perſona, & induitur tantùm perſona vniuerſalis Eccleſiæ, vt ipſius ſit typus, & figura*. Auguſtinus hiſtoriam lacerat, atque, vt ita dicam, non ſuprà petram, ſed ſuprà arenam ædificat. Quid verò iſtud eſt portenti, *Petrus ab Auguſtino verè, & propriè exuitur in quibuſdam locis Euangelicis, & ſacræ Scripturæ à propria perſona, & induitur tantùm perſona vniuerſalis Eccleſiæ, vt ipſius ſit typus, & figura.* Ergo perſona tantùm vniuerſalis Eccleſiæ eſt Eccleſiæ vniuerſalis typus, & figura. O mirificas argutias! O monſtra, & rerum, & verborum! Non ità obtusè Sanderus, quem ille vellicat.

Spalat. Num. 24. Pudet iam illum ineptiarum. [Neque propterea, inquit, dixerim, Petrum etiam literaliter, & hiſtoricè non accepiſſe claues, etiam quando eas vti perſona, & figura Eccleſiæ accepit: ſed dico, Auguſtini ſenſum eſſe, quaſi materialiter eas tunc Petrum accepiſse, non formaliter, & verè, potiùs parabolicè, quàm hiſtoricè. Hoc enim eſt in figura aliquid fieri, vt materialiter in vno fiat, formaliter in alio à ſe diuerſo verificetur. Materialiter enim (loquitur cum Bellarmino)

Bellar. lib. 1. de Roman. Pont. c. 12. Abraham duos filios veros, & reales habuit; ſed tamē formalitèr non habebat duos populos, quos illi duo filij ſignificabant, qui duo populi formalitèr poſteà exorti ſunt; Ità Petro materialitèr promiſſio clauium fit vni, dicamus etiam materialitèr ei vni dantur; & eas ipſe materialitèr, in quantum fert metaphoram, accepit, non formalitèr, quia formalitèr promiſſio hæc, & exhibitio in Eccleſia, ſecundùm Auguſtinum, propriè verificatur, cuius figura erat Petrus. At ne quis horreſcat, putans propterea Petrum priuari formalibus clauibus, dicimus, Petrum etiam claues formalitèr habuiſſe duplici alia ratione, quas tamen formalitèr non habuit, in quantum erat figura Eccleſiæ.

Primùm enim, ſi eas accepit vt figura Eccleſiæ, certè illas Eccleſia formalitè habuit, putà in ſuis prælatis, quos omnes propriè Petrus tunc figurabat, vt loquitur Auguſtinus. In vno, inquit, Petro figurabatur vnitas omnium Paſtorum, ſed bonorum, qui ſciant oues Chriſti paſcere Chriſto, non ſibi. Cùm verò ipſe etiam Petrus eſſet vnus ex illis, quos ipſemet figurabat, immò primus; Certè eas ipſe etiam formalitèr, & ex conſequenti accepit, non tamen vt figura, ſed vt figuratus. Deindè eas accepit pleniſſimè, & formaliſſimè ſimul cum omnibus, quando eis omnibus dictum eſt à Chriſto, Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos: dum tamen cum ipſo vno agitur, formalitèr, cum ipſo non agitur, ſed tantùm materialitèr, vt vult Auguſtinus: Ioan. 20. Quia tunc Petrus non eſt Petrus, ſed eſt perſona Eccleſiam totam repræſentans, ad hoc ab ipſomet Chriſto aſſumptus ipſe, & non alius propter primatum ætatis, vocationis, & excellentiæ virtutum, quem primatum in diſcipulis, ait Auguſtinus, non in diſcipulos habuit: hoc eſt, quo primatu ipſe inter diſcipulos excelluit. At quid illud ſit, Petrum materialiter accepiſſe claues, formaliter non accepiſſe?] Ergo vt concordet, nec vteretur, illas conſecutus eſt? Neque enim, vti niſi formaliter acceptis, potuit. [At, inquit, alio nomine accepit, quàm nomine Eccleſiæ, accepit non vt figura, ſed vt figuratus.] Iocone, an ſeriò loquitur? An fortè ille ſanus, qui his deliramentis animum paſcat? Qui enim Petrus nomine Eccleſiæ claues accipere potuerit, quas ipſe tanquam figura Eccleſiæ non acceperit? Nonne hunc maximè claues accipere oportuit, cùm eas communicandas, quod dixit Optatus, acciperet?

Aug. ſer. 24. de Sanctis qui eſt Pſal. de Sanctis Petro, & Paulo.

Docet igitur Bellarminus, & id quidem rectè Petrum non propter ſe, ſed tamquam Eccleſiæ figuram propter primatum, cuius iam ſpem haberet aſſumptum eſſe à Chriſto, vt eſſet figura Eccleſiæ, quando ei dabantur, ſeu promittebantur claues; ſed Petrum claues tunc formaliter non accepiſſe, nuſquam docet Bellarminus, primùm enim, vt probaret ſenſum allegoricum, cui inſiſteret Auguſtinus, non tollere hiſtoriæ veritatem, nec id intendiſſe Auguſtinum; eundem Auguſtinum inducit aſſerentem [Chriſtum geſſiſſe figuram Eccleſiæ, quando baptizatus eſt: cùm tamen ſine dubio verè, & ad literam baptizatus ſit. At quæro abs te, Marce Antoni, cùm Chriſtus in Iordane, ſententia Auguſtini, gereret perſonam Eccleſiæ, & eam ſuo baptiſmate referret, baptizabaturne materialiter, vel formaliter? Ipſane Eccleſia formaliter baptizabatur, Chriſtus verò materialiter? Tu nos ineptire facis.

Addo verò, Auguſtini ſententiam eſſe, non ſolum Petrum, ſed omnes omninò Apo-

ſto-

Digitized by Google

ſtolos, remittendorum peccatorum poteſtatem, in perſona, ſeu in figura Eccleſiæ accepiſſe. Verba ſummi Patris ſunt: *Ergo ſi perſonam gerebant Eccleſiæ, & ſic eis hoc dictum eſt (Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis, &c.) tamquam ipſi Eccleſiæ diceretur, Pax Eccleſiæ dimittit peccata.* Secundò Bellarminus obſeruat, *Sanctum Auguſtinum, cùm ait, Beatum Petrum in perſona Eccleſiæ accepiſſe claues, non velle ſignificare, claues verè, & hiſtoricè ab eo eſſe acceptas, ſicut à Vicario quodam, & Legato Eccleſiæ, quomodo à Legato Regis nomine principis ſui claues, accipi ſolent alicuius ciuitatis, ſed potiùs, vt à principe, & moderatore totiùs Eccleſiæ, quo pacto dicimus, regno dari, quod Regi ipſi datur, præſertim ſi id in publicam vtilitatem cedat.* Atque id probat duobus locis, quorum prior eſt, *Cuius*(Eccleſiæ) *ille agnoſcitur geſſiſſe perſonam, propter primatum, quem in diſcipulis habuit.* Poſterior verò: *Petrus*, inquit, *à Petra cognominatus Beatus. Eccleſiæ figuram portant, Apoſtolatus principatum tenens.* Dic igitur ſodes, mi Antoni, qui tãquam princeps, & moderator totius Eccleſię claues accipit, an tuo ſenſu claues materialiter accipit, an verò formaliter? Quod verò addit Bellarminus, Petrum figuram Eccleſiæ fuiſſe, cùm claues accepit: *Petrus*, inquit, *vt ſummus Eccleſiæ Præſul accipiens claues, ſignificauit, omnes Præſules eaſdem habituros eſſe claues, ſed à Petro, nec ſine menſura illis vteretur; Sed vt eas cum omnibus Epiſcopis, & Presbyteris communicaret, Apoſtolis videlicet dumtaxat exceptis, qui extraordinaria quadam ratione eas à Chriſto immediatè acceperunt, vt alibi diximus:*

Aug. li. 3. de Bapt. contr. Donat. c. 18

Auguſtin. Pſal. 108. Id ſer. 13. de verb. Domini.

Planè verum eſt, nec repugnamus: Idipſum docet Ambroſius à Spalatenſi immaniter tortus, ad illud: *Paſce oues meas*, [Quas, inquit Ambroſius, & quem gregem non ſolùm tunc beatus ſuſcepit Petrus, ſed & nobiſcum eas ſuſcepit, & cum illo eas nos ſuſcepimus omnes.] Verba enim Ambroſij eum ſenſum faciunt, quem ſuprà expreſſimus, in Petro ſcilicet, tamquam in ordinis Eccleſiaſtici principe, reliquos Eccleſiæ paſtores, contineri, ac cenſeri. Non enim ſomnia ſunt, quę narrantur de deriuato à Petro in reliquos Epiſcopos, & Præſules Sacerdotio, ex quo omnis clauium pendeat poteſtas. Hac enim ratione Patres Concilij Sardicenſis ad Iulium Petri ſucceſſorem, in hæc verba ſcribunt. [Hoc optimum, & valdè congruentiſſimum eſſe videbitur, ſi ad caput, id eſt Petri Apoſtoli ſedem de ſingulis quibuſque prouincijs Domini referant Sacerdotes.] Quod autem, ait Spalatenſis, [Petrum non in ſua ſingulari perſona tantùm claues accepiſſe, ſed nomine totius Eccleſiæ, cuius figura fuerit, & geſſerit perſonam,] id nimirùm verum eſt, tum quòd Petrus perſonam principis ſuſtineret, tum etiam quòd bono vnitatis, & intuitu Eccleſiæ, in cuius vtilitatem eſſent depromendę, & accommodandæ, eas acceperit.

Spalat. Num. 26. Ambr. li. de Dignit. Sacer. cap. 2. Inter epiſt. Leon.

In fragmentis Hilarij.

Quod verò addit, [in ſe tantùm accepiſſe, quatenùs etiam ipſe fuerit vnus ex illis, quos tunc figurabat, & repræſentabat,] id verò eum iugulat, ſi namque tamquam vnus, qui à ſeipſo quoque figuraretur, eas acceperit, proculdubiò cùm reliqui, aduerſarij quidem ſenſu, formaliter acceperint, multò magis ipſe formaliter acceperit, aut certè vult eum deteriore conditione fuiſſe, quàm fuerint reliqui, quod par non ſit credere. Sed quid hoc rei eſt, [Petrum figuraſſe ſeipſum? Quàm meliùs Auguſtinus; Si hoc Petro tantùm dictum eſt, non facit hoc Eccleſia, ſi autem hoc in Eccleſia fit, Petrus, quando claues Eccleſię accepit, Eccleſiam ſanctam ſignificauit.] Duo enim dicit Auguſtinus, ſcilicet, & Petrum accepiſſe claues, formaliter ſcilicet, & antè etiam cæteros, ac Eccleſiam ſignificaſſe, nimirùm quòd eius paſtores repræſentarit Petrus, atque tamquam chori Apoſtolici princeps claues acceperit reliquis communicandas, & ad ſucceſſores etiam ſuos transfundendas, ac tranſmittendas. Hoc certè ſenſu, non ſolùm finaliter (quod ipſum tamen quoque veriſſimum eſt,) ſed, & formaliter, rectè dicitur, [Eccleſiam in Petro accepiſſe claues.] Spalatenſis exemplum ex Veneta Republica deſumptum valeret quidem, ſi de Beato Marco eſſet inſtituta diſputatio. Atqui de Magiſtro agitur Petro, neque Roma ad Venetiarum exemplum componitur; Vno verbo, viget in Eccleſia Romana ſummus vnius principatus, non Ariſtocratia illa, qua Veneta Reſpublica delectatur.

Alteram Cardinalis Bellarmini obſeruationem hìc non expendo, quoniam, iudice aduerſario, ad poteſtatem clauium non ſpectat; ſed de ea videro alibi. Habemus igitur ex Auguſtino hęc ſententiæ noſtræ fundamenta, [Petrum ob primatum, quem geſſit in diſcipulis, ob Apoſtolatus ſui primatum, & principatum perſonam ſuſtinuiſſe Eccleſiæ, cuius figuram geſſiſſe, & portaſſe, eius nomine claues,] tamquam ſcilicet moderatorem, & principem vniuerſitatis fidelium, [accepiſſe.] Plura hìc non deſideramus. Habemus namque, & reliquos Patres nobis fauentes. Leonem tamen magnum illum fidei propugnatorem, ac iurium Petri, vt quidem ipſe cenſet, acerrimum defenſorem, nobis eripere conatur aduerſarius. Miror hanc audaciam nulli ſanæ mentis homini probandam. Locus ab eo inductus, ſed miſerè decurtatus, ita habet, ſi de integro recitetur. [Dicitur Beatiſſimo Petro, Tibi dabo claues, &c. Tranſiuit quidem etiam in alios Apoſtolos vis poteſtatis illius, & ad omnes Eccleſiæ principes decreti huius conſtitutio commeauit; ſed non fruſtrà vni commendatur, quod omnibus intimetur. Petro enim ideò hoc ſingulariter creditur, quia cunctis Eccleſiæ rectoribus Petri forma proponitur. Manet ergo Petri priuilegium, vbicumque ex ipſius fertur æquitate iudicium; nec minima eſt, vel ſeueritas, vel remiſſio, vbi nihil erit ligatum, nihil ſolutum, niſi quod Beatus Petrus, aut ſoluerit, aut ligauerit.] Hæc Leonis ſunt clariſſima verba, vtatur, ſi velit aduerſarius. Certè fateor, ſi ille Petrum Eccleſię Catholicæ rectorem non agnouit, nulli Patrum eius auctoritatis in mentem veniſſe, ſed quam poſuiſſe frontem eum, oporteat, qui hæc ſummo Præſuli, ac vniuerſalis Eccleſiæ Rectori (ſic enim plerumque in Concilio Chalcedonenſi ipſe indigitatur) impudenter affingat.


Leo ſerm. 3. de ſua Aſſumpt. ad Pontif.

Reſtat vltimum myſterium à gloſſa interlineari inſinuatum, quod iam expendit Spalatenſis. Verba gloſſæ ſunt, [Ideò ſpeciali-

Spalat. Num. 31. Gloſſ. in Matth. c. 16. ex Beda.

ter Petrus accipit claues, vt intelligant omnes, quòd quicunque ab vnitate fidei, & ſocietate eius ſe ſeparauerit, nec à peccatis ſolui, nec cęlum ingredi poteſt.] Hoc Spalatenſis ad confeſſionem Petri refert, vt qui ab ea diſcedant, regno cœlorum meritò excludantur. Admittimus interpretamentum, ſed hac conditione, vt à confitente confeſſio non ſeiungatur, vtque qui fidem profitetur, in communione quoque Petri, ac ſanctæ illius ſedis, quam Chriſto ſacrauerit Petrus, perſe-
Num.34.33. ueret. Hęc vera ſunt noſtrę cauſæ firmamenta, & principia, quibus reconditioris doctrinæ, aut limatioris eloquentiæ nihil oppoſuit Spalatenſis. Certè ſi fatetur, à Bellarmino omnia ſua argumenta ſumpſit, ſi negat, ſurripuit. Quòd verò ſe ſequi Patres, inaniter gloriatur, tam verum eſt, quàm verum eſt me ſequi Caluinum. In eo autem perabſurdus eſt, quòd tamquam allegoricam illam interpretationem traducat, quæ Petrum conſtitutum Paſtorem Eccleſiæ aſſerat, quòd [ei vni loquutus ſit Chriſtus, quòd ſuper eum vnum fundarit Eccleſiam, quòd ei vni tradiderit claues, ac parùm ſcitè vrget, metaphoras aduerſari hiſtoriæ veritati:] Concipitur enim etiam hiſtoria metaphoricis verbis, & vt de multis hoc vnum proferamus exemplum Ioſeph, [lapis, & paſtor Iſrael,] metaphoricè dicitur, vt princeps, & ſaluator Ægypti ſignificetur.

Aliud igitur eſt, in verbis metaphoram ineſſe; aliud ſenſum, aut metaphoricum, aut allegoricum eſſe, Sic verbi gratia in illis ver-
bis; *Indè paſtor egreſſus eſt lapis Iſrael*, meta- Geneſ.49.
phora ineſt, nec tamen allegoria ea eſt, ſed ſenſum literalem, & hiſtoricum habent cui-
que obuium. Sic Paulus cùm de mollienda Rom.12.
inimicorum duritia, & malitia, bonitate ſuperanda, ſermonem habet, his verbis poſt Salomonem vtitur. *Hoc faciens, carbones ignis*
congeres ſuper caput eius. Quia igitur in ver- Prou.25.
bis Apoſtoli metaphora ineſt, an propterea ſeriò, ac hiſtoricos non eſſe eum loquutum cenſebimus; cum diceret, *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum*? Aliud igitur eſt, in verbis metaphoram ineſſe, aliud ſententiam eſſe, aut metaphoricam, aut allegoricam. Etiam recentiores interpretes, verba Chriſti, *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, verſantes, allegoricos ſenſus aliquando veſtigant, ac conſectantur; at verò à claris illis Septentrionibus, Patres intelligo, colluſtrati, curſum tenent ſincerioris fidei, quæ Petro gubernacula aſſerit, ac eum gubernatorem, & nauclerum illius, quæ inſtar nauis inſtitoris facta ſit, agnoſcunt, ac deprædicant.



DISCVSSIO
OCTAVI CAPITIS
LIBRI PRIMI.
EXPENDVNTVR VERBA, Paſce oues meas.

CONSPECTVS CAPITIS.

Petri primatum potentiſſimè ſonare in his verbis Chriſti, Paſce oues meas, &c. *Hoc docere Patres omnes: Magnum Paſtorum chorum in Eccleſia eſſe, ſed pari dignitate non cenſeri: Vnum Petrum ſummum rerum tenere: Soluuntur argumenta ex Baſilio, Auguſtino, Ambroſio, Chryſoſtomo, & Gregorio, ac alijs, à Spalatenſi propoſita. Expenditur locus*, Paſce oues meas: *Refelluntur commenta Spalatenſis. Petro, etiam Apoſtolorum curam demandatam: Non rectè in his iocari Spalatenſem: Et in Petrum, & in Chryſoſtomum iniurioſum ſe præbere. Vana eius myſteria depulſa, ſolidiora inducta: Quid de trina interrogatione cenſuerint Patres: Senenſis, & Baronius defenſi.*

NVllo in loco adeò apertè videtur ſoli Petro totius Eccleſiæ cura committi à Chriſto Domino, atque vbi ei dicitur, Simon Ioannis diligis me plùs his? Paſce agnos meos; Paſce oues meas. In his itaque verbis erit nobis tantiſper etiam inmorandum, vt plena eorum notitia formam Reipublicæ Eccleſiaſticæ nobis, quæ fuerit Apoſtolorum tempore, aperiat, & quantum fieri poteſt, manifeſtet. Ac primùm quidem hoc loco Chriſtum cum ipſomet Petro loqui ſingulariter, & ei perſonaliter dici, Paſce oues meas, conſtituo tamquam certiſſimum; vt verba illa, Simon Ioannis, indiuiduum Petri notantia, clarè ſignificant. Nam, quòd Petro ipſi promiſsum fuit, Tibi dabo claues: Hoc eidem nunc videtur exhiberi; Paſce oues meas: Et cui dicitur, Diligis me plùs his: eidem profectò etiam dicitur, Paſce oues meas: Et trina interrogatio Chriſti, amas me? Reſpondet trinæ negationi, quæ in ſolo Petro fuit. Et contriſtatio illa, Petri docet verba illa ad ipſius perſonam pertinere. Vt benè Bellarminus: Qui tamen duabus alijs id confirmat coniecturis; ex eo nimirùm, quòd Petro dicitur: Cùm ſenueris, extendes manum tuam; vt cui hoc dicitur, eidem etiam dictum intelligatur, Paſce oues meas: Et ex eo, quòd dixerit Petrus de Ioanne. Hic autem quid? Numquam enim, inquit Bellarminus, Petrus interrogaſset, quid Ioannes acturus eſset, ſi intellexiſset dictum omnibus, Paſce oues meas: Neque Dominus dixiſset, quid ad te? Tu me ſequere; ſed dixiſset, idem faciet, quod tu. Has tamen duas nullius momenti arbitror eſse coniecturas. Nam potuit Chriſtus à communi ad priuatum conuerti ſermonem; & primùm pro omnibus dicere; Paſce oues meas; mox Petro mortem prædicere; vndè non neceſsariò ſequitur, hæc dicuntur Petro in propria perſona; ergo, & illa. Altera verò, coniectura non eſt, ſed falſitas in hiſtoria, & vanitas manifeſta. Non enim interrogat Petrus de Ioanne, hic autem quid? occaſione illorum verborum, Paſce oues meas: ſed tantùm occaſione illorum: Extendes manum tuam, &c. intellexit enim Petrus ſibi mortem crucis prædici; & curioſitate motus cupiebat ſcire, quo mortis, & martyrij genere eſset Ioannes moriturus; num & ipſe cruce, an gladio, an igne, &c. Supponebat enim illum etiam omninò morte violenta pro Chriſto moriturum. Ac propterea non erat ſatis, ſi Chriſtus reſpondiſset, idem faciet, quod tu: quia non erat ampliùs ſermo de paſcendo, ſed erat ſermo de moriendo. Ideò ait Chriſtus, ſic eum volo manere, quid ad te? Hoc eſt, ipſum nolo morte violenta, neque martyrio occumbere, ſed ſic volo eum manere abſque martyrio, donec veniam: ideſt, donec ad naturalem mortis terminum ipſi à me præfixum, peruenerit; quid ad te? Tu me ſequere: Tu me, moriendo in cruce, ſequere: Et de Ioannis morte, quæ erit naturalis, nihil ſis ſollicitus. Priores tamen coniecturæ omninò conuincunt, cum ſolo Petro Chriſtum loqui, eique ſoli tunc dicere, Paſce oues meas. *Hæc Spalatenſis*.

Spalat. Num 1. Ioan. 21.

Bellar. lib. 1. de Roman. Pont. c. 14. Ioan. 21.

Hor-

Digitized by Google

HOrrendum Iſraelis caſum,ac mi-
ſerandam ſtragem exercitus Iu-
daici vaticinaturus Micheas
Propheta, rem hoc dicendi ge-
nere complexus eſt: *Vidi cun-*
3.Reg.22. *ctum Iſrael diſperſum in montibus, quaſi oues non*
habentes paſtorem, vt hinc colligas ſummam
eſſe ouium infœlicitatem paſtore carere, vel
orbari: Ne igitur hoc præſidio deſtitutæ oues
Chriſti, aut aberrarent, aut languerent, aut
inedia conficerentur, aut etiam in lupos in-
currerent, atque ab eis lacerarentur; Paſto-
rem vnum ſummum,cùm de receſſu cogitaret,
& profectionem ſuam in cœlum adornaret,
chariſſimo gregi imponendum duxit: Prelu-
ſerat antè, at iam rem exequitur: Namque
cùm præſentes adeſſent tres Apoſtoli, Iaco-
bus, Ioannes, & Thomas, ac prætereà tres
diſcipuli, atque ipſe breui eſſet ad Patrem
remeaturus, Petrum omnium caput deſtina-
tum conuenit, ac primùm ab eo quærit, *Si-*
Ioan.21. *mon Ioannis diligis me plùs his?* Secundò, ac
tertiò idem repetit;cumque ad ſingulas quaſ-
que rogationes Petrus reſpondiſſet, *Domine*
tu ſcis, quia amo te, toties etiam illi dixit,
Paſce agnos meos, Paſce oues meas. Hinc ſum-
mam rerum Petro promiſſam, & pleniſſimam
eiuſmodi regiminis poteſtatem à Chriſto tributam eli-
Orig. in c.6. ep. ad Rom. ciunt vetuſtiſſimi Patres. Origenes, *Petro*
cum ſumma rerum de paſcendis ouibus traderetur,
& ſuprà ipſum,velut terram fundaretur Eccleſia,
nullius confeſſio virtutis alterius ab eo niſi chari-
Ambr. l.10. in Luc. ad cap.24. *tatis exigitur*. Ambroſius, *Dominus non dubi-*
tabat, qui interrogabat, non vt diſceret, ſed vt
doceret, quem eleuandus in cœlum amoris ſui (ſci-
Ibidem. licèt paſtoralis) *velut Vicarium relinquebat,*
&c. quia ſolus profitetur ex omnibus, omnibus
antefertur. Ac rurſùs: *Tertiò Dominus non*
Ser.46. Epiphan. in Ancor. *iam diligis me, ſed amas me, interrogauit: &*
iam non agnos, vt primò quadam lacte paſcendos,
nec ouiculas vt ſecundò, ſed oues paſcere iubetur,
perfectiores vt perfectior gubernaret. Rurſùs:
Poſt lachrymas paſtor aſſumptus eſt, & alios re-
gendos excepit, qui priùs ſeipſum non rexit. Epi-
phanius, *A Chriſto Petrus audijt: Petre paſce*
agnos meos,cui gregis eſt commiſſa cuſtodia: quem
Domini ſui virtute fretus præclarè gubernat, &
regit: Omnium elegantiſſimè, ac fortiſſimè
Chryſoſtomus: verſans enim illa verba Chri-
ſti, *Petre amas me, Paſce oues meas*: *Chriſtus*,
Chryſ. de Sacer. lib.2. inquit,*cum Apoſtolorum principe verba faciens:*
Petre amas me, inquit, atque illo id confitente,
adiungit: ſi amas me, Paſce oues meas. Atque
Chryſ. lib.2. de Sacerd. eo loci confert illa Chriſti verba, *Petre amas*
me, Paſce oues meas: cum iſtis eiuſdem Chri-
Matth. 24. ſti, *Quiſnam fidelis ſeruus, & prudens, quem*
Dominus ſuper familiam ſuam conſtituit? Cum-
que eam curam Petro demandatam à Chriſto
maximo ouium bono oſtendiſſet, ſubiunxit;
Quanam enim de cauſa ille ſanguinem effudit
ſuum, certè vt oues eas acquireret, quarum cu-
ram tum Petro, tum Petri ſucceſſoribus commit-
tebat. Iure igitur,ac meritò ſic loquebatur Chri-
ſtus: Quis putas eſt fidelis ſeruus, & prudens,
quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam?
Baſilium etiam perhortatur, vt æqui,bonique
conſulat ſibi factam piam fraudem, vt paſtor
renunciaretur: *Cùm præſertim, inquit, ea agas*
quæ cùm Petrus ageret,illum Chriſtus auctorita-
te præditum eſſe voluit.

Sed & Patres omnes à Spalatenſi inducti
idem omninò probant. In primis Arnobius;
[Nullus, inquit, Apoſtolorum paſtoris no- Spalat. Num.2.
men accepit: ſolus enim Dominus Ieſus Chri-
ſtus dicebat, Ego ſum paſtor bonus, &c. Hoc Arnob. in Pſal. 138.
ergo nomen Sanctum, & ipſius nominis po-
teſtatem poſt reſurrectionem ſuam Petro pœ- Ambr. in Pſal 43.
nitenti conceſſit; & ter negatus, negatori ſuo
hanc, quam ſolus habuit, tribuit poteſtatem.
Ambroſius, Denique Petrus Eccleſiæ præpo-
nitur, poſtquam tentatus à Diabolo eſt: Ideò-
que antè ſignificat Dominus, quid ſit illud,
quòd poſteà eum paſtorem elegit dominici
gregis. Item; Qui antè lachrymas præuari- Idem ſerm. 46.
cator extitit, poſt lachrymas paſtor aſſumptus
eſt; & alios regendos accepit, qui priùs ſeip- Idem ſerm. 47.
ſum non rexit. Item, Tamquam bonus paſtor
(Petrus) tuendum gregem accepit, vt qui ſibi
anteà infirmus fuerat, fieret omnibus firma-
mentum. Auguſtinus, Multi, inquit, erant Auguſt. de Paſt. cap.13.
Apoſtoli, & vni dicitur, Paſce oues meas.
Chryſoſtomus de Petro loquens ait: Tam- Chryſoſtō. hom. 87. in Ioan.
quam enim negationis obliuiſceretur, fratrum
curam ei committit, neque negationis memi-
nit, neque exprobrat, tantum dicit, Si amas
me, fratrum curam ſuſcipias. Et paulò poſt;
Nam cùm magna Chriſtus Petro communi-
caſſet, orbis terrarum curam demandaſſet,
&c. Et alibi: Qui omnium paſtor fuit à Do- Id. hom. 4. in Pet. Apo.
mino inſtitutus, ex omnibus nationibus co-
gere cœpit oues, &c. Leo; In ijs diebus, in-
quit, per inſufflationem Domini, infunditur
Apoſtolis omnibus Spiritus Sanctus, & beato
Apoſtolo Petro, ſuprà cæteros poſt regni cla-
ues, ouilis dominici cura demandatur. Ma- Maxim. ſer. de S. Apoſt. Pet. & Paul.
ximus; Hic eſt, inquit, Petrus, cui Chriſtus
aſcenſurus ad Patrem, paſcendas ouiculas
ſuas, oueſque commendat. Gregorius; Cun- Greg lib.4. ind 13. epiſt. 32.
ctis enim, inquit, Euangelium ſcientibus li-
quet, quòd voce dominica,ſancto & omnium
Apoſtolorum Petro principi Apoſtolo, totius
Eccleſiæ cura commiſſa eſt, ipſi quippè dici-
tur, Petre amas me? Paſce oues meas.]

Mirari ſubit Spalatenſem, cùm hos pro-
ferret, non aduertiſſe hic cauſam ſuam planè
euerti, ac funditùs tolli. Ipſe porrò fatetur
Chriſtum *vni Petro, ſingulariter, & perſonali-*
tèr (vt ille loquitur) dixiſſe, *Paſce oues meas*,
ac id docuiſſe Patres,aſſeuerat. Addit, *verbum*
paſcendi omnem omninò poteſtatem Eccleſiaſticam
complecti, nomen porrò ouium,omnes omninò fide-
les, qui vbiuis terrarum ſint, ſignificare, & ta-
men negat vllum *primatum*, aut *principatum*
hi Petro dari? An ſobrius ſcribit? [Quam- Spalat. Num 3.
uis, inquit, veriſſimum ſit, verba illa ſeorſim
ſoli Petro fuiſſe dicta, etiam alijs Apoſtolis
præſentibus: Nihilominùs in ſolo Petro ea
effectum ſuum habuiſſe, dici nullo modo po-
teſt. Nonne ipſemet Chriſtus dedit quoſdam Epheſ.4.
quidem Apoſtolos, alios doctores, & paſto-
res?]

Reſpondemus,equidem multos Chriſtum
in Eccleſia conſtituiſſe paſtores, qui & verbo,
& exemplo gregem paſcerent; ſed pari feciſſe
reliquos cum Petro dignitate, ac auctoritate,
hoc verò eſt, quod conſtantiſſimè negamus.

Soli enim Petro, vt ipſe fatetur Spala-
tenſis, dictum eſt, [paſce agnos meos, paſce
oues meas.] Audiat quæſo Bernardum,quem
Caluinus ab omni aſſentatione cum Euge-
nium ſuum ad ornandam, quam nactus eſſet
Spartam, adhortaretur, alienum fuiſſe volens

nolens

Lib. 2. de Conſ. ad Eugen. c. 8.

nolens prædicat; *Tu es*, inquit, *cui claues traditæ, cui omnes traditæ ſunt. Sunt quidem, & alij cęli Ianitores, & gregum paſtores, ſed tu tantò glorioſiùs, quantò, & differentiùs vtrumque præ cæteris nomen hęreditaſti. Habent illi ſibi aſſignatos greges, ſinguli ſingulos tibi vniuerſi crediti, vni vnus. Nec modò ouium, ſed & paſtorum vnus omnium paſtor. Vndè id probem, quæris? Ex verbo Domini, cui enim non dico Epiſcoporum, ſed etiam Apoſtolorum ſic abſolutè, & indiſcretè totæ commiſſæ ſunt oues.*

Si pijſſimi, & doctiſſimi viri ſe auctoritate teneri negat Spalatenſis, rationes expendat, ac ad limatioris iudicij lancem libratas ampliùs examinet. Deprehendet ſanè eum *non oratoria amplificatione*, quod ille ſomniat, ſed planè dogmaticos aſſerere vim ineſſe in verbis Chriſti, quæ pium quemque ad contendam potiorem illam, ac præſtantiorem Petri auctoritatem permouere debeat. Si neſcis ergo, mi Antoni, eſt in Eccleſia magnus paſtorum chorus, ſed omnes pari loco non ſunt, & alij alijs præſtantiorem Spartam nacti ſunt, quam ornent, atque ita gradu, & poteſtate diſtinguuntur, vt vnus Petrus ſummani rerum teneat, reliqui verò ſint in partem ſollicitudinis vocati. His dicitur,

Act. 20.

Paſcite eum, qui in vobis eſt gregem, & certus, ac definitus ouium numerus committitur. Illi

Ioan. 21.

in vniuerſum dicitur, *Paſce oues meas: Paſce agnos meos*. Vidit hoc laudatus ſuprà à no-

Ibid.

bis Bernardus. *Aliorum poteſtas*, inquit ille ad Pontificem, *certis arctatur limitibus, tua extenditur, & in ipſos, qui ſuper alios poteſtatem acceperunt. Nonnè ſi cauſa extiterit, tu Epiſcopo cęlum claudere, tu ipſum Epiſcopum ab Epiſcopatu deponere etiã, & tradere Sathanæ potes? Stat ergo inconcuſſum priuilegium tuum, tàm in datis clauibus, quàm in ouibus commendatis.* Hæc pius ille Bernardus ab omni ambitione, & aſſentatione, etiam iudicio Caluini, alieniſſimus, cuius & illud ad eundem Eugenium

Lib. 2. de Conſ. ad Eugen. c. 8.

dignum eſt, quod obſeruetur. *Alij*, inquit, *in partem ſollicitudinis, tu in plenitudinem poteſtatis vocatus es*: quod etiam ſanctis Canonibus firmatum ſignificat vir eximius.

Baſil. in Conſtitut. Monaſt. cap. 22.

Baſilium nobis opponit Spalatenſis, qui ſcripſerit: [Atque hoc à Chriſto ipſo docemur, dum Petrum Eccleſiæ ſuæ paſtorem poſt ſe conſtituit. Petre enim, inquit, amas me plùs his? Paſce oues meas. Et omnibus prætereà deinceps paſtoribus, & magiſtris eandem tribuit poteſtatem; cuius quidem rei ſignum eſt, quod omnes ſimilitèr, atque illę, ligent, & ſoluant.] At Baſilius nihil aduerſarij cauſam iuuat; docet enim omnes omninò paſtores ligare, ac ſoluere creditos, ac ſubditos ſibi populos, ſimilitèr, vt Petrus ligat, & ſoluit, quod nos quoque docemus: ſed æquè ad vniuerſam Eccleſiam eorum ſe poteſtatem ſundere, vt ſe fundit Petri, non docet, ac proculdubiò, vt poſteriùs videbitur; ille Petri præſtantiam, & excellentiam ſuprà reliquos non obſcurè diuerſis locis inſinuat: Cæterùm hoc vnum hic aduertiſſe Spalatenſem velim, Baſilium aſſeuerare, Petrum à Chriſto Eccleſiæ ſuæ paſtorem poſt ſe conſtitutum his verbis, *Petre amas me plùs his, Paſce oues meas*; hoc enim eſt, quod ab eo hoc loco impugnatur, vt appareat nihil ei omninò eſſe cum Baſilio commune.

Auguſtinum aduocat, & illum ſibi valdè infenſum; Perpetuus enim eſt dignitatis Petri aſſertor, ac vindex: Certè hunc locum, *Paſce oues meas*, ita vni illi tribuit, vt inter Eccleſiæ Catholicæ, adeòque ſuæ fidei firmamenta, hoc vnum ponat, quòd in Romana Eccleſia per ſucceſſiones Sacerdotum eius vis, ac energia retineatur, ac perſeueret. [Multa ſunt, inquit, quæ me in Eccleſiæ gremio retinent, &c. Tenet ab ipſa ſede Petri, cui paſcendas oues ſuas poſt reſurrectionem Dominus mandauit, vſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio Sacerdotum. Sed excutiamus aduerſa-

Aug. contr. epiſt. fundament. cap. 4. Auguſt. in Pſ. 180.

rij argumenta. Auguſtinus, inquit, numquam illa ad primatum Petri confirmandum adduci patietur: ſiquidem nihil illuſtre vult circà perſonam ſingularem Petri in Euangelio fieri, dicit, niſi illud ad totam Eccleſiam referatur. Et probat, quod ſcripſerit: Ideò Petro, quem facere volebat paſtorem bonum, non in ipſo Petro, ſed in corpore ſuo ait, Petre

Idem tract. 46. in Ioan. Aug. tract. 47. in Ioan.

amas me? paſce oues meas. Et poſteà: Tenete ergo, inquit, quomodo Dominus Ieſus Chriſtus, & oſtium ſit, & paſtor; oſtium pandendo ſe, paſtor intrando per ſe: Et quidem fratres, quòd paſtor eſt, dedit & membris ſuis: nam & Petrus paſtor, & Paulus paſtor, & cęteri Apoſtoli paſtores. Hæc eſt enim, inquit, conſtans Auguſtini doctrina, vt Petrus gerat in omnibus ſerijs figuram Eccleſiæ: atque ita non Petro in ſua ſpecialitate, ſed corpori ſuo, quod eſt Eccleſia, Chriſtum paſturam ouium, nimirùm in Prælatis commiſiſſe. Sed etiam in typum, & myſterium vnitatis hæc Petro dicta idem intellexit Auguſtinus, vbi dixit: Hìc inuenio omnes paſtores bonos in vno paſtore (Chriſto:) Non enim verè paſtores boni

Idem de Paſtorib. c. 13.

deſunt, ſed in vno ſunt. Multi ſunt, qui diuiſi ſunt. Hic vnus prædicatur, quia vnitas commendatur. Neque enim verè modò ideò tacentur paſtores, & dicitur paſtor, quia non inuenit Dominus, cui commendet oues ſuas. Tunc autem ideò commendauit, quia Petrum inuenit; immò verò, & in ipſo Petro vnitatem commendauit: Multi erant Apoſtoli, & vni

Id ſer. 50 de verb. Dom.

dicitur, paſce oues meas. Item, Hanc Dominus vnitatem commendans paſtoribus bonis, non commendans paſtores bonos, noluit multos appellare paſtores: Neque enim, vt dixi, iam non erat paſtor bonus Petrus, Paulus, Apoſtoli cæteri, poſteriores ſancti Epiſcopi, beatuſque Cyprianus: omnes hi paſtores boni, & tamen ille paſtoribus bonis non commendauit paſtores bonos, ſed paſtorem bonum. Ego ſum, inquit, &c. Vbi vides, & Paulum, & cæteros Apoſtolos æquè cum Petro apud Auguſtinum, eſſe paſtores, ſed ſub

Id. ſerm. 24. de Sanctis.

quadam vnitate. Et in vno Petro, inquit, figurabatur vnitas omnium paſtorum. Quod ergo vni Petro, & ſeorſim dicitur, paſce oues meas, myſterium tantùm eſt; vt diſcant omnes Apoſtoli, & miniſtri Chriſti, etiamſi ſint innumerabiles; vnicam tamen omnes, & eandem exercere paſturam; & omnes ſimul, ac in ſolidum vnicum eos debere eſſe paſtorem. Quæ eſt Ariſtocratia manifeſta.]

Sed hic multa falſa, abſurda, & à mente Auguſtini aliena dicit. Verum quidem eſt, Auguſtinum ſenſu myſtico, quem ille *illuſtrem* vocat, penè omnia, quæ Petro dicta ſunt, ad Eccleſiam referre, cuius nomine acceperit

claues,

claues, ſed vt ſuprà eſt à nobis ineluctabilibus argumentis oſtenſum, hiſtoricum ſenſum non euertit, atque omninò probat, illum figuram geſtaſſe Eccleſiæ, quòd *Primatum* obtineret, & *princeps* eſſet Apoſtolorum.

Itaque, quòd *in Petro vnitatem commendatam* docet, id verè pro nobis facit, cùm vnitas illa, quam propugnat Auguſtinus, vno
Tract. 36. in Ioan.
capite nitatur. *Quis neſciat*, inquit, *primum omnium Apoſtolorum eſſe beatiſſimum Petrum?* Quod ne quis de primatu ordinis omni auctoritate nudato interpretetur, audiamus illum humanum Cypriani lapſum diluentem:
De Bapt. contr. Donat. l. 2. c. 1.
Puto, inquit, *quòd ſine vlla ſui contumelia, Cyprianus Epiſcopus Petro Apoſtolo comparatur, quantum attinet ad martyrij coronam: cæterùm magis vereri debeo, ne in Petrum contumelioſus exiſtam. Quis enim neſcit*, (audiſne?) *illum Apoſtolatus principatum, cuilibet Epiſcopatui præferendum, ſed etſi diſtat Cathedrarum gratia, vna eſt tamen martyrum gloria.* Quid potuit illuſtriùs afferri pro primatu Petri auctoritate Auguſtini firmando? *Aſſerit, neminem eſſe, qui neſciat illum Apoſtolatus* (Petri) *principatum, cuilibet Epiſcopatui præferendum?* Ergo eius iudicio omnes paſtores, aut Epiſcopi Petro æquales non ſunt.

Immò eius iudicio magnus ſycophanta Spalatenſis, qui eum pro Ariſtocratia laboraſſe, nullo pudore aſſeueret? Addit Auguſtinus, *vereri ſe ne in Petrum ſit contumelioſus*, ſi de dignitate Eccleſiaſtica agens, illum conferat cum Cypriano Epiſcopo. Atqui ſi ſuppar Petro erat Cyprianus, quid contumeliæ Petro fuerit hac illorum collatione irrogandum? Ampliùs addit Auguſtinus, *Cathedrarum Petri, & Cypriani gratiam diſtare.* Quid verò illud eſt, in quo diſtent, niſi quòd Petri quidem maior eſt, & excelſior Cathedra, quam Cypriani, Romana, quàm Carthaginenſis? Alio etiam loco Romanæ Cathedræ auctoritatem opponit conſpiranti multitudini inimicorum Cæciliani, in quibus innumeri erant Epiſcopi, atque hac vna fretum, eum aſſerit, in tuto eſſe potuiſſe, adeòque à conſpirante inimicorum multitudine nihil ſibi timere.
Epiſt. 162.
Poſſet, inquit, *non curare conſpirantem multitudinem, cùm ſe videret, & Romanæ Eccleſiæ, in qua ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguit principatus, & cæteris terris, vndè Euangelium ad ipſam Aphricam venit per cōmunicatorias literas eſſe coniunctum.* Vides, vt Cathedræ Apoſtolicæ principatum in Romana Eccleſia ſemper viguiſſe doceat. Non itaque ille pro Ariſtocratia pugnauit. Et vt tandem intelligat aduerſarius, quo loco Pontificem Petri ſucceſſorem habuerit inter reliquos Epiſcopos, meminerit, eius ſententia Bonifacium alijs Epi-
Tom. 7. cont. duas epiſt. Pelag. lib. 1. cap. 1.
ſcopis, *Celſiore faſtigio in ſpecula paſtorali præeminere.* Hæc ſatis ſunt ad probandum, Auguſtinum de ſpuria illa Ariſtocratia, ne quidem per ſomnium cogitaſſe, ſed vnum ſemper dominici gregis paſtorem ſummum agnouiſſe, ſuſpexiſſe, ac coluiſſe. Non diſſidet ab Auguſtino Ambroſius. Scribit, vt quidem
Ambroſ. de dign. Sacer. cap. 2.
vrget aduerſarius: *Quas oues, & quem gregem non ſolùm tum beatus ſuſcepit Petrus, ſed & nobiſcum eas ſuſcepit, & cum illo eas nos ſuſcepimus omnes.* Addat pari gradu, & dignitate,
Ambr. l. 10. in Luc. ad cap. 24.
& in ſua caſtra tranſierit Ambroſius: Atqui repugnat, & obnititur magnus vir, ſic enim ille pro Petro, *Quia ſalus*, inquit, *profitetur ex omnibus, omnibus antefertur.*

Exiſtimo verò Spalatenſem in collegijs ſocietatis procuratorem egiſſe, qui tam crebrò officij meminerit, & nomen vſurparit! Vult Petrum *procuratorem omnium Apoſtolorum, omnium quoque nomine paſturam* (ſic enim loquitur *accepiſſe*. At mirari ſubit, vndè hoc nomen expiſcatus ſit, cuius nullum extet in tota illa veneranda antiquitate veſtigium.

Patres omnes volunt Petrum, quà principem chori Apoſtolici, perſonam Apoſtolorum, vbique ferè ſuſtinuiſſe, atque etiam pro ijs reſpondiſſe, Spalat. illum procuratorem, hoc eſt, Syndicum facit, immane quàm hoc diſtat ab illo? Et tamen eum non puduit pro hac procuratione teſtem rurſùs adhibuiſſe Chryſoſtomum. Verba eloquentiſſimi Patris
Chryſoſt. hom. 87. in Ioan.
ſunt: *Quid eſt, cur Dominus cæteros præterit, & cum Petro de his rebus loquitur? Erat inter Apoſtolos eximius, & diſcipulorum os, atque illius chori vertex, ſiue coryphæus, propterea, & Paulus aliquando ad eum præ cæteris viſendum aſcendit.* Verbum ne profertur, in quo veſtigium appareat aliquod, quo ſignificetur Petrum procuratorem fuiſſe reliquorum? Ergone ex Calepino didicit, *verticem*, aut *coryphæum* pro huiuſmodi procuratore vſurpari? Petrum certè Patres ampliſſima procuratione ornarunt, ſed hanc adminiſtrationem totius Eccleſiæ Petro commiſſam eſſe voluerunt. Gregorium
Greg lib. 1. indu. 1. epiſt. 24.
quid attinet retuliſſe, cùm procurationem illam ampliſſimam magna nominis ſui commendatione toto orbe exegerit? Aſſerit igitur magnos paſtores fuiſſe Apoſtolos, ſed Petrum celſiore loco inter magnos ponit, quod facit
Ianſen. in Luc. cap. 14.
itidem Ianſenius, quem miror citaſſe Spalatenſem, cùm eum totum *Monarchicum* prædicet, & hoc nomine traducat.

Ioan. 20. Ioan. 21.
Iam armat ſe ſcripturæ auctoritate, & in hunc modum argumentatur. *Priùs*, inquit, *omnibus Apoſtolis ſimul cum Petro dictum eſt à Chriſto, Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos: Et poſteà dictum eſt Petro ſeorſim, Paſce oues meas. Neque video, quomodo affirmari poſſit, aliquid ampliùs dari Petro ſeorſim his verbis, quàm datum fuerit cæteris omnibus illis.* Atqui lubet ereptum de manibus telum in importunum hoſtem retorquere. Chriſtus cùm eſt Petrum alloquutus, & his verbis affatus, *Paſce oues meas, Paſce agnos meos*, Apoſtolos ſumma illa, qua vmquam efloruerunt, auctoritate iam ornarat his verbis, *Sicut miſit me Pater, ita ego mitto vos, &c. Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis, &c.*

Quicquid enim ſplendoris, gloriæ, & dignitatis complectitur Apoſtolatus, *id totum in his verbis continetur*, iudice Spalatenſi. Aderat vnà cum alijs Petrus, cùm primùm dicerentur, eorum vim quoque ſenſerat, totam poteſtatem Apoſtolicam etiamnum hauſerat, in omnes gentes legatus dimiſſus erat, interim tamen poſt tot participatos cum collegis honores, ampliùs quiddam circa eum faciendum ducit Chriſtus: Nactuſque eum ad littus, non quidem à reliquis ſeuocat, ſed priuatim alloquitur, *Simon Ioannis diligis me plùs his?* Dicit ei, *Etiam Domine, tu ſcis, quia amo te*, Dicit ei, *Paſce agnos meos.* Dicit ei iterùm, *Simon Ioannis diligis me?* Ait illi, *Etiam Domine, tu ſcis, quia amo te*; Dixit ei, *Paſce*

agnos

agnos meos? Dicit ei tertiò, *Simon Ioannis amas me? contriſtatus eſt Petrus, quia dixit, & tertiò amas me? Et dixit ei, Domine tu omnia noſti, tu ſcis, quia amo te; dixit ei, Paſce oues meas.* Quis igitur adeò cœcus eſt, qui non videat hic aliquid eximium tribui Petro, quod antea non eſſet conſecutus, cùm Apoſtolatus inſignia, & poteſtatem cum reliquis acciperet? Ad quid enim tot illæ, vt ita dicam, cœremoniæ? Ergone ludebatur Petrus, aut potiùs illudebantur Apoſtoli, adeòque vniuerſitas ipſa Eccleſiarum, quibus caput imponi videretur, nec tamen imponeretur? Anathema tibi à me Spalat. qui in his ab Orthodoxis diſſenſeris, aut viſa peſſum dederis. Ceterùm non ſolùm Petrum auctoritate ſpoliaſti, verùm etiam ipſa auctoritatis ornamenta penè ad eius perniciem conuertiſti. *Neque*, inquis, *video, quomodo affirmari poſſit aliquid ampliùs dari Petro ſeorſim his verbis, quàm datum fuerit cæteris omnibus illis*, Imò addis, *Contrarium potiùs videtur aſſerendum, ibi enim*, ais, *Chriſtus totum ſuum officium, & totam poteſtatem, quæ hominibus mortalibus communicari poterat, generaliſſimè tribuit, & communicat: Hìc verò poſſet aliquis, nec fortaſsè immeritò, ad ſolam paſturam, hoc eſt, ad prædicationem ſe reſtringere.* Mitto reliqua, quæ manifeſtè produnt Spalatenſem, vt Pontificem læderet, in Petrum contumelioſum eſſe voluiſſe.

Videtur autem non planè animo concepiſſe, quid verbo, *Paſcendi*, ſignificet ſcriptura, adeò inconſtanter, aut potius vafrè rem iſtam explicat. Illum igitur noſtri docebunt eam eſſe vim huius verbi *Paſce*, vt pleniſſimæ poteſtati deſignandæ ſubſeruiat, omneſque alios actus Eccleſiaſtici regiminis complectatur.

Scaplet. Bellarm.

Ac vt ſimpliciter dicam cum doctiſſimo Becano; Paſcere idem eſt, quòd officium paſtorale exercere, quod includit tres actus principales, vt ex Scriptura patet. (Becan.)

Becan. de Rep. Eccl. lib. 2. c. 3. n. 7

Primus, inquit Becanus, *eſt pabulum præbere, & ad paſcua ducere*, Ezech. 34. 2. *Væ paſtoribus Iſrael, qui paſcebant ſemetipſos: Nonne greges à paſtoribus paſcuntur?* Et Pſal. 22. 1. *Dominus regit me* (Græcè eſt paſcit me) *& nihil mihi deerit, in loco paſcuæ ibi me collocauit. Secundus eſt, infirmas oues ſanare, diſperſas colligere, errantes reducere, contra lupos defendere.* Ezech. 34. 5. *Diſperſæ ſunt oues meæ, eò quòd non eſſet paſtor, & factæ ſunt in deuorationem omnium beſtiarum agri, & diſperſæ ſunt. Errauerunt greges mei, & non erat, qui requireret.* Et infrà verſ. 15. *Ego paſcam oues meas, & ego accubare faciam, dicit Dominus Deus. Quod perierat requiram, & quod abiectum erat, reducam, & quod confractum erat, alligabo, & quod infirmum fuerat, conſolidabo: & quod pingue, & forte, cuſtodiam. Tertius eſt, præeſſe, regere, gubernare, iudicare, diſcernere, caſtigare.* 2. Reg. cap. 2. *Tu paſces populum meum Iſrael, ideſt, gubernandis, vt patet ex verbis ſequentibus: Et tu eris dux ſuper Iſrael.* Et Pſal. 2. 9. *Reges eos in virga ferrea, Græcè eſt pimanis autis, ideſt, paſce eos.* Et Ezech. 34. 17. *Vos autem greges mei, hæc dicit Dominus Deus;*
Ioan. 21. *Ecce ego iudico inter pecus, & pecus arietum, & hircorum.* Et verſ. 20. *Ecce ego ipſe iudico*
Ioan. 20. *inter pecus pingue, & macilentum.* Cùm igitur Chriſtus, poſthabitis reliquis Apoſtolis, vni Petro dixerit, *Paſce oues meas, Paſce agnos meos*, etiam poſt alios in orbem cum ſumma auctoritate, qua vnquam ſunt potiti, dimiſſos; quis ſanus non fateatur hìc aliquid eximium, ac ſingulare tribui Petro?

Auctor Comment. nomine. Ambr. in 1. Cor. c. 11.

Nimirùm ampliſſimæ dignitatis præfecturam, & capitis Eccleſiæ ſupremam auctoritatem verbo paſcendi deſignatam? *Chriſtus*, ergo, *à Patre miſſus Magiſter*, vt loquitur auctor Commentariorum, qui immeritò Ambroſio tribuuntur, *Magiſtros nobis miſit Apoſtolos; Euntes*, inquit, *docete omnes gentes &c.* Hi pauerunt gregem, ſiquidem, vt acutè obſeruat Bernardus, *Euangelizare, paſcere eſt*: Sed his magiſtris, his paſtoribus caput eſt impoſitus Petrus, cuius ope, & auctoritate vnitas Eccleſiæ ſarta, tectaque ſeruaretur, & omnis occaſio ſchiſmatis præcluderetur, ac depelleretur. Hoc docuit Cæleſtinus Papa Epiſtola ad Concilium Epheſinum; Monet enim Patres, vt fidei, & ſanæ doctrinæ aduersùs Neſtorium propugnandæ diligentem operam nauent. Dictum Chriſti profert, *Euntes, docete omnes gentes*, quo omnes teneantur, omnibus *in commune mandatum officium*, vrget, ſed quemque ſuos auctores ſequi monet: Itaque ipſe ſe Petri ſucceſſorem agnoſcebat, reliquos verò in partem ſollicitudinis vocatos hortabatur, & ſententiam, quam tuliſſet in Neſtorium, exequerentur, certè in eo conſeſſu Patrum Cæleſtino acclamatum eſt, *to phylaci tis piſteos*, & ipſi Patres à Philippo Presbytero Legato Apoſtolico laudati ſunt, quòd *ti agia cephali agia cheli*, pijs exclamationibus honorem exhibuiſſent. Non ergo communis cura ſingularem illam, ac præclaram capitis dignitatem euertit, ſed potiùs eius opem depoſcit, quippè, quæ ſingulos in officio contineat paſtores. (Conc. Eph. p. 2. act. 2.)

Spalat. Num. 5. Chryſoſt. hom. 87. in Ioan.

Quod verò contendit Spalatenſis [Nullam verbo paſcendi contineri poteſtatem, quæ non meliùs, & ampliùs contineatur in illis Chriſti Apoſtolis, Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Et illis, Euntes, docete omnes gentes] præterquam quod ſupra eſt à nobis refutatum, impiam quoque ſententiam habet, quæ nimirùm decus, & ornamentum dignitatis Petri, ac magnificentiam Chriſti ſua parſimonia imminuat, & Chriſtum ipſum ſimplicitati Petri illudentem inducat, Ad quid enim, vt dicebamus, tot illæ cæremoniæ? Quorsùm repetitæ de amore, quo ſe proſequeretur, interrogationes? Quorsùm tam magna pompa iniunctum paſcendarum ouium munus, ſi præ cæteris nihil eſt ei tributum? Quàm meliùs, & ſapientiùs Chryſoſtomus, *egchirizeta tin proſtaſian ton adelphon.* Idem facundiſſimus Pater faſce vno quaſi complexus quæcumque ornamenta, tunc tribuiſſet Petro Chriſtus. *Cùm magna*, inquit, *Chriſtus Petro communicaſſet, cæ tin icumenin, enechiriſe, martyrium prædixiſſet, & maiorem erga eum dilectionem teſtatus eſſet, cùm vellet Petrus Ioannem ſocium, & collegam, inquit: Hic autem quid?* Itaque magna erant, quæ ſibi tributa agnoſceret Petrus, & horum quidem collegam, & ſocium habere cupiebat Ioannem, in quem propenſiſſimo eſſet affectu: Non igitur ſententia Chryſoſtomi par Ioannes Petro, & tamen in eorum quoque nu-

mero erat Ioannes, quibus dixerat Chriſtus, *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*. Ergo eiuſdem Patris ſententia, eſt Petri amplificata à Chriſto dignitas, cùm ei dictum eſt, *Paſce oues meas, Paſce agnos meos*, ac eximiæ dignitatis ei ſupra Apoſtolatum facta eſt acceſſio.

Tergiuerſatur Spalat. & vrget, hunc ipſum facundiſſimum Patrem de Apoſtolis dixiſſe, *cùm eſſent orbis terrarum curam ſuſcepturi, ſimul ampliùs eſſe non oportebat*. (Num.5. Chryſ. ibid.) Reſpondeo primùm, ea verba *collectiuè*, vt locus oſtendit, non *diſtributiuè* accipienda eſſe. Intelligit aduerſarius, quæ velim. Erant non ſinguli totius orbis curam ſuſcepturi, quamquam non negauerim, ad eos quoque extraordinario iure hoc munus pertinuiſſe, ſed ſortione facta erat, quiſque eorum in aliquam orbis terræ partem ſe daturus, vt ſcilicet, (Rom.10.) *In omnem terram exiret ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Deindè loquitur Chryſoſtomus de munere prædicationis, cenſetque totum orbem ſubiectum Apoſtolis promulgandi Euangelij reſpectu, quòd nimirùm illis dictum ſit, *Euntes, docete omnes gentes*. At de regimine ordinario, quo Eccleſiam ſuam informaſſet Chriſtus non loquitur. (Serm.2. de laud. Paul.) Ad eandem prædicationis vim reſpectans, dixit de Paulo magnus Pater illum gubernaſſe *tin icumenin apaſan*. Quòd enim de prædicationis munere illi ſermo ſit, hinc colligas quod cùm eum Michaeli, ac Angelis omnibus, citra tamen vllam illorum iniuriam antetuliſſet, ac docuiſſet Michaeli gentem commiſſam Iudæorum, Paulo verò terras, ac maria, atque vniuerſi orbis habitationem, ſtatim ſubiecit, Chryſoſt. hom.1. de laudib. B.Pauli Apoſt. *Cuius autem rei gratia non Angelis potiùs hæc prædicationis cura commiſſa eſt?* Atque reſpondet, *vt nullum ſcilicet excuſationis colorem de ſe inueniret anima negligens, ac ne tu ad diuerſitatem naturæ confugeres dormiendo*: quibus verbis mirificè oſtendit ſe de prædicatione Euangelij ſermonem inſtituiſſe.

Quo ſenſu etiam dixerat priore homilia, Chryſ. de laud. B.Pauli Apoſt. hom.1. *Quia ſeipſum Deo conſecrauerat (Paulus) etiam orbem vniuerſum ſtuduit offerre: qui terram videlicet, ac mare, Græciam, ſimulque Barbariam, omnemque prorſus, quanta eſt ſub cœlo, regionem, quaſi volitans circumiuit, non ſimplici labore, veluti in vacuum itinera percurrens, ſed peccatorum ſpinas pariter euellens, & verbum ſeminans &c.* (Chryſ. or.6. cont. Iudæos) Idem ſanctiſſimus Pater Timotheo *orbem terrarum commiſſum*, pronunciat, ſcilicet, *ex officio charitatis*, non ratione *poteſtatis, aut auctoritatis*, quam in totum orbem eſſet conſecutus. (2.Cor.11. orat. 5.) Eximium enim Pauli diſcipulum decuit eodem flagrare affectu, quo flagraret bonus Magiſter, cuius *ſollicitudo eſſet omnium Eccleſiarum*. Certè alia aduerſùs Iudæos oratione auditores ſuos hortatur, vt procurationem ſalutis proximi ſuum negotium putent, ac vanam eorum cauſationem depellit, qui dicerent, nil ſibi cum alijs negotij eſſe, quando charitas ad omnes ſeſe fundit. Eodem ſcilicet deſiderio totum orbem ſuis laboribus iuuandi exarſerunt tum Apoſtoli, tùm Apoſtolici viri, qui eo ſæculo floruerunt, ac prætereà cùm fidei fundamenta iacerentur, totuſque mundus erroribus ſcateret, prioribus illis doctoribus, ac orbis colonis eximia quædam concedenda fuit auctoritas, qua faciliùs, & vberiori cum fructu iniunctum ſibi munus exequerentur; & obirent.

Hinc ſcilicet Apoſtolos ampliſſima poteſtate ornauit Chriſtus, ſed ea, quòd extra ordinem eſſet conceſſa, vnà cum illis interijt; ac finem inuenit, parte tantùm eius, vt explicabitur, ad Epiſcopos deriuata: Petri verò auctoritas, quòd ex ordine eſſet, & fulciendę vnitati non minùs in ſecuturis ſæculis, quàm prioribus neceſſaria foret, ad finem vſque ſæculi eſt duratura. Et quidem benè eſt, quod ipſe Spalat. poteſtatem illam Apoſtolorum potiùs habitualem, quàm actualem fuiſſe agnoſcit: Nos enim Petri planè actualem fuiſſe, hoc eſt, & actu habuiſſe, & ea vſum fuiſſe oſtendimus, oſtendemuſque toto hoc opere, vt iam, vel hoc titulo inferiores reliqui Apoſtoli cenſeri debeant, quippè, qui huic ſuæ dignitatis principi bono vnitatis faſces ſummitterent. (Num. 5. in fine.) Hoc ſcilicet locis à nobis prolatis docuit Bernardus, quem immeritum traducens, Caluino ipſo impudentiorem ſe præbet aduerſarius. Dolet illi, pietatis amantiſſimum virum, de ouibus Petro commiſſis magnificentiùs pronunciaſſe.

Sed ad amuſſim Euangelij hæc primùm exegit vir ſapientiſſimus, *Paſce oues meas*. (Ber. de conſider. lib. 2 cap.8.) *Quas*, inquit Bernardus, *illius, vel illius populos ciuitatis, aut regionis, aut certi regni? oues meas, inquit, cui non planùm non deſignaſſe aliquas, ſed adſignaſſe omnes? Nihil excipitur, vbi diſtinguitur nihil. Et fortè præſentes cæteri condiſcipuli erant, cùm committens vni, vnitatem omnibus commendaret in vno grege, & in vno paſtore ſecundùm illud, Vna eſt Columba mea, perfecta mea; vbi vnitas, ibi perfectio. Reliqui numeri perfectionem non habent, ſed diuiſionem recedentes ab vnitate. indè eſt, quòd alij ſinguli ſingulas ſortiti ſunt plebes, ſcientes Sacramentum. Denique Iacobus, qui videbatur columna Eccleſiæ, vna contentus eſt Hieroſolyma, Petro vniuerſitatem cedens.* Non eſt iſta amplificatio oratoria; ſed Theologica planè diſſertatio. Iam omnia myſteria à catholicis doctoribus obſeruata, magna contemptione proculcat Spalatenſis, ac dignã non habet, in quibus eruendis, aut potiùs refellendis operam ponat, cùm tamen magni eſſe momenti repetenti ex Stapletano, Bellarmino, Salmerone, Maldonato, & alijs paſſim dubium eſſe non poſſit.

Quod verò etiam Apoſtolorum curam Petro demandatam noſtri pronunciant, (Spalat. Num 6.) intollerabilem hunc reputat errorem, & vt pium dogma euertat, iocatur homo, vt eſt à parente eloquentiæ de Epicuro dictum [Minimè aptus ad iocandum. Ad quid obſecro, inquit, fortaſsè ad ipſorum confeſſiones audiendas, An ad ipſos docendos, & inſtruendos, an ad corrigendos, & puniendos? Vno verbo mi Antoni [Ad ſchiſmatis occaſiones tollendas, & ne, quod prudentiſſimè monuit Optatus, ſinguli ſingulares cathedras, pacis, ac concordiæ Eccleſiaſticæ detrimento, ſibi conſtituerent.] Quamquam enim, vt eſt ſupra à me obſeruatum, in Apoſtolis non periclitaretur decus vnitatis, tamen illo

illo ipſo eorum ſæculo ea regiminis Eccleſiaſtiei forma inſtituenda fuit, quæ in ſecuturis, ſæculis ab omnibus teneretur, ac obſeruaretut. Hoc in genere haud diſpari oſtendere fuerit facilè. Conciliorum ope ad dogmata fidei, & religiouis eruenda, proculdubiò opus non habebant Apoſtoli, quippè quos perpetuo quodam afflatu impelleret, & moueret Spiritus ſanctus; verùmtamen, vt poſtros docerent, quæ ratio eſſet ineuuda in definiendis rebus religionis grauiſſimis, Concilia coegerunt, & non niſi de communi ſententia, quæ eſſent fidelibus animo complectenda, ſtatnerunt:

Act. 15.

Ità nimirùm poſteritati canebatur, ac ſequendus ordo ſanciebatur. Id hìc quoque factum obſerua [Petro doctore inſtitutore, confeſſario, correctore non indigebant Apoſtoli, ſed eum idcirò capitis loeo venerati ſunt, vt cœteris exemplo præirent, teque vnum, qui de eorum hæreditate inaniter te iactes, docerent, quieumque cum eo non colligant, hos omninò diſpergere. De confeſſionibus audiendis ſubmurmurat, quòd iugum iſtud Chriſti vita iniquinatiſſimum valdè grauet; ſed parum illum Apoſtolorum Innocentia iuuat. Fuit hoc illorum ſummum decus, & priuilegium, vt hoe & ſimilibus præſidijs non egerent, ſed tantus futurus non erat reliqnorum candor, aut innocentia Epiſcoporum, & ipſe, ſi qnis ei ſenſus pietatis relictus, ſè illo vno maximè indigere probè aduertit. Non ergo ad confeſſiones Apoſtolorum audiendas, uon ad eos monendos, aut eriam plectendos eſt à Chriſto Petrus Apoſtolorum paſtor conſtitutus, ſed ad vnitatem Eccleſiaſticam, & pacem inter fratres ſanciendam.

Spalat. Num. 6.

De reprehenſione Petri, cui Paulus ſe oppoſuerit, poſteriùs videbimus. Sed Spalatenſis valdè in Chryſoſtomum contumelioſus eſt, quem, vt fumorum venditorem traducat.

Chryſoſt. hom. vlt. in Ioan. Caiet. tract. de auctorit. Pap. & Cõcil. c. 3.

[Videtur, inquit, Chryſoſtomus in decurſu exundantis orationis innuere, Petrum, ex conceſſa ſibi fratrum cura à Chriſto, quæſiuiſſe de Ioanne; Hic autem quid? quod etiam ponit Caietanus: Sed ſicut maniſeſtum eſt, interrogationem illam ex ſola curioſitate profectam, vt nihil curæ fratrum in ſe contiuere, ita illa tranſcurſim à Chryſoſtomo dicta, non ſunt eum rigore accipienda: Nam alia, quæ ibidem hic doctor dieit de commiſſa Petro fratrum cura, facilè intelliguntur de ſratribus, fidelibus videlicet, nõ de Apoſtolis, quicquid dicat Bellarmiuus: commiſſionem etenim hanc fratrum curę accepit Chryſoſtomus in illis verbis, Paſce oues meas: oues verò paſcendæ erant populi conuertendi,] Itaque non vnum Chryſoſtomum lacerat, atque vt futilem oratorem proſcindit, ſed & ipſum Petrum vanæ cuiuſdam curioſitatis teũ arceſſit, vt iam in cælum os poſuiſſe meritò cenſeatur, ſed tanti non ſunt illius nugæ, vt magua hæe eœli lumina ad eas obſcnrentur. Totus certè mendacijs ſcatet inconſtantiſſimis, Dicebat ſupra, Monarchicos, ſic enim paſſim catholicos indigitat, *multa myſteria venerari in verbis, Paſce oues meas, vt Primatum Petri formarent*, hìc ita eos inducit loquentes, vt nihil myſterij in illis iam cernant, aut peruideant.

Turrecremmatam delectum, puto, ſibi hoſtem pungit, & quod ſapientiſſimè ille dixit, iſte ſtultiſſimè interpretatur: Vult Turrecremata omnes circumſtantias adhiberi, ac aduocari, quibus illuſtrior reddatur ille locus, *Paſce oues meas*: Speciatim monet ſpectandum eſſe Chriſtum præſentibus alijs Apoſtolis, nulla de illis mentione facta, ſoli Petro indefinitè curam gregis ſui commiſiſſe, & Spalatenſis eum loco ceſſiſſe, ac manus dediſſe prædicat. Hoc eſt, ſibi fingit eum admiſiſſe nihil ſingulare Petro tributum illis verbis, *Paſce oues meas*: Ità ne verò homo tam Monarchicus, hoc telum eripi ſibi de manibus per ſummam ſocordiam paſſus ſit. Non ex ſola paſtoralis curę commiſſione eſt argumentatus; hoc ipſum fatemur; Ergò ex ea non eſt argumentatus? Num hic bellus eſt Sophiſta? Itàne ab exeluſiua, vt loquuntur in Scholis, ad ſimplicem Categoricam ducitur in dialecticis argumentum? Ergo hæc habeat, vt deſinat eſſe importunus. Chriſtus illis verbis, *Paſce oues meas*, Petrum Eccleſię ſuæ in vniuerſum præfecit, in eum vnum curam eius paſcendæ incumbere voluit, eùm vnum, cęteris præſentibus, ſit allocutns. In numero ouium ſunt Apoſtoli, atque in cælis beato æuo fruentes grauiter iam ferunt ſe ſacro iſto ouili excludi, ac ex illo albo expungi. Neque verò in locum Chriſti inducitur à nobis Petrus, niſi qui vicariam ei operam, & famulatum præſtet, quique demandatam ſibi à principe paſtorum prouinciam obeat. Sub ipſo Chriſto Apoſtolos omnes Paſtores cum Auguſtino agnoſcimus, ſed & cum eodem ſanctiſſimo Patre, Petrum eorundem paſtorem principem prædicamus. Et quòd ille verba, *Paſce oues meas*, ad ipſos quoque Apoſtolos pertinere docet, nos quoque probamus, nam quæ ſunt capiti tributa ad membra tam inſignia, adeòque dignitate proxima, omninò ſpectant: Et certè, *cùm ei dicitur, ad omnes dicitur, Amas me, Paſce oues meas*, vt præclarè ſcripſit Auguſtinus, ſed niſi ipſe reliquorum princeps eſſet, proculdubiò vni ei non dicerctur; ſed eùm ipſe tamquam princeps, & caput reliquos virtute complecteretur, omnes conceſſum imperium cum illo participarunt.

Spalat. Num. 7.

Nimirùm bono vnitatis factum putat Auguſtinus, vt vni Petro ſit hæc cura ex nomine demandata. *Immò verò*, inquit, *& in ipſo Petro vnitatem commendauit. Multi erant Apoſtoli, & vni dicitur, Paſce oues meas.* Quare in fidei ſuæ probationem vnum Petrum, ac vnam Romanorum Epiſcoporum ſucceſſionem, ad quos nimirùm hæc verba proximè pertineant, proferre ſatis ducit contra Manichæos. *Multa ſunt*, inquit, *quæ me in Eccleſia retinent: Tenet ab ipſa ſede Petri, cui oues ſuas paſcendas Dominus commendauit. vſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio Sacerdotum.* Etſi igitur Apoſtoli comparatione reliquorum fidelium paſtores, tamen comparatione Chriſti, qui vices ſuas peculiari quodam fauore demandauit Petro, oues ſunt, quare vt eleganter, ita verè cenſet Chryſoſtomus, Fratres ei ſuos hac oratione commendatos, *Paſce oues meas*. Etſi enim negat Spalatenſis nomine fratrum, Apoſtolos intellexiſſe Chryſoſtomum, ac de reliquis fidelibus interpretatur, planum eſt, vt eruditè probat Bellarminus de

August. lib. de Agone christ. c. 30. in Pſal. 142. tract. 46. in Ioan. Idem de Paſt. c. 13. Aug. contr. epiſt. Fund. cap 4. Hom. 87. in Ioan.

Apoſtolis omninò fuiſſe loquutum, cùm ſtacim ab eo munere ſibi iniuncto, de Ioanne ſollicitus fuerit, ac à Domino quæſierit, Supra n.6. Domine [Hic autem quid ? Propterea ſcilicet in curſu exundantis orationis] ad hunc lapidem impegiſſe facundiſſimum Parrem, criminatur Spalatenſis, cui cùm id vnum conſtitutum ſit, veritatem, vt funditùs tollat, mendacijs ſe recreat, vana myſteria conſectatur, & tradita à Patribus dogmata grauiſſima, leuitatis facit plena, ac futilitatis.

Spalat. Num. 8. [Primum, inquit, myſterium huius Chriſti actionis erit myſterium vnitatis Collegij Apoſtolici, ne ipſum collegium diſſolueretur. Cùm enim Petrus ſolus ex duodecim Apoſtolis negaſſec Chriſtum expreſsè, poterant reliqui illum meritò excludere, vitare, abijcere, & conſequenter diſſoluere vnitatem illam collegij Apoſtolici, cuius vinculum, Chriſti inſtitutione, factus fuerat Petrus, vt explicatum eſt à nobis cum Hieronymo, & Optato capite præcedenti num. 20. 21. Explicat hoc myſterium ſatis fuſè Optatus Mileuit. &c.]

Atqui Patres, quos pro hac ſententia citat, longè aliter explicant myſterium vnitatis, quàm ſartam, tectamque voluerit Chriſtus his ad Petrum verbis; *Paſce oues meas*, docent enim Petrum impoſitum caput Eccleſiæ, vt cæteris non liceret ab eius ſe ſocietate, & com- Optat.lib.2. munione quocunque prætextu ſubducere. Audiat Optatum; [Dubitare non potes, ſcire te in vrbe Roma Petro primò Cathedram Epiſcopalem eſſe collocatam, in qua ſederit omnium Apoſtolorum caput Petrus, vndè, & Cepha appellatus eſt: in quo vna Cathedra, vnitas ab omnibus ſeruaretur, ne cæteri Apoſtoli ſingulas ſibi quiſque defenderent, vt iam ſchiſmaticus, & peccator eſſet, qui contrà ſingularem Cathedram alteram collocaret. Ergo Cathedra vnica, quæ eſt prima de dotibus, lib.7. ſedit prior Petrus.] Quòd igitur poſterioribus libris contrà Donatiſtas vrget lapſum Petri, nihil offeciſſe ſummæ Petri dignitati, præcedentium quædam eſt confirmatio.

Eò loci enim agit Optatus cauſam Epiſcoporum Catholicorum, quos veluti traditores traducerent Donatiſtæ, hoc eſt, quos timore tormentorum adductos, libros ſacros tradidiſſe hoſtibus Chriſtiani nominis, qui eos flammis abolendos commiſiſſent, criminarentur, nec obſtinatiſſimis hæreticis iuſtam cauſam eſſe, cur ſiue veri, ſiue ficti criminis, odio vnitatem ſcinderent, oſtendit exemplo Petri, cuius cùm extaret grauiſſimum crimen in Chriſtum admiſſum, tamen neque ab ipſo Chriſto, neque ab Apoſtolis eſſe repudiatus. Sic igitur argumentatur Optatus. Non excidit Petrus dignitate ſua, ſed caput eſſe Apoſtolorum (ita enim illum indigitat) perſeuerauit etiam poſt admiſſum ſcelus, quo grauius non fuerit crimen eorum, quos traducitis, etiamſi ſacrilegium admiſſum concedatur. Quid eſt igitur, quòd vos Donatiſtæ Catholicos premitis, & inſectamini, quaſi horum communione polluantur, ac contaminentur ? An polluit collegium Apoſtolorum negator Domini Petrus, quem conſtat non ſolùm veniam conſecutum, ſed & in priori gradu recentum à Chriſto ? Annon eo priori dignitati reddito, Apoſtolis omnem ſubmurmurandi occaſionem ademit Chriſtus ?

Verba Optati ſunt, [Vnitatem ipſum Optat.lib 7. contr. Parmen. Chriſtum videmus præpoſuiſſe vindictæ ſuæ, qui magis omnes diſcipulos ſuos voluit in vno eſſe, quàm quòd offenſus fuerat vindicare, dum nollet ſe negare, promiſit ſe apud Patrem negaturum eſſe, qui ſe negaret apud homines. Et cùm hæc ita ſcripta ſunt, tamen bono vnitatis Beatus Petrus, cui ſatis erat, ſi poſtquam negauit, ſolam veniam conſequeretur, & præferri Apoſtolis omnibus meruit, & claues regni cœlorum communicandas cæteris ſolus accepit. Et rursùs, Apoſtoli cæteri bono vnitatis per charitatem noluerunt à communione Petri recedere, eius ſcilicet, qui negauerat Chriſtum. Quòd ſi maior eſſet amor innocentiæ, quàm vtilitas pacis, & vnitatis, dicerent ſe non debere communicare, vt ſuprà dictum eſt, B. Petro, qui negauerat Magiſtrum, & Dei filium Dominum: Poſſent non communicare, vt ſuprà dictum eſt, beatiſſimo Petro: poſſent contrà illum recitare verba Chriſti, qui promiſerat ſe negaturum, apud Patrum eum, qui ſe coràm hominibus denegaſſet. Pauló poſt, Potuit vtique caput Apoſtolorum ita ſe gubernare, vt nihil incurreret, quod doleret; ſed ideò in vno titulo eius multa videntur errata, vt poſſit oſtendi bono vnitatis omnia debere Deo ſeruari.] Non potuit illuſtrior locus pro auctoritate Petri firmanda proferri.

Primùm enim Optatus de perſona Petri, ex qua vnitatis retinendæ (ſunt hæc illius verba) vel faciendæ iuxta Euangelij lectionem ratio ſumatur, loqui ſe profitetur, itaque ad perſonam pertinere putat, quæ ſunt de Petro in Euangelio explicata: Bono vnitatis non ſolùm eum veniam conſecutum delicti, ſed, & amplificationem honoris nactum, vt præferri omnibus Apoſtolis meruerit; & regni cœlorum claues cæteris communicandas ſolus acceperit, prædicat. Cenſet ergo, Petrum auctoritatem reliquis antecelluiſſe: Addit, potuiſſe [Caput Apoſtolorum ita ſe gubernare, vt nihil incurreret, quod doleret, ſed ideò in vno titulo eius multa videri errata, vt poſſit oſtendi bono vnitatis omnia debere ſeruari.] Poſtremò, ſeruatæ illi dignitatis cauſam hanc aſſignat. [Interclusa eſt malitiæ via, ne Apoſtoli animo licentiam iudicandi acciperent, & ſecurè contemnerent eum, qui negauerat Chriſtum, inter innocentes peccator accipit claues, vt vnitatis negotium firmaretur. Proiſum eſt, vt peccator aperiret innocentibus, ne innocentes claudant contrà peccatores.] Vides igitur Petrum eius ſententia prælatum innocentibus Apoſtolis, & eo facto, in vnitam aduersùs ſchiſmata Eccleſiæ vnitatem, cuius bono perſeuerarit Petrus caput eſſe Apoſtolorum. Hinc ad finem libri gloriatur, nil habere Donatiſtas, quo efficere poſſint mendacium eſſe, Cathedram Petri, & claues regni Cœlorum à Chriſto conceſſas eſſe, vbi eſſet Catholicorum ſocietas.] Hæc vnitatis commendatio eſt ab Optato inducta; vt intollerabilem Donatiſtarum faſtum profligaret. Itaque eius ſententia, ea vnitas caput depoſcit, cuius interuentu illæſa, ac illibata perſeueret. In ſimili ſententia eſſe Auguſti- lib. de paſt. cap. 13. num, illa produnt, quæ ſunt ſuprà à nobis explicata, [In ipſo Petro, inquit, vnitatem

com-

commendauit, multi erant Apoſtoli, & vni dicitur, *Paſce oues meas*.

Spalat. Num. 9. Secundùm myſterium profert Spalatenſis, quod ex Auguſtino ſe hauſiſſe prædicat, nimirùm [propterea ſoli Petro ſeorſim paſturam committi, quia Petrus figura erat, & typus omnium paſtorum, & totam Eccleſiam repræſentabat.] Sed pridem monuimus Auguſtinum omnibus locis, quibus in Petro commendatam vnitatem, aut ipſum Petrum figuram fuiſſe Eccleſiæ, eius perſonam ſuſtinuiſſe, eius nomine claues accepiſſe, ſcribit, primatum Petri commendaſſe, ac illuſtraſſe. Oſtendimus enim ſuprà, Auguſtinum iſta omnia ad primatum, & principatum Petri retuliſſe, ob quem perſonam ſuſtinuerit Eccleſiæ, ac propterea non eſt,cur in his diutiùs immoremur. Satis ſit aduertiſſe, mendacium eſſe ſplendidiſſimum, quod ille aſſerit, cenſuiſſe Auguſtinum *veniam negationis datam eſſe Petro illis verbis, Paſce oues meas*: Præceſſerat enim venia, vt ſtatim oſtendemus, & cùm hæc ei dicta ſunt, erat iam beneficio Chriſti omni ſcelere exemptus. Mirari verò ſubit, qui Petrum *procuratorem* faciat *generalem Apoſtolorum, qui eorum nomine curam paſtoralem acciperet*, cùm ſuprà voluerit Chriſtum ei dixiſſe, *Paſce oues meas, ne alij eum à ſuo Collegio propter præcedens peccatum arcerent*: Ergòne eum procuratorem ſuum conſtituerant, de quo à ſuo cœtu eijciendo cogitarent? Aut de eo repudiando ſtatuerent, quem ſuæ dignitatis procuratorem ſuum haberent? Quàm ſunt hæc ineptiarum plena.

Num. 8.

Reuertamur ad Auguſtinum, is proculdubiò cùm vnitatem in Petro commendatam ſcriberet, Ambroſium ſequebatur Magiſtrum ſui dogmatis: Nimirùm vt eſt à nobis ſuprà oſtenſum. Idcircò cùm Petro reliquos Apoſtolos, & cum reliquis Petrum claues accepiſſe, , cenſet magnus Pontifex, quòd Petrus tamquam princeps, ac caput reliquorum, communicandas eis claues, quæ eſt ſententia Optati, ſit conſecutus. Certè Ambroſius Petrum reliquis antelatum cenſet, cùm eſt ei à Chriſto dictum, *Paſce oues meas, Paſce agnos meos*, eiuſque muneris dignitatem ad ſummum illum affectum, quo Chriſtum proſequeretur, refert. *Ideò*, inquir, *quia ſolus profitetur ex omnibus, omnibus antefertur*. Ac ſanè ipſius Ambroſij ea eſt diſtinctio de ouibus, & de ouiculis, quam ſuprà exagitabat Spalat.

Amb. li. 10. comment. in Luc. ad c. 24 Spalat. ſup. num. 6.

Tertiò, inquit, *Dominus, non iam diligis me? ſed Amas me? interrogauit, & iam non Agnos, vt primò, quodam lacte paſcendos, ſed oues paſcere iubetur*; Perfectiores, vt perfectior gubernaret; Quis hic non videat Ambroſium totum eſſe in ornando Petro, ac eius priuilegijs recenſendis, quibus ſit omnibus antelatus? Proindè cùm Ambroſium imitatus ſit Auguſtinus, ac ſequatur, non eſt, quòd in eo hæreamus; conſentanea ſcilicet magiſtri doctrinæ tradidit.

Spalat. n. 10. Tertium myſterium in eo ponit Spalatenſis, quod dici poſſit, [Petro ſingulariter Chriſtum dicere, Paſce oues meas, hoc eſt Iſraelitas, qui tunc ſoli erant Chriſti oues; vndè & dicebat, Non ſum miſſus, niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſrael. Et Paulus ipſum Dominum vocat Miniſtrum Circumciſionis. Erant quidem, & aliæ oues, nimirùm Gentiles, ſed illæ nondùm erant de ouili Chriſti. Volebat itaque Petrum inſtituere Apoſtolum præcipuè Iudæorum, nam deſignabat Paulum in præcipuum Apoſtolum gentium, iuxta illud: Qui operatus eſt Petro in Apoſtolarum circumciſionis, operatus eſt mihi, & inter gentes. Et, Creditum eſt mihi Euangelium præputij, ſicut, & Petro Circumciſionis. Et Iacobus, Cephas, & Ioannes, qui videbantur columnæ eſſe, dextras dederunt mihi, & Barnabæ Societatis; vt nos in Gentes, ipſi autem in Circumciſionem, &c. Non quòd & Paulus non poſſet Iudæis annuntiare, quod & ſæpiùs præſtitit: & Petrus gentibus, quod abundè, & ipſe fecit, hæc enim erat communis poteſtas omnium, & ſingulorum Apoſtolorum, vt quod iam docui, quiſque poſſet vbicumque liberè, Euangelium prædicare: ſed quòd præcipua Petri cura debuiſſet in Iudæos extendi, & in ipſos, quamdiù ſpes ipſorum conuerſionis aliqua ſupereſſet, exerceri; Pauli verò in Gentiles: Ideò Chriſtus Dominus, ſicut ipſe nonniſi Iudæis prædicauit, ita ad maiorem ipſorum confuſionem, poſt ipſius diſceſſum, primum, & præcipuum Apoſtolorum ad ipſos præcipuè deſtinauit Petrum, dicens ei, Paſce oues meas. Quibus verbis ſolos ipſi Iudæos commendaſſe mihi videtur ex dictis probabiliſſimum: Neque video oppoſitionem vllam, quæ alicuius ſit momenti; Si enim quis inferret, igitur Petrus non habuit poteſtatem in Gentiles; negarem illationem, illam enim æqualem habuit cùm cæteris; ſiquidem etiam ipſi dictum fuit, Scut miſit me Pater, & ego mitto vos. Et, Euntes, docete omnes Gentes, &c. Quòd verò interdùm Patres aliqui dicant totius Eccleſiæ paſturam illis verbis contineri, non facit, quominùs etiam hæc interpretatio de ouibus Iſrael ſuam habeat probabilitatem, cùm non modò non repugnet ſacris ſcripturis, ſed etiam illis, vel maximè conformetur.]

Matt 10. 15. Rom. 15. Ioan. 10.

Galat. 2. Ibidem. Ibidem.

Cenſura Pariſienſis. At noſtri Pariſienſes grauiſſimè de hoc Spalatenſis dogmate cenſent, *Hæc propoſitio*, inquiunt, *in verbo*, ſolos Iſraelitas, *hæretica eſt, & ignorantiam craſſiſſimam auctoris prodit*. Itaque nullum hìc ſubeſt myſterium, ſed iudicio doctiſſimorum Patrum, craſſum mendacium ex auctoris ignoratione profectum. Et quidem mendacium eſt ſpectatiſſimum, ſolos Iſraelitas, tunc fuiſſe oues Chriſti eo ſenſu, quo de ouibus ſuis eſt loquutus Chriſtus; Nam eadem ſignificatione eſt ab eo dictum, *Alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere*. Quo loco proculdubiò de gentilibus loquitur, quorum Magos Regis Meſſiæ incunabula adorantes, primitias fuiſſe, ſacri interpretes notant. Neq; eorũ ſententiam labefactat; quod opponit Spalat. Gentiles nondùm fuiſſe de ouili Chriſti: namque ſi de ijs tantùm ouibus loquitur Chriſtus, quæ actu erant in ouili ſuo, quas oues commendauit Petro? Certè ſolos Apoſtolos, ac alios pauciſſimos fideles, qui ſoli iam in Chriſtum crederent. Et ita quidem cùm Apoſtolos gubernationi Petri ſubducere molitur, eis maximè Petrum caput imponit: iam verò, ſi & eas oues complectitur, quæ poteſtate erant oues, Quemadmodùm de Iudæis eſt pronunciatum. *Non ſum miſſus, niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſrael*, ita quoque de gentibus

Ioan. 10.

tibus

tibus eſt pronunciatum: *Alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere.*

Et hìc rurſùs noſtri Pariſienſes aduertunt, Spalatenſem totum eſse in imminuẽda dignitate Petri, ac eius veluti odio exacerbatum ipſas euertere, ac funditùs tollere Scripturas. Nam ſi hìc ſoli ſunt Iudæi curæ Petri commiſſi, detraxit aliquid priori dignitati Chriſtus, tantum abeſt, vt auxerit: namque illis verbis, *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos, &c.* vnà cum reliquis nactus erat poteſtatem prædicandi vbiuis gentium, Euangelij, hìc verò ad ſolos Iudæos dirigitur: ergo eſt imminutus eius magiſtratus, & arctata ampliſſima poteſtas. Hæc ne aliquis ſcripſerit ſobriùs? Ipſe Spalatenſis fatetur, poteſtatem fuiſſe *datam Petro prædicandi gentibus, & ineptè eius Apoſtolatum Iudæa definiri, ac circumſcribi.* Quid igitur tergiuerſatur, & illi ſolos Iudæos commendatos, comminiſcitur? Hoc eſt ineptire.

Porrò quod attinet ad locum, *Non ſum miſſus niſi ad oues, quæ perierant domus Iſrael,* Aug. tract. 51. in fin. nodum ſoluit Auguſtinus, ac de præſentia corporali Chriſti eſt doctè interpretatus. Secundùm ſpeciem corporis, *Non ſum miſſus,* inquit, *niſi ad oues, quæ perierant domus Iſrael, quomodo habet alias, ad quas non eſt miſſus, niſi quia ſignificauit, per præſentiam corporalem non ſe miſſum exhibere, niſi ſolis Iudæis, qui viderunt, & occiderunt, & multi tamen indè, & antea, & poſtea crediderunt?* Itaque ſententia Auguſtini, Chriſtus miſſus nonerat, vt præſentiam, conuictum familiarem, miracula, & ſigna, alijs, quàm ouibus Iſrael exhiberet; erat miſsus etiam ad Gentiles, vt eos ſanguine ſuo redimeret, & per prædicationem Apoſtolorum ad ſuum ouile perduceret: *Non enim eſt diſtinctio Iudæi, & Græci, nam idem Dominus omnium,* æquè pro omnibus mortuus eſt Chriſtus.

1.Pet.1. At alijs teſtimonijs Scripturarum agit Spalatenſis. [Quare enim, inquit, (obſecro) Petrus ſuam primam ſcribit Epiſtolam electis aduenis diſperſionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ, & Bithyniæ, hoc eſt, Iudæis, qui Iacob.1. in Chriſtum crediderunt? Aduenas enim diſperſionis eoſdem intelligit, quos, & Iacobus, vbi ait, Iacobus duodecim tribubus, quæ ſunt in diſperſione, ſalutem.] Fateor, non capio vim argumenti. [Petrus, inquit, ſcripſit Iudæis diſperſionis, qui in Chriſtum crediderant.] Ergo cùm ei dictum eſt, *Paſce oues meas,* Iudæos intellexit Chriſtus. Componat Syllogiſmum pari forma; Paulus egregiam epiſtolam ad Hebræos ſcripſit, Iacobus quoque duodecim tribubus, [quæ eſſent in diſperſione, ſuam ſcripſit, ergo Paulus, & Iacobus paſtores fuerunt Iudæorum.] Et gentium, & Iudæorum, mi Antoni, Apoſtoli fuerunt, & priùs illud præceptum, *In viam gentium ne abieritis,* poſteà ſoluit, ac obliterauit Chriſtus his verbis, *Euntes in mundum vniuerſum, &c.* Sed in conuertendis Iudæis ſuam operam impenſiſſimè ponebant Apoſtoli, tum quòd fratres eſſent eodem parente Rom.9. Abrahamo ſati, quo ſenſu dixit Paulus, quanquam gentium Apoſtolus ſe optaſſe [Anathema eſſe à Chriſto pro fratribus:] tum quòd eorum opera ad gentes adducendas etiamnum vterentur: Ad eos enim vbiuis gentium diſperſos primùm ſe recipiebant, & ſi morigeros nanciſcebantur in partem miniſterij vocabant, quòd ſcripturarum præſidio inſtructi eſſent, & ipſi conuertendis gentibus operam nauarent, non pœnitendam, ſed par erat impoſitum illis præceptum de vtroque populo in ouile Chriſti cogendo. Pergit aduerſarius: *Nonne ipſemet Petrus ſuas præcipuè partes eſſe ſatis apertè innuit, vt Euangelium* Act.10. *Iudæis prædicaret, & hanc præcipuam ſuam vocationem eſſe verbo, & factis confirmat? Verbo quidem, dum ait: Vos ſcitis, quomodo abominatum ſit viro Iudæo coniungi, aut accedere ad* Act.11. *alienigenam. Et poſteà tantoperè laborat in ſe excuſando ijs, qui diſceptabant aduersùs illum, qui erant ex circumciſione dicentes: Quare introiſti ad viros præputium habentes? Incipiens autem Petrus exponebat illis ordinem dicens: Ego eram in ciuitate Ioppæ orans, &c.* Numquam videre mihi hominem contigit, qui impudentiùs importunas ſuas merces obtruderet. Petrus cùm contrà priuatum ſenſum ex Domini præcepto ad Cornelium Centurionem Romanum, & gentilem ſeſe contuliſſet, impoſitum ſibi ab Angelo munus prædicat, ſcrupulum profert Iudæorum, quibus religio eſſet *coniungi, aut accedere ad alienigenam,* id ſibi impedimento non fuiſſe, ne accederet, vrgente Dei præcepto, ſignificat: Ergo Petrus ſuas eſſe partes innuit, Iudæis prædicare, ac ſe Iudæorum Apoſtolum prodere.

O acutum dialecticum! Ex communi religione Iudæorum argumentatur Petrus, imò definitè de prædicatione non loquitur, ſed de quocunq; familiariori conuictu, & vult Spalat. cum ex ſui priuati Apoſtolatus ratione texere argumentum, quàm eſt argutus! Dicat verò, nonne de omnibus in vniuerſum Iudæis dixit Petrus, *abominatum eſt viro Iudæo coniungi, aut accedere ad alienigenam?* Vndè igitur habet, vndè colligit, hìc ſe Iudæorum Apoſtolum prodere? Deindè, *Petrus cùm excuſat ſe ijs, qui erant de circumciſione, quòd ad viros præputium habentes introiſſet;* tum, inquit, *Iudæorum* ſe Apoſtolum prodit; ò mirum acumen? Quaſi verò eam excuſationem non adornaſſet Petrus, vt ſcandalum Iudæorum amoueret, animoſque eorum molliret, qui grande nefas ab eo admiſſum crederent? Nitebantur certè illi communi religione Iudæorum, neque aliquid de priuato Apoſtolatu Petri cogitabant; vtrobique igitur, & cum apud Cornelium de ſua ad eum profectione præfaretur, & cum apud Iudæos ſe purgaret, quòd *ad viros præputium habentes introiſſet,* hoc omninò ſibi voluit, ſe cùm Iudæus eſſet, inſita gentili religione gentium congreſſum deuitaturum fuiſſe, niſi cœleſti oraculo edoctus eſſet, vt quod Deus ſanctificaſſet, ipſe commune non diceret.

Somnia ergo ſunt, quæ de priuato Iudæorum Apoſtolatu comminiſcitur Spalatenſis. Et certè accuſabatur Petrus, non quòd cùm Iudæorum Apoſtolus eſſet à Chriſto conſtitutus, ſed quòd cùm eſſet Iudæus, ſpreta patria religione, familiariùs egiſſet cum Ethnicis, quàm ferrent inſtituta Gentis. Gregorius eam Petri propugnationem, humilitatis fuiſſe contendit; Spalatenſis timorem opprobrat magno Apoſtolo, vtri credemus? Verba Gregorij ſunt; [Certè Petrus poteſtatem regni cœleſtis acceperat, vt quæcunque Greg. lib 9. ep.39. indic. 4. in

in terra ligaret, vt ſolneret, eſſent in cœlo ligata, vel ſoluta, ſupra mare ambulauit; ęgrotantes vmbra curabat, peccātes verbo occidebat, mortuos oratione ſuſcitabat: & quia ex admonitione Spiritus ad Corneliū gētilem fuerat ingreſſus, cōtrà eum quęſtio à fidelibus facta eſt, cur ad gentiles intraſſet, & comediſſet cum eis, & cur eos in baptiſmate ſuſcepiſſet, &c. Et poſt pauca: Si enim, cùm à fidelibus culparetur, auctoritatem, quam in ſancta Eccleſia acceperat, attendiſſet, reſpondere potereà vt paſtorem ſuum oues, quæ ei commiſſæ fuerant, reprehendere non auderent (reprehendebatur verò à Iudæis conuerſis, qui erant propriæ ipſius oues) Sed ſi in quęrela fidelium aliquid de ſua poteſtate diceret, profectò doctor manſuetudinis non fuiſſet. Humili ergo eos ratione placauit, atque in cauſa reprehenſionis ſuæ etiam teſtes exhibuit dicens: Venernnt autem mecum ſex fratres iſti. Si ergo Paſtor Eccleſiæ, Apoſtolorum princeps, ſigna, & miracula ſingulariter faciens, non dedignatus eſt iu cauſa reprehenſionis ſuæ rationem humiliter reddere: quantò magis nos peccatores, cùm de re aliqua reprehendimur, reprehenſores noſtros ratione humili placare debemus?] Vides magnum Pontificem commendantem Petri ſummam humilitatem, qui vt ſe doctorem manſuetudinis exhiberet, purgare ſe voluerit apud inferiores: Sed demus timoris, non humilitatis fuiſſe eam purgationem, quid habet Spalatenſis; quod in eo timore ſummi Apoſtoli reprehendat? Timuit ne puſillos offenderet [ne periret infirmus in eius ſcientia frater, pro quo Chriſtus mortuus eſt, ne cœco offendiculum poneret.] Quis ſempiternum laudis teſtimonium tam inſigni charitati dare recuſet?

Rom. 14. 1. Cor. 8. Leuit. 19. cap. 14.

An non Chriſti verba ſunt? *Videte ne ſcandalizetis vnum ex his puſillis, qui ſcandalizauerit vnum ex puſillis iſtis, expedit ei, vt ſuſpendatur mola aſignaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Væ mundo à ſcandalis. Neceſſe eſt enim, vt veniant ſcandala, verumtamen væ homini illi, per quem ſcandalum venit.*

Matth. 18.

Præterea duplex eſt hìc error Spalatenſis: Primùm enim [illi parùm viderur laudabilis illa humilitas, vt ſuperior rationem reddat ſuis inferioribus etiam benè, & prudenter factorum] & Gratianum aduocat teſtem: ſed nihil eum iuuat Gratianus: Verba eius ſunt [Petrus poteſtatem regni acceperat, & tamen idem Apoſtolorum primus quęrimoniæ contrà eum à fidelibus factæ, cùm ad gentes intraſſet, non ex poteſtate officij, qua poſſet dicere, oues paſtorem ſuum non accuſent, nec reprehendant, ſed ex ratione diuinæ virtutis, qua gentiles acceperant, Spiritum ſanctum, reſpondit.]

Num. 10. 2. q. 7. c. ſ'etius.

Et certè quidem ſi benè aduertiſſet Spalatenſis, ſunt iſta ex ea ipſa Epiſtola Gregorij ſumpta, quam ſuperius adduxit, ſed procorum Penelopes inſtar pro hera ancillam iniji, ac gloſſam textus loco habuit; cùm ne quidem gloſſa ipſa illi fauꝛat. Habemus enim Chriſtum ipſum, Paſtorem paſtorum in Euangelio apud Iudæos ſæpiùs ſe purgantem, tùm vt calumniatoribus ſuis ora obſtrueret, tùm vt puſillis ſatisfaceret: quo facto oſtendit, quanquam *prudenter factorum non ſemper ex officio rationem inferioribus reddere teneantur ſuperiores*, poſſe tamen *ex charitate* illis ſatisfacere. De Cypriani loco poſteriùs videbimus.

Ioan. 6. Matt. 15. & alibi paſſim.

Alter error eſt Spalatenſis, quòd hanc purgationem Petri, *eius Apoſtolatui, qui Iudæos propriè amplecteretur*, tribuat, cùm tamen eius rei ne gry quidem in ſcripturis habeatur. Certè cùm Paulus Petrum Iudaizantem reprehenderet, non ei Apoſtolatum, quem inter Iudæos gereret, ſed ipſum Iudæi nomen obiecit: *Si tu*, inquit, *Iudæus cùm ſis* (non ait, cùm Iudæorum ſis Apoſtolus, quod aliquantò plùs ponderis haberet) *gentiliter viuis, & non iudaicè, quomodo gentes cogis iudaizare?* Quòd ſi quorum quis offenſionem metuat, horum proprium eſſe Apoſtolum argumentetur Spalatenſis, habemus iam, & ipſum Paulum Iudæorum Apoſtolum, namque [Timotheum, iam antè Chriſtianum, apprehendens circumcidit propter Iudæos, qui erant in illis locis.] Ac rursùs, [Aſſumptis viris, qui votum habebant ſuper ſe, ſanctificauit ſe cum illis, & impendit in illis, vt raderent capita ſua] nimirùm, vt Iudæorum animos leniret, oſtenderetque non ſe diſceſſionem à Moyſe moliri. Somnia ſunt igitur, quæ profert Spalatenſis. Neque verò ex eo, quòd Paulus Gentium vocatur Apoſtolus, ſola Iudæa Petro relinquitur, & peſſima fide Gregorium Nazianzenum pro hac inepta ſententia teſtem citat. Nazianzenus cùm, quæ ſibi ab Arrianis obijcerentur, dilueret, inter cætera peregrinum ſe, & externum pręconem dictum conqueritur ab his, qui nimiùm circumſcripti, & carni addicti eſſent. Vt iniuriam propulſet, vrget peregrinos fuiſſe Apoſtolos, & multarum vrbium, ac ciuitatum hoſpites, in quas diuiſi eſſent.

Gala. 2. Act. 16. Act. 18. Greg. Naz. ora. 24. adu. Arrian.

Hoc cùm probaret; *Sit ſanè*, inquit, *Petri Iudæa, quid Paulo cum Gentibus commune?* Non igitur Apoſtolatum definit Petri, ſed eius patriam explicat, aliàs, & Pauli Apoſtolatui gentes detraheret. *Quid Paulo*, inquit, *cum gentibus commune?* Porrò tum ille, tùm Ambroſius, tùm reliqui etiam Patres Petro Iudæam aſcribunt, Paulo gentium oras, ac ipſam vniuerſitatem, quòd nimirum præcipuus labor Petri in Iudæis ad fidem contrahendis fuerit, Paulus verò conuertendis ſe gentibus totum dederit. Quòd igitur ſingulari quodam Dei beneficio Petrus quidem in conuertendis Iudæis eximia quadam gratia polleret, in conuertendis verò gentibus Paulus emineret, ac aliquantò fœliciorem operam poneret, ille Iudæorum, hic gentium ſcribitur Apoſtolus. Nimirùm Spiritus ſancti peculiares dotes his titulis celebrantur, quibus effulſerunt ſummi Apoſtoli in diuerſas mundi oras dimiſſi. Cœterùm, & Petrum in gentibus ex Apoſtolatus officio laboraſſe tam eſt omnibus Scripturas legentibus obuium, vt in eo probando operam ponere ſit planè ſuperfluum.

Act. 9. Act. 26. Rom. 1. 11. 15. 16. Gal. 1. Eph. 3. 1. Tim. 2. 2. Tim. 1. & 4.

Quartam explicationem venditat Spalat. [Cur Chriſtus ſeorſim dixerit Petro, Paſce oues meas, Vt, inquit, eidem Petro, & quaſi ſatisſactionem iniungeret erroris trinæ negationis; & ſimul etiam eidem animos adderet, ne ſuis fœdis negationibus nimiùm confuſus, in barathrum deſperationis laberetur.

Spalat. Num. 11.

Cùm

Cùm verò tantus lapſus nullum alium ex Apoſtolis notaret, niſi ſolum Petrum; quaſi ad ipſius curationem bonus medicus accedens, cùm eo ſeorſim loquitur, & trinam ardentiſſimi in Chriſtum amoris confeſſionem voluit elicere, qua trinæ deleret ille notam, & infamiam negationis: vt paſſim Patres obſeruarunt.] Itane verò, cùm huius deſperationis non venerit vlli Sanctorum Patrum in mentem, ille hìc eius aculeos, & timorem magno Apoſtolo, qui crimen lachrymis iam antè diluiſſet, affingere audet? Collige te ipſum, Marce Antoni, antequam diceret Chriſtus Petro, *Paſce oues meas*, multa alia præceſſerant, quæ ad depellendam deſperationem cumulatiſſimè ſufficerent. Poſt admiſſum ſcelus benignioribus, & humanioribus oculis reſpexerat Petrum Chriſtus, lachrymas veri doloris nuncias expreſſerat, & ipſe Petrus *egreſſus foras, fleuerat amarè*, demùm ſtatim à reſurrectione Petro ſoli, ac rurſùs cum alijs agenti apparuerat Chriſtus, Pacem nunciarat, & vulnera oſtenderat, ac quod te maximè aduertere oportuit, iam antè erat ei cum pleniore Apoſtolatus munere poteſtatem remittendorum peccatorum impertitus his verbis, *Accipite Spiritum ſanctum, ſicut miſit me Pater, ita ego mitto vos*: quibus omnibus ita confirmatus, & recreatus fuit Petrus, vt cùm piſcantibus Apoſtolis ad littus ſe oſtendiſſet Chriſtus, miſerit ſe in mare ad eum celeriùs properaturus. Inhumanioris ergo, & durioris fuerit animi poſt hæc omnia eum in deſperationis barathrum incluſiſſe.

Matth. 26.

At verò portenti ſimile ſit, *ſatisfactionem erroris, & culpæ, paſtoralem curam intellexiſſe Chriſtum*: Non eſt illa ſatisfactio culpæ, ſed decus, ornamentum, ac dignitas eius, cui demandatur. Et quidem hìc mirari ſubit, qui venerit ei in mentem Petrum deſperationis arceſſere, quem ſuperioribus myſterijs *procuratorem* fecerit *generalem Apoſtolorum*. Sed ea prætermiſſa deſperatione, te conuenio, Marce Antoni, & quæro abs te, num verum cenſeas, quod ſuperius dixiſti, *Petrum nomine omnium Apoſtolorum, tamquam procuratorem generalem illis verbis accepiſſe hanc dignitatem, ſeù curam paſtoralem*? Id ſi verum ſit, certè abſurditatis plenum eſt, *Petrum nomine Apoſtolorum pro errore trinæ negationis, tamquam procuratorem generalem eorum ſatisfeciſſe*. Neque enim illo crimine implicabantur. Non igitur illis verbis, *Paſce oues meas*, quibus illa poteſtas daretur, moneri potuit, vt culpæ ſatisfaceret, ac iniuriam Domino illatam, aut compenſaret, aut reſarciret.

At à ſe ſtare Patres, Auguſtinum, Cyrillum, Nazianzenum, & Chryſoſtomum clamat. Os igitur illi non aureum, ſed planè ferreum eſt. Verba Auguſtini ſunt [*Redditur negationi trinæ, trina confeſſio, ne minus amori lingua ſeruiat, quàm timori: & plùs vocis eliciuiſſe videatur mors imminens, quàm vita præſens, ſit amoris officium paſcere Dominicum gregem; ſi fuit timoris indicium negare paſtorem*. Hìc primùm nulla deſperationis mentio. Deindè Auguſtinus non in verbis, *Paſce oues meas*, ſed in verbis *diligis me plùs his, Tu ſcis, quia amo te*, compenſationem, & ſatisfactionem culpæ Petri ponit, *Redditur*, inquit, *negationi trinæ trina confeſſio*, vt ſcilicet quod alio loco tribuitur Auguſtino, *trina confeſſione amoris deleret trinam negationem timoris: Tertiò, confiteatur per amorem, qui ter negauerat per timorem*. Itaque ea ſatisfactionis, & compenſationis impoſita conditio præceſſit demandatam ouium curam. Petrum ſcilicet amore ante flagrantem, *Domine*, enim inquit, *tu ſcis, quia amo te*, ſummi dignitate paſtoris ornatum voluit Chriſtus. Cyrillus, Nazianzenus, ac Chryſoſtomus idem cum Auguſtino ſentiunt; *Terna*, inquit, Cyrillus, *confeſſione Petri trinæ negationis delictum euacuatum eſt*: In trina ſcilicet confeſſione Petri totam Petri ſatisfactionem ponit. Nazianzenus quoque, *Ieſus Petrum ſuſcepit, ac per triplicem interrogationem, & confeſſionem, triplicem abiurationem ſanauit*. Chryſoſtomus verò ne quidem in ſpeciem Spalatenſi fauet, *Si amas me*, inquit Chryſoſtomus [fratrum curam ſuſcipias: & quam in omnibus dilectionem oſtendiſti, & qua delector, nunc oſtende; Et animam, quam pro me poſiturum dixiſti, hanc pro ouibus meis trade.]

Aug. tract. 123. in Io.

Serm. 43.

De vtilit. pœnit. c. 1. non eſt Auguſtini.

Cyrill. in Io. l. 12. c. 64

Greg. Naz. orat. 99. in ſancta lumina.

Chryſoſt. homil 87. in Ioan.

Propterea etiam molliùs rem tractaſſe addit Spalatenſis, [Hunc arbitror etiam fuiſſe Chryſoſtomi ſenſum; quando ſoluens quæſitum illud, cur, omiſſis alijs, Petro ſoli loquatur Dominus, Simon Ioannis &c. Paſce oues meas: molliùs rem tractans, ait, ſimul, vt ei oſtenderet iam ſibi fiduciam habendam: tamquam enim negationis obliuiſceretur, fratrum curam ei committit; neque negationis meminit, neque exprobrat, tantùm dicit, ſi amas me, fratrum curam ſuſcipias. Item, quando dixit: Poſt lapſum enim illius denegationis, cui nullum malum poterit comparari, priori eum reddidit Eccleſiæ, & totius orbis Eccleſiæ ſollicitudinem, curamque commiſit: &, quod plùs eſt, vltra omnes Apoſtolos erga Dominum eum oſtendit habere charitatem. Cyrillus quoque, Quoniam Petrus, inquit, ter in paſſione negauit, nunc ab eo trina dilectionis confeſſio petitur, vt trina negatio æquali confeſſionis numero compenſetur.] Acutè ergo, & eruditè monet Becanus, hæc tria diſtinguenda eſſe, trinam negationem Petri, quæ eſt eius peccatum, trinam confeſſionem, quæ ſatisfactio, & compenſatio eſt delicti, curam ouium, quæ præmium eſt, & dignitas Eccleſiaſtica, nemo enim, niſi imperitus, ac ſtolidus, curam ouium, ac ſummam dignitatem, quam quis ſit conſecutus, ſatisfactionem pro ſcelere dixerit.

Chryſoſt. ho. de ſona

Cyrill. in Ioan. lib. 12. cap. 64.

Addo, firmum ex hac doctrina Patrum, non poſſe ab aduerſario duci argumentum: Neque enim literalis eſt expoſitio eorum, qui trinam hanc Chriſti interrogationem, & trinam hanc Petri confeſſionem idcircò factam cenſent, vt trinæ negationi in procinctu paſſionis factæ, Petrus æquali confeſſionis numero ſatisfaceret, ſed planè moralis, allegorica, ac à literæ ſenſu nonnihil exorbitans, vt piam doctrinam ſtatuat, ad quam non dubito etiam reſpicere potuiſſe Chriſtum. Id ipſe Cyrillus ſatis innuit; Namque eam traditurus, Altius quiddam, inquit, hæc oratio certè parturit, apertè oſtendens ſe literam prætermittere velle, ac ſublimiorem quendam ſenſum conſectari: Chryſoſtomus autem, quem nullo iudicio protulit Spalat. cùm more ſuo

in

Digitized by Google

In literam adhæreſceret. eamque lumine genuinæ interpretationis illuſtraret. [Ter, inquit, interrogat, & ſemper idem præcipit dicens, Paſce, vt demonſtret, quanti ouium ſuarum curam faciat.]

Spalat. Num. 12.

Quintum myſterium venatur Spalatenſis. [Quinta expoſitio, inquit, eſſe poteſt, vt dicamus, propterea cum ſolo Petro Dominum loqui, & ſeorſim ipſi paſturam ouium commendare, quia ex vndecim, ſicuti ipſe præcipuus erat, tot nominibus iam à nobis declaratis, ità præcipuam curam prædicationis ipſi tomitti, qui tunc aderant, debebat in ipſius Domini vinea laborare.] Atqui mi Antoni, qui Petro plùs impoſitum laboris cenſeas, cur non eidem plùs tributum auctoritatis fatearis? Vtrumque ſcilicet docent, Leo, Gelaſius, Nicolaus, & Lanfrancus à te citati. Retexamus illorum teſtimonia. *Cui*; inquit, *Leo*, *cùm præ cæteris ſoluendi, & ligandi poteſtas tradita ſit, paſcendarum tamen ouium cura ſpecialiùs mandata eſt. Ibidem, Sed huius muneris (prædicationis Euangelicæ) Sacramentum, ita Dominus ad omnium Apoſtolorum officium pertinere voluit: vt in beatiſsimo Petro Apoſtolorum omnium ſummo, principaliter collocaret. Item: Beato Apoſtolo, inquit, ſupra cæteros, poſt regni claues, ouilis dominici cura demandatur. Gelaſius, Et qui (Chriſtus) hoc faciendi, inquit, ſolus habuit poteſtatem, beato Petro principaliter mandat Apoſtolo, quodcumque ligaueris. &c. Item Nicolaus; Ipſum enim, inquit, cuius nos, licèt immeriti, vicem ſuſcepimus principaliter, & ſpecialiter, vniuerſalis Eccleſiæ curam diuinitùs accepiſſe, etiam nobis tacentibus, credimus. Et ad Theodoram; Statuentes, inquit, pedes veſtros in Petra, ſuper quam Dominus principaliter ſuam conſtruere delegit Eccleſiam. Eodem modo loquitur Lanfrancus; Denique, inquit, ipſe Dominus honorificè alloquitur eam (Sedem Apoſtolicam) in Euangelio ſuo dicens; Tu es Petrus, &c. Et, Tibi dabo claues &c. Quæ tametſi de paſtoribus ſanctæ Eccleſiæ dicta eſſe credantur, præcipuè tamen de Romana Eccleſia intelligenda eſſe, ſacri Canones, & Pontificum decreta teſtantur.* Vides, vt hi Patres aſſerant *præ cæteris* Apoſtolo Petro ouium curam commiſſam, *ſuprà cæteros* eminuiſſe, ac cœleſtis regni claues, & ligandi, ac ſoluendi poteſtatem *principaliter, & ſpecialiter*, vt loquuntur, ei mandatam fuiſſe, Et quid non? Inſigniter autem eos deprauat, quippè qui velit *illam præſtantiam Petri, ac excellentiam in vno labore Petri*, quo certè Paulo inferior fuit, poſitam eſſe. Nihil ſcilicet cum mouent illa verba, *præ cæteris, ſuprà cæteros*, quæ ad laboris eminentiam inflectit. Atqui non ſignificarunt Patres præ cæteris, vel ſupra cæteros debuiſſe laborare, ſed illi *præ cæteris, & ſuprà cæteros traditam eſſe poteſtatem ligandi, & ſoluendi, & demandatam curam Eccleſiæ*: Sed audiat Leonem eo ipſo loco, quem profert in ſceleratum caput, fulmina torquentem, ac vibrantem. *Petro*, inquit, *quiſquis principatum æſtimat denegandm, illius quidem nullo modo poteſt minuere dignitatem, ſed inflatus ſpiritu ſuperbiæ ſuæ ſeipſum in inferna demergit.* Hoc ille impendentis capiti ſuo vltionis omnem habeat. Interim apud ſe cogitet, & animo repetat, non illud non ſit, iuriſdictionem, & principatū Petri aſſerere, quòd ille tamen malè aſſumere Monarchicos, quos vocat, deſperata quadam cauillandi libidine, impudenter contendit! Vult igitur hanc eſſe vim verborum Chriſti ad Petrum, *An me plùs his diligis? Igitur, & tu plùs his paſce, & plùs his labora.* Non verò illam, quam vrgent Orthodoxi, quandoquidem tu Petre me his plùs diligis, eſto ouium mearum ex ordine paſtor, qui cæteris legem ponas, & ſumma Eccleſiæ meæ gubernacula tractes. Atqui à catholicis ſtant antiqui Patres, quos initio capitis protulimus, manet ergo eorum inuictum argumentum. Et quod ait aduerſarius; *Magis, & minùs non variare ſpeciem*, id quidem verum eſt, cùm magis, & minùs idem genus, & eandem formam conſequuntur, quod in habitu, & diſpoſitione Philoſophi oſtendunt. At id verum non eſt, cùm in diuerſa genera includuntur, & à diſtinctis formis manant. Et vt verùm ſit in Phyſicis, non ſemper in Ethicis, & moralibus obtinet.

Leo ep. 93. ad Vienn.
Leo ſerm. 1. de Aſcen.
Gelaſius in Commonit.
Nicol. ep. 8. tom. 3.
Id. epiſt. 14
Lanfran. de Euch. contr. Beren. apud Bar. to. 11. anno 1059. num. 17.
Eod. n. 12.

Ratio autem regiminis par non eſt in Petro, & in cæteris, ſed veluti genere morali diſtinguuntur, cùm alia ſit ratio capitis, alia membrorum. Simili argumento euicerit Regem ſereniſſimum non eſſe caput magnæ Britanniæ, quòd nimirùm iuxta ſuum illud *magis, ac minùs* ei cum regni proceribus ſit communis adminiſtratio regnorum, quibus tamen ſummo iure eum imperare voluerit Deus Optimus Maximus. Sed nimirùm toto genere diſtinguitur poteſtas regia à poteſtate miniſtrorum. Fallitur autem ex eo maximè, quòd in Apoſtolis *ſolam prædicandi Euangelij auctoritatem* attendat, nec conſideret aliam eſſe præterea regiminis, ad cuius clauum aſſideat Petrus, & gubernacula ſummo quodam iure pertractet: itaque illa eius comparatio de eiuſdem familiæ ſeruis, parum eſt ad rem, niſi illam familiam cogitet, *ſuprà quam Dominus fidelem, & prudentem ſeruum conſtituerit*, & caput impoſuerit, quod facit Chryſoſtomus loco ab eo adducto, ac perperam relato. Nos ſuprà facundiſſimi Patris veriorem ſenſum eruimus, ac protulimus; legat ſi lubet. Eodem reſpexit, poſteriore loco, quem citat. *Quid autem Petrus?* inquit ille, *Baſis Eccleſiæ; ille vehemens amator Chriſti; ille ſermone indoctus, & Rhetorum victor, ille imperitus, qui tamen Philoſophis obturauit os; ille, qui Græcaniam ſapientiam non aliter, quàm aranearum telam diſſoluit qui terrarum orbem peragrauit; qui ſagenam miſit in mare, & piſcatus eſt orbem?* Enumerat labores Petri, amorem erga Chriſtum, reportatas de Philoſophis victorias, & piſcationem orbis. At vult eius, qui baſis eſſet Eccleſiæ, hos fuiſſe labores, & triumphos, quod ſi non attendit, aut certè diſſimulat Spalatenſis, liceat illi delirare.

Chryſoſt. homil. 4. de verb. Iſa.

In tuto igitur ſunt trophæa, monumenta, ac triumphi Petri, neque ea ille quidem loco mouere potuit, tantùm abeſt, vt euerterit, ac funditùs ſuſtulerit. Victoriam tamen in eo ponit, [quod verba, Paſce oues meas, diuerſos ſenſus patiantur, & ad res diuerſas inflectantur.] Vrget illud Iuriſprudentum, [Textum, qui plures habeat intellectus, non eſſe allegabilem] ſed videat, ne omnia chriſtianæ Religionis placita homo Atheus euertat, cùm teſte Auguſtino, ſcriptura penè vniuerſa, quatuor, vt minimum admittat ſenſus.

Spalat. Num. 13.

ſus. Sunt enim, qui in literam adhæreant; ſunt, qui altius quiddam ſpirent: ſunt, qui in moribus, ac Tropologia excutienda verſentur; Cùmque Apoſtolus, quæ ſunt de duobus Abrahæ filijs hyſtoricè dicta, ad allegoriam trahat, illius iudicio probari non potuerit reipſa Abrahamum duos filios habuiſſe. Illi ſanè exciderat ratio, cùm hæc ſcriberet, ac tam imprudenter profunderet.

Ad rem igitur quod attinet; Reſpondemus varios illos ſenſus, non quidem, quos ille per ſummam audaciam contra Patrum placita inuexerit, ſed quos magna illa Eccleſiæ lumina ad pietatem illuſtrandam, & mentes hominum informandas cogitarunt, vno niti ſenſu literali, vt vocant, ac hyſtorico, cuius vim nullæ allegoriæ infregerint.

Spalat. Num.14. Ita præclarè aſſerta eſt Eccleſię ſpiritualis Monarchia, & putida illa Spalatenſis Ariſtocratia exploſa. Annuere mihi ille videtur, facit enim, quod facere ſolent, qui in iudicijs cauſa ceciderunt: ad contumelias ſe conuertit, Senenſem, ac maximè magnum Annalium parentem vexat Baronium. Quod attinet ad Senenſem, hominem traducit, [quòd præter poteſtatem ordinis, & Apoſtolatus tertiam excogitarit, quæ inſtar regni eſſet] & quòd Hieronymum fecerit ſuę ſententię aſtipulatorem, qui nimirum dixerit; [Propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite conſtituto, ſchiſmatis tolleretur occaſio.] Opponit [Hieronymum non dicere Petrum fuiſſe inſtitutum caput, vt ipſe ſua auctoritate, & poteſtate ſupra cæteros, contentiones dirimeret, & ſchiſmata tolleret; ſed Petrum caput eſſe inſtitutum, vt indè vnitas collegij Apoſtolici à reliquis cognoſceretur, atque ex tali vnitate ſe in vnitate corporis illius abſq; ſciſſione, & ſchiſmate, conſeruarent,] Hæc illius ſunt commenta, de quibus ne quidem ſomnians ipſe cogitarit Hieronymus. (Eod. num.)

Diſcat verò ex epiſtola ad Damaſum, quò ſpectarit ſummus vir, cùm Petrum vnum Eccleſiæ impoſitum caput, cuius opera ſchiſmatum omnes depellerentur occaſiones, deſcriberet. Cauſa ſcribendæ Epiſtolæ fuit ſchiſma Orientis, & Antiochenæ Cathedræ laceratio, quod ipſe initio Epiſtolæ prodit.

[Quoniam, inquit, vetuſto Oriens inter ſe populorum furore colliſus &c.] Quid igitur in his orietis turbis vir tam pius, tam Orthodoxus cogitat? Cathedram Petri ſibi conſulendam ducit. *Ego*, inquit, *nullum primum* (meliùs præmium) *niſi Chriſtum ſequens, Beatitudini tuæ, ideſt, Cathedræ Petri communione conſocior* (en ſpectatam ab eo vnitatis rationem) *ſuper illam Petram ædificabo Eccleſiam ſcio*, en agnitam poteſtatem. Vſum deſideras, en tibi in ſcrupulo de hypoſtaſibus. *Diſcernite, ſi placet, obſecro, non timebo tres hypoſtaſes dicere, ſi iubetis.* Tanti ſcilicet facit ſucceſſoris Petri auctoritatem, vt id amplexurum ſe, quod ille præſcripſiſſet, profiteatur. Hier. Damaſ. ep.57.

An non ergo eius eſſe dirimere contentiones Eccleſiæ perſuaſum Hieronymo? At quem non moueret poſtrema pijſſimi, & afflictiſſimi Patris verba: *Obteſtor beatitudinem tuam per crucifixum mundi ſalutem, per homouſion Trinitatem, vt mihi epiſtolis tuis, ſiuè tacendarum, ſiuè dicendarum hypoſtaſeon detur auctoritas.* Ergo non otioſum fontem vnitatis ſpectauit Petrum, aut Petri ſucceſſores Hieronymus, ſed ſumma copia exuberantem, ac ſuæ poteſtatis riuos in vniuerſum orbem diſpertientem. Verum itaque eſt, formandæ vnitati conſtitutum caput Petrum, non ſolùm qui eam oſtenderet, ſed & qui præſenti auctoritate ſchiſmatum ſeditioſos motus comprimeret, nec proindè Senenſis in explicando Hieronymo eſt hallucinatus.

Quod attinet ad inuictiſſimum veritatis athletam, & propugnatorem Baronium, exuiſſe omnem pudorem in viro grauiſſimo, & laudatiſſimo laceſſendo videtur importunus, ac flagitioſus iſte Antonius. [Eum enim veluti mente captum, ac delirum traducit, ambitus poſtulat, cæcitatis inſimulat] quòd acerrimum ſe Petri dignitatis aſſertorem præbuerit. Vno verbo, eas contumelias profundit, quæ, non niſi ab impuræ belluæ furore profligatiſſimorum quorumcumque furoribus inflammato, cogitari potuerint. Perge, mi Antoni, Perge, Romanam illam peſtem, ac Reipublicæ procellam tuum cognominem imitari. Baronij pij manes, quos tam acerbè ſollicitaſſe nulla ſit tibi religio, his tuis calumnijs non mouentur. Atque cùm eius memoria apud omnes pios etiam antè effloreret, effloreſcit iam magis importuna iſta tua exagitatione, adeòque vt preſſa palma fit tua infeſtatione, valentior. Spalat. Num.15.

DI-

DISCVSSIO
NONI CAPITIS
LIBRI PRIMI.
CONSPECTVS CAPITIS.

Propugnantur, & à calumnijs Spalatenſis vindicantur omnes prærogatiuæ Petri, quæ vel ex ſcripturis habentur, vel ex ſerie traditionis aſtruuntur, mutatio nominis: In Apoſtolorum enumeratione primus locus. Inceſſus ſuper aquas. Reuelatio. Firmitas Petræ. Tributi penſitatio. Nauis, & piſcationes. Confirmatio fratrum. Apparitio Chriſti poſt reſurrectionem. Lotio pedum. Prædictio mortis Petri. Contentionis occaſio. Inſtructio pro omnibus. Interrogationes, & reſponſiones pro omnibus. Gladij ius. Vigilantia. Inſtructio de correptione fraterna. Matthiæ Apoſtolatus. Prima prædicatio. Primum miraculum. Percuſſio Ananiæ. Viſitatio Eccleſiarum. Gentium prima conuerſio. Publica oratio pro Petro. Præſidentia in Concilio. Viſitatio Pauli. Corinthiaca diſſenſio. Baptiſmus à Chriſto habitus, & Epiſcopatus. Deiectio Simonis Magi. Romana ſedes. Domine quò vadis. *Fundatio ſedium Patriarchalium. Feſtum Cathedræ. Nomen Petri in formatis. Cardinales à Turrecremata, Bellarminus, & Baronius vbique defenſi.*

ENauigauimus, Deo duce, ex tribus ſyrtibus: & quod fuit ſummum Dei erga Eccleſiam ſuam beneficium, nuſquam in ſcopulum Petroſum, viſibilis Monarchiæ Eccleſiaſticæ, adeò periculoſum impegimus. Nauigatio tamen nondùm abſoluta eſt, & reſtant multi ſcopuli, qui nobis ſunt abſque vllo periculo præternauigandi; & ij quidem non ampliùs latentes, ſed ſatis prominentes: vt non niſi cœcus ad eos faciat naufragium: ij verò ſunt multæ Petri prærogatiuæ; quas neque ad promiſſionem, neque ad inſtitutionem Petri primatus, quicquam poſſe, fatetur Bellarminus; ſed ad confirmationem dumtaxat dicti primatus, eas ſe afferre profitetur. Caietanus verò non niſi duobus locis Euangelicis de primatu Petri agi verè, & propriè, Matth. 16. & Ioan. 21. aſſerebat. Quòd ſi his locis primatus hic non probatur, vt ipſum non probari fuſè docuimus, fruſtrà alia afferuntur; ſed & illa iam conſideranda producamus. Prima igitur prærogatiua Petri, ſit mutatio nominis, quòd ex Simone dictus fuerit à Chriſto Cephas; hoc eſt Petrus. Sed primatum hinc colligi nullum ſatis iam ſuprà oſtendi; nam alijs etiam Chriſtus, & nomina, & cognomina mutauit, ſiue addidit. Et ſi quid præeminentiæ in Petro mutatio nominis poteſt indicare, nihil aliud ad ſummum indicabit, niſi Petrum fuiſſe inſignem Apoſtolum, imò etiam primum eo modo, quo fuſiùs capite 5. declaraui. Quòd ſi nominis Cephæ ſignificatum conſideremus, is ſiue ſit Petra Syriacè, ſiue caput Græcè, parùm refert; nam Petra, & fundamentum Eccleſiæ non minùs fuerunt alij Apoſtoli, vt capite 6. diſputaui: Et caput Apoſtolorum fuit Petrus, quia primus erat ætate, vocatione, & dignitate; non auctoritate, & iuriſdictione; vt cap. 5. eſt explicatum.

Spalat. Num. 1.

Bellar. l. 1. de Roman. Pont. c. 17.
Caiet. tract. de Roman. Pont. inſtit. cap. 1.
Ioan. 1.
Sup. cap. 6. num 51.

FOelicissimum nauigationis curſum tenuiſſe ſe, ac propitio cęlo fluctus ſuperaſſe Piratę arbitrantur, cùm populati ingentem, ac opulentam nauim, & crudeliſſima ſtrage edita in inſulas ſuorum latrociniorum ſedes, nullo naufragio ſe receperunt.

Archipirata Spalatenſis ſimiles iam agit triumphos, *Enauigaſſe ſe, Deo duce, ex tribus ſyrtibus, nec in ſcopulum Petroſum*, ſic os impudens ſpiritualem Eccleſiæ Monarchiam Chriſti ſpectabile imperium vocat, *ſummo Dei beneficio impegiſſe* gloriatur: Nimirùm prędatoria illa vi, & animo ſpoliatam voluit Petri Nauim, & vt non perfecerit, perfeciſſe ſe homo vanus, & furioſus mentitur. Neque his contentus, belli, vt ipſe putat, reliquias perſequitur. *Phaleras* vocat, prærogatiuas Petri

in Euangelium incluſas, vndè eas eruerint orthodoxi. Ad illas profligandas aggreditur, ſed infęliciſſimo, ac miſerrimo, vt videbitur, exitu. Vt ſummam hominis audaciam, ac vanitatem retundamus, & proteramus, primùm monendus eſt nobis lector, in his prærogatiuis, quod ipſe vltrò agnoſcit, non ponere Catholicos ſuæ cauſæ præſidium, ſed ornamenta agnoſcere, quibus hoc Eccleſiæ firmamentum, veluti ſtellis diſtinguatur, ac efflorescat. *Prima*, inquit, *prærogatiua Petri,*

Ioan. 1. Sup. cap. 6. num. 51.

ſit mutatio nominis, quòd ex Simone dictus fuerit à Chriſto Cephas, hoc eſt Petrus. Sed primatum hinc colligi nullum ſatis iam ſuprà oſtendi; nam alijs etiam Chriſtus, & nomina, & cognomina mutauit, ſiue addidit. Et ſi quid præeminentiæ in Petro mutatio nominis poteſt indicare, nihil aliud ad ſummum indicabit, niſi Petrum fuiſſe inſignem Apoſtolum, immò etiam primum, eò modo, quo fuſiùs cap. 5 declaraui. Quòd ſi nominis Cephæ ſignificatum conſideremus, is ſiue ſit Petra Syriacè, ſiue caput Græcè parùm refert; nam Petra, & fundamentum Eccleſiæ non minùs fuerunt alij Apoſtoli, vt cap. 6. diſputaui: Et caput Apoſtolorum fuit Petrus, quia primus erat ætate, vocatione, & dignitate; non auctoritate, & iuriſdictione, vt cap. 5. eſt explicatum. Valdè igitur eius iudicio otioſa fuit nominis mutatio, & tamen affectaſſe eam Chriſtum, auctor nobis eſt Tertullianus, cuius verba non grauabor aſcribere:

Tertull. 14. contr. Marcion. cap. 13.

Itaque, inquit, *affectaui charissimo diſcipulorum* (Petro) *de figuris ſuis peculiaritèr nomen communicare.* Rem autem paulò antè ſic expreſſerat: *Mutat & nomen Petro de Simone; quia & creator Abrahæ, & Saræ; & Auſeæ nomina reformauit, hunc vocando Ieſum, illis Syllabas adijciendo. Sed & cur Petrum? Si ob vigorem fidei, mulæ materiæ, ſolidæque nomen de ſuo accommodarent, An quia & Petra, & lapis Chriſtus? ſiquidem, & legimus poſitum eum in lapidem offendiculi, & in petram ſcandali. Omitto cætera. Itaque affectauit chariſſimo diſcipulorum, de figuris ſuis peculiaritèr nomen communicare, puto propriùs, quàm de non ſuis.* Sed etſi hac noui nominis impoſitione nulla, aut exigua facta eſt honoris, & poteſtatis acceſſio Petro, impoſuit ergo nobis Cyrillus, qui eximios honores ex ea collegerit.

Cyrill. l. 2. cap. 12. in Ioan.

Nec Simon, inquit, *fore iam nomen ſibi, ſed Petrus docet, vocabulo ipſo commodè ſignificans, quòd in eo, tamquam in Petra, lapideque firmiſſimo ſuam eſſet ædificaturus Eccleſiam.*

Igitur haud rem exigui momenti putat, Petrum mutatione nominis conſecutum, vt ei tamquam lapidi firmiſſimo tota Eccleſiaſtici ædificij moles imponeretur ſuſtinenda!

[At, inquit Spalatenſis, alijs etiam Chriſtus, & nomina, & cognomina mutauit, ſiue addidit; Filios Zebedæi, credo, intelligit, qui Boanerges, hoc eſt filij tonitrui à Chriſto dicti ſunt. Sed hæc ſunt ei expendenda. Primùm non fuiſſe hoc eorum nomen proprium, cùm vtrique tributum ſit; Deindè non tam nomen illud fuiſſe, quàm *epitheton*, quo ingens eorum animus, ac vis ſermonis ſignificaretur: Interim tamen licet ex eo colligere, non fuiſſe

Marc. 3.

in Petro otioſam nominis mutationem. Quòd enim Iacobus, & Ioannes futuri eſſent ſecundùm Petrum Chriſti familiariſſimi, & Euangelij eius ardentiſſimi præcones, *filij tonitrui*, cuius eſt vehemens ſonus, & ſtrepitus dicti ſunt, ex euentu nimirùm nomen ſortiti. Simili itaque ratione, quòd ſuper Petrum, vt ipſe poſteà innuit, eſſet ſuam ędificaturus Eccleſiam, mutato priori Simonis nomine, Petrum eum vocari voluit, vt certiorem faceret Eccleſiam ſpiritualis iſtius ædificij fundamentum eum renunciatum.

Quod autem opponit Spalatenſis, [Reliquos Apoſtolos fundamenta quoque Eccleſiæ dicta, & ipſum Petrum nulla alia re eis antecelluiſſe, quàm ætate, vocatione, & ordinis dignitate, eſt ſuprà à nobis confutatum. Quàm meliùs Aug. tract. 7. in Ioan. Magnum, quia mutauit ei nomen, & fecit de Simone Petrum, &c. Si hoc antè, Petrus, vocaretur, non ita videres myſterium Petræ (an quæſo in ordine vocationis, aut ætatis ſerie, aliquod ineſt Petræ myſterium) & putares caſu eum ſic vocari, & non prouidentia Dei. Ideò voluit eum aliud priùs vocari, vt ex ipſa commutatione nominis, Sacramenti viuacitas commendaretur. In eundem planè ſenſum Leo magnus ſer. 3. de Aſſumpt. ſua ad Pontif. Sicut Pater meus tibi manifeſtauit diuinitatem meam, ita & ego tibi notam facio excellentiam tuam, quia tu es Petrus. Ideſt, cùm ego ſim inuiolabilis petra, ego lapis angularis, qui facio vtraque vnum; ego fundamentum, præter quod, nemo poteſt aliud ponere; tamen tu quoque Petra es, quia mea virtute ſolidaris, vt quæ mihi poteſtate ſunt propria, ſint tibi mecum participatione communia.]

[Altera Petri prærogatiua, inquit ex Bellarmino Spalatenſis, eſt, quòd cùm ab Euangeliſtis nominentur Apoſtoli, vel omnes, vel aliqui, ſemper primo loco ponitur Petrus.] Hìc ſuum ſolemne *de ætate, & vocatione* recinit, ac nobis obtrudit; ſed futilitatis ſunt iſta plena. Primùm enim probandum ei reſtat, ætate grandiores ſemper primos recenſeri, quòd tamen falſum eſſe ex Scriptura facilè oſtenditur. Namque Apocalypſis 7. Ruben, qui filiorum Iacob primogenitus eſſet, poſt Iudam natu minorem recenſetur; ſed nec ſemper primogenitus reliquis antefertur, cùm conſtet Dauidem ſeniori fratri Eliab antepoſitum, nec quia aliquis ætate prouectior ſit, ſtatim iunioribus præponitur, cùm conſtet Salomonem Adoniæ antelatum! Præterea ſi Petrus ratione ætatis, aut vocationis primus diceretur, proculdubiò in reliquorum enumeratione eſſet quoque ætatis, & vocationis ordo ſequendus.

Spalat. Num. 2. Bellar. lib. 1. de Roman. Pont. c. 18. Matth. 10. Marc. 3. Luc. 6. Act. 1.

At hoc falſum eſſe, ipſe Spalatenſis non negauerit, & facilè ex ſcriptura oſtenditur. Valeant igitur illæ *de ætate, & vocatione* nugę; illa vera ſubeſt cauſa, quòd auctoritate, & poteſtate cæteris antecelluerit Petrus, proindèque in capite enumerationis conſiſtat. Hoc, vt docuimus, ſubodoratus eſt Beza, qui vt vim argumenti declinaret, inuectum *primi* nomen à margine in textum ab aliquo primatus Petri defenſore, commentus eſt. Quod addit de *virtutibus eximijs Petri* etiam fragili nititur fundamento. Namque ipſe Auguſtinus non audet hac parte Petrum Ioanni anteferre. Et Hieronymus non obſcurè Ioanni ob florem virginitatis, in quem ille propenderet, primas concedit; ſed & adhuc ſub iudice hęc lis eſt, & Patres certant, vt non poſſit aliquid

Aug. tract. 1024 in Io. Lib. 1. cont. Iouin.

certi

Digitized by Google

certi ex ea ratione colligi. Non itaque hoc ſuo commento ſatisfacit Scripturæ, quæ plerumque de Petro, tamquam de principe, de alijs verò Apoſtolis, tamquam de ſubditis loquitur.

Marc. 1. Luc. 9. 32. Act. 2. 14.

Apud Marcum, *Proſequutus eſt eum Simon, & qui cum eo erant*. Apud Lucam, *Dixit Petrus, & qui cum illo erant, &c.* Conſuetudine enim ſcripturæ receptum eſt, vt hoc dicendi genere princeps cum ſubditis ſignificetur, vt videre eſt paſſim.

1 Reg. 30. 4. 1. Mach. 8. 1. Apoc. 12. 7.

Dauid, & populus, qui cum eo erat, inquit Scriptura, *Dauid, & ſexcenti viri, qui cum eo erant, Michael, & Angeli eius, Iudas, & qui cum eo erant*. Neque enim ex eadem ſcriptura probauerit, Michaelem, vel Dauidem, iure ætatis, aut vocationis his, qui eis accenſeantur, antelatos fuiſſe. Sibi igitur ſomnia fingit.

Spalat. Num. 3.

[Tertia prærogatiua eſt, inquit Spalatenſis, quòd Petrus vnà cum Domino ſuper aquas ambulauit. Et poſt reſurrectionem ſe miſit in mare, & natando ad Ieſum venit.

Bellar. ibid. cap. 19. Matth. 14. Ioan. 21.

Allegorias hic ex Bernardo affert Bellarminus pro Petri principatu. Sed iam toties diximus per ſenſus myſticos, & allegoricos nihil probari. Et actus hi Petri, ſolùm Petri feruorem propriè, & proximè manifeſtant.] Ergo illi friget Bernardus ferueutiſſimus pietatis aſſertor: non verebor tamen paucula eius verba attexere.

Bernar. l. 2. de Conſider. ad Eugen.

Gradiens, inquit, *ſuper aquas, vnicum ſe Chriſti Vicarium deſignauit, Petrus, qui non vni populo, ſed cunctis præeſſe deberet, ſiquidem aquæ multæ, populi multi*. Addo hic eximium quiddam Petro conceſſum, quod nulli ſanctorum contigerit vmquam agnoſcere reliquos Patres.

Ambr. ſerm. 47. habetur quoque inter ſer. Maxim. Taur.

Ambroſius quidem, ſeu potiùs Maximus Taurinenſis, niſi hic ex illo eſt mutuatus, cenſet maius hoc fuiſſe miraculum Petri ſuprà aquas ambulantis, quàm filiorum Iſrael per mare rubrum ſiccis itineribus incedentium. *Quantò*, inquit, *hic meliùs, vbi, ambulante Petro, nec mutatur vnda, nec labitur, nec ſolidatur aqua, nec refugit, &c. Illic vt portaretur per mare populus Iſrael, meatum ſuum natura perdiderat, hic portatur in aquis Petrus, & curſum ſuum fluenta non perdunt*.

Chryſoſt. hom. 57. in Matth.

Chryſoſtomus verò, *Nam etſi mare*, inquit, *Moſes ſcidit, ſed Petrus ſuper maria deambulauit*. Quod tam magno miraculo tribuit, vt alibi ſcripſerit, permiſiſſe Chriſtum eum ventis turbari, ac procellis exagitari, adeò vt timeret: ne ſcilicèt reliqui Apoſtoli hæc futuræ poteſtatis indicia ei inuiderent. *Hinc*, inquit, *cæteri ſolamen conſecuti ſunt, nam ſi in duobus fratribus commoti fuerant, multò magis id moleſtè tuliſſent* (nempè vni Petro conceſſum, vt maris vndas pedibus calcaret)

Id. hom. 51.

nondùm enim, addit facundiſſimus Pater, *gratia ſpiritus roborati, facilè mouebantur, gratia verò accepta, non tales nempè fuerunt; pandachu gar ton protion paracboruſi*, & in concionibus eum anteponunt. Vides in hoc miraculo primatum ſubolfeciſſe Chryſoſtomum, qui aut ab ætate, aut vocatione Petri eſſe non poſſit. Sed ſit Topicum hoc argumentum, ac probabile, ab eo vno haud ducimus præſidium.

Spalat. Num. 4. Bellar. l. 1. de Rom. Pont. cap. 19. Matth. 16. Sup. cap. 6.

[Quarta prærogatiua Petri eſt, inquit ex Bellarmino Spalatenſis, illa peculiaris reuelatio facta ſoli Petro. Nos verò ſatis oſtendimus, Petrum in reuelatione, neque primum, neque ſolum fuiſſe priuilegiatum: nam priùs Nathanael confeſſus eſt Chriſtum filium Dei.

num. 31. & ſeqq. huius Ioan. 1.

Sed deprimit hanc confeſſionem Bellarminus, quòd fuerit confeſſio filij Dei, eo ſenſu, quo homines iuſti vocantur filij Dei: Petrum verò confeſſum filium Dei proprium, & naturalem. Ego tamen, Bellarmino dicenti, & non probanti filium Dei, eo ſenſu intelligi in confeſſione Nathanaelis, non credam:] Atqui non eſt iſta ſententia priuata Bellarmini, ſed Chryſoſtomi, Theophylacti, & Euthymij, quos ille duces ſequitur:

Chryſoſt. hom. 20 in Ioan.

[Etſi iiſdem verbis, inquit Chryſoſtomus, & Petrus, & Nathanael vſi ſint, non tamen idem ambo ſenſerunt: (quid potuit clariùs dici?) ſed Petrus filium Dei, tamquam verum Deum: Nathanael tamquam hominem tantùm confeſſus eſt, quod ex conſequentibus conſtat. Addit enim, Tu es Rex Iſrael, filius autem Dei non modò Iſrael, ſed vniuerſi terrarum orbis rex eſt. Quod etiam indè oſtenditur, quòd Petro nihil ampliùs addidit Chriſtus, ſed tamquam perfecto in fide, Eccleſiam ſuam eius teſtimonio ædificaturum pollicitus eſt: Nathanael autem tamquam priori in parte deficienti ſubdidit.] Videſne, vt Chryſoſtomus nihilo ſeciùs, quàm Bellarminus cenſeat confeſſionem Petri longè præſtare confeſſioni Nathanaelis, & ab eo omninò diuerſam eſſe.

Theoph. in cap. 1. Ioan.

Similia habet Theophylactus: [Nathanael igitur, inquit, auditis illis, ſentire cœpit magnitudinem Domini, quantum tunc poſſibile erat, & fatetur illum filium Dei, verumtamen quamuis filium Dei fateatur, non tamen ſicut Petrus. Nam Petrus quidem confeſſus filium Dei, vt Deum verum, ideò & beatus prædicatur, & Eccleſia Dei concreditur: Nathanael verò, vt hominem nudum quidem eum fatetur, gratia autem propter virtutem adoptatum in filium Dei: & hoc manifeſtum eſt ex eo, quod ſubditur, Tu es ille Rex Iſrael: vides, quòd nondùm venerat ad perfectam cognitionem veræ Deitatis vnigeniti. Etenim quaſi amicum Dei, & quaſi regem Iſrael eum credit eſſe. Quòd ſi eum verum Deum eſſet confeſſus, non dixiſſet eum regem Iſrael, ſed regem vniuerſi.]

Itaque Chryſoſtomo imponit Spalatenſis, dum eum contrà venientem inducit, aſſerit quidem Nathanaelem amplexatum eſſe fidem de filio Dei rege Iſrael, ſed teſtimonium, aut vim confeſſionis Petri illi non tribuit. Auguſtinum eadem fraude deprauat, cùm idem voluerit, quod reliqui,

Aug. tract. 7. in Ioan.

Nathanael, inquit Auguſtinus, *talem vocem protulit, Tu es filius Dei viui, Tu es Rex Iſrael, qualem tantò poſt Petrus, quando ei Dominus ait, Beatus es Simon Bar-Iona, &c.* Hic talem vocem dicit Auguſtinus, ſed tali ſenſu non dicit Auguſtinus; atque ſi eius ſunt, qui illius nomine circumferuntur ſermones, quibuſque ipſe Spalatenſis ſæpè abutitur, Petrum omninò præfert, non vni Nathanaeli, ſed omnibus in vniuerſum Apoſtolis.

Ser. 124. de Temp.

Hic eſt Petrus, inquit, *qui diuina reuelatione prior eam vnitatem meruit confiteri dicens, Tu es Chriſtus filius Dei*. Sed hæc ſunt ſuprà à nobis vberiùs tractata.

Spalat. Num 5. Bellar. ibid. cap. 19. Matth. 16. Orig. tract. 1. in Matth.

[Quinta prærogatiua, addit Spalatenſis, vbi dicitur: Et portæ inferi non præualebunt aduersùs eam. Promittitur enim perpetua ſtabilitas, inquit Bellarminus, non ſolùm Eccleſiæ vniuerſæ; ſed etiam Petræ, qui erat Petrus. Quid igitur contrà Marcus Antonius? Origenes quidem, inquit, fatetur, ſtabili-

bilitatem promitti, & Eccleſiæ ſuper petram fundatæ; & ipſi petræ, ſupet quam Eccleſia fundatur: ſed non dicit petram eſſe Petrum.] Nimitùm Origenem nobis profert allegorijs, quibus modò nihil probati dicebat, ludentem; nec videt ijs locis, quibus ſetiò agit, Petrum petram Eccleſiæ illi haberi. *Vides*, inquit, *magno illi Eccleſiæ fundamento, & petræ ſoliſſimæ* (arrigat aures) *ſuper quam Chriſtus fundauit Eccleſiam, quid dicatur à Domino.* Valdè igitut bardus ſit, qui hoc neget. Locum Auguſtini illi anteà eripuimus, reſponſionem ex ſuperioribus petat.

In epiſt. ad Rom.

Spalat. Num 6. Bellar. ibid. c.10. & Bar. to.1. an. 33. num. 32. Matth.17.

[Sexta prærogatiua, vbi Dominus iubet ſolui triburum pro ſe, & Petro, illum ſumens, ait Chtiſtus, da cis pro me, & te, Hic tamen locus, inquit Spalatenſis, vix topicum præbet argumentum, Petri ptincipatus confirmaudi: ſufficit enim quicumque Perri primatus, vt quòd eſſet propter ætatem, & primatum vocationis, veluti caput, & procurator geueralis cæterorum Apoſtolorum.] Videamus, igitur num hæc quoque ſit Patrum, qui hunc locum explicarunt, ſeutentia. Certè conſtans eſt eorum doctrina, Chriſtum pro ſolo Petro, ac ſeipſo, non verò pto alijs Apoſtolis voluiſſe tributum, nempè ſtaterem, ſeu didrachmum ſolui, quòd Petrum familiæ ſuæ, hoc eſt, tum collegio Apoſtolorum, tum etiam Eccleſiæ principem impoſuiſſet, ac caput conſtituiſſet.

Quæſt. 75.

Ita auctor quæſtionum noui, & vetεris Teſtamenti, qui certè non eſt Auguſtinus, licèt fortaſsè Auguſtino antiquior. Verba eius ſunt: *Saluator cùm pro ſe, & Petro dare iubet didrachma, pro omnibus ſoluiſſe videtur, quia ſicut in Saluatore erant omnes cauſæ Magiſterij, ita & poſt Saluatorem in Petro omnes continentur, ipſum enim conſtituit caput eorum, vt eſſet paſtor gregis dominici.* Nihil illuſtriùs, aut clariùs dici potuit.

Tetgiuerſatur tamen Spalatenſis, ac primùm recocta crambe nos excruciat, atque auctotem illum quiſquis ſit, contendit, nihil aliud voluiſſe, [quàm Petrum fuiſſe caput, ideſt primum, & quaſi procuratorem, ac repręſentatorem cæterorum.] Terrendis nobis crederes hæc portenta inducta, Cui ergo Pattum vmquam venit in mentem huius procurationis? Certè illa Petri cum Chriſto collatio, in cauſis Magiſterij, maius aliquid ſonat. *Sicut*, inquit, *in Saluatore erant omnes cauſæ Magiſterij*, [*ita & in Petro poſt Saluatorem omnes continentur.*

Proptereà certè faſtidit eum Spalatenſis, & magna contentione eijcit. [Si, inquit, propriè intellexit Petrum (id nimirùm eum illi facit inuiſum) ſolùm fuiſſe dominici gregis, & præſertim cæterorum Apoſtolorum paſtorem, valeat. Nam contrà ſcripturam, & Patres, nemo audiendus. Benè iſtud, contrà ſcripturam, & Patres, nemo audiendus;] atqui & ſcriptuta, & Patres hoc ipſum docent: Quod attinet namque ad ſcripturam; An Matthæus città aliquem ſenſum dignitatis Petti, docet Chriſtum rogatum, vt tamquam Paterfamilias didrachma ſolueret, mandaſſe Petro, vt capto piſce, aperiret os eius, & ſtatetem, quem inibi teperiſſet tolleret? *Illum*, ait Chriſtus, *ſumens da eis pro me, & te.* Cur non addidit, & pro ſocijs, ac collegis tuis? Chryſoſtomus certè, quem mutilum exhibet aduerſarius. *Vidiſti*, inquit, *honoris excellentiam.* Ac ibidem, vt ſuprà monuimus, indicat Marcum Petri diſcipulum, egregiam hanc Petri laudem prætetijſſe, ne magnifica de magiſtro diceret, idque Petri modeſtiæ deputat.

Chryſoſt. hom. 59. in Matth.

Ipſe Spalatenſis honore auget; Petrum, cùm pro Eccleſia ſoluiſſe cum ex Auguſtino contendit. Id enim pro Eccleſia præſtitit [propter primatum, quem in diſcipulis habuit, & quia tamquam caput vniuerſi corporis figuram gerebat. Cettè cò loci inter Petrum, & Chriſtum non diſtinguit Auguſtinus. Quid eſt, inquit, pro me, & te? Ipſe Chriſtus Petrus, Eccleſia Chriſti, Eccleſiæ quatuor Euangelia.] Porrò Hieronymus ex Chriſti facto colligit, Apoſtolos excellentiam, & præſtantiam Petri ſubodoratos; [Quia, inquit Hieronymus, viderant pro Petro, & Domino, idem tributum redditum; ex æqualitate pretij arbitrati, ſunt omnibus Apoſtolis Petrum eſſe prælatum, qui in redditioue tributi Domino fuerat comparatus; ideò interrogant, quis maior ſit in regno cœlorum?]

Aug. ſer. 6. de verb. Apoſt.

Hieron. ad c.18. Matth.

Neque verò obſtat, quòd vrget Spalatenſis, ſtatim addidiſſe Hietonymum; [Videns autem Ieſus cogitationes eorum, & cauſas erroris intelligens, vult deſiderium gloriæ bumilitatis contentione ſanare.] Error enim diſcipulorum in materia prelationis Petri haud quaquam accipiendus eſt, ſed in deſiderio gloriæ, quo contrà Petrum exarſeriut. Id optimè explicat Hieronymus; *Cauſas erroris intelligens, &c. voluit deſiderium gloriæ humulitatis contentione ſanare, & proptereà aduocans paruulum, ſtatuit eum in medio eorum.* Certè non ſemel Apoſtolos hoc gloriæ deſiderio abreptos, vt etiam Petro primatum, quem ex multis indicijs collegiſſe ſibi viderentur, inuiderent; docet ſcriptura. Nam, vt omittam ſubottam ſtatim à tranſfigutatione contentionem, dum Capharnaum proficiſcerentur, conſtat filios Zebedæi, qui aliquantò Chriſto cæteris cariores videreutur, ambitionis ardore titillatos, Petro non obſcurè inuidiſſe, ac de primis ſedibus in regno Chtiſti obtinendis cogitaſſe.

Somuiaſſe autem eos, ac animo concepiſſe temporalem quandam Monarchiam; quod aduertit Bellarminus, & impugnat Spalatenſis, tam certum eſt, quàm certum eſt, primas ſedes in regno Chriſti affectaſſe. Nam quòd ſobornatam à filijs matrem filiorum Zebedæi perijſſe à Chriſto, inuuit Matthæus; *Dic, vt ſedeant hi duo filij mei, vnus quidem ad dexteram tuam, alius verò ad ſiniſtram in regno tuo*; ad pompatici regni ſedes ab his affectatas omninò referendum eſt, vt & iſta diſcipulorum Monarchiam temporalem ſpirant. *Nos ſperabamus, quòd ipſe eſſet redempturus Iſrael.* Marcus fratrum factum paulò aliter refert, ipſoſque ſic inducit ad Chriſtum loquentes; *Da nobis, vt vnus ad dexteram tuam, alius verò ad ſiniſtram tuam ſedeamus in gloria tua.* Quibus verbis, vt obſeruat Chryſoſtomus, nihil ſpitituale ſibi depoſcebant, ſed eximios, & glorioſos cuiuſdam regni temporalis honores, quos animo concepiſſent.

Matth. 20.

Luc. 24.

Audiantut igitur Patres. Chryſoſtomus: *Quid porro, inquit, eſt, quod petunt? Alius te*

Chryſoſt. hom. 65.

doce-

Digitized by Google

docebit Euangeliſta. Nam quoniam, inquit, propè Hieruſalem erant, credebantque regnum Dei iam iam euenturum, quod huius vitæ, ac ſeculare opinabantur. Hieroymus: *Vndè opinionem regni habet mater filiorum Zebedai: vt cùm Dominus dixerit, Filius hominis tradetur principibus Sacerdotum, & Scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum, & ignominiam paſsionis timentibus diſcipulis nunciaret, illa gloriam poſtulet triumphantis?* Luculentiſſimè Theophylactus. *Opinabantur filij Zebedai, quòd vadens Hieroſolymam Dominus regnaturus eſſet regno quodam temporali, &c.* Certè inualuiſſe eam opinionem de Monarchia temporali Chriſti, & Apoſtolorum eam labem, & maculam fuiſſe, quòd Petro ſummam illius regni potentiam inuiderent, nemo negauerit, qui aut Euangelium, aut Patres probè norerit. Hieronymus quidem exiſtimat, Apoſtolos animum induxiſſe, vt crederent ſtatim à reſurrectione ſtabiliendum. Chryſoſtomus verò, & Theophylactus haud attendiſſe ad ea, quæ à Chriſto de flagellis, de morte, & paſſione eſſent pronunciata, ſed regnum citra ſanguinem parandum cogitaſſe.

In Comment. ad ca. 20. Matth. Theoph. in Matt. c. 20.

Omnes tamen regnum temporale affectaſſe perhibent, vt proindè contrà eorum ſententiam hæc ad Eccleſiaſticum regimen torſerit Spalatenſis, improbus ſcilicet Patrum interpres. Vexat certè Hieronymum, ac eum ſomnolentiæ poſtular, quòd ex æqualitate pretij arbitratos Apoſtolos Petrum ſibi prælatum ſcripſerit, atque cum exiſtimet didrachmum, do quo ageretur, fuiſſe penſitationem tributi in vſum templi vrget [æquam fuiſſe pauperum, & diuitum conditionem in eo penſitando,] ſed cùm ex ſcripturis non probet fuiſſe hoc tributi genus; & alij melioris notæ auctores ſentiant, operam non perdemus in eo refellendo, Sufficit Hieronymum in noſtra eſſe ſententia, nempè penſitatione eiuſdem tributi ſanxiſſe Chriſtum primordia, ac initia primatus Petri. Chryſoſtomum etiam negligentiæ arceſſit, ſatis verò nobis eſt Apoſtolis prælatum Petrum enm Hieronymo facundiſſimum Patrem docuiſſe. Ex Chriſti igitur facto, duo præclara Petri priuilegia eliciunt Orthodoxi; vnum, quòd Eccleſiæ Vicarium caput, adeòque Apoſtolorum princeps ſit deſignatus à Chriſto, pro quo, & pro ſe didrachmum ſoluerit. Alterum quod in Petro vniuerſum Eccleſiæ corpus, vniuerſa familia, domus, & ouile Chriſti, tamquam in paſtore, & principe contineatur, vt qui cum Petro non ſit, ſit quoque à Chriſto alienus.

Spalat. Num 7. Bellar. de Rom Pont. li. 1. c. 10. & Baron. to. 1. an. 31. nu 63. Ambr. de mirabilibus ſerm. 11. Greg. lib. 7. Moral. c. 14

[Septima prærogatiua, ait Spalat. ſumitur ex Naui Petri, & ipſius duplici piſcatione: Nam in vtraque naui, & piſcatione, inquit Bellarminus, quæ apertiſſimè totius Eccleſiæ ſtatum ſignificant, ſemper Petrus princeps inuenitur. Hanc firmant, Ambroſius, Hanc igitur, inquit, ſolam Eccleſiæ Nauem aſcendit Dominus, in qua Petrus Magiſter eſt conſtitutus, dicente Domino, ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.] Item Gregorius: Petri nauiculam, ait, eſſe Eccleſiam Petro commiſſam.] Sed figuratas locutiones Patrum ablegat Spalatenſis, nec magni momenti eſſe in ea re, de qua diſputatur, contendit. At non aduertit, vt non inducant ad ſtabiliendum ſenſum ſcripturæ hiſtoricum, valere tamen ad eruendum ſenſum Patrum: Neque enim Ambroſius, aut Gregorius de Magiſterio Petri, aut de Eccleſia ei commiſſa cogitaſſent, cùm piſcationem Petri illuſtrandam ſuſcepiſſent, niſi fuiſſet illis conſtitutum Petrum magiſtrum Eccleſiæ poſitum, & gregem ei fuiſſe commiſſum. Etſi enim piæ allegoriæ ab hiſtoria, vt plurimùm recedunt, tamen à veritate nunquam aberrant.

Sed excipit Spalatenſis [figuram, qua ſunt vſi, venuſtatem ſuam in eo habere, quòd nauis, cuiuſcumque illa ſit, Eccleſiam repræſentet. Petrum verò, inquit, eatenùs Magiſtrum Ambroſius in ea poſuit, quatenùs ei dictum fuit, ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. Atqui vnum ſpectauit Petrum Ambroſius, vt cùm Magiſtrum dixit, proculdubiò omnibus, qui naui veherentur, aut etiam ad remos ſudarent, cùm ipſe gubernacula tractaret, prælatum eum ſignificatit. Quid enim? An non illa verba Chriſti, [Duc in altum,] ad vnum Petrum refert? [Etſi alijs, inquit, imperatur, vt laxent retia ſua, ſoli tamen Petro dicitur, Duc in altum, hoc eſt, in profundum diſputationum, quid enim, tam altum, quàm altitudinem diuitiarum videre, ſcilicet Dei filium, & profeſſionem diuinæ gubernationis, &c.] Alludit nimirùm magnus vir ad confeſſionem Petri, quam eius propriam, & peculiarem fuiſſe, non obſcurè commonſtrat. Lib. 3. in c. 5. Luc.

Haud igitur negamus reliquos Apoſtolos, eàquam proxima à Petro Eccleſiæ fundamenta, tanquam ſtrenuos remiges, in hac naui ſudaſſe, homines piſcatos fuiſſe, populos ad Eccleſiam militantem adduxiſſe, ad Eccleſiam triumphantem perduxiſſe, ſed Nauclerus, & gubernator eſt huic naui impoſitus Petrus, atque ſi myſteria nobis conſectanda ſunt, piſcationis ipſius, quis futurus eſſet prouentus, non obſcurè ſignificauit Chriſtus, cùm poſt ingentem illam capturam piſcium, attoniti ſpectarent Magiſtrum Apoſtoli, ac præ cæteris miraretur Petrus. Namque ad Petrum conuerſus, *Noli*, inquit, *timere, ex hoc iam eris hominis capiens*; quòd ſcilicet ſingularis ille piſcator, & maximus paſtor futurus eſſet. Non quòd ille vnus plures ad fidem (quam eſſe prærogatiuam Petri hoc facto adumbratam ineptè comminiſcitur Spalatenſis) adducturus eſſet, quàm cæteri. Nam in hoc genere non veretur Paulus ſe cuicunque alteri præferre; *Abundantius*, inquit, *omnibus laboraui*, ſed quod ille vnus moderandæ piſcationi orbis princeps, & caput eſſet præficiendus, vt iam reliqui piſcatores, Ioannes, Andreas, & alij, quibus ipſe dixerat, *faciam vos fieri piſcatores hominum*, ab illo vno nauis magiſtro penderent, nec eis fas eſſet, contempta naui Petri, ſingularia nauigia, hoc eſt, ſingulares cathedras, vt loquitur Optatus, in hoc *mare magnum, & ſpacioſum nauibus*, inducere. Stat ergo à nobis myſterium, quamquam probabili argumento.

Luc. 5. 1. Cor. 15. Pſal. 103.

[Octaua prærogatiua ponitur in illis Chriſti verbis, Simon ecce Sathanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum. Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. Et tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos.] Spalat. Num 8. Luc. 22.

tuos.] Excipit Spalatenſis Leonem Primum ad primatum Petri, quem ille, vt natu maior, & vocatione primus, inter Apoſtolos gerebat, reſpexiſse. At ſuprà oſtendimus, vt verum eſset, quod tamen ſine probatione aſseritur, Petrum aut ætate, aut vocatione anteuertiſse Apoſtolos, tamen citra ſummam impudentiam non poſsè pro eo genere primatus teſtem induci Leonem. Quare cùm hanc reſponſionem proſpiciter Spalatenſis, addendum ſibi putauit. [Leonem eloquentiſſimum oratoria vſum amplificatione.] At me herclè malus amplificator eſt Marcus Antonius, cui nulla ſit religio Leonem deprauaſse. Quod autem addit, ſe ſuprà oſtendiſse, [Dominum cùm pro Petro rogaſse ſe diceret, ad eius lapſum potiùs, quàm ad dignitatem reſpexiſſe,] prærogatiuam Petri non euertit, & partim verum eſt, partim falſum; verum eſt ad lapſum quoque Petri reſpexiſse, quod innuunt Ambroſius, Theodoretus, Theophylactus, & alij capite 6. adducti; falſum autem eſt, cum his verbis depreſſiſse, nec honore auxiſse.

Quæſt.79.

Audiamus iam Patres. Auctor quæſtionum noui, & veteris Teſtamenti, quem nullus antiquorum in hoc dogmate erroris inſimulauit vmquam: [Pro Petro rogabat Saluator, pro Iacobo autem, & Ioanne non rogabat? Manifeſtum eſt in Petro omnes contineri; Rogans enim pro Petro, pro omnibus rogaſſe dignoſcitur. Semper enim in præpoſito populus, aut corripitur, aut laudatur.] Et quia ſermones Auguſtini palato Spalatenſis blandiuntur, habeat, & hoc de ſermonibus, qui Auguſtino tribuuntur teſtimonium.

Serm. 124.

[Totius corporis morbum in ipſo capite curat Eccleſiæ, & in ipſo componit omnium membrorum ſanitatem.] Non vterer his teſtimonijs, niſi Spalatenſis ijs eſſet vſus. Grauiſſimum vero teſtimonium Ambroſij non præteribo:

Ambr in Pſal.43.

Vide, inquit, *quid dicat Dominus, & intellige; Ventilatur Petrus, incidet in tentationes, ſed Eccleſiæ præponitur, poſtquam tentatus à diabolo eſt; ideòque antè ſignificat Dominus, quid ſit illud, quod poſteà eum elegit Dominici gregis paſtorem; Nam huic dixit, Tu autem conuerſus, confirma fratres tuos*. Videt igitur Marcus Antonius, ſi illi oculi, ſi vlla lux affulget, Ambroſij iudicio verbis illis, *confirma fratres tuos*, ſignificari, Petrum Dominici gregis eſſe paſtorem à Chriſto conſtitutum.

Theoph in Luc. ad c.22

Teophylactus rem dilucidè explicat, [Manifeſtus, inquit, verborum ſenſus eſt, quod cum te diſcipulorum principem fecerim, tu cùm poſt negationem fleueris, & reſipueris, confirma reliquos. Hoc enim te decet, qui poſt me Eccleſia Petra, & firmamentum es.] Vana ſunt, & futilia, quæ aduersùs Theophylactum, vt à vero ſenſu abducat, excipit, [Non fuiſſe eum adeò rudem, vt neſcierit in diuinis ſcripturis Petrum ſolùm non fuiſſe poſt Chriſtum Eccleſiæ petram, & fundamentum.] Non ſanè, non fuit adeò rudis, vt id non teneret, ſed nec ea ſtupiditate fuit, vt inter hæc cęleſtis Hieruſalem fundamenta, Petrum in celſiore illo faſtigio ſpeculæ paſtoralis, vt loquitur Auguſtinus, non aduerteret. Hoc cum videret, eum diſcipulorum principem fecit, ac ei confirmandorum, non reliquorum fidelium ſolùm, ſed etiam Apoſtolorum curam commiſſam ſcripſit.

Et ne, quod facit Spalatenſis, abnegatam fidem aliquis Petro approbaret, anteuertendam obiectionem duxit. Rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. Quamuis enim, inquit Theophylactus, breui tempore conutiendus ſis, ſed habes recondita ſemina fidei, etiamſi folia abreperit Spiritus inuadentis; ſed radix viuet, & non deficiet fides tua.] Claudamus hanc pręrogatiuam teſtimonio Leonis. [Commune erat omnibus Apoſtolis periculum de tentatione formidinis, & diuinæ protectionis auxilio pariter indigebant. Quoniam diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere, & tamen ſpecialis à Domino Petri cura ſuſcipitur, & pro fide Petri propriè ſupplicatur, tamquam aliorum ſtatus certior ſit futurus, ſi mens principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, & diuinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, vt firmitas, quæ per Chriſtum Petro tribuitur, per Petrum Apoſtolis conferatur.] Orationi vehementiſſimæ hæc ſunt fulmina à magno Patre nulla Amplificatione, ſed ſummo veritatis amore, in hæreticos contorta.

Leo ſerm. 3. de aſſumpt. ſua ad Pont.

Cæterùm non vnus Leo, ſed omnes penè Patres, oratione Chriſti Eccleſiæ Petri impetratum, vt eius fides non nutaret, ſubindicant, dum ad Romanam Eccleſiam perfidiam non poſſe habere acceſſum prædicant. Audi magnum Cyprianum (de ſchiſmaticis Epiſcopis loquitur;) *Nauigare audent ad Petri Cathedram, atque Eccleſiam principalem vndè vnitas Sacerdotalis exorta eſt, vt prophanas literas ferre, nec cogitare eos eſſe Romanos, quorum fides, Apoſtolo prædicante, laudata eſt, ad quos perfidia non poſſit habere acceſſum*.

Cypria. l. 1. ep 3 ad Cornel. Pap.

Audi, & Hieronymum illum diſertiſſimum veritatis vindicem; *Profligato à ſobole mala patrimonio, apud vos ſolos incorrupta Patrum ſeruatur hæreditas*.

Hieron. ad Damaſ.

Audi, & huius ſedis, & Hieronymi infenſiſſimum aduerſarium Rufinum de Eccleſia Romana: *Neque hæreſis vlla illic ſumpſit exordium, vt mos ibi ſeruatur antiquus*.

Rufin in Symbolum ... tio

Audi melliſluum Bernardum: *Oportet ad veſtrum referri Apoſtolatum pericula quæque, & ſcandala emergentia in regno Dei, ea pręſertim, quæ de fide contingunt: Dignum namque arbitror, ibi potiſſimùm reſarciri damna fidei, vbi non poſſit fides ſentire defectum. Hæc quippè huius prærogatiua ſedis. Cui enim alteri aliquando dictum eſt; Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua. Ergo quod ſequitur, à Petri ſucceſſore exigitur: Et tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos*.

Bernard. ep. 109 ad Innoc. Pap.

Non igitur negamus, communi oratione, etiam pro reliquis Apoſtolis, Patrem rogaſſe Chriſtum, vt eos ſeruaret, *Ego pro eis rogo*, inquit Chriſtus, *Pater ſancte ſerua eos in nomine tuo*, ſed pro ea ratione, quam Patres inducunt, ſpecialiùs tamen pro Petro rogauit, vt eius non deficeret fides, quòd ei tamquam Capiti, à quo auctoritas regiminis in ſucceſſores eſſet deriuanda, cura incumberet, omnes per eum paſtores confirmandi.

Ioan. 17.

[Nona pręrogatiua, quòd Chriſtus reſurgens primum omnium ex Apoſtolis Petro apparuerit. Sed multæ, inquit Spalatenſis, poſſunt aſſignari cauſæ, quarum nulla ſupremum ſupponat Petri principatum.] Sed primùm fallitur Spalatenſis, ac reliquos fallit,

Spalat. Num. 9.

ſi nos

Digitized by Google

ſi nos primatum Petri hac vna tatione oſtendere putet. Fatemur ex vna, aut altera prærogatiua non elici hunc primatum, ſed cùm à noſtris ſingulæ indncuntur, id fit, vt probabile argumentum ducatur, Chriſtum eximio amore proſecutum Perrum, ac de eo maximè ſollicitum fuiſſe, vndè facilè conijciatur, plùs in illum digniratis, & auctoricatis contuliſſe.

Chyſoſt. hom. 38. 1. Cor. 15.

Chryſoſtomum ſi conſuluiſſet aduerſarius, cecidiſſent ſquamæ de oculis eius; [Itaque, inquit, Petro primùm apparet; Nam qui primus Chriſtum eſt couſeſſus, iure etiam dignus eſt habitus, qui primus videret teſurrectionem.]

Idem ibid.

Factum audis, cauſam accipe. [Proptereà, inquit facundiſſimus Pater, neque ſimnl viſus eſt omnibus, neque in initio multis, ſed vni ſoli primùm, eique Coryphęo omnium, & fideliſſimo.] Scio ſenteutiam eſſe multorum, primùm Chriſtnm ſanctiſſimæ Virgini, ac demùm Magdalenæ apparuiſſe, nec repugnamus; ſed de viris, ſeu de Apoſtolis nobis ſermo eſt; & ſententiam noſtram firmat Apoſtolus. *Reſurrexit,* inquit, *tertia die ſecundùm Scripturas, & viſus eſt Cephæ, & poſt hoc vndecim.* Sed & Lucas ſcribit, duos diſcipnlos, quibus in Emaus proficiſceutibus, ſe videndnm præbuiſſet Chriſtus, Hieroſolymam reuerſos Apoſtolis dixiſſe,

1. Cor. 15. Luc. 24.

Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni, quo loco illuſtrius volunt eſse Petri teſtimonium, quòd nimirùm primas inter Apoſtolos teneret.

Theoph. ad cap. 15. in 1. Corinth.

Er certè Theophylactus nou obſcurè hanc rationem eſſe vult, quorsùm primùm Chriſtus apparuerit Petro, [Quòd ſcilicet omnium Apoſtolorum Princeps eſſet,] ac proindè dignus, cui reliqui fidem haberent. Vides, Marce Antoni, quàm eſt à re imprudenter dictum, [non eſſe adeò certum, quod à nobis aſſumitur (Petro primùm apparuiſse Chtiſtum) [cum etiam uegari poſſit, vbi contrarium conuinci ex Euangelio non poteſt, niſi ex defectibilibus coniecturis.] Ergo debiles coniecturæ Scripturę, & Patrum teſtimonia tibi videntur.

At vrget alias cauſas eſse poruiſse, cur ei primùm appareret Chriſtus, & primùm illam ſuam ineptiſſimam [de primatu ætatis, & vocationis] profert, quæ nulla Scripturæ auctoritate ſulciatur. Addit id quoque factum, [quia maximè indigebat couſolatione,] ob dolorem ingentem ex trina negatione conceptum, & firmat auctoritate Hieronymi, & Gregorij.

Hier. ad ca. vlt. Mar. Greg. hom. 22. in Euāg. Chryſoſt. hom. 38. in 1. ad Cor.

At nou proficit, quandoquidem nil prohibet vnius rei plures ſubeſse cauſas. Chryſoſtomùs certè hauc non diſſimulauit, imò principem eſse voluit, cur Petro primùm Chriſtus apparuerit, ſed noſtram quoque non tacuit. *Non propter hoc autem,* inquit, *apparet ſoli Petro,* ſed & iuſuper quoniam, *all' epidi, ipſum negauerat, ex abundantia eum conſolans, & oſteudens eum non eſſe repulſum, ante alios eum hac dignatus eſt viſione, & primò* (attende Marce Antoni) *aues tradidit.* Videt Spalatenſis, vt vtrumque ſociauerit Chryſoſtomus: Videt ignorationem mirationis ſuæ cauſam extitiſse, neque enim ſi hæc beuè perpendiſset, mirari ſubijſset, cur Bellarminus Chryſoſtomum pro ſua ſeutentia protuliſset.

Spalat. Num. 10. Ioan. 13. Bellār. ibid. Hier. lib 14 in Iſai. c. 53.

[Decima prærogatiua ex lotione pednm; Sed non conſtat iu Euangelio, inquit Spalatenſis, Petrum fuiſse primum, & Iudam aliqui auteponunt, vt Chryſoſtomus, & Theophylactus.] Oppoſuerat Bellarminns, hos Patres aſserere nullum alium præter Iudam paſſurum fuiſse, vt ſibi aute principem Apoſtolorum pedes lauarentur: Telum leui iactatione declinare ſe putat Spalatenſis. [Reſpondeo Iudam de impudentia taxari ab his Doctoribus, quia Petrus omnes ætate, & primatu ordinis, & vocationis, vt millies dictum eſt, præcedebat; ſed eſto, fuerit primus lotus: Hocciue mirum, vt maior natu inter illos, & tot nominibus primus, primus etiam lauaretur? Certè Hieronymus, ue in hoc quidem concedit Petro primatum; dum loqrens de Chriſto ait: non enim venit, vt miniſtraretur ei, ſed vt miniſtraret, in Petri pedibus cunctorum Apoſtoiorum peccata abluens. Facit ergo Hieronymus Petrum quaſi figuram, & typum omues Apoſtolos in illo actu repræſentanrem.] Itaque ad nanſeam, vſque futilem illam ſuam diſtinctiunculam de primatu ætatis, & vocationis inculcat. Fruatur ſua inſania: Nos ab hoc priuilegio præſidinm aliud non dicimus, quàm cximios houores habitos Petro: Ille non inficiatur, ſed ad [ætatem, & vocationem] refert dubias certè cauſas, nos ad principatum, quem Petro Scripturæ, & Patres aſserunt, vtris igitur credendum? Audiamus Auguſtinum expendentem illa Petri verba ad Chriſtum lotionem pedum inſtituentem:

Aug. tract. 56. in Ioan.

Tu mihi lauas pedes; Nec putare debemus hoc Petrum inter cæteros formidaſſe, atque recuſaſſe, cùm id alij ante ipſum libenter, vel æquaminiter ſibi fieri permiſiſſent, facilius quippè ſic accipiuntur iſta verba Euangelij, quia cùm dictum eſſet, cœpit lauare pedes diſcipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus; deindè ſubiunctum eſt, Venit ergo ad Simonem Petrum, quaſi aliquibus iam lauiſſet, & poſt eos veniſſet ad primum. Quis enim neſciat primum Apoſtolorum eſſe beatiſſimum Petrum? Sed non ita intelligendum eſt, quòd poſt aliquos ad illum venerit, ſed quòd ab illo cœperit: quando ergo pedes diſcipulorum lauare cœpit, venit ad eum, à quò cœpit, ideſt ad Petrum.

Neque verò conſugerit Spalat. ad inane illud ſuum de ætate pręſidium, verba enim illa Auguſtini, [Quis enim neſciat primum omuium Apoſtolorum eſse beatiſſimum Petrum?] exploratam omnibus Chriſtianis Petri auctoritatem ſpiraut, de qua idem Auguſtinus dixerit alio loco, [Quis neſcit illum Apoſtolatus principatum cuilibet Epiſcopatui præferendum?] Et quidem hoc ſenſu pronunciauit Hieronymns. [Chriſtum in Petri pedibus cunctornm Apoſtolorum peccata aluiſse,] nimirùm quod cum ſacratiſſimo illi cætui caput eum impoſuiſset, ab eo ſumma illa beneficia in alios deriuarentur.

De Bapt. contr. Don. lib. 2. cap. 1. Hier. li. 14. in Eſa. c. 53.

[Vndecima prærogatiua, quòd Petro mors crucis prædicitur, vt qui, & nomen Petræ, & officium gubernandi Eccleſiam à Chriſto habuerat, in morte etiam ei conformaretur, Argumentum eſt valdè topicum,] inquit Spalatenſis. Sed neqae nos *epidicticon* dicimus.

Spalat. Num. 11. Ioan. 21.

Cæterùm hoc priuilegium magni-faciunt Patres, & ſunt, qui oraculum oraculo addat. Aiunt enim, cùm Petrus vltimis ætatis ſuæ, ac prædicationis temporibus Romæ ageret, & periculum mortis à Neronis tyran-

nide immineret, illi ſuis precibus auctores fuiſſe fideles, qui vices capitis dolerent, vt Roma abſcederet, ſed egreſſo, & aliò profectionem inſtituenti occurriſſe Chriſtum diuinitùs, ac ab eo quæſiſſe Apoſtolum, quò ſe conferret, reſpondiſſe Chriſtum, *Vado Romam iterum crucifigi*, ac tandem intellexiſſe Apoſtolum eſſe Romam ſibi repetendam, & crucis ſupplicium imitatione magiſtri ſubeundum. Certè Tertullianus verba Chriſti, ad Petrum, *cùm eſſes iunior, cingebas te, &c.* interpretans, *Tum Petrus*, ait, *ab altero cingitur, cùm cruci aſtringitur*. Similiter Cyrillus, & Chryſoſtomus eum locum interpretantur de morte Crucis, quam ſummo paſtori ouium ſuarum prænunciarit, vt qui eius eſſet conſtitutus Vicarius, ſimilem exitum conſequeretur. Hæc primatum Petri non inducunt, fatemur, ſed ei lucem magnam afferunt, cum paſtoris ſit animam ponere pro ouibus, & ſummi paſtoris, paſtorum principem Chriſtum in mortis ordine æmulari.

Ioan. vlt. Tertull. in Scorp.

Spalat. Num. 12.

Duodecima prærogatiua eſt, quòd [conceſſi Petro eximij honores occaſionem dederint contentioni, quæ inter Apoſtolos coorta ſit de primatu, huius diſcuſſionem in alium locum reijcit Spalatenſis: quare eſt à nobis quoq; differenda, & in alium locũ reijcienda.

Spalat. n. 13.

[Decima tertia prærogatiua, inquit Spalatenſis, quòd Chriſtus doctrinam, quam omnibus Apoſtolis, & diſcipulis tradebat, per Petrum voluit in alios deriuari. Vndè Matth. 18. ſcribitur; Aſpiciens Ieſus in diſcipulos ſuos, dixit Simoni Petro, Si peccauerit in te frater tuus, &c. Ita Turrecremata, ſed locus hic in Euangelio ita non legitur; quamuis in antiquis Miſſalibus ita legeretur: Iam enim expuncta ſunt illa verba: (Aſpiciens Ieſus in diſcipulos ſuos, dixit Simoni Petro) ſi tamen etiam legitima adhuc eſſent, Petrum tamquam reliquis ſeniorem, & primum duntaxat ſupponerent.] Sed vt illa verba explodantur, quis non videat Petro inſinuatam doctrinam, quæ potiſſimùm ad ſummum Eccleſiæ paſtorem ſpectaret, quæque ad poteſtatem clauium maximè pertineret? Eam tamen non vrgemus, quòd illi primatus Petri non innitatur, ſed aliundè petatur, certè illo loco promiſſas Apoſtolis claues omnes interpretes aduertunt.

Turrecr. l. 2. de Eccl. c. 5.

Spalat. n. 14. Turrecr. ib. Matth. 19. Ioan. 6. Matth. 16. Luc. 12.

[Decima quarta, quòd ipſe Petrus ferè ſemper, aut interrogare Chriſtum, aut reſpondere pro omnibus ſit ſolitus; quippè veluti omnium princeps: vt quando dicit; Ecce nos reliquimus omnia, ſecuti ſumus te, quid ergo erit nobis? Et cùm, diſcipulis multis abeuntibus, dixit, Domine ad quem ibimus, &c. Item, Tu es Chriſtus filius Dei viui. Item, Domine ad nos dicis hanc parabolam, an ad omnes? Cui Dominus; Quis putas eſt fidelis diſpenſator, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam, vt det illis in tempore tritici menſuram? Quaſi dicat, inquiunt Sanderus, & Bellarminus, omnibus quidem loquor, ſed tibi maximè, quem ſupra familiam meam conſtitutum, etiam aliorum curam ſuſcipere volo. Omnibus tamen his locis abundè ſatisfacit Petri primatus ætatis, vocationis, & excellentiæ; necnon magna, quam cum Chriſto habebat familiaritas. Vltimi verò loci ſenſus, quem afferunt, eſt voluntarius, atque parùm Euangelio textui congruens: Multa enim dederat Chriſtus documenta ad vitandam hypocriſim, auaritiam, ſolicitudinem temporalium, ad faciendam eleemoſynam, caſtitatem ſectandam; vigilandum ad incertam mortis horam, atque circa hæc interrogat Petrus, ſua ordinaria familiaritate, & feruoris promptitudine, num ad ipſos, an verò ad omnes illa diceret. Tunc ſubintulit Chriſtus de fideli diſpenſatore, quaſi reſpondens, ſe potiſſimùm cum ipſis loqui, & ad ipſos Apoſtolos parabolas illas præcedentes dirigere, qui erant inſtituti diſpenſatores verbi Dei, & facti Euangelij prædicatores: Omnibus enim, & non ſoli Petro, dicendum fuerat; Euntes, docete omnes Gentes: vnuſquiſque igitur ipſorum erat diſpenſator ille fidelis, & non Petrus ſolus: & Petrus interrogauerat, Ad nos dicis? non ad me: & Chriſtus reſpondit, ad illos ea ſpectare.]

Sander. lib. 6 viſib mon. cap. 4. Bellar. li 1 de Roman. Pont. cap. 9.

Matth 28. ſuprà ca. 2. num. 10.

Atqui primùm Patres aliò, quàm ad ætatis, aut vocationis primatum, retulerunt, potiſſimùm verò illa verba, *Domine ad quem ibimus*? Sic enim Cyprianus, *Petrus tamen*, inquit, *ſuper quem ædificata*, aliàs ædificanda, *ab eodem Domino fuerat Eccleſia, vnus pro omnibus loquens, & Eccleſiæ voce reſpondens, ait, Domine ad quem ibimus*? Similiter Cyrillus, *per vnum, qui præerat, omnes reſpondent*. Hæc certè alium primatum, quàm vocationis, aut ætatis arguunt, & quidem cùm expenderent Patres confeſſionem Petri, de qua Matth. 16. Principis Apoſtolorum in ea edenda partes egiſſe Petrum docuerunt. Cyrillus Hieroſolymitanus: *Omnibus*, inquit, *Apoſtolis reticentibus (ſuprà vires enim erat hæc doctrina) Petrus princeps Apoſtolorum, & ſupremus Eccleſiæ præco, dicit ad ipſum, Tu es Chriſtus filius Dei viuentis*. Alius Cyrillus, *Cùm Saluator à diſcipulis quæreret, quem me eſſe dicitis? Petrus, vt princeps Apoſtolorum caputque cæterorum*, (certè nec ætas, nec vocatio etiam tempore antegreſſa principis, & capitis dignitatem conciliant,)

Cypr. lib. 1. epiſt. 3. ad. Cornel.

Cyril. lib. 4. in Io. c. 18. Cyril. Catech. 11.

Cyril. Alex. lib. 11. c. 64.

Primus exclamauit, Tu es Chriſtus filius Dei viui. Auguſtinus hìc quoque *vnitatis commendationem*, quæ principi inſiſteret ſubodoratus, *Reſpondet Petrus vnus*, inquit, *pro omnibus*. Rurſus: *Ipſe enim Petrus in Apoſtolorum ordine primus, in Chriſti amore promptiſſimus, ſæpè vnus reſpondet pro omnibus*. Neque verò intellexit Auguſtinus primum reſpondiſſe, quà ſeniorem, aut antè vocatum, ſed quà principem, & auctoritate ſummum; namque ſe ipſe ita explicat, vt Spalatenſi non relinquatur tergiuerſandi poteſtas. [Idem ergo Petrus, inquit, à petra cognominatus, vniuerſalis Eccleſiæ figuram portans, Apoſtolatus principatum portans.] Si quis eſſet in Spalatenſi veritatis ſenſus, aut pietatis amor, proculdubiò his fulminibus terreretur, & poſita animi obſtinatione, tam apertis verbis aſſentiretur. Quòd aut Bellarminum, & Sanderum obijcit hallucinatos in explicatione verborum Chriſti, *Quis eſt fidelis ſeruus, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam*; quod eorum ſenſum eſſe voluerint, quaſi diceret Chriſtus, *Omnibus quidem loquor, ſed tibi maximè, quem ſuprà familiam meam conſtitui, aliorum quoque curam ſuſcipere volo*, eius inſcitiam, aut potiùs nequitiam prodit; Nec

Aug ſer. 31. de verb. Apoſt. Id. ſer 13. de verb. Domi. cap 1.

Bell l. 1. de Rom. Pont. cap 9. Sand. l. 6. de viſib. Mon. Eccl. cap 4. Luc. 12.

enim

lib. 2. de Sacerd. initio.

enim eum fugere debuit ad Petrum quoque hunc locum apertè retuliſſe Chryſoſtomum. Nec propterea ſolum Petrum diſpenſatorem fidelem agnoſcimus, verùm etiam omnes omninò, non ſolùm Apoſtolos, ſed & probos Antiſtites, ac Paſtores ab omni hypocriſeos labe alienos; ſed ſolùm vrgemus pertinere antonomaſticòs illa verba, ad eum, qui vniuerſæ Chriſti familiæ ſit impoſitus rector, & ſummus œconomus. Certè Cyprianus Cornelium Pontificem [præpoſitum ſeruum] vocat.

Cyp. ep. 55. ad Corneliũ fratrẽ: alias lib. 1. ep. 3.

Spalat. Num 15. Matth. 18. Echius lib. 1 de Prim. Petr c 50.

[Decima quinta prærogatiua, inquit Spalatenſis, quod docente Domino fraternam correptionem, Petrus dixerit, Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? Vbi Petrus, inquit Echius, tamquam futurus Præſes Eccleſiæ, fraternæ correptionis modum diligenter, præ alijs quæſiuit Apoſtolis. Quæſiuit Petrus, quia & ſenior, & feruentior, & familiarior Chriſto, quàm cæteri, & os erat Apoſtolorum, omniumque nomine ſæpè multa, & quærit, & reſpondet.] Sed cogitandum fuit Spalatenſi cœleſti inſtinctu hæc quæſiuiſſe Petrum, non quia ſenior eſſet, quòd ad hoc nihil ætas facit, nec quia familiarior, quod Ioanni, & Iacobo, ac omnibus in vniuerſum ſat eſſet familiaritatis cum humaniſſimo Magiſtro, vt rem tam ſalutarem ab eo quærerent ingenti occaſione oblata, ſed quòd abundè eum omnibus præſidijs inſtructum vellet Chriſtus, & cumulatiſſimè informatum diſciplina Eccleſiaſtica, cuius ipſe futurus eſſet moderator; quæſiuiſſe igitur vt os, & caput Apoſtolorum.

Spalat. Num. 16. Luc 22. Sand. de viſib. Mon. lib. 6. c. 4.

[Decimaſexta in Petri gladio, ſolus enim gladium habere inuenitur, quo regni poteſtas ſignificatur. Sed eſt ſenſus merè figuralis, & allegoricus; imò & contortus, nimiumque violentus: de quo nobis erit lib. 6. diſſerendum] ait Spalatenſis. Atqui ſi quid violentiæ inſit in ea interpretatione, auctorem habet Bernardum virum mehercle mitiſſimi ingenij, & ab omni aſſentatione alieniſſimi, ſed de hac ſententia poſteriùs videbitur, nec enim eam hìc Spalatenſis perſequitur, alio loco de ea dicturus.

Spalat. Num. 17. Marc. 16. Sand. ibid. & Ech lib. 1 cap 50. Chryſoſt. hom. 84. in Matth.

[Decimaſeptima; quòd tribus dormientibus, vni tamen Petro dicitur à Chriſto, Simon dormis? quia Prælatum, qui cæteris etiam dormientibus præſit, maxima decet vigilantia. Reſpondeo, inquit Spalat. ſoli Petro obijci ſomnolentiam, quia ipſius maxima fuerat iactantia. Ita Chryſoſtomus; Omnes, inquit, dormiebant, & Petrum coarguit, occultiùs eum de his reprehendens, quę fuerat locutus, ac ideò (mecum) non otioſè adiecit, ſed quaſi diceret; Vigilare mecum non potuiſti, & mecum mori poteris?] Chryſoſtomi rationem amplectimur, ſed quis neget vnius, eiuſdemque rei poſſe plures ſubeſſe cauſas? Et quidem, qui in Petro potiſſimùm ſomnolentiam argui exiſtimarunt, ad id attenderunt, nimirum ſummos Eccleſiæ Paſtores, quibus tot curæ ſint, & tot populi commiſſi, non debere ſomno lautius indulgere, ſed vigilare, ac ouibus ſuis ſedulò proſpicere, iuxta illud diuini Paſtoris Iacob, *Diu, noctuque æſtu vrebar, ac gelu, fugiebatque ſomnus ab oculis meis*. Sed hæc myſtica Topicum ſubijciunt argumentum, atque dumtaxat probabile, ac ornatui ſubſeruiens.

Gen. 31.

Spalat. Num. 18. Marc. 16. Bar. tom. 1. ann. 34. nu. 182.

[Decimaoctaua, inquit Spalatenſis, quòd Chriſtus ſuam Reſurrectionem iubet annunciari Petro nominatim: Dicite diſcipulis, & Petro: vt ſciret, inquit Baronius, ſe ſuis negationibus ſuum primatum non amiſiſſe. Ego tamen hæc non ad primatum, ſed ad Apoſtolatum referri, cap. 8. præcedenti, ſatis docui. Voluit nimirùm Chriſtus Petrum ſpeciali modo conſolari, quia ille ſolus ipſum abnegarat, vndè & meritò deſperare poterat; ſe videlicèt, ne in numerum quidem diſcipulorum ampliùs reponendum, qui ſe diſcipulum eſſe Chriſti iam negarat. Ita Theophylactus in hunc locum. Et Gregorius homil. 21. in Euang. & alij. Hæ ſunt prærogatiuæ Petri, quas ex Euangelijs collegerunt ſupremi atus ipſius aſſertores. Iam ad alias properemus.] Atqui ad prærogatiuam nonam oſtendimus, & Chryſoſtomum, & Theophylactum, præter allatam ab aduerſario cauſam, etiam docuiſſe, Petro primùm ſe videndum exhibuiſſe Chriſtum ſtatim à reſurrectione, vt factas ei de primatu pollicitationes, haud quaquam irritas fore, ſuaderet.

Hæc igitur habuimus dicenda pro confirmatione prærogatiuarum Petri, quas ex Euangelio collegerunt Orthodoxi. Hic verò coronidis vice addiderim: malè eas oppugnaſſe Spalatenſem, *Quòd ex eis ſeorſim ſumptis non poſſet primatus Petri euidenter conuinci*; Neque enim ſingulis illis nititur auctoritas Petri, ſed veluti proluſiones quædam, & præcurſiones, quibus ſuam mentem aperuerit Chriſtus, inducuntur argumento à ſimili ducto. Solent enim Imperatores, ac Reges eos, quibus, vel imperium, vel regnum ſunt relicturi, aut ſummam aliquam præfecturam tradituri, alijs primùm honoribus augere, & eorum opera vti, tum in præcipuis Imperij, & regni officijs, tùm in honeſtiſſimis legationibus obeundis, ac his veluti gradibus illis ad ſummum dignitatis faſtigium viam munire, vt quibus aliquis eſt aulæ ſenſus, exploratum iam eſſe poſſit, hos fauores auguſtioris cuiuſdam poteſtatis eſſe initia, ac indicia. Ad hunc igitur modum, cùm Chriſtus Rex regum, ac Dominus dominantium vnum Petrum animo deſignaſſet, cui Eccleſiæ ſuæ gubernacula tractanda committeret, hunc præ cæteris, & ornauit, & amplificauit ſemper, quo ſignificaret ſe eum præ illis magnifacere, & ad ſupremam dignitatem euehere velle. Iam ad ea priuilegia ſcrutanda, ac excutienda, quæ tum ex actis Apoſtolicis, tum ex Sanctorum Patrum libris colliguntur, aggreditur Spalatenſis, eòque nos vocat. Premenda ſunt nobis importuni hominis veſtigia.

Spalat. Num. 19. Act. 1.

[Decima igitur nona prærogatiua eſt, inquit, vbi Petrus, tamquam Paterfamilias, colligit in vnum cœtum diſcipulorum, & vnum eligendum eſſe docet in locum Iudæ. In quem locum Chryſoſtomus: Quàm, inquit, agnoſcit Petrus commiſſum ſibi gregem? Quàm in hoc choro princeps eſt?] Contrà Spalatenſis exiſtimat primùm locum Actorum nihil ſibi aduerſari, Demùm in Chryſoſtomum, & Euthymium inuehitur, & de Chryſoſtomo quidem ſic cenſet. [Chryſoſtomus magis videtur nobis aduerſari, qui ſanè, vbi agebatur de locis fundamentalibus,

Num. 19.

quæ primatum abſolutum Petri videbantur erigere, ac ſtabilire, à communi ſententia, & interpreratione numquam deflexit. Interdum tamen, vbi orationem auream ſuam exuberare permiſit, plurimùm inclinare videri poteſt in ſupremum Petri principatum; oratoriè potiùs, quàm Theologicè, quod ſingulariter fecit, conſiderans hanc primam Petri actionem poſt Chriſti Aſcenſionem.] Itaque ſententia Spalatenſis, Chryſoſtomus è Theologo in Rhetorem degenerat. Sed hic meritò quæreret Iuriſconſultus, cui fini? An igitur diuinum, ac planè aureum os ornandum ſuſceperat Pontificem? An Conſtantinopolitanus, hoc eſt regiæ ciuitatis, quæ ſedes etiam illis temporibus Romanę Eccleſię æmula, plerumque, atque infenſa fuit, Epiſcopus, ſui loci immemor, vt Romanis paraſitaretur in Petri laudes excurrendum ſibi duxerit, vt eos deuinciret, qui tantum Apoſtolum ſuæ dignitatis principem, & auctorem facerent? Apage iſtas ineptias. Sed vt facundiſſimum Patrem ab his contumelijs vindicemus, integrum locum proferamus, & oſtendamus citra pompam, & apparatum orationis, qui non hic, quàm alibi maior pro veritate depugnaſſe.

Chryſoſt. hom. 3. in Act. Apoſt.

[Quàm, inquit, agnoſcit Petrus commiſſum ſibi gregem? Quàm in hoc choro princeps eſt?] Potuitne aliquid pro primatu Petri apertiùs dici? Excipit tamen Spalatenſis. [Sed ne hìc quidem, inquit, adeò abſolutè Chryſoſtomus Petrum pronunciat principem, quin ſimul ferè contraria multa interſerat; vt facilè liqueat, pompam tantùm, & apparatum orationis adhiberi; ſic enim loquitur; Surgens Petrus in medio diſcipulorum dixit &c. quàm eſt feruidus? Quàm agnouit creditum à Chriſto gregem? quàm in choro princeps eſt? Et vbique primus omnium incipit loqui? Quæ doctor hic de feruore, & primatu dicit, planè ea de primatu ordinis, ætatis, & feruoris, facilè intelliguntur; quod verò ait, Quàm agnoſcit creditum à Chriſto gregem? ad verba Euangelij, non ad ſenſum, oratoriè referuntur. Apertiſſimè enim iam à nobis cap. præcedenti oſtenſum eſt, etiam Monarchicis conſentientibus, paſturam ouium ęquè omnibus Apoſtolis fuiſſe à Chriſto commiſſam; quia tamen ſoli Petro ſeorſim dictum eſt, Paſce oues meas, atque hoc alijs cauſis, non quòd ipſi ſoli oues Chriſti paſcendæ committerentur, hìc iam aurea facundia tanti doctoris exundauit, quaſi ipſi ſoli cura Paſtoralis fuerit iniuncta. Atque hæc ad ornatum tantùm ab ipſo dici facilè eſt conuincere; nam alioqui nihil eſt ad rem, quod Petro dictum fuerit, Paſce oues meas: vt proptereà Petrus primus propoſuerit de ſucceſſore Iudæ agendum. Agebatur enim dumtaxat de adimplendo numero duodenario Collegij Apoſtolici; quod Collegium non erat ille grex, quem paſcendum Petrus ſuſceperat; quorsùm ergo dicit Chryſoſtomus, Quàm cognoſcit creditũ à Chriſto gregem? Si actus hic Petri actus fuiſſet paſturæ, optimè diceret, cùm tamen non ſit actus paſturæ, illa ſeruiunt tantùm ad ornatum.]

Primùm ergo obijcit illa verba Chryſoſtomi [Quàm agnoſcit creditum ſibi à Chriſto gregem, fruſtrà, & otiosè, ab eo iactata, cùm Petrus ſolùm de implendo numero duodenarij Collegij Apoſtolorum, à quo Iudas excidiſſet, ageret, quod non videtur ad curam eius pertinuiſſe, cùm collegium Apoſtolorum ad eam non ſpectarit.] Hæc nimirùm ſunt Spalatenſis ſomnia, non Chryſoſtomi pronunciata; Siquidem Chryſoſtomo Apoſtoli in numero ouium, quarum paſcendarum cura ſit demandata Petro, habentur; Quicquid enim dicat aduerſarius, cùm fratrum curam ei commiſſam dicit, proculdubiò Apoſtolos potiſſimùm intelligit ei commendatos. Proptereà etiam ſuprà Rhetoricatum eum dixit.

Spalat. Num. 6 e 8. Caiet. tract. de auct Pap. & Conc. c. 3.

[Videtur, inquit, Chryſoſtomus in decurſu exundantis orationis innuere, Petrum ex conceſſa ſibi fratrum cura à Chriſto quæſiuiſſe de Ioanne, hic autem quid? Sed ſicut, inquit, manifeſtam interrogationem illam ex ſola curioſitate profectam, & nihil curæ fratrum in ſe continere; ita illa tranſcurſim à Chryſoſtomo dicta, non ſunt cum rigore accipienda. Nam alia, quæ ibidem hic doctor dicit de commiſſa Petro fratrum cura, facilè intelliguntur de fratribus, fidelibus videlicèt, non de Apoſtolis, quicquid dicat Bellarminus: commiſſionem etenim hanc fratrum curæ accepit Chryſoſtomus in illis verbis Chriſti, Paſce oues meas: oues verò paſcendæ, erant populi conuertendi.] Neſcias igitur in Apoſtolum ne Petrum, qui inconſulto quodam æſtu agnoſcendarum earum rerum, quæ ad ſe non pertinerent, abreptus, de his quæſierit, an in Chryſoſtomum contumelioſior ſit, qui aut rem manifeſtam, atque expoſitam non viderit, aut tam parùm attenderit, quid loqueretur, vt veritati aperciſſimæ per imprudentiam aduerſaretur.

Bellar. lib. 1. de Roman. Pont c. 25. vbi de Chryſoſtom.

Sed his omiſſis, diſcere poterat Spalat. ab ipſo Chryſoſtomo, quoſnam fratres intelligeret, ac complecteretur [Si Dominus, inquit, ſuos diſcipulos fratres appellauit, multò magis conueuit, vt Petrus ſuos condiſcipulos appellaret, quapropter, & omnibus præſentibus ſic locutus eſt.] Fratres igitur Petri, iudicio Chryſoſtomi, Apoſtoli ſunt eius condiſcipuli.

Chryſoſt. hom. 3. in Act. Apoſt.

Secundò obijcit factum Petri vocantis diſcipulos ad electionem noui Apoſtoli, actũ paſturæ, vt ille barbarè dicit, non fuiſſe; nimirùm diuerſos paſtoralis curæ actus non intelligens, ad vnius prædicationis munus eam totam reuocat, ac contrahit, & coanguſtat. Nos verò ſuprà oſtendimus ex Ezechielis oraculo, Paſtorum eſſe quoque officium præeſſe, moderari, regere, iudicare, prouidere, ac omnibus modis conſulere gregi, vt proindè ab eo munere alienum non ſit, quod hìc præſtat Petrus; Neque verò vllus ſanæ mentis negauerit cogitare de gregis commodis, atque curare ne ei, vel aliorum paſtorum cura, vel quicquam rerum neceſſariarum deſit, ad ſummum paſtorem pertinere.

Inſigniter autem in decurſu exundantis orationis mentitur Spalatenſis, cùm audaciſſimè pronunciat fateri catholicos, quos monarchicos republicanus vocat, [Paſturam ouium ęquè omnibus Apoſtolis fuiſſe à Chriſto commiſſam.] Hoc illius commentum eſt, & impoſtura, vt ex his, quæ ſuprà dicta ſunt

ſa-

Digitized by Google

facilè æſtimari poteſt, ac iudicari. Pergit iam Chryſoſtomum vexare; additque, cùm quæſiſſet, [Cur Petrus non poſtularit à Chriſto, vt ipſi daret aliquem in locum Iudæ ſubſtituendum paucis his verbis reſpondere, iam Petrus erat ſeipſo factus melior: Innuit ergo, inquit ille, erraturum fuiſſe aliqua arrogantia, ſi hoc præſumpſiſſet, Arrogantia autem, & præſumptio non fuiſſet, ſi Petrus à Chriſto relictus fuiſſet totius Monarcha Eccleſiæ, ad ipſum namque ſpectaſſet miniſtrorum ordinatio.] Hic monſtra fingit ſibi; Primùm enim non ſequitur, Petrus ſeipſo factus melior, noluit ſolus precibus poſtulare à Chriſto aliquem in locum Iudæ ſufficiendum, ergo arrogantia, & præſumptio non fuiſſet, ſi id tentaſſet: Potuit enim ſolus id rectè præſtitiſſe, meliùs verò, ac rectiùs feciſſe, quòd ſocios adhibuit, cenſet Chryſoſt. ſunt enim, ſi neſcis, rectè factorũ diſtincti quidam ordines, & gradus. [Qui matrimonio iungit virginem ſuam benefacit, & qui non iungit melius facit.]

1. Cor. 7.

Verum eſt igitur, potuiſſe Petrum pro ſumma illa ſua poteſtate, aliquem in demortui Iudæ locum ſufficere, ſed ineptè concludit, non potuiſſe ergo arrogantiæ poſtulari, ſi ſuffeciſſet. Quid enim inficiari ne poteſt in regno ad vnum regem ferendarum legum ius pertinere? Quis autem negauerit temerè, atque arroganter facturum Regem ſi nullo conſilio publico, nullo priuato adhibito conſtituere de regno ſolus velit? Fieri igitur potuit, vt cum totius Eccleſiæ ſpiritualis Monarcha Petrus eſſet, atque ad ipſum ſpectaret miniſtroſtrum ordinatio, inniti tamen prudentiæ ſuæ non deberet, neque niſi arroganter vti poſſet poteſtate ſibi à Chriſto tradita, *vt enim omnia liceant, non omnia expediunt*. Hæc igitur vera mens eſt Chryſoſtomi; in quæſtione ponit, cur diſcipulorum cœtum coegerit, vt communibus ſuffragijs poſtularent aliquem à Chriſto in locum Iudæ ſufficiendum, nec ipſe ſolus id poſtularit, ac demùm reſpondet, id eius animo inſediſſe, *Quia erat Petrus ſeipſo factus melior*: hoc eſt, ab omni audaciore conatu remotior, & alienior: Namque quò quis melior eſt, eò humiliora de ſe ſentit, ac minoris ſe exiſtimat, ac proindè vbi aliquid à Deo poſtulandum occurrit, plus fidit omnium orationi, quàm ſuæ priuatæ. Prudentiſſimè ergo Petrus, & ex pij paſtoris inſtituto, cùm ſolus à Deo vnum aliquem poſtulare potuiſſet ſubſtituendum, maluit tamen communi aliorum ſuffragio facere. Itaque ornandus hìc eſt veris humilitatis laudibus Petrus, ſed proptereà minimè eſt ſua dignitate ſpoliandus. Sanè eximia laus eius eſt, quòd princeps renunciatus Collegij Apoſtolorum ſeipſo melior euaſerit. Ambitioſè enim illud ſatis de Veſpaſiano Tacitus, *Solus omnium antè ſe Principum in melius mutatus eſt*.

Tacitus de Veſpaſiano iudicium.

Poſtremò fœdam contradictionẽ Chryſ. obijcit ex illis ipſius verbis. *Iam & illud conſidera, quàm Petrus agit omnia, ex communi diſcipulorum omnium ſententia, nil auctoritate ſua, nil cum imperio*. Quod enim ſuprà dixiſſet, *Quid? non licebat ipſi eligere? licebat, & quidem maximè, verùm id non fecit, ne cui videretur gratificari*, exiſtimat eum repugnantia dixiſſe, atque his quidem poſtremis verbis cauillatur, *videri Petro hanc aſſeruiſſe auctoritatem, vt pro ſuo arbitratu aliquem deligere poſſet, prioribus autem illam ei ademiſſe*. Sed inſignis eſt iſta deliratio. Significat Chryſoſtomus Petrum chori Apoſtolici planè principem fuiſſe; hoc arguunt poſtrema eius verba; ſed ſubindicat ſumma moderatione principem fuiſſe, quippè qui nihil ex priuata ſententia in maximi momenti negotio ſit aggreſſus, ſed fratrum ſuorum, & collegarum opem, & preces depopoſcerit, ac eos in conſilium adhibuerit: Hæc verò minimè pugnant Sapientis, probi, ac verè magni Imperatoris illud celebratur, *Æquius eſt, vt ego tot, taliumque amicorum Conſilium ſequar, quàm tot, tantiqui amici meam vnius voluntatem*. Summa igitur illa moderatio principatum illuſtrat, non obſcurat. Ego verò dixerim hìc Petrum ſententia Chryſoſtomi bonum paſtorem egiſſe: quippè qui ſignificarit, nolle ſe omnem ſibi vſurpare poteſtatem, ſed cum alijs partiri, ac communicare, quod omninò eſt boni paſtoris, qualem ſe Moſes oſtendit, cùm quidam de Eldad, & Medad prophetantibus indignarentur.

Capitol. in Marc. Antel. Philoſ.

Iam commentitiam rationem affingit Chryſoſtomo, cuius intuitu dixerit magnus pater, licuiſſe maximè Petro aliquem vnum deligere, in quem Epiſcopatum Iudæ conferret, nimirùm, [Quòd ea eſſet ætate, dignitate, exiſtimatione, & alijs virtutibus Apoſtolis commendatus, vt ſi id tentaſſet, illi acceptum, gratumque haberent.] Quod attinet ad ætatem, fruſtrà illa inducitur, quippè quæ ad hoc negotium nil faciat, & Andreas, ac fortaſsè etiam Iacobus Alphæi natu maiores haberi poſſint. Quod verò ſpectat ad dignitatem, planè verum eſt ea parte conceſſiſſe Petro reliquos, non ob eximias tantùm virtutes, quibus pares eis eſſent alij, vel etiam ſuperiores, vt de Ioanne exiſtimat Hieronymus; ſed ob impoſitam illi ouium curam, & coniunctam cum dignitate ſummam auctoritatem, cuius meminit Chryſoſtomus his verbis, *Quàm agnoſcit creditum ſibi gregem*.

Num. 11.

At vrget Spalat. [de Petro, paulò antè dixerat Chryſoſtomus, quamquam habebat conſtituendi ius par omnibus, Si igitur, inquit, in Petro erat ius par eligendi, atque in cæteris, cæteri quoque in iure hoc eligendi erant Petro pares:] Nugæ ſunt hæ.

Spalat. Num. 19.

Cenſet Chryſoſtomus vnum Petrum tantùm iuris habuiſſe, quantùm omnis ſimul Apoſtolorum, & diſcipulorum chorus haberet; vndè colligendum fuit Spalatenſi, illum ſufficiendi Apoſtoli in locum Iudæ poteſtatem habuiſſe: Neque enim negauerit ea poteſtate præditos fuiſſe Apoſtolos; An non verò Capitis eſt iſta dignitas, vt vnus Petrus potuerit præſtare, quod omnes ſimul poterant? Neque enim vult Chryſoſtomus, id licuiſſe Petro, quod Andreæ, quod Ioanni, quod Iacobo ſeorſim ſpectatis, liceret, haud namque Petri dignitatem ornaret, aut commendaret ſuprà reliquos, quod tamen facit, ſed id demùm ei licuiſſe pronunciat, quod omnibus in vniuerſum Apoſtolis liceret. Si non ſunt hæc eximiæ poteſtatis indicia, non video vndè potiora duci poſſint? Quid illa verò Chryſoſtomi, *Meritò primus omnium auctoritatem vſurpat in negotio, vt qui omnes habeat in manu: Ad hunc enim dixit Chriſtus, Et tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos*. Hominis obſtina-

Chryſoſt. hom. 3. in Act. Apoſt.

ſtina-

ſtinatiſſimi non frangunt contumaciam: Ferreum os! *Ecce iam rurſus*, inquit, *videtur ſibi contrarius, iſta fert ſecum eloquentia*. Cruce digna verba. Ex eo idem enim oportuerit fuiſſe Chryſoſtomum, ſi eadem in ſententia ſecum ipſe pugnarit; immò ſi Petrum, pro principe Apoſtolorum non habuerit, cùm ea illi tribuerit, quæ niſi in principem ſanctiſſimi cœtus quadrare non poſſint. Excipit rurſùs importunus hoſtis: Atque *verba illa habere in manu Apoſtolos*, quæ ſunt à Chryſoſtomo vſurpata, *duplicem habere poſſe ſenſum*, garrit; *alterum quidem Apoſtolos, vt minores Petro tamquam maiori, & primogenito ſubeſſe; Alterum, qui priorem hunc ſenſum conſequitur; Petrum fuiſſe certum in hoc, quod proponebat, libentèr omnes eſſe conſenſuros*.

Monitore opus non habet lector, qui eum doceat, hanc barbariem à Chryſoſtomi calamo non eſſe; certè eam euertit, ac funditùs tollit homo eloquentiſſimus, rationem enim ſubijcit, cur Apoſtolos in manu haberet Petrus. [Ad hunc enim, inquit, dixit Chriſtus, confirma fratres tuos; propterea perfrictæ frontis aduerſarius eum repudiat, dum verba illa, confirma fratres tuos, inquit Spalatenſis, ad præſens negotium applicat Rhetoricè, non repugno; Theologicè tamen obſtat, tum quòd de Apoſtolis non videatur Chriſtus locutus, tum quòd in negotio præſenti circa electionem vnius Apoſtoli locum confirmatio non habeat, neque indigebant Apoſtoli, vt ad hoc à Petro confirmarentur.] Cùm portento res nobis eſt. Ait ſibi non videri illa verba, *confirma fratres tuos*, de Apoſtolis intelligi poſſe; Atqui quid ipſe de his ſtatuat, hìc non quæritur, ſed omninò quid ſenſerit Chryſoſtomus; qui proculdubiò nomine *fratrum*, etiam ipſos intelligendos exiſtimauit Apoſtolos. At *confirmatione hìc opus non fuiſſe* vrget: Sed non videt ius ſummum eligendi ab eodem fonte deriuari, à quo oriatur confirmandi poteſtas, ac propterea hanc in negotio electionis, ritè vſurpatam. Poſtremò contendit *non eguiſſe confirmatione Petri, Apoſtolos*, Eſto! Atqui in ordine à Chriſto præſtituto illis ſtandum fuit, vt propterea quemadmodùm Petrus, tamquam ad grandes natu, & domeſticæ procurationis participes filios cuncta retulit, ita hi eum pro capite colerent, quo tota Eccleſiaſticæ vnitatis moles niteretur. Iam Dionyſium malè ſanè ſubornatum, ac inſtructum teſtem profert, vt oſtendat *Apoſtolos habuiſſe propriam ſingulos, in hac electione, auctoritatem*.

Dionyſius Areop. lib. de Eccleſ. Hierarchia.

Audiamus egregium veritatis vindicem. *Atque etiam*, inquit, *ipſe diſcipulorum facilè princeps* (poterant hæc omitti) *cum decem condiſcipulis paribus* (nimirùm de Apoſtolatu illi ſermo eſt) *& Pontificibus cùm ad ſupplendum, perficiendumque condiſcipulorum duodecim numerum in Pontificio honore veniſſet, Deo electionem timidè, religioſèque permiſit, cùm dixit, oſtende nobis, quem elegeris, atque eum, qui diuina ſorte, diuinitùs declaratus eſt, in ſanctum duodecim numerum, qui Pontificum erat, admiſit*. Vel hæc ſatis erant ad frangendam hominis contumaciam, ſi aliquis in eo pietatis ſenſus fuiſſet, aut amor veritatis. Repugnat tamen; *Significat*, inquit, *hoc ita faciendum eſſe, Petrum, vti primum ex ipſis, & ſenſiſſe, & alijs tradidiſſe*. Hæc dubium habent ſenſum; Petrum enim quoque *Primum*, faciunt, qui Principem Apoſtolorum agnoſcunt, ſed quicquid ſit de eius mente, illud habeo compertum, Dionyſium docere, Petrum tamquam Coryphæum, ac Apoſtolici chori principem toti illi actioni moderatum eſſe, ipſumque Matthiam, collectis aliorum ſuffragijs, Apoſtolum renunciaſſe, ac in ſanctum duodecim numerum admiſiſſe, quod firmandæ noſtræ de primatu Petri ſententiæ, ſatis eſſe poſſit.

Iam aggreditur Oecumenium, eumque etiam laceſſit. [Oecumenius, inquit, ſuprà impropriè dixit præcepiſſe, alioquin textus ſacræ Scripturæ ei repugnarent, &c. Paulò poſt addit: Oecumenius de ſolo primatu perſonali Petri eſt intelligendus.] Itane verò tibi licet auctores, aliò, quàm velint, inflectere! Debet ſanè intelligi Oecumenius de eo primatu, quem ipſemet clarè, ac disertè explicat. [Surgit Petrus, inquit, non Iacobus, vt is, cui præſidentia diſcipulorum commiſſa erat, neque vllus orationi Petri contradixit, ſed mox ad eius præceptum conſtituerunt duos, quos digniſſimos eo gradu exiſtimabant vt vnum eorum, Deus ipſe deſignaret; Vides Antoni, hæc duo complexum Oecumenium, præſidentiam diſcipulorum, & præceptum Petri, quibus, ni fallor, primatus eius aſtruitur.] *At impropriè locutus eſt*, inquis; Scilicèt cui pietas cordi non ſit, quique à diſciplina Eccleſiæ præſtituta abhorreat. Neque verò placitum eius euertit Scriptura, quæ vt præceptum huiuſmodi, & *præſidentiam* hìc apertè non tradit, non obſcurè tamen indicat, cùm Petrum inducit actioni moderantem. *Oportet*, inquit, *ex his viris, qui nobiſcum ſunt congregati, &c. teſtem reſurrectionis eius nobiſcum fieri vnum ex iſtis. Et ſtatuerunt duos*. Certè Auguſtinus à Beza hoc nomine vexatus non, *ſtatuerunt duos*, numero plurali, ſed ſtatuit numero ſingulari, legit, & ad vnum Petrum refert, *non periculoſo errore*, vt improbiſſimus Ariſtarchus cenſet, cùm, teſte Chryſoſtomo, eius rei penès eam eſſet poteſtas, ſed quod hoc ipſum, quod alij, auctore Petro, feciſſent, id quoque Petrum feciſſe cenſeri poſſe, non immeritò arbitraretur.

Spalat. Num. 19.

Aug. lib. 1. de Act. cum Felic. cap. 4. Beza ad illũ locum. Chryſoſt. hom. 3. in Act.

Vigeſima prærogatiua, Petrus primus incipit concionari, & promulgat Euangelium, etiam alijs audientibus. Quid tum! inquit Spalatenſis. Erat primus in ordine Apoſtolorum, primus ætate, primus feruore, & zelo: vndè Chryſoſtomus primum verbum Dei prædicat, qui primus eſt omnium.] Audio Petrum primum omnium Chriſtum prædicaſſe, hæc enim habent verba Chryſoſtomi; ſed Petrum primum omnium ætate, feruore, & zelo, quæ tamen vero primatui non obſint, non audio, nec horum quicquam profert Chryſoſtomus. Verba eius ſunt, *Sicut Petrus inter Apoſtolos primus prædicauit; ſic inter ciuitates, ſicut iam dixi, hæc prima (Antiochia) tamquam coronam admirabilem Chriſtianorum tulit appellationem*. Dixerat autem ſuperiùs, de Antiochia, *ciuitatum ſub orienti poſitarum, caput eſſe nobiliſſimum*. Torqueat ſi poteſt iſta ad ſuum ætatis primatum. Cæterùm Chryſoſtomus, Petrum illa oratione, quam primam ad Iudæos habuit, communem Apoſtolorum vocem edidiſſe, quod os eſſet eorum piè, & eruditè obſeruat. [Communem vo-

Spalat. Num. 20. Act. 2. Chryſoſt. hom. 3. ad pop. Antio. Ibid.

cem

cem edebat, ait, ac Petrus omnium erat os, ſed aſtabant illi vndecim teſtimonio ſuo comprobantes, quæ ab illo dicebantur.] Sic autem eorum os fuiſſe accipiendum eſt, vt quemadmodùm Moyſes, quà princeps Synagogæ, primus omnium promulgauit legem, ita Petrus, quà nonus Eccleſiæ princeps, poſt acceptum Spiritum ſanctum, primus Iudæis publicarit Euangelium.

Act 36.

Firmat eundem primatum Petri primùm ab eo editum in confirmationem Euangelij miraculum, ſanando claudum, potentiſſimis iſtis verbis, *In nomine Ieſu Chriſti Nazareni ſurge, & ambula*: Solet enim Deus eas poteſtates, quarum ſit ipſe auctor, etiam miraculis confirmare, cùm potentis primatum Moyſis, & Pontificàtum Aaronis illuſtrarit, ac comprobarit. Ambroſius certè ex communi Eccleſiæ ſententia, & recepta doctrina piè luſit in genere miraculi; *Petrus*, inquit, *Petra eſt, ſuper quam ædificatur Eccleſia, ideòque ſicut in Eccleſia fidei fundamentum continet, ita, & in homine membrorum fundamenta confirmat, & vt Chriſtianus iam non trepidus, & imbecillis poſſit ſuper Petram Eccleſiæ, ſed robuſtus, & fortis incedere*.

Num. 16. & 17.

Ambroſius ſer. 69.

Dubitat primùm Spalatenſis, vtrùm Ambroſij ſit ille ſermo, ſed cur negari poſſit eſſe eius, cauſam nullam profert: Addit intellexiſſe eum, Petrum fuiſſe, [non ſolum, ſed præcipuum Eccleſiæ fundamentum, Alioqui, inquit, ſibi contradiceret, qui totiès aliàs etiam Apoſtolos agnouit totius Eccleſiæ fundamenta.] Ita eſt, mi Antoni, & videtis hic ſapientior factus: Namque ſunt, & reliqui Apoſtoli ſuo modo Eccleſiæ fundamenta, ſed principem locum in his fundamentis obtinet Petrus, atque, vt ſimpliciter dicam, fundamentum eſt præcipuum, non ratione ætatis, aut vocationis, vt tu nugaris, ſed ratione *eminentioris cuiuſdam auctoritatis, & poteſtatis*, quam à Chriſto inter reliquos ſit conſecutus.

Spalat. Num. 21.
Actor. 5.
Bellar. vbi ſup. cap. 22.

Vigeſima prima prærogatiua, vbi damnat hypocriſim, & fraudem Ananiæ, & Saphiræ, & eos punit morte, tamquam diuinus, & ſummus Iudex, inquit Bellarminus. Excipit verò Spalatenſis: Sed hoc etiam fuit miraculum ad conciliandam Euangelio auctoritatem, & credibilitatem; Sicut & cætera, vt cùm ad ipſius vmbram concurrebant ægroti, ſanabantur; illum enim, qui primus erat Apoſtolorum, & qui maximè omnium laborabat in Euangelio, etiam maximè par erat in miraculis corroborari.] In quem igitur meliùs hæc conueniant, quàm in ſupremum Eccleſię principem, ac paſtorem, quem par fuerit ſummis miraculis ornari, ac fidelibus commendari? Certè Clemens Alexandrinus interfectionem Ægyptij, quem Moyſes futurus Iudæorum legiſlator, ac princeps occiderit; cum Ananiæ, & Saphiræ ſupplicio confert: Et Concilium Aquiſgrauenſe, & Caſſianus hìc imperium Petri agnoſcunt, qui ore Apoſtolico Ananiam damnarit. Sed nemo luculentiùs Chryſoſtomo hanc cauſam egit, quem tamen non veretur homo perfrictę frontis nobis opponere. Viſne igitur, Marce Antoni, iudice Chryſoſtomo, ius hic experiri? *Erat*, *inquit*, ſic enim refers, *Petrus os omnium; cauſam fidei agit pro omnibus, doctrina ſua inſtituit omnes; ipſe præcipuus fidei aſſertor eſt, præcipuus Catechiſta habetur, & primus extitit verbi concionator, & primus coegit Eccleſiam, tamquam non ex Hieroſolymitanis, & circumcirca habitantibus Iudæis; ſed ex Parthis, Medis, Phrygibus, Libycis, Ægyptijs, Arabicis, aduenis Romanis, & alijs, & qui omnium Paſtor fuit à Domino inſtitutus, ex omnibus nationibus cogere cæpit oues, docuit eos fidem ſimul, & Apoſtolicos mores, nempè renunciare omnibus, ſimul conuenire in oratione: & panis à Chriſto edocta fractione*. Non eſt hic tenor verborum Chryſoſtomi, ſcimus, ſed tua fide contrà te vtimur; de Simone Mago poſteà agetur.

Act 5.

Li. 1. Strom.

Chryſoſt. hom 4 in Act. Apoſt.

Vigeſima ſecunda prærogatiua Petri eſt, vbi ſic legitur: Factum eſt cùm Petrus tranſiret per omnes. In quem locum Chryſoſtomus: Quemadmodùm, inquit, dux in exercitu obambulans conſiderabat, quæ pars ſit coadunata, quæ ſuo aduentu egeat: vide vbique illum circumcurſare, & primum inueniri. Ita Bellarminus. Baronius etiam hinc reperta priùs pace Eccleſiæ, facit Petrum Eccleſiarum, quæ vbique ex gentibus collectæ erant, viſitatorem: Non enim, inquit, de alijs Apoſtolis id ſcribit Lucas, ſed de Petro; cuius tantùm muneris fuit vniuerſo gregi proſpicere: vt ex his etiam, ſicut & multis alijs ſupremis aduocaris, luce clariùs Petri in Eccleſia primatum inſpicias. Hæc Baronius. Mihi verò illud tantùm luce ſolis clariùs eſt, Petrum feruentiſſimum Euangelij prædicatorem, obambulaſſe itineribus frequentiſſimis, vt munus ſuum obiret; & in hoc cæteros vndecim facilè ſuperaſſe. Alium maiorem primatum non video: Neque aliud Chryſoſtomus voluit, & de hac viſitatione plura dicam libris ſequentibus.] Hanc prærogatiuam vellicarat quoque Caluinus, & Catholicos ſtultitiæ coarguerat, [Qui ex iure viſitandi Petri primatum colligerent. Miſero diſcipulo, ac infelici Magiſtro Chryſoſtomum opponimus, [Quemadmodùm, inquit, dux in exercitu (ergo Chriſtiani exercitus dux Petrus) obambulans, conſiderabat, quæ pars ſit coadunata, quæ ornata, quæ ſuo aduentu egeat: vide vbique illum concurſantem, & primum inueniri: Quando eligendus Apoſtolus hic primus: quando loquendum Iudæis non Apoſtolos eſſe ebrios: quando curandus claudus, quando concionandum, hic præ alijs eſt, quando agendum contrà Principes, quando contrà Ananiam, quando ab vmbra ſanationes fiebant, hic erat.]

Spalat. Num 22.
Act 9.

Bellar. vbi ſup. cap. 22.
Baron 10. 1. an 39. num. 26.

Infrà lib 4. c. 1. num. 18. 24.

Cal. ad cap. 9. act. Ap.

Chryſoſt. hom. 21. 1 act. Apoſt.

Vides, vt facundiſſimus Pater vbique primatum Petro tribuat. Exiſtimat Spalatenſis [Petrum ſe feruentiſſimum Euangelij prædicatorem præbuiſſe, obambulaſſe itineribus frequentiſſimis, vt munus ſuum obiret, & in hoc cæteros vndecim facilè ſuperaſſe.] Itaque eius ſententia excidit ſua gloria Paulus, nec cæteris ſe ampliùs laboraſſe iam dicere poteſt. Alium tamen primatum non videt, quàm feruoris, & ardoris. Atqui Chryſoſtomus haud otioſè illum cum exercitus duce, munia ſua diligentiſſimè obeunte contuliſſe credendus eſt, *cathaper*, inquit, *tis ſtratigos periii tas taxis Epiſcopon pion ii ſygcecrotimenon meros*. Hæc certè feruorem ſummi ducis, non alicuius ex inferiori ordine commendant.

[Vige-

Spalat. Num. 23. Act. 10. Bellar. ibid. cap. 23.

[Vigeſimatertia; Quòd Petrus primus etiam aperuerit ad gentes oſtium Euangelij: vbi ad Cornelium ingreſſus, ei prædicauit, & ipſum baptizauit, Sed de hoc fortaſsè poſſet eſſe controuerſia, vter prior gentibus prædicauerit, Petruſne, an Paulus, de qua Bellarminus. Ego tamen facilè conceſſerim, & crediderim, Petrum primùm, Gentibus etiam Euangelium prædicaſſe in Cornelio: atque hac de cauſa meritò, & Iudæorum, & Gentilium Patrem poſſe appellari; ſed quid hoc ad principatum? Fuit inſignis Petri ſollicitudinis prerogatiua, qua ſollicitudine, & indefeſſa diligentia cæteros facilè ſuperauit. Viſio, inquit Bellarminus, illi ſoli oſtenſa eſt, qua mouebatur tempus eſſe prædicandi Gentilibus.] Cenſet igitur Spalatenſis ſollicitudine, ac diligentia reliquos Apoſtolos viciſſe, ac ſuperaſſe Petrum: Hæc autem ſumma eſt eius inconſtantia; Nam alijs locis aſſerit Paulum ſuperaſſe omnes omninò Apoſtolos ea prærogatiua ſollicitudinis, ac diligentiæ. Atqui Paulus iam erat Apoſtolus, cùm Petrus eſt Gentilibus concionatus: cùm itaque inſignem hic prærogatiuam Petri agnoſcat, proculdubiò ea diligentiæ, ac laboris eſſe non poſſit, ſed principatus, & auctoritatis. Viſionis priuilegium conuellere nititur, cenſetque non tantùm non fuiſſe priuilegium, ſed etiam increpationis quandam, & obiurgationis rationem præſeferre, qua Deus obſtinatum, ac Iudæorum legibus nimiùm addictum, animum fregerit; Hoc autem non video, quomodo ſtare poſſit cum his, quæ ante paulò ſunt ab eo dicta; [Fuit, inquiebat ſuprà, inſignis Petri ſollicitudinis prærogatiua: & rursùs, fuit priuilegium, quo primus, & maximus natu ex Apoſtolis, & feruentiſſimus executor meruit decorari.] Iam verò, [Hæc viſio, inquit, mihi quoque plùs ſimplicis inſtructionis, & quaſi cuiuſdam increpationis, quàm laudis, & prærogatiuæ in Petro, videtur innuere.] Concilia iſta ſi potes.

Act. 10.

Diluamus verò Apoſtolorum principi obiectum crimen; Is, inquit Spalatenſis [Iudaiſmo addictiſſimus, vix poterat in Gentilium vocationem, ac diuinæ filiationis gratiam, inclinare. A qua illum auerſione, vt Chriſtus amoueret, nimiùm legalibus, quæ iam expirabant, addictum, viſione hac occurrit; non ſine illa redargutione; Quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris. Ac ne ipſe nimium fortaſsè in hac refractarius, reluctaretur, ter viſio illa, aut ſaltem hæc vox, repetita eſt.] Impudentiſſimè ſcripturæ teſtimonio abutitur, vt ſummum Apoſtolorum contumelia oneret: Non enim his verbis, *Quod Deus purificauit, tu ne commune dixeris*, A Deo eſt reprehenſus, quòd conuerſioni gentium obluctaretur, ac nonniſi ægrè morem gereret præcepto diuino de his adeundis; Neque enim tunc quidem de gentibus cogitabat, ſed cùm ſenſum viſionis minimè caperet, aſſereretque ſe numquam immunda animalia comediſſe, quòd tenaciſſimus ſemper fuiſſet legis Moſaicæ, omnem ei ſcrupulum ademit diuina vox. Atque poſtquam eſt ad id à Deo edoctus, paruit dicto, ac ſe promptum, & expeditum ad eam legationem obeundam oſtendit. Immeritò ergo refractarius audit, & tamquam Deo immorigerus traducitur.

Vexat hìc etiam Bellarminum Spalatenſis, tamquam allegoriarum imperitum artificem, quòd nimirùm hæc verba, [Macta, & manduca, ad officium capitis retulerit, quia capitis eſt manducare, & per manducationem traijcere cibum in ſtomachum, & illum ſibi incorporare] Eoque propterea, ſignificarum dixerit [debere Petrum tamquam caput Eccleſiæ, infideles conuertere, & efficere membra Eccleſiæ.] Excipit igitur Spalatenſis, [Ego verò dicerem (en quanti ſe faciat homo vaniſſimus) potiùs os manducare, & in ventrem cibum traijcere, quàm caput. Et quamuis os ſit in capite, os tamen caput non eſt, ſicut neque oculi, neque aures, neque nares, quæ omnia, vt membra à capite diſtincta ſolent numerari.] Atqui initio oſtendimus caput, Philoſophis omnibus, haberi totum illud, quod collo ſuſtentatur, in quo propterea ſit os, cuius proindè opera tamquam partis officio in mandendo cibo vtatur. Symbolum Auguſtini ſunt, ſi tamen eſt Auguſtinus auctor 50. homiliarum: *Vndè iam poſt remiſſionem peccatorum, quare non accipiantur gentiles in corpus Chriſti, quòd eſt Eccleſia Dei, cuius perſonam Petrus geſtabat? Petrus in multis locis apparet, quòd perſonam geſſet Eccleſiæ; ſi Petrus figuram geſtabat Eccleſiæ, & Eccleſia corpus Chriſti eſt, recipiat in ſe quaſi in eſcam ſuam iam mandatas gentes, quibus peccata dimiſſa ſunt.* Quid igitur ſit in his verbis, quod Bellarmini allegoriam euertat: *Beatus Petrus*, inquit, *typum habuit Eccleſiæ catholicæ*: Quorsùm verò hunc typum geſſit, niſi quia claues accepit, & principatum in diſcipulis habuit, vt ipſe Auguſtinus alijs locis explicat, & meminit etiam hoc libro? De eo enim, qui ab vniuerſo per aliquam hæreſim conſcinditur, ita ſcribit, *Si autem ad viſionem Petri non pertinet, nec ad claues, quæ ſibi datæ ſunt pertinebit*. Vides, vt hoc nomine typum geſſerit Eccleſiæ, quòd claues acceperit. Atqui non, vt priuata quædam perſona, ſed tamquam princeps ob primatum, quem habuit in diſcipulis, claues accepit ſententia Auguſtini. Nihil ergo aduerſarium iuuat tanti Patris ſymbolum, etſi de illo maximè blandiatur, ac in eo triumphet vaniſſimè.

Spalat. Num. 24. Act. 12. Bellar. ibid. cap. 22.

[Vigeſima quarta, vbi pro Petro in carcere conſtituto oratio fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia, & liberatus eſt, quam orationem pro alijs in ſimili periculo conſtitutis, vt fuit Stephanus, & Iacobus, non legimus, ita ſine intermiſſione factam, vt pro Petro; ex quo colligunt indicium, Petrum fuiſſe caput, quia multùm intereſt vtrum membrum, an caput periclitetur. Reſpondeo, inquit, Spalat. quia erat primus, & maximus Apoſtolus, & Eccleſiæ vtiliſſimus, qui incredibili ſua ſollicitudine, & immenſis laboribus pro Eccleſia toleratis, maximum etiam erga ſe Eccleſiæ conciliauerat amorem, ideoque ab ea fiebat oratio ſine intermiſſione pro eo.] Sed quis non videt de Iacobo quoque dici poſſe, cùm fuiſſe maximum Apoſtolum, Eccleſiæ viliſſimum, ac diligentiſſimum Euangelij præconem, qui etiam ingentes labores pro Eccleſia ſuſcepiſſet, eoque nomine omnium animos ſibi conciliaſſet?

Hunc

Chryſoſt. hom. 26. in Act. Apoſt.

Hunc certè, ſummum vocat Chriſoſtomus; *Hi tres*, inquit (Iacobus, Ioannes, & Petrus) *ſummi erant, maximè autem Petrus, & Iacobus*. Solùm illud deeſſe videri poſſit, quòd *primus Apoſtolorum* non eſſet: ſed benè in Petrum quadrat ea prærogatiua, non illo aduerſarij ſenſu, ſed quia princeps, & caput fuit reliquorum. Fauet ergo maximoperè Petri dignitati hic locus, quo oſtenditur valdè ſollicitam fuiſſe Eccleſiam ob eius periculum, ne Paſtoris interitus diſperſio eſſet totius gregis; *Magni amoris iudicium, oratio*, inquit Chryſoſtomus, *Patrem omnes quærebant, Patrem manſuetum*.

Spalat. Num 25. Bellar. ibid. cap. 12. Prærog. 19. Act. 15.

[Vigeſimaquinta; Primus in Concilio loquitur, & ſententiam eius Iacobus, omneſque alij ſequuntur. Et ab ipſo maximè cupiebat Paulus ſolutionem dubiorum de legalibus inſtitutis, de quibus Antiochiæ contendebant, vt aſſerit Theodoretus. Mihi tamen certum eſt in omni collegio Decanum primum dicere ſententiam, neque propterea eſt ſupremum aliorum caput, cum iuriſdictione.] Eſt, quòd Decani collegiorum huic ordinis Eccleſiaſtici interturbatori immortales habeant gratias, qui eorum dignitatem ad Petrum reuocarit; ſed Hieronymus aliquid ampliùs vidit, quàm Spalatenſis, auctorem enim decreti facit Petrum, non tamquam Decanum aliquem, ſed tamquam principem Apoſtolorum, & poteſtate ſumma in eo conſeſſu pollentem, ac effulgentem; cui propterea alij omnes, etiam ipſe Iacobus Hieroſolymorum Epiſcopus aſſenſi ſunt, & eius ſententiam ſecuti. Audiamus Magnum Eccleſiæ Doctorem poſt recitatam Petri ſententiam. [Tacuit, inquit, omnis multitudo, & in ſententiam eius Iacobus Apoſtolus, & omnes ſimul presbyteri tranſierunt, hæc non debent eſſe moleſta lectori, ſed & mihi, & illi vtilia, vt probemus antè Apoſtolum Paulum, non ignoraſſe Petrum, principem huius decreti, legem poſt Euangelium non eſſe ſeruandam, Denique tantæ Petrus auctoritatis fuit, vt Paulus in epiſtola ſua ſcripſerit: Deindè poſt annos tres veni Hieroſolymam videre Petrum &c.] Vides hic maiorem Petri auctoritatem, quàm Decanorum.

Hier ep 89. Auguſtino.

Propterea Theodoretus cenſet Paulum à Petro, ſcilicet tamquam ab huius controuerſiæ iudice ſolutionem quæſtionis petere voluiſſe. [Paulus præco veritatis, tuba ſanctiſſimi Spiritus, inquit, ad magnum Petrum cucurrit, vt ij, qui Antiochiæ de legalibus inſtitutis contendebant, ab ipſo adferrent ſolutionem.] Objicit Spalatenſis [Iacobum in eodem Concilio aliquid ampliùs decreuiſſe, quàm Petrus decreuerat, nimirum abſtinentiam à contaminationibus ſimulachrorum, & fornicationis, & ſuffocatis, & ſanguine.] Sed non vidit hæc, de quibus ſententiam tulerit Iacobus in Concilio propoſita non fuiſſe. Quæſtio ſiquidem propoſita conſeſſui ea fuit; [An circumciſio eſſet ad ſalutem neceſſaria ijs, qui ex gentibus ad fidem conuerterentur?] De qua ſuum iudicium tamquam chori princeps interpoſuerit Petrus: Reliqua extra præſentem controuerſiam erant, vt quod de illis ſtatuit Iacobus primatum Petri, aut eius auctoritatem infringere non poſſit; Neque enim ſummi iudices pluſquam quod eſt a litigantibus propoſitum dirimunt, ſed ad id ſolùm, de quo rogantur, reſpondere ſolent.

Ep ad Leon.

Objicit rursùs [haudquaquam ſolius Petri nomine prodijſſe decretum;] Ità eſt, ſic enim eſt editum, [Apoſtoli, & ſeniores fratres his, qui ſunt Antiochiæ] quòd ſcilicèt quæſtio toti Concilio eſſet propoſita, & in eo res acta eſſet omnium ſuffragijs.

Certè, ſi quidem vni Petro fuiſſet illa propoſita, nomine ſuo reſpondiſſet: ſed cùm omnes in decretum conſenſiſſent, par quoque fuit, vt nomine omnium ederetur; Nam & hic Conciliorum Oecumenicorum mos eſt ſolemnis, vt quamquam vnus aliquis ſit, qui nomine Pontificis conſeſſui præſit, omnium tamen Patrum nomine placita edantur. De ſententia Theodoreti, quam immeritò traducit aduerſarius, videbitur inferius.

Spalat. Num. 26. Gal 1. Oecum. in c. 1 ad Gal. 1. Cor. 15.

Vigeſimaſexta, quòd Paulus ad inuiſendum Petrum è longinquo Hieroſolymam venerit tamquam ad maiorem, vt loquitur Oecumenius. Quidni verò Paulus, inquit, nouiſſimus Apoſtolorum, agnoſcat Petrum primum Apoſtolorum ſe maiorem ætate, vocatione, familiaritate Chriſti, rebus geſtis, & ipſa Apoſtolorum delatione, totque alijs prærogatiuis, ſed tamen omnibus perſonalibus, valdè inſignem? Quòdque illum inuiſat officij gratia, qui erat primus Apoſtolorum, nihil arguit abſoluti in Petro principatus: propterea enim, quia Petrus erat os, & princeps Apoſtolorũ, hoc eſt primus ex ipſis, qui etiam omnium nomine ſoleret proloqui, agere, & reſpondere; ideò Paulus [eum præter alios, vt ſcribit Chryſoſtomus, viſurus aſcendit. Quod Pauli officium alibi meliùs explicans idem Chryſoſtomus ait, Quid hoc animo poſſit eſſe modeſtius? Poſt tanta, taliaque benefacta, cùm nihil opus haberet Petro, nec illius egeret voce, ſed honore par erat illi (nihil enim hic dicam ampliùs) tamen aſcendit velut ad maiorem, ac ſeniorem, ſoluſque Petri conſpectus commouit illum, vt eò proficiſceretur.]

Chryſoſt. homil. 87. in Ioan. Id. in ep. ad Gal. c. 1.

Itaque ſtatuit Spalatenſis, hunc honorem Petro detuliſse Paulum, quòd [ætate, vocatione, & familiaritate Chriſti, rebus geſtis, & ipſa Apoſtolorum delatione,] vt loquitur barbarus deſertor, [eſſet inſignis.] Quod attinet ad ætatem, & vocationem ſuprà oſtendimus, vana ea eſse erroris præſidia. Iam verò hoc vnum addimus, hac ratione debuiſſe igitur Paulum non vnum Petrum inuiſiſſe, ſed omnes omninò Apoſtolos, cùm citra controuerſiam omnes ætate, & vocatione ipſo ſuperiores eſsent. Atqui negat ſe quemquam illorum vidiſse, niſi hunc Petrum, & Iacobum fratrem Domini. Quod attinet ad familiaritatem, quis neſciat, quòd pluribus aduersùs Iouinianum, Hieronymus oſtendit, Ioannem, qui ſuprà pectus Domini in cœna recubuit, ſeruatori longè Petro fuiſse familiorem? Cur ergo ſaltem hunc non adijt Paulus? Iam verò ſi Apoſtolorum in eo ſequutus eſt ſenſum, qui Petro primas conceſſiſsent, quid hac ratione illuſtriùs proferri poſſit ad Petri principatum, ac dignitatem firmandam! An ex nihilo eſt, quod faſces ſummiſerint collegæ ſuo?

Gal. 1.

Hieron. l. 1. adu. Iouin.

Certè, qui toties de primatu contenderant, magnos illos ſpiritus non poſuiſsent, nec

Digitized by Google

Petro ceſſiſſent, niſi id eos facere præcepiſſet Chriſtus, cuius animo inſedisſet id ei auctoritatis tribuere? Si ergo res à Petro geſtæ animum Pauli permouerunt, vt eius inuiſendi deſiderio teneretur; Proculdubiò id in cauſa fuit, quòd vbique, vt ex Chryſoſtomo oſtendimus, ſe Apoſtolici chori principem, & Dominici ouilis paſtorem præbuiſſet, haudquaquam refragantibus ſocijs in ordine à Chriſto ſtare iuſſis; Germanam ergo Paulinæ profectionis rationem veſtigarunt Patres, quos ineptiſſimè aliò, quàm ipſi velint, torquet Spalatenſis, [Petrus, inquit Chryſoſtomus,

Chryſoſt. hom 87. in Ioan. os erat Apoſtolorum, *τὰ coryphi tu choru*, princeps, & vertex ipſius cœtus. Propterea, & Paulus eum præter alios viſurus aſcendit.] Nugatur verò Spalatenſis, qui citra vllam imperij dignitatem, hæc in Petro infuiſſe inaniter contendit; Illud ſiquidem, *coryphi tu choru*, eximiam, & cum poteſtate coniunctam dignitatem arguit; Etsi non me fugit Grammaticos nouatores in huius vocis interpretatione luſiſſe, & vt eius vim effugerent nugas conquiſiuiſſe, de quibus ſuo loco.

Cæterum aduertere oportuit Spalatenſem, hæc Chryſoſtomi verba dicta ad locum, qui maximè faceret ad primatum Petri, nempè ad locum illum, *Paſce oues meas*, *&c.* Sed

Eod.nu. 26. inſtar aduerſarius, [Chryſoſtomum alio loco meliùs ſe ipſum explicaſſe, (hæret ſcilicet in iſtis) Quid hoc animo poſſit eſſe modeſtiùs,] ait os verè aureum, de Paulo loquens, [poſt tanta, taliaque benefacta, cùm nihil opus haberet Petro, nec illius egeret voce, ſed honore, par erat illi, (nihil enim hìc dicam ampliùs,) tamen aſcendit, velut ad maiorem, ac ſeniorem, ſoluſque Petri conſpectus commouit illum, vt eò proficiſceretur; Audiſne, inquit Spalatenſis. Paulum Petro honore ſaltem parem? Videſne Chryſoſtomum tacitè quodammodò Paulum Petro, etiam præferre per illam valdè grauidam reticentiam, (nihil enim, inquit, hìc dicam ampliùs?) ſi Doctor hic celeberrimus agnouiſſet Petrum Eccleſiæ totius Principem, & Monarcham, illane potuiſſet dicere, tamen aſcendit, velut ad maiorem, & ſeniorem, ſoluſque Petri conſpectus commouit illum, vt eò proficiſceretur: Oportuiſſet autem dicere, eum aſcendiſſe ad Petrum, tanquam ad caput totius Eccleſiæ, & ſuum verum, & legitimum ſuperiorem, &c.]

Atqui hic dat ſine mente ſonos, quòd ſcilicet tanti Doctoris non ſit aſſecutus mentem, quæ omnino ex mente Apoſtoli pendet, quam ipſe doctiſſimè interpretatur. Tota illa epiſtola Apoſtolus veluti pro ſe cauſam dicit aduerſus falſos fratres, qui impenſius legi, quam Chriſto ſeruatori ſtuderent, ac fauerent. Quod enim ij contra doctrinam Pauli ad circumciſionem, & cæteras Moſaicæ legis cæremonias Galatas traducerent, legemque cum Chriſto, impio commento coniungere niterentur, hoc vnum agebant, vt Pauli auctoritatem, qua impediebantur, eleuarent, ac deprimerent; vtque populis fucum facerent, negabant illum verum Chriſti Apoſtolum, id eſt à Chriſto miſſum, quippè qui eum in carne non vidiſſet; ſed duntaxat eſſe Apoſtolorum diſcipulum, qui doctrinam illorum, nec ſatis intelligere, nec fideliter referret. Subijciebant verò cæteros Apoſtolos, quibus velut Chriſti conuictoribus, ac cumulatiore myſteriorum reuelatione donatis, maior fides eſſet adhibenda, aliud & ſentire, & docere. Potiſſimùm verò Petrum, Paulo opponebant, qui cùm eſſet Antiochiæ, quanquam ea eſſet ciuitas Gentilium, non Iudæorum, ſeſe tamen à menſis Gentilium ſubduxiſſet, veluti eo facto commonſtrans à cibis lege prohibitis vbique, & ab omnibus ſine diſcrimine, eſſe abſtinendum, proindèque adhuc retinendam legem, & eius cæremonias obſeruandas.

Paulus itaque, vt impudentia ora obſtruat, ita reſpondet, vt inprimis, & dignitatem Apoſtolatus ſui aduerſùs pſeudoApoſtolos tueatur, & ſuæ doctrinæ cum legitimis Apoſtolis concordiam ex habita inter ipſos collatione comprobet. In aſſerenda igitur dignitate ſua, orditur à ſua vocatione, ſeque à Deo, qui eum ex *vtero matris ſegregaſſet, vocatum per gratiam*, vt tamquam Apoſtolus, & Galat 1. præco legitimus filium ſuum, fideique eius myſteria manifeſta mundo faceret, oſtendit: Additque, hac vocatione fretum, ſe, *non acquieuiſſe carni, & ſanguini*, hoc eſt, vt interpretatur Tertullianus, *non retuliſſe ad carnem, & ſanguinem*: Quibus verbis ipſos etiam Apoſtolos, à quibus nil ſe accepiſſe non inaniter Lib. de Reſurre c. 50. gloriatur, omninò complectitur. Abſtinuiſſe enim ab eorum congreſſu ad triennium vſque, cùm tamen intereà temporis egregiam, ac ſedulam operam Euangelio prædicando nauaſſet, neque ab opere, ad quod eſſet vocatus, abſtinuiſſet.

Tum verò ne quis obijceret, non paria cum ſentire Apoſtolis, ſed aliam viam ingreſſum pugnantia docere, vrget ſe, vt hanc calumniandi anſam aduerſarijs præriperet, triennio illo elapſo, cum Apoſtolis ſuam doctrinam communicaſſe, maximè verò cum Petro, apud quem diebus quindecim manſiſſet; ſed ne ſuam cauſam deſeruiſſe videretur, ac locum reliquiſſe criminandi, ſaltem illo dierum interſtitio cum multa à Petro accepiſſe, ſpatium temporis notat, quod vtique addiſcendo Euangelio, quod alijs prædicandum eſſet, non ſufficeret. Hic ſcopus eſt Apoſtolo primo capite epiſtolæ ad Galatas. Quare Chryſoſtomus eòdem reſpiciens, vrget quoque ipſe Paulum, neque ab alij Apoſtolis, neque ab Apoſtolorum etiam principe Petro inſtitutum in Euangelij doctrina, ſed quòd ad Petrum profectus ſit, id feciſſe *honoris non diſciplinæ gratia*. Ait igitur primùm, *nihil opus habuiſſe Petro*. ſcilicet *pro confirmatione Euangelij*, quod ab ipſo Chriſto accepiſſet. Addit *honore parem fuiſſe*; *honore*, ſcilicet *Apoſtolatus*, à quo Euangelij prædicandi auctoritas manaret: Innuit, etiamſi cum Petro conferatur, *poſſe plura afferri, in quibus videatur præcelluiſſe*, quod nimirum à Chriſto haudquaquam mortali, & in terris agente, ſed ad gloriam Patris euecto, atque de cęlo intonante vocatus fuerit, aut ſi ad ipſius Euangelij profectum reſpicias, *quòd abundantiùs omnibus laborauerit*, & plùs in eo excolendo poſuerit operæ: haud igitur auſpicatò aggreſſus eſt Spalatenſis obſtetricari, & parturientem Chryſoſtomum adiuuare, vt eius reticentia nos præcelleret, ac Paulum *nedum parem, ſed fortaſſè maiorem* Petro faceret.

Certè

Certè ſi grauida hòc ſenſu dicitur Spalatenſi ea reticentia, è Chryſoſtomo grauida non eſt, ſed adulterino fœtu grauatur, & aluum impleuit neſcio quis impoſtor. [Atqui, inquit Spalatenſis, ſi Petrus Paulo maior fuit, debuit aſſerere Chryſoſtomus Paulum non ſoliùs reſpectus, ſed obedientiæ gratia acceſſiſſe ad Petrum:] Reſpondeo quanto in honore habuerit Petrum Paulus abundè teſtamentum Chryſoſtomus reliquit, cùm in eo conſpectu cuius deſiderio flagraſſe ſe Paulus affirmat, notauerit eximij aliquid cogitaſſe Apoſtolum, ſic enim loquutur, *ca uc*, inquit, *ipen idin Petron, all' iſtoriſæ Petron, oper i tas megalas polis, ca lampras catamanthanontes legusin*; *iſtoriſæ* enim dicimur, cùm res ineundas, & ſuſcipiendas propius inſpicimus; Plutarchus in Lucullo; *legetæ gar mit' is Memphin anauinæ · mit' allo ton en ligynto thanmazomenon iſtoriſæ*, eius ſcilicet incuriam, aut potiùs incurioſitatem notans. Proculdubiò igitur ſententia Chryſoſtomi Apoſtolus eo verbo vſus, ſignificauit ſe Hieroſolymam rediiſſe viſendi Petri gratia, non vt cum eo ſuum Euangelium conferret, aut ab eo diſceret aliquid, ſed ſtudio propius cognoſcendi, tantum virum, quem ſcilicet Chriſtus, & Apoſtolorum ſummum principem, & Eccleſiæ ſuæ paſtorem conſtituiſſet. Totidem enim verbis habet iſta alijs locis Chryſoſtomus, vt ſuprà oſtendimus.

Spalat. Num. 26.

Nondum herbam porrigit Spalatenſis, [Pergamus, inquit, audire Chryſoſtomum, Pauli modeſtiam, ac ferè humilitatem, occaſionem huius viſitationis exaggerantem. Vides, inquit, quemadmodum illis (Apoſtolis Petro, & Iacobo) tribuit congruentem honorem; neque ſolùm non dicit ſeipſum illis meriorem; verum ne parem quidem eſſe putat id quod ex ipſa profectione liquet; ſicut enim nunc multi fratrum noſtrorum ad viros ſanctos proficiſcuntur, eodem affectu, tunc Paulus ad Petrum profectus eſt. Sanctitas ergo Petri, non auctoritas, Paulum traxit,] infert Splatenſis. Ineptè ſanè quaſi ſanctitas, & auctoritas in vnum eundemque Petrum coaluiſſe non potuerint, vt affectum Pauli permouerent, atque ad eum inuiſendum inuitarent.

Notauit, & hunc affectum Pauli Hieronymus, ac vtruſque reſpectu nempè, & ſanctitatis, & auctoritatis hanc profectionem inſtituiſſe obſeruauit. *Venit Paulus videre Petrum*, inquit, *non vt oculos, genas, vultumque eius inſpiceret, vtrum macilentus an pinguis, adunco naſo eſſet, an recto, & vtrum frontem veſtiret coram, an (vt Clemens in periodis eius refert) caluitium haberet in capite. Nec puto Apoſtolicæ fuiſſet grauitatis, vt poſt tantam triennij præparationem, aliquid humanum in Petro voluerit aſpicere: ſed ijs oculis aſpexit, quibus, & modò in epiſtolis ſuis videtur: ijs oculis Paulus vidit Cepham, quibus nunc à prudentibus quibuſque Paulus ipſe conſpicitur. Quod ſi cui non videtur, cum ſuperiori ſenſu iungat hæc omnia; Quod nihil Apoſtoli ſibi contulerint: nam, & quod iuſſus ſit ire Hieroſolymam ad hoc ipſe, vt videret Apoſtolum, non diſcendi ſtudio, qui & ipſe eundem prædicationis haberet autorem, ſed* honoris priori Apoſtolo, *deferendi*.

Hieronym. ep. ad Gal. cap. 1.

Quod igitur referente Spalatenſi addit Chryſoſtomus: *Nam iſti nunc (qui ad viros ſanctos proficiſcuntur) vtilitatis ſuæ gratia ſuſcipiunt peregrinationem. Beatus ille, non vt diſceret aliquid ab illo, neque vt correctionem aliquam acciperet profectus eſt, ſed tantùm, vt videret eum, ſuaque præſentia honoraret*, nihil detrahit primatui Petri, quem maiorem Paulo facit, nedum ſeniorem, ſed eò ſpectat, vt intelligamus Paulum non inſiluiſſe Petrum, vt ab eo doceretur, quod tamen voluerunt Eraſmus, & Vatablus, ſed dumtaxat, vt ei tamquam Apoſtolorum vertici honorem haberet, quod ipſe Chriſoſtomus ſuprà docuit. Eodem ſenſu Auguſtinus hanc profectionem Pauli accepit: *Si*, inquit, *cùm euangelizaſſet Paulus in Arabia, poſtea vidit Petrum. non ideò, vt per ipſum Petrum diſceret Euangelium, nam antè vtique eum vidiſſet, ſed vt fraternam charitatem etiam corporali notitia cumularet*:

Chryſoſt. hom. 87. in Ioan. Auguſt. in ep. ad Gal.

Et ſanè perridicula eſt obſeruatio Spalatenſis, qui inde colligit, [ſolam fraternam erga fratrem charitatem agnóſcere Auguſtinum, non erga ſuperiorem, ac totius Eccleſiæ principem.] Neque enim rursùs auctoritas Petri huic fraternæ Pauli charitati obſtare potuit, cùm certum ſit omnes Apoſtolos, de quorum numero iam erat Paulus, fratres fuiſſe, ac omnes in eo officio pares. Si enim Chriſtus [non confunditur eos fratres vocare, cur non & ipſi quoque inter ſe fratres dicerentur? Neque verò locus erat explicandi primatus Petri, cùm Auguſtinus in eo eſſet, vt oſtenderet Paulum non eruditionis, aut diſciplinæ gratia etiam ipſum ſummum Apoſtolorum conſuluiſſe, ſed fraterna charitatem hac ſua profectione coluiſſe.

Non igitur [malignus fuit, aut in Petrum inuidus Auguſtinus,] vt malignè cauillatur Spalatenſis, etiamſi perſpectum ſibi Petri principatum hoc loco tacuerit, Eum ſiquidem ingenuè alibi expreſſit, atque in ipſo primatum Apoſtolorum excellentiore gratia præfulſiſſe, non obſcurè docuit, ſed cum ad rem minimè faceret, ab eo referendo abſtinuit. Alij tamen Patres expreſſerunt, Auctor Commentariorum, qui nomine Ambroſij præferuntur, [Dignum fuit vt cuperet videre Petrum, quia primus erat inter Apoſtolos, cui delegauerat ſaluator curam Eccleſiarum; vtique vt aliquid ab eo diſceret, quia iam ab auctore didicerat, à quo & ipſe Petrus fuerat inſtructus; ſed propter affectum Apoſtolatus, & vt ſciret Petrus hanc illi datam licentiam, quam, & ipſe acceperat. Veniens ergo ad eum hoſpitio receptus eſt, & apud eum manſit dies quindecim, quaſi vnanimus, & Coapoſtolus, &c.] Hæc tamen ad ordinem, ætatem, & vocationem, quibus Apoſtolos reliquos anteuerterit Petrus, refert importunus, & procax aduerſarius, putidis illis cauillationibus, quas ſuprà confutauimus, inſiſtens; cùm tamen hic auctor non patiatur ſe eò abduci.

Auct Comment. qui nunc Amb. Præf ad 1. c. ep. ad Gal.

Quid enim ſibi volunt illa verba de Petro, *Quia primus erat inter Apoſtolos, cui delegauerat ſaluator curam Eccleſiarum*? An non aliud præ ſe ferunt, quàm prioritatem illam *ætatis vocationis, aut ordinis*, quam ad nauſeam, vſque homo ſolidiori præſidio deſtitutus inculcat? An non ſublimiorem quendam principatum, & dignitatem ſpirant, omnium

iudicio, qui aliquid ſapiunt? Spalatenſis ipſe curam Eccleſiarum his verbis, [Paſce oues meas, ſpecialitèr, ac principalitèr] delegatam agnoſcit *cyrios*, ſcilicèt, *cæ igemonicos*, tamquam capiti, & principi Apoſtolorum, qui in paſcendo, hoc eſt, regendo grege dominico, comparatione illius, nonniſi ſecundas partes habuerunt; Auctoritatem verò hìc agnoſcit Hieronymus: *Tantæ*, inquit, *Petrus auctoritatis fuit, vt Paulus in epiſtola ſua ſcripſerit, Deindè poſt annos tres veni Hieroſolymam videre Petrum*.

Contendit tamen Spalatenſis, auctoritatem hìc ſignificare exiſtimationem, qua motus Paulus acceſſerit ad Petrum officij tantùm gratia: Non nego *auctoritatem* hoc ſenſu accipi poſſe, ſed hoc loco pondus, & eminentiam dignitatè, addo etiam potentia, ſcilicèt ſpirituali partam, omninò ſignificat.
Hieron. ep 89. ad Aug. Vrget enim aduersùm Auguſtinum, *Petrum principem fuiſſe huius decreti: Legem poſt Euangelium non eſſe ſeruandam*, ac demùm *tantæ auctoritatis fuiſſe* ait, vt eius inuiſendi gratia, Paulus Hieroſolymam profectus ſit. Eadem quoque Epiſtola Petrum *Principem Apoſtolorum*, facit, ac poſtquam de obliterandis, ac abolendis legalibus pronunciaſſet, *in eius ſententiam Iacobum Apoſtolum, & omnes ſimul presbyteros tranſiiſſe* ſcribit.

Et quidem Spalatenſis hunc ipſum Hieronymum ferre non poteſt, qui exiſtimarit Paulum ad Petrum inſtructionis, & diſciplinæ gratia acceſſiſſe, quòd infrà Petrum Paulum hoc iure poni, haud æquis oculis videat. Sed hac de quæſtione alio loco videbitur.

Addamus Theodoretum Græcorum doctiſſimum. In Epiſtola ad Leonem de Pauli profectione in hunc modum loquitur: [Paulus, inquit, præco veritatis, tuba ſanctiſſimi Spiritus ad magnum Petrum cucurrit, vt ijs, qui Antiochiæ de legalibus inſtitutis contendebant, ab ipſo adferret ſolutionem. Ac rurſùs, Principi Apoſtolorum, quem par erat, honorem tribuit.]

Neſcio quid illuſtrius afferri poſſit pro ſententia Catholicorum, hanc Pauli ad Petrum profectionem pro primatu eius vrgentium: Reliqua, de quibus hic Hieronymo litem mouet Spalatenſis, & de quibus acturum ſe libro 7. pollicetur, ſuo loco ponderabuntur, & examini ſubijcientur. Interim expendat lector, quid ſibi velint hæc deſertoris verba. [Feruor, inquit, diſputationis, & diſſenſionis ſpiritualis cum Auguſtino, ſuper reprehenſione Petro à Paulo facta, facilè Hieronymum traxit, vt plurimum Petro tribueret, & ei Paulum ſubmitteret. Hoc ſcilicèt eſt, Hieronymum totum nobis aſſerere, & tamen non veretur homo inconſtantiſſimus eum poſteà in illorum numero ponere, qui contraria nobis doceant.

Spalat. Num. 27. 1. Cor. 1. Vltimò exagitat Baronium, qui ex diſſentione Corinthi orta aliquid collegerit pro primatu Petri, quòd qui de Cepha gloriarentur, rem ad ſuum principium reuocare velle viderentur: Atque ex eo probat, quod nondum Petrus Corinthijs prædicaſſet Euangelium, vt proindè hoc nomine cum Paulo, & Apollo conferri non potuerit, qui idcircò ab ipſo Paulo adducerentur, quod Euangelij fundamenta Corinthi poſuiſſent.

Excipit Spalatenſis, [Totum in eo eſſe Paulum, vt fideles nullum ſibi hominem tamquam caput aſcribant. Sed nos ſuprà monuimus id meritò feciſſe Paulum, nec proptereà lædi primatum Petri. Proculdubiò hæc verba: *Numquid Paulus pro vobis crucifixus, numquid in nomine Pauli baptizati eſtis?* oſtendunt huius diſſidij, ac ſchiſmatis auctores ampliùs progreſſos, quàm vt caput ſecundarium, ac ſubalternum, vt vocant, ſibi conſtituerent: Et vt rectè ſenſit Auguſtinus, ab Aug. ſer 13. de verbis Dom. aduerſario fruſtrà prolatus, *ſuper homines ædificare volebant*, contempto Chriſto, vndè iure optimo à magno Apoſtolo ſunt reprehenſi. Nos verò; qui Petrum caput Eccleſiæ dicimus, eam longè abſumus ab illo ſeruatoris Chriſti contemptu, vt Petrum eius miniſtrum profiteamur, & ſeruum, ac non niſi capitis ſecundarij, ac à Chriſto omninò pendentis loco, habeamus.

Et certè feſtiuus eſt Spalatenſis, qui quod legit in Chryſoſtomo, [Si Magiſtrum, & Principem Apoſtolorum, & tanti populi admonitorem ſibi arrogare non debebant, quantò minùs eos, qui nuſquam eſſent; ſic emendat: Aduerte, inquit, verbum illud, Magiſtrum, Hom 3. in 1. Cor. c. 13
non referri ad Apoſtolos; Petrus enim non fuit magiſter Apoſtolorum, ſicut ad eos refertur verbum, princeps, fuit enim princeps, id eſt primus inter Apoſtolos, ſed refertur ad ipſos fideles, & populum; ſtatim enim vocatur etiam populi admonitor.] O acutum interpretem Patrum! Ego ſanè ad aliquem ludi Magiſtellum remittendum cenſeo, qui eum Latinitatem doceat, & à quo diſcat orationis periodos aliquantò ſubtiliùs diſtinguere. Chryſoſt. Petrum primum vocat, *Magiſtrum, & Principem Apoſtolorum, ac poſtea & tanti populi admonitorem*. Ergo hæc duo planè diſtingui debent, vt ſit Petrus *Magiſter, & Princeps Apoſtolorum*, ratione ſcilicet amplioris poteſtatis ad tollenda ſchiſmata ei conceſſæ, & *admonitor tanti populi*; hoc eſt Doctor omnium omnino fidelium. Hunc eſſe germanum ſenſum verborũ Chryſoſtomi, vident omnes, qui modò cæci non ſunt. Sed Græca omnem ſcrupulum facilè exemerint. Locum ſic expreſſit Latinus interpres: *Si Magiſtrum, & primum Apoſtolorum, & qui tantum populum catecheſi imbuerat, non oportebat inſcribere, multò magis eos, qui nihil ſunt*. Ibidem. Eſtius ad 1. c 1. ad Cor.
Quod verò attinet ad coniecturam Baronij, non verebor diſſertationem viri doctiſſimi eam repudiantis aſcribere. [Exiſtimat, inquit ille, Cardinalis Baronius in Annalibus ad an. Domini 57. eos, qui ſe dicebant eſſe Cephæ, perindè, vt qui Chriſti, non id contentionis ſtudio dixiſſe, ſed potius ad hoc, vt contentionem illam, & ſciſſuram Eccleſiæ declinarent, rem ad ſuum principium reduxiſſe, dicendo ſe eſſe diſcipulos Petri, velut totius Eccleſiæ ſupremi poſt Chriſtum paſtoris, & capitis: Quomodo qui dicebant ſe eſſe Chriſti, partes reuocabant ad caput, & paſtorem Eccleſiæ primarium: ſed hæc opinio refellitur ex Apoſtoli verbis, quibus ſatis declarat, tam eos, qui dicebant ſe eſſe Cephæ, reprehenſibiles eſſe, quàm qui Pauli, vel Apollo nominibus gloriabantur. Primùm, quia diſtinguit dicentes, Ego Cephæ; Ego autem Chriſti velut inter ſe diuiſos. Nam ſecundùm dictam opinionem non erant diſtin-

diſtinguendi, (vtpotè animo, & ſententia concordes) qui ſe dicerent eſſe Cephæ, & qui Chriſti. Deindè quia ſubijcit: Numquid Paulus crucifixus pro vobis? Aut in nomine Pauli baptizati eſtis? Non enim æquè dici poterat de Petro.]

[Poſtremò, quia ſub finem 3. cap. vbi ſuam adhortationem, qua prædictæ contentioni mederi voluit, concludit, rursùs apertè Cepham annumerat illis hominibus, in quibus non ſit gloriandum. Nemo, inquit, glorietur in hominibus. Omnia enim veſtra ſunt, ſiue Paulus, ſiue Apollo, ſiue Cephas, ſanè tertium hoc membrum, ego verò Cephę, ſimilitèr vt primum, & ſecundum cum vituperatione referri ab Apoſtolo; ſententia eſt omnium commentatorum, ac præter hos Auguſtini; cuius in lib. de vnico baptiſmo c. 5. hæc ſunt verba. Temporibus Apoſtolorum, qui dicebant; Ego quidem ſum Pauli, ego autem Apollo, ego autem Cephæ; quamuis non per impiorum, ſed ſanctorum nomina, ipſi tamen impia ſchiſmata faciebant. Idem ſermone 13. de verbis Domini: Volentes homines, inquit, ædificari ſuper homines, dicebant: Ego quidem ſum Pauli; ego autem Apollo; ego verò Cephæ: ipſe eſt Petrus. Et alij, qui nolebant ædificari ſuper Petrum, ſed ſuper petram: Ego ſum Chriſti, &c.

Ad quæſtionem reſpõſio.

Dicendum igitur quoſdam è Corinthijs Petri nomine ſe iactitaſſe, vel quòd ab eo baptizati eſſent, vel potiùs, quòd eo prædicante non quidem Corinthi, ſed alibi, fidem Chriſti ſuſcepiſſent: præſertim, qui erant ex circumciſione, eò quòd Petrum colerent, vt peculiarem ſuum Apoſtolum; ſicut antè dixi: tametſi credibile eſt, ſiue Iudæos, ſiue alios, eo propenſiùs Petri nomine gloriatos fuiſſe, quòd ſcirent, quanta eſſet illius dignitas, & eminentia ſuprà cæteros Apoſtolos.]

Spalar. Num. 28. Bellarm. l. 1. de Roman. Pont. c 23. 24.

Reſtant aliæ octo coniecturæ, quas ex varijs Orthodoxis Doctoribus colligit Cardinalis Bellarminus, ſed quia mera traditione nituntur, nec expreſsè in ſcripturis habentur, non magnifiunt ab aduerſarijs, quibus *quod ſemper, quod vbique, quod ab omnibus eſt creditum*, etſi verè *Catholicum* eſt, non placet, niſi totidem verbis habeatur in Euangelio. Ne igitur tempus fruſtrà teramus, erunt eæ nobis leuiſſimè percurrendæ.

Vinc. Lirin. in Cõment. adu Proph. hęreſ. nouit. Epiſt quæ inſcrib. cõ phus.

Prima eſt, *quòd Chriſtus ſuis manibus dicatur Petrum baptizaſſe*, & auctorem habet Euodium Antiochenum Apoſtolorum diſcipulum, ſi fides Euthymio, & Nicephoro habeatur: Ego vt nullum præſidium poſuerim in recentioribus illis Euthymio, & Nicephoro, niſi antiquorum ſcriptorum ſe tueantur auctoritate, ità ingenuè dixerim, non eſſe eis omnem omninò abrogandam fidem, quòd eorum ſcripta, quorum teſtimonio vtuntur, ad nos non peruenerint; quis enim dubitet multa ſuperioris æui monumenta penès Grçcos fuiſſe, quorum numquam nobis copia facta ſit? Quis neget temporum iniuria periſſe multa, quæ ſi extarent, pondus, & robur haberent? Sed de Euodio non laboramus, & quòd ille Petrum manibus Chriſti baptizatum ſcripſiſſe dicitur, pro dogmate pio, non pro fidei articulo habemus; Neque ex eo aliud præſidium ducit Bellarminus, quàm vt omnes intelligant, quanti etiam ipſi Græci Romanæ Sedis hoſtes (in his enim ſunt & Euthymius, & Nicephorus) Petrum fecerint.

Euth. ad 3. cap Ioan Nicephor. lib. 2 hiſtor. Eccl. cap. 3.

De quæſtione autem illa, vtrùm Apoſtoli alio baptiſmate, quàm ignis, & ſpiritus baptizati fuerint, & vtrùm aqua loti ſint, ſic ſtatuimus; Poſſe vtramque partem citrà errorem defendi, cùm in nullam expreſsè inclinet ſcriptura. Probabiliorem tamen eſſe ſententiam Auguſtini, qui etiam aqua baptizatos docet, cùm probabile omninò ſit, Chriſtum, quos *lumen* eſſe *mundi* voluerit, & *ſal terræ*, ſuis primùm ſacramentis inſtituiſſe, ac vt cæteris nedum verbo, ſed etiam exemplo prçlucerent, voluiſſe. Atqui hæc parùm faciunt ad inſtitutum. Quod verò negat Auguſtinus, *Dominum quemquam ſuis manibus baptizaſſe*, Euodij ſententiam non euertit. Potuit enim Chriſtus ſingulari priuilegio à communi lege Apoſtolorum principem, quod etiam de beatiſſima Virgine quidam aſſerunt, eximere.

Aug. ep 108 Tract. 5. in Ioan.

Secunda Petri prærogatiua extrà ſacram Scripturam eſt, [Quòd ſolus Petrus à Chriſto Epiſcopus fuerit ordinatus, & ipſe poſtmodùm alios conſtituerit Epiſcopos. Hæc potiſſimùm nititur doctrina omnium antiquorum, qui paſſim inculcant, *Eccleſiam Romanam eſſe matrem omnium Eccleſiarum, & ab ea omnes Epiſcopos habuiſſe conſecrationem, & dignitatem ſuam*, quod Bellarminus probat teſtimonio Anacleti, Cypriani, Innocentij, Concilij Carthaginenſis, Iulij I. & S. Leonis, qui id conceptis verbis aſſeuerant. Teſtimonium Anacleti reijciunt aduerſarij, tamen alios eximios Patres repudiare non poſſunt. Primùm igitur Cyprianus: *Romanam Eccleſiam radicem, & matrem totius Eccleſiæ Catholicæ vocat, à qua Sacerdotalis vnitas exorta ſit.* Innocentius verò de Petro ſic loquitur: *A quo ipſe Epiſcopatus, & tota auctoritas nominis huius emerſit.* Et rursùs: *Quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres, & Coepiſcopos noſtros, non niſi ad Petrum, ideſt, ſui nominis, & honoris auctorem, deferre debere.* Item Iulius I. *Quam culpam incurrere non potuiſſetis, ſi vndè conſecrationis honores accipitis, indè legem totius obſeruantiæ ſumeretis, & beati Apoſtoli Petri ſedes, quæ nobis Sacerdotalis mater eſt dignitatis, eſſet Eccleſiaſticæ magiſtra rationis.* Leo quoque de Petro; *Si quid cum eo commune voluit eſſe principibus, numquam niſi per ipſum dedit, quicquid alijs non negauit.* Atque iterùm: *Huius muneris Sacramentum, ita Dominus ad omnium Apoſtolorum officium pertinere voluit, vt in beatiſſimo Petro Apoſtolorum omnium ſummo principalitèr collocaret, vt ab ipſo, quaſi quodam capite, dona ſua veluti in corpus diffunderet.* Hæc quidem clariſſimè oſtendunt Petrum ordinis Eccleſiaſtici veluti fontem eſſe, atque adeò luculentiſſimè probant, omnem Epiſcoporum dignitatem à Petro manaſſe. Sed non deſunt viri Catholici, & docti, qui cùm hoc poſtremùm agnoſcant, inficientur tamen Petrum reliquos Apoſtolos ad Epiſcopatum promouiſſe, contendantque æquè omnes à Chriſto Epiſcopos renunciatos eſſe; Itaque volunt idcircò *totam Epiſcopatus auctoritatem, & nomen à Petro emerſiſſe*, vt loquitur Innocentius, quòd Apoſtolis, quorum Petrus caput fuerit, ſucceſſerint: Ita non pugnat eorum ſententia cum doctrina, quam propugnamus. Sed meo iudicio propiùs à vero

Spalat. Num 29. Bellar l. 1. de Roman. Pont. c 24.

Lib 1. ep 4.

Innoc ep ad Conc Cartha. quæ eſt 91. inter ep Aug.

93. inter ep. Aug.

Epiſt. 1. ad Oricot.

Ser. 3. de die anniuerſ. aſſumpt. ſuæ.

Franc. Vict. relect. 2. de poteſtate Eccleſiaſt.

ab-

abſunt, qui *ſolùm Petrum Epiſcopum à Chriſto renunciatum* aſſerunt, cuius demùm opera vſus ſit Chriſtus in alijs Apoſtolis initiandis, & ad Epiſcopatum promouendis.

Apud Euſeb. hiſtor. Eccl. l. 2. c. 1.

Certè Clemens Alexandrinus apud Euſebium, Iacobum Hieroſolymit. Epiſc. initiatũ fuiſſe à Petro, Iacobo altero, & Ioanne affirmat: & non malè colligunt viri docti, indè manaſſe conſuetudinem, quæ in Eccleſia obtinuit, vt Epiſcopi à tribus item Epiſcopis conſecrentur; ſed & ex eodem capite euincitur, non omnes Apoſtolos, quod ſuperioris ſententiæ aſſertores contendebant, Epiſcopos à Chriſto eſſe renunciatos, ac proindè veriſimile eſſe à Petro eum honorem eſſe conſequutos, vt hac ratione dictum ſit à melioris notæ ſcriptoribus, *ab eo ordinem Epiſcoporum originem duxiſſe*.

At hoc [fabellam redolere, occlamat Spalatenſis, atque vrget, Scripturam nuſquam docere alia conſecratione initiatos Apoſtolos, vt Epiſcopi renunciarentur, quàm ſua ad Apoſtolatum vocatione, & miſſione, cùm eſt eis dictum à Chriſto, Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Illis, inquit, profectò dedit ſimul, his dictis, poteſtatem Epiſcopalem, hoc eſt, Apoſtolicam ordinariam, quæ Epiſcopalis, & Apoſtolica poteſtas in eo tota conſiſtit, vt Euangelium prædicetur, & fideles in fide, & viuendi Chriſtiana ratione inſtruantur. Ad hoc autem conſecratione Chriſtus opus non habuit, ſicut nunc Canoniſtæ dicunt: Solo verbo poſſe Romanum Pontificem facere aliquem Epiſcopum, & Sacerdotem abſque vlla alia ordinatione, & conſecratione. Huic tamen poteſtati Apoſtolicę, ſeu Epiſcopali, quaſi acceſſoria addita fuit à Chriſto ſeorſim, omnibus tamen ſimul, & poteſtas conficiendi corpus Chriſti, quando in vltima cœna dixit eis: Hoc facite in meam commemorationem: & alia remittendi peccata, quando in omnes ſimul inſufflauit, & dixit; Accipite Spiritum ſanctum; quorum remiſeritis peccata. &c. Et ſic plenè facti ſunt omnes ſimul, abſque vlla peculiari conſecratione, & Apoſtoli, & Epiſcopi; de quo nobis erit fuſiùs, & exactiùs libris ſequentibus, præſertim 2. & 5. diſputandum.]

Eod. nu. 20. Ioan. 20.

Angel. in lib. 1. cap. de ſent. paſſ. & l. 2. c. de crim. Sacr. Rebuff. in prax. beneſ. tit. vbi de cler. Luc. 22. Ioan. 21.

Quod ad primum attinet, cùm eſt dictum Apoſtolis, *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*, iam erant Apoſtoli renunciati, & iam erant à Chriſto poteſtate prædicandi verbi Dei donati, vt ex Luca non obſcurè colligitur, Atqui tum, hoc eſt, cùm ſunt Apoſtoli renunciati, ne quidem Sacerdotes erant, cùm ipſe Spalatenſis fateatur, poteſtatem corporis Chriſti conficiendi, illis in cœna datam his verbis, *Hoc facite in meam commemorationem*, tantùm abeſt, vt in Epiſcoporum eſſent ordine: Non itaque Apoſtolatus per ſe ſpectatus includit, aut complectitur Epiſcopatum, ſed vt Epiſcopatus ſine Apoſtolatu eſſe poteſt, ita & Apoſtolatus ſine Epiſcopatu, vt propterea rectè diſtinxerit Bellarminus inter vtramque dignitatem, & Apoſtolatum quidem immediatè à Chriſto collatum omnibus Apoſtolis, Epiſcopatum verò mediatè vndecim, & immediatè ſoli Petro affirmarit.

Cap. 10.

Math. 26.

Quod attinet ad reliqua, non eguiſſe Chriſtum conſecratione ad Epiſcopos conſtituendos Apoſtolos, tam eſt verum, quàm eſt falſum, *Pontificem ſolo verbo poſſe Sacerdotem facere*, quicquid Canoniſtæ ſenſerint; ſed proptereà non efficiet Spalatenſis, vt cùm duodecim à ſe electos Apoſtolos renunciauit, eos quoque in Epiſcopos conſecrarit; Non enim hìc de poteſtate Chriſti agitur, ſed de ordine, quem tenuerit iuxtà vetuſtiſſimorum ſcriptorum ſententiam, qui & ipſi ſcripturas diligentiſſimè legerant, & ex eis, quæ nobis tradiderunt, didicerant: Multa etiam in Sacramentorum œconomia admiſiſſe Chriſtum, quæ non niſi, *ex ſerie traditionis* haberi poſſint, nos docet Auguſtinus; ſed de his plura in ſequentibus.

Aug. tom. 4. de fide, & operib. c. 9.

[Tertia prærogatiua, Quòd Petrus Simonem Magum primus detexit, & poſteà damnauit, ac planè extinxit: Hanc, vt eleuet Spalatenſis, aſſerit, id feciſſe Petrum, quia Petro, & non alteri contigit negotium cum Mago. Quod ſi alteri, inquit, contigiſſet, idem præſtitiſſet.] Et quandoquidem facilè opponi poterat diuinæ prouidentiæ diſpenſatione factum, vt Archihæreticum princeps Eccleſiæ conficeret, alium iam callem inſiſtit: [Si tamen, inquit, Chriſti ordinatione id ita contigit, voluit primum Apoſtolorum, & zelo fidei, ac pietatis feruentiſſimum, hac prærogatiua decorare.] Igitur ea prærogatiua Petri eſt. Quidni igitur, vt principis, & capitis fidei? An quod zelo fidei, ac pietatis flagraret maximè, primatum eius, aut principatum ei adimit? An non potiùs hæc in primum Apoſtolorum bellè conueniunt? Sed duo minimè ferenda addit, vt Petri honores peſſundet; Primum, *Cyrillum Hieroſolymitanum gloriam detecti Magi, non vni Petro tribuere, ſed Paulum æqualem etiam ei in hoc negotio ſocium tribuere*. Alterum. *Fabulam hanc eſſe, aliquos dicturos à quodam non antiquiſſimo Hegeſippo confictam*; Immò autumare videtur ipſum Cyrillum ſpurium eſſe auctorem.

Spalat. Num 30. Baron. to. 1. an 35. n. 35.

Primùm autem non erat, quòd vnum proferret Cyrillum huius hiſtoriæ teſtem, cùm infinitos propemodum alios Cyrillo haud inferiores adducere poſſet. Audiamus magnos Eccleſiæ doctores. Euſebius, [Sub ipſo Claudij imperio, benigna, ac propitia Dei erga humanum genus prouidentia fortem, ac præpotentem, & reliquorum omnium Apoſtolorum propter virtutis amplitudinem facilè principem Petrum, Romam verſùs ad eiuſmodi peſtiferam vitæ humanæ corruptelam (Simonem Magum) delendam quaſi manu deduxit.] Hieronymus Euſebium ſequutus, [Simon Petrus, inquit, Prouinciæ Galilææ, vico Betſaida, frater Andreæ Apoſtoli, & princeps Apoſtolorum, poſt Epiſcopatum Antiochenſis Eccleſiæ, & prædicationem diſperſionis eorum, qui de circumciſione crediderant in Ponto, Galatia, Cappadocia, Aſia, & Bithynia, ſecundo Claudij anno ad expugnandum Simonem Magum Romam pergit, ibique viginti quinque annis Cathedram Sacerdotalem tenuit vſque ad vltimum Neronis annum, ideſt, decimum quartum, æquè, & cruci affixus martyrio eſt coronatus, capite ad terram verſo & in ſublimè pedibus eleuatis; aſſerens ſe indignum, qui ſic crucifigeretur, vt Dominus ſuus.]

Euſeb. hiſt. Eccl. lib. 2. cap 13. Hier. l. de vir. illuſtr. cap 1.

Ambroſius quoque, [Idem Petrus poſtea victo Simone, cùm præcepta Dei populo ſemina-

Ambr. l. 5. epiſt. 32.

Google

Auguſt. ad quod vult Deum hæreſ 1. minaret, & doceret caſtimoniam, excitauit animos gentilium.] Auguſtinus [Iouem ſe credi volebat Simon Magus, Mineruam verò meretricem quandam Selenem, quam ſibi ſociam ſcelerum fecerat, imagineſque, & ſuam, & meretricis diſcipulis ſuis præbebat adornandas, quas & Romæ tamquam Deorum ſimulacra, auctoritate publica conſtituerat; in qua vrbe eum B. Petrus vera omnipotentis Dei virtute extinxit.] Arnobius de Romæ incolis, [Cùm, inquit, homines ſint Numæ regis artibus, atque antiquis ſuperſtitionibus occupati, non diſtulerunt tamen res patrias linquere, & veritati coaleſcere chriſtianæ. Viderant enim curſum Simonis Magi, & quadrigas igneas Petri ore difflatas,& nominato Chriſto euanuiſſe;viderant inquam fidentem dijs falſis, & ab ijſdem metuentibus proditum, pondere præcipitatum ſuo, cruribus iacuiſſe præfractis. Poſt deindè perlatum Brundam cruciatibus, & pudore defeſſum, ex altiſſimi culminis ſe rursùm præcipitaſſe faſtigio.] Theodoretus: [Simon Magus Romanos ſuis præſtigijs tanta admiratione affecit, vt etiam ænea columna honoraretur: Sed rursùs veniens diuinus Petrus, fraudis eum pennis nudauit, qui cùm eum tandem in miraculorum certamen prouocaſſet, & diuinæ gratiæ, & præſtigiarum diſcrimen oſtendiſſet, omnibus Romanis videntibus, eum ex magna altitudine deturbauit, cum oraſſet, & qui miraculum viderant, eos cepit ad ſalutem.] Philaſtrius Brixienſis: [Simon cùm fugeret B. Petrum Apoſtolum de Hieroſolymitana ciuitate, Romamque veniret, ibique pugnaret cum beato Petro Apoſtolo apud Neronem Regem,deuictus deudique oratione beati Petri Apoſtoli. atque percuſſus ab Angelo, ſic meruit interire, vt eius magiæ mendacium cunctis pateſieret.] Seuerus Sulpitius: [Namque eo tempore diuina apud vrbem religio inualuerat; Petro ibi Epiſcopatum gerente, & Paulo, poſtquam ab iniuſto præſulis iudicio Cæſarem appellauerat, Romam deducto, &c. Etenim tunc illuſtris illa aduersùs Simonem Petri, & Pauli congreſſio fuit: qui cùm magicis artibus, vt ſe Deum probaret, duobus ſuffultus dœmonijs euolaſſet;orationibus Apoſtolorum fugatis dœmonibus, delapſus in terram, populo inſpectante, diſruptus eſt &c.] En, vt eximij hi teſtes, omni exceptione maiores, Petrum aſſeuerent ad expugnandum Simonem Magum Romam profectum: Magum ab eo victum: Petrum vera Dei omnipotentis virtute impoſtorem extinxiſſe, Romanos adijſſe, curſum Simonis Magi, & quadrigas igneas ore Petri difflatas.] Et quidem tota antiquitas pro indubitata hyſtoria hunc Petri cum Simone congreſſum habuit.

Arnob. l. 2. adu. gentes.

Theod. l. 1. hæret. Fab.

Philaſtrius de Simone Mago.

Seuerus Sulpitius ſacræ hyſt. lib. 2.

Caluin. l. 4. c. 6. §. 15. An non igitur benè impudentem eſſe oportuit Caluinum, qui eum pro abſurda fabula habuerit? Non erat certè, quòd hanc Camarinam, vt eum demereretur, moueret Spalatenſis, qui etiam huc technas ſuas inuexit; namque, vt Cyrillum Petro eriperet, lectorem cælare voluit, quid Petro, quiduè Paulo in ea conflictatione tribuiſſet eximius ſcriptor.

Cyr. Hier. Catech. 6.

Primùm namque habet, quæ à Spalatenſi afferuntur, [Errorem autem latiùs ſe proferentem coarguerunt duo viri boni hùc perlati; Petrus, & Paulus Eccleſiæ præfecti, & Simonem ſeſe Deum oſtentantem, talemque exiſtimatum, confeſtim morte affecerunt. Nam cùm Simon ſeſe ſublimem in cœlos latum iri profiteretur, & in aerem dœmoniorum vehiculo ferretur, genibus pronoluti ſerui Dei, & concordiam illam præ ſe ferentes, quam Ieſus dixerat, Si duo ex vobis conſenſerint de omni re quacumque petierint, ſuccedet eis, conſenſionis telum, precum interuentu in Magum eiaculati ſunt, & in terram eum deiecerunt.] Sed poſteà ſubijcit: [Nihilque mirum videatur, tametſi mirabile ſit: Petrus enim is erat, qui claues cœlorum circumferebat, nec admiratione dignum: Paulus enim is erat, qui ad tertium vſque cœlum, & paradiſum raptus, arcana verba audierat,quæ homini proloqui nemini licet.] Alluſit nimirùm in facto Petri, ad illa Chriſti verba, *Tibi dabo claues regni cœlorum*, quibus Petrum principem Apoſtolorum, & regni cœlorum clauigerum factum, alibi oſtendit; *Et princeps Apoſtolorum*, inquit, *& regni cœlorum clauiger Petrus*; atque alio nomine Paulum commendauit, quòd nimirùm *ad tertium vſque cœlum, & paradiſum raptus fuiſſet*. Cathec. 17.

Non debuit Spalatenſis iſta prætermiſiſſe, ſed candidum non gerit ille pectus. De Cyrilli verò opere, quod addubitat, hoc ipſo inſcitiam ſuam prodit,nam præterquam quòd Hieronymus docet, Cyrillum adhuc adoleſcentem has Cathecheſes contexuiſſe, Theodoretus, Damaſcenus, Ioannes Cypariſſiotus, Michael Glycas, genuinum Cyrilli Epiſcopi Hieroſolymitani partum agnoſcunt, atque olim oſtendimus planè ſtraminea eſſe argumenta, quibus eas conuellere nituntur aduerſarij. Audiamus nobis Caluiniſtæ hac de re iudicium. *Scio viros graues*, inquit, *propter huiuſmodi loca, cùm in myſtagogicis, tum in Catecheſibus negare opus id eſſe gniſion Cyrilli. Nos præter teſtimonia vetuſtiſſimorum auctorum, qui eius operis Cyrilli meminerunt, aut quædam etiam ex illo deſcripſerunt, Hieronymi, Theodoreti, Damaſceni, Photij Patriarchæ, aliorum, rationes plurimæ, & validiſſimæ, vt aliter ſentiamus, impellunt; de quibus agendi pluribus non eſt hìc locus*. Sed vt ad congreſſum Petri cum Simone Mago reuertamur; ſcio Caluinum, & reliquos ſectarios duplici adhuc argumentorum genere huius hyſtoriæ veritatem impetere, ac labefactare; Ait primùm Caluinus *Auguſtinum aſſerere opinionem de contentione Petri cum Mago, falſam eſſe, multorum Romanorum iudicio*; ſed hæc eius, vel ſumma ſtultitia eſt, vel oſcitantia. Locus Auguſtini ita habet, *Petrus etiam*, inquit, *Apoſtolorum caput, cœli ianitor, & Eccleſiæ fundamentum, extincto Simone, qui fuerat diaboli, non niſi ieiunio vincendi figura, idipſum Romanos edocuit, quorum fides annunciatur vniuerſo orbi terrarum. Numquid ergo cæteri Apoſtoli prandere chriſtianos contrà Petrum docuerunt in vniuerſo orbe terrarum: ſicut itaque inter ſe vixerunt concorditer Petrus, & condiſcipuli eius, ſic inter ſe concorditer viuant Sabbato ieiunantes, quos plantauit Petrus, & Sabbato prandentes, quos plantauerunt condiſcipuli eius. Eſt quidem, & hæc opinio plurimorum, quamuis* eam

Theodoret. Dial. 2. Damaſ or. 3 de imag de cil 6. cap 4. Glyc. par. 4. ann. 331.

Caſaubon. exer 16. an. 34. n. 140.

Aug. ep. 86 ad Caſulanū

eam perhibeant eſſe falſam, plerique Romani, quòd Apoſtolus Petrus cum Simone Mago certaturus, propter ipſum magnæ tentationis periculum, pridè cum eiuſdem vrbis Eccleſia ieiunauerit, & conſecuto tam proſpero, glorioſoque ſucceſſu, eundem morem tenuerit, eumque imitatæ ſint nonnullæ Occidentis Eccleſiæ. Non igitur congreſſum illum commentitium eſſe iudicat Auguſtinus, ſed cauſam ieiunij Sabbathi, quæ niteretur ieiunio, quod Petrus Eccleſiæ, antequam congrederetur, indixiſſet, valdè incertam tradit, quòd ſcilicet ij, à quibus eſſet conſcripta hyſtoria, neque diei Dominicæ, qua initum eſſet prælium, neque ieiunij pridiè indicti, neque ad eius inſtar præſtituti Chriſtianis Sabbathici ieiunij meminiſſent.

Alij Sectarij vrgent, nihil de illa hyſtoria Tacitum, nihil Plinium, nihil Suetonium habere, ac prætereà altum de ea eſſe ſilentium in actis Apoſtolorum. At hæc ſumma improbitas eſt, tot chriſtianis ſcriptoribus, quos protulimus, nolle fidem habere, iiſque hyſtoricos à religione chriſtiana abhorrentes, & nomini chriſtiano ad rabiem vſque infenſos, quibuſque ſtudiũ eſſet, & ſectam, & res preclarè geſtas, maximè, quæ in commentitiorum deorum dedecus, vergerent, obliterare, ac abolere, odio Eccleſiæ Romanæ anteferre.

Quòd verè in actis Apoſtolicis eius nulla habeatur mentio, aduerſarios non iuuat; Nam præterquam librum illum circiter annos ſeptem ante congreſſum Petri cum Simone Mago à Luca abſolutum, & ad finem perductum oſtendunt noſtri, Euangeliſta poſteriori operis parte res geſtas Pauli, alijs ferè prætermiſſis, ſibi ſcribendas propoſuit, in iiſque deſudauit, ac reliquorum Apoſtolorum eximia, & præſtantia opera præteruolauit potius, quàm omiſit.

Sueton. in Ner. Dion. Chryſoſt. de paſch. or. 21

Cęterùm non deſunt, qui pro hoc volatu Simonis, & eius deiectione Suetonium, ac Dionem Chryſoſtomum teſtes proferant: Suetonij verba, ex quibus id videatur colligi, ita habent in Nerone, *Icarus primo ſtatim conatu iuxta cubiculum eius decidit, ipſumque cruore aſperſit:* Dionis autem ſic habent, *Multoque tempore nutriebatur intùs apud eum in aula, tamquam volaturus.* Sed inſtar omnium eſſe debent à nobis adducti eximij Patres, quibus in illa narratione fidem abrogare ſcelus ſit, & piaculum.

Spalat. Num. 31.

[Quarta prærogatiua; Quòd Romæ Sedem ſuam iuſſu diuino collocauerit; vbi erat principatus mundi.] Excipit Spalat. [Atqui verò quid ſi ſedes illa, aut magis, aut non minùs dicenda ſit ſedes Pauli?] Aitque ſe plura dicturum libro quarto. Nos verò oſtendemus, non poſſe vtrumque eius aſſertum à ſumma improbitate, & inſcitia vindicari, aut excuſari.

Spalat. Num. 32.

[Quinta, quòd ſub finem vitæ Petri Chriſtus ei apparuerit, & dixerit; Venio Romam iterum crucifigi:] Significans Petrum eſſe ſuum Vicarium, & quod Petro ſit, ſibi ipſi fieri; Opponit Spalatenſis. [Hanc quoque Hegeſippi fictam fabulam multos cenſere;] Proteſtantes nimirum, & Eccleſiæ Catholicæ, adeòque veritatis ipſius iuratos hoſtes: Quia tamen Ambroſius eius meminit, illum reſponſione ſua dignatur: Reſpondet igitur [Si hæc

Hegeſip. de de excid. Hier. l. 3. c. 1

Ambroſ. Cócione de Baſil. non trad. Luc. 10

coniectura valeret, multò magis valere ad idem probandum de cæteris, quod omnibus dixerit, Qui vos ſpernit, me ſpernit &c.] Atqui mi Spalatenſis concedimus, & reliquos Apoſtolos Vicarios fuiſſe Chriſti, ac proindè quod illi egerint, Chriſti auctoritate feciſſe, ſed eximio, ac ſingulari modo Petrum Vicarium ſuum fecit Chriſtus, cuius proindè labores, & crucem, in qua etiam magiſtrum ſit imitatus, peculiari quadam ratione ſuos labores, & ſuam crucem dixerit: facit itaque locus, facit perſona, facit genus mortis, vt ex illis verbis Chriſti, *Venio Romam crucifigi*, intelligamus Petrum tamquam magnum Chriſti Vicarium, & Eccleſiæ vniuerſæ paſtorem, maiori curæ ſeruatori fuiſſe propter ouium ſalutem, quàm fuerint reliqui.

Ambroſ. de Baſilic. non tradandis.

Sed ne quis de hyſtoriæ veritate dubitet cum ſectarijs, locus à nobis proferendus eſt Ambroſij: *Nocte*, inquit, *muro egredi cæpit, & videns ſibi in porta Chriſtum occurrere, vrbemque ingredi, ait: Domine, quò vadis? Reſpondit Chriſtus, Venio Romam iterum crucifigi; intellexit Petrus ad ſuam crucem diuinum pertinere reſponſum. Chriſtus enim non poterat iterum crucifigi, qui carnem paſſione ſuſceptæ mortis exuerat. Intellexit ergò Petrus, quòd iterum Chriſtus crucifigendus eſſet in ſeruulo; Itaque ſpontè remeauit, interrogantibus Chriſtianis reſponſum reddidit, ſtatimque correptus per crucem ſuam honorificauit Dominum Ieſum.*] Hæc Ambroſius.

Spalat. Num. 33.

[Sexta, quod ſolæ Eccleſiæ à Petro fundatæ ſint habitę ſemper Patriarchales.] Excipit Spalatenſis. [Nos de ſedibus Apoſtolicis, & Patriarchalibus agemus libro tertio; & oſtendemus ex magnitudine ſæculari ciuitatum; Patriarchales, & Metropoliticas Eccleſias, iure humano potiſſimùm erectas, & inſtitutas.] Cùm ad certaminis locum peruenerimus, oſtendemus candorem defuiſſe deſertori, nec aliquid eum hac in controuerſia vidiſſe, cùm vrbium magnitudo, non niſi remotè, vt loquuntur, ad Patriarchalium ſedium dignitatem Eccleſijs aſſerendam aliquid conferre potuerit, & præcipua cauſa illarum dignitatum Petri auctoritate nitatur.

Spalat. Num. 34.

[Septima prærogatiua, quòd Eccleſia vniuerſalis feſtum cathedræ ſolius Petri, & non aliorum celebret.] Excipit Spalatenſis. [Hoc ideò factum eſt, quia Petrus Euangelium gentibus prædicauit, & primus Eccleſias in gentibus, & Nationibus fundauit.] Atqui nos ſuprà docuimus hanc quoque prerogatiuam fuiſſe capitis Eccleſiæ, ac eius primi, & præcipui paſtoris.

Spalat. Num. 35.

[Octaua, quòd in literis formatis antiquì ponerent nomen Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, & Petri, hoc pacto *P.* Pater, *Y.* filius, *A.* Spiritus, *P.* Petrus.] Excipit Spalatenſis, adeòque hìc græcizat. [Atticus, inquit, Epiſcopus, vt legitur in Concilio Chalcedonenſi ad finem, exponit illis literis contineri Patrem, Filium, Spiritum ſanctum, & Petrum. Ita etiam Iuo Carnorenſis. Mihi tamen in illis elementis ſola Trinitas contineri videtur, *Patir, Yios, Agion Pneuma.* Tertiam enim Trinitatis perſonam duplici dictione efferimus, ſiuè Græcè, ſiuè Latinè, hoc eſt, Spiritus ſanctus, ſiuè ſanctus Spiritus. Petrum verò quartam Trinitatis perſonam

Bellar. vbi ſup c. 24. Bar. tom. 3. ann. 325. nn. 164 & 169. Iuo de cauſis Cler. par. c. 433. & 434

fa-

facere ; mihi videtur maxima ſaltem ſtulti-
tia.] Ar quis neger ſumma ſtulriria, adeòque
non ſerenda audacia, homiuem ſemibarba-
rum, in explicatione literarum Græcarum,
ſe Arrico Conſtanrinopolirano Epiſcopo, an-
tiqui moris callenriſſimo, præferre voluiſſe?
Neque verò properea Pertum, quartam Tri-
nitaris perſonam, ſacit Atticus, niſi fortè,
pro ſpectariſſima illa ſua ſubrilitare, exiſti-
mer quoque Spalatenſis, addiram prætereà
quintam perſonam, imò ſextam Triuitaris in
harum literarum formula, quòd ſtatim poſt
Perrum, ſubijcererur prima litera eius, qui
epiſtolam ſcripſiſſer, demùm prima litera
eius, ad quem ſcriberetur; Aliquantò iuge-
nioſius alij ex aduerſarijs commenri ſunr,
Epiſcopum Arricum illuſiſſe cum ſuis forma-
tis, illudque *p.* ſignificaſſe *parà*, quòd eſt à,
vel ab, properea addirum eſſe nomen eius,
qui ſcripſerat Epiſtolam *p. a. parà atticu*, ab
Attico. Acurè, ſed parùm verè, vt taceam,
immeritò præſtigiarum poſtulari Articum,
qui ſui temporis morem obſcurare non po-
tuerit.

Apage igitur iſtas nugas nugerrimas.
Indiguiſſima porrò res eſt, vt porius figmen-
tis Nouarorum fidem habeamus, quàm Atti-
ci, Iuonis, Burchardi, Anſelmi, & Grariani,
haud nutanribus hac in parre reſtimonijs:
Quanra autem cura eſſer formararum in pri-
ſca Eccleſia, norunr anriquiratis periti, atque
extar apud Oprarum locus, ex quo abundè
Opt.l.2. earum vſus colligarur. *Cathedra vnica, quæ
eſt prima de dotibus*, inquit, *ſedit prior Petrus,
cui ſucceſſit Liuus &c. Iulio ſucceſſit Liberius, Li-
berio Damaſus, Damaſo Syricius hodiè, qui noſter
eſt ſocius, cum quo nobis totus orbis commercio
formatarum in vna communionis ſocietate con-
cordat.* Meminir, & formararum Auguſtinus.

Cùm enim Fortunius quidam Epiſcopus
Donariſtarum, *vbique terrarum eſſe communio-*
Auguſt. ep. 163. *nem ſuam*, coram Auguſtino aſſerere conatus
eſſer, *Quærebam*, inquir, *verùm epiſtolas com-
municatorias, quas formatas dicimus, poſſet, quo
vellem dare: & affirmabam. quod manifeſtum
erat omnibus, hoc modo facillimè illam terminari
poſſe quæſtionem.*] Ac alio loco de Cæciliano,
Epiſt. 162. *Qui poſſet non curare cõſpirantem multitudinem
inimicorum, cùm ſe videret, & Romanæ Eccle-
ſiæ, in qua ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguit
principatus, & cæteris terris, vndè Euange-
lium ad ipſam Aphricam venit, per communi-
catorias literas eſſe coniunctum, vbi paratus eſſet
cauſam ſuam dicere, ſi aduerſarij eius ab eo illas
Eccleſias alienare conarentur.*] Propreteà ad
calcem Epiſtolæ, *Apoſtolicam Sedem* (Roma-
nam intelligir) *totumque orbem Cæciliano com-
municantem*, inducie, *commercio*, ſcilicet, *for-
matarum*, vr loquebarur, Opratus. Vides,
erudire lector, quàm fruſtra ſe rorſerit deſer-
tor, vt Perri prærogariuas, tum quæ in aper-
tiſſimis ſcripturæ verbis continerentur, tum
quæ ex Patrum tradirione haberentur, con-
uellerer, labeſactaret, ac fundirùs rollerer.
Namque, vt duræ ſilices, & caures ſtant, ne-
que fluctibus quibus tonduntur, moueri poſ-
ſunt: ita, hæc eſt Petra, quam non vincunt
ſuperbæ inferorum portæ.

Præclarè in hanc ſentenrſam Leo, *Petro
quiſquis*, inquit, *principatum æſtimat denegan-
dum, illius quidem nullo modo poteſt minuere
dignitatem; ſed inflatus ſpiritu ſuperbiæ ſuæ, ſe-
metipſum in inferna demergit.* Non horret Spa-
latenſis? Vrinam Hilarij Arelarenſis, quem eo
loco perſtringit Leo, exemplo adductus diui-
næ iræ fulmina, matura, ac ſeria reſipiſcen-
tia auerrere, ac Petrum propiriari curet.

Neque verò, quod eriam ſuprà monuſ-
mus, exiſtimare deber aduerſarius, nos in his
prærogariuis cauſæ noſtrę præſidium ponere,
quaſi ſingulæ ſeorſim ſpectaræ, & ſepoſitis
alijs probarionibus, ad Primarum Perri fir-
mandum ſaris eſſe poſſint; nituutur enim illę
principalibus, & potiſſimis illis de promiſ-
ſione, & inſtiturione teſtimouijs, quibus ea
auctoritas aduersùs ſuperbas inferorum por-
ras rora munirur; atque ab eis hoc reſpectu
ſpectaris probabile ducitur argumenrum ad
ſentenriam noſtram aſtruendam, ac fulcien-
dam. Virio verò verti nobis non deber, quòd
etiam his probabilibus argumentis vramur,
ſiquidem, vr ab Ariſtorele eriam ſæpiùs mo-
netur, *Summæ dementiæ, adeòque ruſticitatis fue-
rit quacumque in materia argumenta certitudi-
ne, aut robore paria quærere his, quæ in Mathe-
maticorum diſciplinis traduntur*; cùm pro rei,
quæ probanda ſuſcipitur, rarione ſufficiat
veriſimilia afferri, ac in aciem educi, ſi mo-
dò cum cordaris, ac ſapienribus diſpuraro-
ribus res nobis ſir. Addimus verò, eriam ip-
ſas prærogariuas Perri ſingulas, ac ſeorſim
ſpectaras veriſimilem probarionem nobis
ſuppeditare, ſi ſumantur uon præciſè, & ab-
ſtractè, & ab omnibus condirionibus, &
&circumſtanrijs autegreſſis, vel concomitan-
tibus, vel conſequenribus reuulſæ, ſed vr his
alijs ſunr affectæ. Iraque euaneſcir in auras,
ac in ſumos abir typhus Spalatenſis, qui eas
nobis eripuiſſe ſe pro ſumma illa ſua ſuper-
bia inſolenriſſimè gloriatur. Fruatur ſua
inſania, & triumphum ſibi canat. Nos vi-
ces deſipientis miſeremur, nec iacturam ali-
quam, aut iuterrimentum paſſos nos, aut
videmus, aut dolemus.

D I S C V S S I O

DECIMI CAPITIS

LIBRI PRIMI.

DE TESTIMONIIS PATRVM Pro Primatu Petri.

CONSPECTVS CAPITIS.

Spalatenſem, nullum ducere poſſe è Sanctorum Patrum ſcriptis, ſui erroris præſidium: Refelluntur, quæ ille profert, vt lucem rebus eripiat, ac veluti noctem offundat; Plures Patres à calumnijs vindicati: Fraudes Spalatenſis detectæ, potiſſimùm in locis Cypriani; qui totus aſſeritur Orthodoxis: Bellarminus defenſus:

Conſpectus doctrinæ Patrum tum Græcorum, tum Latinorum, qui prioribus ſæculis, verum Petri Primatum, dignitate, auctoritate, ac poteſtate ornatum propugnarunt, coluerunt, & obſeruarunt: Improbum Spalatenſis, de Orthodoxis iudicium, depulſum, ac profligatum.

Spalat. Num. 1. Bellar. l. 1. de Ro. Pōt. cap. 25.

COllegit non paucos, poſtremus Monarchicorum Bellarminus, Patres, & Græcos, & Latinos, qui Petrum Monarchiæ videntur fauere; quos omnes, & multos etiam prætereà alios, ſiuè eoſdem pluribus locis de hac re loquentes afferam ipſe hoc capite; ea tamen habita diſtinctione, vt primùm eos Patres, ſiuè illa Patrum dicta in vnum faſcem congeram, quæ facillimam, imò apertiſſimam admittant expoſitionem, de ſolo primatu perſonali, quem nos Petro omninò concedendum oſtendimus capite quinto. Ipſum enim, & primum Apoſtolorum, & principem fecimus, & maximè dignum, & primatum inter Apoſtolos habuiſſe, & eorum capue, ac præſidem, ſiuè vt Decanum extitiſſe, ac primogenitum inter fratres. Deindè aliquantò exactiùs ſingula dicta eorundem conſiderabo, quæ videantur veram quodammodo præ ſe ferre Petri Monarchiam; quamuis non pauca iam ſint à nobis in ſuperioribus, & prolata, & explicata.

CVm veteres Patres verę fidei vindices, nominat Spalarenſis, ac eorum ſe auctorirare tuetur, mihi videtur facere idem, quod in Republica ſeditioſi ciues ſolent, cùm aliquos ex antiquis claros viros proſeferunt, quos dicant fuiſſe populares, vt eorum ipſi ſimiles eſſe videantur. Cùm enim, vt illi Rempublicam, ſic hic Eccleſiam optimè conſtitutam, perturbare velit, Euſebios, Baſilios, Gregorios, Chryſoſtomos, Ambroſios, Hieronymos, Optatos, Auguſtinos profert, ac horum nominibus, tot Patrum, atque tantorum expoſitis, eorum ſe ſequi inſtitutum mentitur. Sed neque ſimile quidquam habet veterum illorum, neque eius calumnia conferenda eſt cum eximia ſanctiſſimorum Patrum doctrina, à qua palàm defecit, vt Eccleſiam, ac eius in terris ſummum Rectorem, Pontificem, liberiùs inſectaretur.

Cùm autem omnium ſæculorum teſtimonijs, ad temporum amuſſim, ac ſeriem, recenſitis, cauſam catholicam muniſſent noſtri, potiſſimùm verò Cardinalis Bellarminus, mirus harum rerum artifex. Non tulit aduerſarius pulcherrimam methodum, ſed omnia interrurbauit, vt ſcilicet, quo vellet ipſe ordine, cum potentiſſimis aduerſarijs congrederetur. Significat verò ſe id feciſſe alicuius lucis gratia, reuera, vt omnia obſcuraret, perturbaret, confunderet. Premamus tamen eius veſtigia, cùm illius refellendi gratia, hic nobis labor ſuſceptus ſit.

Primùm profert Euſebium, è cuius Chronico hæc deprompſerat Bellarminus [Petrus, inquit, Apoſtolus, natura Galilæus, & Chriſtianorum Pontifex primus.] Excipit Spalatenſis, [ſi primus vocatione factus eſt Apoſto- Spalat. Num. 2. Euſebius in Chron. ann. 44.

Digitized by Google

ſtolus, meritò primus Pontifex etiam dicitur: & quidem non Romanus, ſed Chriſtianorum; quia tam ipſe, quàm cæteri Apoſtoli indifferenter curam ſuſceperunt quorumcunque in toto mundo Chriſtianorum.] Atqui ſi hæc ſit prærogatiua omnibus omninò Apoſtolis communis, qua ratione primus chriſtianorum Pontifex audit Petrus?

Oſtendat ergo Spalatenſis Andream, Iacobum, Paulum ipſum, aut quemuis alium de numero Apoſtolorum [primum Pontificem Chriſtianorum dictum, non ſecùs, ac Petrum? Certè vim vocis, [primus,] non ſolùm reformidauit Beza, qui ad hæc verba Matthæi primus Simon aſſumentum eſſe, commentus eſt, ſed & reliqui è Schola Caluini, qui in loco Chronici Euſebiani errorem ſubeſſe ſunt ſuſpicati. Itaque ab illis ſolidam, & grandem inijt gratiam Ioſephus Scaliger, qui hæc verba, [Primus Pontifex Chriſtianorum,] expunxit; Sed vt non deſint, qui ſtudio partium abreptum, virum doctiſſimum feciſſe credant, ego non exiſtimarim acriùs eſſe pro illis verbis, quæ in Caſſiodoro non apparent, depugnandum; maximè cùm indubitatus locus ex hiſtoria Eccleſiaſtica proferri poſſit, qui mentem eius ſatis aperiat, ac quanti fecerit Petrum, oſtendat.

Beza ad cap. 10. Matth.

Scalig ad Chron. Euſeb.

Igitur interprete Ruffino, ita habet locus, [Clementia diuinæ prouidentiæ probatiſſimum, omnium Apoſtolorum, & maximum, fidei magnificentia, & virtutis merito, primorum principem communem Petrum, ad vrbem Romam, velut aduersùm humani generis perniciem communem depugnaturum, deducit.] Græcus autem Euſebius ſic loquitur: [Benigna, & propitia Dei, totius huius vniuerſitatis rectoris, erga humanum genus prouidentia, fortem, ac præpotentem, & reliquorum omnium Apoſtolorum, propter virtutis amplitudinem facilè principem Petrum, Romam versùs ad eiuſmodi peſtiferam vitæ humanæ corruptelam delendam quaſi manu deduxit.] Verba videntur paululùm immutata, ſed ſenſus in idem redit.

Euſeb. lib 2. hiſt Eccleſ. c. 13. ſeu 14.

Ac omninò apparet Ruffino, quo non infrequenter ſe tuentur aduerſarij, & in his Spalatenſis, Petrum nedum [primum, ſed, primorum principem, habitum. Opponunt tamen aduerſarij *proigoron* apud Euſebium nihil aliud ſignificare, quàm [principem in dicendo, vel principem ſermonum;] ac vt iſtud concedamus, Petrum ſcilicet principem in dicendo extitiſſe, quòd ſcilicet os eorum eſſet, vt alij loquuntur, qua rima ſe quoque elabi poſſe arbitratur Spalatenſis; quæro ab eis, quorsùm in dicendo, & loquendo primas illas partes habuerit, niſi quòd vt loquitur Chryſoſtomus; *Vertex, & Coryphæus eſſet Apoſtolorum*? Fateor equidem loqui pro aliquo non ſemper *dominationis*, ſed *miniſterij* quoque, quod illi vrgent, ſignum eſſe poſſe, ſed cùm is, qui pro collegio loquitur, *Coryphæus, vertex, & dux* audit, proculdubiò non nudi miniſterij, ſed & eminentiæ, & dominationis indicium eſt; Certè Chryſoſtomus prælocutorem reliquorum, ac ſermonis ducem facit, quòd principis inſtar, *creditum ſibi agnoſceret gregem*. Sic enim ad illa verba, *Surgens Petrus, in medio diſcipulorum dixit*; *Quàm eſt*, inquit, *feruidus? quàm agnoſcit à Chriſto creditum gregem, quàm in hoc choro* (Apoſtolorum) *princeps eſt? vt vbique primus omnium incipit loqui*. Cæterùm non video quorsùm hìc Ducem ſermonis, ſiue, quod habet Caſaubonus, *Reliquorum omnium prælocutorem*, interpretentur Sectarij, cùm de vno Petro, qui ad peſtilentiſſimum hæreſiarcham perſequendū, ac conficiendum, Romam ſit numinis munere allegatus, loquatur Euſebius. Sed, vt ad Spalatenſem regrediar, vt reliqua, quæ ab Euſebio de Petro dicuntur, in collegas Apoſtolos conueniant, quis non videat ſigillatim, & præcipua quadam ratione tribuiſſe Petro, tamquā ſcilicet *cartero cæ mega loton Apoſtolon*.

Chryſoſt. hom 3. in Act.

Caſaubon. exec. 15. p. 372.

Sequitur Baſilius; [Ille, inquit, beatus, qui cæteris prælatus Diſcipulis fuit, cui claues regni cœleſtis commiſſæ.] Petrum ſcilicet ſubindicans; [Nos etiam, reſpondet Spalatenſis, dicimus prælatum fuiſſe cæteris in hoc, quòd primatum vocationis, & primogenituram habuerit, & pro figura, ac typo totius Eccleſiæ fuerit aſſumptus, factuſq; inter Apoſtolos caput.] Atqui bone vir quantumuis obluctetis, qui in ratione [primogeniti, & capitis,] reliquis Apoſtolis ſit prælatus, proculdubiò dignitate, auctoritate, & poteſtate eos anteuertit: Neque verò eius primatui aliquid detrahit, quòd vocatione quoque eos antegrediatur, imò ſi verum fateri lubet, eum magis ea ratio illuſtrat. Sed hoc poſtremum vanum eſſe commentum ſuprà oſtendimus, vt non alia ratione Baſilius prelatum Diſcipulis Petrum dixerit, quàm [quòd claues regni cælorum] eum eximia illa, ſcilicet capitis dignitate, quam in Petri ſucceſſore agnoſcit, ac veneratur, à Chriſto ſit conſecutus. Quare etiam fundamenta Eccleſiæ in ſe recepiſſe Petrum prædicat. [Qui, inquit, quoniam fide præſtabat, Eccleſiæ ædificationem in ſeipſum recepit.

Spalat. Num. 3. Baſil. ſer. de Iud. Dei.

Baſil. lib 2. cont. Eunomium.

Succedit Gregorius Nazianzenus: [Vides, inquit, quemadmodùm ex Chriſti Diſcipulis, magnis vtique omnibus, & excelſis, atque electione dignis, hic petra vocetur, atque Eccleſiæ fundamenta fidei ſuæ credita habeat; ac reliqui Diſcipuli, poſthaberi ſe, tranquillo animo ferant. Excipit Spalatenſis. Nazianzeni, inquit, verba de ſola præcedenti prælatione ſunt inteligenda: nam omnes Apoſtolos æquè fundamenta fuiſſe, iam probatum eſt: quòd verò maximè, & præcipuè id Petro Dominus contulerit, non ægrè cæteri ferebant.] An verò cum ratione inſanie iſte? Dicit Nazianzenus [Eccleſiæ fundamenta fidei Petri concredita fuiſſe, & in hoc reliquis, quamquam aliàs excelſis, & ea electione dignis, prælatum fuiſſe;] & tamen hac partes pares omninò fuiſſe contendit inſulſiſſimus diſputator. Quis in eo ſenſum communem non deſideret? Addit prætereà Nazianzenus, id eos patienter tuliſſe, & illos à modeſtia laudat; At quę illa fuit eorum modeſtia, ſi nihil peculiare eſt Petro conceſſum! An ex eo quòd parē cum illis eſſet ſortitus dignitatem, intelligere potuerunt, ſe illi poſthaberi? O nugas nugerrimas? Quòd vero inter laudes Apoſtolorum ponit ea electione dignos fuiſſe, haud Petri ætati tributum oſtendit, *quòd petra ſit vocatus, & Eccleſiæ fundamenta ſibi credita habuerit*, neque enim ſi ætas ſpectabatur, electione opus erat.

Spalat. Num. 4. Nazian. or. de mod. in diſp. ſeru.

Digitized by Google

Spalat. Num. 5. Epiph. hær. 57.

Atque electionis quoque meminit Epiphanius, Gregorio Comes additus, [Petrum, inquit, elegit, vt dux eſſet diſcipulorum.] Sed hic quoque delirat Spalatenſis. [Quia, inquit, primus, & ſenior nomine tantùm Dux, & ſimilitudine, non iuriſdictione.] Igitur ne ſui oblitus eſt, qui ſuprà tantùm patrem acerbè exagitauerit, quòd Andream Petro ſeniorem fecerit? quomodò igitur iam Petrus ſenior? An non meminit, Epiphanium docere ex ſcriptura Andream ætate Petro ſuperiorem fuiſſe, quod dictum ſit Ioanni, [Erat verò Philippus de Bethſaida ciuitate Andreæ, & Petri?] Cenſet enim Andream primò nominatum, quòd ætate prouectior eſſet, & natu grandior.

[At, inquit Spalat. nomine non iuriſdictione dux fuit:] verba non ſuccurrunt quibus hanc contumaciam excipiamus, & pro meritis caſtigemus. Addit ex eodem magno Patre, *Hic eſt* (Petrus) *qui audiuit, Paſce agnos meos; cui creditum eſt ouile*, & tamen nomine non iuriſdictione ducem, & paſtorem ouilis fuiſſe garrit? ò Frontem! Cæterum verba Epiphanij ſunt: *Petrus à Chriſto audijt: Petre paſce agnos meos, Cui gregis eſt commiſſa cuſtodia: quem Domini ſui virtute fretus præclarè gubernat, ac regit*: Idem ſanctiſſimus Pater aſſeuerat, Petrum *eſſe petram*, *ſuper qua ſit fundata Eccleſia*, idque *cata panta proton*, modis omnibus. Verba eius rursùs ſunt: *Princeps Apoſtolorum Petrus, qui Dominum aliquando negauit. Qui quidem ſolidæ Petræ inſtar nobis extitit, cui velut fundamento Domini fides innititur: ſuprà quam Eccleſia modis omnibus extructa eſt: inprimis quidem, quòd Chriſtum Dei viui filium eſſe confeſſus eſt, idque viciſſim audyt: ſuprà hanc ſolidæ fidei petram ædificabo Eccleſiam meam*. Hîc ne igitur etiam nomine, & ſimilitudine, non virtute, petram huiuſmodi eſſe dictum aſſeuerabit? Annon hoc eſt vniuerſum, aut euertere, aut fruſtrari Euangelium? Similiter enim iſta, *Quodcumque ſolueris, &c.* de nomine tantùm, & ſimilitudine erunt. Sed quis patientem accommodauerit aurem, tam inepto nugatori?

Idem in Ancor.

Contra Cataros hær. 59.

Addit Spal. [Petro demandatam ouilis curam, non ſoli, ſed præcipuo, & principaliter, & nomine prælatorum Eccleſiæ, quos repreſentabat.] Hęc, bono ſenſu, planè vera ſunt, etſi enim cùm eſt ei dictum, *Paſce oues meas*, cura ouilis eſt ei ſpeciali, & eximia quadam ratione commiſſa, hebent tamen, & ſuas partes in paſcendo grege cæteri paſtores, cùm eis dictum ſit, *Paſcite eum, qui in vobis eſt, gregem*, ſed eſt hoc onus impoſitum Petro, tamquam præcipuo, hoc eſt tamquam primario Paſtori, & principali, quia iure capitis dignitatem, & auctoritatem eſt à Chriſto conſecutus; qua ratione etiam paſtores omnium ſæculorum repræſentaſſe meritò creditur, quòd quemadmodùm in capite vigent omnes ſenſus, ita in eo veluti in radice, ac ordinis ſui ſcaturigine eminenter, vt loquuntur, continerentur.

Act. 20.

Spalat. Num. 6. Cyril. l. 12. in Ioan. c. 64

Audiamus iam Cyrillum, [Vt princeps, inquit, caputque cæterorum primus exclamat, Tu es Chriſtus filius Dei viui.] Explicat, imò excruciat Cyrillum Spalatenſis, [Princeps, inquit, & caput ordine vocationis, & dignitate.] Certè doctiſſimus Cyrillus non obſcurè Andream Petro, vocatione, priorem facit, ſic enim ad illa verba, [Andreas inuenit primùm fratrem ſuum Simonem, & dicit ei, Inuenimus Meſſiam; Fratrem Petrum, inquit, Andreas breuiter, atque in ſumma, tanta re ſignificata ſeruauit, Inuenimus, inquit, Meſſiam: ergo ſaltem hoc titulo non eſſet Andreę præferendus Petrus, ſi tantùm vocationis ratio habetur. Quod ad dignitatem attinet, eam certè illuſtrem eſſe oportuit in Petro, qui, tanto Patre iudice, ſit à Chriſto electus, in quo [tamquam in petra, lapideque firmiſſimo ſuam eſſet ædificaturus Eccleſiam.] Hoc ſenſu non repugnamus, Petrum caput dignitate extitiſſe inter Apoſtolos, dignitate inquam, cum auctoritate, & poteſtate coniuncta.

Ioan. 1.

Cyrill. li. 2. in Ioan. cap. 12.

Spalat. Num 7. Chryſoſt. hom. 55. in Matth.

Prodit iam in medium Chryſoſtomus, [Petrum Eccleſiæ futuræ paſtorem conſtituit: Præcipuum quidem, inquit Spalatenſis, ſed non ſolum.] Id & nos volumus, Petrum ſcilicet præcipuè, hoc eſt, tamquam caput, & principem Apoſtolorum, paſcendi gregis primam curam ſuſcepiſſe; cui tamen reliqui eſſent in eo munere obeundo ſociandi; ſed non pari dignitate, cùm is eſſet in collegio princeps. Aſſerit rursùs Chryſoſtomus, [orbis terrarum curam eſse Petro demandatam: Sed ſtatim, inquit Spalatenſis, hoc idem de reliquis quoque affirmat Apoſtolis; ſubdit enim; cùm eſsent orbis terrarum curam ſuſcepturi, ſimul ampliùs eſse non oportebat:] Sed non vidit, homo parùm acutus, poſterius hoc dictum ad Apoſtolos pertinere, collectiuè, vt loquuntur, ſpectatos, non autem diſtributiuè. Hoc enim indicant illa verba, [ſimul eos eſse non oportebat, magnum enim fuiſset mundo detrimentum;] vt ſit ſenſus Chryſoſtomi, nec Ioannem, nec Iacobum, nec reliquos vnà cum Petro manere potuiſse, quòd orbis terrarum curam eſsent ſuſcepturi; id eſt, quòd eſsent in omnes orbis partes, hic quidem in Scythiam, ille in Æthiopiam, alius in Græciam, &c.

Idem hom. 87. in Ioan.

Dimittendi, & allegandi, vt Euangelium ferrent, & excolerent, cùm tamen idem facundiſſimus Pater de Petro ſeorſim ſpectato, dixiſset, [Orbis curam ei fuiſse demandatam,] Idem Petrum vocat, [Caput, & verticem Apoſtolorum;] Sed rursùs nondum in ſcirpo quærit Spalatenſis. [Fuit, inquit, Caput & vertex, quia erat præſes inter reliquos Apoſtolos.] Non repugno, Grammaticorum enim, quos non conſuluit Spalatenſis, ſententia, præſidere, ſemper auctoritatem quandam habet coniunctam, vt præſes ſit à ſummo principe ſecundus, & reliquorum veluti iudex, aut princeps; quare qui in prouincijs Imperio Romano ſubiectis maximum Imperium poſt principem habebant, præſides dicebantur; Itaque hoc ſenſu, quòd Petrus poſt Chriſtum maximum Imperium in Eccleſiam, & Apoſtolos ipſos ſit conſequutus, Spalatenſi præſes haberi poterit, nobis non reclamantibus. De ſententia verò Chryſoſtomi ampliùs videbitur inferiùs.

Hom. 87. in Ioan.

Idem ho. 2. in Pſal. 50.

Spalat. Num. 8. Bellarmi. de Rom. Pont. lib. 1. ca 25. Euthymius in Ioan. cap. 21. Oecumen. in cap. 1. act.

Iam quid reſponderit Euthymio, & Oecumenio audiamus. Euthymium quidem ita loquentem inducit, [Petrus accepit præcedentiam (præſidentiam habet Euthymius à Bellarmino citatus) ſuper diſcipulos. Reſpondet verò, conſiderabat præcedentiam ex ætate, & vocatione. Ita & Oecumenius; Surgit, inquit, Petrus, non Iacobus, & velut

fer-

feruentior, & velut is, cui Diſcipulorum præcedentia commiſſa erat.] Aliquid dixiſſe, nec planè tacuiſſe, reſpondiſſe exiſtimat iſte; Hi duo auctores conſpirantibus calamis ſcribunt [commiſſam eſſe præſidentiam Petro,] hoc eſt Petrum impoſitum præſidem Apoſtolis à Chriſto. Quo pacto igitur eam præſidentiam, vt verbis interpretis vtar, iuxtà ætatem ſpectarint, an opus fuit priuata aliqua Chriſti deſignatione, vt Petrus ætate anteuerteret reliquos Apoſtolos? Ad vocationem verò reſpexiſſe nihilò meliùs, aut validiùs probauerit. Vterque ſanè reſpexit ad loca, *Tibi dabo claues regni cœlorum, Paſce oues meas*, quibus Petrum præſidem, ac principem Apoſtolis, & Eccleſiæ impoſitum, tota credidit antiquitas.

Vide Euth. ad cap. 16. Marc.

Euthymius certè pro oraculo inter Apoſtolos habitum Petrum, tamquam ſummum principem prædicat. *Primùm*, inquit, *apparuit Chriſtus Magdalenæ, & alteri Mariæ, deindè bis duobus, poſtmodùm Petro, demùm verò illis duobus. Sanè his non habita eſt fides, Petro verò tamquam* ſummo, & cæterorum principi, *creditum eſt, & ita duo, qui apud Lucam ab Emaus reuerſi ſunt; inuenerunt Apoſtolos dicentes, Surrexit Dominus verè, & viſus eſt à Simone*. Hæc, ſi poteſt, referat aduerſarius ad *præcedentiam vocationis*, quam tamen merum figmentum appellare non dubito.

Spalat. Num. 9. Theophyl. in Luc. cap. 22.

Sequitur Theophilactus ad illa verba, [Confirma fratres tuos, Quia, inquit, te habeo vt principem Apoſtolorum, poſtquam negato me fleueris, & ad pœnitentiam veneris, confirma cœteros; Hoc enim decet te, qui poſt me Eccleſiæ petra es, & fundamentũ.

Idem ad ca. 21. Ioan.

Reſpondet Spalatenſis. Principem vocat diſcipulorum, ideſt primum, qui poſt Chriſtũ præcipua petra fuit, ſed non ſola, & præcipuum fundamentũ.] At ne ſic quidẽ elabitur. Diſcipulorum enim principem Petrum vocat Theophylactus, Vt iam Spalatenſi probandum ſit aliquem ex Patrum numero, alium Apoſtolorum hoc nomine expreſſiſſe. Replicet igitur omnia Patrum monumenta, & oſtendat extitiſſe, qui aliquem præter Petrum nominat principem diſcipulorum, aut qui aliquem præter Petrum nominauerit poſt Chriſtum [petram, & fundamentum Eccleſiæ] peculiari illa ratione, quam expreſſit Matthęus, cuius teſtimonium verſat Theophylactus. Imò hoc effugium Spalatenſi eripuit Chryſoſtomi diſcipulus, & imitator egregius, [Totius orbis, inquit, ouium præfecturam Petro (Chriſtus) committit, non autem alij, ſed huic tradit; primum quidem, quia omnes præcellebat, & totius cœtus os erat, &c.] Vides, vt reliquos Apoſtolos præfectura Petro conceſſa exuerit, ac excluſerit Theophylactus.

Spalat. Num. 10. Damaſc. orat. in Transfig.

Prodeat iam Damaſcenus. Eum ſic loquentem inducit Spalatenſis, [Petrum, inquit, dignum Eccleſię preſidem à Chriſto prędeſtinatum ſcribit, eique factam reuelationem, tamquam qui princeps futurus erat, & totius Eccleſiæ clauum ſuſcepturus. Excipit verò: Hæc encomiaſticè dicta ſunt ex ſolis verbis Euangelicis, non ex ſententia, quam verba Euangelica contineant, eruta, & amplificata. Et Petrum, inquit, vt pręcipuum, non vt ſolùm Eccleſiæ præſidem ex tollunt, ſanè oratoriè, non Theologicè.]

Addit verò pro coronide impudentię; [Sed neq; Damaſcenus tantæ eſt auctoritatis, vt inter recentiores, aut dormitantes, aut adulantes non poſſit interdùm reponi. O frontem! Quid? fortè Damaſcenus homo inter auctores Græcos reponendus, quamquam Damaſci natus, Pontifici paraſitatus eſt, & ad voluntatem non ad veritatem eſt loquutus? Dic agè, quibus artibus Pontifex ad amicitiam eius adrepſerit, & fauorem emereri ſtuduerit? Certè de homine Græcis addictiſſimo vix, ac ne vix quidem cuiquam cordato iſtud perſuaſeris. Quantæ autem auctoritatis eſſe debeant apud probros omnes, eruditiſſimi libri de fide Orthodoxa, ac reliqua opera ſummo ingenio elaborata, ſuſcepta pro auita pietate aduersùs impium Imperatorem certamina probè demonſtrant, ſed hoc nimirùm eſt, quod Spalatenſem torquet, Damaſcenus nimiùm illi eſt orthodoxus, eumque propterea haud ſobrius, *inter dormitantes, & adulantes*, reponere non veretur. Quod ſcribit *oratoriè, non Theologicè* eum loquutum, audacia eſt ab omnibus pijs conſpuenda. Itanè igitur ſummus Theologus, ſic ſit Rhetoricatus, vt à ſincerioris Theologiæ placitis exorbitarit, eloquentiæ oſtentandæ impotenti æſtu abreptus? Quod addit, *Petrum vt præcipuum, non vt ſolùm Eccleſiæ præſidem extuliſſe*, vanum eſt effugium, quo enim ſenſu Petrum Eccleſiæ moderatorem agnouit, nullum omninò *neque Apoſtolum, neque Epiſcopum* eiuſdem principem fecit.

Damaſcen. orat. de Transfig. Domini.

Audiamus miraculis clarum, eremi cultorem, ſua fulmina vibrantem his verbis; *Hoc, inquam, Petre à Chriſto ſupplex contende, ab eo inquam, qui Eccleſiæ immaculatus ſponſus eſt, qui te cœleſtis regni clauicularium inſtituit, qui tibi vinciendorum, ac ſoluendorum peccatorum poteſtatem conceſſit, quem tu diuino ore Dei viuentis filium prædicaſti, &c. Aſſumpſit Dominus Petrum, vt Antiſtitem, qui totius Eccleſiæ gubernacula ſuſcepiſſet*.

Spalat. Num. 11. Ambroſ. in Luc. cap. vlt.

Damaſcenus Ambroſio locum relinquit, apud Spalatenſem. [Ambroſius, inquit, conſiderans illa Chriſti verba ad Petrum, Petre amas me, ita ſcribit; Is interrogatur, de quo dubitatur: ſed Dominus non dubitabat, qui interrogabat, non vt diſceret, ſed vt doceret, quem eleuandus in cœlum amoris ſui nobis, velut Vicarium relinquebat; Sic enim habes; Simon Ioannis diligis me? Vtique, tu ſcis Domine, quia amo te; Dicit ei Ieſus, Paſce Agnos meos. Benè conſcius ſui non ad tempus aſſumptum, ſed iam dudùm Deo cognitum Petrus teſtificatur affectum. Quis eſt enim alius, qui de ſe hoc facilè profiteri poſſit? Et ideò, quia ſolus profitetur ex omnibus, omnibus antefertur. Maior enim omnibus charitas: Hucuſque Ambroſius.] Quid igitur ad iſta ſolis radio ſcripta Spalatenſis? [Ambroſius, inquit, nihil aliud in his dictis, intendit, niſi oſtendere Petri excellentiam ſuprà alios, in amando Chriſto; Senſus illius, addit, talis eſt. Quaſi dicat Petro Chriſtus; Petre quandoquidem tu me amas pluſquam cæteri, amorem hũc, quem habes erga me, iam me diſcedente cõuerte erga oues meas, vt ſicut me amas plùs his; ità plus his mea vice, ama oues; (hoc enim eſt relinqui à Chriſto, quaſi Vicarium amoris ipſius; nẽpè tu mea vice, & loco mei, ama meum gregem, & ſuccede mihi in ipſo amore erga gregem.) Et quia nullus

erat ſibi conſcius, ſe adeò amare Chriſtum,
vt Petrus, ideò Petrus, cùm ſolus profiteatur
ſuprà omnes ſe amare Chriſtum, in hoc om-
nibus antefertur; videlicet, vt ei iniungatur
pluſquam cęteris munus amandi, & paſcendi
pro Chriſto oues; Nā ſicut inter virtutes ma-
ior eſt charitas; ita qui charitate excellebat
omnes (etiamſi fortaſsè alijs virtutibus, alij vt
Ioannes, ipſum ſuperarent) ex charitatis præ-
cellentia omnibus antefertur in hoc, vt plùs
ei, quàm cęteris oues cōmendentur. Hic eſt, ait
ſenſus Ambroſij, qui nihil facit ad primatum
iuriſdictionis, fuitque aliquid perſonale in
Petro, vt ſuprà docui. Idem verò Ambro-
ſius, cum alibi ait, primatum non accepit
Andreas, ſed Petrus. Loquitur de primatu
vocationis ad Apoſtolatum, & alijs perſona-
libus præeminentijs Petri. Alia, addit, Am-
broſij loca ſunt à nobis iam explicata. At ne
micam quidem ſalis habet importuna iſta ex-
plicatio.

Suprà cap. 8. num. 12. huius.

Ambroſ. in 2. Cor. c. 12.

Equidem verum eſt, Chriſtum Petri ſum-
mum in ſe amorem ſpectaſſe, ac eius intuitu
commendaſſe ei ouium curam; ſed duo hæc
expendenda veniunt. *Chriſtum eleuandum in
cælum Petrum ſui amoris Vicarium reliquiſſe*; Et
Petrum omnibus alijs antelatum. Ad quid igi-
tur primùm, Chriſtus *eleuandus in cælum, eum
amoris ſui Vicarium reliquit*, niſi vt Chriſti vi-
ces obiret? Qui enim amoris Chriſti Vicarius
eſt conſtitutus, eum quoque, *operis Vicarium*,
relictum par eſt agnoſcere. Et vt fuerint cœ-
teri Apoſtoli, *eiuſdem operis Vicarij*, quod
clamat Eccleſia, ipſe tamen reliquis antefer-
tur, quia nimirùm ipſe, non alius, primatum
accepit, vt auctor Commentariorum in epi-
ſtolas Pauli, qui Ambroſij nomine præferun-
tur, agnoſcit. *Prior*, inquit, *ſequutus eſt An-
dreas ſaluatorem, quàm Petrus; Et tamen pri-
matum non accepit Andreas, ſed Petrus*: Ineptè
ſiquidem Spalatenſis, [De primatu vocationis
ad Apoſtolatum, & de alijs perſonalibus pręe-
minentijs interpretatur; Cùm contrà, primùm
vocatione faciat Andream: Primus, inquit,
Andreas ſequutus eſt Dominum; credo vocan-
tem. Atque id nos ſuprà abundè probauimus.

In præfatione Apoſtolorum.

Agmen claudat Leo; Sic igitur Leo, re-
ferente Spalatenſi: [Cùm enim, inquit, bea-
tiſſimus Petrus Apoſtolicum à Domino acce-
perit principatum: Apoſtolicus principatus,
inquit Spalatenſis, eſt, quòd ſit primus Apo-
ſtolorum, nam etiam eundem Petrum idem
Leo vocat præcipuum Apoſtolorum.] Egre-
giè ſanè, nam qui verbi gratia Rex eſt Gal-
lorum, aut Imperator Romanorum, is & pri-
mus, & præcipuus eſt in Gallia, aut in Im-
perio Romano; Eſſent ſanè iſta non reſpon-
ſionibus, ſed cachinnis excipienda, ſi ſummo
iure ageretur.

Spalat. Num. 12. Leo epiſt. 7. Id. epiſt. 66.

At multò iam maiora tentat, & quod
ait ille, montes moliri ſua ſede parat. [Ad
alia, inquit, Patrum loca difficiliora acceda-
mus Græcorum priùs, deinde Latinorum.]
Primùm ad certamen vocat Origenem, [cui
animus ſolido ex adamante creatus. Origenes
inquit, Petro cùm ſumma rerum de paſcen-
dis ouibus traderetur, & ſuper ipſum, velut
ſuper terram fundaretur Eccleſia, nullius con-
feſſio virtutis alterius ab eo, niſi charitatis
exigitur:] Vim huius adamantis, qui domat
Spalatenſis? Hirci credo callido affuſo ſan-
guine. Ad populum Phaleras; [Certè, ait,
verba illa Latini interpretis, puto Ruffini,
(ſumma rerum traderetur) Latinè amplam
habēt ſignificationem; libentiùs Gręcum Ori-
genis dictum conſiderarem, ſi extaret; Arbi-
tror enim aliquid modeſtiùs dici, nimirùm
Petro principaliter, & maximè paſturam
ouium committi; Nam alioqui Origenes,
etiam inter Apoſtolos, perfectam poſuit ęqua-
litatem, vt in præcedentibus ſuis locis oſten-
ſum eſt. Facundiſſimus Eudemon Ioannes
ex Societate Ieſu, qui hominem propiùs no-
rit, ridet hanc eius vaniſſimam iactantiam,
qui cùm Græcas literas ne leuiter quidem at-
tigerit, profiteatur ſe ad earum amuſſim Ori-
genis dicta exigere velle. Interim Marce An-
toni magnas gratias habere Ruffino, niſi ma-
lis Hieronymum agnoſcere Origenis inter-
pretem, ſi ille Latina ſua verſione, Latinum
tibi non dediſſet Origenem, eaque tibi præ-
luxiſſet, planè tibi incognitus eſſet Origenes,
& ignotis locis errares: Hunc tu tamen exa-
gitas, quòd pro modeſtiore dicto, vt tu qui-
dem arbitraris illud (ſumma rerum) repoſue-
rit: Nec his contentus, addis, [Latinè amplam
ſignificationem habere illa verba:] Sed ne
erres; habent ampliſſimam. Atqui ſummam
rerum omninò dicunt, in qua maxima, &
nobiliſſima pars rei conſiſtat, indè ſcilicet
ſummam imperij, alicui tradere, quod hìc ex-
preſſit, ſiue Ruffinus, ſiue Hieronymus; quo
ſenſu ſummam accepiſſe Velleius intellexit,
ſummos honores conſequutum fuiſſe. Sed,

Spalat. num. 13.

Orig. in ep. ad Rom. c. 6

Eudæm. Ioã in admon. libro M. Antonij de Dominis.

*Quid iuuat ad ſurdas, ſi cantet Phemius,
aures?*

Dicit, Origenem *etiam inter Apoſtolos ſummam
poſuiſſe æqualitatem*, quo effato nihil poſſit eſſe
abſurdius: Eminentiore enim, ac auguſtiore
ſemper inter Apoſtolos loco Petrum ponit,
Vide, inquit, *magno illi Eccleſiæ fundamento,
& Petræ ſolidiſſimæ, ſuper quam Chriſtus fun-
dauit Eccleſiam, quid dicatur à Domino: Modi-
cæ fidei*, inquit, *quare dubitaſti? Apoſtolorum*
quoque *Principem* facit, adeòque his longè
maiorem. Quod attinet ad explicationem
verborum, *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram,
&c.* qua hanc prærogatiuam Petri ad omnes
omninò fideles torquet, ſuprà oſtendimus,
ſenſum literalem præteruolaſſe eum, vt alle-
gorias conſectaretur, & his luderet: Atqui ex
huiuſmodi allegorijs nullum fidei dogma, aut
elici, aut aſtrui poſſe, ipſe Spalatenſis non
ſemel his libris inculcat.

Hom. 25. & hom. 17. in Luc.

Adeamus Chryſoſtomum, [Chryſoſtomi
dicta, inquit Spalatenſis, poſſunt plura pro-
ferri, quibus Petri videatur aſtrui primatus.
Petrum, inquit, futuræ Eccleſiæ paſtorem
conſtituit. Et Deus concedere ſolus poteſt,
vt futura Eccleſia, tot, tantiſque fluctibus im-
petu irrumpentibus, immobilis maneat, cu-
ius Paſtor, & caput homo piſcator, atque
ignobilis. Et Hieremiam vni genti Patrem,
hunc autem vniuerſo terrarum orbi Chriſtus
præpoſuit; & Petrus adeò abluit illam abne-
gationem; vt etiam primus Apoſtolorum fue-
rit factus, ac terrarum orbem totum ſubiece-
rit. Et ſurgens Petrus in medio diſcipulo-
rum dixit, &c. Quàm eſt feruidus? quàm
agnoſcit creditum à Chriſto gregem? quàm

Spalat. num. 14. Chryſoſt. hom. 55. in Matth.

Id orat. 4. adu. Iud.

in

Id. ho. 6. de laud. Pauli.

in hoc choro princeps eſt? & vbique primus omnium incipit loqui, &c. Et, Non autem Paulus ſolus talis fuit, ſed ille quoque, qui fuit Apoſtolorum caput. Putat autem ſe euaſiſſe, inaniſſima diſtinctiuncula. Hæc, inquit, vt plurimùm de ſolo perſonali primatu Petri intelligenda eſſe, & de ſuprema Petri poteſtate Apoſtolica, qua tamen minorem cæteri Apoſtoli non habuerunt; Sed certè cum priore teſtimonio dicat Chryſoſtomus, Futuræ Eccleſiæ Petrum paſtorem conſtitutum, Et Hieremiam vni genti patrem, hunc autem vniuerſo terrarum orbi, Chriſtum præpoſuiſſe; (reliqua enim, quæ in Græco non habentur, prætereo,) ad primatum perſonalem referri non poteſt, & cùm Petrum primum Apoſtolorum, chori Apoſtolici principem, coryphæum Apoſtolorum, chori Apoſtolici caput,] alijs locis vocat, aliò inflecti nequit, quàm vt intelligatur, exiſtimaſſe Petrum omnibus Apoſtolis ſuperiorem fuiſſe, non verò procuratorem (neſcio vndè Spalatenſi id nomen, ſyndicum enim intelligit) egiſſe: velit enim nolit Spalatenſis, *Primum, præcipuum, principem, caput, coryphæum, & magiſtrum*, reliqui dignitate non æquant, nec ei poteſtate ſunt pares: non ſolùm actu, vt loquitur Spalatenſis, ſed nec habitu. Cæterùm magnos labores à Petro pro Eccleſia vbiuis gentium ſuſceptos ſuſcipimus, prædicamus, ac laudibus in cœlum tollimus, in his tamen non acquieſcimus, ſed vlteriùs progreſſi, aſſerimus hoc nomine, quod *à capite Eccleſiæ*, & *à magno duce*, qui omnes exercitus partes luſtraret, ſuſcepti ſint, maiore adhuc in precio habendos eſſe.

His fauet Euſebij locus, de quo ad initium capitis diximus: Hic verò nihil mutauerim; Aduerſarij enim veſtigia premo, illumque etiam deerrantem perſequor. *Benigna, & propitia Dei*, inquit, *totius huius vniuerſitatis Rectoris, erga humanum genus prouidentia, fortem, ac præpotentem, & reliquorum omnium Apoſtolorum propter virtutis amplitudinem facilè principem Petrum, Romam verſùs ad einſmodi* (*Simonis Magi*) *peſtiferam vitæ humanæ corruptelam delendam, quaſi manu deduxit, qui quidem, vtpotè generoſus, & ſtrenuus Dei dux, diuinis armis obtectus, munituſque, eximiam, & pretioſam tamquam mercaturam veri luminis mente ſola comprehenſi, ab oriente ad occaſum vſque deportauit, ipſamque Regni cælorum prædicationem, cæleſtem ſcilicèt lucem, & ſalutarem animarum doctrinam palàm diuulgauit*.

Euſeb li. 2. hiſt cap. 13.

Atqui hæc præſtitiſſe Petrum, non vt fieret Apoſtolorum princeps, ſed vt quam eſſet nactus, ſpartam ornaret, hoc eſt, vt creditos ſibi populos doctrinæ fulgore compleret, pro officio magni doctoris, Chriſtiana pietate imbueret, atque pro munere ſummi paſtoris, graſſantem lupum luporum rapaciſſimum, & ſi vis luporum omnium, qui ouile Chriſti infeſtarunt crudeliſſimum parentem, a caulis arceret, ac auidis eius dentibus agnos excuteret, non obſcurè ſignificat Euſebius, quem, opto, diligentiùs expendat Spalatenſis.

Miror certè hoc Euſebij teſtimonio vſum, vt probaret Petrum [caput Eccleſiæ, & paſtorem, Chryſoſtomo dictum, non ſolùm, quòd primus eſſet Apoſtolorum, ſed etiam, quòd eſſet quaſi omnium procurator aſſumptus, & inſtitutus, & adeò diligens, ac ſollicitus in Euangelica prædicatione.] Sedulitatem, diligentiam, animi conſtantiam, ac robur, indeſeſſos labores Petri prædicat Euſebius, ſed nec in Euſebio, nec in Chryſoſtomo, vel exiguum veſtigium apparet procurationis, aut ſyndicatus, quem nomine Apoſtolorum ſuſceperit Petrus.

Spalat. Num. 15. Euthym. in c. vlt. Ioan.

Addamus iam Euthymium verbis Chryſoſtomi tonantem, Si dicas, inquit, quomodò Iacobus ſedem Hieroſolymis accepit? Reſpondeo hunc (Petrum) totius orbis Magiſtrum eſſe conſtitutum. Vbi docet, inquit Bellarminus, ſicut Iacobus fuit Epiſcopus Hieroſolymorum, ita Petrum fuiſſe Epiſcopum totius orbis. Excipit Spalatenſis. Euthymius, inquit, vt ſolet, Chryſoſtomi verba tranſcripſit: Quòd ſi quis, inquit, ipſe Chryſoſtomus percontaretur, quomodo Iacobus ſedem Hieroſolymis accepetit; reſponderem, quòd Petrum totius orbis doctorem (Dominus) præpoſuerit. Hoc eſt, ſi quis Iacobum, & non Petrum Eccleſiæ Hieroſolymitanæ à Domino præfectum cernens, quippè Eccleſiæ omnium Eccleſiarum primæ, & matri cæterarum, Iacobum Petro prælatum autumaret, ſciat Petrum fuiſſe Iacobo longè maiorem; quia hic vni vrbi alligatus eſt Pontifex, ille verò toti orbi datus eſt Magiſter. Quia nimirùm Petrus vt Apoſtolus, ſicut & quilibet alius Apoſtolorum, indefinitè factus eſt totius orbis doctor, & informator, hoc eſt, Apoſtolicum, in quamcumque orbis partem ei Euangelium deferre placuiſſet: Illi enim ſimul cum reliquis decem dictum eſt à Chriſto: Euntes docete omnes gentes; At verò Iacobus, qui Apoſtolus ex duodenario numero non erat, vt paſſim ſupponit Chryſoſtomus, ſoli Hieroſolymitanæ Eccleſiæ particulari præfectus à Domino fuit. De quo Iacobo, ipſiuſque ordinationi erit nobis in ſecundo proximè ſequenti libro, cap. 2. differendum.] Nos verò ſuo loco Iacobum hunc proculdubiò ſententia etiam Chryſoſtomi, vnum fuiſſe ex numero duodecim Apoſtolorum docebimus, vt proindè Petrum eximio Apoſtolo, eoque fratre Domini maiorem fecerint, & Chryſoſtomus, & Euthymius, quòd cum is ſit ab Apoſtolis, ex Chriſti inſtinctu, Hieroſolymitanæ Eccleſiæ datus Epiſcopus, ipſe Petrus, ampliori dignatione, ſit totius orbis Magiſter à Chriſto creatus.

Chryſoſt. hom. vlt. in Ioan.

Matth. 28.

Cyrillum Alexandrinum in hunc modum loquutum ſcripſerat Angelicus doctor; [Sicut Chriſtus, inquit, accepit à Patre ſceptrum Eccleſiæ Gentium, dux ex Iſrael egrediens ſuper omnem principatum, & poteſtatem, ſuper omne quodcumque eſt, vt ei cuncta curuentur; ſic & Petro, & eius ſucceſſoribus pleniſſimè commiſit, & nulli alij, quàm Petro Chriſtus, quod ſuum eſt plenum, ſed ipſi ſoli dedit. Hæc ex Cyrillo S. Thomas.

Spalat. Num. 16.

Audiamus iam magnum Ariſtarchũ; Hoc dictum, inquit, cùm directè repugnet ſacræ diuinæ ſcripturæ Euangelicæ, &c. neque tale dictum in Cyrillo reperiatur, confictum ipſum eſſe facilè crediderim, & ab aliquo Hieromonarchicorum antè Aquinatem dolo malo ſuppoſitum:] At tam falſum hunc Cyrilli locum aduerſari Scripturæ, aut alijs eius auctoris ſcriptis repugnare, quàm verum eſt hic

non-

honniſi per ſummam iniuriam, virum ſanctiſſimum, Theologorum facilè principem, fraudis poſtulari à ſectarijs. Exiſtimo igitur adhuc ſæculo magni Aquinatis, plurima monimenta Patrum Orientalium extitiſſe in Sicilia, quæ olim pars magnæ Græciæ fuit, atque cum in illis partibus, maximè verò Neapoli, quæ vrbs non ita à Sicilia diſtat verſaretur Aquinas, incidiſſe illum in multos codices Græcos, ex quibus, opera Græcorum, qui Latinè ſcirent, plura hauſerit, quæ nonniſi in laborioſiſſimis eius ſcriptis inueniri queant: Id cuiuis deprehendere facilè fuerit, qui præclarum opus, cui Cathenæ Aureæ nomen dedit, terere voluerit.

In eo enim haud ſolius Cyrilli, ſed & plurimorum aliorum, etiam vetuſtiorum, ſententias profert, quæ in eorum libris, qui ad nos peruenerint, non inueniantur: Hanc noſtram coniecturam, vt reijciat Spalatenſis, non tamen credo adeò impudenti eſt ore, vt fraudis arceſſere Angelicum doctorem magnum Eccleſiæ lumen non vereatur: Ipſe verò Aquinas ſatis emunctæ naris fuit, ad ſubolfaciendam fraudem, ſi quæ, antè eum, in eo loco proferendo ab aliquo plano facta fuiſſet.

Cyrill li. 11. in Ioan.

Iam Spalatenſis, vt Cyrillum oſtendat pares omninò feciſſe Apoſtolos, locum benè longum ex Commentarijs in Geneſim profert, in quo, inquit, Cyrillus *indiſtinctè, & indifferentèr dat curam paſtoralem omnibus Apoſtolis.* Sed toto cœlo errat, nec eſt mentem tanti Patris aſſequutus. Cyrillus, Iacob figuram vult eſſe Chriſti, diſcipulos ſuos in diſperſionem gentium neglectis ob contumaciam Iudæis, dimittentis. Verba Iacobi ad paſtores, *Adhuc multa dies, Potate oues, & euntes paſcite,*

Geneſ. 29.

à Chriſto quoque vſurpata contendit, cùm prædicandi Euangelij curam diſcipulis committeret, atque etiamnum præſtitiſſe eos, quod ille iuſſiſſet, & ad quod, ipſe quoque Petrus, ſeniores populi cohortatus eſſet, his

1. Petr. 5.

verbis, *Paſcite eum, qui in vobis eſt, gregem;* Sed pares in eo munere obeundo fuiſſe nuſquam dixit: etſi dixiſſet, intelligendus procul dubiò foret *de proprio munere Apoſtolatus,*

Lib. 12. in Ioan. c. 55.

non *de externo regimine Eccleſiæ*, cuius principem, & caput, non vno loco facit Petrum: Priore illo ſenſu Apoſtolos omnes columnas, & firmamenta facit Eccleſiæ; Poſteriore de Petro ſic loquitur, *vt princeps, caputque caterorum*, vel, *cæteris præfectus* primus exclamat,

Lib. 12. c. 64.

Tu es Chriſtus filius Dei; Certè principi, capiti, præfecto, pares cœteri dici non poſſunt, quibus eſt ille princeps, aut caput impoſitus.

Spalat. Num. 57.

Cyprianum iam quatit Spalatenſis, & cùm maximi fiat à Catholicis, ait, eum [ad Petri primatum firmandum inuitum, ac reluctantem trahi ab illis,] quos homo ſolutioris linguæ. *Monarchicos* appellat; Expendamus ea loca, quibus vſus eſt Bellarminus ad eum primatum conſtabiliendum. Hoc primum

Cypr. tract. de ſimpl. c. Præl. ſeu de vnit. Eccl.

eius teſtimonium verſat, *Exordium ab vnitate proficiſcitur, ut primatus Petro datur, vt Eccleſia vna monſtretur.* Addit, & hoc, *Eccleſia vna eſt, quæ in multitudinem latiùs incremento fœcunditatis extenditur, quomodo ſolis multi radij, ſed lumen vnum; & rami arboris multi, ſed robur vnum tenaci radice fundatum: Et cùm de fonte vno riui plurimi defluunt, numeroſitas licèt diffuſa videatur exundantis copiæ largitate, vnitas tamen ſeruatur in origine: Auelle radium ſolis à corpore, diuiſionem lucis vnitas non capit; Ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit: à fonte præcide riuum, præciſus areſcet.* Vexat autem in primis Bellarminum, quòd exordium, de quo loquutus ſit Cyprianus, Petrum ſit interpretatus, in quo vno, tamquam in fundamento à capite cœperit Eccleſia, cuius indè vnitas ſanciatur; Atque *hoc eſſe intolerabile* intonat, *cùm ſanctus Martyr apertiſſimè totam Eccleſiam, prout vna inſolidum ſumitur, quæ deindè in particulares Eccleſias diſtribuitur, intelligat eſſe ſolem, radicem, fontem, & de Petro ne ſomniarit quidem. Exordium*, inquit, *ab vnitate docebat proficiſci. At verò vnitatem eſſe Petrum, vel primatum Petro dari nuſquam dixit, aut intellexit;* idque ſuprà intendiſſe ſe gloriatur.

Sed hanc accuſationem nos etiam ſuprà examinauimus, & inſoleſcentis aduerſarij ſuperbiam repreſſimus; Itaque hoc breuitèr reſpondebimus, primùm ſuam, vel inſcitiam, vel oſcitantiam in legendo Cypriano, prodere Spalatenſem, cùm ad Eccleſiam, non ad Petrum vniuerſalem *fontis, radicis, & ſolis*, rationem retuliſſe aſſerit. Si enim id verum eſt, omninò nihil probat Cyprianus, atque eodem reuoluitur, quod ſic oſtendo.

Cyprianus cùm in Catholicę Eccleſię vnitate fidelium ſalutem eſſe poſitam videret, & inſurgentes hæreſes, quæ ab ea abducerent comprimere, ac obterere conaretur, hoc vnum ſibi ſumpſit probandum, *Eccleſiam vnam eſſe*, hic illius operis ſcopus eſt: Vnitatem igitur Eccleſiæ probaturus, *ad veritatis originem redeundum, Caput quærendum, & magiſtri cœleſtis doctrinam ſeruandam* ſcribit, quæ omnia nimitùm vnitatem Eccleſiæ clariſſimè oſtendant;

Cypr. de vnit. Eccl.

Quæ propterea, inquit, *ſi quis examinet, tractu longo, atque argumentis opus non eſt. Probatio eſt ad fidem facilis compendio veritatis; loquitur Dominus ad Petrum: Ego dico tibi, inquit, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. Et tibi dabo claues regni cœlorum, & quæ ligaueris ſuper terram, erunt ligata, & in cęlis; & quæcumque ſolueris ſuper terram, erunt & ſoluta in cœlis. Et iterum poſt reſurrectionem ſuam dicit: Paſce oues meas. Super illum vnum ædificat Eccleſiam ſuam, & illi paſcendas mandat oues ſuas.* Ne quis verò opponeret, non vnum Petrum, ſed omnes omninò Apoſtolos parem poteſtatem à Chriſto nactos, occurrit obiectioni, eamque ſoluit;

Ibidem.

Et quamuis, inquit, *Apoſtolis omnibus poſt reſurrectionem ſuam parem poteſtatem tribuat, & dicat; Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos; Accipite Spiritum ſanctum, ſi cui remiſeritis peccata, remittentur illi, ſi cui tenueritis, tenebuntur; Tamen, vt vnitatem manifeſtaret, vnam Cathedram conſtituit, & vnitatis euiſdem originem, ab vno incipientem ſua auctoritate diſpoſuit. Hoc erant vtique, & cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio præditi, & honoris, & poteſtatis, ſed exordium ab vnitate proficiſcitur.* His expeditus, quaſi cauſa perorata inſultat aduerſarijs; *Hanc Eccleſiæ vnitatem, qui non tenet, tenere ſe fidem credit? qui Eccleſiæ renititur, & reſiſtit, in Eccleſia ſe eſſe confidit?* Poſteà verò in argumenti amplificationem excurrit: *Vna eſt Eccleſia*,

Epiſt. 70.

inquit,

inquit, *à Chriſto Domino ſuper Petrum origine vnitatis, & ratione fundata*.

Iam igitur quæro à Spalatenſi. Si ex eo probat vnitatem Eccleſiæ, quòd ipſa ſit fons, radix, & ſol, vndè riui, rami, & radij ducantur, nonnè probat Eccleſiam eſſe vnam, quia vna eſt, quo quid poſſit eſſe inſulſius? De Eccleſia enim in vniuerſum ſpectata quærit, vndè vnitatem habeat; cùm ipſa [in multitudinem latiùs incremento fœcunditatis extendatur, & explicat illis ſimilitudinibus; Quomodò, inquit, ſolis multi radij, ſed lumen vnum, & rami arboris multi, ſed robur vnum tenaci radice fundatum, &c.] Igitur in hoc corpore Catholicæ Eccleſiæ, aliquid eſſe oporteat, quod *ſolis*, & *radicis*, adeoque *fontis* rationem habeat; Si verò illud, Eccleſia eſt vniuerſalis; Ergo ipſa ſibi ratio eſt vnitatis, nec exordium à Petro, martyri Cypriano ducendum fuit: Maneat ergo, Petrum huius vnitatis originem, & vinculum eſſe, quod Cyprianus, vt oſtendimus, mille alijs locis docet; Hinc ſcilicèt Cathedram Petri ea eſſe, *ex qua vnitas Sacerdotalis ſit exorta*, clamat: Sic enim ille ad Cornelium Pontificem Romanum, de Fortunato, & Feliciſſimo, qui in Africa ab omnibus Orthodoxis Epiſcopis,

Cyprian. epiſt. 55.

damnati, ac profligati, Romanam ſedem appellarant, ac ad eam prouocarant: *Poſt iſta*, inquit, *adhuc inſuper pſeudo-Epiſcopo ſibi ab hæreticis conſtituto, nauigare audent, & ad Petri Cathedram, atque ad Eccleſiam principalem. Vndè vnitas ſacerdotalis exorta eſt, à ſchiſmaticis, & prophanis literas ferre, nec cogitare eos eſſe Romanos (quorum fides, Apoſtolo prædicante laudata eſt) ad quos perfidia habere non poſſit acceſſum*. Quod attinet verò ad ea verba, *Primatus Petro datur*, quæ non eſſe Cypriani contendit, quid hac de re cenſeremus, aperuimus ſuprà.

Certè ipſe, Spalatenſis Petrum à Cypriano huius vnitatis fontem inductum, vel inuitus cogitur fateri; Et ſi enim mentem eius deprauat, tamen fatetur docere eum, propoſitum fuiſſe Petrum in typum, & figuram vnitatis, qua de re ne verbum quidem extat apud Cyprianum, quare ei acquieſcendum eſt in apertiſſimis verbis, quibus vnum Petrum vnitatis Eccleſiæ principium facie, non typum. Quod attinet ad illum locum,

Spalat. Num. 17. Cypr. de vnit. Eccl.

[Epiſcopatus vnus eſt, cuius à ſingulis pars in ſolidum tenetur] erit aliàs eius diſcutiendi locus; hic ſufficiat breuiter dixiſſe, Epiſcopatum vnum eſſe, & eius ab omnibus Epiſcopis partem in ſolidum teneri, ſed non eodem gradu; Anima vna eſt, ac tota in totum corpus, ac ſingula membra diffunditur, nobiliùs tamen in capite, in diuiniori ſcilicet illa arce, in qua vigent omnes ſenſus, reſidere dicitur: Aliud igitur eſt [Epiſcopatus partem in ſolidum à ſingulis Epiſcopis teneri, & aliud omnes Epiſcopos pares eſſe, quod exemplo Anglorum oſtendi poteſt; Epiſcopus Elienſis illis eſt in ſolidum Epiſcopus, & tamen qui Puritani non ſunt, haud facilè eum Cantuarienſi Archiepiſcopo exæquauerint, ſed vt ſuis Eccleſijs, ordo ab antiquo præſtitutus, conſtet, illi infra Primatem, quippè, quo loco, dignitate, & auctoritate, longè inferior ſit, conſiſtendum non inuiti decernent.

At inſtat Spalatenſis, [Si Petrus princeps cum iuriſdictione ſuprà cæteros conſtituitur, non ergo erunt ei cæteri Apoſtoli pares in honore, iuriſdictione, & poteſtate, ſed longè inferiores:] Reſpondeo, pares non erunt inter ſe, quia Petrus vnitati firmandæ princeps delectus, ſed pares erunt comparatione reliquorum, ad quos illa ſe fundit poteſtas, honor, & iuriſdictio: Aut propiùs ad mentem Cypriani; Pares non erunt in negotio vnitatis formando, quandoquidem ſententia Cypriani *ſuper vnum Petrum Chriſtus Eccleſiam fundauit, vt vnitatem monſtraret*, ſed pares erunt *in officio Apoſtolatus*, & his, quæ ad eius dignitatem proximè, & intrinſecè pertinent: Hanc interpretationem ſubminiſtrauit nobis Hieronymus, cuius maioris lucis gratia lubet verba retexere. *At dicis*, inquit, *ſuper Petrum fundatur Eccleſia; licèt idipſum alio in loco ſuper omnes Apoſtolos fiat, & cuncti claues regni cælorum accipiant, & ex æquo ſuper eos Eccleſiæ fortitudo ſolidetur; tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite conſtituto, ſchiſmatis tollatur occaſio*. Vides vt, ex æquo, Eccleſiæ fortitudinem ſuper omnes Apoſtolos ſolidari aſſerat magnus Pater, nec tamen inficietur vnum delectum, qui caput eſſet, & princeps reliquorum, *vt nimirùm capite conſtituto, ſchiſmatis tolleretur occaſio*.

Lib. 1. adu. Iouin. c. 14.

Certè Cyprianum non intellexiſſe ſe ex eo manifeſtè prodit Spalatenſis, quòd Bellarminum vexat, qui ad Eccleſiam Romanam hæc eiuſdem ſanctiſſimi Martyris retulerit; [Scimus hortatos nos eſſe, vt Eccleſiæ Catholicæ matricem, & radicem agnoſcerent. Vult, inquit Spalatenſis de Bellarmino loquens, propter Petri primatum Eccleſiam Romanam, hic à Cypriano vocari matricem, & radicem, ſed fallitur. Cyprianus, ſicut & ſupra ſibi ſemper ſimilis, radicem, & matricem Eccleſiæ catholicæ, intelligit Eccleſiam totam vniuerſalem illam, quam ſuprà vnum Epiſcopatum in ſolidum nominabat; cuius partes eſſent Romana, Carthaginenſis, & aliæ; illam, quam ſuprà ſolem, fontem, radicemque dixerat; vbi de nulla ſingulari ſede loqueretur.] Eodem refert alium locum à Bellarmino prolatum; [Nos Eccleſiæ vnius caput, & radicem tenemus: Non enim, inquit loquitur de Romana, ſiuè alia ſingulari Sede, ſed de tota Eccleſia vniuerſali, de illa, quæ eſt verè vna. Neque enim vllum nimirùm indicium habemus, aut ex præcedentibus, aut ex conſequentibus, ibi Cyprianum de Romana loqui Eccleſia, ſed totius Eccleſiæ, quæ eſt caput, & radix ſingularum, dogma rurum vult eſſe contra Nouatianum, qui rebaptizabat catholicos ad ipſum deflectentes, vnicum eſſe in Eccleſia catholica baptiſmum non amplius iterandum, Et infrà; Explicans Cyprianus, inquit Bellarminus, quæ ſit hæc radix, ait: Nam Petro primùm Dominus, ſuper quem ædificat Eccleſiam, & vndè vnitatis originem inſtituit, & oſtendit, poteſtatem iſtam dedit.] Item, [Eccleſia, quæ vna eſt, ſuper vnum, qui claues eius accepit, voce Domini fundata eſt. Vbi clarè vides, inquit Bellarminus, Eccleſiam dici vnam, quia ſuper vnum Petrum fundata eſt. Explicat proculdubiò priore loco Cyprianus, quæ ſit illa radix, ſed non docet hanc eſſe Petrum,

Spalat. Num. 17.

vel ſedem Petri, ſed eſſe illam vnam totalem Eccleſiam, quæ, vt vna eſſe monſtretur à Chriſto, Petro primùm, & ædificatio promittitur, & poteſtas clauium datur, vt indè tamquam ex typo, & myſterio, ortum haberet in diſcipulorum cognitione, vnitas Eccleſiæ, quam intendebat. Et poſteriori loco eſt eiuſdem dicti repetitio, nimirùm, ideò ſuper vnum Petrum videtur Eccleſia voce Domini fundari, non quia reuera in vno Petro fundetur, ſed quia ex hoc habetur myſterium, Eccleſiam vnam totam eſſe debere, & non in ſectas diuiſam &c.

Hæc Spalatenſis. Fatemur ſanè ſui ipſius ſemper ſimilem Cyprianum, ac ſemper Orthodoxam tradidiſſe doctrinam; ſed etiam ſui ſemper ſimilem agnoſcimus Spalatenſem, qui nihil vmquam niſi nugas nugerrimas, & inanes fumos venditet: Si enim Eccleſiam vniuerſalem, radicem Eccleſiæ catholicæ, & matricem, vocet Cyprianus, ergo Eccleſia catholica, eius ſententia, Eccleſiæ catholicæ radix erit, & matrix, cùm ea ipſa ſit vniuerſalis, nec niſi verborum hìc ſit vlla diuerſitas, aut fortaſsè non meminit Spalatenſis, catholicam, & vniuerſalem idem planè eſſe: Quid ergò, iuxta Spalatenſem, potuit à Cypriano ineptius dici, quàm Eccleſiam vniuerſalem, Eccleſiæ catholicæ radicem, & matricem eſſe? An aliquid eſt in rerum natura, quod ſui ipſius radix ſit, & matrix, & origo? Committamus ſectarium cum ſectario, ſed illum longè doctiorem, & eruditiorem Spalatenſi. Caſaubonus igitur verſans illum locum, & ſimiles Cypriani, quamquam in omne latus ſe vertat, vt Petrum, & Pontificem, ſua dignitate ſpoliet, tamen quòd violare tantum Patrem non auderet, aut eius ſententiam funditùs euertere, ingenuè faſſus eſt eum
Caſaub. exercit. pag. 756. de Eccleſia Romana loquutum; *Fateor*, inquit, *ſicut Petrus dicitur fuiſſe princeps Apoſtolorum, vt non ſemel demonſtrauimus; ita Eccleſiam Romanam priſcis temporibus fuiſſe habitam principalem, vt appellat Cyprianus epiſt. 55. ideſt, primam ordine; Vndè vnitas Sacerdotalis exorta eſt, ait ibidem Cyprianus, qui hoc ſenſu alibi Romanam Eccleſiam appellat catholicæ radicem, matricem caput*: Sed reuertamur ad Spalatenſem; certè quæ ei per imprudentiam exciderunt, mirè noſtram ſententiam firmant.

Cypr. ep. 73. ad Iubaian. Citat enim ex Cypriano: *Petro primùm Dominus, ſuper quem ædificauit Eccleſiam, & vndè vnitatis originem inſtituit, & oſtendit, poteſtatem iſtam dedit, vt id ſolueretur in cælis, quod ille ſoluiſſet in terris*. Item, *Eccleſia, quæ vna eſt, ſuper vnum, qui claues eius accepit, voce Domini fundata eſt*. Quis enim non videat hæc noſtram fulcire ſententiam; ſed de integro à nobis repetentur infra, & vberiùs
Infrà ad caput 12. tractabuntur cap. 11. Reliqua, quæ profert Spalatenſis, verba ſunt, & ſine mente ſoni; De Cathedra poſtea ſumus acturi, & Romanam eam dictam eſſe, *à qua Sacerdotalis vnitas ſit exorta*, ſumus probaturi. Hoc certè locis omnibus contendit florentiſſimus Martyr Cyprianus.

Spalat. Num. 18. Bellar. lib. 1 de Rom. Pont. c. 25. Optat. lib. 2. cont. Parm. Optatum totum Romanum iam nobis eripere conatur Spalatenſis, detortis, ac ad hæreſim deflexis iis locis, quibus catholici vtuntur. Prior locus eſt, quem integrum proferre voluit, quaſi de eo aliquid detraxiſſet Bellarminus; [Ergo quia, inquit, probamus eam eſſe Eccleſiam catholicam, quæ ſit in toto terrarum orbe diffuſa, eius iam commemoranda ſunt ornamenta, & videndum, vbi ſint quinque dotes, quas tu ſex eſſe dicis; inter quas Cathedra eſt prima: vbi niſi ſederit Epiſcopus, coniungi altera dos non poterit, qui eſt annulus. Videndum eſt, qui, & vbi prior Cathedra ſederit: ſi ignoras, diſce; ſi noſti, erubeſce; ignorantia tibi aſcribi non poteſt: Reſtat ergo, vt noueris: ſcientem errare peccatum eſt: nam ignorantibus nonnumquam ſolet ignoſci. Igitur negare non potes ſcire te, in Vrbe Roma Petro primò Epiſcopalem Cathedram eſſe collatam, in qua ſederit omnium Apoſtolorum caput Petrus; vndè, & Cephas appellatus eſt: In qua vna Cathedra, vnitas ab omnibus ſeruaretur, ne cæteri Apoſtoli ſingulas quiſque ſibi defenderent; vt iam ſchiſmaticus, & peccator eſſet, qui contra ſingularem Cathedram, alteram collocaret. Ergo Cathedra vnica, quæ eſt prima de dotibus, ſedit prior Petrus, cui ſucceſſit Linus, Lino ſucceſſit Clemens &c. Liberio Damaſus, Damaſo Siricius hodiè, qui noſter eſt ſocius: cum quo nobis totus orbis commercio formatarum, in vna communionis ſocietate concordat. Vides nomen capitis, inquit Bellarminus, & Petri Cathedram, ac ſucceſſorum, vnicam totius Eccleſiæ Cathedram nominari.] Hæc veriſſima ſunt. Tamen Spalatenſis Optatum primum arceſſit capitis, quod Cephas caput ſit interpretatus. Cephas, inquit, vt caput ſignificet, non patitur Ioannes, quemquam interpretari.]

Itaque hìc non à Spalatenſi modò, ſed à reliquis quoque Sectariis putidi erroris poſtulatur ſummus vir, quòd contra Euangelii vocem, vt illi putant, Cephas, caput ſit interpretatus. Sed & fallunt, & falluntur, qui huius errati eum inſimulant; Et ſi enim magnis viris aſſentior, qui Optatum putant ad affinitatem vocabulorum *cephali*, & Cepha alluſiſſe; Nego tamen eum adeò rudem fuiſſe, non dicam linguarum, ſed ipſius Euangelici textus, quem certè Latinum habuit, vt Cephas caput ſit interpretatus. Præſto erat illud Ioannis, quòd vel errantem in viam re- Ioan 1.
uocaret, vt in vulgata habetur; *Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus*. Habuit igitur huius vocis Cephas interpretationem ex Euangelio, vt ridiculum ſit opinari eum ad hunc lapidem impegiſſe. Cenſeo igitur non præciſè ad vocabulum, Cephæ, ſed ad totam ſeriem verborum Chriſti reſpexiſſe, ex qua colligere ſe rectè putarit, Petrum *caput eſſe Apoſtolorum*, quod à Chriſto dictus ſit *petra, ſuper quam is ſuam ædificaturus eſſet Eccleſiam*: Cùm non alia ratio ſit capitis in corpore, quàm fundamenti in ædificiis.

Addo, potuiſſe alio reſpexiſſe Optatum, quàm ad verba Chriſti, nempè ad illud Canticorum, *Caput eius aurum Cephas*, quod poſtea Philo Carpatius eſt de Petro interpretatus. *Quòd aurum ipſum Cephas dicitur*, inquit Philo, *quòd Petrus, vel firmitas interpretatur, ſtabilitatem eorum fidei aptiſſimè declarat, ſiuè quòd Petrus, qui & Cephas caput Eccleſiæ ipſius ſponſæ aliquando futurus erat*. Nam ita quoque legiſſe ætate Optati, pleroſque doctiſſimos viros ex Ambroſio conſtat, qui ver-

Cap. 5. Philo Carpatius in Cantica ad illud, caput eius aurum Cephas. Ambroſ. in Pſal. 118. Conc. 15. & Præf. in lib. de Offic.

verſionem Aquilæ, & Symmachi refert, & probat, duobus ſuorum operum locis. Ait enim eos legiſſe in Cantico, *Caput eius aurum Cephas*, ſiuè, *Caput eius aurum lapis*, ſiuè etiam, *Caput eius lapis precioſus*. Sed demus ſpectaſſe verba Chriſti Optatum; Demus & illud, hallucinatum eum, in interpretatione vocis, *Cephas*, ſtat tamen inconcuſſa eius ſententia, quam alio loco nudè, & ſimpliciter, nullo ad eam fulciendam adducto peculiari ſcripturæ loco, proponit, *Petrum*, ſcilicet, *eſſe caput Apoſtolorum*.

Lib. 7.

Addit Spalatenſis Optatum, [non intelligere illam Cathedram particularem Romanam, ſed Cathedram vniuerſalem, quatenùs poteſtas hæc vnica eſt, in ſolidum, in omnibus Eccleſiæ Rectoribus in toto orbe. At ſi hęc vera ſunt, cur ergo mentio ab eo facta ſit, Vrbis Romæ, & Epiſcopatus, quem ibi geſſerit Petrus? Quorsùm Petro, tamquam Romano Pontifici, capitis nomen attributum? Quorsùm illi vni Cathedræ, cæteræ alligatæ, etiam quæ eſſent à reliquis Apoſtolis fundatæ, quibus etiam ſententia Optati interdictum eſſet, [ne ſingulas ſibi quiſque defenderent: vt iam ſchiſmaticus, & peccator eſſet, qui contra ſingularem Cathedram (Petri) alteram collocaret?] Qui verò fieri potuit, vt Apoſtolus aliquis, Cathedram extra Eccleſiam toto orbe diffuſam, cogitaret?

Cęterùm etiam impegit hic Spalatenſis, immaniterque errauit, [cùm Eccleſiam Romanam, Cathedram particularem dixit; Iure enim communis, & poteſtatis,] Catholica omninò cenſeri debet, ſeù vniuerſalis, non quidem formaliter, vt loquuntur (vniuerſæ Eccleſiæ ex omnibus terræ angulis collectæ proprium iſtud eſt) ſed eminenter, qua radix, matrix, fons, & veluti centrum totius poteſtatis Eccleſiaſticæ, & vnitatis Sacerdotalis, vt ex Cypriano oſtendebamus, non verò ſola participatione vniuerſalitatis, quod in omnes priuatas Eccleſias conuenit, quæ hoc nomine, catholicæ, dici quoque poſſunt, quòd cum vniuerſali communicent, eiuſque veſtigia, tùm in doctrina, tùm in diſciplina prænaut, ac ſequantur. Sed pergamus? Si Romana Eccleſia matrix non eſt reliquarum Eccleſiarum, cur longam illam Romanorum Pontificum ſeriem homo Apher contexuit, quo probaret, ſe in Siricij Pontificis Romani communione eſſe, vt ſe in vera, ac legitima Eccleſia eſſe oſtenderet? Cur formatarum meminit, quæ id euincerent? Hac igitur ratione ſeriem Romanorum Pontificum ad Petrum reuocat, non tamquam ad ſingularem Apoſtolum, ſed tamquam ad Eccleſiæ caput, vt ex eius verbis ſatis intelligitur.

Nam quod habet Spalatenſis [Optatum ſe ad Petrum reducere (illius refero verba) non quia Petrus erat vnus, ſingularis, & primus Apoſtolus, ſed quia erat Apoſtolus, quia ſucceſſio à quocumque, ſiuè ab vno, ſiuè à pluribus, ſiuè ab omnibus eſſet Apoſtolis, Cathedram legitimam conſtituat] abſurdum eſt abſurdorum abſurdiſſimum. Nullus enim Epiſcopus Apoſtolis ſucceſſit, præcisè qua Apoſtoli erant, vt ipſe admittit Spalatenſis, alioquin parem Apoſtolis fuiſſet conſequutus poteſtatem, nempè condendi libros ſacros, vbiuis gentium cum plena auctoritate prædicandi, patrandi miracula &c. quæ quàm abſint à facultate, & poteſtate Epiſcoporum, nemò prudens non aduertit; ſed dumtaxat in parte officij, quæ poſtea à nobis explicabitur.

Cap. 11. n. 1.

Quòd autem addit, *ſucceſſionem, quæcumque tandem illa fuerit, ſi modò Apoſtolum aliquem, aut omnes, habuerit auctorem, potuiſſe veram Cathedram conſtituere*; id demùm verum eſt, quamdiù in Cathedræ Petri communione, quod tantopere vrget Optatus, illa conſiſtit. Apud Optatum ibid. Id illius Macrobij, quem Romæ ſuppoſitum à Donatiſtis Epiſcopum ſcribit; exemplo patet. Namque cùm à legitimo Romano Pontifice damnari ſuam ſectam improbiſſimi hęretici cernerent, atque hoc nomine præiudicium ſuæ cauſæ fieri viderent, quòd qui Cathedræ Petri non communicaret, catholicus haberi minime poſſet, commodiſſimam hanc ſuppoſitionem rati, hunc dolum machinati ſunt, vt Macrobium illum Romæ Epiſcopum crearent, quò his artibus ſimplicioribus fucum facerent, ac ſe in ſucceſſoris Petri communione eſſe probarent: Laruam verò detrahit doctiſſimus Epiſcopus: *Si Macrobio* (is erat Epiſcopus Donariſta Romæ) *dicatur, vbi illic ſedeat: numquid poteſt dicere in Cathedra Petri? Quam neſcio, ſi, vel oculis nouit, & ad cuius memoriam non accedit, quaſi ſchiſmaticus contra Apoſtolum faciens, qui ait; memorijs ſanctorum communicantes: Ecce præſentes ſunt ibi duorum memoriæ Apoſtolorum; Dicite, ſi ad has ingredi potuit, ita vt obtulerit illic, vbi ſanctorum memorias eſſe conſtat.* Atque vt obiter iſtud attingam, *Memoriam Petri*, ſanctiſſimas *Apoſtoli reliquias*, vocat, quæ Romæ in ea Eccleſia, quam ipſe rexiſſet, colerentur, atque eò inflectit locum Pauli, qui, teſte Beza, ſic eſt à pluribus acceptus, vt illic non *neceſſitates ſanctorum*, quod habet vulgata, ſed *memorias ſanctorum* ſint interpretari. Locus Apoſtoli eſt Romanorum 12. *tos chrias ton agion cinonuntes, neceſſitatibus ſanctorum communicantes*, ad quem locum ſic Beza. *Ambroſius legit memorijs, tas mnias, ſed perperam ni fallor, quamuis ita Latinos codices habuiſſe ſcribat Origenis interpres, vt Eraſmus annotauit*; Atqui mira hæc fraus eſt Bezæ.

Rom. 12.

Beza ad illũ locum.

Is codicem Claromontanum ſæpiſſimè laudat, quo ſit vſus in reſtituendis veris lectionibus, atque is codex nobis viſus, *tes mnias* habet, cur ergo diſſimulauit, cur cùm locum interpretaretur, eius lectionis non meminit? Timuit ſcilicet ne Orthodoxis fauiſſe videri poſſet, qui olim hoc teſtimonio vterentur, ad reliquiarum cultum ſanciendum, ac firmandum.

Audiat igitur optimum antiquitatis interpretem Auguſtinum, & falli eum pro illa ſua ſumma audacia pronunciet; *Communicatis*, inquit ille, catholicos alloquens, *membris Apoſtolorum, communicatis memorijs ſanctorum.* Quis niſi cœcus hîc antiquum morem colendarum reliquiarum, quem ſumma pietate Hieronymus aduersùs Vigilantium, ſæculo Auguſtini, acerrimè propugnauerit, non agnoſcat? Sed hæc *parergos*. Ad Optatum reuertamur; Is igitur vt fruſtra eſſe Donatiſtas probet, qui communionem Petri prętexerent, quòd Macrobium illum ſuum Epiſcopum Romę ſuppoſuiſſent, oſtendit illum ſpurium partum.

Aug. ſer. 49. in Euangel. ſecun. Ioan.

Digitized by Google

rum, fœtum Petri non eſſe, quippè qui eius in Cathedra non ſit, nec fortè oculis viderit, aut memoriam inuiſerit, hoc eſt, locum, in quo ſanctiſſimum corpus coleretur, ſcilicet cum pſeudoEpiſcopum legitima ſucceſſio deficiebat, vt propterea, qui in eius communione eſſent, non poſſent ad Petrum ſuæ fidei, aut etiam diſciplinæ, origenem referre. Quod autem idem Optatus, *Alias etiam Aſiæ, & Aphricæ Eccleſias numerat, quæ memorijs ſanctorum communicarent*, id certè meritò facit, quòd ſcilicèt in Cathedræ Romanæ communione perſeuerarent. Itaque vt tandem abſoluamus *nexum, vinculum, caput, & origenem* vnitatis Eccleſiaſticæ, tum Petrum, tum Pontifices Romanos legitimos Petri ſucceſſores cenſet Optatus, & hanc primam eſſe dotem Eccleſiæ Catholicæ luce meridiana clariùs

Num. 18. in fine. probat: nimirùm *Petrum bono vnitatis primùm accepiſſe claues, & Apoſtolis communicaſſe.* Hoc ferè ipſe Spalatenſe agnoſcit, [Primados, inquit, vniuerſalis Eccleſiæ eſt Cathedra, ideſt, poteſtas per ſucceſſiones legitimè propagata: & hæc in Aphricam per Petrum Roma peruenit. Itaque vnaquæque Eccleſia particularis Catholica, de vna, ac vniuerſali Cathedra, (addat Romana, & Catholicus eſt) participat, & per illam in vnum corpus cum tota vniuerſali Eccleſia coaleſcit.] Sed quòd Optatus clarior eſſet ea parte, quam vt tenebræ eiùs dictis offundi poſſent, alia via eius fulgorem obſcurare eſt conatus; Poſtquam enim de ordinaria poteſtate multa inſipienter effudiſſet, hunc colophonem, & coronidem impoſuit ſuis delirijs; [Quoniam, inquit, poteſtatem hanc ordinariam Petrus, (vt putat Optatus, neſcio quàm benè) primùm cœpit Romæ exercere, ideò Romæ primùm Cathedram Petrus poſuiſſe ab eodem aſſeritur. Non ergo putauit Optatus Antiochenam Petri Cathedram, Romanam tempore præceſſiſſe.] Quàm lapidè! quàm acutè! quaſi verò cuiquam noſtrum, exciderit vmquam, Antiochiæ fuiſſe Cathedram Petri, à qua vnitatis origo duceretur? Nimirùm cùm de ea vnitate agitur, non à quacunque Cathedra, quam inſederit Petrus, ſed ab ea, in qua morte ſua principatum Apoſtolicum ſanxerit, ac ſacrauerit, præſidium ducimus. Hæc verò Romana eſt, non Antiochena, vt propterea meritò in ea primùm ſediſſe Petrum vrgeat Optatus.

Properemus iam ad alios, [Arnobius

Spalat. Num 19. Arnob. in Pſ. 138. Apher, & ipſe, inquit Spalatenſis, ita fertur ſcripſiſſe; Ecce Apoſtolo pœnitenti ſuccurritur, qui eſt Epiſcoporum Epiſcopus, & maior gradus redditur ploranti, quàm ſublatus eſt deneganti. Quod vt doceam, illud oſtendo, quòd nullus Apoſtolorum nomen paſtoris accepit, ſolus enim Dominus Ieſus Chriſtus dicebat, Ego ſum paſtor bonus: hoc ergo nomen ſanctum, & ipſius poteſtatem nominis, poſt reſurrectionem ſuam, Petro pœnitenti conceſſit; & negatus negatori ſuo, hanc, quam ſolus habuit, tribuit poteſtatem; vt non ſolùm recuperaſſe, quod amiſerat, probaretur, verùm etiam, & multò meliùs pænitendo, quàm negando perdiderat, acquieuiſſe.

Opus tamen illud in Pſalmos (opponit Spalatenſis,) Arnobij non eſſe facilè comprobatur; vt benè norunt ſapientes. Auctoritas igitur viri antiquiſſimi prætenſa, in hoc nos non moueat, Sed & dictum ipſum parùm mouet; Nam, & Epiſcoporum Epiſcopum nullum admittit Cyprianus; & non nomen paſtoris immediatè, ſed actus paſcendi fuit tunc Petro commiſſus: Paſce; ſed idem eſt, Docete, &c. vt iam probaui. Et omnes Apoſtoli fuerunt paſtores, neque verùm eſt Petrum plùs accepiſſe, quàm perdiderat: Idem enim, quod promiſſum ei fuerat, accepit: & ſi quid amiſerat, illud ſolùm recuperauit. Quæ omnia iam sũt à nobis probata, & explicata.]

Cyprian. in Conc. Carthag.

Sed primùm quod ad auctorem attinet; Spalat. cum Eraſmo lis eſt, qui falſus iudicij, hunc Arnobium putauit, illum eſſe antiquiſſimum Arnobium Lactantij præceptorem, qui Imperij Romani habenas moderante Diocletiano floruit. Nos, qui fidem Eraſmi non ſequimur, hallucinatum eum dicimus, ac ſequioris ſæculi ſcriptorem hunc facimus Arnobium, virum tamen doctrina ſingulari, & Orthodoxa pietate. Quod verò ei Cyprianum opponit, qui Epiſcopum Epiſcoporum non admittat, hoc certè limatiſſimi eius iudicij, indicium eſt. Cyprianus, vt ſuo loco oſtendetur, Epiſcopum Epiſcoporum in Aphrica non admittit; Ergo in Eccleſia non agnoſcit! quàm inconſequenter! quaſi verò Eccleſia Carthaginenſis, aut alia Aphricana ſit cùm Romana conferenda? *Diſtat, diſtat*, mi Spalatenſis, *Cathedrarum gratia*, vt loquitur Auguſtinus, nec vllus, eodem teſte, dubitauit vmquam *illum Petri Apoſtolatum principatus cuilibet Epiſcopatui eſſe preferendum*. Vt ergo in Africa, Epiſcopus Epiſcoporum nullus fuerit! (quamquam primas Aphricæ, adeòque omnium Aphricanorum Antiſtitum caput, ipſe Cyprianus pro iure ſcilicet Carthaginenſis Epiſcopi audierit) proindè non ſequitur, Eccleſiæ Romanæ Pontificem Epiſcoporum Epiſcopum non fuiſſe à Cypriano habitum. Maximè cùm Tertullianus, quem Magiſtrum vocitabat, hoc titulo, nolens, volens, Romanum Pontificem ornarit: ſed de hoc quoque titulo vberiùs poſteà. Reliqua ſunt à nobis ſuprà profligata.

Aug. li. 1. de Bapt cont. Don. cap. 1.

Sequitur Hieronymus, cuius os oblinire rurſùs conatur Spalatenſis, ſed eum vetamus in ore piiſſimi, doctiſſimi, & abſtinentiſſimi viri quidquam ponere, quod temetum redoleat; Emaculatiſſimum ſcilicet locum, non ſolùm inquinare, ſed etiam inficere eſt conatus. [Hieronymus, inquit, licèt expreſsè dixerit Eccleſiæ fortitudinem, ex æquo ſuper omnes Apoſtolos ſolidari; quia tamen idem ibidem ſubdit, Petrum electum in caput; locum hunc Monarchici pro Petri primatu iactant plurimùm. Sed myſticam ibi à Hieronymo illis verbis exprimi vnitatem; ſatis ſuprà docui. Pergit tamen Hieronymus; Sed cur non Ioannes electus eſt virgo? Ætati delatum eſt, quia Petrus ſenior erat, ne adhuc adoleſcens, ac penè puer, progreſsæ ætatis hominibus præferretur. Prælatus ergo,] inquit, noſtrorum argumentum retexens, [Petrus eſt, ſaltem Ioanni: ſi Ioanni, ergo, & Apoſtolis, vt vulut Echius. Prefertur ſanè Petrus, & Ioanni, & cæteris in eo tantùm, quod Petrus, & non Ioannes, aut alius aſſumptus fuerit in caput myſticè, & figuraliter dumtaxat, ac typum, & ſymbolum vnitatis. Obijcies, verba Hieronymi hæc eſſe; Ne hominibus

Spalat. Num. 20.

Hier. li. 1. in Iouin.

Supra cap. 7. num. 21.

Ech. li. 1. de prim. Petri cap. 3.

nibus penè puer præferretur. Ergo Petrus prælatus eſt hominibus: quod non ſignificat, eum eſſe præ alijs aſſumptum in typum, ſed verè præfectum, & in ſuperiorem deputatum. Reſpondeo, præfectum fuiſſe primatu primogeniti, primi Apoſtoli, & dignitate ſuprà alios; non auctoritate, & iuriſdictione, aut poteſtate in alios: ſemper tamen in figuram, & typum. vt ſchiſmatis, inquit idem Hieronymus, occaſio tolleretur. Hic ille Hieronymus eſt, qui dixit, vt Plato fuit princeps Philoſophorum, ita Petrus fuit Apoſtolorum. Ecce tibi, in quo ſenſu Hieronymus fecerit Petrum caput Apoſtolorum; in eo enim caput eſt, in quo princeps.] Sed immane, quàm ab Hieronymi ſcopo aberrat? Certè non viri ſanctiſſimi, & doctiſſimi ſenſum, ſed ſua inſomnia perſequitur. In verbis igitur Hieronymi hæc ſunt obſeruanda; cùm magnus vir virginitati, quam violare, euertere, ac de gradu deijcere tentaret impurus Iouinianus, impenſiùs faueret, eam ab amore Chriſti in Ioannem virginem commendandam, ac illuſtrandam duxit:

Hier. adu. Pelag. lib. 1.

Primùm igitur hoc telo petit aduerſarium. Præſtantiori quodam amoris affectu, inclinauit Chriſtus in Ioannem, quàm in quemcumque alium Apoſtolum, quòd is virgo eſſet; ſignum eſt itaque, maiore in pretio eſſe Deo virgines, ac cœlibes, quàm coniugatos. Excipit Iouinianus, negatque Ioannem virginem; cur ergo chariſſimus Chriſto fuerit, longèque plùs cæteris diſcipulis amatus, quærit Hieronymus? Petrum longè chariorem excipit hæreticus, eiuſque rei probationem affert, *Quòd non Ioannes, ſed Petrus à Chriſto electus ſit, cui Eccleſiæ moles, tamquam fundamento imponeretur.* Argumentum hoc modò diluit Hieronymus: *Ex æquo ſuper omnes Apoſtolos Eccleſiæ fortitudinem ſolidari*, ac proinde *Apoſtolatus dignitate*, pares eſſe importuno aduerſariò reſpondet, atque eo quidem reſpectu alteri alterum non præſtare, ſcilicet in illo eſſentiali munere Apoſtolatus. Admittit tamen alia ratione pares non fuiſſe cum vnitatis Eccleſiaſticæ bono, ex duodecim æqualium numero, vnum Petrum elegerit Chriſtus, qui gubernacula tractaret, *vt ſcilicet capite conſtituto, ſchiſmatis tolleretur occaſio.* Id cum pro ſe arriperet Iouinianus, ac quæreret, *Cur non Ioannes virgo,* ſi modò virginitatis matrimonio præſtabat, *eſſet electus*:

Reſpondet Hieronymus; *Ætati delatum, quia Petrus ſenior erat, ne adhuc adoleſcens, ac penè puer progreſſæ ætatis hominibus præferretur, &c.* Itaque ex teſtimonio Hieronymi habemus vnum Petrum *ex duodecim electum, qui caput eſſet Apoſtolorum*: Atqui ſi tum eſt à Chriſto electus, cùm omnes eſſent Apoſtoli renunciati, eodemque gradu honoris potirentur, proculdubiò non iam ratione ætatis, aut prioris vocationis, quod ad nauſeam vſque inculcat importunus iſte aduerſarius, eſt caput Apoſtolorum declaratus. Muneris ergo crediti Petro hanc rationem affert, *Vt ſchiſmatis tollatur occaſio.* Non igitur typus, & ſimulachrum tantum fuit vnitatis, ſed & eius vinculum, & nexus, neque nomine tantùm, ſed reipſa eam poteſtatem, & auctoritatem eſt conſequutus, quæ tollendo ſchiſmati par omninò eſſet. Neque enim in typo, ſed reipſa profliganda fuere, ac ex tota Eccleſia exterminanda ſchiſmata. Addit Hieronymus, Petro hunc honorem potiùs habitum, quàm Ioanni, quod non deceret eum, *Qui penè puer eſſet, hominibus præferri*; Proptereàque illum, qui prouectior eſſet ætate, electum. Igitur eius ſententia, illud, quo Petrus præ adoleſcente ornabatur, res erat ab ætatis dignitate diſtincta. Si enim conſtitutum eſſet Hieronymo, Petrum ſolius ætatis intuitu, & vocationis caput eſſe Eccleſiæ, an non planè imprudenter, & ſtultè diſputaret, quare non potiùs Ioannes eſſet electus, vt ſcilicet *ætate, aut vocatione* Petrum anteuerteret? Itaque concidit illa moles ineptiarum, quas in hanc diſputationem coniecit aduerſarius. Namque vt abſoluamus, ad *tollendum ſchiſma,* planè requiritur, auctoritas, iuriſdictio, & poteſtas in eos, qui turbas ciere poſſunt, ac tumultus in Eccleſia concitare.

Locum Hieronymi illuſtrabat Aurelius Caſſiodorus: [Sanè Dominus Ioanni prætulit Petrum, nec affectum ſubtraxit diſcipulo, quem diligebat, Petro conferens principatum; Claues regni cœlorum Petro contulit, vt cælum aperiret, & clauderet: Ioanni verò nobis aperiendi ſua arcana pectoris facilitatem reſerauit. Petro commiſit curam, & regimen Eccleſiæ ſuæ: Ioanni verò curam, & cuſtodiam matris ſuæ. Petrus ergo ſublimior: ſed Ioannes certior. Non audet Petrus inquirere à Domino, quis eum traderet: Ioannes autem, innuente Petro; (quod princeps Apoſtolorum inquirere verebatur) confidenter interrogat. At, inquit Spalatenſis, hic ille Hieronymus eſt, qui dixit, vt Plato fuit princeps Philoſophorum, ita Petrus fuit princeps Apoſtolorum: Ecce tibi, inquit, in quo ſenſu Hieronymus fecerit Petrum caput Apoſtolorum, in eo enim caput eſt, in quo princeps.] Breuiter ſcilicet pro edictorum ratione.

Aurelius Caſſiodorus libro de amicitia capite: quali diſcretione benefaciẽdi ſunt amici.

Quid igitur! Hieronymus tam demiſsè de Petri primatu ſenſerit? Non perſuadebis. Cuius enim eſt imago hæc, & ſuperſcriptio eius, *Beatitudini tuæ, id eſt, Cathedræ Petri communione conſocior; ſuper illam petram ædificatum Eccleſiam ſcio. Quicumque extrà hanc domum agnum comederit, prophanus eſt. Si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluuio. Et quia pro meis facinoribus ad eam ſolitudinem commigraui, quæ Syriam iuncto Barbariæ fine diſterminat, nec poſſum ſanctum Domini, tot interiacentibus ſpatijs, à ſanctimonia tua ſemper expetere, ideò hìc collegas tuos Ægyptios confeſſores ſequor, & ſub onerarijs nauibus parua nauicula deliteſco. Non noui Vitalem, Miletium reſpuo, ignoro Paulinum: Quicunque tecum non colligit, ſpargit, hoc eſt, qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt.*

Hier. ep. 57. ad Damaſ.

Ad locum ex Dialogis aduerſùs Pelagianos, reſpondeo, debuiſſe integrum proferri, ſi bona fide agendum ſibi ſtatuerat Spalatenſis: ita igitur habet, [Vt ille (Plato) Princeps Philoſophorum, ita hic Apoſtolorum fuit, ſuper quem (audiſne bone vir) Eccleſia Domini ſtabili mole fundata eſt, quæ nec impetu fluminis, nec vlla tempeſtate concutitur.] Non ergo querimur hæc verba ex Critobulo, qui Pelagianorum perſonam ſuſtineret, ac cauſam vehementiùs, additis etiam eloquentiæ floſculis, propugnaret, officina eſſe de-

Dial. 1.

prom-

prompta, cui propterea ab orthodoxo ſit obiectum eum rhetoricatum, cùm hæc eloqueretur. Pura puta verba Hieronymi eſſe fatemur, ſed impensè nobis fauent, ſi modò ex mente tanti doctoris æſtimentur. Hic enim, cùm de dogmate fidei ageretur, Paulum, & Petrum adducit,& Paulum quidem cum Ariſtotele, Petrum verò confert cum Platone, quem pro principe haberent philoſophorum Scholæ. Atque hoc poſtremum addit, *vt Plato, &c.* certè vt dignitatem Petri illuſtraret, & ſummam eius auctoritatem ſuprà reliquos Apoſtolos oſtenderet, Si enim de ſola doctrinæ prerogatiua contendit, cur hoc de Paulo non dixit, quem ſexcentis locis longè Petro doctiorem facit? Sed demus totum locum de doctrina intelligendum, fueritque huius reſpectu Petrus inter Apoſtolos idem, quod Plato inter Philoſophos; An propterea eius primatus euertitur? Non potuit poteſtate antecelluiſſe, qui doſtrina princeps eſſet; Hæc nimiùm abſunt à mente Hieronymi, quem de poteſtate loquutum euincunt illa de Eccleſia ſuper eum, tamquam *ſuper firmam petram* fundata, ab ipſo inducta.

Spalat. Num. 21. Auguſt. in Pſal. 108. Auguſtinus iam aduocatur,[Auguſtinus, inquit, qui nihil illuſtre in Petro per ſe in propria perſona ſumpto agnouit, niſi id ad totam Eccleſiam referretur, cuius figuram in omnibus maioris momenti rebus ipſum ſemper geſtare contendit, non poteſt, niſi ipſe ſibi repugnet, Petri ſupremum vſque aſſerere principatum. Nihilominùs videtur interdùm aliquid in hoc genere proferre, vt dum ait, Ecce vbi commemorat Cyprianus, quod etiam nos in Scripturis ſanctis didicimus, Apoſtolum Petrum, in quo primatus Apoſtolorum tam excellenti gratia præeminet, &c.

Aug. l. 2. de bapt. contr. Donat. c. 1. Reputat Auguſtinus excellentem gratiam in Petro, quòd primus fuerit admiſſus in Apoſtolatum, & hinc præeminentiam habuerit; ex hoc enim primatu ſequutum eſt, quod ſæpiùs idem tradidit Auguſtinus, vt figuram totius Eccleſiæ ſemper geſtauerit; quem alibi dicit. In primatu Apoſtolorum Martyrij gloria conatum eſſe. Addit tamen priori loco Auguſtinus. Puto, quòd ſine vlla ſui contumelia Cyprianus Epiſcopus Petro Apoſtolo comparatur, quantum attinet ad martyrij gloriam. Cæterùm magis vereri debeo, ne in Petrum contumelioſus exiſtam. Quis enim neſcit, illum Apoſtolatus principatum cuilibet Epiſcopatui præferendum? Sed & ſi diſtat Cathedrarum gratia, vna eſt tamen martyrum gloria.]

Idem lib. 7. de bapt. c. 1. Idem lib. 2. de bapt. c. 1.

Hæc tam clara, tam aperta, tam illuſtria pro primatu petri teſtimonia obſcurare nititur, & pio lectori tenebras offundere, vt ſibi ſummum doctorem vindicet. [Hunc locum, inquit, Auguſtini tractans Bellarminus, ſic loquitur. Obſeruandum hoc loco eſt, multùm omninò ex ſententia Auguſtini Petri Cathedram præſtare particularium Epiſcoporum Cathedris: cùm veritus, ſit ne contumeliam Petro videretur facere, ſi cum eo compararet Cyprianum; qui tamen non ſolùm Epiſcopus, ſed etiam primas erat totius Aphricæ. Ego verò, inquit, multùm omninò obſeruo ex ſententia Auguſtini, non Petri Cathedram, præſertim ſi quis Romanam intelligat; ſed Petri Apoſtolatum, ſiue, vt loquitur Auguſtinus, principatum Apoſtolatus, particularium Epiſcoporum Cathedris præſtare. Si enim quicumque Apoſtolatus excedit poteſtate quamcumque particularem Cathedram, cùm Apoſtolus quilibet in toto mundo poſſit ſuum Apoſtolatum exercere, quod Epiſcopi iam non poſſunt, niſi in limitatis Diœceſibus, ſiue prouincijs, aut regnis: quantò magis primi, & præcipui Apoſtoli, aliorum pluribus nominibus principis Apoſtolatus, ſingularem quamcunque cathedram excedet? Quod ſi nomine Cathedræ Petri intelligat ipſius Apoſtolatus poteſtatem, nihil de Romana Eccleſia dictum erit; Latiùs enim extendit ſe Petri, & cuiuſcunque Apoſtoli Apoſtolatus, vt ſuprà, & ſequenti ſecundo libro oſtendam, quàm Romana, aut quæcumque alia Cathedra Epiſcopalis.] At repugnat Auguſtinus, ſeque de Cathedra Eccleſiæ Romanæ, in qua ſederit Petrus, cuique Cathedrarum omnium principatum tribuerit, loqui omninò ſignificat. [Quis enim, inquit, neſcit illius Apoſtolatus principatum cuilibet Epiſcopatui præferendum, ſed etſi diſtat (audi, diſtat de præſenti) Cathedrarum gratia, vna eſt tamen matyrij gloria.] Igitur Cathedram cum Cathedra contulit,& Romanam quippè, cui inſediſſet Apoſtolorum princeps, Carthaginenſi planè prætulit:

Bellar. lib. 1. de Roman. Pont. ca 25.

Sup. cap. 8. nu. 5 & hoc c. 10 nu. 16.

At vt hæc Spalatenſis contumaciam non frangant, quid faciet eidem Auguſtino cauſam ligitimi Epiſcopi Carthaginenſis aduersùs nefarios Donatiſtas propugnanti. [Erat, inquit, tranſmarinis vicina regionibus, & fama celeberrima nobilis, Carthago, vndè non mediocris auctoritatis habebat Epiſcopum Cæcilianum, qui poſſet non curare conſpirantem inimicorum multitudinem, cùm ſe videret, & Romanæ Eccleſiæ, in qua ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguit principatus, & cæteris terris, vndè Euangelium ad ipſam Aphricam venit, per communicatorias literas eſſe coniunctum, vbi paratus eſſet cauſam ſuam dicere, ſi aduerſarij eius ab eo illas Eccleſias alienare conarentur.] Vides, vt Auguſtinus principatum Apoſtolicæ Cathedræ ad ſua vſque tempora in Romana Eccleſia floruiſſe aſſeueret. Id verò ad Apoſtolatum perſonalem, vocat Spalatenſis, Petri, qui cum ipſo interierit, referri non poteſt. Hinc ſcilicet perpetuò Romanam Eccleſiam, ſedem Apoſtolicam, atque ſedem Petri Apoſtoli, vocat, vt eius ſententia perſpicuum ſit, [Eccleſiam Romanam à Petro fundatam, omnium Eccleſiarum principem eſſe.] Sed hæc vberius poſtea tractabuntur.

Aug. ep. 162.

Obijcit Spalatenſis eundem Auguſtinump oſteà paululum immutaſſe ſententiam, ac præcedentia ſic extuliſſe, [Noc ideò tamen quiſquam nunc in Eccleſia quantùmlibet profecerit, Petri Apoſtolatui conferendus eſt. Vbi (inquit Spalatenſis) ſanè idem dicit, & tamen nullam Cathedræ mentionem facit, quam tamen vocem Cathedræ ſubdolè inſeruit Bellarminus.]

Aug. de bapt. contr. Donat. li. 6. cap 2.

Bellar. li. 1. cap. 25.

Mirus eſt impoſtor, & præſtigiator, Spalatenſis, cuius hic eſt viſus fruſtratus, ac oculi decepti, cum alios fallere ſtatuiſſet; nec enim toto cap. 25. libri 1. quem profert, meminit huius poſterioris loci Bellarminus, ſed duntaxat priorem verſat, in quo Cathedræ Petri ex-

expreſſa mentio habetur. Cœterùm, quòd Cathedræ, poſteriore loco non meminerit Auguſtinus, id certè fecit, quòd de omnibus omninò Chriſtianis, nec priuatim de Epiſcopis loqueretur. Auguſt. de bapt. contr. Donat. l. 6. cap. 2. *Non ſolùm itaque*, inquit, *malos Catholicos nullo modo comparamus, ſed nec bonos facilè coæquamus B. Cypriano*. Quod verò obijci poſſet, *erraſſe Cyprianum*, Reſpondet Auguſtinus, hoc eius ſanctitati non officere, quòd *vt minùs aliquid viderit, in vnitate tamen firmiſſimè permanſerit*; idque exemplo Petri probat, qui etiam ſi aliquando fecerit, quod non debuit, non ſolùm Phariſæi comparandi ei non eſſent, ſed nec quiſquam alius, Idem ibid. *Neque enim Phariſæi*, inquit, *cæci, quamuis dicentes aliquandò, quod fieri debeat, comparandi erant Apoſtolo Petro, quamuis dicenti aliquandò, quod fieri non debeat. Non ſolùm autem iſtorum ariditas illius viriditati conferenda non eſt, ſed nec aliorum fructus illius vbertati adæquandus eſt.* Gal 2. *Gentes enim nemo iudaizare nunc cogit, nec ideò tamen quiſquam nunc in Eccleſia quamtùmlibet profecerit, Petri Apoſtolatui conferendus eſt*. Itaque cùm omnes omninò Chriſtianos, quamtumuis perfectos, cum Petro conferendos non eſſe, oſtendere eſſet illi conſtitutum, non fuit neceſſe, Cathedræ, quam alibi expreſſiſſet, meminiſſe.

At verò hìc quoque multa alia habet Spalat. animaduerſione digna, ſed cenſuram præripuit nobis, iſtaque occupauit doctiſſimus Becanus, qui hìc aduerſarium conficit; Lubet pauca ad verbum tranſcribere, ne ſapientiſſimus, & eruditiſſimus Pater, ſuo labore per nos fraudetur.

Is igitur in reſponſione Spalatenſis ad teſtimonia Auguſtini multa aduertit non ſolùm abſurda, ſed etiam contradictionis plena. Becan. cont. Marc. Ant. pag. 108. & ſeq. [Hac reſponſione, inquit, Spalatenſem compellans, teipſum iugulas. Primò, quia concedis, Petrum poteſtate Eccleſiaſtica (de hac enim ſermo eſt) excedere Cyprianum, & omnes alios Epiſcopos Eccleſiarum particularium. Maior igitur ex tua conceſſione eſt poteſtas Eccleſiaſtica in Petro, quàm in alijs Epiſcopis; At hoc eſt, quod nos contendimus.

Secundò concedis, eundem Petrum poteſtate Eccleſiaſtica excedere alios Apoſtolos: Sic enim argumentaris; Si alij Apoſtoli poteſtate Eccleſiaſtica excedunt Epiſcopos; Ergo multò magis Petrus. Quæ conſequentia non valeret, niſi Petrus eadem poteſtate excederet alios Apoſtolos. Sicut patet in ſimili exemplo; Nam qui ſic infert; Si aer excedit calore terram, & aquam, ergo multò magis ignis; ſine dubio ſupponit, ignem habere plus caloris, quàm aerem. At hunc exceſſum poteſtatis in Petro nos vrgemus. Si ergo illum cõcedis, non nobis, ſed tibi contrarius es.

Tertiò affirmas quemlibet Apoſtolum Eccleſiaſtica poteſtate excedere quemlibet Epiſcopum, cùm quilibet Apoſtolus in toto mundo poſſit ſuum Apoſtolatum exercere, quod Epiſcopus non poteſt, niſi in limitato regno, aut prouincia. At alibi contrarium aſſeris, nempè Apoſtolos, & Epiſcopos in poteſtate, & iuriſdictione æquales eſſe; Et non differre, niſi accidente. Sic enim ſcribis lib. 2. cap. 1. num. 3. Quoſcumque igitur Apoſtoli eligebant, & ad Eccleſias regendas mittebant, ij proculdubiò, parem cum ipſis Apoſtolis poteſtatem accipiebant, ſi vim ipſam inſtitutionis ſpectemus. Et ibid. n. 5. Neque ego inuenio inter verum Apoſtolum, & Epiſcopum aliud diſcrimen, niſi quòd Apoſtolus ſit, qui Chriſtum prædicat tamquam teſtis oculatus ab ipſomet Chriſto immediatè miſſus, Epiſcopus verò ſit, qui eundem prædicat, vt teſtis inſtructus, & fide illuminatus, ac miſſus à Chriſti miniſtris. Et iterùm num. 7. in fine. Apoſtoli, dum alios ad fundandas, vel regendas Eccleſias mittebant, eos ad Epiſcopatum euehebant, totumque ipſorum officium cum tota poteſtate miniſteriali eis committebant; Vna illa propria perſonali dignitate excepta, quod eſſent teſtes oculati vitæ, & Reſurrectionis Chriſti; ab eoque immediatè vocati, & miſſi ad Euangelizandum. Vides, opinor contradictionem in hac duplici tua aſſertione. Vna, Apoſtoli excedunt poteſtate Epiſcopos: Altera, Epiſcopi ab Apoſtolis parem poteſtatem accipiebant. Vel Apoſtoli Epiſcopis à ſe miſſis committebant totum ſuum officium cum tota poteſtate.

Reſpondebis fortè, vtramque veram eſſe diuerſo ſenſu. Apoſtolos enim, & Epiſcopos habere parem poteſtatem in habitu; non tamen parem in actu; igitur priorem aſſertionem veram eſſe de poteſtate in habitu.

Sed hanc ipſam reſponſionẽ tu ipſe euertis. Nam lib. 2. c. 5. n. 26. ſic habes. Prædicandi poteſtatem in toto terrarum orbe, ſicut Apoſtoli non habebant, niſi habitu: Actu verò ibi, vbi iam inter ſe conuenerant, ſeu vbi eos Spiritus ſanctus eſſe volebat; Ita Epiſcopi habitu habent eandem vniuerſalem poteſtatem iure diuino, eo ipſo, quo ſunt facti ritè Epiſcopi; actu tamen non ſunt Epiſcopi, niſi ſuę particularis Eccleſiæ, in qua illos Spiritus ſanctus poſuit. Et ibidem. Ita, & iuriſdictio in habitu eſt vniuerſalis iure diuino in vno quoque Epiſcopo: in actu verò non eſt, niſi particularis, ſicut erat etiam in Apoſtolis. Hìc planè idem ſtatuis de Epiſcopis, & Apoſtolis; tum quò ad poteſtatem, & iuriſdictionem in habitu, quæ in vtriſque vniuerſalis, & illimitata eſt, tum quò ad poteſtatem, & iuriſdictionem in actu, quæ in vtriſque particularis, & limitata eſt. Nihil ergo diſcernis. Manet igitur vera contradictio, quam poſui. Addo, ex tuis verbis manifeſtè colligi duo alia abſurda. Vnum eſt, Paulum nec Apoſtolum fuiſſe, nec Epiſcopum. Non Apoſtolum, quia non fuit oculatus teſtis vitę, & Reſurrectionis Chriſti. Nec Epiſcopum, quia non eſt immediatè miſſus à miniſtris Chriſti, ſed ab ipſo Chriſto. Alterum, aliquos Epiſcopos habere maiorem poteſtatem, & iuriſdictionem, quàm Apoſtolos, ſi non in habitu, ſaltem in actu. Nam Apoſtoli, vt iam dixiſti, non habebant iuriſdictionem in actu, niſi particularem, & limitatam. At aliqui Epiſcopi habent indifferentem, & non limitatam, vt fateris lib. 2. cap. 1. num. 11. his verbis. Quicumque ab Apoſtolis Epiſcopi fiebant, ij eandem cum ipſis Apoſtolis in ſolidum auctoritatem accipiebant; & ſanè vniuerſalem in habitu, & illimitatam; in actu verò aliqui indifferentèr, quòcumque eos Spiritus ſanctus, aut Apoſtoli dirigebant, terrarum orbem circumibant: alij verò certis locis conſiſtere iubebantur. Hic diſtinguis inter

ter

ter Epiſcopos; Aliqui habent poteſtatem in actu limitatam ad certum locum; alij indifferentèr ad totum orbem terrarum. At Apoſtoli ex tua ſententia non habebant, niſi particularem. Minùs igitur habebant, quàm aliqui Epiſcopi ab ipſis ordinati, & miſſi.] Hactenùs Becanus.

Reuertamur ad Spalatenſem, alium Auguſtini locum à noſtris pro primatu Petri
Eod. num. 15. adductum, expendentem. [Alium prætereà locum, inquit, proferunt Auguſtini, vbi ait, Totius corporis morbum in ipſo capite curat Eccleſiæ, in ipſo vertice componit membrorum omnium ſanitatem.]

Addit Spalatenſis: [Caput, & Verticem Apoſtolorum, non renueret, puto, Auguſtinus, vocare Petrum, quia fuit primus, & præſes Collegij Apoſtolici; dignitate, non poteſtate; Sed caput, & verticem Eccleſiæ, Auguſtinus verò, niſi caput, & ipſe haberet morbidum, & ſanandum, numquam vocaret Petrum: qui nihil illuſtre in Petro agnoſcit, niſi vbi ſit ipſe figura Eccleſiæ. Sermonem itaque illum Auguſtinus numquam agnoſcet ſuum. Multò minùs ſanum caput habuit, qui libellum de vera, & falſa pœnitentia Auguſtino appinxit; in quo inter alia putida, ſimilitèr Petrus vocatur caput Eccleſiæ poſt Domini
Idem de vera, & falſa pœn. c. 3. ni Aſcenſionem. Afferunt prætereà dictum quoddam ex opere, quod tribuitur Auguſtino, quæſtionum veteris, & noui Teſtamenti q. 75. quod ſic habet: Sicut in Saluatore erant omnes cauſæ magiſterij, ita & poſt Saluatorem in Petro omnes continentur, ipſum enim conſtituit caput eorum, vt paſtor eſſet gregis Dominici. Hoc dictum huc vſque extenſum nos ſuprà expoſuimus. Addit tamen idem author ibidem: Manifeſtum eſt in Petro omnes contineri; rogans enim pro Petro, pro omnibus rogaſſe dignoſcitur. Semper enim in præpoſito populus, aut corripitur, aut laudatur. In doctrina Auguſtini hæc de Petro
Sup. cap. 9. num 6. exponenda ſunt, quatenus Petrus typus eſſet, & figura omnium Prælatorum, & in ſolum
De baptiſ. lib. 5. c. 23. vnitatis myſterium cæteris præpoſitus.] At Elleboro purgandus omninò eſt, qui non meminerit, Auguſtinum in laudibus Stephani Pontificis ponere, quod ad illa, quæ non rectè ſcripſerat Cyprianus, nedùm *non conſenſerit, verùm etiam contra ſcripſerit, ac præceperit*; qui non meminerit, Auguſtinum, in *Eccle-*
Epiſt. 162. *ſia Romana* (ſede ſcilicèt Petri) *ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguiſſe Principatum*, ſcripſiſſe; qui non meminerit ſucceſſoris Petri au-
Epiſt. 92. ctoritatem *de ſanctarum ſcripturarum auctoritate depromptam*, plùs ponderis, etiam apud hæreticos habituram, pronunciaſſe, quàm *ipſa prouinciarum Concilia*: Qui enim potuit Stephanus præcipere contra Cyprianum tot Epiſcoporum fretum præſidio, ſi caput non fuit, & princeps Epiſcoporum, quà Petri ſucceſſor? qua ratione quoque *in Eccleſia Romana ſemper viguit Principatus Cathedræ Apoſtolicæ*, ſi Petrus numquam caput Eccleſiæ fuit? Quomodo eſt auctoritas Pontificum Romanorum *ex auctoritate ſcripturarum depropta*, ſi nuſquam appareat eam poteſtatem fuiſſe Petro conceſſam? Certè quod attinet ad nomen Capitis, extat in ep. 86. Auguſtini: *Petrus etiam*, inquit, *Apoſtolorum Caput, cæli ianitor, & Eccleſiæ fundamentum, extincto Simone, qui fuerat diaboli, non niſi ieiunio vincendi figura, idipſum Romanos edocuit, quorum fides annunciatur vniuerſo orbi terrarum.* Hìc non de dignitate, ſed de poteſtate agitur, cùm ieiunium Sabbathi, auctoritate Petri indictum Eccleſiæ, prædicaret Vrbicus ille, cuius argumentum retexit Auguſtinus, ac prætereà illa adduntur, quæ poteſtatem ſpirent, *Ianitor enim cæli, & fundamentum Eccleſiæ* eodem loco vtatur Petrus, vt ſignificetur caput fuiſſe propter coniunctam cum primatu poteſtatem.

Itaque niſi aliæ ſubeſſent cauſæ expungendi ex albo operum Auguſtini, & ſermonem illum, & libellum [de vera, & falſa pœnitentia, quàm quòd caput Eccleſiæ etiam poſt Aſcenſionem, Petrum] nuncupant, imperitum cenſorem hìc ageret Spalatenſis. Sed ſpuria non defendimus, tantummodò hominis vanitatem notamus, qui, Auguſtino indignam, pronunciet doctrinam à Hieronymo, Cyrillo, Gregorio Nazianzeno, & Optato, traditam.

Auctorem quæſtionum veteris, & noui Teſtamenti, qui tamen Auguſtinus non eſt, licèt Auguſtino fortaſsè etiam antiquior, ad amuſſim interpretationum, quibus vim intulit Auguſtino, exigit Spalatenſis. Sed audiatur, & euaneſcent illæ nebulæ. [Afferunt, inquit, dictum quoddam ex opere, quod tribuitur Auguſtino, quæſtionum veteris, & noui teſtamenti q. 75. Quod ſic habet; Sicut in Saluatore erant omnes cauſæ Magiſterij, ita & poſt Saluatorem in Petro omnes continentur; ipſum enim conſtituit caput eorum, vt paſtor eſſet gregis Dominici. Hoc dictum hucuſque extenſum nos ſuprà expoſuimus.

Addit tamen idem auctor ibidem: Manifeſtum eſt in Petro omnes contineri; rogans enim pro Petro, pro omnibus rogaſſe dignoſcitur. Semper enim in præpoſito populus, aut corripitur, aut laudatur. In doctrina Auguſtini hæc de Petro exponenda ſunt, quatenùs Petrus typus eſſet, & figura omnium Prælatorum, & in ſolum vnitatis myſterium cæteris præpoſitus. Sed nihil de typo, & figura prælatorum. Caput, & paſtorem gregis Dominici, in *quo poſt Saluatorem contineantur omnes cauſæ Magiſterij*, agnoſcit Petrum non omninò malus auctor.

Pigeret referre Leonem, quem aduerſarij maledictis perpetuò inceſſunt, quòd Pontificatus *fimbrias dilatarit*, quem minimè audiendum in propria cauſa clamitant, cuius pias voces *rugitum Leonis* vocant; ſed quando cò dementiæ progreſſus eſt Spalatenſis, vt vires ingenij periclitandas, in hoc quoque deformando, ac deprauando, dignum ſua fama crediderit, cogimur quaſi ſoli lucem inferre.

Principio autem vellicat ſapientiſſimum Spalat.
ſcriptorem Spalatenſis: [Leo, inquit, ſæpiùs Num. 12.
libentèr facundiam ſuam admirabilem in Pe- Leo ep. 93. ad Vienn.
tri primatum facilè permittit excurrere; & quamuis non raró, vt in ſuperioribus eſt oſtenſum Petrum præcipuum, & principalem faciat Apoſtolum, cui non quidem ſoli, ſed ſpecialiùs oues ſint commiſſæ, nihilò minùs tamen interdùm etiam videtur, Petrum abſolutum facere Eccleſiæ principem, oratorio more, Petri dignitatem amplificando: Cumque Romanus eſſet Pontifex adhuc libentiùs, & faciliùs humanitate aliquid ſuggerente, id præ-

Leo ſerm. 3. de aſſumpt. ſua ad Pont.

præſtitit, quod in ſuæ dignitatis ornamentum redundaret, vt cùm dicit, Petrum in conſortium indiuiduę vnitatis aſſumptum à Chriſto petram nominatum, quę erat ipſe Chriſtus. Atqui ne quidem per ſomnium cogitauit Leo Petrum *vnum ex Trinitate facere*, & dictum ita molliuit ipſe Caſaubonus, vt hanc maculam abſterſerit, qua eum priores ſectarij aſperſerant: *Huiuſmodi ſententiæ*, inquit, *adeò maniſeſtè impiæ, & blaſphemæ, vel veniſſe vnquam ſancto viro Leoni in mentem, credat per me, qui volet, ego numquam in animum inducam, vt vel de eo ſuſpicer*: poſteà verò magna circuitione vſus, tandem exponit Leonem de coniunctione Petri paſtoris Eccleſiæ cum Chriſto, *non quatenùs eſt vna è tribus Sacroſanctæ Trinitatis perſonis, ſed quatenùs etiam ipſe, licèt diuerſo modo eſt Eccleſiæ paſtor*: Addit ſic quoque *eſſe duram locutionem*; ſed pace ſummi Grammatici dixerim, lubrica hac, atque ambagioſa coniectatione, opus non fuiſſe ad tuendam Leonis famam: Non enim ſcripſit Leo, Chriſtum aſſumpſiſſe Petrum in conſortium indiuiduæ Trinitatis, ratione *naturæ, eſſentiæ, aut ſubſtantiæ*, quod Sectarij ſomniant; ſed *participatione quadam nominis, & dignitatis*, quòd ſcilicèt Chriſtus eum voluerit *Petræ, & fundamenti* Eccleſiæ nomine ſecum, quamquam diſpari iure cenſeri. Hæc de mente ſunt Leonis. Sic enim ad illa verba, *Tu es Petrus*, Chriſtum cum Petro facit loquentem, *Cùm ego ſim inuiolabilis Petra, ego lapis angularis, qui facio vtraque vnum, ego fundamentum, præter quod nemo poteſt aliud ponere: tamen tu quoque Petra es, quia mea virtute ſolidaris, vt quæ mihi poteſtate ſunt propria, ſint tibi mecum participatione communia*. En conſortium Trinitatis, quod inuexit Leo de Petro agens.

Caſaubon. pag 435.

Serm. 3. de anniuer. die aſſumption. ſuæ.

Iam ad illuſtriora teſtimonia pro Petri primatu, nihil aliud reponit, quàm Petrum *ætate, vocatione, dignitate, familiaritate Chriſti, & quia fuit diligentior in fideles, fuiſſe præpoſitum, hoc eſt prælatum, ſiue antelatum reliquis*; hiſque ineptiſſimis commentis tutum ſe putat ab impetu Leonis; Sed hęc toties ſunt à nobis refutata, vt pudeat iam in his terendis operam ponere; Quod ait *de ætate, & vocatione*, aut falſum omninò eſt, aut incertum; Nam Andræam Petro ætate maiorem, adeòque etiam vocatione priorem, plerique Patres faciunt, Epiphanius, *Andreas*, inquit, *prior in Dominum incidit, quo Petrus erat ætate iunior*. Auctor commentariorum, qui Ambroſij nomine præferuntur: *Prior*, inquit, *ſecutus eſt Andreas Saluatorem, quàm Petrus; & tamen primatum non accepit Andreas, ſed Petrus*. Quod attinet ad familiaritatem cum Chriſto, hanc occupauit Ioannes: *Plùs*, ait Hieronymus de Ioanne, *amatur à Domino, & recumbit ſuper pectus Ieſu. Et quod Petrus, qui vxorem habuerat, interrogare non audet, illum rogat, vt interroget*. Gregorius Nazianzenus; *Ioannes* inquit, *impenſiùs amatur, & ſuprà pectus Ieſu requieſcit, &c.* Ac infrà. *Petrus aliquid percunctari cupit, & Ioannem capitis nutu proponit. Diligentiæ* laudem ſibi vindicauit Paulus, qui ſe *abundantiùs alijs laboraſſe* prædicat. Itaque reſtat dignitas, qua præ cæteris effulſiſſe admittimus, ſed hæc fuit cum ſumma auctoritate, ac poteſtate, coniuncta: quo nil poſſit eſſe illuſtriùs, accedente potiſſimum

Epiph. hær. 51.

Ad cap. 15. poſteriores ad Corinth. Lib. 1. adu. Iouinian. Greg Naz. orat. 26.

tum Chriſti inſtitutione, tum Petri ſanctitate, & præſtantia.

Hoc igitur ſibi voluit Leo omnibus locis, quos miſerè lacerat Spalatenſis. Ait primò: [De toto mundo vnus eligitur Petrus, qui & vniuerſarum gentium vocationi, & omnibus Apoſtolis, cunctiſque Eccleſiæ Patribus pręponatur; vt quamuis in populo Dei multi Sacerdotes ſint, multique Paſtores, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principalitèr regit, & Chriſtus. Ait ſecundò, Sed huius muneris Sacramentum ita Dominus ad omnium Apoſtolorum officium pertinere voluit, vt in Beatiſſimo Petro Apoſtolorum omnium ſummo, principalitèr collocaret. Tertiò; Magna diſpoſitione prouiſum eſt, ne omnes ſibi omnia vendicarent, ſed eſſent in ſingulis prouincijs ſinguli, quorum inter fratres haberetur prima ſententia; & rursùs quidam in maioribus vrbibus conſtituti ſolicitudinem ſuſciperent ampliorem per quos ad vnam Petri ſedem Vniuerſalis Eccleſiæ cura conflueret, & nihil vnquam à ſuo capite diſſideret. Quartò, Cùm enim beatiſſimus Petrus Apoſtolicum à Domino acceperit principatum, &c. Quintò, Oportet dilectionem tuam toto corde perſpicere, cuius Eccleſiæ gubernaculis te Dominus voluerit præſidere, & eius meminiſſe doctrinæ, quam præcipuus Apoſtolorum omnium beatiſſimus Petrus per totum mundum quidem vniformi prædicatione, ſed ſpeciali magiſterio in Antiochena, & Romana vrbe fundauit. Sextò; Quoniam, & inter beatiſſimos Apoſtolos in ſimilitudine honoris, fuit quædam diſcretio poteſtatis, & cùm omnium par eſſet electio, vni tamen datum eſt, vt cæteris præemineret.]

Eod. n. 21. Leo ſerm 3. aſſumpt. ſuæ ad Pont. Leo epiſt 93. ad Vienn. Leo ep. 84. ad Anaſtaſ. quæ tom. 1. epiſt. decret. Rom. Pont. par. 2. eſt 88.

Leo epiſt 7. tom. 1. par. 2. epiſt decr. Rom. Pont. Idem epiſt. 66 ad Max. Antiochen. Leo ep. 88.

Itaque etiam manus dare, & herbam porrigere cogitur Spalatenſis: [Interim tamen, inquit, Fateor Leonem Petri primatum ſuper totam Eccleſiam libentèr admittere: & fortaſsè eſſe primum, (hoc ſplendidum eſt mendacium, vt ſuo loco videbitur) qui Romanum Papatum ad Petri primatum reduxerit.] Quid ergo neceſſe fuit tot amfractus, & tot diffugia, quæſijſſe? Quid neceſſe fuit, barbarum tortorem, tot tormenta admouiſſe, vt contrariam ſententiam exprimeret, & ſenſum magni Patris ad ſuum errorem curuaret, ac inflecteret? Igitur fruſtrà, & Leonem, & ſeipſum torquet homo mirè inhumanus.

Maximum aliquantò molliùs excipit, Rhetoricatum cum dicit his verbis; [Quanti ergo meriti, inquit, apud Dominum ſuum Petrus erat, vt ei poſt nauiculæ paruæ remigium, totius Eccleſiæ gubernacula traderentur.] Illis quoque. [Hic eſt Petrus, cui Chriſtus aſcenſurus ad Patrem paſcendas ouiculas ſuas, oueſque commendat.] Excipit autem; [Illa priora conueniunt etiam Andreæ, & filijs Zebedæi: Iamque docuimus illa verba, Paſce oues meas, ſoli quidem Petro dicta, in omnibus tamen æquè verificata, & omnes Apoſtolos æquè gubernacula totius Eccleſiæ accepiſſe. Quia tamen ob myſterium ſoli Petro ſeorſim dicta fuerunt, hinc concionatores ſumunt locum amplificationis in Petri exaltationem. Sed ne quid nimis. Poſteriori itaque loco nihil noui habet Maximus, ſola recenſet verba Euangelij.] Illa priora, inquit, conueniunt etiam Au-

Spalat. Num. 23. Max. ſer. 3. de Apoſt.

dreæ, & filijs Zebedæi, Falſum falſiſſimum, vt quod addit, probaſſe ſe omnes Apoſtolos æquè gubernacula totius Eccleſiæ accepiſſe. Gubernacula Eccleſiæ non tractarunt filij Zebedæi, aut reliqui Apoſtoli, ea capitis auctoritate, qua præditum fuiſſe Petrum, eſt à nobis inuictiſſimis rationibus probatum: Neque hìc amplificatione vlla, quæ ſit concionum propria, vſus eſt Maximus, ſed exegit omnia ad amuſſim Scripturæ, cuius clariſſimis ſententiis oratio eius diſtinguitur, ac effloreſcit.

Spalat. Num. 24.

Greg. l. 4. epiſt. 32. & Hadr. epiſt. 5. tom. 2.

Gregorium, & Hadrianum Summos Pontifices neſcio, qua fronte proferat; Scilicet ei conſtitutum eſt, omnes omninò Patres torquere, ac veluti immani membrorum diſtractione deformare, ſed morem geramus importuno aduerſario, ac eos audiamus. [Gregorius, inquit, & cum ipſo Hadrianus ita loquitur: Cunctis Euangelium ſcientibus liquet, quòd beatiſſimo, & omnium Apoſtolorum principi Petro, Dominica voce totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt. Item; Ecce claues regni cœleſtis accepit, poteſtas ei ligandi, atque ſoluendi tribuitur: cura ei totius Eccleſiæ, & principatus tribuitur. Sed ibidem, Vbinam cura hæc totius Eccleſiæ fuerit Petro commiſſa. Idem Gregorius addit: Ipſi quippè dicitur, inquit, Petre amas me? Paſce oues meas: Ipſi dicitur, Ecce Sathanas expetijt cribrare vos ſicut triticum, & ego pro te rogaui Petre &c. Ipſi dicitur, Tu es Petrus &c. Et, Tibi dabo claues &c. Quæ omnia, inquit ille, quomodo intelligenda ſint, & quomodo, & quem primatum Petro tribuant, iam fusè eſt in præcedentibus explicatum; Etſi Petro totius Eccleſiæ cura eſt tributa, eadem etiam alijs Apoſtolis tributa eſt: & principatus in Eccleſia Petri eſt typicus tantùm, & figuralis: atque ad ſummum comparatiuus, quia plùs alijs vndecim prædicauit, & latiùs Euangelium extendit.] Atqui ſuprà oſtendimus, eſſe omnes iſtas hominis delirantis ineptias, quæ tenebras offundant clariſſimis ſcriptoribus, veri, non typici, primatus Petri rationes expendentibus, vt magni Apoſtoli auctoritatem, non ſuis laboribus partam, ſed Chriſti largitione conceſſam explicent.

Spalat. Num. 25. Beda hom. in Vigil. S. Andr. Id. hom. in feſt. SS. Pet. & Paul.

Succedit Beda, ex quo hæc profert. [Vidit, inquit, cordis ſimplicitatem, vidit animi ſublimitatem, cuius meritò cunctæ eſſet præferendus Eccleſiæ, & Ditauit eum vocabulo quod totius Eccleſiæ Præſuli congrueret.] Alibi. [Ideò, inquit, beatus Petrus, qui Chriſtum vera fide confeſſus, vero eſt amore ſecutus, ſpecialiter claues regni cœlorum, & principatum iudiciariæ poteſtatis accepit; vt omnes per orbem credentes intelligant, quia quicumque ab vnitate fidei, vel ſocietatis illius quolibet modo ſemetipſos ſegregant, tales nec vinculis peccatorum abſolui, nec ianuam poſſint Regni cœleſtis ingredi. Specialiter, inquit Beda, ſicut & ſupra Leo, excipit Spalatenſis, & hoc alios Apoſtolos non excludit à poteſtate iudiciaria, & clauium, quamuis Petrus principatum quendam, typicum intellige, & figuralem, præ cæteris obtinuerit.] Sed & ſanctiſſimum hunc virum Angliæ magnum decus torquet, ac deformat Spalatenſis, & quod ille ſpecialim de vero primatu Petri dicit, ad errorem ſuum de typico, & figuratiuo primatu magna iniquitate deflectit; ſed ſeipſum clariſſimè explicat Beda, pro quo fortaſsè Bezam intellexit, tantum abeſt à Bedæ mente vaniſſimum eius interpretamentum. Nos ſuprà ad amuſſim ſcriptorum Bedæ Petri ſummum principatum, qui in Eccleſia Romana eius ſententia perſeueraret, exegimus, eò lectorem remittimus. Theodorum Studitam etiam excruciat, ſed perſeuerat in tormentis confeſſio veritatis, *Quandoquidem Petro magno*, inquit, *Chriſtus Deus poſt claues regni cœlorum, paſtoralis etiam principatus contulit dignitatem, &c. Vt videlicet*, inquit, *eſſet Princeps, hoc eſt primus inter Paſtores*; Sed hæc omninò verum principatum exprimunt, vt & iſta eiuſdem ad Paſchalem PP. *Audi Apoſtolicum caput, à Deo electe, clauiger regni cœlorum, Petra fidei; ſupra quam fundata eſt Eccleſia Catholica.*

Apud Bar. to. 9 an. 809. n. 18.

Spalat. Num. 26. Bern. epiſt. 237.

Id. lib 2. de conſid. c. 8. Id. Ber. ſer. 1 in feſto SS. Pet. & Paul. Idem l. 2. de conſider.

Iam mellifluus Bernardus Religionis decus, ac deliciæ in hoc certamen vocatur. [Bernardus, inquit, de principatu Petri videtur planiùs locutus, & non ſemel, ait enim, Locus, in quo ſtas, terra ſancta eſt; Locus Petri eſt, locus principis Apoſtolorum, vbi ſteterunt pedes eius; locus illius eſt, quem conſtituit Dominus Dominum domus ſuæ, & principem omnis poſſeſſionis ſuę. Item, inſtar Domini gradiens ſuprà mare, vnicũ ſe Chriſti Vicarium deſignauit; qui non vni populo, ſed cunctis præeſſe deberet, ſiquidem aquæ multæ, populi multi. Item. Peccauit peccatum grande Petrus Apoſtolus, & fortaſſis, quo grandius nullum eſt; & tam velociſſimè, quàm facillimè veniam conſecutus eſt, & ſic, vt nihil de ſingularitate ſui Primatus amitteret. Item. Et fortè præſentes cæteri condiſcipuli erant, cùm committens vni, vnitatem omnibus commendaret in vno grege, & vno paſtore. Et poſt pauca. Denique Iacobus, qui videbatur columna Eccleſiæ, vna contentus eſt Hieroſolyma, Petro vniuerſitatem cedens. Et poſteà. Signum ſingularis Pontificij Petri, per quod non Nauem vnam, vt cæteri quiſque ſuam, ſed ſęculum ipſum ſuſceperit gubernandum.]

Audiamus iam ferreum cenſorem magno ſupercilio, tantum Doctorem Orthodoxorum quaſi familia ſubmouentem, ac in Paraſitorum circulos amandantem, ac ablegantem; *Bernardus*, inquit, *certè in illud incidit ſæculum, cùm iam Monarchia Eccleſiaſtica aliquas radices, ſed nondùm nimis altas fixerat, vt propterea non tam auctoritas Bernardi, quàm argumenta, & rationes ipſius ſint inſpicienda. His verò locis, aut ſenſus myſticos tantùm, & allegoricos, nihili in hoc negotio faciendos profert; aut aliqua ſupponit, quæ tamen parum habent firmitatis, & facilè ijs contraria ex diuinis Scripturis poſſunt elici; vt quod dicit de Iacobo: nam ſi is Apoſtolus erat, ſoli Hieroſolymæ vi ſui Apoſtolatus alligatus non fuit; & quod de cæteris aſſerit, quemque ſuam habuiſſe Eccleſiam, ſtare non poſſunt cum Euangelio; in quo omnibus Apoſtolis dictum eſt, Euntes docete omnes gentes*; Scilicet criminatores ſectarios ſequutus eſt parum ſincerus Antiſtes, qui Bernardum tenebris Ægyptiacis oppreſſum, Tyrannidem ſub Pontificatu Romano latentem, non planè agnouiſſe occlamant, Sed hos tenebriones nil

mora-

moramur; Iſte noſter primùm in Bernardo cauillatur, *eum ſenſus myſticos, & allegoricos proferre, qui nihili in hoc negotio faciendi ſint*: Atqui primùm, etſi efficax argumentum non ducatur ab allegorico ſenſu; Ipſa tamen allegoria ſenſum, & mentem auctoris promit, & explicat, vt proindè vi veritatis coactus exclamarit Caſaubonus, *ſic eſt, vt Baronius obſeruat; Exiſtimat S. Bernardus, Chriſtum, quando dixit Petro, Paſce oues meas, curam vniuerſæ Eccleſiæ illi, & ſucceſſoribus ipſius Epiſcopis Romanis commiſiſſe*. Contraria ſcripturæ, eum tradidiſſe (quod fortaſsè verecundior non dixiſſet Caſaubonus) aſſeuerat Spalatenſis; & illud de *Iacobo Apoſtolo ſolis Hieroſolymis alligato*, traducit tamquam Apoſtolicæ dignitati iniurium.

Exer. 16. p. 266.

At de hoc cauillo videro infrà. Certè hyſtoriæ Eccleſiaſticæ, & doctiſſimorum Patrum auctoritate nititur hæc aſſertio pijſſimi Bernardi. Locum, *Euntes, docete omnes gentes* expendimus, & de prædicatione verbi, ac Sacramentorum adminiſtratione, non de iuriſdictione regiminis, intelligendum vident omnes, qui modò aliquid vident.

Obierunt verò, ac luſtrarunt omnes terras Apoſtoli, ſi *collectiuè* ſpectentur, non ſi *diſtributiuè*; Neque propterea negauerimus ſingulos, vbiuis gentium ex officio Apoſtolatus poteſtatem habuiſſe prædicandi, ſed cùm id imbecillitas humana non pateretur, ſuas quiſque regiones, ita volente, ac negotio moderante Spiritu ſancto, ſortiri ſunt.

Spalat. num. 27.

Iam è tenebris in lucem effert Bernardum Spalatenſis. [Dixi tamen, inquit, nondùm admodùm altas (ò frontem) tempore Bernardi, fixas habuiſſe radices hanc Romanam Hieromonarchiam: Vndè & liberè Papæ Romano dicebat vir ſanctus, In criminibus, non in poſſeſſionibus poteſtas veſtra; quoniam propter illa, & non propter has accepiſtis claues &c. Item, Si ſapis, eris contentus menſura, quam tibi menſus eſt Deus; nam quod ampliùs eſt, à malo eſt. Diſce exemplo prophetico præeedere, non tam ad imperitandum, quàm ad factitandum quod tempus requirit. Diſce, ſarculo tibi opus eſſe non ſceptro. Et poſt pauca: Nam quid tibi aliud dimiſit ſanctus Apoſtolus? quod habeo, hoc tibi do; quid illud? vnum ſcio, non eſt aurum, neque argentum, cùm ipſe dicat. Argentum, & aurum non eſt mihi. Et poſt pauca rurſùm. Eſto, vt alia quacumque ratione hæc tibi vindices, ſed non Apoſtolico iure. Nec enim tibi ille dare, quod non habuit, potuit; Quod habuit, hoc dedit, ſolicitudinem, vt dixi, ſuper Eccleſias. Numquid dominationem? audi ipſum, non dominantes, ait, in clero, ſed forma facti gregis. Et ne dictum ſola humilitate putes, non etiam veritate, vox Domini eſt in Euangelio &c. Omitto multa, ait Spalatenſis, ſimilia Bernardi dicta opportunioribus locis afferenda. Etſi ergo in Petro aliquem primatum poſuerit hic ſanctus Abbas, maiorem, quàm antiquitas, Monarchiam tamen tam amplam, & latè patentem in ipſo Petro non agnouit; in Romanis tamen Pontificibus vſurpationem nonnullam ſentiebat, & abuſam. Hoc ſcilicet eſt, Margaritas pedibus inſtar lutulentæ ſuis proculcare. & fœdare. Suum illum olim diſcipulum Eugenium

Ber. l. 1. de conſid. c. 6. Id. de cōſid. l. 2. c. 6.

Act. 3.

prudentiſſimis monitis informat pijſſimus Pater, faſtum, Ambitionem *philotimian*, ſæculi ſollicitudines, quæ à melioribus, & ſanctioribus eum abducerent, auaritiam, ſuperbiam, militias ciuiles, omnem denique mundanam pompam extrudere, ac liminibus excludere tentat, ne his veluti peſtibus ſanctiſſimi tribunalis, ſummæ dignitatis faſtigium euertatur, ac ipſa poteſtas perdatur. Ergo Eccleſiaſticam Monarchiam, cuius tamen propriè, *non in poſſeſſionibus, ſed in criminibus* ſit poteſtas, non agnouit?

Igitur, qui de Regno, & Republica ſcripſerunt, qui moderata Imperia eſſe voluerũt, qui principes ne ad immodicum modum inſoleſcerent, monuerunt, qui eos ab omni animi elatione, & reliquis cupiditatibus ſunt dehortati præſtantiſſimi Philoſophi, Spalatenſis ſententia regiam maieſtatem violarunt, euerterunt, perdiderunt? Quis ſapiens animum induxerit, vt in contumeliam Regum hæc ab illis dicta, aut ſcripta accipiat?

Hos igitur imitatus Bernardus, pro eximio illo, quo erat in Eugenium affectu, citra contumeliam, conuicium, aut maledictum, & ſanctiſſimam auctoritatem illis ſordibus purgaret, quæ magna faſtigia inquinare ſolent, ad eum quatuor de conſideratione libros miſit, quibus, iuſti, & moderati Pontificis, effigiem, ſumma charitate expreſſam, magni Eccleſiæ parentis oculis ſubiecit, vt præclaris illis monitis ſe non Conſtantini, ſed Petri ſucceſſorem recognoſceret, huius humilia veſtigia premeret, non illius faſtum conſectaretur.

Dic igitur Spalatenſis, ſunt ne iſta hominis Pontificiam dignitatem inſectantis? [Age, inquit Bernardus ad Eugenium, indagemus adhuc diligentiùs, qui ſis, quam geras videlicet pro tempore perſonam in Eccleſia Dei. Quis es? Sacerdos magnus, ſummus Pontifex. Tu princeps Epiſcoporum, tu hæres Apoſtolorum, tu Primatu Abel, gubernatu Noe, Patriarchatu Abraham, ordine Melchiſedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyſes, iudicatu Samuel, poteſtate Petrus, vnctione Chriſtus. Tu es, cui claues traditæ, cui oues creditæ ſunt. Sunt quidem, & alij cœli ianitores, & gregũ paſtores, ſed tu tantò glorioſiùs, quantò, & differentiùs, vtrumque præ cæteris nomen hæreditaſti, Habent illi ſibi adſignatos greges, ſinguli ſingulos, tibi vniuerſi crediti, vni vnus. Nec modò ouium, ſed & Paſtorum tu vnus omnium Paſtor. Vndè id probem quæris? Ex verbo Domini. Cui enim, non dico Epiſcoporum, ſed etiam Apoſtolorum, ſic abſolutè, & indiſcretè totæ commiſſæ ſunt oues? Si me amas Petre, Paſce oues meas. Quas? illius, vel illius populos ciuitatis, aut regionis, aut certi regni? Oues meas, inquit. Cui non planum, non deſignaſſe aliquas, ſed adſignaſſe omnes? Nihil excipitur, vbi diſtinguitur nihil. Et fortè præſentes cæteri condiſcipuli erant, cùm committens vni, vnitatem omnibus commendaret in vno grege, & vno paſtore ſecundùm illud: Vna eſt Columba mea, formoſa mea, perfecta mea. Vbi vnitas, ibi perfectio. Reliqui numeri perfectionem non habent, ſed diuiſionem recedentes ab vnitate, indè eſt, quod alij ſinguli ſingulas ſortiti ſunt plebes,

Bernar. de conſider. ad Eug. lib. 2. cap 8.

bes, ſcientes Sacramentum. Denique Iacobus, qui videbatur columna Eccleſiæ, vna contentus eſt Hieroſolyma, Petro vniuerſitatem cedens. Pulchrè verò ibi poſitus eſt ſuſcitare ſemen defuncti fratris, vbi occiſus eſt ille. Nam dictus eſt frater Domini. Porrò cedente Domini fratre, quis ſe alter ingerat Petri prærogatiuæ? Ergo iuxta canones tuos alij in partem ſollicitudinis, tu in plenitudinem poteſtatis vocatus es. Aliorum poteſtas certis arctatur limitibus, tua extenditur, & in ipſos, qui poteſtatem ſuper alios acceperunt. Nonne ſi cauſa extiterit, tu Epiſcopo cœlum claudere, tu ipſum ab Epiſcopatu deponere, etiam & tradere Sathanæ potes? Stat ergo inconcuſſum priuilegium tuum, tibi tam in datis clauibus, quàm in ouibus commendatis. Accipe aliud, quod nihilominùs prærogatiuam confirmat tibi. Diſcipuli nauigabant, & Dominus apparebat in littore: quodque iucundiùs erat in corpore rediuiuo. Sciens Petrus, quia Dominus eſt, in mare ſe miſit, & ſic venit ad ipſum alijs nauigio peruenientibus. Quid iſtud? Nempè, ſignum ſingularis Pontificij Petri, per quod non nauem vnam, vt cæteri quique ſuam, ſed ſæculum ipſum ſuſceperit gubernandum. Mare enim ſæculum eſt, naues Eccleſiæ. Indè eſt, quòd altera vice inſtar Domini gradiens ſuper aquas, vnicum ſe Chriſti Vicarium deſignauit, qui non vni populo, ſed cunctis præeſſe deberet. Siquidem aquæ multæ, populi multi. Ita cùm quiſque cœterorum habeat ſuam, tibi vna commiſſa eſt grandiſſima nauis, facta ex omnibus ipſo vniuerſalis Eccleſiæ toto orbe diffuſa.]

Doleret Spalatenſi ſibi præteritum aliquem ex numero Catholicorum Doctorum, quem non vexaſſet, ac maledictis inceſſiſſet. Hugonem Ætherianum ſibi vix de nomine notum, valdè contemnit, quòd homo in aula Imperatoris Græci Emmanuelis Comneni diù verſatus, non recentiores illos, ſed antiquiores Patres ſequutus, Primatum quoque ipſe Petri propugnarit, & amplificarit. [Quibus ex rebus liquidò claret, ait, quòd Petrum, eiuſque ſucceſſorem Chriſtus Principem, & caput, non modò Latinorum, & Græcorum, Occidentis, & Septentrionis vniuerſi: verùm etiam Armenorum, Arabum, Iudæorum, Madianitarum, & totius Orientis, & meridiani climatis in perpetuum, conſtituit.] Eius reijciendi cauſam ſibi eſſe dicit [quòd nulla proferat, ſui dicti, quibus nitatur, fundamenta,] ſcilicet illum, niſi in Bellarmino, non legit. [Quod verò addit, de Primatu Petri aſſertiones in Eccleſia Catholica nullas ſibi obſeruatas, niſi poſtquam Romani Pontifices cœperunt ſuum Primatum, prætendere, promouere, & dilatare,] ipſa impudentia eſt impudentius, nec in homine, qui tot triuiſſe libros videri velit, excuſationem vllam admittit.

Spalat. Num. 28.

HugoEuth. de proceſſione Spiritus ſãcti lib. 3. c. 17.

Namque luce meridiana clariùs oſtendimus, omnes omninò Patres, qui ab initio naſcentis Eccleſiæ floruerunt, in noſtra ſententia fuiſſe; Quòd ſi ante Turrecrematam non fuit, qui ex profeſſo hanc diſputationem maioribus commentarijs illuſtraret, id certè id certè in cauſa fuit, quòd ante illa infœliciſſima tempora, quibus Eccleſiæ procella, & peſtis Lutherus exortus ſit, vel certè Wiclefus, nullus ferè in toto Occidente, illa quæſtione, vt loquitur Auguſtinus, pulſaretur; Ante Arrij tempora de Conſubſtantialitate filij, nulli ſcripſerunt; ante Macedonij, nulli de diuinitate Spiritus ſancti; Ante Sabellij, nulli de Trinitate, &c. Scilicet, vt habet Magnus Auguſtinus, hæreticorum improbitate fit, vt diligentiores in propugnandæ fidei Catholicæ capitibus ſe præbeant Orthodoxi; *Multi ſenſus ſcripturarum ſanctarum latent*, inquit Magnus Pater, *& paucis intelligentioribus noti ſunt, nec aſſeruntur commodiùs, & acceptabiliùs, niſi cùm reſpondendi hæreticis cura compellit.*

[Quod autem de Monarchia magna Petri, aucta, & in immenſum amplificata, garrit, homini ſubirato, & à furore ebrio condonandum, quamquam hoc minimè ferendum, quòd homo illiberalis, ex mille ſexcentis ſæculis, nobis ſolos ſexcentos reliquerit. Quaſi verò oſtendere poſſit homo obtuſus ſæculo Bernardi, aut etiam ſuperioribus factam aliquam fidei, aut doctrinæ conuerſionem; Thraſoniſmos igitur deſertoris prætereamus, qui vt in illa hæreticorum colluuie regnaret, omnium ſæculorum Patribus bellum indixit; Nos hìc commentitia alicuius Melchiadis ſententia non tuebimur. Recentiorum Pontificum Nicolai, Leonis Noni, Innocentij Tertij, Clementis Quinti, aut Ioannis Vigeſimi ſecundi dictis, quamquam Orthodoxis, pijs, & ad omnium ſæculorum fidem limatis, cauſam iſtam non propugnabimus, aut exornabimus: In veterum Orthodoxorum, quorum illi veſtigia preſſerunt, placitis acquieſcimus, quamquam, & ſuo loco recentiores iſtos Pontifices à calumnijs tenebrionum, fauente Deo, vindicabimus. Sit hic veluti conſpectus doctrinæ Patrum de Petri primatu.

Ad Pſal. 67.

Spalat. Num. 28.

Spalat. Num. 29.

Conſpectus Doct. Patr.

[Ex Græcis Origenes, Petrum, Principem Apoſtolorum, Magnum Eccleſiæ fundamentum, & Petram ſolidiſſimam, ſuper quam Chriſtus fundarit Eccleſiam, vocat, cui Dominus ſummam rerum de paſcendis ouibus, tradiderit; Cyrillus Hieroſolymitanus, Pretrum, Principem Apoſtolorum, & ſupremum Eccleſiæ præconem, Regni cælorum Clauigerum prædicat. Baſilius Petrum, quod fide præſtaret, Eccleſiæ ædificationem in ſe recepiſſe cenſet.]

[Gregorius Nazianzenus, Petrum Eccleſię columen, Ex Chriſti diſcipulis, magnis vtique omnibus, atque electione dignis, Petram vocatum, qui Eccleſiæ fundamenta, in fidem ſuam acceperit, celebrat.]

[Epiphanius, Petrum à Chriſto ſuorum diſcipulorum principem electum, qui quidem ſolidæ Petræ inſtar nobis extiterit, cui velut fundamento fides Domini, innitatur, ac ſupra quam Eccleſia modis omnibus extructa ſit,] [pronunciat; Facundiſſimus Chryſoſtomus Petrum, Primum Apoſtolorum à Chriſto conſtitutum, columnam fidei, fidei baſim, Apoſtolici chori caput, cui orbem terrarum ſubiecerit, vniuerſum mundum tradiderit, ac ouium, quas effuſo ſanguine acquiſiuiſſet, curam commiſerit, agnoſcit. Caſſianus Chryſoſtomi quondam Diaconus, quamquam Latinè ſcripſit, Petrum,

Hom. 17. in Luc.

Homil. 5. in Exod. & apud Euſeb. hyſt. Eccleſ. lib. 6. c. 15.

Ad c. 6. epiſt ad Rom.

Cyr. Catech 11.

Id. Catech 17.

Baſil adu. Eun. lib. 2.

Greg. Naz. orat. 7.

Id. or. 26.

Epip. hær. 51

Id. hæreſ. 59.

Chryſoſt. in Pſal. 129.

Id. hom. 2. in in Pſal. 50.

Id. hom. in Pet. & Eliã.

Id. hom. 87. in Ioan.

Idem lib. de Sacerd.

Caſſian. de Incarna. lib. cap. 12.

[Inter

[Inter Magiſtros [Magiſtrum, Eccleſiæ Romanæ rectorem, Principem Apoſtolorum, vt fidei, ita Sacerdotij, Principarum habentem, Primum Apoſtolorum pro omnibus reſpondentem, inducit.]

Cyril. lib. 2. in Io. c. 12.

Cyrillus Alexandrinus: [Petrum hoc nomine nuncupatum, quo vocabulo ipſo commodè ſignificaretur in eo, tamquam in Petra, lapideque firmiſſimo, Eccleſiam Chriſti eſſe ædificandam, Petrum omnibus præfulſiſſe, ac ordine maiorem fuiſſe, proptereaque pro omnibus reſpondiſſe; Diſcipulorum præterea Principem, ac caput, ſeù præfectum fuiſſe clamat.]

Iſid. Peluſ. lib. 1. ep. 142 lib. 2. ep. 58. & 99.

Iſidorus Peluſiota; [Diſcipulorum, Apoſtolorum, chori Apoſtolici, coryphæum, hoc eſt, anteſignagnum, & præſulem, quod habet interpres, deſcribit.]

Sozom. lib. 7 c. 4. Theod. ad c. 1. epiſt. ad Galat. Chalced act 3. Theoph. ad cap. 21. Io. Id. ad c. 22. Luc.

Sozomenus, [Apoſtolorum principem à magno Imperatore, Theodoſio ſcilicet, vocatum refert. Theodoretus; [Apoſtolorum principem, cui etiam Paulus, quem par eſſet, honorem habuerit, nuncupat. Synodus Chalcedonenſis; [Petrum ret beatiſſimum, Petram, & crepidinem Catholicæ Eccleſiæ, & rectæ fidei fundamentum prædicari ſuſtinet: Theophylactus; [Totius orbis præfecturam Petro commiſſam, & à Chriſto habitum eum principem Apoſtolorum inculcat.]

Oecum ad c. 1. act. ad c. 1. epiſt ad Galat. Euth. ad c. 21. Io ad c. 16. Marc.

Oecumenius, & Euthymius [Petro præfecturam à Chriſto commiſſam, eundem Paulo maiorem, ampliori honore à Chriſto cumulatum, vno verbo, cæterorum principem, ac ſummum venerantur. Et tot, tamque illuſtria Græcorum pro primatu Petri teſtimonia, Spalatenſis obſtinatiſſimum animum non franguut, nec vt ei, à ſanctiſſimis, & eruditiſſimis Patribus primatum, delatum concedat, inducunt, quis hic non ſtupeat? quis ferreum os, & pectus non demiretur, non execretur?

Tertull. de præſcr c. 22. de pud. c. 22

Sed nec Patres Latini in ornando Petro parciores fuere; Tertullianus eum [ædificandę Eccleſiæ Petram dictum, claues regni cœlorum, & alligandi, atque ſoluendi in cœlis, & in terris poteſtatem conſecutum, In ipſo extructam Eccleſiam, ideſt per ipſum; ipſum claues habuiſſe,] tam in caſtris, quàm extra caſtra Eccleſiæ ſcribit.

Cypr. lib. 1. ep. 8. ep 73. de vnit. Ecc.

Cyprianus; [Vnam Eccleſiam, & Cathedram vnam ſuprà Petrum fundatam, Petro, ſuper quem Dominus fundauerit Eccleſiam, vt indè vnitatis originem inſtitueret, & oſtenderet poteſtatem iſtam datam, vt id ſolueretur in terris, quod ille ſoluiſſet; ſuper illum vnum ędificatam Eccleſiam, & illi paſcendas oues mandatas affirmat.]

Hilar. ad Pial. 131. Itē ad c. 16. Matth.

Hilarius. [Petrum primùm filij Dei confeſſorem, Eccleſię fundamentum, cœleſtis regni ianitorem, & in terreno iudicio iudicem cœli, eius arbitrio claues ęterni aditus tradi, cuius terreſtre iudicium pręiudicata auctoritas, ſit in cœlo, cenſet: Ambroſius; [Amoris Chriſti Vicarium Eccleſię relictum, Petram dictum, quod primus in nationibus fidei ſundamenta poſuerit, & tamquam ſaxum immobilę totius operis compagem, molemque contineat, tradit.] Optatus Mileuitanus; [Petrum Apoſtolorum caput, & principem celebrat;] Hieronymus conſentientia loquitur, rationemque addit eius

Ambroſ. ad cap. 24. Luc. ſer. 47.

Opt. lib. 2. & 7.

pręfecturę, vt ſcilicet ſchiſmatis tolleretur occaſio, quam ille alius non pręrermiſerat; Auguſtinus, [Petrum primum omnium Apoſtolorum, qui propter Apoſtolatus ſui primatum geſſerit Eccleſię figurata generalitate perſonam, cuius Apoſtolatus principatus ſit omni Epiſcopatui pręferendus, adeòque caput Apoſtolorum, in quo primatus Apoſtolorum excellenti gratia pręfulſerit, laudat. Maximus; [Poſt nauiculę paruę remigium totius Eccleſię gubernacula ei tradita, prędicat: Arnobius Romanus, ac cum eo Eucherius Lugdunenſis, Epiſcopum omnium Epiſcoporum facit. Neque in horum numero eſt aliquis Pontifex Romanus, qui in cauſa ſua loquatur; Et tamen poſt tot etiam latinorum Patrum teſtimonia, frontem perfricat, pectus obfirmat, non concedit, non fatetur, reluctatur, obſiſtit, hos inuictiſſimos cuneos perrumpit; ac cum impudentiſſimo hæretico has voces mittit; [Omnes quidem ſic, ſed non ego ſic; Quid ergo tu] dicamus nos cum Bernardo, [quid melius affers, Quid ſubtilius inuenis? Quid ſecretius tibi reuelatum iactas, quod pręterierit ſanctos, effugerit ſapientes? Aquas furtiuas, & panes abſconditos puto apponet nobis iſte. Nonne os loquens talia iuſtius fuſtibus tunderetur, quàm verbis refelleretur?] Illi certè circa pectus ęs triplex eſſe oporteat, qui his non moueatur. Expunximus verò vana illa ſuffugia, quibus Patrum dicta ad primatum ętatis, vocationis, virtutis, & honoris inflectere, ac curuare eſt conatus.

Aug. tract. 56. in Ioan. trac 124. lib 2. contr.

Maxim. ſer. 3. in Natiu. SS. Apoſt. Pet. & Pauli Arnob. ad p. 138. Euch. Lug. ſer. in Vigil. S. Petr.

D. Bernard. epiſt. 190. ad D. Papam Innocent.

Certè, nec tormentis exquiſitiſſimis, has voces expreſſerit, aut extorſerit ab eximijs illis veri primatus, ac principatus Petri propugnatoribus; Sed necdùm eſt contentionum finis, quibuſdam malè acceptis ſcripturæ locis ſe tueri parat proximo capite: ad quod diſcutiendum iam aggrediamus; Nam quę homo iratus in Concilium Conſtantienſe effundit, ſuo loco profligabuntur, & magnę Synodi auctoritas aduersùs putidas illas criminationes defendetur; Nec enim alio nomine eſt illam inſectatus, quàm quòd pręcurſorem ſuum, ac prodromum Ioannem Hus, qui contra doctrinam vetuſtiſſimorum, & ſanctiſſimorum Patrum, [Petrum non fuiſſe caput Apoſtolorum, nec plùs auctoritatis habuiſſe, quàm habuerint cæteri,] garriret, damnarit, & iuſtiſſimo anathemate percuſſerit. Quis verò eum ferat Catholicos, quos Monarchicos cōtumelioſiſſimè vocat vexantem, atque inſimulantem, [non ex vlla erga ſanctum Petrum deuotione, ſed vt ſub Petri nomine Romanum Pontificem Deum in terris faciant,] in Petri prærogatiuis amplificandis verſari? Addit, [Petrum in cœlis ad tanta laudum Encomia, quæ ei à noſtris tribuuntur, ſi ita dicere fas eſt, erubeſcere.] Eſt verò grauiſſimè à parente eloquentiæ dictum, [Qui ſemel verecundiæ fines tranſilierit, eum benè & nauiter oportere eſſe impudentem.] Penetrauit ne in intimos animorum noſtrorum receſſus, an habet nos confitentes? Apage hanc audaciam, Deum in terris Pontificem non facimus, Petro nullos honores tribuimus, qui non ex viſceribus ſcripturæ, & Orthodoxorum Patrum ſcriptis eruantur. Sed iam excutiamus, quæ ille ex ſcriptura profert.

Num. 31 32 Ad cap. 12.

Spalat. Num. 33.

DI-

DISCVSSIO
VNDECIMI CAPITIS LIBRI PRIMI.

CONSPECTVS CAPITIS.

Spalatenſem inſigniter abuſum ſcripturarum teſtimonijs ad primatum Petri euertendum: Explicatur diligenter locus, Reges Gentium dominantur, &c. *Item alius* Nolite vocari Magiſtri: *Apoſtolos in errorem abreptos pompaticum aliquod regnum Chriſti, ſibi confixiſſe, & exambiſſe, ac proindè de glorioſo illo primatu contendiſſe: Omnes quidem Apoſtolos Paſtores fuiſſe Eccleſiæ, ſed celſiore faſtigio fuiſſe Petrum: Chryſoſtomus in hanc rem adductus: Septem Diaconorum renunciatio ab omnibus Apoſtolis facta expenditur: Soluitur locus Actorum de miſſo Petro cum Ioanne ad Samaritas à reliquis collegis Apoſtolis: Item alius de ſententia pro abrogandis legalibus à Iacobo pronunciata: Quas partes in eo Conſilio habuerit Petrus: Quo iure Paulus Antiochiæ Petrum reprehenderit: Fuiſſe errorem Petri conuerſationis, non prædicationis ex Tertulliano: Quid de hac re ſenſerint Auguſtinus, & Cyprianus: Impij Spalatenſis loci in Petrum: De collegæ, & fratris nomine: Soluuntur argumenta ex alijs Patribus de epiſtola ad Galatas: Et obiter de abolendis Hæreticorum libris: Quo ſenſu reliquos Apoſtolos, maximè verò Paulum cum Petro contulerint Patres.*

Spalat. Num. 2. APpetitus naturalis humanus propriæ excellentiæ, & in alios dominatus, Apoſtolorum animos adhuc imperfectos, nec parùm, nec raro titillauit. Qui enim Meſſiam dominatione temporali Regem Iſrael in mundo regnaturum, ex ſacris ſcripturis non benè intellectis, & communi Hebræorum intelligentia exiſtimabant, magnas ſibi apud Chriſtum, quem Meſſiam agnouerant, dignitates pollicebantur, quippè qui ipſius primi eſſent aſſeclæ, & familiares; & cùm duodecim eſſent, inter ipſos etiam vnum aliquem primum locum habiturum, varijs humanis coniecturis autumabant. Petrum enim Ioannem, & Iacobum ſæpiùs in maiorem quandam familiaritatem à Chriſto adhibitos cernebant: Petro verò ſeorſim inſignia promiſſa facta audierant: Ioannem ſingulariter dilectum animaduertebant. Hinc varijs oblatis occaſionibus, modò internis angebantur cogitationibus, quiſnam eſſet ille, qui primas apud Chriſtum in regno obtineret: Intrauit autem cogitatio
Luc. 9. in eos, quis eorum maior eſſet. Modò verò etiam eandem inter ſe mouebant quæſtionem:
Marc. 9. Quid in via tractabatis? At illi tacebant, ſiquidem in via inter ſe diſputauerant, quis eorum maior eſſet. Modò ex Chriſto ipſo hoc idem curioſiùs inquirebant, vt diceret ipſe, quemnam ex ipſis ad ſupremam apud ſe dignitatem deſignaret; In illa hora acceſſerunt
Matth. 18. Diſcipuli ad Ieſum dicentes: Quis putas, maior eſt in regno cœlorum? Modò audacter
Marc. 10. primas ambientes aliqui ex ipſis, ſiue per ſe ipſos ſupremas petunt dignitates; Accedunt ad eum Iacobus, & Ioannes filij Zebedæi dicentes: Magiſter volumus, vt quodcunque petierimus, facias nobis: At ille dixit eis; Quid vultis, vt faciam vobis? Et dixerunt, Da nobis vt vnus ad dexteram tuam, & alius ad ſiniſtram tuam ſedeamus in gloria tua. Siue per
Matth. 9. 27. ipſorum matrem, quæ quia fortaſsè erat Chriſti matertera, & ipſum ſecuta fuerat à Galilæa miniſtrans ei, cùm quibuſdam alijs mulieribus ex proprijs facultatibus, id promeruiſſe ſibi videbatur, vt ei in filijs grates rependeret, qui nihilominùs, & ipſi, relictis retibus, &
Matth. 20. Patre, ipſum ſequebantur. Acceſſit igitur ad eum mater filiorum Zebedæi cùm filijs ſuis, adorans, & petens aliquid ab eo, qui dixit ei, quid vis? ait illa, Dic, vt ſedeant hi duo filij mei vnus ad dextram tuam, & vnus ad ſiniſtram in regno tuo. Modò verò in apertam erumpunt contentionem. Ad menſam enim quando cum Chriſto poſtremùm comedebant pa-
Ioan. 17. ſcha, audito iam ex ore Chriſti ipſum à Deo eſſe clarificandum, & videntes Ioannem diſcipulum Chriſto dilectiſſimum iuxtà ipſum aſſediſſe, & in ſinu eius recubuiſſe, eadem omnes agitati ambitione, de eodem primatu cœperunt contendere; nam facta eſt, & contentio inter eos, quis eorum videretur eſſe maior.

SIcut, qui maria infeſtant Piratæ, ſolent in locis vadoſis, occultiſque ſcopulis, nocte obſcuriore, ignium ſpeciem oſtentare, quo nauigantes ſpe confugiendi ad portum allectos, ad naufragia deducant; ſic Hæretici, inquit, magnus Origenes, falſæ ſuæ perſuaſionis, dogmata ſcripturis ſacris illuſtrant, vt ſalutis ſuæ cupidos, hac luminis ſpecie ad fidei, & ſalutis ſuæ naufragium inuitent, & tandem pertrahant. Non recedit à perditiſſimorum latronum more Spalatenſis, ſed eos imitans, ſcripturis ſacris, veluti luminibus quibuſdam vtitur, ad fallendos incautos. Et quidem, vt conſtitutum à Chriſto ordinem euertat, & Petrum ſui primatus dignitate nudet, omnia loca profert, in quibus videri poſſit ſeruator, Apoſtolorum, qui de primatu aliquando contenderint, ambitionem repreſſiſſe, ac omninò damnaſſe.

Orig. cap. 12 ep. ad Rom.

Primùm igitur aduertit huius gloriæ cupidos Apoſtolos, nullum non mouiſſe lapidem, vt hunc ſibi pompaticum principatum, quem animo præcepiſſent, aſſererent, ac vindicarent. Id verò nos vltrò fatemur, ſed nonniſi inconſtantiſſimè à Spalatenſi dicitur, cùm ſuperiùs contrarium docuerit, Bellarminumque, hoc ipſum aſſerentem impugnandum ſuſceperit. Ad illum locum, [Reſpondet Bellarminus, inquit Spalatenſis, erraſſe quidem Apoſtolos, quia temporalem principatum ſomniabant, & hunc errorem Dominum ſæpè correxiſſe: De hoc tamen temporali mundi huius principatu Apoſtolos, tunc nihil cogitaſſe, ſed de ſola Petri prælatione ſuprà ipſos Apoſtolos, ſatis eſt apertum; Aiunt enim, Quis putas maior eſt in regno cœlorum?] Quì hæc conſtare poſſunt lector erudite? Interim victoriam iam nobis concedit Spalatenſis, qui omnibus locis, quibus ad euertendum primatum Petri, ſine iudicio vtitur, contendit Apoſtolos [principatum aliquem temporalem ſomniaſſe.] Si enim hæc vera ſunt; Ergo non ſuſtulit Chriſtus primatum Petri, aut Monarchiam Eccleſiaſticam euertit, ſiquidem ea non eſt temporalis, ſed ſpiritualis, neque ad normam ſæcularis alicuius principatus exigitur, ſed tota in charitatis, & humilitatis ſtudijs occupatur.

Spalat. c. 9. num 6.

Sic igitur intelligendus eſt locus Lucæ, in quo apparet aduerſarium præſidium erroris poſuiſſe. *Reges gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur, vos autem non ſic*, inquit Chriſtus ſeruator, *ſed qui maior eſt in vobis, fiat ſicut minor: & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator; nam quis maior eſt, qui recumbit, an qui miniſtrat? Nonne qui recumbit? Ego autem in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat.* Namque cùm Chriſtum ad mentem diſcipulorum reſpondiſſe, negare non poſſit, ei quoque concedendum ſit, hic Chriſtum de dominatu terreno, ac de eo imperio, cui ſoleat eſſe comes ſuperbia, & faſtus, ac typhus ſæculi, loquutum, ac proindè ſublatum ſolùm voluiſſe, violentum huiuſmodi imperium ab Eccleſia ſua, & omnem de eo Apoſtolis cogitationem eripuiſſe his verbis, *Vos autem non ſic*: Fatemur autem non eſſe hoc ſenſu in Eccleſia dominatum vllum regium, ſed mite prorsùs, & ſanctitatis plenum imperium, quo ipſe Chriſtus Rex Regum, & Dominus dominantium. delectatus ſit, vt etiam hic principatus magis in obſequendo, quàm in præcipiendo, in miniſtrando, quàm in imperando poſitus eſſe videatur; Proindè tamen omnis dominatus de Eccleſia nō tollitur, quem mille locis aſtruit ſcriptura, *Obedite præpoſitis veſtris, &c. Qui præeſt in ſollicitudine præeſt, &c. Quis eſt fidelis ſeruus, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam?* ſed ſola imperia violenta, quæ, vt ait ille, *nemo continuit diù*, profligantur.

Num. 2. in fine 3. & 4. Luc. 22. ver. 21.

Hebr. 11. Rom. 12. Matth. 24.

Propterea notant interpretes, non Regum Iudæorum exempla protuliſſe Chriſtum, ſed Regum Gentium; Quanquam enim habuit etiam Iudæa ſuos tirannos, nihilominùs quòd, tum Patrijs inſtitutis, ac legibus ſanctiſſimis, tum crebris Prophetarum monitis, in officio continerentur, rariora extat apud eos crudelitatis, & ſæuitiæ exempla. Regum itaque Gentium, ea propriè labes erat, quippè qui viribus imperij per inſolentiam abuterentur, omniaque, non ex legum præſcripto, ſed ex animi libidine facerent: Qua de re extat perilluſtris locus apud eloquentiæ Romanæ principem, *Nemo noſtrum ignorat*, ait, *etiamſi experti non ſumus conſuetudinem regiam; Regum autem*, inquit, *ſunt hæc Imperia. Animaduerte, & dicto pare, & præter rogitatum, ſi querare; Et illæ minæ, ſi te ſecundo limine offendero, moriere, &c.* Si quis igitur regio iſto more, hoc eſt crudeliter, & ſæuè in Eccleſia imperare vellet, meritò tyrannidis accerſeretur, quippè qui à moderatione, humilitate, & charitate, à Chriſto præſtituta omninò recederet. *Reges Gentium dominantur eorum, vos autem non ſic*, ideſt non admodùm illorum ſuberbè, inſolenter, inclementer, & ſæuè. Non ſuſtuliſſe autem omnem dominatum, vel ex eo oſtendi poteſt, quod ſtatim ſubiecerit, *Qui maior eſt veſtrum, ſit in vobis ſicut minor*; Quid enim neceſſe fuit moderationis leges maiori præſcribere, ſi nullus inter eos futurus erat maior?

Pro Rabirio.

Sed occurrit Spalatenſis, [Hic tamen ſenſus eſt omninò detortus. Nam idem ſignificant iſta verba; Qui maior eſt inter vos, fiat ſicut minor, quòd illa alia; Si quis vult primus eſſe, erit omnium nouiſſimus, & omnium miniſter. Et illa, Qui minor eſt inter vos omnes, hic maior eſt. Quibus verbis nullum ponit, aut ſupponit Chriſtus realem primatum, imò omnem aufert ſicut, & illis; Reges gentium dominantur eorum, Vos autem non ſic. Nam ne putarent ipſum, eos vocaſſe ad dignitates, & præfecturas, quæ dominium in alios, & imperium exercerent; expreſsè prohibet ipſis dominatum, hoc eſt, Præſulatum, cum propriè dicta Iuriſdictione: Separatque eos, & plurimùm vult differre à Regibus in Regimine, Vos autem non ſic, vt pluribus explico lib. 5. cap. 2.]

Spalat. Num 5.

Reſpondemus planè eundem ſenſum eſſe omnium iſtorum locorum, ac in ſingulis, non dominatum, ſed imperandi affectum, non dignitatem, ſed ſtimulos gloriæ, damnari. Similia extant paſſim in ſcripturis loca. De futuro Rege Hebræorum, in Deuteronomio; *Nec eleuetur cor eius in ſuperbiam ſuper fratres ſuos, neque declinet in partem dexteram. vel ſiniſtram, &c.* Et de omnibus in vniuerſum eximia poteſtate præditis, *Rectorem populi te*

Deuter. 17. Eccl. 32.

conſtituerunt, noli extolli, eſto in illis quaſi vnus ex illis. Quibus omnibus locis ſcriptura, tum Reges, tum Præſules, ac præpoſitos Eccleſiarum, officij admonet, faſtum, arrogantiam funditùs tollit, humilitatem, modeſtiam, charitatem, & reliquas virtutes ſuadet, ſed dignitatem, auctoritatem, & imperium non euertit, quin potiùs firmat, quando eis leges ponit, atque moderatum eſſe cupit.

Certè vix exiſtimo attendiſſe ad ea, quæ ſcriberet Spalatenſis, cùm hæc chartis mandaret; Quis enim vmquam, vel fando audiuit, vel legendo didicit, *minorem humilitate*, in Eccleſia Dei, *officio, ac dignitate, maiorem* eſſe? Facit id quidem ad ſanctitatem, ſed ad auctoritatem minimè. Sæpiùs enim in Eremi incolis, ac cultoribus reſideret illa Eccleſiaſticæ dignitatis præſtantia, ac eminentia, quippè quorum mentes ab omni ambitionis ſenſu, remotiores eſſe ſoleant. Fatemur equidem ſuperbum, arrogantem, ac inſolentem, præſulem ſeipſum planè euertere, ac ire perditum:
[Hieron. in Sopho. c. 3.] *Si enim*, inquit Hieronymus, *deſpecto opere ſolam aſpexerit dignitatem, citò corruit turris in Siloa, & excelſa Cedri fulmine feriuntur, & erecta ceruix frangitur, & Cygnus extento collo, & in ſublime ſe tendens, inter immundas volucres deputatur*. Propterea tamen gradu non excidit; Contrà verò, qui humilitatem colit, qui faſtu nullo turget, & vt loquitur Chriſtus, *Qui minimus eſt*, verè ſanctitate maior eſt, hocque gradu coram Deo reliquis præſtat. Sed niſi hæc animi moderatio dignitatem conſequatur, ad illamque accedat, eam proculdubiò non facit. Faſtus nimirùm, & humilitas, inſolentia, & moderatio animi, accidentariæ quædam res ſunt, quæ inſtitutum principatum conſequantur, eique vel vitio, vel virtute imperantis adhæreſcant; non autem principatum conſtituant. Non igitur vult Chriſtus eum in Eccleſia ſua eſſe omnibus officio, & dignitate maiorem, qui humilitate ſola præſtet, ſed eum omninò, qui cum dignitate effulgeat, animi etiam demiſſione reliquos anteuertat.

[Spalat. Num 5.] Hunc ſcilicèt verè, & munere, & officio, & merito maiorem prædicat, qui ſcilicèt *humilitate decreſcat, faſtu nullo turgeat*, vt loquitur Hieronymus. Et ſanè eam eſſe mentem Chriſti ipſe Spalatenſis volens nolens agnoſcit, ſic enim Chriſtum inducit loquentem, [Nam ſi ego, qui ſum veſtrum, & totius Eccleſiæ caput, & Rex ſpiritualis, ad hoc natus, & miſſus à Patre; nihilominùs totus occupor, non in imperando, aut dominando, ſed in miniſtrando; quantò magis
[Luc. 22.] vos, qui eſtis meri miniſtri mei, in hoc ſolo debetis inſiſtere, & toti in miniſterium, ad quod vos elegi incumbere? Ego autem in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat: Iam tandem ergo capite, vos inaniter de primatu
[Matth. 23.] inter vos, contendere, & decertare, qui omnes non ad dominandum, ſed ad miniſtrandum, & ſeruiendum à me electi eſtis, & ordinati. Nolite vocari Magiſtri, aliàs dixerat, vnus eſt enim Magiſter veſter, omnes
[Ioan. 13.] autem vos fratres eſtis.] Quis igitur neſciat Chriſtum verè caput, ac Dominum fuiſſe Apoſtolorum? Quis neſciat eum ſumma in eos auctoritate præditum fuiſſe? *Vos*, inquit, *vocatis me Magiſter, & Domine, & benè dicitis, Sum etenim*. Igitur, vt quadret exemplum, oportet eos, quibus imitandus præponitur, dignitate quoque, & auctoritate pollere, quod indicant illa verba, *Qui maior eſt inter vos, fiat ſicut minor*: à quorum ſenſu non recedunt illa, *Si quis vult primus eſſe, erit omnium nouiſſimus, & miniſter*, vt nec illa, *Qui minor eſt inter vos omnes, hic maior eſt*, cùm ex illis id ſolùm habeatur, humilitatem in miniſtris Chriſti ſummoperè commendari, ac præſtantiſſimæ dignitatis ſummum eſſe ornamentum. Hæc igitur dominatum, aut primatum non euertunt, ſed potiùs firmant, cùm etiam [Eod num. 5.]
leges ponat Chriſtus, quibus rectè poſſit obiri, & ſanctè adminiſtrari. [Matth. 23.]

At vrget Spalatenſis dictum à Chriſto, [Nolite vocari Magiſtri; Aliàs, inquit, dixerat Chriſtus, vnus eſt enim Magiſter veſter, omnes autem vos fratres eſtis; Nullus itaque Apoſtolus eſt reliquorum Apoſtolorum Magiſter, ſed omnes ſunt inter ſe fratres. Vbinam igitur Petri primatus, & ſuperioritas inter Apoſtolos?]

Sed hic locus Spalatenſem iugulat, non enim officium, aut dignitatem parentis, aut [Hieron. in
Magiſtri tollit, ſed faſtum, & arrogantiam [Matth c. 23.
eliminat. Audiat Hieronymum, qui locum [v. 8.]
Commentario illuſtrat: [Nec Magiſter, nec Pater vocandus alius, inquit, niſi Deus Pater, & Dominus noſter Ieſus Chriſtus. Pater, quia ex ipſo ſunt omnia: Magiſter, quia per ipſum omnia, vel quoniam per diſpenſationem carnis eius, omnes reconciliati ſumus Deo. Quæritur aduersùm hoc præceptum, quomodò doctorem gentium Apoſtolus ſe eſſe dixerit; aut quomodò vulgato ſermone, maximè in Palæſtina, & Ægypti Monaſterijs ſe inuicem Patres vocent. Quod ſic ſoluitur; Aliud eſſe natura Patrem, vel Magiſtrum, aliud indulgentia. Nos ſi hominem Patrem vocamus, honorem ætati deferimus, non auctorem noſtræ oſtendimus vitæ. Magiſter quoque dicitur, ex conſortio veri Magiſtri. Et ne infinita repliceem, quomodò vnus per naturam Deus, & vnus Filius non præiudicat cæteris, ne per adoptionem Dei vocentur, & Filij; ita & vnus Pater, & Magiſter non prɇiudicat alijs, vt abuſiuè (id eſt, impropriè comparatione ſcilicèt Dei) appellentur Patres, & Magiſtri.]

Itaque ſententia Hieronymi his verbis non damnantur, qui ex Chriſti indulgentia Patris, aut Magiſtri nomen vſurpant, ſed qui, [Maldon. ad
præterito Deo, hunc ſibi honorem vindicant. [illum locū.]
Rectè autem aduertit doctiſſimus Maldonatus, Chriſtum non prohibere Patrem, aut Magiſtrum, vel vocari, vel vocare in terris abſolutè, ſed comparatè ad Deum, & ad Phariſæos, de quibus loquebatur. Ad Deum quidem, vt comparatione illius neminem putemus, neque Patrem, neque præceptorem eſſe poſſe, & ne iſtos honores, & amoris titulos illius honori, amorique præferamus. Ad Phariſæos verò ne eo modo, quo illi, id eſt ambitioſè, glorioſèque, aut præceptores, aut Patres appellemur, alioſue appellemus, vt illi [1. Cor. 3.]
appellabant, qui dicebant, *Ego quidem ſum Pauli, Ego autem Apollo*, vt ſuo quiſque Magiſtro gloriaretur. Et quidem non obſcurè Paulus ſignificat, & Patres, & Magiſtros eſſe [1. Cor. 4.]
in Eccleſia, Corinthijs ſcribens: *Si*, inquit, *decem millia Pædagogorum habeatis in Chriſto, ſed non multos Patres; Nam in Chriſto Ieſu per*

Euan-

Euangelium ego vos genui, nimirùm alijs, qui apud Corinthios Euangelium promulgarant, *Pedagogorum* honorificum nomen concedit: Se verò *Patrem* appellat, vt ſuam in eos charitatem, ac beneuolentiam prodat; Non igitur damnauit Chriſtus nomen *Magiſtri*, *aut Patris*, ſed ſolùm ſupercilium Phariſæorum, à ſuæ Eccleſiæ Patribus, ac Magiſtris, abeſſe voluit: Similitèr primatum non ſuſtulit, ſed ambitioſos ſpiritus diſcipulorum ſuorum, qui ſceptra, coronas, & thronos in Pompatico aliquo Meſſiæ regno cogitarent, repreſſit, *Reges Gentium*, inquit, *dominantur eorum, vos autè non ſic, ſed qui maior eſt veſtrum, erit ſicut minor.*

Spalat. Num 6. Neque verò aliter hunc locum accipiunt Origenes, aut Bernardus, quos profert Spalatenſis, vterque enim faſtum illum regium damnat, ſed neuter negat eſſe in Eccleſia veram prælationem, vt ſuo loco oſtendemus.

Spalat. Num 7. At iuſtat Spalatenſis, [Dicant mihi Monarchici, ſi apertè Dominus Petrum conſtituit, aut ſaltèm deſignauit Monarcham Eccleſiæ, quando ei coràm omnibus dixit, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: &, Tibi dabo claues regni cęlorum, vt ipſi contendunt; Cur poſteà cogitant, & diſputant, & inquirunt, & contendunt, quis ipſorum ſit maior? Cur Ioannes, & Iacobus petunt primas ſedes apud Chriſtum, ſi iam Petro datam, aut ſaltem promiſſam, & obligatam ſciebant primam ſedem? Cur indignantur decem, inter quos erat & Petrus, audita duorum fratrum petitione? &c.]

Matth. 20. Reſpondemus ſacræ Monarchiæ hoſti, ac perduelli, etiam poſt promiſſa Eccleſiæ gubernacula Petro, adhuc de primatu contendiſſe Apoſtolos, quòd ſcilicèt inſediſſet eorum animis, totoſque eos dementaſſet, opinio de regno temporali à Chriſto excitando, in quo ſe celſiores honores conſecuturos arbitrarentur: Quare cùm ſe iturum Hieroſolymam, ibique crucifigendum ſignificaret, fidem illi non habebant: *Ignorabant*, inquit Lucas, *verbum iſtud, & erat reuelatum antè eos*, Græcè *paracecalimmenon*, id eſt, occultum: Cùm itaque rem omnium manifeſtiſſimam, & à ſeruatore ſuo totiès inculcatam, & expreſſam minimè intelligerent, ac nihilò ſeciùs de primatu contenderent; haud mirum ſit minùs attendiſſe illos ad ea, quæ circa Petrum geſta eſſent. Quòd ſi hæc importuno aduerſario non ſatisfaciant, viciſſim dicat nobis, cùm toties ambitionem diſcipulorum repreſſerit Chriſtus, adeòque ſignificarit, nullos regios honores in terris illis cogitandos; quid eſt, quòd rursùs hanc litem mouerunt, & quòd etiam in ipſo procinctu mortis Chriſti, eaſdem turbas exciuerunt? Annon quòd *animales eſſent*, nec myſteriorum vim adhuc tenerent? Simili igitur errore, etſi meminiſſe poterant, Petrum à Chriſto deſignatum caput Eccleſiæ, illis verbis, *Tu es Petrus, &c.* tamen quòd ambitioni ſuæ frena laxarent, nihil de eo cogitarunt, ſed imperio cuidam pompatico inhiantes, ad id conſequendum omnia ſtudia ſua contulerunt.

Matth. 16. Luc. 9.

Nihil igitur hìc opus, Baronium aduocare, cùm res per ſe clara ſit, ac perſpicua, *Chriſtum* ſcilicèt *in Eccleſia ſua, veram animarum præfecturam* conſtituiſſe, à qua tamen animum abduxiſſent Apoſtoli, vt regium quoddam ſolium ſibi fingerent, ad cuius dexteram, aut ſiniſtram in regno Chriſti ſederent, ac indè potentiam ſuam, & gloriam oſtentarent. *Diſcipuli*, inquit Chryſoſtomus, *nondum ſpiritus gratia corroborati, facilè mouebantur* (vt omnibus locis à Spalatenſi adductis, Matth. 17. & 20. Item Luc.) *gratia verò accepta, tales non fuerunt, ſed vbique Petro primatum præbent*: Vaniſſimum igitur hoc illorum ſomnium, omnibus locis, quibus ad tollendum primatum Eccleſiaſticum, abuſus eſt Spalatenſis, refellit Chriſtus, ſed tantùm abeſt ab euertendo illo principatu, vt ei, *quem eſſet ad eum dignitatis gradum euecturus*, leges poſuerit, eumque ad humilitatem modeſtiam, & charitatem informarit; *Qui maior eſt veſtrum*, inquit, *fiat ſicut minor, & qui præceſſor eſt, ſiue dux, ſiue rector, ſicut miniſtrator.* Chryſoſt. hom. 51. in Matth.

Hęc certè clariſſimè oſtendunt, quicquid deliret Spalatenſis, primatum inter diſcipulos non ſolùm à Chriſto non eſſe prohibitum, & improbatum, ſed omninò ab eo eſſe, & inſtitutum, & commendatum. Spalat. Num. 8.

Alias iam machinas admouet, &, vt ipſe loquitur, aliundè demonſtrare contendit, in ſacris Scripturis, Petrum nullum habuiſſe ſuprà cæteros principatum: Occurrit mihi, inquit, ille Euangelij locus, vbi Chriſtus inquit, Si te non audierit, dic Eccleſiæ. Chryſoſtomus hoc loco nomine Eccleſiæ dicit, intelligi præſules, & præſidentes; Ergo præter Petrum erant alij Eccleſiæ præſules, & præſidentes; Ergo non ſolus Petrus; puta Apoſtoli, & preſbyteri, & de his omnibus ſimul ſumptis ſub nomine Eccleſię ſubinfert Chriſtus; Quæcumque alligaueritis, &c. & non dicit ampliùs ſoli Petro ibidem præſenti, immò cùm quo fortaſsè immediatè tunc loquebatur: Quodcumque ligaueris, &c. Quis itaque non videt, Petrum etiam à Chryſoſtomo includi in numero præſulum, & præſidentium, non verò præferri, nec præfici?] Spalat. Num. 9. Matth. 18.

Andabatarum more pugnat Spalatenſis, quis enim vmquam Catholicorum Apoſtolos ex albo præſulum craſit; quis pro veris paſtoribus Eccleſiæ non habuit, quis eis conceſſas claues à Chriſto iuit inficias? At hæc non pugnant cum primatu Petri, quem in numero quidem præſulum ponit Chryſoſtomus, ſed tamquam Coryphæum, principem, & caput, cui priuato quodam iure claues regni cœlorum, cum plenitudine poteſtatis ſunt traditę: Ita ſanè ad Matth. Chryſoſtomus; *Nam quæ Deus concedere ſolus poteſt, peccatorum ſcilicèt remiſſionem, & vt Eccleſia tot, tantiſque fluctibus impetu irrumpentibus, immobilis maneat, & piſcator homo terrarum orbe reluctante adamantis naturam firmitate ſuperet, hæc, inquam, omnia, quæ ſolius Dei ſunt, ſe pollicetur daturum. Ita & Pater ad Hieremiam dicebat: ſicut columnam ferream, & ſicut murum æneum poſui te: ſed ipſum quidem genti vni Pater, tunc autem vniuerſo terrarum orbi Chriſtus præpoſuit.*] Chryſoſt. hom. 61. in Matth. Chryſ. ad c. 16. Matth. hom. 55.

Prętuliſſe autem Petrum reliquis, tam eſt clarum, & apertum, vt in meridie cæcutiant, qui iſtud non vident; Sic enim cùm de ſufficiendo collega in locum Iudæ differentem inducit; *Meritò*, inquit, *primus omnium auctoritatem vſurpat in negotio, vt qui omnes habeat in manu.* Poſſemus alia ſexcenta teſtimonia ex eodem facundiſſimo ſcriptore proferre. Chryſ. hom. 3. in Act.

Itaque habemus Petrum ſcripturæ, & Patrum ſuffragijs, *Principem, & coryphæum Eccleſiæ*. Videndum eſt iam nobis, vtrùm primatum aliquandò in terris geſſerit: Exercuiſſe enim negat, ac pernegat, Spalatenſis, iuratus veritatis hoſtis.

Spalat. Num 10. Act 6.

Primùm objicit, [initio naſcentis Eccleſiæ Diaconos non à Petro ſolo, ſed ab omnibus Apoſtolis communicato inter ſe concilio, renunciatos. In diebus illis, habet diuina ſcriptura, creſcente numero diſcipulorum, factum eſt murmur Græcorum aduersùs Hebræos, eò quòd deſpicerentur in miniſterio quotidiano viduæ eorum. Conuocantes autem duodecim multitudinem diſcipulorum dixerunt; Non eſt æquum nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis. Conſiderate ergo fratres viros, ex vobis boni teſtimonij ſeptem plenos Spiritu ſancto, & ſapientia, quos conſtituamus ſuper hoc opus: Nos verò orationi,& miniſterio verbi inſtantes erimus. Et placuit ſermo coràm omni multitudine, & elegerunt Stephanum virum plenum fide, & Spiritu ſancto, & Philippum, & Procorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenam, & Nicolaum aduenam Antiochenum. Hos ſtatuerunt antè conſpectum Apoſtolorum, & orantes impoſuerunt eis manus.

Eſt hoc argumentandi genus portentoſum; In renunciandis ſeptem Diaconis,Petrus primatem non egit, ergo nuſquam egit? Egit ſanè in ſuffectione noui Apoſtoli in locum Iudæ: Egit cùm primus de eliminandis legalibus inſtitutis, pronunciauit, cùm ſuam,ſuorumque condiſcipulorum cauſam, magna auctoritate coràm principibus Sacerdotum defendit; Egit cùm diuinæ iræ fulmina in Ananiam, & Saphiram contorſit; Egit cùm Archihæreticum, & principem Apoſtatarum Simonem, & damnauit, & extinxit; Egit,egit ſexcentis alijs locis, quorum fulgorem non obſcurarit Diaconorum inſtitutio, ab Apoſtolis, communicato conſilio, facta.

Cæterum ad argumentum reſponderat Cardinalis Bellarminus, id factum, vel *Petro auctore*, vel *certè conſentiente*, *Conſentiente* non repugnat Spalatenſis, quippè vnus de duodecim erat Petrus, cuius proindè ſententia, vt & reliquorum expectari debuerit, *Auctore* negat, *ariolarique* Cardinalem ait, *quòd huius rei non meminerit Lucas in Actis*: Sed eum fugit ratio, quandoquidem Lucas, nulla inuidia, præterijſſe potuit, quæ à Petro eſſent in hac Diaconorum creatione peracta,quòd tam multa de illo ſcripſiſſet,ex quibus colligi poſſet, quis eſſet illi inter Apoſtolos locus: Et prætereà potuit etiam Petrus collegio Apoſtolorum hanc curam integram reliquiſſe, nec pluſquam ſuum ſuffragium contuliſſe, vt ſuam humilitatem omnibus approbaret: Et certè hoc ipſo ſenſu exiſtimauit Chryſoſtomus, eundem Petrum, cum penès eum eſſet poteſtas ſufficiendi aliquem in locum Iudæ demortui, noluiſſe tamen id præſtare, *ne cui videretur gratificari*. Non eſt igitur, quòd ab Euangeliſtæ ſententia præſidium ducat:Equidem, vt rectè aduertit Bellarminus, officeret illud primatui Petri, ſi à Luca memoriæ mandatum eſſet, eo vel inuito, vel reluctante, à reliquis Apoſtolis renunciatos Diaconos: At nihil horum eſt à Luca dictum.

Hom. 3. in Acta.

Inſtat tamen Spalatenſis, [negatiuè ſaltem præiudicare primarui Petri textum Lucæ, quia eius teſtimonio cernimus actionem ad ipſius primatum pertinentem ab omnibus Apoſtolis fieri, & non à Petro ſolo: quam proculdubiò ipſe ſolus feciſſet, & facere, aut committere alijs debuiſſet, ſi ipſi ſoli totius Eccleſiæ regimen plenarium commiſſum fuiſſet; fuit enim illa vna ex maximè principalibus actionibus ad regimen Eccleſiæ pertinentibus: Hinc, inquit, colligimus, Petrum ſolum toti Eccleſiæ non præfuiſſe.] Quaſi verò neceſſe ſit etiam in caſtigatiſſimis Monarchijs, omnia ab vno principe præſtari, & non plura, vel auguſtiori conſilio, vel Senatui, vel alijs ſummis Magiſtratibus permittantur, de quibus edicant, decernant, ſtatuant? Sufficit nimirùm illa omnia principi probari. Fortaſsè verò vrgebit,haud ſolùm Petrum manus impoſuiſſe Diaconis, ſed reliquos quoque Apoſtolos, coniunctis operis, id quoque præſtitiſſe, verùm nec ex eo habebit pares fuiſſe, ſiquidem etiam cùm in Sacerdotij munus aliquem initiant Epiſcopi, presbyteri omnes quotquot adſunt manus ei vna cum Epiſcopo imponunt. Extat ea de re Canon Concilij Carthaginenſis, *Presbyter cùm ordinatur, Epiſcopo eum benedicente, & manum ſuper caput eius imponente, etiam omnes Presbyteri, qui præſentes, ſunt manus ſuas; iuxtà manus Epiſcopi, ſuper caput illius teneant*: Qui mos etiamnum in Eccleſia durat.

End. nu. 10. in fin.

Conc Carthag.4. c. 3.

Peto igitur à Spalatenſi, verùm cùm Archiepiſcopus ſacris aliquem initiaret, presbyteros, qui ſuam operam coniungerent, ac cum eo manus imponerent, ſibi pares haberet? Itaque, vt cum Petro reliqui manus Diaconis impoſuerint, non proindè æquales ei haberi poſſint. Poſſem addere, & in baptiſmo, & in confirmatione, adeòque in ipſa delictorum expiatione, ac lapſorum reconciliatione poſt impoſitas ab Epiſcopo manus presbyteris, Diaconos, ac etiàm Subdiaconos itidem manus impoſuiſſe, ac præeuntem Epiſcopum ſecutos fuiſſe. Sed hæc multiplicem, & ſcrupuloſam habent diſputationem, nec ad hoc meum propoſitum pertinent.

Secundò objicit locum Actorum, [Cùm autem audiſſent Apoſtoli, qui erant Hieroſolymis. quòd recepiſſet Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum, & Ioannem.] Hoc argumentum, ſi quid in eo ſit ponderis, Arianorum dogma fulcit, qui Filium Patre minorem ex eo probare contendunt, quòd à Patre mitti, paſſim in ſcriptura legatur: *Conuicti*, inquit Auguſtinus, *ad illud ſe conuertunt, vt dicant, maior eſt, qui mittit, quàm qui mittitur, proindè maior eſt Pater Filio, quia Filius à Patre ſe miſſum aſſiduè commemorat*: Reſpondent autem Orthodoxi,maiorem eſſe,qui mittit, quam qui mittitur, cùm qui mittit, vel ex imperio mittit, vtpotè maior, aut ex conſilio quippè ſapientior, Filium verò à Patre, nec ex imperio, nec ex conſilio, ſed conſpiranti, & concordi voluntate mitti.

Spalat Num 11. Act.8.

Lib. 1. de Trinit. c. 5.

Hinc facilè ſolui poterat argumentum Spalatenſis, ſed non ſuſtinet hic aduocari diuinas miſſiones: *Cùm ſimus*, inquit, *in humanis*, quaſi verò Ariani non ex humanis miſſionibus hoc ſuum argumentum contexerent: Satisfaciamus tamen importuno aduerſario

Vide 1. Th. 1 par. q. 45. art. 1.

ex

Ioſ 22. ex ordine rerum humanarum, prætermiſſis miſſionibus diuinis: Cùm altare excitaſſent ad tumulos Iordanis filij Ruben, & filij Manaſſe, de eis tollendis, ac delendis cogitauerunt reliquæ tribus Iſrael. Antequam autem bellum indicerent, *miſerunt ad illos in terram Galaad Phinees filium Eleazari Sacerdotis*, (ſummi ſcilicèt) *& decem principes cum eo*, qui ſceleris atrocitatem eis ob oculos ponerent.

Numquid igitur ſententia Spalatenſis, turba illa, & multitudo, maior fuit ſummo ſuo Pontifice, aut Tribuum principibus? Ille quidem aſſerere non audet; propterea hìc *miſſionem* non agnoſcit: *Hoc*, inquit, *non eſt mittere, ſed rogare*, & tamen *miſiſſe* filios Iſrael Phineem, & principes ſuos aſſerit ſcriptura, vtri credemus? Scripturæ, an deſertori? At vt

Act. 15. à libro Actorum Apoſtolicorum non recedamus, fideles Antiochiæ poſt excitatas turbas de legalium obſeruatione, *ſtatuerunt, vt aſcenderent Paulus, & Barnabas, & quidam alij ex illis, ad Apoſtolos, & Presbyteros in Hieruſalem, ſuper hac quæſtione*. Numquid igitur fideles illi Paulo, aut Barnaba ſuperiores, vel etiam æquales erant? Eſt itaque quoddam miſſionis genus, quod precibus, non imperio mittentis nitatur, quicquid in contrarium clamitet Spalatenſis.

Spalat. Num. 12. Act. 15. Tertiò obijcit nobis hunc ipſum, quem vrgemus locum: [Orta, inquit, grauiſſima quæſtione Eccleſiaſtica, num Circumciſio eſſet adhuc neceſſaria, illis præſertim, qui ex gentibus ad Chriſti fidem conuertebantur, Paulus, & Barnabas ſtatuerunt, vt aſcenderent ad Apoſtolos, & presbyteros in Hieruſalem ſuper hac quæſtione. Cur (quæſo) ad Apoſtolos, & presbyteros, & non ad Petrum? Si Petrus ſolus locum Chriſti propriè tenebat, ad ipſum erat confugiendum, & non ad Apoſtolos, & presbyteros. Quid tibi videtur (lector,) dum pro grauiſſima quæſtione recurritur ad Apoſtolos, & presbyteros, & non ad vnum quempiam, ſapie ne tibi hoc Monarchiam, an Ariſtocratiam? Si Chriſtus Monarchiam in ſua Eccleſia reliquit, cur illa Ariſtocraticè ab Apoſtolis, & presbyteris gubernatur? Sed videamus an fortaſsè ad Petrum ſolum peruenerint, & ab eo ſolutionem quæſtionis acceperint. Cùm autem, inquit Lucas, veniſſent Hieroſolymam, ſuſcepti ſunt ab Eccleſia, & ab Apoſtolis, & presbyteris, ſiue ſenioribus. Bis peccat in hoc argumento: Primùm, quòd exiſtimet, non potuiſſe hanc quæſtionem ad Apoſtolos deferri, perſeuerante ſtatu Monarchico in ordine, & collegio Apoſtolorum:] Namque verbi gratia Regimen Gallorum, planè regium eſt, & Monarchicum, & tamen quis neſciat ſummi ponderis negotia, vel ad Senatum, & Curiam, vel ad ſanctius Concilium; à quo plerumque etiam abſit Rex, deferri, vt de his iudicium ſuum interponant. Secundò fallitur, aut potiùs fallit, quòd nulla Capitis, aut Principis munia obijſſe Petrum, hac occaſione data, arbitretur. Propoſita enim quæſtione, cùm

In Act. Ap. c. 15. v. 7. magna conquiſitio fieret, ſurgens Petrus dixit ad eos: *Viri fratres vos ſcitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire Gentes verbum Euangelij, & credere. Et qui nouit corda Deus, teſtimonium perhibuit, dans illi Spiritum ſanctum, ſicut & nobis, & nihil diſcreuit inter nos, & illos, fide purificans corda eorum. Nunc ergo, quid tentatis Deum, imponere iugum ſuper ceruices diſcipulorum; quod neque patres noſtri, neque nos portare potuimus? Sed per gratiam Domini Ieſu Chriſti credimus ſaluari, quemadmodùm, & illi*. Hac ſiquidem oratione, Petri primatus ſplendeſcit. Eius porrò tantam vim fuiſſe ſcribit Hieronymus, vt Petrum faciat decreti Apoſtolici auctorem,

Tacuit omnis multitudo, & in ſententiam eius, inquit Hieronymus, Iacobus Apoſtolus, *& omnes ſimul presbyteri tranſierunt*. Hoc diſſimulare non debuit, vt nec illud Theodoreti, *Paulus præco veritatis, tuba ſanctiſſimi Spiritus ad magnum Petrum cucurrit, vt ijs, qui Antiochiæ de legalibus inſtitutis contendebant, ab ipſo afferret ſolutionem*. Nam ex eis colligitur, vt egregij ſcripturæ interpretes aduertunt, in conſeſſu Apoſtolorum, ſiue ij conſulantur, ſiue decernant, Collegas Petrum veluti ſui chori præſidem, ac Coryphæum ſemper ſuſpexiſſe, cuius primæ partes eſſent in definiendis, ac dirimendis, quæ occurrerent, controuerſijs. Etſi igitur Cyrillus Apoſtolis decretum, quo legalia ſublata ſunt, & pax reddita Eccleſijs tribuat, Petrum non excludit, quem Apoſtolorum principem non ſemel agnoſcit. Hìc verò facetus cauillator, & vrbanus ſcurra iocatur, quamquam illepidè, ſic enim de decreto Apoſtolorum ad Antiochenos per Paulum, Barnabam, Iudam, & Silam miſſum, *Cuius nomine*, inquit, *fuit expeditum illud Breue? an Petri, & ſub annulo Piſcatoris? Minimè verò. Audi. Scribentes per manus eorum Apoſtoli, & ſeniores fratres ijs, qui ſunt Antiochiæ, & Syriæ, & Ciliciæ fratribus ex Gentibus ſalutem*: Et paulò poſt: *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis*.

Ep. 11 inter Epiſt Aug. Theod. ep. ad Leon.

Nos ſeriò reſpondemus nomine Concilij, datum, ac promulgatum, quo quæſtio adeò perplexa, & mille meandris implicita, communi Apoſtolorum Concilio, ſolueretur.

Sed quorsùm non eſt expreſſum nomen Petri, ſi modò ille caput erat Apoſtolorum?

Reſpondeo, hunc ſemper morem obtinuiſſe in Eccleſia Dei, vt quæ ſolemnioribus Synodis eſſent conſtituta, nomine conſeſſus, non verò Pontificis, etiamſi illic ſuos legatos haberet, qui cœtui ſuo nomine præeſſent, ederentur, publicarentur, & populis proponerentur, vt nimirùm conſenſus Eccleſiæ Antiſtitum, ab omni cauillatione remotior eſſet, & crederent omnes tergiuerſandi locum ampliùs non eſſe, quandoquidem de ea re iudicium ſuum interpoſuiſſent ſummates Eccleſiarum. Ita factum cenſe in conſeſſu Apoſtolorum.

Spalat. Num 13. Gal. 2. Quartò opponit nobis illam Pauli libertatem, qua in reprehendendo publicè Petro vſus eſt. [Maxima, inquit, illa Pauli libertas in reprehendendo publicè Petro, quòd Gentes cogeret iudaizare, mihi videtur, plurimùm Petri primatui derogare. Veram enim & non ex compoſito ſimulatam, vt voluit Hieronymus; fuiſſe illam reprehenſionem, cum Cypriano, Auguſtino, & alijs plurimis admittit etiam Bellarminus. Et Hieronymus acerrimus in hac re contrà Auguſtinum diſputator, victus fortaſsè momentis rationum, aliàs, & ipſe videtur ſubſcripſiſſe. Ait enim,

Bell. li. 1. de Rom. Pont. cap. 16.

Hier. in ep. ad Philip.

Digna pœnitentia (Oneſimus) maculas vitæ prioris abſterſit, in tantum, vt is Apoſtolus conuerſionis eius teſtis fieret; qui quondam Petrum increpauerat, non recto pede in Euangelij veritate gradientem.] Citrà ambages, ac circuitionem ſeriam fuiſſe, nec ſimulatam reprehenſionem à Paulo Petro factam, cum Auguſtino aſſeueramus, nec dubitamus, Hieronymum, qui in contraria ſententia fuerit, palinodiam ceciniſſe, vt ex tertio aduersùs Pelagianos dialogo ipſe colligit Auguſtinus, epiſt. ad Oceanum.

Hieronym. Dial. 1. cót. Pelag. c. 8. Auguſt. ep. 160.

Sed malè indè haberi putat Spalatenſis, Paulum Petro proindè parem fuiſſe, aut ſuperiorem. Eſt enim quidem correctionis, & reprehenſionis modus, qui etiam inferioribus permittatur, vt ſuperiores moneant, ac ab errore dehortentur, [Duplex eſt correptio,] inquit magnus Aquinas, cuius mentem rectè omnino expreſſit Becanus, [vna iuſtitiæ, quæ fit per inflictionem legitimæ pœnæ: Altera charitatis, quę fit per fraternam correptionem. Prior conuenit ſolis prælatis reſpectu ſubditorum, quia requirit iuriſdictionem, quæ in ſolis Prælatis eſt. Poſterior conuenit, tam ſubditis, quàm Prælatis, quia eſt actus charitatis, quę ad omnes proximos, ſiue ſubditos ſe extendit. Tenemur enim omnes ex charitate diligere; ac proindè omnes peccantes corripere, ſeruatis ijs circumſtantijs, quas charitas exigit Non exigit autem charitas, vt eadem libertate, & auctoritate corripiamus Prælatos, qua ſubditos; Sed exigit, vt Prælatos cum reuerentia, & ſubiectione: ſubditos cum manſuetudine, & potentia, quantum fieri poteſt, obiurgemus.] Fuit igitur hæc reprehenſio Petri à Paulo [non ex auctoritate, ſed ex libertate charitatis,] vt loquitur Auguſtinus, ſuſcepta, & inſtituta; vt proindè ex eo non habeatur Petro ſuperiorem fuiſſe, cùm proculdubiò ſuperiores etiam ab inferioribus, & minoribus corrigi poſſint.

D. Thom. 2. 2 q. 33. ar. 4.

Auguſt. ep. 19. ad Hier.

Eod. nu. 13.

At inſtat Spalatenſis, [Quomodo debitam ſeruauit Paulus reuerentiam erga ſupremum totius Eccleſiæ caput, erga vnicum, verum, & proprium Chriſti Vicarium, erga illum, ad cuius ſolius nutum vniuerſa totius Eccleſiæ ſpectaret gubernatio, vbi palàm in faciem ei reſiſtit, obiurgat, increpat? Eſto, errauerit, error tamen ſupremi principis à ſubdito eius palàm, & cum auctoritate non reprehenditur; ſed vtendum eſt priuatis inſinuationibus cum magna prudentia, & reuerentia. Ac ſanè, ſi inter Paulum, & Petrum non fuiſſet paritas, ſed Petrus fuiſſet totius Eccleſiæ princeps, non video quomodo Paulus poſſet à magna imprudentia, & nimia audacia, atque arrogantia, imò, & procacitate excuſari.] Eſt hæc obiectio ex penu impijſſimi Porphyrij deprompta, qui, teſte Hieronymo, *Pauli arguit procacitatem, quòd principem Apoſtolorum Petrum auſus eſt reprehendere, & arguere in faciem.*

In epiſt. ad Gal. & ep. 89.

Reſpondemus autem, Paulum nihil procaciter egiſſe, ſed periclitanti fidei, ſumma prudentia, & citra contumeliam Petri ſubueniſſe, ac ſuppetias tuliſſe. Quòd citra contumeliam Petri eum reprehenderit, vel ex eo ſuaderi poteſt, quòd ipſe ad Thimotheum ſcripſerit, *Seniorem ne increpaueris, ſed obſecra vt Patrem.* Atqui ſententia etiam Spalatenſis ſeniorem agnouit Petrum, non igitur eum procaciter arguit, aut vexauit; *Reſtitit tamen in faciem* hoc eſt, coràm, & in præſentia, nimirùm, quia periculum erat, ne perniciosa ſimulatione ingens aliquod detrimentum fides acciperet. Rationem hanc in commentario reddit Auguſtinus: *Quod addit coràm omnibus*, inquit, *neceſſitas coegit, vt omnes illius obiurgatione ſanarentur: Non enim erat vtile, errorem, qui palàm noceret, in ſecretò emendare. Sciendum eſt enim;* inquit ſanctus Doctor, *quòd vbi immineret periculum fidei, etiam publicè eſſent prælati à ſubditis arguendi, Vndè*, inquit, *& Paulus, qui erat ſubditus Petro, propter imminens periculum ſcandali circa fidem publicè Petrum arguit.*

1. Timoth. 5.

Aug. in ep. ad Gal.

S. Thom. 2. 2 qu. 33. art. 4. ad. 2.

Aug. ep. 19. ad Hieron.

Propterea etiam Auguſtinus, Paulum à libertate charitatis, Petrum verò à benigna pietate humilitatis, laudat. *Ipſe Petrus*, inquit *quod à Paulo fiebat vtiliter libertate charitate, ſancta, ac benigna pietate humilitatis accepit. Atque ita rariùs, ac ſanctiùs exemplum poſteris præbuit, quo non dedignarentur, ſicubi fortè recti tramitem reliquiſſent, etiam à poſterioribus corrigi; quàm Paulus; quo confidenter auderent, etiam minores maioribus, pro defendenda euangelica veritate, ſalua fraterna charitate, reſiſtere.* Inſuper illud in Petro laudat, ac miratur, quòd liberam Pauli reprehenſionem, tanta manſuetudine, & humilitate acceperit, quanta paſtorem Eccleſiæ decuit, nec dubitat aſſeuerare, fuiſſe Petrum obiurgatore ſuo mirabiliorem, & ad imitandum difficiliorem, quòd *ſcilicet, multò mirabilius ſit, & laudabilius vtiliter accipere corrigentem, quàm audacter corrigere deuiantem.* Humilitatis ergo laudem conſecutus eſt Petrus, vt ſanctæ libertatis Paulus, qui tamen ab omni procacitate abfuerit.

Eidem ep.

Tibias iam inflat Spalatenſis, ac grandius quiddam ſpirat. [Sed ex alia etiam cauſa, inquit, reprehenſio hæc à Paulo facta primatui Petri obeſt plurimùm. Iſte ne eſt ille Petrus, ideſt, illa petra, ſuper quam fundanda erat Eccleſia, cui ſoli volunt Monarchici poſt Chriſtum inniti totum Eccleſiæ ædificium; nunc verò factum ruinoſum fundamentum, non ambulat rectè ad veritatem Euangelij? Deſtruebat profectò, ſi Paulo credimus, non ædificabat Eccleſiam, dum gentes ad fidem venientes iudaizare compellebat Ex quo, & conuerſis Chriſtus nihil proderat: & conuertendi à conuerſione abſterrebantur, nimia legalium auſteritate. Hic ne ille Petrus, cui commiſſa dicitur cura, vel ipſorum Apoſtolorum, verbis illis Chriſti: Confirma fratres: Nunc verò iam poſt ſuſcepum planè principatum, ipſe eget confirmatione, correptione, & inſtructione à nouiſſimo Apoſtolorum? Decipiebant nos igitur illi, qui ad Petri perſonam nos docebant illa Chriſti verba ſpectare: Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; & portas inferi aduerùs hanc petram, quæ ſit Petrus, non præualituras. Et benè dicebat Auguſtinus, (quod ſæpè, ſed nunquam ſatis à me inculcatur.) Nihil illuſtre dari Petro in ipſius perſona, niſi id ad totam Eccleſiam referatur. Sed, & de hoc rurſùm erit nobis lib. 7. agendum.] Non potuit, aut odioſiùs, aut inſolentiùs hic Petri lapſus exagitari.

Spalat. Num. 14.

Galat. 5.

Luc. 22.

Matth. 16.

Ita-

Digitized by Google

Spalat. Nu. 15. 16. 17 18. contr. Baronium.

Itaque iudicio Spalatenſis, tam atrox fuit eius ſcelus, vt hoc facto oſtenderit eas laudes, quibus in Euangelio eſſet ornatus, ad ſe minimè pertinere. Apage hanc beſtiam, montem contingentem, ac inquinantem. Erraſſe Petrum cum Auguſtino ſentimus, & ex compoſito, ac ſimulatè fuiſſe hanc diſceptationem inſtitutam negamus, nec nos mouent, quæ ſunt in contrarium, aut à Baronio, aut etiam à Hieronymo diſputata; ſed eum errorem leuiorem fuiſſe, quàm qui principem Apoſtolorum ſua dignitate ſpoliarit, aut nudarit, conſtantiſſimè aſſeueramus. In fide certè nullo modo errauit. Rectè omninò Tertulliano. [Cæterùm ſi reprehenſus eſt Petrus, quod cùm conuixiſſet Ethnicis, poſteà ſe à conuictu eorum ſeparabat perſonarum reſpectu, vtique conuerſationis fuit vitium, non prædicationis.] Quòd igitur, tum de Petro, tum de aſſeclis Petri ſcripſit Paulus, [non rectè eos ambulaſſe ad veritatem Euangelij,] eo minimè trahendum eſt, vt putemus Petrum in dogmate fidei erraſſe, proculdubiò enim idem ſentiebat, quod Paulus, & tantùm imprudentia facti lapſus eſt; quoniam ſimulatione ſua præbuit noxij erroris occaſionem gentibus; nam cùm lege neglecta, promiſcuè cum illis ediſſet, *priuſquam veniſſent quidam à Iacobo, ſub aduentum illorum, qui æmulatores eſſent legis, ſubduxit ſe à conuiuijs, & menſis gentilium*, quo facto, facilè multis perſuaſit, legis obſeruatione Chriſtianos teneri, cum nimirùm tantus Apoſtolus eam ſibi obſeruandam duceret.

De præſcr. cap. 23.

Gal. 2.

Nocuit igitur Petrus, non tam vitio ſuo, quàm exemplo. Nam quod ad factum ipſum attinet, obſeruatio legalium, citra quidem opinionem neceſſitatis, peccatum tunc temporis non fuit; Namque ipſe Paulus pari cum Petro ſimulatione aliquando vſus, Timotheum circuncidit, & *caput ex voto ſibi totondit.* Verùm in eo Petri culpa fuit, quòd cùm Paulus prudentiſſimè, & citra ſcandalum iſta admiſiſſet, ille contrà per ſummam imprudentiam legi indulſit, cùm minimè oporteret, propterea quòd ex ipſius facto prona eſſet occaſio gentibus declinandi ab Euangelica veritate. Hoc Paulus vocat, *non iuſtè ambulare*, Græcè *orthopodun*, *non recto pede incedere ad veritatem Euangelij*. Deſignat igitur hic nugator quærere, *Hic ne ille eſt Petrus, cui commiſſa dicitur cura, vel ipſorum Apoſtolorum, ſuper quem ædificatam Eccleſiam dicunt?* Humanus hic lapſus prærogatiuas Petri non euertit, neque vbetiores illæ gratiæ, quibus à Deo perfuſus eſt, eum propterea *anamartiton* faciunt; Peccauit, ſed errore veniabili. Moyſem populi Iſraelitici ducem, Aaronem ſummum Synagogæ Pontificem, quis neſciat grauiùs deliquiſsè? An verò propterea Magiſtratu exciderunt?

Act. 18.
Act. 16.

Num. 19. & 20.

Cæterum tantùm abſunt à Petro lacerando Cyprianus, & Auguſtinus, quos profert Spalatenſis, vt cùm vterque lapſum Petrum dicat, ambo eius, [modeſtiam, charitatem, & patientiam] demirentur, ac laudibus in cœlum ferant, qui nil commotus, tam graui, tamque ſeria poſterioris Apoſtolorum obiurgatione, æquo animo eam tulerit, nec ſe auctoritate ſua defenderit. Cyprianus quidem hunc in modum loquitur, [Non eſt, inquit, de conſuetudine præſcribendum, ſed ratione vincendum, nam nec Petrus, quem primùm Dominus elegit, & ſuper quem ædificauit Eccleſiam ſuam, cùm ſecum Paulus de circumciſione poſtmodùm diſceptaret, vindicauit, ſibi aliquid inſolenter, aut arroganter præſumpſit, vt diceret ſe primatum tenere, & obtemperari ſibi à nouellis, & poſteris ſibi potiùs oportere. Nec deſpexit Paulum, quòd Eccleſiæ priùs perſecutor fuiſſet, ſed conſilium veritatis admiſit, & rationi legitimæ, quam Paulus vindicabat, facilè conſenſit, documentum ſcilicet nobis, & concordiæ, & patientię tribuens, vt non pertinaciter noſtra amemus, ſed quæ aliquando à fratribus, & collegis noſtris vtiliter, & ſalubriter ſuggeruntur, ſi ſint vera, & legitima, ipſa potiùs noſtra ducamus.]

Cyp. ep. 71. ad Quintum

En præclaræ vocis teſtimonium, quod inquinaſſe tentarat Spalatenſis, [Obſerua, inquit, obſecro, lector, Petrum circumciſionem gentibus neceſſariam cenſuiſſe;] O ſceleſtum os! Quid ergo ſibi volunt illa Petri verba in Concilio Apoſtolorum: [Nunc quid tentatis Deum imponere iugum ſuper ceruices diſcipulorum, quod neque Patres noſtri, neque nos portare potuimus, ſed per gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti credimus ſaluari quemadmodùm, & illi?] Diſceptatio igitur, quam Petro hic cum Paulo fuiſſe, aſſerit Cyprianus, ex eo nota erat, quòd cùm paria ſentirent, facto tamen, & exemplo à communi doctrina recederet Petrus, inuecta periculoſa ſimulatione, quæ gentilibus occaſio eſſet erroris; Propterea Auguſtinus Cyprianum illuſtrans. *De circumciſione agere* (non docere) *ſolitum Petrum aliter quàm veritas poſtularet, refert*; Siccine verò propugnandam ſuſceperat Circumciſionem, qui totam illam molem cæremoniarum lege præceptarum *iugum importabile*, & Chriſtianis excutiendum vocat, vt ſe ſola gratia Chriſti ſaluari agnoſcant?

Eod. nu. 19
Act. 15.
Aug. lib. 2. de bapt cont Donat. ca. 1.

Certè Hieronymus ex Scriptura docet, ante ſuſceptam illam diſputationem *Apoſtolum Paulum non ignoraſſe Petrum principem huius decreti*, Legem poſt Euangelium non eſſe ſeruandam. Auguſtinus quoque clariſſimè hac de re perſcripſit Hieronymo. *Neque enim*, inquit, *negamus in hac ſententia fuiſſe iam Petrum, in qua, & Paulus fuit; Non itaque tunc eum, quid in ea re verum eſſet, docebat, ſed eius ſimulationem, qua gentes iudaizare cogebantur*, nimirùm, vt habet idem Auguſtinus apud Heronymum, *non docentis imperio, ſed conuerſationis eius exemplo arguebat*.

Hier. epiſt. 89.
Ep. ad Hier.
Apud Hier. epiſt 89.

Obſeruandum ſecundò monet Spalatenſis, [Petrum quippè reum reprehenſionem patienter tuliſſe,] id verò haud citra honoris præfationem profert Cyprianus. [Nam nec Petrus, inquit, quem primùm Dominus elegit, & ſuper quem ædificauit Eccleſiam ſuam, (audiſne iſta?) vindicauit, ſibi aliquid inſolenter, aut arroganter præſumpſit, vt diceret ſe primatum tenere, &c.] Hæc enim idcircò in medium adduxit, vt illuſtriorem redderet patientiam Petri, qui cùm inter Apoſtolos ea dignitatis prærogatiua effulgeret, vt eſſet ſuper eum ædificata Eccleſia, & primatum teneret, abſtinuerit tamen ab omni primatus ſui oſtentatione, & inani iactatione, ac collegæ recta monenti acquieuerit; ſi au-

Cyprian. ad Quintum.

tem

tem nec ſuprà Petrum ædificata fuit Eccleſia, nec ipſe primatum tenuit, qui potuit iudicio Cypriani habere ſe aduerſus Paulum inſolentiùs, ac ſuæ dignitatis oſtentatione, eius depellere reprehenſioem? Hoc itaque ſummæ patientiæ, & humilitatis propoſito exemplo, Collegas ſuos Cyprianus hortatur, vt principis Apoſtolorum imitarentur modeſtiam, vt quemadmodùm ipſe cùm primus eſſet, primatum tamen inſolenter non iactaſſet, neque Paulum meliora afferentem ſpreuiſſet, ſic nec ipſi ſuam ſententiam, ità mordicus retinerent, vt alios præ ſe contemnerent. Cæterùm Primatum Petri adeòque Eccleſiæ Romanæ agnouiſſe Cyprianum, ſuprà fusè oſtendimus.

Tertiò, in Cypriano obſeruandum cenſet Spalatenſis eius ſententia, *Petrum fuiſſe errori obnoxium, quem ſi admonitus defendiſſet, pertinacem futurum fuiſſe*. Hìc diſtinguendum illi fuit de errore, ſi enim de errore in fide, aut de lapſu lethali illi ſermo eſt, proculdubiò à Cypriano, & à tota Theologorum Schola recedit, ſi de errore aliquo veniabili, in quem, non ſatis prudenter in re perplexa libratis, & penſitatis omnibus circumſtantijs, incurrere potuerit, admittimus. Nam vt rectè monet Doctor S. *Licèt Spiritus ſanctus in Apoſtolos deſcendens in Pentecoſte, eos deinceps confirmauerit in prudentia, & gratia, vt euitarent omnia peccata mortalia, non tamen, vt omnia venialia effugerent.* Addo verò, Petrum à Spiritu ſancto illuſtratum non potuiſſe pertinaciter, tamquam ad ſcopulum adhæreſcere, ad illum ſuum errorem, quamquam veniabilem; Non enim id patiebatur vbertas illa gratiarum, quæ in eum ſacro die Pentecoſtes exundarat. (Ad c. 2. ep. ad Galat.)

Quartò, monet obſeruandum in Cypriano, *Paulum fuiſſe fratrem, & Collegam Petri*; Sed quis vnquam de eo dubitauit? An non Apoſtolus fuit Paulus eidem ſcilicet cum Petro collegio addictus? Ergo & *frater*, & *collega* fuit Petri.

Cęterùm quod attinet ad nomen *fratris*, Petrus prima illa ſua ad fideles concione, haud ſolos Apoſtolos, ſed & reliquos diſcipulos pro ſumma ſua in omnes charitate, proque magni Apoſtoli moderatione fratres vocat, *Viri fratres*, inquit, & tamen credo, omnes diſcipulos Petro pares non faceret Spalatenſis. (Heb. 2. 11.)

Sed & Chriſtus, *Non confunditur, fratres eos vocare, dicens, Nunciabo nomen tuum fratribus meis*. Quis ergo moratales homines ei æquauerit? Certè commentarius, qui Ambroſij nomine præfertur, Theodoretus, & Chryſoſtomus obſeruant, verbo illo, non *Confunditur* non *Erubeſcit*, diuinam perſonam, atque naturam obſcurè indicari, vt ſignificare voluerit Apoſtolus, Chriſtum, cùm Deus eſſet, ac totius mundi conditor, adeò tamen ſe deieciſſe noſtra mortalitate ſuſcepta, vt haud quaquam erubuerit homines fratres ſuos vocare. Quod, vt rectè aduertit Commentarius Ambroſio aſcriptus, non naturæ, ſed benignitati, & humilitati tribuendum eſt; Propterea enim *primogenitus in multis fratribus*, appellatur, quo eius ſuprà reliquos dignitas, eminentia, ac præſtantia, indicatur. *Fratris* igitur nomen æqualitatem non inducit. Namque etiam cùm de conſtituendo aliquando Rege in Iſrael ageret Deus, hoc vnum addidit, *Nec eleuetur cor eius in ſuperbiam ſuper fratres ſuos*, cùm tamen nemo dubitet, Regem celſiore loco, & auctoritate ſemper fuiſſe, quàm fuerit reliqua plebs. Et quidem Eraſmus rectè notauit, nomine fratris æqualitatem poteſtatis inter Epiſcopos non ſignificari, ſed ſocietatem *Miniſterij*, ac etiam *doctrinæ*. Quod verò ad *Collegæ* nomen attinet, nec ipſum æqualitatem inducit inter eos, qui Collegæ dicuntur; Certè, vt à Collegis Cypriani non recedamus, Cõcilio Aphricano omnes Epiſcopi, Aurelij Carthaginenſis Antiſtitis, ac Aphricę primaris *Collegæ* vocantur, & tamen nullus, niſi rerum Eccleſiaſticarum valdè rudis neſcit, tantam fuiſſe eius primatus ſuprà reliquos eminentiam, vt nec Epiſcopis, nec ipſis primatibus Numidiæ, & Mauritaniæ licuerit, aliquid illo inconſulto agere, vt eſt Canonibus eiuſdem Concilij ſancitum. Memini etiam, presbyteros Epiſcoporum *Collegas* dictos Concilio Carthaginenſis quarto, neque tamen induci poteſt Spalatenſis, vt credat, presbyteros Epiſcopis pares eſſe. (Ad Hebr. cap. 2.) (Deut. 17.) (Cõc. Aphr. cap 11. 12. & 31.) (Can. 20.) (Concil. Carth 4. cap. 25.)

Deſinat ergo ex verbo Collegæ æqualitatem colligere: Sed vt ad Petrum, & Paulum reuertamur, diximus Collegas omninò fuiſſe ratione Apoſtolatus, ſed in regenda Eccleſia Paulum faſces ſummiſiſſe Petro, cui paſcendas oues ſuas, altiori quodam iure, commendaſſet Chriſtus. Rem exemplo faciemus illuſtriorem. Sæculo Auguſti, cùm penès eum rerum ſumma eſſet, ſæpè in gerendo conſulatu Collegas habuit Senatores Romanos. Erant illi Auguſti in conſulatu collegæ; At Imperij dignitate pares non erant, quando is præter Conſulatus honores Imperator, aut mitiore vocabulo princeps quoque audiret. Ad hunc igitur modum Paulus Collegio Apoſtolorum adſcriptus, proculdubiò Petri hoc nomine collega fuit, ſed alia ratione collega non fuit, quia vni Petro Eccleſiæ gubernacula, pro auctoritate capitis, tractanda tradidit Chriſtus. Abeunt igitur in fumos quæcumque ex huius nominis communione collegit Spalatenſis, vt primatum Petri violaret.

Nunc nobis audiendus eſt Auguſtinus, & à ſordibus, quibus eum inquinauit Spalatenſis, repurgandus; Auguſtinus igitur cùm ab his, qui baptiſmum ab hæreticis collatum ne nauci quidem facerent, & contrà receptam doctrinam damnarent, auctoritate Cypriani premi ſe videret, non tam, vt Cypriani auctoritatem eleuaret, quàm, vt obſtinatiſſimos aduerſarios frangeret, ſic de ea eſt loquutus. [Non me terret auctoritas Cypriani, quia reficit humilitas Cypriani. Magnum quidem meritum nouimus Cypriani Epiſcopi, & Martyris, ſed numquid maius, quàm Petri Apoſtoli, & Martyris? De quo idem Cyprianus in Epiſtola ad Quintum ita loquitur. Nam nec Petrus, inquit, quem primum Dominus elegit, & ſuper quem ædificauit Eccleſiam ſuam, cùm ſecum Paulus de circumciſione diſceptaret, poſtmodùm vendicauit, ſibi aliquid violenter, aut arroganter aſſumpſit, vt diceret ſe primatum tenere, &c. Ecce, inquit, vbi commemorat Cyprianus, (Spalat. Num. 20.) (Lib. 2. de bapt. contr. Donat. c. 1.)

nus, quod nos etiam in ſcripturis ſanctis didicimus, Apoſtolorum Petrum, in quo primatus Apoſtolum tam excellenti gratia præeminet (audiſne Spalatenſis) aliter quàm veritas poſtulabat, de Circumciſione agere ſolitum, à poſteriore Apoſtolo Paulo eſſe correctum. Si ergo potuit Petrus contra veritatis regulam, quam poſteà Eccleſia tenuit, cogere gentes iudaizare, cur non potuit Cyprianus &c.]

Ex his verbis primùm colligit Spalatenſis; [Paulo cum Petro de Circumciſione certamen fuiſſe, adeòque Paulum pro veritate, Petrum verò pro errore grauiſſimo pugnaſſe, quòd teſte eodem Auguſtino, ſi quiſquam nunc cogat circumcidi aliquem more Iudaico, & ſic baptizari, multò ampliùs deteſtetur hoc genus humanum, quàm ſi aliquis cogatur rebaptizari.] Sed errorem ex errore nectit ipſe Spalatenſis: Diſceptationem Pauli cum Petro de Circumciſione fuiſſe, nullus inficiatur, ſed Petrum aliud docuiſſe, quàm Paulum, Auguſtinus non docet, tantummodò innuit, quod Scriptura quoque tradit, *egiſſe eum aliquid aliter, quàm veritas Euangelij poſtularet*, ſiquidem ſubducit ſe à menſis gentilium, ne Iudæos offenderet. Verba Auguſtini ſunt. *In Scripturis ſanctis didicimus, Apoſtolum Petrum, in quo primatus Apoſtolorum tam excellenti gratia præeminet, aliter, quàm veritas poſtulat de Circumciſione agere ſolitum, à poſteriori Apoſtolo Paulo eſſe correctum.*] Idem Auguſtinus alibi aduersùs Hieronymum diſputans, ac Petrum proculdubiò peccaſſe contendens, etiam eius peccatum facti fuiſſe, non doctrinæ, non obſcurè docet. *At enim*, inquit Hieronymum refellens, qui ex compoſito, & citra culpam Petrum à Paulo reprehenſum ſcripſiſſet, *ſatiùs eſt credere, Apoſtolum Paulum aliquid verè non ſcripſiſſe, quàm Apoſtolum Petrum non rectè aliquid egiſſe, Hoc ſi ità eſt, dicamus, quod abſit, ſatiùs eſſe credere mentiri Euangelium, quàm negatum à Petro Chriſtum.* Vides, vt ſapientiſſimus Pater dicat Petrum *non rectè aliquid egiſſe*, minimè verò *non rectè aliquid docuiſſe*. Perpetuò etiam eadem epiſtola inculcat, *non feciſſe Petrum, quod facere debuit*, ſed nuſquam cò rem trahit, vt dicat, *aliter debuiſſe, quàm debuerit*. Itaque, nec Auguſtino, nec Cypriano venit in mentem, Petrum contra Pauli doctrinam docuiſſe, Circumciſionem eſſe obſeruandam, ſed dumtaxat aliquid egiſſe, quod tum Pauli, tùm ſuam de legalium ceſſatione doctrinam euerteret. Itaque, vt obſeruabamus ex Tertulliano, vitium illud fuit *conuerſationis*, non *prædicationis*. Neque Spalatenſis, vel verbum vnum proferre poteſt, quod Petro exciderit, ad inceſſendam doctrinam Pauli de Circumciſionis abrogatione, & legalium ceſſatione. Solo ſcilicet exemplo peccauit, ſubducens ſe à menſis Gentilium, vt ſuis contribulibus gratificaretur. Quod verò, vt inuidia oneret Petrum, vrget ex Auguſtino, tantò Patri, tam grande nefas videri illam de obſeruatione circumciſionis doctrinam, *vt minore loco Anabaptiſmum habeat*, inſcitiam eius prodit: Neque enim Auguſtinus, vel per ſomnium cogitauit ſęculo Apoſtolorum, quo ea diſceptatio exorta ſit, horribilius fuiſſe flagitium circumcidiſſe hominem baptizatum, quàm eum rebaptizaſſe: Loquitur enim de ſuo ſæculo Auguſtinus; [Si quiſquam, inquit, nunc (nunc) cogat circumcidi aliquem more Iudaico, & ſic baptizari, multò ampliùs deteſtatur hoc genus humanum, quàm ſi aliquis cogatur rebaptizari. Quapropter cùm Petrus illud faciens, à Paulo poſteriore corrigitur, & pacis, atque vnitatis vinculo cuſtodito ad martyrium prouehitur &c.] Quod, vt plenius intelligatur, ſciendum eſt, Auguſtinum in grauiſſima illa quæſtione, de qua cum Hieronymo illi res fuit, docuiſſe, legis illas moroſas obſeruationes, vt vocat Tertullianus, ſub tempus quidem paſſionis Chriſti, nullos ampliùs obligaſſe; quòd moriente Chriſto interierit etiam totus ille vmbratilis cultus. Legalia igitur inſtituta tunc quidem mortua agnoſcit, ſed eorum obſeruationem (citra opinionem neceſſitatis) haud damnat ante ſufficientem Euangelij promulgationem, cui cùm eſt cumulatiſſimè ſatisfactum, mortifera, vt ille quidem loquitur, fuiſſe cenſet.

Aug. ep. 117 inter epiſt. Hier.

In Spalat. num. 20.

Igitur tantùm abeſt, vt ſæculo Petri earum obſeruationem perniciem animabus attuliſſe docuerit, vt etiam crediderit, Apoſtolos, & in his Paulum illa ſeruaſſe (citra tamen opinionem neceſſitatis) ad commendationem, *vt non tamquam deteſtanda, & ſimilia Idololatriæ, vitarentur*. Cùm igitur Circumciſionis obſeruationem, deteſtandum crimen facit, de ſuo tempore loquitur, atque de poſterioribus ſæculis, quibus opera Apoſtolorum, & diſcipulorum eſſet ſufficientiſſimè promulgatum Euangelium; quod quia non vidit Spalatenſis, eum parum æquum cenſorem Petri nobis dedit.

Aliud iam molitur. [In his Auguſtini dictis, inquit, præterquam quòd confirmat, & ipſe, de Circumciſione fuiſſe etiam tunc illam diſſenſionem, illud potiſſimùm etiam vellem obſeruari, Auguſtinum, ſicut, & Cyprianum inter Paulum, & Petrum nullam aliam maiorem diſtantiam reperiſſe, niſi quòd Petrus eſſet prior, Paulus poſterior, nempè tempore in Apoſtolatu. Ac de hoc Petri errore multis alijs in locis agit Auguſtinus; præſertim libro quarto &c.] Reſpondeo etſi Auguſtinus, & Cypianus hanc ſolùm diſtantiam, vt loquitur Spalatenſis, inter Petrum, & Paulum in hac diſputatione obſeruaſſent, quòd ille prior, iſte poſterior tempore in Apoſtolatu eſſet, id feciſſent, quòd dignitas Apoſtolorum nullum aliud diſcrimen inter eos admitteret; qua Apoſtoli enim omninò pares auctoritate erant, ſed præter Apoſtolatus dignitatem elucebat in Petro dignitas Capitis, quæ aduentitium quiddam eſt ad Apoſtolatum.

Spalat. Num. 20.

Sed certè non fecerunt, nam vterque aliud diſcrimen inter ſummos Apoſtolos ponit, quàm temporis, & vocationis: Namque Cyprianus, *Dominum ſuprà Petrum ædificaſſe Eccleſiam* obſeruat, & Auguſtinus, in eo *excellenti gratia præeminere Primatum Apoſtolorum*, ſcribit, quæ duo ad dignitatem Capitis pertinent.

Sed expendantur illa Auguſtini verba, quæ Spalatenſis ſibi præteruolanda duxit. [Puto, quòd ſine vlla ſui contumelia Cyprianus Epiſcopus Petro Apoſtolo comparatur, quan-

ſulis loquens, non ſolùm culpam, ſed qnod eſt magis, hypocriſim, ideſt, ſimulationem nominat. Ecce Paulus in Epiſtolis ſuis ſcripſit Petrum reprehenſibilem; Et ecce Petrus in Epiſtolis ſuis aſſerit Paulum in ijs, quæ ſcripſerat admirandum. Certè enim, niſi legiſſet Petrus Pauli epiſtolas, non laudaſſet; ſi autem legit, quia illic ipſe reprehenſibilis dicitur, inuenit. Amicus ergo veritatis laudauit etiam, quòd reprehenſus eſt, atque ei ad hoc ipſum placuit, quia in bis non placuerat, quæ aliter, quàm debuerat ſenſit. Pulchra eſt illa Gregorij (etiam Romani Pontificis) obſeruatio, inquit Spalat. Petrum legiſſe Pauli epiſtolas, eaſque laudaſſe, licèt in ijs videret vniuerſo orbi promulgari ſe ſuiſſe reprehenſum à Paulo, quia & erat reprehenſibilis. Mirum verò, quòd Petrus, hoc eſt, ſummus Eccleſiæ Monarcha, & ſupremus Chriſti, ac Dei Vicarius, illam Pauli Epiſtolam ad Galatas, in indieem expurgatorium ſtatim non conieeerit. Quippè ipſum primum, & ſupremum Papam adeò deprimentem, & ipſius errores exaggerantem. Certè Petri ſucceſſores, tales Epiſtolas, & libros, qui ipſorum errata, & reprehenſiones rationabiles continent, iam ferrè nolunt; proſcribunt eos, & diris deuouent. Expectandum profectò, vt ſi planè noſtri Papæ viderint ex Euangelio Canonico papatum deſtrui, Euangelium etiam ipſum in prohibitorum librorum indieem detrudant. Hæc obiter. Quomodo ergo tota Eccleſia ſuper vno Petro dicenda eſt inniti, qui adeò labilis eſt, vt in ipſo limine offendat?] Scilicet non ſolùm pontificem, ſed & Petrum ludibrio habet, quem ironicos *ſummum Eccleſiæ Monarcham, & ſupremum Chriſti, ac Dei Vicarium* vocat, vt diſcas ex eorum numero eſſe, de quibus Apoſtolus, *Dominationem ſpernunt, maieſtatem blaſphemant &c.* Et vt crimen crimine cumulet, ſeeluſque ſeeleri addat, *Paulum Petrum deprimentem, & ipſius errores odioſius exaggerantem inducit*; ſed propius ad rem.

Iudæ epiſt. catholica.

Dolet illi infames ſuos libros in Indicem ſcriptorum improbatæ lectionis à pontifice relatos, eoque impudentiæ prouehitur, vt vaticinari audeat futurum aliquando, vt Rom. Pont. Euangeliũ in librorũ prohibitorũ Catalogum, detrudant; ſed eſt impia omninò, blaſphema, ac ſacrilega impuriſſimorum ſcriptorum, cum Epiſtolis Pauli, aut Euangelio collatio. Euangelia, & Epiſtolas Pauli ſuſpicit, veneratur, adorat Pontifex, ac in his Deum loquentem agnoſcit; ſed neſarios libros, erroribus ſcatentes, damnatiſſimis hæreſibus refertos, quibus Chriſtus ipſe, Eccleſia ſanctiſſima eius ſponſa, Auguſtiſſima Eccleſiæ Sacramenta proſcinduntur, lacerantur, violantur, deformantur, nedùm prohibendos, ſed & flammis abolendos iure optimo cenſet, & in horum numero peſtilentiſſimos illos commentarios de Republica omnium omninò errorum labe inquinatos, ac fœdatos ponit.

Si enim charitas, aut amor religionis ad monita quædam Eccleſiaſtica ſcribenda impuliſſet, ſi poteſtati pepercifſet, de vitijs ſolùm dixiſſet, tuliſſent illum pontifices, vt olim tulerunt Damianum, Bernardum, ac pleroſque alios ſanctiſſimos Patres, qui magna libertate in deprauatos aulæ mores inuecti ſunt, ac etiam credo pro ſumma ſua pietate Greg. XV. gratis illi habuiſſet: Sed odij, inuidiæ, adeòque furoris œſtro percitus fræna linguæ laxauit, ſacram poteſtatem à Chriſto conſtitutam vexare, violare, ac funditùs euertere non erubuit; nec his contentus, bellum Chriſto ipſi in Euchariſtia degenti, ac reliquis ſanctiſſimæ Eccleſiæ Sacramentis indixit.

An non igitur dignus eſt, qui in libris pœnam luat, quam infami fuga declinarit, & à capite ſuo auerterit? Præſcripſerunt de ea re leges Romanæ, quibus cautum eſt, vt libri, qui maledictis, & conuicijs in Magiſtratus ſcaterent, flammis traderentur; Romæ itaque, Athenis, ac vbiuis gentium ſemper animaduerſum eſt, in auctores librorum, libroſque ipſos, qui religionem quoquo pacto ſoluere viderentur.

Hanc igitur labem cùm aſperſerit iſtis ſuis commentarijs impuriſſimis, quid aliud illi expectandum fuit, quàm vt, vel ſaltem in improbatæ lectionis librorum indicem detruderentur? Ipſe meliori menti redditus, exuat Patrem, vt agat Conſulem, & impios illos fœtus, ac infœlices partus diris, & furijs deuotos mactet, enecet, interficiat; eos imitatus, *qui cùm eſſent curioſa ſectati, contulerunt libros, & combuſſerunt coram omnibus*, vt eſt in actis Apoſtolicis annotatum: Sed de his plùs ſatis. Ad ſuſceptam de primatu Petri diſputationem reuertamur. Agnouiſſe probaſſe, adeòque eius præſidio auctoritatem ſuę ſedis firmaſſe Gregorium, nemo qui, vel oſcitantiùs illum legerit, dubitare poteſt, & ſexcenta in eam rem eius proferimus teſtimonia, quamquam hoc loco eo vno, quo vtitur Spalatenſis, contenti ſimus, Humilitatis enim Petri rationem reddens hanc fuiſſe ait: *Quatenùs, qui primus erat in Apoſtolatus culmine, eſſet primus in humilitate, ac infra, Petrum Apoſtolorum principem* indigitat.

Act. 19. Eod. num.

Pergit Spalatenſis Paulum cum Petro committere, *Huic Paulinæ reprehenſioni, inquit, ſubnecto etiam. Tum, quòd idem Paulus, cùm inſigniores Apoſtolos nominat, Petrum alijs poſtponat, vt vbi primo loco ponit Iacobum, poſt illum Cepham, & deindè Ioannem. De quibus tribus, & non de Petro ſolo dicit. Qui videbantur columnæ eſſe. Iacobo ergo, & Ioanni Petrum exæquat; Tum, quòd Iacobus, Cephas, & Ioannes dextras dederint ſocietatis ipſi Paulo, & Barnabæ; vt hi in gentes, illi verò in Circumciſionem ferrent Euangelium. Iſtæ dextræ Societatis Petri ſummum imperium non admittunt. Tum demùm, quòd Paulus dicat; Nihil minùs fui ab ijs, qui ſunt ſuprà modum Apoſtoli. Quæ verba maximum faciunt Primatui magno Petri præiudicium.* Atqui quod attinet ad ordinem, quo recenſentur Iacobus, Cephas, & Ioannes in epiſtola ad Galatas, ſi Complutenſia Biblia Græca conſuluiſſet, deprehendiſſet primo loco poni Cepham. Quòd ne nuperum commentum dicat, Commentarios legat Chryſoſtomi, Hieronymi, & Auguſtini in illum locum.

Gal. 2.

2. Cor. 12.

Item Theodoretum adeat in epiſtolam ad Romanos, ac rursùs Hieronymum de Scriptoribus Eccleſiaſticis, & contra Heluidium, videbitque primo loco ab omnibus iſtis ſcriptoribus recenſeri Petrum. Non ſum

Theodor. in c. 15. ep. ad Rom.

ſum tamen neſcius, Theodoretum Iacobum quoque primo loco alibi retuliſſe, Cuius quidem poſterioris lectionis hanc rationem aſſignant, quòd Iacobus primus Hieroſolymis Paulum exceperit, priorque certior factus fuerit de glorioſis Pauli inſerendo Euangelio laboribus. Namque aduertunt interpretes priori illa profectione Pauli, qua Antiochia Hieroſolymam ſe contulit vnà cum Barnaba, vt eleemoſynas fratrum Antiochenſium eò deferret, ad ſubleuandam inopiam eorum, qui in Iudæa fame vexarentur, vnum Iacobum Hieroſolymis reperiſſe, quòd eo tempore Iacobus Ioannis frater eſſet ab Herode de medio ſublatus, Petrus carceribus mancipatus, reliqui Apoſtoli diſperſi, proptereàque volunt primùm meminiſſe Iacobi, cui primùm innotuiſſet; Alij factum volunt, quòd Hieroſolymorum eſſet Epiſcopus, alij, quòd frater Domini, alij, quòd eximia, & ſingulari ſanctitate, quæ omnibus ſtupori eſſet, & miraculo, effulgeret; Sed vt iſta omittamus, quàm imbecillum eſt Spalatenſis argumentum?

Vnum profert locum (nec illum omninò certum, cùm repugnent doctiſſimi interpretes,) in quo Petrus non primo loco ponitur, & non aduertit ſexcentis alijs Euangelij locis primum in Apoſtolorum ſerie numerari. Fidem habeat, vel vni Matthæo; *Nomina*, inquit, *Apoſtolorum ſunt hæc, primus Simon Petrus*, atque quidem eo loco Paulum habuiſſe Petrum, vel ex eo colligi poteſt, quòd eadem epiſtola ad Galatas aſſerit ſe aſcendiſſe Hieroſolymam, vt videret Petrum, ſcilicet in-
Chryſoſt. hom. 87. in Ioan. terprete Chryſoſtomo, *quia os erat Apoſtolorum*, & princeps, & vt habet Commentarius, qui Ambroſij nomine præfertur, *Quia primus erat inter Apoſtolos*. Quod attinet verò ad verba Pauli, *Iacobum, & Ioannem inter columnas Eccleſiæ cum Petro reponentis*, malè hinc colligit Spalatenſis, proindè æquales eos fuiſſe; Quaſi verò inter columnas ipſas templorum, & ædificiorum non poſſit vna alijs grandior, excelſior, & ſublimior eſſe?

Certè fruſtrà eſt Spalatenſis in his minutioribus colligendis. Perſtat tamen, ac rur-
Gal. 2. sùs vrget *Iacobum, Cepham, & Ioannem dextras ſocietatis ipſi Paulo, & Barnabæ, vt hi in gentes, illi verò in Circumciſionem Euangelium ferrent, dediſſe, Iſtæ dextræ ſocietatis*, inquit, *Petri imperium non admittunt*; Itàne tibi videtur, neſcis igitur, quid Paulo ſint dextræ ſocietaris, quando quidem ab eo vſurpatæ ſunt, non ad eam æqualitatem, quam tu ſomnias inter Apoſtolos inducendam, ſed ad ſignificandam conſpirationem, & conſenſum doctrinæ, & animorum.

Certè quod Latinus interpres dixit Societatis, Græce eſt *cinonias*, hoc eſt Communionis, quò ſenſu etiam Optatus Mileuitanus Syricium ſummum Pontificem *ſuum ſocium* dixit; Non quòd Mileuitanum Epiſcopum Romano Ponrifici exæquaret, ſed quo eiuſdem fidei Communionem inter eos intercedere ſignificaret. Atque veteri conſuetudine receptum fuit, vt ſummi Imperarores, etiam gregarios milites, commilirones ſuos vocarent, hoc eſt eiuſdem militiæ, quamquam non eodem gradu, ſocios.

Præterea hìc de re ad Apoſtolatum intrinſecè pertinente, nempè de propagando Euangelio agitur, quo in munere obeundo non ſolùm ſocij, ſed & pares fuerunt Apoſtoli. Hoc egregiè expreſſit Tertullianus hunc Tertul. li. 4.
Pauli locum ita illuſtrans. *Denique*, inquit, aduerſus
vt cum auctoribus (Petrum Ioannem, & Iaco- Marc. ca. 2.
bum intelligit) *contulit, & conuenit de regulæ fidei, dextras miſcuere, & exinde officia prædicandi diſtinxerunt, vt illi in Iudæos, Paulus in Gentes, & nationes*,

Poſtremò contrà primatum Petri obijcit Spalatenſis gloriationem Pauli; [Nihil 2.Cor.12.
minùs fui, inquit, ab ijs, qui ſunt ſuprà modùm Apoſtoli; nec videt Paulum hìc de auctoritate, & iuriſdictione non contendere, ſed ſe aduersùm pſeudo-Apoſtolos tutari, qui eum, Apoſtolum Chriſti eſſe pernegarent, quòd ſcilicet Dominum in carne non vidiſſet, vt ſit is ſenſus verborum eius. Quod ad gratiam, & functionem attinet Apoſtolici muneris nihil minùs inferior fui, nihil minùs præſtiti, quàm illi, qui ſuprà modùm ſunt Apoſtoli, ideſt, Apoſtolorum primi, & præcipui, quique etiam cum Domino in carne ſunt verſati. Parem igitur ſe facit in Apoſtolico munere, doniſque ei connexis, cuiuſmodi erant gratia miraculorum, ſigna, portenta, & virtutes, ſed poteſtatem, aut iuriſdictionem non attingit; Quò circà nil locus derogat prærogatiuę Petri.

Certè toto capite Paulus viſiones, & reuelationes Domini, infirmitates ſuas, contumelias, neceſſitates, perſecutiones, & anguſtias pro Chriſto, ſigna quoque ſui Apoſtolatus, in omni patientia, ſignis, prodigijs, & virtutibus profert, & enumerat, ſed poteſtatis, aut iuriſdictionis nuſquam meminit; vt impoſturæ meritò arguatur Spalatenſis, qui illum eò torſerit, ac ad infringendum primatum Petri, eius ſententiam curuarit.

Iam totum cum Petro componit Pau- Spalat.
lum, virumque viro committit; [Si, inquit, Num. 24.
Petro dicit, Paſce oues meas, vndè ei totiùs Ioan. 21.
Eccleſiæ cura commiſſa intelligatur; Paulus 2. Cor. 11.
ipſemet fatetur ſe premi cura, & ſollicitudine omnium Eccleſiarum.] Puderet in his immorari, niſi importuno aduerſario eſſet ſatisfaciendum. Curam omnium Eccleſiarum ſibi demandatam à Chriſto, [ex officio] ſuſcepit Petrus: De omnium Eccleſiarum ſalute, [ex zelo, & charitate] ſollicitus fuit Paulus; Ergo planè ſunt æquales, quis ad has ineptias non rideat? Cura ſcilicet, & ſollicitudo omnium Eccleſiarum ei ex officio incumbit, qui poteſtatem in eas nactus ſit, pro eis Domino rationem redditurus; Cura verò, & ſollicitudo omnium Eccleſiarum, ex zelo ſuſcepta, locum quoque in illis habet, qui charitate vigent, etiamſi nulla in Eccleſia iuriſdictione polleant, aut emineant: Atqui quidem de poſteriori iſta ſollicitudine loquutum Apoſtolum verba eius manifeſtant; Namque rationem reddens vrgentium illarum curarum, quibus premeretur; *Quis*, inquit, *infirmatur, & ego non infirmor, quis ſcandalizatur, & ego* 2 ad Cor.
non vror? Quibus verbis omnes omninò in- cap. 11.
terpretes, tum Græci, tum Latini ſignificatam volunt commiſerationem, quæ profectò ex charitate oritur; vt probarit Paulus ſe charitatis, veluti facibus inflammatum, omnium Eccleſiarum ſollicitudine exarſiſſe,

quod

quòd non ſolùm aliorum imbecillitatis commiſeratione tangeretur, ſed perindè afficeretur, ac ſi ipſe eadem ægritudine laboraſſet. Cùm igitur Petro non ſolùm ex charitate, ſed & ex officio incubuerit cura omnium Eccleſiarum, non propterea Paulus (quod quidem ad iuriſdictionem attinet) eum æquauerit, ſed ex zelo, & charitate eam ſollitudinem admiſerit; quia aliud eſt, quod ex officio præſtamus, aliud quod ex zelo ſuſcipimus, illud eſt iuriſdictioni connexum, hoc ex charitate pender.

Irenæus l. 3. adu. Hær. cap. 13.

Omni ſcripturæ pręſidio deſtitutus, conuertit ſe ad Patres Spalatenſis; [Præſtat, inquit, in his comparationibus Patres audire. Irenæus. Ipſius, inquit, Dei, Petrus erat Apoſtolus, cuius, & Paulus. Vbi, inquit, Petrum reducit ad paritatem cum Paulo. Irenæus eò loci aduerſum eos diſputat, qui dicerent ſolum Paulum ex Apoſtolis veritatem cognouiſſe, eoſque conuinci à Paulo ipſo, oſtendit, quod, aſſeueret, ipſum Deum operatum Petro in Apoſtolatu circumciſionis, & ſibi inter gentes; Additque, *Ipſius ergo Dei Petrus erat Apoſtolus, cuius Paulus; Et quidem Petrus in circumciſione annunciabat Deum, & Dei Filium hunc, & Paulus in gentes*. Ergo pares eos facit, quæ eſt iſta inconſequens conſecutio? An non ſeniores; Presbyteri, ac reliqui diſcipuli? An non Silla, Apollo, & reliqui eundem Deum, eundem Chriſtum prædicabant, quem prædicabant Apoſtoli? Ergo Apoſtolis pares erant; Quis fidem habeat?

Sed propiùs reſpondeo, Pares facit Irenæus Paulum, & Petrum [in cognitione veritatis, volo; in auctoritate, & poteſtate iuriſdictionis, nego. At, inquit Spalatenſis, auctor conſtitutionum Apoſtolicarum, Gelaſius, Eccleſia in Collecta Paulum Petri in Coapoſtolum vocauit, Auguſtinus verò collegam; Quid tum? Coapoſtolum Petri Paulum, & in Apoſtolatu collegam, nullus vmquam noſtrum negauit; Sed hic de regimine Eccleſiæ, non de Apoſtolatus dignitate ſermo nobis eſt. Inſtat. [Æquè principes Apoſtolorum à Ioanne Octauo, & Hicolao Primo,] adeòque ab ipſo Auguſtino eos eſſe vocatos.

Eodem reſpectu negamus; diuerſo concedimus; Suprà enim monuimus Patribus, dici Petrum principem ratione potentiæ, Paulum verò ratione ſcientiæ: Itaque principatus Petri in potentia verſatur, principatus Pauli in ſcientia conſiſtit.

Eod. nu. 24. In Pſ. 130.

Vrget Spalatenſis, Auguſtinum, non ſolùm Paulum Petro exæquare, ſed & anteponere; [Paulus Apoſtolus, inquit, quamuis ex perſecutore factus ſit prædicator, abundantiorem gratiam conſecutus eſt in omni labore Apoſtolico, quàm cæteri Apoſtoli; Et tamen, inquit Spalatenſis, par fuiſſet, Petrum, ſi totius erat princeps Eccleſiæ, abundantiore ſuprà omnes gratia donari:] Tu ſcilicet Deo leges pones? Ab Auguſtino diſce huius rei rationem, cur ſcilicet maiore gratia donatus ſit Paulus; [Vt, inquit ille ſtatim poſt illa tua verba, vt magis Deus oſtenderet ſuum eſſe, quod dat, non hominis; Quomodo ſolent medici poteſtatem ſuæ artis in deſperatis oſtendere, ſic & Dominus noſter Ieſus Chriſtus medicus, & Saluator noſter in deſperato, qui perſecutor Eccleſiæ fuit, oſtendit magnitudinem artis ſuæ, vt non ſolùm eum Chriſtianum faceret, ſed & Apoſtolum, nec tantùm Apoſtolum, ſed, ſicut ipſe dicit, plùs omnibus illis laboraret. Excellentiſſimæ ergo gratiæ fuit.] Ita Auguſtinus: Atqui hæc ad poteſtatem regiminis non pertinent, ſed ad labores prædicationis, in quibus excelluiſſe Petrum non inuiti fatemur.

Certè de doctrina intellexiſſe Auguſtinum, etiam ſequentia produnt: Namque excellentiam illius gratiæ, vel ex eo colligit, [Quòd epiſtolæ eius in Eccleſia vigeant magis, quàm Coapoſtolorum eius:] Hæc ad poteſtatem, & iuriſdictionem nil faciunt, nec enim illa dono ſcientiæ nititur. Quòd autem vrget Origenem, [Paulum vocare fundatorem Eccleſiarum, poſt Chriſtum, præcipuum,] cauſam eius non iuuat; De laboribus enim à Paulo ſuſceptis, & exanthlatis in propagando Euangelio, ac fundandis per totum terrarum orbem Eccleſijs loquitur, quo in opere exigendo palmam diligentiæ facilè reliquis præripuit Paulus; Verè enim omninò de eo Hieronymus: *Paulus Apoſtolus vocatus à Domino, effuſus eſt ſuper faciem vniuerſæ terræ, vt prædicaret Euangelium à Hieruſalem, vſque ad Illyricum, & ædificaret non ſuper alterius fundamentum, vbi iam fuerat prædicatum, ſed vſque ad Hiſpanias tenderet, & à mari Auſtro, imò ab Oceano, vſque ad Oceanum curreret, imitans vtique Dominum Deum ſuum, & ſolem iuſtitiæ, de quo legimus; A ſummo cælo egreſſio eius, & occurſus eius vſque ad ſummum eius, & antè Paulum terra deficeret, quàm ſtudium prædicandi Euangelium*.

Hieron. in Comment. in Amos Proph. ca. 5.

Pſal. 18. 7.

Propterea igitur Origenes, cum præcipuum fundatorem Eccleſiarum, poſt Chriſtum agnoſcit; Sed hæc primatum Petri, qui in iuriſdictione poſitus ſit, non euertunt, quandoquidem ipſe Origenes ſummam de paſcendis ouibus ei traditam agnoſcit. [Et Petro, inquit, cùm ſumma rerum de paſcendis ouibus traderetur, & ſuper ipſum, velut ſuper terram fundaretur Eccleſia, nullius confeſſio virtutis alterius ab eo, niſi charitatis exigitur.] Quod attinet ad Nazianzenum, neſcio quid ex eo colligat Spalatenſis. Nazianzenus inanis gloriæ, ſtudium hominibus magno ad virtutem impedimento eſſe contendens, poſtmodùm addit, [Morbum autem ſanare, ac reprimere, Petri cuiuſdam, aut Pauli fuerit, magnorum, inquam, illorum Chriſti diſcipulorum, qui vnà cum gubernatione, tam in ſermone, quàm in opere gratiam acceperunt,] ac prætereà recenſitis ijs, qui ob leges ferendas, vel ob Prophetiæ munus, vel ob rei militaris imperium, vel ob aliam quandam eiuſmodi adminiſtrationem populi antiſtites fuerunt, velut Moyſes, Aaron, Ioſue, Elias, Eliſæus, Iudices, Samuel, Dauid, Prophetarum multitudo, Ioannes Baptiſta, duodecim Apoſtoli, eorumque poſteri, vnum Paulum deligit ſermonis ſui, vt loquitur, conſcium; Sed Petrum, aut Paulum æquales in iuriſdictione fuiſſe non dicit, Certè cùm Eliã, Eliſæum, & Prophetarum multitudinem ijs accenſet, qui præfecturæ munus, ſuis quiſque temporibus obierint, ſatis oſtendit, ſe de æqualitate gubernationis minùs ſollicitum fuiſſe; quanquam, & prædicationis munus ad gubernationem ſuo modo ſe fundit. Cyrillum

Orig. ad Rō cap. 6. lib 5.

In epiſt. ad Rom. cap. 6.

Nazianz. in Apologetico circa medium.

Cyril. Hier. Catech. 6.

lum Hieroſolymitanum iam profert, de Petro, & Paulo ſic differentem; *Errorem*, inquit, *Simonis Magi latiùs ſe proferentem, coarguerunt duo viri boni huc perlati Petrus, & Paulus Eccleſiæ præfecti*, ſed nec hic æqualitatem inter eos inducit, *differt enim ſtella à ſtella in claritate*, ac ſuprà eum ipſum locum verſantes, oſtendimus, Cyrillum Petrum *Apoſtolorum principem* agnouiſſe, *cui claues regni cælorum à Domino traditæ ſunt*.

Amb. lib. 2. de Spiritu ſancto in fine.

Veniamus ad Ambroſium, quem pro ſe etiam citat Spalatenſis, [Vna, inquit, gratia fulgebat in his, quos ſpiritus vnus elegerat; Nec Paulus inferior Petro, quamuis ille Eccleſiæ fundamentum, & hic ſapiens Architectus, ſciens veſtigia credentium fundare populorum. Nec Paulus, inquam, indignus Apoſtolorum collegio, cum primo quoque facilè conferendus, & nulli ſecundus; Nam qui ſe imparem neſcit, facit æqualem.] Sed primùm fallitur in ſenſu verborum illorum, [Vna gratia fulgebat in his, quos ſpiritus vnus elegerat.] Neque enim de Petro, & Paulo illic ſermo eſt Ambroſio, ſed de Paulo, & Barnaba. Quòd verò Paulum non inferiorem Petro ſubdit, verum eſt de gratia Apoſtolatus, & de reliquis donis, ac laboribus ei connexis, de quibus omninò loquitur, ſed de poteſtate iuriſdictionis, adeòque de regimine Eccleſiæ, ne quidem tortus à Spalat. diceret, Ambroſ. qui illis verbis, *Petre amas me, paſce oues meas*, Petrum cæteris antelatum, ac à Chriſto amoris ſui Vicarium, nobis relictum alijs locis ſcribit.

Hoc certè loco, quo Petrum cum Paulo confert, Petrum Eccleſiæ fundamentum prædicat, Paulum verò ſapientem Architectum: Atqui credo inter fundamentum, & Architectum, aliquid intereſt diſcriminis, vt proinde noſtram diſtinctionem conuellere non poſſit aduerſarius, & ipſe veluti eam nobis ſuppeditet; Nam [in ſubſtantialibus Apoſtolatus æqualitatem,] intellexiſſe Patres, obſeruat, quod nos libenter admittimus, ſed aduentitium quiddam eſſe ad Apoſtolatum, poteſtatem regiminis, qua vnus ad euertenda ſchiſmata inter reliquos affulget, agnoſcimus. Firmat verò noſtram diſtinctionem de gratia Apoſtolatus, & donis ei connexis, quod ex eodem Ambroſio ſecundò profert, *Beati Petrus, & Paulus*, inquit Ambroſius, *eminent inter vniuerſos Apoſtolos, & peculiari quadam prærogatiua præcellunt. Verùm inter ipſos, quis cui præponatur, incertum eſt; Puto enim illos æquales eſſe meritis, qui æquales ſunt paſſione*. Hic enim luce meridiana clariùs apparet de meritis, virtutibus, laboribus, ac reliquis gratiæ donis, non verò de iuriſdictionis auctoritate loqui Ambroſium.

Ambr. ſerm. 66 de Nata. Pet. & Pau. & Aug ſer. 27 de ſanct. & Maxim. ſer. 54.

Poſtremò prouocat ad Leonem, quem ſic de Petro, & Paulo loquentem inducit; [Quos gratia Dei in tantum apicem inter omnia Eccleſiæ membra prouexit, vt eos in corpore, qui caput eſt Chriſtus; quaſi geminum conſtitueret lumen oculorum. Vbinam caput illud viſibile, inquit Spalatenſis, ſi membrum tantummodò eſt Petrus ex æquo cum Paulo, nempè oculus in Eccleſia, caput non erit.] Sed vt quod ſentio, liberè dicam, res ſimilis monſtri eſt, Leonem, qui ſexcentis locis Petrum [omnibus Apoſtolis, & cunctis Eccleſiæ paſtoribus præpoſitum,] ſcribit, teſtem huius æqualitatis, quam inter Petrum, & Paulum ſomniat Spalatenſis proferri; Et ſuprà clariſſimo eiuſdem Patris teſtimonio oſtendimus, Petrum totius Eccleſiæ ſpectabile caput illi habitum, Hic verò propterea Petrum, & Paulum, [tãquam geminũ lumen oculorum in Eccleſiæ corpore] poſuit, quod illos cum Chriſto conferat æterno Eccleſiæ capite, à quo lucem ſint mutuati, qua Eccleſiam colluſtrarunt. Sed id rurſùs aduertere debuit aduerſarius, vt duo lumina Eccleſiæ cenſeantur Petrus, & Paulus, propterea æqualitatem inter eos admittendam non eſſe. Sol, & Luna duo ſunt clariſſima ſydera, & lumina cœli, nec tamen Luna ſolis ſplendorem exæquat.

Leo ſerm. 1. in Nata. SS. Pet. & Paul.

Spalat. Num. 25.

Sed nondùm iurgiorum finis, Antitheſibus iam nos vexat; [Extollitur, inquit, Petrus, quòd interdùm à Chryſoſtomo præſertim vocetur os Apoſtolorum; Extollitur etiam Paulus, qui ab Ambroſio dicitur os Chriſti. Rurſùm extollitur Petrus, quod dicatur fundamentum, & ſtabilimentum Eccleſiæ: Extollitur etiam Paulus ab Ambroſio, dum Pauli vocationem Eccleſiæ firmitudinem eſſe dixit: Extollitur Petrus, quòd Chriſtum plùs dilexerit, quàm cæteri decem: Extollitur etiam in hoc Paulus, vel ipſum Petrum ſuperaſſe, de eo enim ait Chryſoſtomus; Paulus Chriſtum dilexit, adeò vt nemo vehementiùs.] Antequam autem ad ſingula reſpondeamus. Obſeruandum eſt multa tribui Petro, quæ etiam Paulo tribuantur, propter communem Apoſtolatus dignitatem, qua vterque, tam inſigni gloria effulſit, vt difficilè ſit cenſere quis, cui ſit hac parte anteferendus.

Amb. lib. 2. de Pœnit. cap 7. Amb. lib de Iſaac. & anima cap. 4. Chryſoſt. l. 3 de Sacer. non longè ab init.

Cæterùm, vt plurimùm propter capitis auctoritatem, qua Paulum vicit Petrus, cum eis eadem tribuuntur, non eodem reſpectu tribuuntur, ſed in Paulo quidem Patres ſedulitatem, diligentiam, curas, peregrinationes, eximiam ſapientiam, virtutes, ſigna, prodigia, reuelationes, & ærumnas, & labores in diſſeminando Euangelio ſuſceptos, ſpectant, à quibus eum commendent: Cùm verò Petrum iiſdem laudibus ornant, ad primatum, & ſupremam poteſtatem, quam à Chriſto ſit conſecutus, reſpiciunt.

Cæterùm fallitur, & fallit in referendis auctoribus Spalatenſis, [Petrus, inquit, vocatur à Chryſoſtomo os Apoſtolorum,] Paulus ab Ambroſio [os Chriſti;] Ita eſt ſanè, ſed non collimauit aduerſarius; Vocatur à Chryſoſtomo Petrus, [os Apoſtolorum,] quod vt ipſe interpretatur, [tamquam reliquorum coryphæus,] pro eis loqui eſſet ſolitus, & eadem eſt Cyrilli ratio; [Per vnum, inquit, qui præeſt, omnes reſpondent.] At Paulus [os Chriſti] vocatur ab Ambroſio, propterea quòd Euangelium diuinum illud os, gentibus, ſuggerente Chriſto, prædicarit, ſed nec laudem illam peculiarem eſſe Pauli vult Ambrſius: [Os, inquit, erat Chriſti Apoſtolus, qui dicebat; An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Chriſtus? Os eius Prophetæ, per quos loquebatur futura,] vt iam appareat, nil ſollicitum fuiſſe Spalatenſem, vtrum, quæ proferret, ad rem facerent, necne. Dicitur Petrus Eccleſiæ fundamentum, & ſtabilimentum, Ambroſius quoque aſſeuerat vocationem

Amb. lib. 2. de Pœnit. cap 7. 1. Cor. 13.

Ambr. de Iſaac, & anima cap. 4.

nem

nem Pauli, *firmitudinem Eccleſiæ fuiſſe*, ſed non eadem ratione. Petrus fundamentum Eccleſiæ habetur, quòd dictum ſit ei à Chriſto, *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, quibus verbis ſuprà inuictiſſimis rationibus oſtendimus gubernatorem, ac moderatorem Eccleſię vniuerſę eum deſtinatum, Pauli verò *vocatio Eccleſiæ firmitudo* vocatur, quòd diuina luce colluſtratus, egregios pro Eccleſia Dei labores ſuſceperit, eam aduersùs pſeudo-Apoſtolos magna conſtantia, ac zelo defenderit, ac nihil non geſſerit, vt omnes Chriſto lucriſaceret. Sed neque hæc paria ſunt.

Extollitur Petrus, *quòd Chriſtum dilexerit plùs, quàm cæteri decem*. Extollitur, & Paulus à Chryſoſtomo, quòd eo *nemo vehementiùs* dilexerit Chriſtum, vt etiam ſuperaſſe Petrum videatur. Sed hæc quoque ad rem non faciunt; Placuit Chriſto, cùm ne quidem in numero fidelium eſſet Paulus, ſummum Petri in ſe amorem totius Eccleſiæ ſuæ præfectura remunerari; Hoc enim ſignificant illa verba, *Si diligis me plùs his, Paſce oues meas, Paſce agnos meos*; At ſummum Pauli amorem, eodem munere compenſandum non duxit, quem tamen ſine præmio non reliquit, ſed

2.Tim.4. gratiam quoque ei rependit: *Repoſita eſt*, inquit, *mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus*; At Dei dona liberrimè hominibus communicantur, nec nobis permittitur curioſiùs veſtigare, cur omnibus omninò Apoſtolis Petrum prætulerit. Neque verò exiſtimant Theologi præfecturas Eccleſiæ *excellentia amoris* niti, aut etiam *ſanctitate vitæ*, ſed inſtitutione Chriſti, quæ arcanas quidem habet rationes, ſed nuſquam iniquas.

Extollitur Petrus, quòd fuerit *Petra, & firmamentum Eccleſiæ*; Extollitur etiam in hoc Paulus ab eodem Chryſoſtomo, dum dicitur *columna Eccleſiæ, Petra, ferro, & adamante fortior*, Sed non aduertit Spalatenſis, nomen Petræ metaphorarum licentia, non vno ſenſu ijs locis vſurpari. Vt ad Petrum refertur *Eccleſiæ fundamentum* poſt Chriſtum præcipuum notat; vt ad Paulum *inuictum animi robur*, ad perferendos labores in diſſeminando, & propagando Euangelio, & confirmandis in fide Chriſti cultoribus; qua de re loquitur Ambroſius. Vocatur Petrus à Chryſoſtomo *coryphæus Apoſtolorum, eodem titulo inſignitur, & Paulus*: Non memini me legere Paulum coryphæum Apoſtolorum, vel in Chryſoſtomo, vel in alio ſcriptore.

Equidem huius rei veſtigia nulla deprehendi in toto contextu, ac ſerie homiliæ 18. quam citaſſe videtur Spalatenſis. Hoc quidem de ſe ipſo inducit Paulum loquentem,

Chryſ. ad Rom. hom. 18. Ego doctor, & prædicator. *Egò phiſin o didaſcalos o ciryx*. Sed *ciryx* non coryphæum, ſed concionatorem ſignificat. Equidem omnibus locis à Spalatenſi prolatis Chryſoſtomus ferè à doctrina, & prædicatione Paulum commendat. Petro dicitur *Eccleſia commiſſa*, Paulum verò, ait idem Chryſoſtomus, electum à Deo, *cui res orbis, myſteria cuncta, vniuerſamque diſpenſationem* concederet.

Sed hìc rursùs, quod eſt de prædicatione dictum, ad gubernationem transfert Spala-

Ad c. 2. ep. ad Galat. Hom. in il- tenſis. Verba Chryſoſtomi de Paulo ſunt, [Hunc ſibi Deus ex Iſraelitis delegit, cui omnem prædicationem, cui res orbis, &c. concederet.] Neque hìc de *iuriſdictione* illi ſermo eſt, qua tamen excelluiſſe Petrum, docet, cùm ei Eccleſiam commiſſam, prædicat. lud Apoſtoli dictum, vtinam toleraſſetis paululùm, &c.

Iam non paria, ſed multò illuſtriora ſenſiſſe de Paulo Chryſoſtomum, quam de Petro oſtendere, aggreditur Spalatenſis: [Quid verò, inquit, ampliùs ſentiat de Paulo in comparatione Petri, idem Chryſoſtomus. Audiamus; Quemadmodùm igitur, inquit, præputij nomine deſignat gentes, ita & circumciſionis nomine Iudæos, iamque ſe cæteris honore parem oſtendit, nec ſe reliquis illis; ſed ipſi ſummo comparat, declarans, quòd horum vnuſquiſque parem ſortitus ſit dignitatem.] Certè Pauli ſe amantiſſimum vbique prodit Chryſoſtomus, ac illius hæc eſt oratio. *Omnes equidem amo ſanctos, maximè verò ſanctum Paulum, vas electionis, tubam cœleſtem, ſponſæ Chriſti ducem, ac pronubum*. Vt igitur ſummo in Paulum amori aliquid tribuiſſet, in prodigijs non poneremus. Sed tantùm abeſt, vt hoc affectu abreptus, imminuerit Petri gloriam, vt etiam eum non ſemel Paulo prætulerit, non modò in præfecturæ præſtantiori dignitate, quam citrà controuerſiam Petro tribuit, ſed etiam in Apoſtolicis virtutibus. Videatur in primis elegans homilia eius, in illud Pauli, *Reſtiti ei*, Petro, *in faciem*, Serm. 61. in illud, In faciem Petro reſtiti.
Certè vnum Petri factum expendens, quo ſæuientibus in Chriſtum Iudæis magna libertate, maieſtatem, ac diuinitatem Seruatoris tutatus ſit, rebus omnibus, & à Ioanne, & à Paulo, præclarè geſtis anteponere non dubitat: *Quamuis Ioannes*, inquit, *quamuis Iacobus, quamuis Paulus, quamuis alius quiuis, deindè facinus aliquod egregium ediderit, hic omnibus antecellit, qui viam cæteris ſua fiducia ſtrauit, & ingreſſum aperuit, illiſque conceſſit, vt tamquam flumen, quod magno cum vndarum impetu ferretur, confidentèr intrarent, & eos, qui aduerſarentur, ſecum traherent, eorum verò, qui beneuolè audirent, animas perpetuò rigarent. An igitur ille poſt crucem talis fuit? nonnè antè crucem cunctis fuit ardentior? nonnè os fuit Apoſtolorum? nonnè ſilentibus cunctis ipſe loquebatur? Quem me dicunt homines eſſe filium hominis? ait Chriſtus: & alij quidem Heliam dicebant, alij verò Hieremiam, alij verò vnum ex Prophetis. Vos verò, quem me eſſe dicitis? inquit: tum reſpondens Petrus dixit: Tu es Chriſtus filius Dei viui. Vos, dixit, & pro omnibus ipſe loquutus eſt. Nam quemadmodùm pro toto corpore os loquitur, ſic Apoſtolorum lingua erat Petrus, & pro omnibus ipſe reſpondit. An igitur hìc tantùm fuit talis, alibi verò de hoc ſtudio remittit? nequaquam, ſed per omnia, & in omnibus eundem ardorem oſtendit*.

Quicquid autem ſit de reliquis virtutibus, nuſquam in adminiſtratione Eccleſiæ, parem Petro facit Paulum; Immò contendit, Paulum ipſum Petrum præ omnibus honoraſſe, & omnibus prætuliſſe argumento ducto ab affectu, quo eſſet in omnes ſanctos Paulus, *Qui ſic*, inquit, *erga omnes affectus erat, ſciebat & quanta honoris prærogatiua Petro deberetur, eumque præ cæteris omnibus colebat hominibus, & dignus erat, ita erga illum affectus erat: Atque hoc indè conſtat. In illum totius orbis terrarum oculi erant conuerſi, Eccleſiarum vniuerſæ terræ cura ab anima illa pendebat, de rebus innumeris* Idem ibidē.

Digitized by Google

neris quotidiè ſolicitus erat, vndique illum circumſidebant, procurationes, præfecturæ, correctiones, conſilia, cohortationes, doctrinæ, mille negotiorum expeditiones: & omnibus illis omiſſis Hieroſolymam ſe contulit, nec illius ſuſcepti itineris alia fuit occaſio vlla, niſi vt Petrum videret, ſicut ait ipſe: Aſcendi Hieroſolymam videre Petrum, ſic ipſum honorabat, & omnibus præferebat. En quo honore proſequendum Petrum, iudicio Chriſoſtomi, duxerit Paulus.

Vellem verò, notaſſet Spalatenſis, qua in re magnificentiùs loco, quem profert, ſenſerit de Petro, quàm de Paulo. [Se comparaſſe cum Petro Paulum ait, prætuliſſe non docet; Præterea hic Petrum cum reliquis decem conferens, ſummum, illum facit. Cùm igitur ſuprà decem non ſit Paulus, infrà Petrum eſt, quod attinet ſcilicet ad dignitatem capitis; Quod enim attinet ad dignitatem Apoſtolatus præcisè, & per ſe ſpectatam, & Petro, & reliquis decem omninò par eſt, nec ab ijs aliquid accepit, à Chriſto non ſecùs, ac illi vocatus, ac omnibus Apoſtolatus prærogatiuis ornatus; quod duobus prioribus capitibus epiſtolæ ad Galatas, magna ſui Apoſtolatus commendatione contrà pſeudo-Apoſtolos neruosè oſtendit.

Spalat. Num. 25. Sed nondùm quieſcit Spalatenſis: [Si quis, inquit, verum Eccleſiæ principem deſcriptum cupit legere, legat eundem Chryſoſtomum, Non quidem, inquit, de Petro, ſed de Paulo ſcribentem. Deinde teſtimoniorum ingenti mole nos obruere nititur, & quæ

Hom. 12. in 2. Cor. 6. Chryſoſtomus diuerſis locis, [de ſumma Pauli charitate, vt priore teſtimonio; de ſuſceptis per totum terrarum orbem peregrinationibus, vt Euangelium diſſeminaret, populos luce Euangelij colluſtraret, fame tabeſcentes veritatis alimento reficeret, ex tyrannide Diaboli ad Chriſtum reuocaret, pro ijs ſacra faceret, omneſque omninò Chriſto lucriſaceret,] vt poſterioribus omnibus teſtimonijs: ille ad principatum Pauli refert, credo, etiam ſuprà Petrum: Sed non videt homo parùm

Chryſ. ho. 25. in ep. ad Cor. 2. c. 11. acutus, vim huius principatus poſuiſſe Chryſoſtomum non in *fulgore potentiæ*, ſed *in fulminibus linguæ*, quod tamen cùm docuiſſe potuit vltimo ab eo prolatus Chryſoſtomi locus; [Dauid, inquit, vno tantum lapidis ictu Goliath deiecit. At ſi egregia Pauli facinora expendas, pueri facinus illud inuenietur: quantumque inter paſtorem, & belli ducem intereſt, tantum inter vtrumque diſcriminis eſſe conſpicies. Hic enim non lapidis iactu Goliath proſternebat, verùm ſola voce totam Diaboli phalangem opprimebat, atque vt leo rugiens, ignemque è lingua emittens, ſic ipſe à nemine ſuſtineri poterat, aſſiduèque quoquò gentium tranſiliebat. Superiùs quoque dixerat: Non ita multæ illæ tubæ in Hierichuntinæ vrbis muros incidebant, eoſque ſolo æquabant, vt vox eius reſonans Diabolica præſidia proſternebat, atque hoſtes ad ſuas partes traducebat. At poſtquam ingentem captiuorum copiam collegiſſet, armiſque eos induiſſet, exercitum ſuum rurſus efficiebat, ac per eum eximias palmas obtinebat.] Vndè liquidò conſtat gubernationem hanc Pauli, quam extollit Chryſoſtomus, in ſermonis efficacitate poſitam eſſe, ac potentia linguæ, quæ orbem terrarum conuerterit. At cùm idem facundiſſimus patet orbi terrarum Petrum impoſitum principem, & caput conſtitutum docet, auctoritatem illis verbis, *Tibi dabo claues regni cœlorum*, Et, *Paſce oues meas, &c.* expreſſam, & explicatam innuit, ac ſubindicat.

Propterea iniuriam magnam facit Chryſoſtomo Spalat. quippe, qui exiſtimet, nonniſi imminutione magiſtratus Petri, potuiſſe eum Paulum eximijs illis laudibus exornaſſe. Etſi enim, quæ de Paulo dicit, in ſpeciem paria videantur ijs, quæ à nobis afferuntur pro firmando primatu Petri, longa tamen intercapedine diſtant, diuerſoque omninò ſenſu accipiuntur, vt ex ſuperioribus patet, quò referre poſſis. licèt improbante Spalatenſi, quòd ſiue Ambroſius, ſiue Maximus dicit, *Petro clauem potentiæ tributam*, *Paulo verò ſcientiæ*.

Quòd enim hanc diſtinctionem reijcit Spalatenſis: [Quaſi inquit, & Petro fidei non fuerit facta reuelatio, & Paulus cum maxima auctoritate Eccleſias non rexerit, friuolum eſt: Nam Apoſtolica quidem auctoritate Maximus fuit Paulus, ſed Apoſtolorum caput non fuit, vnà cum reliquis Petro commendatus, ac commiſſus. Petrus verò, etſi ſumma fidei myſteria cognouit, quippè quem Pater cœleſtis docuerit, haud ægrè tamen ſcientiæ, ac ſapientiæ palmam Paulo concedit, ab eaque eum commendat; *Chariſſimus*, inquit, *frater noſter Paulus ſecundùm datam ſibi ſapientiam ſcripſit vobis*. 2. Pet. 3.

Quare, non habet Spalatenſis, quòd conqueratur de Ambroſio, aut Maximo, qui Paulo ſcientiæ clauem tribuerint. Cæterùm etiam coronidis vice gratias habemus aduerſario, pro ſuſceptis in ornando Paulo laboribus, cùm faciant quoque iſta ad Eccleſiæ Romanę commendationem, quippè cuius dignitas haud ſolius Petri, ſed & Pauli gloria ſplendeſcat, ac efflorefcat. Fundatorem enim vtrumque agnoſcit, vtque Petrum auctoritatis ſuæ fontem, ita Paulum eius, quam ſeruat doctrinæ eum collega fatorem prædicat, vtriuſque martyrio decorata.

Audiat magnum Irenæum. [Quoniam, inquit, valdè longum eſt, in hoc tali volumine omnium Eccleſiarum enumerare ſucceſſiones, maximæ, & antiquiſſimæ, & omnibus cognitæ, à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ, & conſtitutæ Eccleſiæ, eam, quam habet ab Apoſtolis traditionem, & annunciatam hominibus fidem per ſucceſſiones Epiſcoporum peruenientem, vſque ad nos, indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquò modo, vel per ſui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam ſententiam, præterquàm oportet, colligunt. Et rurſus: Fundantes igitur, & inſtruentes beati Apoſtoli Eccleſiam, Lino Epiſcopatum adminiſtrandæ Eccleſiæ tradiderunt, &c.] Iren. l. 3. c. 3.

Quod Euſebius etiam retexit; [Beati Apoſtoli, vbi fundamenta Eccleſiæ præclarè poſuerant, & eam prouidè, ſapienterque exædificauerant, Lino Pontificatus miniſterium concrediderunt. Lib 5. hiſt. Eccl. c. 6.

Audiat & Tertullianum: [Statu fœlix Eccleſia Romana, inquit, cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine profuderunt, vbi Tertull. de præſcript. adu. hæret.

Petrus

Petrus paſſioni Dominicæ adæquatur, vbi Paulus Ioannis exilio coronatur;] Augentur igitur, ac amplificantur honores Eccleſię Romanæ, cùm Pauli merita prædicantur, ac laudibus ipſe in cœlum tollitur, vt propterea rem nobis gratiſſimam fecerit Spalatenſis, qui Paulum Petri collegam, ac fratrem chariſſimum eximijs laudibus ornarit, quamquam hoc nomine ſceleratè egerit, quod vnanimes in prælia armare fratres impio conatu tentarit.

Spalat. Num 27. Areopag. li. de Hierarc. Eccl.

Perſequamur reliqua, atque finem huic capiti tandem imponamus. Alios iam Patres in aciem educit: Dionyſius Areopagita, inquit, qui aliàs Petrum vocauit Apoſtolorum facilè principem, hoc eſt, primum inter Apoſtolos, primatum hunc non intellexit cum ſuprema poteſtate ſuprà cæteros: Nam alio loco priùs poſuit Iacobum, quàm Petrum, dum ait ſcribens ad Timotheum: Aderat autem, & Domini frater Iacobus, & Petrus, ſumma, & antiquiſſima Theologorum ſummitas.]

Apud Damaſc. orat. 2. de dorm. Deipar.

Itaque ſententia Spalatenſis iſta non cohærent; [Antiquiſſimum eſſe, ac ſummam Theologorum ſummitatem *coryphin*, & principem eſſe Eccleſiæ: O nos bardos, qui id non intelligeremus..

1. Cor. 9.

Sed inſtat, *Priùs poſuit Iacobum*: Et hìc quoque acumen ſuum prodit Spalatenſis, qui non viderit hanc eſſe gradationem, & amplificationem, quæ in digniore acquieſcat? Sic Paulus: *An non habemus poteſtatem mulierem ſororem circumducendi, ſicut & cæteri Apoſtoli, & fratres Domini, & Cephas?* Ad quem locum Chryſoſtomus; *Vide*, inquit, *Sapientiam, eum, qui eſt coryphæus, & primus, poſteriùs poſuit, nam quod eſt ex capitibus validiùs, tunc ponit, neque vnum erat adeò mirandum, oſtendere alios, hoc facere, ſicut eum, qui ſtat in primo loco, & cui ſunt creditæ claues regni cælorum*. De alio Dionyſij teſtimonio egimus ſuprà.

Chryſ. ho. 21. in 1. ad Cor. c. 9.

Spalat. Num 28. Euſeb. hiſt. lib. 2. c. 1.

Secundo loco Clementem nobis objicit: Qui, inquit Euſebius, lib. 6. hypotypoſeon refert, Petrum, Iacobum, Ioannem poſt Seruatoris ad cœlum aſcenſum, cùm eſſent à Domino ſummum dignitatis gradum adepti, non de gloria, & honore contendiſſe inter ſe, ſed vno conſenſu Iacobum iuſtum Hieroſolymorum Epiſcopum deſignaſſe: Non ergo, inquit Spalatenſis, ſolus Petrus, ſed ſimul Iacobus, & Ioannes ſummum dignitatis inter Apoſtolos locum à Chriſto habuerunt, vt ſcripſit Clemens:] Sed facilè fuit Spalatenſis, didiciſſe ab eodem Clemente, quis ille fuerit dignitatis ſummus gradus, ad quem à Chriſto inter reliquos ſint prouecti, *Iacobo iuſto*, inquit, referente eodem Euſebio, *Ioanni, & Petro Dominus poſt aſcenſionem ſuam ſingularem quandam impertijt cognitionem, quam illi reliquis Apoſtolis tradiderunt; Reliqui autem Apoſtoli 70. diſcipulis*. Non igitur de eminentiori potentia, quam illi tres ſint conſecuti, ſed de præſtantia cognitionis agit Clemens, qua ſcilicèt vult hos tres excelluiſſe; à Chriſto vberiori præ reliquis reuelationum gratia donatos.

Euſeb. ibid. ex lib 7. hypotypoſ. Clementis.

Eod. nu. 28. Iuſtin. adu. Iud.

Tertiò objicit nobis Iuſtinum, [Iuſtini etiam Martyris, inquit, dictum quoddam de Simone Petro obſeruo, quod mihi videtur cum Petri Monarchia non ſatis benè cohærere: De illo enim ait; Qui vnus Apoſtolorum erat. Quòd ſi Petri Apoſtolatus fuiſſet cum ſumma in Eccleſiam Monarchia coniunctus, certè Petrus non debuiſſet vnus Apoſtolorum dici, quod ſignificat æqualitatem; ſed ex maiori ipſius dignitate debuit nominari.] Credo locum intelligit, qui in Dialogo cùm Tryphone Iudæo habetur; neque enim alium librum Iuſtini contrà Iudæos, credo, vidit ille, ſi fortè etiam hunc vidit. Locus eſt huiuſmodi, *Ex diſcipulis ſuis*, inquit Iuſtinus, *vnum Chriſtus Simonem priùs nominatum, Petrum appellauit; quòd ſe per Patris ſui cęleſtis reuelationem Filium Dei eſſe cognouerit*: Quid verò hęc faciunt contrà primatum Petri? An non vnus ex diſcipulis Ieſu omnium confeſſione erat, cùm ei eſt dictum à Chriſto, *Beatus es Simon Bar-Iona, &c. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam?* Debuit ſanè Spalatenſis à tam putidis argumentis abſtinuiſſe.

Iuſt. Mart. Dial. cum Tryph. Iud. pag. 327. nouæ edit.

Spalat. Num. 29. Gal. 1. Hier. in ep. ad Gal. init.

Quartò Hieronymum nobis objicit, [Hieronymus, inquit, dictum illud Pauli: Paulus Apoſtolus non ab hominibus; & illud, Ego Euangelium ab homine non accepi: Obliquè in Petrum dicta eſſe poſſe accipi, aſſeuerat. Quid verò eſt obliquè in Petrum, niſi Paulum à Petro non dependiſſe, ſed per ſe ſeorſim ſuam plenam Apoſtolicam auctoritatem habuiſſe.] Atqui Hieronymus non in ſolum Petrum, ſed & in cæteros collegas Apoſtolos, vtrumque dictum accipi poſſe, aſſeuerat, ſcilicèt quod veluti ſubindicet Paulus non ab Apoſtolis ſibi traditum Euangelium, ſed ab ipſo Ieſu Chriſto, qui & illos Apoſtolos elegerat, & ſe præterea nullius, pro lege, auctoritate moueri, qui Chriſtum ſolùm Euangelij habeat præceptorem: Sed hæc quidem probant Paulum parem Petro, ac reliquis in Apoſtolatus dignitate fuiſſe, quòd nimirùm non ſecùs, ac illi, Apoſtolus renunciatus fuerit, *non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum, & Deum Patrem*, & quòd Euangelium prædicarit, quod ab homine non acceperit, neque didicerit, ſed *per reuelationem Ieſu Chriſti*. Non verò probant dignitate capitis æqualem Petro fuiſſe. Et quidem ſcopus Apoſtoli tota epiſt. 1. ad Galatas, alius non eſt, quàm, vt refellat pſeudo-Apoſtolos, qui vt fidem ei detraherent, illum *extrà duodecim Apoſtolos ventilabant*, vt loquitur Hieronymus, & neſcio vndè ſubitò prorupiſſe, vel à maioribus ordinatum aſtruebant.

Hier. ad illum locum.

Itaque, vt eos hac auctoritate confunderet, Paulus, inquit, Apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem, &c. Sed inſtat Spalatenſis: Ac ſanè, ſi Petrus ſupremus Eccleſiæ paſtor ſolus fuiſſet à Chriſto inſtitutus, vt eſſet paſtor omnium ouium, etiam Apoſtolorum, ad eum, & non ad Ananiam miſiſſet Saulum inſtruendum; Sed ne primatum ſibi Petrus, quem ambierant filij Zebedæi, arrogaret, Saulum euehit ad Apoſtolatum inſcio, & inconſultò Petro, eique curam totius fermè mandat Gentilitatis à Petro omninò independenti, eumque paſtorem longè maioris gregis præcipuum inſtituit, quàm fuerat Petrus inſtitutus.]

Act. 9. Matth. 20.

Eſt hæc, vt impudentiſſima, ita vaniſſima Spalatenſis coniectura; Si enim ratio præciſa ſpectetur, cur vni Ananiæ ea prouincia deman-

mandata ſit, factum eſt, quia Damaſci, quò
ſe receperat Saulus à Deo proſtratus, & obcę-
catus in via, tunc temporis ageret, neque
Act. 9. alius occurreret. *Erat autem ibi quidam diſci-
pulus Damaſci, nomine Ananias*, inquit ſacer
textus, *& dixit ad illum in viſu Dominus, Vade
in vicum, qui vocatur Rectus, & quære in domo
Iudæ Saulum, nomine Tharſenſem*; Non abnuo
tamen Ananiam, qui nec Apoſtolus eſſet, nec
forſan de primis 70. diſcipulis deſtinatum à
Deo, & ad Paulum miſſum, vt liberiùs ali-
quando dicere poſſet eximius Apoſtolus, *non
ab homine accepiſſe ſe, vel didiciſſe Euangelium*;
ſed id factum, ne Petrus primatum ſibi arro-
garet, quis in animum induxerit, cùm antè
eſſet ei dictum à Chriſto, *Paſce oues meas, Pa-
ſce agnos meos*? Neque verò Paulum vllatenùs
à Petro in Apoſtolatus dignitate, aut prædi-
candi Euangelij poteſtate, *dependiſſe*, volu-
mus, ſed ſuo munere fungi potuiſſe extrà vni-
tatem, cuius fons, origo, & caput eſſet Pe-
trus, conſtantiſſimè negamus: Nimirùm Apo-
ſtoli in munere Apoſtolico, quod ad eſſentiam
eius, & dona ei intrinſecè connexa attinet,
pares omnino fuere, & hoc vno ſuperabat
Petrus, quòd auertendis ſchiſmatibus, & eo-
rum occaſionibus amputandis, eſſet princeps,
& caput Apoſtolorum conſtitutus, vt ex Hie-
ronymo ſuprà monebamus.

Neſcio autem, quem ampliorem gregem
Paulo creditum, quàm Petro ſomniet aduer-
ſarius; Gentes fortè intelligit, quaſi verò ad
eas non ſit quoque amandatus Petrus, *vt oſtium
in eis Euangelij panderet*, & non ſit Romæ, ac
in reliquis occiduis partibus Euangelium
concionatus? Nihil aliud igitur ex Epiſtola
ad Galatas, & Hieronymi Commentarijs col-
ligere potuerit Spalatenſis, quàm Paulum *in
nullo fuiſſe Petro inferiorem*, quod ſpectat ad
munus Apoſtolatus, & dona ei intrinſecè con-
nexa, quod libentèr concedimus.

Spalat. Num 30. Aug. tract. 66. & 108. in Ioan. Quintò Auguſtinum nobis obijcit, [qui
duobus locis Petrum Chriſti diſcipulum, &
membrum Chriſti vocat, non verò caput vi-
ſibile.] Ergo ne eius iudicio, & Magiſtrum
Chriſti, & caput Chriſti vocare debuit? Con-
fert Petrum cum Chriſto, eum diſcipulum vo-
cat, & vnum facit ex membris Chriſti: *Ergo*,
ait Spalatenſis, *caput viſibile Eccleſiæ non agno-
uit*, quaſi verò non, & ipſum caput ſpectabi-
le Eccleſiæ, membri rationem induat cum
Chriſto collatum? Potuit ſanè ab iſtis nugis
abſtinuiſſe, ſi mens ei ſana fuiſſet. Certè
priore loco agit Auguſtinus contrà Arianos,
qui dicerent, *tantùm diſtare filium à Patre, quan-
tùm diſtaret Apoſtolus Chriſti à Chriſto*, hocque
cùm refellendum ſumpſiſſet, ſubintulit, *Si ergo
attendas Chriſtum in Petro, inuenies diſcipuli
præceptorem, ſi autem attendas Patrem in filio,
inuenies vnigeniti genitorem*. Quid hæc offi-
ciunt primatui? Poſteriore vero loco verſans
Tract. 66. illa verba Ioannis, *dicit ei Simon Petrus, Do-
mine quò vadis? Sic vtique*, inquit, *hoc dixit
Magiſtro diſcipulus, & Domino ſeruus, tam-
quam ſequi paratus*. Quid igitur rursùs hæc
officiunt Petri primatui? Cæterùm Auguſti-
nus diligentèr librato lapſu Petri aduertit in
ipſo primo Apoſtolorum, demonſtrare voluiſſe,
Chriſtum, *neminem de ſe præſumere debere*.
Ergo *Petrum primum Apoſtolorum habuit*.
Et hoc rurſus probant illa verba à Spa-
latenſi prolata, [Quod, inquit, ad ipſum
(Petrum) propriè pertinet, natura vnus ho-
mo erat, gratia vnus Chriſtianus, abundan-
tiori gratia vnus, idemque primus Apoſto-
lus.] Non contentus dixiſſe Petrum Apo-
ſtolum, eum primum facit, idque abundan-
tiori gratiæ deputat: Non igitur primatum
illius, primatum vult eſſe ætatis, aut vocatio-
nis, quod in his cumulatior, aut abundantior
gratia non ſpectetur, ſed amplioris poteſta-
tis, qua excelluiſſe Petrum, non obſcurè in-
dicat.

Non eſt igitur, quòd cauſetur Spalaten-
ſis, *Nullam hìc factam mentionem viſibilis ca-
pitis, &*, vt loquitur, *Vicarij generalis*: Ea
enim dignitas, quam requirit, in *Primi* no-
mine abundè continetur.

Ad Chryſoſtomum iam ſe conuertit Spa- Spalat. Num. 31. Hom 87. in Ioan.
latenſis, [Habemus, inquit, & in Chryſoſto-
mo locum inſignem, vbi excitat ipſemet tale
quæſitum; Quid eſt, cur Dominus, omiſſis
alijs, Petrum ſolùm affatur? Petre amas me?
Paſce oues meas. Certè, addit ille, ſi Chry-
ſoſtomus Petrum agnouiſſet eſſe ſolum Chri-
ſti Vicarium, & Monarcham Eccleſiæ, in
promptu habuiſſet ſui quæſiti ſolutionem; &
tamen ne verbum quidem de hac Monarchia.
Sed aliàs hinc indè ſui quæſiti venatur ſolu-
tiones.]

Eſt ſanè hic locus Chryſoſtomi inſignis
pro primatu Petri: Hanc enim quæſiti ſui
reſponſionem affert, referente Spalatenſi,
[Quia Petrus erat eximius, ac præcipuus in-
ter Apoſtolos, eorumque os, & coryphæus.]
Quid eſt igitur eſſe Petrum eximium, præci-
puum, os, & coryphæum Apoſtolorum,
quàm ſummum inter eos obtinere locum, &
dignitatem capitis, quam etiam expreſſis
verbis illi tribuit Chryſoſtomus? Nam, quæ
de *dignitate perſonali ob ætatem, vocationem, &
feruorem*, inſulſiſſimè profert, ſunt à nobis
ſuperiùs diligentiſſimè refutata, & profligata.

Cyrillum iam aduocat, quem, ait, præſtat Spalat. Num. 32. L. 5. in Eſa. cap 54.
audire; [Paulus certè, inquit, ſapientiſſimus
fundamentum dicit eſſe Ieſum Chriſtum, &
qui in ipſum credunt, velut lapides precioſos
ſuperſtrui, ait, in ſanctum Templum, in ædi-
ficium Dei, in ſpiritu. Proindè ſanctos my-
ſtagogos virtutum varietate, & pulchritudine
intelligibili reſplendentes, lapidibus precio-
ſiſſimis comparat; & alios dicit in fundamen-
ta poſitos eſſe ſanctæ ciuitati, alios in propu-
gnacula, alios portarum, & munitionis vſum,
ac locum ſupplere. Atque hæc quidem de
ciuitatis præfectis, quos nobis hæc deſcribit
oratio. Quomodo ergo potuit, inquit Spa-
latenſis, idem aſſerere, ſoli Petro, & non alijs
Chriſtum ſuas vices commiſiſſe in gubernan-
da Eccleſia, qui eiuſdem Eccleſiæ præfectos
ex æquo plures, omnes nimirùm ſanctos Apo-
ſtolos agnoſcit?] Eccleſiæ plures præfectos
non quidem *ex æquo*, ſed pro ſua quemque ra-
tione eam adminiſtrantes, agnoſcit Cyrillus.
Nec nos negamus Eccleſiæ fundamenta fuiſſe
Apoſtolos, quod ille aſſerit, ſed horum fun-
damentorum præcipuum, ac potiſſimum ſub
Chriſto, eſſe Petrum oſtendimus, quod ille
quoque docet, expendens illa verba, *Tu vo-
caberis Cephas. Nec Simon*, inquit, *fore iam* Lib. 2. in Ioan. c. 12.
*nomen ſibi, ſed Petrus, prædicat, quòd in eo,
tamquam in Petro, lapideque firmiſſimo ſuam*

eſſet

eſſet ædificaturus Eccleſiam. Cæterùm qua ratione, vt illi fundamenta Eccleſiæ dicantur, qua etiam ratione Petrus, priuato quodam iure hoc nomen ſibi vindicet, docuimus ſuprà.

Spalat. Num. 33. Ambroſ. in Exod. c. 30.

Reſtat nobis excutiendus Ambroſius; Vrget ergo primum Spalatenſis locum ex Commentarijs in Exodum, in quo ſic habet; [Non debebat, inquit, filius Dei (didrachmum) non debebat, & Petrus in adoptionem à Patre adſcitus; propterea ergo, inquit Spal. ſolùm Petrus fuit priuilegiatus ex Ambroſio, vt non teneretur ad tributum, quia erat filius Dei adoptiuus; & non quia erat Vicarius Chriſti, & ipſius locum tenens, caputque totius Eccleſiæ ſaltem deſignatus. Cur Ambroſius, quod longè maius eſt, tacet; & quod minùs eſt, commemorat? quia illud maius non nouerat.] Ergo ſententia Spalatenſis, pugnant adoptari, ſeu in locum filij aſciſci, & poteſtatis hæredem fieri; Certè non eramus tam acuti, vt iſtud videremus. Tiberium Auguſtus adoptauit, ergo Conſulem, ac hæredem Imperij non conſtituit? Quis diuinarit? Pudet harum ineptiarum.

Ambroſ. in Pſal. 43.

Vrget ſecundò [locum ex Commentarijs in Philoſophos, in quo, propoſitis illis verbis verbis, Paſce oues meas, ſic loquitur: Meritò Petrus Sacerdos eligitur, quia ſparto charitatis diuinæ triplici ſe ligauit. Non eſt ergo, inquit, factus illis verbis, Paſce oues meas; niſi Sacerdos? non caput Eccleſiæ? non Vicarius ſupremus Chriſti? Si quæ vis ſit in hoc argumento, haud ſolius Petri ſupremam auctoritatem, ſed & ipſius quoque Aaronis ſummum Pontificatum euerterit, ac funditùs ſuſtulerit Ambroſius; Creberrimè enim in ſcriptura Aaron *Sacerdos* audit; Sacerdos ſcilicèt generis nomen eſt, quod ambitu ſuo Pontificem, Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Presbyteros complectitur. Ipſe Eccleſiaſticus Aaronem laudibus in cœlum tollens, ac communicata ei à Deo eximia dona recenſens: *Dedit*, inquit, *illi Sacerdotium gentis*; Ita vt non poſſit, niſi imperitiſſimè, ex nomine *Sacerdotis* colligi, Petrum non fuiſſe in Apoſtolorum ordinem ſummum.

Idem Amb. de Incarn. cap 4.

Vrget tertiò alium locum eiuſdem Ambroſij, *Statim loci non immemor, ſui primatum egit, primatum confeſſionis vtique, non honoris, primatum fidei, non ordinis*.

Sed non aduertit Spalatenſis primùm hęc ab Ambroſio dici de Petro, cùm ſolùm *deſignatione*, non verò, vt vocant, *actuali poſſeſſione* primus eſſet; Nimirùm, in terris agente Chriſto nullum ſibi honoris, aut ordinis primatum vindicare debuit Petrus, qui à Chriſto non ſecùs, ac reliqui, penderet, ſed expectandum illi erat tempus, quo in cœlum remeaturus, Vicarium eum ſui amoris in terris relinqueret.

Addo verò, quæ verior eſt, & germanior eius loci explicatio, Ambroſium ad vnam confeſſionem à Petro editam, cùm reliqui Apoſtoli vulgi opinionem retuliſſent, reſpexiſſe, atque hoc tantùm ſibi voluiſſe, non ſuſtinuiſſe Petrum, vt alius hanc gloriam ei præriperet, ſed primùm voluiſſe Chriſti dignitatem, cuius notione eum Pater imbuiſſet profiteri, adeòque ſic geſſiſſe primatum non honoris, ſed fidei, non ordinis, ſed confeſſionis: *Hoc eſt dicere*, inquit Ambroſius,

Lib. de Incarn. c. 4.

Nunc nemo me vincat, nunc meæ partes ſunt, debeo compenſare quod tacui, debeo prodeſſe quod ſilui, lingua mea non habet ſpinas, ſine impedimento fides debet exire. Hoc ſcilicèt eſt; in quo primatum geſſiſſe, dicit Petrum non honoris, non ordinis, ſed confeſſionis, & fidei; Proindè ad reliquas actiones Petri referri non debet.

Eſt enim valdè inconſequens hęc conſequentia, Petrus, cùm eſt Chriſtum Dei viuentis filium profeſſus, non egit principatum ordinis, aut honoris; Ergo nuſquam egit: Sed his fallacibus concluſiunculis delectatur Spal. Cæterùm Ambroſius in hoc primatu fidei, & confeſſionis non acquieſcit, ſed eum viam muniſſe primatui ordinis, honoris, ac poteſtatis, quem poſteà ſit conſecutus, non obſcurè oſtendit. *Hic eſt ergo Petrus*, inquit, *qui reſpondit præ cæteris Apoſtolis, immò pro cæteris, & ideò fundamentum dicitur, quia nouit non ſolùm proprium, ſed etiam commune ſeruare*. Vides cenſere Ambroſium Petrum, *Quòd præ cæteris, immò pro cæteris* reſpondiſſet, *fundamentum* eſſe dictum, quibus verbis diſtinguit primatum fidei, & confeſſionis à primatu poteſtatis, & illum priorem poſterioris cauſam fuiſſe declarat.

Agmen claudit Petrus Bleſenſis: [Addo teſtimonium recentiorum, inquit Spalatenſis, nimirùm Petri Bleſenſis, auctoris valdè grauis, qui eo tempore ſcribebat, quo Monarchia Romana iam ſe plurimùm erexerat. Fuit enim Bernardo Clareuallenſi contemporaneus. Idem confirmatur, inquit, Petri facto, qui cùm Roma fugiens, Saluatorem ſibi occurrentem interrogaſſet; Domine quò vadis? Audiuit, vado Romam iterùm crucifigi: vbi exprimitur Chriſtum quodammodò in eo crucifigendum, quem ſibi adoptauit in membrum. Si auctor hic Petrum agnouiſſet ſupremum Chriſti Vicarium, proculdubiò dixiſſet, ideò Chriſtum ſe in Petro crucifigendum protuliſſe, quia Petrus ipſius in terris geſtaret perſonam, eiuſque vices in terris plenè gereret. Ait tamen, ideò hoc à Chriſto dictum, quia Petrum adoptauerat in membrum. Et hoc eſt donum commune cum omnibus Apoſtolis, & fidelibus, non verò Petri proprium, qui membrum, non caput viſibile vocatur. Huc ſpectant Patres omnes, quoſcumque ſuprà cap. 3. huius libri protuli, ad æqualitatem inter omnes Apoſtolos, etiam cum Petro, probandam. Qui hanc aſtruunt ęqualitatem, illi profectò omnes à primatu illo Petri abhorrent. Eundem primatum tollunt ea, quæ ex Auguſtino conſiderabam ſuprà cap. 4. num. 4. & cap. 5. num. 5. & ex Ambroſio eodem cap. 5. num. 4. Atque ita, quod hoc cap. 10. propoſuimus, iam habemus, vt puto, confirmatiſſimum.] Spalat. Num. 34. Petr. Bleſ. tr. de conu. S. Paul.

Adeò ne igitur eum fuiſſe fungum, vt qui Bleſenſem ſuarum eſſe partium crederet? Bleſenſem, inquam, cui Petrus ſit *clauicularius cœli, Iudex mundi, Vicarius Chriſti, ac Princeps cœtus Apoſtolici*? Numquid verò hæc eiuſdem Bleſenſis, non tam verba, quàm fulmina, Spalatenſem non terrent? *Nonne Petro Apoſtolo*, inquit, Cœleſtinum nomine reginæ Angliæ compellans, *& in eo vobis à Deo omne regnum, omniſque poteſtas regenda committitur? Benedictus autem Dominus, qui talem poteſtatem dedit* homi- Ser. in feſt. S. Petri ad vincula. Epiſt. 145.

hominibus. Non Rex, non Imperator, aut Dux
Epiſt. 146. *à iugo veſtræ iuriſdictionis eximitur.* Ac rursùs in eandem rem. *Porrò Princeps Apoſtolorum adhuc in Apoſtolica ſede regnat, & imperat, & in medio conſtitutus eſt iudiciarius: illudque reſtat, vt exeratis in maleficos, Pater, gladium Petri, quem ad hoc conſtituit ſuper gentes, & regna. Chriſti crux antecellit Cæſaris aquilas: gladius Petri gladio Conſtantini, & Apoſtolica ſedes præiudicat imperatoriæ poteſtati. Veſtra poteſtas à Deo eſt, an ab hominibus? Nonne Deus Deorum locutus eſt vobis in Petro Apoſtolo dicens, Quodcumque ligaueris ſuper terram, erit*
Matth. 16. 19. *ligatum, & in cœlis; Quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum, & in cœlis?* Quod attinet verò ad locum ex tractatu de conuerſione Pauli, quem viget aduerſarius, vitioſa planè eſt argumentatio iſta; Bleſenſis ait, Petro dictum, *Vado Romam iterùm crucifigi, vt exprimeretur Chriſtum quodammodò in eo crucifigendum, quem ſibi adoptaſſet in membrum,* non autem, vt exprimeretur ideò crucifigendum, quòd Petrus ipſius in terris geſtaret perſonam, eiuſque vicem in Eccleſia gereret? Ergo pro Chriſti Vicario eum non habuit: Quid igitur Vicarius? Chriſti membrum non eſt Chriſti?

Addo verò, ſupremæ dignitatis Petri non meminiſſe Bleſenſem, quòd ad rem, quam ſuſcepiſſet tractandam, illa non faceret. Sumpſerat enim probandum in vniuerſum Chriſtum eo eſſe affectu in diſcipulos, vt ſe in illis perſecutionem pati, cùm paterentur, diceret. Non erat igitur, quòd Petrum in huius rei exemplum adducens, eius principatum venditaret; ſed omninò depoſcebat locus, vt in numero membrorum Chriſti, quibus caput compateretur, poneret. Verba illius ſunt ad illud, *Saule, Saule, quid me perſequeris? Qui* Petrus Bleſenſis tract. de conuerſ. S. Pauli.
in Euangelio ait. Quandiù ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis, iniuriam ſuorum ſuam reputat. Nec in his verbis ſe morti, aut perſecutioni fatetur obnoxium, cùm ſit immortalis, & impaſſibilis, ſed exprimitur affectio charitatis erga diſcipulos, quos cùm priùs dilexiſſet, in finem dilexit eos. Idem confirmatur Petri facto, qui cùm Roma fugiens, Saluatorem ſibi occurrentem interrogaſſet, Domine quò vadis? audiuit: Vado Romam iterùm crucifigi. Vbi exprimitur Chriſtum quodammodò in eo crucifigendum, quem ſibi adoptauit in membrum. Membris itaque ſuis compatiens, Saulo in diſcipulos eius debacchanti Chriſtus iraſcitur. Nihilo igitur feliciùs in Bleſenſi verſatus eſt aduerſarius, quàm in reliquis Patribus, quos immanitèr tortos eò non adegerit vmquam, vt vocem contrà Petrum mittant, & mendacio patrocinentur.

DISCVSSIO

DVODECIMI CAPITIS

LIBRI PRIMI.

CONSPECTVS CAPITIS.

Monarchia commendatur, ac illuſtratur: Ea contineri Eccleſiam oſtenditur: Quicquid ex ſacris literis à Spalatenſi affertur, diluitur, ac profligatur: Dubia, & perplexa ſententia Spalatenſi, de forma regiminis Eccleſiæ: Eius in ea re inconſtantia notata, & ineptiæ depulſæ: Defenduntur rationes Orthodoxorum pro Monarchia: Veterem Eccleſiam Monarchia delectatam: Natura geminum opus eſſe: Teſtimonia ſapientum pro eius præſtantia, ac dignitate; Monarchiam ſacram planè colligi ex Euangelio, ac ſemper in Eccleſia obtinuiſſe: Excutiuntur, ac refelluntur, quæ à Spalatenſi pro Ariſtocratia, & Democratia contrà earum impugnatores afferuntur.

TOta huius primi libri quæſtio erat de forma Reipublicæ Eccleſiaſticæ; & quicquid hactenùs eſt à me vndecim præcedentibus capitibus diſputatum, ad hanc formam Reipublicæ indagandum pertinebat; eoque tot diſputationibus, & ſatis prolixis, iam arbitror deuenimus, vt planè aſſerere debeamus, Eccleſiam totam, etiam militantem in terris, ſub vno capite ſuo vero, & proprio, qui eſt Chriſtus Dominus, regi, & gubernari, vera, & propria monarchia. Si tamen miniſteriale Eccleſiæ regimen, per mortales homines Chriſti Miniſtros exercendum conſideremus, ipſum non Monarchicum, ſed quodammodo Ariſtocraticum eſſe à Chriſto inſtitutum, iam manifeſtaui: ſiquidem abundè probaui, Chriſtum ſuam Eccleſiam Apoſtolis omnibus æquè commendaſſe, eoſque ad hoc neceſſaria poteſtate omnes æquè adornaſſe. Ex quo manifeſtum redditur, Chriſtum, non Monarchicam, ſed potius Ariſtocraticam formam regiminis Apoſtolis omnibus, tamquam ſuis Miniſtris reliquiſſe, nihil tamen interim variata vera forma Monarchiæ, qua ipſe Rex ſolus, & caput Eccleſiæ adhuc in ea perſeuerat.

Spalat. Num. 1.

THemiſtoclem patria pulſum, ac Xerxem, ad cuius aulam confugiſſet, adire volentem, tantiſper moratus eſt Artabanus, magnæ apud ſuos æſtimationis vir, donec illum ijs informaſſet, quæ eſſent ei præſtanda, antequam regem, aut intueretur, aut alloqueretur: Veritus enim ne homo in Republica natus, ac gloriæ Regum infenſus, Perſarum, qui *maieſtatem Imperij ſalutis tutelam* crederent, patria inſtituta, aut conuelleret, aut labefactaret, vt cultus in regem etiam exteris exemplum proderet, ſapientiſſima oratione eſt adhortatus. *O hoſpes, inquit, hominum inter ſe leges plurimùm differunt, aliaque apud alios honeſta habentur, ſed omnibus pulchrum domeſtica inſtituta ſeruare, ac retinere. Vobis igitur propoſitum eſt, libertatem, atque æqualitatem maximè admirari, nobis verò cùm multæ ſint leges, illa omnium honeſtiſſima eſt, obſeruare regem, ſimulacrumque Dei omnia ſeruantis adorare.* Quod igitur ille in negotio regum vſurpauit, non ineptè quoque aſſerendis ſummorum Eccleſiæ Pontificum honoribus accommodauerimus, atque aptauerimus; ſunt enim illi Dei viuæ, ac ſpirantes imagines, quæ eius ſapientiam oſtendant, ac potentiam referant: Verùm non eſt ſola Pontificum ſpiritualis dignitas nobis propugnanda, ſed etiam regum temporalis maieſtas defendenda, per illius enim latus hanc quoque petit, & in vniuerſum Monarchiam præſtantiſſimam regiminis formam dehoneſtare, aut etiam funditùs euertere molitur Spalatenſis. Sed ordiamur à ſacra monarchia, cui iam militamus.

Hanc igitur ſacram monarchiam oppugnaturus, pro Ariſtocratia diſſerentem Apoſtolum inducit. Hanc, inquit, Ariſtocratici regiminis in Eccleſia formam egregiè deſcri- Spalat. Num. 2.

Google

bit Apoſtolus, dicens, Et quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia, primùm Apoſtolos, ſecundò Prophetas, tertiò Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes ſermonum. Nunquid omnes Apoſtoli? nunquid omnes Prophetæ? nunquid omnes Doctores? nunquid omnes virtutes? nunquid omnes gratiam habent curationum? nunquid omnes linguis loquuntur? numquid omnes interpretantur? Æmulamini autem charismata meliora.] Et quia reſponderat Cardinalis Bellarminus, illo loco, *enumeraſſe Paulum varia dona, quæ eſſent in Eccleſia, non verò delineaſſe Hierarchiam Eccleſiaſticam*, vrget alium locum. *Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores ad conſummationem ſanctorum in opus Miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti*. Sed Bellarminum non bona fide retulit Spalatenſis: Primùm enim docuerat Bellarminus *Pontificatum ſummum vtroque loco disertè*, ſunt enim illius verba, *poſitum*, & quidem Epiſtola ad Epheſios *Apoſtolorum* nomine expreſſum, quòd ſumma poteſtas non ſolùm data eſſet Petro, ſed etiam reliquis Apoſtolis, & his quidem, vt tamquam extraordinario munere, & cum eis interituro illa fungerentur: Petro verò, vt ei tamquam paſtori ordinario ſuccederetur, reuocata tandem ad vnum Apoſtolica auctoritate, vnde Sedes Petri *cat' exochin* Apoſtolica dicta ſit; Quòd & multorum Patrum teſtimonio firmarat. Erant ergo hæc priùs à Spalatenſi excutienda, & refellenda.

1. Cor. 12.

Epheſ. 4.

Bellar. de Rom. Pont. lib. 1. c. 9.

Sed his prætermiſſis, expendamus teſtimonia Pauli, Dico igitur, illis locis Apoſtolū non tam de Eccleſiaſtica Hierarchia, quod aduertit Bellarminus, aut Eccleſiaſticorum munere, ordine, poteſtate, & iuriſdictione diſſerere, quàm de chariſmatibus, quibus ſurgens Eccleſia illis ſuis initijs à Spiritu ſancto ornaretur, excitatis ſummis viris, qui propagando Euangelio operam nauantes, diuinis illis præſidijs fidem munirent. Hoc ſuadetur, quia multorum meminit, quæ in Eccleſia eſſe deſierunt: Cùm igitur accuratam Eccleſiaſticæ Hierarchiæ delineationem, minimè moliretur, ſatis ei fuit in genere meminiſſe earum poteſtatum, quæ in Eccleſia vigerent, quòd in eis reliquæ recluderentur.

Addò igitur ſecundò, neutro loco Apoſtolum, etiamſi Eccleſiaſticam Hierarchiam deſcribendam ſumpſerit, quod vult aduerſarius, omnes functiones, aut munia Eccleſiaſtica complexum fuiſſe; Hoc fateri cogitur Spalatenſis, ſiuè ille Puritanus ſit, ſiuè Anglo-Caluiniſta iam audiat. Oſtendant enim hìc Puritani ſuos Seniores, & ſuos Diaconos, Anglocaluiniſtæ verò ſuos Primates, ſuos Archiepiſcopos, ſuos Epiſcopos. Dicent Puritani, hìc non recenſeri ſuos ſeniores, & ſuos Diaconos, quòd propoſitum ſit Apoſtolo eos referre, qui laborent in verbo, quod illi non faciunt; Atqui priore loco plurium quoque meminit Apoſtolus, vt eorum, qui dono curationum effulgerent, & eorum, qui opitularentur infirmis, ac eorum curam ſuſciperent, qui in verbo non laborarent, cur nō ergo Diaconorum, & Seniorum quoque meminit? Proculdubiò igitur fatendum eſt Puritanis, non eam Eccleſiæ imaginem depinxiſſe Apoſtolum, quam illi habeant; Anglocaluiniſtæ pro ſuis primatibus Metropolis, Archiepiſcopis, Epiſcopis reſpondebunt, nomine eos Paſtorum, & Doctorum comprehendi, & reluctantibus Puritanis, atque id obſtinatiſſimè inficiantibus, idem retinent, quod eſt ab eis pro ſuis Diaconis, & Senioribus vſurpatum, nempè quia Metropolitarum, Primatum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum munus non in verbi, & ſacrorum adminiſtratione, ſed in regimine, & iuriſdictione occupatur, eorum non meminiſſe Paulum, qui eos ordines dumtaxat explicandos ſuſcepiſſet, qui laborarent in verbo, & eo munere proximè defungerentur. At quanto nos æquiore iure reſpondere poſſumus, idcircò prætermiſſum Summum Pontificem, quòd quamquam ea poteſtas proferendo Euangelio, & verbo Dei propagando deſtinata ſit, id tamen magis præſtet regimine, & iuriſdictione, quàm verbi, aut Sacrorum adminiſtratione?

Sed hęc omnia miſſa facimus; Atque rotundè reſpondemus, nullo modo conſequi, quia cùm commodè hìc recenſeri potuiſſet Summus Pontifex, recenſitus tamen non ſit, idcircò in Eccleſia eum tunc non fuiſſe. Eſt enim alijs locis ea poteſtas expreſſa, maximè verò illo, *Paſce oues meas, Paſce agnos meos*. Et ſolet prætereà Scriptura, vt aduertit Auguſtinus, multa præterire breuitatis cauſa, *quæ ex ſerie traditionis ſunt intelligenda*: Certè ſuppoſitiùs Ambroſius, qui nomine Apoſtolorum *Epiſcopos* hìc intelligendos cenſet, vnum Pontificem ſummum, qui Eccleſiæ vniuerſæ præſit, agnoſcit; *Cùm*, inquit, *totus mundus Dei ſit, Eccleſia tamen domus eius dicitur; cuius hodiè Rector Damaſus*, inquit ille. Et Baſilius, qui *Eccleſiæ gubernationes per Spiritum ſanctum peragi*, nobis adnitentibus, docet, Petrum *Petram facit, ſuper quam fundata ſit Eccleſia*. Ignatium cùm non magnifaciant aduerſarij, potuit ab eo proferendo abſtinuiſſe Spalatenſis, tamen reſpondemus, retuliſſe quidem illum negotia Eccleſiæ ad Collegium Apoſtolorum, ſed Ariſtocraticum non dixiſſe, neque enim, quod putat Spalat. Collegium ſemper Ariſtocraticum eſt, cùm ex collegarum numero vnus ſoleat deligi, qui etiam in rebus gerendis, auctoritate reliquis præſtet, quod in Collegio Apoſtolorum factum à Chriſto, oſtendit Hieronymi dictum toties inculcatum, *ex duodecim vnus eligitur, vt, Capite conſtituto ſchiſmatis tollatur occaſio*.

Lib. de fide, & oper. c. 9.
Cōment. qui præf. nomine. Ambr. in 1. Cor. 12.
Vide in 1. ad Tim c. 3.
Baſil. de SS. cap. 27.
Id. in Eſa. ad cap. 2.
Ignat. in ep. ad Philad.
Apud Spal. eod. n. 2.

Vanus eſt autem Spalatenſis, qui toto numero tertio, vt Bellarminum vexet, quod in quæſtione poſitum eſt tamquam probatum, aſſumit, [nempè Chriſtum Ariſtocratiam, non verò Monarchiam in Eccleſia præſtituiſſe:] Quantò verò validiùs ex ſapientia Chriſti ornatiſſimam illam regiminis formam, Monarchiam ſcilicet, delegiſſe contendit doctiſſimus Cardinalis? Nam quod *à Chriſto non eam delectam, ſed tyrannide Romanorum Pontificum in Eccleſiam inuectam* dicit deſertor, verba ſunt hominis ſplendidè mentientis, aut etiam delirantis. Quæ enim tanta vmquam fuit temporalis Pontificum Romanorum poteſtas, vt toto quidem Oriente recla-

Spalat. Num 3.

Bellar. in lib. contra Marſilium.

reclamante, & tam multis Occidentis Epiſcopis, vt ille exiſtimat, renitentibus, Eccleſiam vniuerſam ſibi ſubijcere pronum eis fuerit?

An non contrà, vel id munus eſſe Chriſti oſtendit, quod poſt tot ſæcula duret, ac perſeueret nobiliſſima Cathedra, cui tot Imperatores, tot tyranni, tot hæretici, tot ſchiſmatici, bellum nefarium indixerint, & de ea euertenda tam ſæpè cogitarint? Nimitùm ad

Aug. Pſal. in cõtr. par. Donat.

hanc proximè pertinet illud Chriſti; *Portæ inferi non præualebunt aduerſùs eam?* Hæc enim, teſte Auguſtino, *eſt illa Petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ.* Ad calcem huius ſectionis contendit aduerſarius, *Corpus Eccleſiæ ſpectatum cum Chriſto, Monarchiæ formam habere, ſed ipſorum miniſtrorum corpus, ſecluſo Chriſto, ſpectatum Ariſtocratiæ cuiuſdam ſpeciem præ ſe ferre,* atque, vt his præſtigijs nos ludificet, rurſùs pro ſumma illa ſua ſolertia in poſtulatione principij verſatur, ac *Chriſtum nullum ſuæ auctoritatis Vicarium reliquiſſe aſſumis*: Hoc vbi probauerit, Monarchiam non ſolùm euerterit, ſed & verba Chriſti, *Paſce oues meas, Paſce agnos meos,* de Euangelio eraſerit, ac ſuſtulerit.

Cœterùm non potuit incogitantiam ſuam apertiùs prodidiſſe, quàm allato pro

Spalat. Num. 4. Matth. 24. & Luc. 12.

ſua Ariſtocratia contrà Monarchiam loco illo, [Fidelis ſeruus, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, vt det illis cibum in tempore &c. Si autem dixerit malus ſeruus ille in corde ſuo, moram facit Dominus meus venire, & cœperit percutere conſeruos ſuos, manducet autem, & bibat cum ebrioſis, veniet Dominus ſerui illius &c. Diuidet eum, partemque eius ponet cum hypocritis.] Quod, vt pleniùs intelligatur.

Primùm quidem aduertendũ eſt, quod monuerat Bellarminus, ea verba ad Petrum proximè pertinere, ſiquidem cùm paulò ante Dominus dixiſſet, *Beati ſunt ſerui illi, quos, cùm venerit Dominus, inuenerit vigilantes,* quæſiuit ab eo Petrus, *Domine ad uos dicis hanc parabolam, an ad omnes?* Reſpondit autem Dominus Petro, *Quis putas eſt fidelis diſpenſator, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam?* Quibus verbis innuiſſe videtur Petro ſolicitudines, & curas, quibus diſtineri eum par eſſet, familiæ ſuæ œconomum, & diſpenſatorem impoſitum.

Secundò aduertendum eſt, alluſiſſe Chriſtum ad veterem familiarum morem, in quibus mos iſte obtiueret, vt qui omnium ſeruorum fideliſſimus deprehenderetur, à Patre familias, omnibus in vniuerſum ſeruis, præponeretur, ac præficeretur. Qua itidem ratione, antequam Petrum gubernaculis Eccleſiæ admoueret Chriſtus, quæſiuit ab eo,

Ioan. 21.

Diligis me plus his? vt ſcilicet dignus agnoſceretur, quem reliquis præferendum, ac præficiendum duxiſſet.

Tertiò obſeruandum eſt, non ſolùm Monarchiam non euertiſſe hoc loco Chriſtum, ſed illam firmaſſe: Namque ſignificat Dominus ſe loqui de eo ſeruo, qui vnus omnibus ſeruis ſuis præſit, quique ſoli Domino ſuo ſubijciatur, quare cùm familiæ ſuæ eam ſimilitudinem accommodet, proculdubiò innuit ſe vnum è famulorum numero domui ſuæ propoſiturum, qui ſe vnum iudicem agnoſcat; Atque quidem ſe iudicem addit, ne ſibi indulgeat Oeconomus, neue Imperio ſibi conceſſo per inſolentiam abutatur, aut conſeruos violet, aut ebrietati vacet, aut denique omnia vndequaque vertat in familia, quippè, cui ratio reddenda ſit ei, *in cuius manus horrendum ſit incidiſſe,* quique norit potentes potentiſſimis tormentis mulctare. Non igitur Chriſtus ſuſtulit de Eccleſia Monarchiam, quod facilè in tyrannidem degeneraret; ſed ne quis ea inſolenter in conſeruorum ſuorum contumeliam abuteretur, Tyrannis comminatus eſt, & denunciatione periculi terrorem incuſſit Eccleſiæ præfectis, quos illa gloria dementaret.

Significauit igitur, quamquam ſua potentia freti, ac ſuprà reliquos poſiti, omnium hominum cenſuram effugerent, non poſſe tamen vnius Dei iudicium declinare, aut ei ſe ſubducere; qui contumelioſi Oeconomi partem cum Hypocritis poſiturus ſit. Qua de re extat Canon, *Si Papa ſuæ, & fraternæ* Can. Boniſ. ep. Mogun. diſt. 40. c. 6.
ſalutis negligens, deprehenditur inutilis, & remiſſus in operibus ſuis, & inſuper à bono taciturnus, quod magis officit ſibi, & omnibus, nihilominùs innumerabiles populos cateruatim ſecum ducit, primo mancipio gehennæ, cum ipſo plagis multis in æternum vapulaturus. Ineptiſſimè ſcilicet, & inſulſiſſimè Sectarij, & in his Beza hæc ita acceperunt, vt exiſtimarint Bonifacium Papam, qui auctor Canonis non eſt, ſed Bonifacius Maguntinus Epiſcopus, his verbis enormem, ac planè furioſam ſibi tribuiſſe poteſtatem animas cateruatim pro libito in infernum detrudendi; cùm contrà Bonifacius inſeruum interminetur ſcelerato Pontifici, ac improbo tetum Domini ſui adminiſtratori.

Sed, vt ad argumentum reuertamur, certè, iudice Ariſtotele, ac aſſentientibus omnibus Philoſophis, non Ariſtocratiæ, ſed Monarchiæ *parecuaſis*, & *phthora* eſt Tyrannis. Quare, cùm de ea poteſtate, quæ in tyrannidem degenerare poſſit, ſermonem habuerit Chriſtus, omninò Monarchiam, non verò Ariſtocratiam intellexit. Improbè igitur ad Monarchiam tollendam hoc loco abuſus eſt Spalatenſis. Quod addit ex Cameracenſi de *Monarchia Ariſtocratia temperanda,* id quoque verum exiſtimat Bellarminus, vt argumento ſit, nos hìc *nullum violentum imperium* ſomniare.

Iam quòd res ſit infamiæ plena, ab Oecumenicis Concilijs, quorum in numero Conſtantienſe ponitur, Anathemate afflicta dogmata, propugnaſſe, hanc à ſe inuidiam amoliri tentat Spalatenſis, oſtendereque nititur [nihil ſibi cum Ioanne Hus, cuius impiæ aſſertiones ſint illo Concilio diris deuotæ, eſſe commune,] ſed laterem lauat. Conferantur dogmata, & planè videbitur non tam ouum eſſe ouo ſimile, quàm ſunt iſta illis ſimilia.

Spalat. Num 5.

Conc Cõſt. ſeſs 12.

Prima aſſertio Ioannis Hus, cuius hìc meminit, eſt, *Non eſt ſcintilla apparentiæ, quòd oporteat eſſe vnum Caput in ſpiritualibus regens Eccleſiam, quod ſemper cum ipſa militanti Eccleſia conuerſetur, & conſeruetur.* Secunda eſt; *Chriſtus ſine talibus capitibus monſtroſis per ſuos veraces Diſcipulos per orbem terrarum, melius ſuam Eccleſiam regularet.* Tertia eſt *Apoſtoli, & fideles Sacerdotes Domini, ſtrenuè in neceſſa-*

Digitized by Google

ceſſarijs ad ſalutem regularent Eccleſiam, anteqaam Papæ officium foret introdactum; ſic facerent, deficiente, per ſummè poſſibile, Papa, vſqae ad diem iudicij. An non igitut vniuerſa hæc rotidem pęnè verbis retexit toto hoc opere Spalatenſis, & quidem adeò infœlicem in hac iniuria depellenda operam ponit, vt ſe ampliùs, ac ampliùs irretiat, planèque reum ſe criminis faciat, cuius cauſa ſit damnatus Huſſitarum patronus,

Propterea ſcilicet omni pudore poſito in Concilium debacchatur: *Reſpondeo ſecundò*, inquit, *eos, tametſi aliqaid ſimile cum meis aſſertionibus continerent, damnatos tamen non eſſe legitimè; quia eoram ſingulorum examen non apparet; ſed in confaſo ſimul cam multis alijs ſunt in ſententia contra Ioannem Has, ſub haiaſmodi cenſura notati; Non eſſe catholicos, nec tamqaam tales eſſe dogmatizandos, ſed ex eis plures eſſe erroneos, alios ſcandaloſos, aliquos piarum aarium offenſiuos, plareſqae eorum eſſe temerarios, & ſeditioſos, & nonnullos eorum eſſe notoriè hæreticos. Erant igitur hi tres articuli ex illis, qai dicuntar aurium offeaſiai, qaia targent odio fortaſsè nimio erga Romanam Pontificem, & videntur acerbiùs, & ſine charitate prolati. Doctriaa tamen in eis contenta, nimirùm in Eccleſia non dari vnam caput ſupremam, & Monarcham, prater Chriſtum: Chriſtam ſuam Eccleſiam per multos miniſtros, ſine vno iſto Monarcha mortali, regere perfectè, & gabernare, eſt doctrina catholica, à ſanctis Patribas hactenùs egregiè explicata, & confirmata. Et fatetur Gerſon, multos articalos horum, tunc damnatos in Concilio Conſtantienſi, poſſe ab bonum ſenſum trahi: Sed & Concilium Conſtantienſe noſtri Romani non recipiunt, quod ſanè Caietanus flammas dandùm eſſe aſſerit: quia nimirùm Eccleſiam in capite qaoqae reformare volebat, & quia Papam Concilio ſuppoſait. Car etiam itaque flammis non erit dandum, dum articalos iſtos veriſſimos, & maximè catholicos damnat; & aſſertorem eorum dat flammis?* Solemnis nimirùm iſte mos eſt omnium hæreticorum, Oecumenicas Synodos, à quibus ſint eorum profligata dogmata, erroris, iniuſtitiæ, ac tyrannidis inſimulare, & poſtulare.

Gerſon ſer. pro viag. Reg. Rom par. 2. dir. 3. Caie. Opuſ. 1. c. 8.

His maledictis Atrius Nicœnam Synodum onerauit, Macedonius Conſtantinopolitanam, Neſtorius Epheſinam, Dioſcorus Chalcedonenſem. Quòd autem ſcribit Gerſon, *potaiſſe maltos articalos in Concilio Conſtantieaſi damnatos ad boaum ſenſum trahi*, non iuuat Spalatenſem; Cenſet quidem Gerſon, ſi ſubtilitatibus locus fuiſſet, potuiſſe vtique adminiculo Logicæ excogitari aliquem eorum articulorum ſenſum, qui errore careret, ſed cùm Theologis ad certam regulam loqui fas ſit, hoc eſt citra ambages. Concilium vtique grauiter, ac ſeriò de illis iuxta tenorem verborum cenſuiſſe. Quod verò addit, *nec Romanos Concilium Conſtantienſe recipere*, immanis eſt impoſtura. Inſpiciatur Catalogus Conciliorum Oecumenicorum nouæ editionis Romanæ, item Colonienſis, & de calumnia conſtabit; certè in vtraque Oecumenicis annumeratur. Quod ad Caietanum attinet, falſum falſiſſimum vnquam aſſeruiſſe, eum flammis eſſe dandum Concilium Conſtantienſe, *quòd Eccleſiam in capite reformare voluerit*: Sed cùm quædam placita Patrum Conſtantienſium, atque etiam Baſilienſium ſibi oppoſuiſſet, illa primùm molire tentauit, interpretationes adhibuit, in meliorem ſenſum flexit, atque cùm ipſe ſibi obijci poſſe videret, eſſe iſta à mente Patrum remotiora, ſpectanda eſſe tempora monuit, quibus cauſa eſsent eiuſmodi decreta, & aduertendum non ſemper fuiſse in illis Conciliorum Oecumenicorum vim, & robur; ac tandem, vt ſe expediret, addit. *Dico ſecandò, quòd ſi honorem veritatis recaſaat, falſa, erronea, ac igni obnoxia ſant.* Sed hæc Spalatenſem non iuuant, qui cum mendacio patrocinetur, *veritati honorem dare recaſat.* A numero ſexto ad duodecimum mirum ſe ineptiarum artificem, & fumorum venditorem oſtendit: Primùm perſuadere nititur, nos *Chriſtum abſentem facere, atqae regimine Eccleſiæ excludere*, Huncque *erroram omnium fontem dicit*, ſed vanum hoc hominis commentum eſt centies à nobis profligatum, non enim abeſt Chriſtus, ſed cùm inuiſibili modo perpetuò Eccleſiæ ſuæ proſpiciat ſpectabilem paſtorem, Vicarium ſcilicet Caput, Petrum, ac Petri ſucceſſores reliquit.

Caiet. tract. 1. c. 8.

Secundò addit [perfectam eſse in Eccleſia Monarchiam, quæ ſcilicet vnum Chriſtum habeat Caput, tamen cogitatione poſse ſeiungi Chriſtum, vt deſinat in quandam regiminis formam, quę neque ſit propriè amplius Monarchica, neque Ariſtocratica, neque Democratica, ſed mixtum quoddam etiam quo ad nomen, deſcriptionemque valdè imperfectum:] Quid autem ſibi iſta velint, planè non video, Totus erat ſupra, vt probaret, Eccleſię regimen eſse Ariſtocraticum, hìc neque Monarchicum, neque Ariſtocraticum, neque Democraticum eſse contendit. Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis.

Spalat. Num. 6.

[Addit verò ſe id in Ariſtocratia ſpectaſse, vt Optimatum gubernatione vnius Pontificis auctoritatem conuelleret, plebem perindè Magiſtratu ſubmoueret: Cœterùm abeſse ab illa ſua Ariſtocratia proprietates veræ Ariſtocratiæ, quia ſcilicet reuera regimen eſt Monarchicum ſub Chriſto, & in vera Monarchia quærere aliam formam regiminis eſt importunum.] An non igitur importunus, qui Ariſtocratiam in Eccleſiam inducere connitatur? Pergit deſipere. [Ait, habere rurſùm Eccleſiam in terris Monarchiam alio duplici ſenſu, primò, quia ſingulæ Eccleſiæ Monarchicè ab vno Epiſcopo gubernantur: Epiſcopi ſubijciantur ſuo Metropolitano, Metropolitanus Primati, Primates cum reliquis ſuo Patriarchæ.] At quorſùm non addidit etiam Patriarcham ſummo Pontifici ſubijci, qui huius ordinis princeps ſit? Et quidem cùm Petro dictum ſit, *Paſce oues meas, Paſce agnos meos*, cùm ſedes Patriarchales primis Eccleſiæ temporibus nullę habitę ſint, niſi quas ipſe fundaſset, non debuit ſummæ auctoritatis faſtigium præteriri, cum eo totus Hierarchicus ordo nitatur.

Spalat. Num 7.

Ignatius quidem Epiſtola ad Trallianos (de eius ſinceritate non diſputo) ait, [Epiſcopum omnem principatum, & poteſtatem ſupra omnes] (ſuos ſcilicet miniſtros, inquit Spalatenſis) [obtinere tantum, quantum poteſt obtinere homo, Chriſti miniſter.] Sed non erat, cur proindè nihil relinqui Ro-

Spalat. Num. 8.

mano

mano Pontifici contenderet. Eſt ſumma Epiſcopi in ſuos miniſtros poteſtas, ſed ipſe viciſſim ſuperiori poteſtati, nempè Pontifici paret, qui tamen in eius patrimonium non inuolat, nec inuadit fines illius, quamdiù in ordine ſtat, & illa ſua poteſtate non abutitur, ſed cùm exorbitat, errantem in viam reducit.

Hieron. ad Ruff. ep. 4.

Hieronymi etiam locus nobis fauet; *Singuli*, inquit, *Eccleſiarum Epiſcopi, ſinguli Archipresbyteri, ſinguli Archidiaconi, & omnis ordo Eccleſiaſticus ſuis Rectoribus nititur*; Nam ſummum in hoc ordine Rectorem Pontificem agnoſcit Romanum, vt ex duabus ad Damaſum Epiſtolis, ac ſexcentis alijs locis oſtenditur; Certè eodem ſæculo auctor commentariorum, qui Ambroſij nomine præfertur, eundem Damaſum, non ineleganter *domus Dei, quæ eſt Eccleſia, Rectorem vocat. Scribo tibi*, inquit, *vt ſcias quomodo Eccleſiam ordines, quæ eſt domus Dei, vt cùm totus mundus Dei ſit, Eccleſia tamen domus eius dicatur*, cuius hodiè Rector eſt Damaſus.

Ambroſ. ſup. ad c. 3. epiſt. 1. ad Tim.

Spalat. Num. 9.

Secundò vrget Spalatenſis, [Monarchiam, cœtum Apoſtolorum, adeòque omnium Epiſcoporum hoc nomine vocari poſſe, quòd, teſte Cypriano Epiſcopatus omnes partiales vnicus ſint, Epiſcopatus, & omnes priuatæ Eccleſiæ, vna Eccleſia vniuerſalis.] Sed Cypriani teſtimonium primo loco prolatum Spalatenſem iugulat. [Deus, inquit, vnus eſt, & Chriſtus vnus, & Eccleſia vna, & Cathedra vna, ſuprà Petrum Domini voce fundata.] Iniecta enim de vna Cathedra ſuprà Petram fundata mentio, Petrum ſpectabile caput Eccleſiæ, huius vnitatis principium, originem, &, vt ipſe loquitur, exordium innuit. Quod autem addit Cyprianus: [Nam, & ſi paſtores multi ſumus, vnum tamen gregem paſcimus:] id planè verum eſt, quia ſinguli Epiſcopatus, veluti portio ſunt gregis Chriſti, ſuo priuato paſtori credita, ſed id ordinem, & ſubiectionem inter paſtores minimè tollit; Nam & Cyprianus, tamquam Aphricæ primas collegis ſuis Epiſcopis, etiam ius dicebat, ac eorum conſeſſui moderabatur: Quandoquidem etſi [vnum Epiſcopatum dixit, cuius à ſingulis in ſolidum pars teneatur,] tamen nõ dixit omnes Epiſcopos pares, aut gradu, aut dignitate eſſe, nec certè in ſententia Spalatẽſis dicere potuit, cùm Metropolitas, Primates, ac Patriarchas in Hierarchia Eccleſiæ à ſe delineata reponat.

Cypr. lib. 1. epiſt. 8.

Idem Cypr. lib. 3. ep. 13.

Item tract. de ſimplic. prælat.

Neſcio verò quo ſenſu Monarchiam dicat Spalatenſis, [cœtum omnium Miniſtrorum, qui vni non pareant, ſed dumtaxat inter ſe colligentur, conſpirantibus votis in Eccleſiæ curam incumbentes;] Namque cùm plures imperant, quamquam vnanimes, quamquam in vnam curam incumbentes, quamquam omni vinculorum nexu cohærentes, Monarchia non eſt, quę, omnium Philoſophorum iudicio, vno capite à multitudine ſeiuncto, nititur; Sed pudet in his quiſquilijs immorari.

Poſtremò etiam Democratiæ in Eccleſia ſuas partes tribuit, plebemque in conſortium vocat ſummæ poteſtatis, quippè quam velit etiam [actiuè, & executiuè concurrere ad aliquem excommunicandum; ad eligendos Eccleſiæ miniſtros,] etſi ſuperis placet, [ad quæſtiones fidei tractandas,] ſed quia hæc ab eo gratis dicuntur, gratis quoque refelluntur. Pollicetur ſe reliquis libris de his accuratiùs acturum, videbitur ſuo loco.

Specimen ineptiarum aduerſarij.

Sed Anatomen hac habe doctrinæ Spalatenſis, erudite lector. [Monarchia in Eccleſia non eſt admittenda, Monarchia in Eccleſia obtinet, Ariſtocratia in Eccleſia regnat, Ariſtocratia in Eccleſia propriè nõ eſt, Democratia etiam in Eccleſia ſuas partes habet, ac tandem, In Eccleſia neque eſt Monarchia, neque Ariſtocratia, neque Democratia, ſed mixtum quoddam etiam, quoad nomen, deſcriptionemque valdè imperfectum:] O barbariem, ò verſaniam! Scio Cardinalem Bellarminum aſſerere Eccleſiæ regimen [temperatum eſſe ex omnibus tribus formis, cùm primùm Monarchia in vno Pontifice effulgeat, Ariſtocartia in Epiſcopis, qui veri principes, & paſtores ſunt ſuarum plebium, Democratia verò in Chriſtiana multitudine, cui ad honores Eccleſiaſticos, via non ſit præcluſa, & poſſit quiuis de eius numero, ſi modò dignus ſit, etiam ad Epiſcopatum promoueri.]

Sed ſic Monarchiam temperat Bellarminus, vt tamen primas, & ſummas partes ei tribuat; Spalatenſis verò adeò perturbatè omnia tradit, vt in hoc illo ſuo mixto imperfecto, quod nobis obtrudit, neque pedem, neque caput agnoſcas: Et tamen de Hierarchia Eccleſiæ, rectè ſtatuiſſe ſe inaniter gloriatur. Vt fidem faciat, aggreditur ad diſſoluenda argumenta, quæ ſunt à noſtris, pro aſtruenda Monarchia, vſurpata.

Argumenta Orthodoxorum pro Monarchia. 1.

Primùm igitur, vt Eccleſiæ gubernationem Monarchiam eſſe probent, Orthodoxi hoc argumento vtuntur, [Monarchia omnium Philoſophorum iudicio omnibus regiminis formis excellit, ſed certum eſt Eccleſiam Dei à ſapientiſſimo Principe Chriſto inſtitutam optimo, & excellentiſſimo regimine genere gubernari; Ergo proculdubiò Monarchia in ea obtinet.] Maiorem propoſitionem negare non audet Spalatenſis; Sed excipit, [hìc minimè quæri, quid Philoſophorum, aut mundi ſapientum iudicio melius ſit, ſed quid Chriſtus melius duxerit;] Prætuliſſe verò illum Ariſtocratiam Monarchiæ, ac præſtantiorem in Eccleſia iudicaſſe contendit; ſed immaniter errat, primùm enim, noſtri humanam ſapientiam non aduocant, ſed ad naturam ipſam prouocant, cuius cùm auctor ſit Deus, non poteſt non eſſe ordinatiſſimum opus. Nam quòd Homerum, Ariſtotelem, Stobęum, Iſocratem, Plutarchum, & ſimiles proferunt, idcircò faciunt, quod hæc illorum erudita dicta *Oti calliſton i Monarchia*,

Vc agathon polyciranii, is ciranos eſto, is Vaſileus,

Bodin. Method. hiſtor. pag. 385.

non tam illorum placita ſint, quàm naturæ iudicia, [Nam ſi natura propiùs inſpiciamus,] inquit, ex pollicitis non nemo, [Monarchiam vbique intueri licebit. Videmus enim, vt à minimis auſpicer, in apibus Regem, in armentis ducem, in gregibus hircum, aut arietem ſectarium (vt inter grues ipſas vnam reliquæ ſequuntur,) & in ſingulis rerum naturis vnum aliquid excellere: Sic adamantem inter gemmas, aurum inter metalla, Solem inter ſydera, denique Deum vnum, mundi principem,

viratus oſtendit, poteſtate ſua in ciuium perniciem inſolentiſſimè abuti. Neque verò ſummo Pontifici propterea fræna laxantur,[quòd actorum ſuorum rationem vni Deo ſit redditurus, & adeò vitioſum eſt argumentum ex eo capite ductum, vt Monarchiam quoque Regum euertat, ſi quid habeat ponderis,nam ſuprà omnem cenſuram poſiti ſunt, vndè eſt
Pſal.50. illud Dauidis regis Deum alloquentis, *Tibi ſoli peccaui*, quòd ſcilicet nullus mortalium, ſed ſolus Deus ſcelerum pœnas à rege repetere poſſet. Eſt certè timoris diuini potentiſſimum frænum, quo etiam rigidæ ceruices cohiberi, ac in officio contineri poſſunt;nihil ergo Ariſtocratiam iuuat, quæ hîc à Spalatenſi nullo iudicio effuſa.

Spalat. Num.15. Tertia ratio,qua nituntur, noſtri quamque impugnat Spalatenſis, eſt, quia, [Coniunctio inter ciues certiùs, & faciliùs obtinetur, ſi vni parendum ſit, quàm ſi multis: vix enim fieri poteſt,vt multi,quorum vnus ab alio non pendeat, de rebus iiſdem, eodem modo iudicent; Si igitur alius aliud imperet, aut alicui non parebitur, aut in varia ſtudia populum ſcindi oportebit. Excipit Spalatenſis, hoc ſuam Ariſtocratiam Eccleſiaſticam, non oppugnare, In ea enim, inquit, ſinguli noſtri optimates, hoc eſt, Epiſcopi, nihil poſſunt toti Reipublicæ imperare:& lex,ſeu imperium ab illis in totam Rempublicam, aut nullum emanat, aut vnicum, & idem omnibus in ipſum, vel maiori parte conſentientibus.Atque ita hoc incommodũ in ea non eſt timendum.] At primùm, ſi nullum ab eiuſmodi Ariſtocratia imperium in totam Eccleſiam manat, certè vniuerſæ Eccleſiæ regimen cenſeri non poteſt, cùm oporteat gubernatores in ſubiectos ſibi populos imperio pollere, quo pro rerum opportunitate vtantur. Quod verò addit [futurum, vt omnibus conſequentibus, vel ſaltem maiori parte ſanciantur decreta, ſi quæ ferenda ſint,] incertò euentu nititur, nam cùm in ea multi imperent, longè faciliùs à ſeipſis diſſidebunt, quàm vnus à ſeipſo; Sed en potentiſſimum argumentum.

Prætereà inquit, [præceptum omne, & ſanius, & ſalubrius à multis, vt plurimùm prodibit, quàm ab vno; plùs enim vident oculi, quàm oculus, & faciliùs eſt, vt vnus ex animi perturbatione ad legem iniquam ferendam moueatur, quàm multi. In noſtro etiam caſu, qui veram Ariſtocratiam in Eccleſia non habemus, huic incommodo adhuc meliùs proſpectum eſt, dum ſingulis Eccleſijs ſingulos Epiſcopos præfeci debere,eſt compoſitum, & mandatum; ac vetitum,ne quis in alienam meſſem falcem immittat.] Vidi Caluiniſtas, & Schiſmaticos, qui hoc Achille maximè gloriarentur,ac triumpharent;[Ecce, inquiunt, plùs vident oculi, quàm oculus;] Primùm autem procliuè eſſet reſpondere, hoc naturæ axioma meræ Monarchiæ fortaſsè nonnihil præiudicare poſſe, in qua penès vnum preciſè ſit rerum omnium arbitrium, Monarchiam verò Ariſtocratia temperatam, qualis ſit Eccleſiaſtica, in qua Epiſcopi, & reliqui Eccleſiæ proceres, Pontificem iuuant, nihil lædere, cùm huius generis Monarchia, etiam plures oculos habeat, quàm illa Ariſtocratia;

Sed propiùs ad rem reſpondeo, pro more Scholarum; [Plùs vident oculi, quàm oculus, cùm par lumen eſt in ſingulis, concedo; Cùm impar eſt, atque oculus oculos luminis præſtantia ſuperat, nego.

Dico igitur, non eſſe par lumen in reliquis, cum Summo Pontifice, namque vni ei in perſona Petri dictum eſt, *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua*, quare, ea luce collu- Luc.22.
ſtratus plùs eius oculus cernit, quàm multorum oculi; Certè vltimum Spiritum trahente Synagoga, cùm reliqui Sacerdotes, Scribæ, & Phariſæi à ſcopo aberraſſent, vnus Caiphas collimauit: *Vos*, inquit, *neſcitis quicquam, expedit vobis, vt vnus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat*; *Hoc autem à ſemetipſo non dixit*, inquit ſacer Euangeliſta.*ſed quòd eſſet Pontifex anni illius*. Diſtinctionem autem Ioan.11.
noſtram de paritate, & imparitate luminis firmare poſſumus exemplo lincei, qui tanta oculorum acie fuit,vt nouiſſimam lunam,primamque eodem dici in ſigno Arietis conſpiceret; Hunc igitur aſſumamus, & cum multis vnum conferamus.Addantur centum oculis mille oculi, qui aciem in cœlum intendant, numquid propterea Orientem, & Occidentem in ſigno arietis Lunam intuebuntur? Non oculorum multitudo, ſed vis luminis in videndo ſpectari debet.

Appendicis vice addiderat Bellar. [Vbi in Spalat. Num.16. Bellar. ibid. cap. 2. in princ.
amplis familijs multis ſeruis idem miniſteriũ aſſignatur,neglĩgẽter negotia procurari,quòd vnus alijs prouinciam communem relinquat. Rex autem, inquit, qui ſcit à ſe vno pendere omnia, cogitur nihil negligere. Opponit Spalatenſis, iſtud in ſua Ariſtocratia locum non habere, in qua cùm plures feruentiores, & fideliores miniſtri operi manum admouent, aliorum negligentiam, ſua digentia ſarciunt, additque, ſic inter eos diuiſas operas, vt quiſque agro ſuo excolendo omnem laborem impendat.] Sed nemo non videt in Monarchia hoc cumulatiùs, atque adeò fœliciùs præſtari; Namque cùm vni ſit reddenda ratio, quiſque ſibi proſpicit, ac ſuperioris poteſtatis reuerentia adductus, ne in eius offenſionem incurrat, omnem diligentiam adhibet, & hoc à ſe dedecus amoliri ſtudet.

At inſtat Spalatenſis, [Minori detrimento Domini, vnum aliquem ex turba famulorum manus remittere, quàm ſi is, in quem totad omus recumbat,officio ſuo deſit,additque, facilè torpere Pontifices, quòd cùm non ſint Eccleſiæ ſuæ Domini, res illius minùs ad ſe pertinere putent, nec velint in re aliena ſuos ponere labores;] Sed quod ad primum attinet, hoc ipſo argumento euertitur Monarchia temporalis, in qua facilior eſt lapſus vnius regis, quàm in Ariſtocratia multorum Optimatum: Quod attinet verò ad ſecundum,non aduertit Spalatenſis,Spiritum ſanctum, ſupremæ poteſtatis auctorem, torpentem Pontificem ſolere excitare, & vt nihil proficiat, non deeſſe alios miniſtros, qui hoc detrimentum, eodem Spiritu ſancto impellente, ſarciant; Non dubitamus verò ingentem oportere eſſe charitatem Pontificis, vt eum omnium Eccleſiarum cura remordeat, ac ſollicitum habeat; Sed axioma eſt Philoſophorum, *eum, qui eſſe rei impertiatur, illa quoque largiri, quæ huiuſmodi eſſe conſequantur*; Chriſtus ſummæ poteſtatis auctor non deeſt ſuis Pontificibus, pro quibus etiam eſt Patrem precatus, eos

ſancti Spiritus igne inſtammat, incendit, & ad opus alacres reddit. Sed paulò grauiora argumenta expendamus.

Spalat. Num. 17. Bellar. Ibid. cap. 9. Ioan. 10.

Aſſerunt noſtri [Eccleſiam vnicum ouile eſſe, cuius propterea vnicus quoque debeat eſſe paſtor, & is quidem viſibilis, cùm dixerit Chriſtus; Alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili; Illas me oportet adducere, & fiet vnum ouile, & vnus paſtor;] Loqui enim eum de ſpectabili aliquo paſtore, cuiuſmodi fuit Petrus, non de Deo, ex eo probant, quòd [loquatur de ouili, in quo aliquando gentes non fuerint, cùm tamen, & Iudæi, & Gentes in eo ſemper ouili fuerint, cuius paſtor ſit Deus. Excipit Spalatenſis: Hunc paſtorem eſſe Chriſtum Deum, & hominem, qui initio quidem paſtor fuit Iudęorum, mox verò etiam Gentilium ad fidem conuerſorum;] Atqui Chriſtum quidem paſtorem, tum Iudæorum, tum Gentilium agnoſcimus, ſed cum in cœlum ſe receperit ante adductas in vnum ouile illas alias oues, hìc quæritur quis ſit ille paſtor, qui poſtquam aduectæ ſunt, eas curandas acceperit, vt eſſet vnũ ouile, & vnus paſtor, ſpectabilis ſcilicet, vt erat ſpectabile ouile.

Sed diligentiori examine opus non eſt; quis enim ſpectabilem eum paſtorem non agnoſcat in verbis Chriſti, *Paſce oues meas, paſce agnos meos*? Et quidem Spalatenſis, *oues Iudæos* ſuprà dicebat, *agnos verò Gentiles*; Iam ergo agnoſcat Petrum vtriuſque populi in ouile Chriſti coacti paſtorem à Chriſto renunciatum. Quod verò ait, *etiam Gentiles prædeſtinatos ad ſalutem fuiſſe, non ſecùs, ac Synagogam, Chriſti ouile verè mundum, & ſanctum, cùm dixerit Chriſtus; Alias oues habeo, non habebo, &c.* Immanis eſt error, neque enim prędeſtinatio ſanctos, aut mundos facit, ante temporalem ad fidem vocationem, Sacramentorum ſuſceptionem, & iuſtificantis gratiæ conſecutionem; Cuius ratio eſt, quia ſcilicet *prædeſtinatio nil ponit in prædeſtinato, ſed in prædeſtinante tota manet*, vt docent Theologi. Sed hæc non ſunt præſentis inſtituti.

Spalat. Num. 18. Cypr. lib. 1. ep. 6.

Perſequamur noſtram de vno paſtore viſibili ouili Chriſti impoſito ſententiam, Firmat eam Bellarminus teſtimonio Cypriani in hunc modum diſſerentis, [Idcircò Dominus inſinuas nobis vnitatem de diuina auctoritate venientem, ponit, & dicit; Ego, & Pater vnum ſumus. Ad quam vnitatem redigens Eccleſiam ſuam, denuò dicit, & erunt vnus grex, & vnus paſtor. Si autem grex vnus eſt, quomodo poteſt gregi annumerari, qui in numero gregis non eſt? aut paſtor haberi quomodo poteſt, qui manente vero paſtore, & in Eccleſia Dei ordinatione ſuccedanea præſidente, nemini ſuccedens, & à ſe incipiens, alienus fit, & prophanus.]

Non fert Spalatenſis Bellarminum, qui hunc paſtorem à Cypriano commendatum Cornelium intelligat; [Quomodo, inquit, obſecro Cyprianus ſi non delirat, poteſt hoc loco intelligere vnicum paſtorem totius vniuerſalis Eccleſiæ eſſe Cornelium Romanum, contrà quẽ aliam Cathedram Nouatianus erexerat?]

Sed quomodo ipſe Spalatenſis, ſi modo ipſe ſanus eſt, inficiari poteſt Cyprianum, pro ſpectabili paſtore Eccleſiæ vniuerſæ, habuiſſe Petrum de quo dixerit; [Loquitur Dominus ad Petrum, Ego tibi dico, inquit, quia tu es Petrus, & ſuper iſtam petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. Et tibi dabo claues regni cęlorum, & quæ ligaueris ſuper terram erunt ligata, & in cœlis; & quæcunque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta, & in cœlis: Et iterum eidem poſt Reſurrectionem ſuam dicit; Paſce oues meas, Super vnum illum ædificat Eccleſiam ſuam, & illi paſcendas mandat oues ſuas.]

Cypr. de vnit. Eccleſ.

Hæc clariſſimè oſtendunt falſum falſiſſimum eſſe, quod occinit Spalatenſis, [noluiſſe vmquam Cyprianum agnoſcere in Petro ſupremi paſtoris curam.] Quod autem de Petro dixit, non dubitauit quoque de Cornelio affirmare; Cùm eum pro legitimo Petri hærede, & ſucceſſore haberet; *Factus eſt*, inquit, *Cornelius Epiſcopus de Dei, & Chriſti eius iudicio, de Clericorum penè omnium teſtimonio, de plebis, quæ tunc affuit, ſuffragio, de Sacerdotum antiquorum, & bonorum virorum collegio; cùm nemo ante ſe factus eſſet, cùm Fabiani locus, ideſt, cùm locus Petri, & gradus Cathedræ Sacerdotalis vacaret.* Cypr. ep. 52.

Propterea inepta eſt accommodatio illa quam ſomniat Spalatenſis, vt Eccleſiam Romanam, [quam matricem, & radicem Eccleſiarum vocat Cyprianus, à qua ſit exorta Sacerdotalis vnitas,] in priuatarum ordinem cogat detracta capitis dignitate. Siquidem Cyprianus pro conditione Eccleſiæ, de qua illi ſermo eſſet, loquutus eſt; Cùm igitur Romanam omnium Eccleſiarũ matricem agnoſceret; Propriiſſimè de eius Pontifice intellexit, quod eſt à Chriſto de vno paſtore ſui ouilis dictum. Suprà.

Et quidem ſi de aliqua priuata Eccleſia diſputationem inſtituiſſet, in qua Nouatianus ſchiſma feciſſet, accommodatione illi opus fuiſſet, quo verba, *fiet vnum ouile, & vnus paſtor*, eò curuaret, & vni paſtori priuato aptaret, ſed cùm de Romana Eccleſia, quæ omnium Matrix eſt Eccleſiarum, illi ſermo eſſet, accommodatione opus non habuit, ſed rotundè loquutus eſt. Quo ſenſu etiam Hieronymus ad Eccleſiam Romanam retulit, quæ de Eccleſia in vniuerſum ſunt dicta; [Beatitudini tuæ, inquit, ideſt, Cathedræ Petri communione conſocior, ſuper illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicunque extrà hanc domum agnũ comederit, prophanus eſt. Si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluuio: Et quia pro meis facinoribus ad eam ſolitudinem commigraui, quæ Syriam iuncto Barbariæ fine diſterminat, nec poſſum ſanctum Domini, tot interiacentibus ſpatijs à ſanctimonia tua ſemper expetere, ideò hìc collegas tuos Ægyptios confeſſores ſequor, & ſub onerarijs nauibus, parua nauicula delitеſco; Non noui Vitalem, Meletium reſpuo, ignoro Paulinum. Quicunque tecum non colligit, ſpargit, hoc eſt, qui Chriſti non eſt Antichriſti eſt. Hier. Damaſ. ep. 57.

Pergamus; [Aliud argumentum ex Cypriani Epiſtola pro ſua Monarchia ducit Bellarminus, quod tale eſt, inquit Spalatenſis; Poſteaquam Cyprianus, inquit Bellarminus, docuit arcam Noe typum fuiſſe Eccleſiæ, indè probat, Nouatianum non potuiſſe fieri huius arcæ gubernatorem, quia iam Cornelius factus erat, & Nauis vna vnum Rectorem poſtulabat, non plures.] Spalat. Num. 19. Bellar. vbi ſup. c. 9.

Im-

Impoſturæ Bellarminum arceſſit Spalatenſis, excipitque, nec citaſſe verba, nec ſenſum tradidiſſe Cypriani: quod Cyprianus eò loci, ne ſomniarit quidem quicquam de Cornelio gubernatore arcæ; [Verba Cypriani, inquit, non recitat, quia nobis, vt ſuſpicor, imponere ſtuduit. Quæ enim Bellarminus Cypriano hìc appingit, apud Cyprianum nunquam in eo ſenſu ea reperies. Dicit enim, arcam Noe fuiſſe typum Eccleſiæ, & quemadmodùm nemo tunc ſaluari per aquam potuit, qui in arca non fuerit, ita, inquit, per baptiſma viuificari non poteſt, qui in Eccleſia non eſt. Vt hoc pacto excludat Nouatianiſtas, & datis mox alijs ad hoc ſymbolis, & exemplis pergit oſtendere, quamuis in hoc piè ipſe Cyprianus erraret, à Nouatiano baptizatos, baptiſmum verè non ſuſcipere, & ait, Propter quod cùm ſola Eccleſia habeat aquam vitalem, & baptizandi, atque abluendi hominis poteſtatem, qui dicit apud Nouatianum baptizari, & ſanctificari aliquem poſſe, priùs oſtendat, & doceat Nouatianum in Eccleſia eſſe, aut Eccleſiæ præſidere. Eccleſia enim vna eſt, quæ vna, & intus eſſe, & foris non poteſt. Si enim apud Nouatianum eſt, apud Cornelium non fuit; Si verò apud Cornelium fuit, qui Epiſcopo Fabiano legitima ordinatione ſucceſſit, & quem præter Sacerdotij honorem, martyrio, quoque Dominus glorificauit, Nouatianus in Eccleſia non eſt, nec Epiſcopus computari poteſt, qui Euangelica, & Apoſtolica traditione contempta, nemini ſuccedens à ſe ipſo ordinatus eſt; habere namque, aut tenere Eccleſiam nullo modo poteſt, qui ordinatus in Eccleſia non eſt. Hæc Cyprianus. Qui nec ſomniauit quidem quicquam de Cornelio gubernatore arcæ, ſed propterea probat Nouatianum non eſſe in Eccleſia: Neque prælationem vllam tenere in Eccleſia, quia Cornelius illi Eccleſiæ particulari, nempè Romanæ, præſidebat legitimè, in qua Nouatianus ſibi ipſemet, abſque legitima electione, & ſucceſſione ſedem fixerat. At in vnaquaque Eccleſia, vnus tantùm eſt legitimus Epiſcopus, legitima ſucceſſioue ordinatus.

Bellarm. de Rom. Pont. lib. 1. cap 9.

Procùldubiò, inquit Spalatenſis, eodem argumento vſus fuiſſet Cyprianus, ſi Nouatianus ſchiſma feciſſet, in quacumque alia Eccleſia, in qua eſſet proprius legitimus Epiſcopus; Sed de Romana loquitur, quia in Romana ſchiſma fecerat Nouatianus, non autem loquitur de tota Eccleſia vniuerſali.]

Reſpondeo, ſi modò ex verbis Cypriani erui poſſit ſenſus, quem perſequitur Bellarminus, non poſſe illum citrà contumeliam impoſturæ poſtulari; Erui autem poſſe, ſic oſtendo. Nouatianum aquam vitalem, atque baptizandi, & abluendi hominis, poteſtatem non habere, ex eo probat Cyprianus, quòd [Nouatianus in Eccleſia non ſit, nec ei præſidere poſſit:] Probat autem in Eccleſia non eſſe, quia Eccleſia vna eſt, vt vnus arcæ typus oſtendit, ac proindè apud diuerſos eſſe non poſſit, quare, inquit, ſi apud Cornelium fuit Eccleſia, apud Nouatianum non fuit. Ea certè Eccleſia, quam apud Cornelium eſſe contendit, illa ipſa eſt, de qua ſuperiùs conteſtarum eſſe Petrum, cùm de baptiſmo ageret, [vnam arcam Noe typum fuiſſe vnius Eccleſiæ,] ſcripſit. Cùm ergo aſſerat, Cornelium non ſolùm in ea Eccleſia eſſe, ſed etiam præeſſe, quòd [Fabiano Epiſcopo legitima ordinatione ſucceſſerit,] proculdubiò huius arcæ Rectorem facit.

Quod verò exiſtimat Spalatenſis; [Cyprianum eodem vſurum fuiſſe argumento, ſi in alia Eccleſia Nouatianus ſchiſma feciſſet,] falſum eſt ſi abſolutè dicatur. Potuit, vt ſuprà monui, id quoque ad quamcumque aliam Eccleſiam, accommodatione quadam trahi, ſcilicet, quia vnitatis participatione ſingulæ gaudent, ſed abſolutè, ac præciſè, nonniſi de Roma dici potuit. Siquidem conuenit iſtud in Romanam, tamquam in [fontem, & principium vnitatis. quæ ab ea in alias deriuetur: Propterea namque, & Cyprianus, & reliqui Epiſcopi erroris de rebaptizandis hęreticis patroni, cùm vni Eccleſię commiſſam eſſe [aquam vitalem baptiſmi] probare vellent, Petrum Cathedræ Romanæ primum decus proferebant, atque ſuper eum vnum fundatam Eccleſiam vrgebant.

Ita enim Cyprianus ad Iubaianum; *Manifeſtum eſt autem*, inquit, *vbi, & per quos remiſſa peccatorum dari poſſit, quæ in baptiſmo ſcilicet datur. Nam Petro primùm Dominus, ſuper quem ædificauit Eccleſiam, & vndè vnitatis originem inſtituit, & oſtendit, poteſtatem iſtam dedit, vt id ſolueretur in cœlis, quod ille ſoluiſſet in terris.* Firmilianus quoque qui acerbius, & contumelioſiùs, quàm Epiſcopum deceret, in Stephanum ſcripſit; *Qualis*, inquit, *error ſit, & quanta ſit cæcitas eius, qui remiſſionem peccatorum dicit apud Synagogas hæreticorum dari poſſe, nec permanet in fundamento vnius Eccleſiæ, quæ ſemel à Chriſto ſuprà petram ſolidata eſt, hinc intelligi poteſt, quòd ſoli Petro Chriſtus dixerit; Quæcumque ligaueris ſuper terram erunt ligata, & in cœlis.* Adeòque ipſe Firmilianus commotior in Stephanum, ſtultitiæ eum poſtulat, quod plura baptiſmata inducens ipſe ſua vineta cædat, ac Cathedram, cui præſit, in diuerſas partes diſtrahat. *Atque ego*, inquit, *in hac parte iuſtè indignor ad hanc, tam apertam, & manifeſtam Stephani ſtultitiam, quòd qui ſic de Epiſcopatus ſui loco gloriatur, & ſe ſucceſſionem Petri tenere contendit, ſuper quem fundamenta Eccleſiæ collocata ſunt, multas alias Petras inducat, & Eccleſiarum multarum noua ædificia conſtituat, dum eſſe illic baptiſma ſua auctoritate defendit. Nam qui baptizantur, complent ſine dubio Eccleſiæ numerum. Qui autem baptiſma eorum probat, de baptizatis, & Eccleſiam illic eſſe confirmat. Nec intelligit obfuſcari à ſe, & quodammodo aboleri Chriſtianæ Petrę veritatem, qui ſic prodit, & deſerit vnitatem.*

Cypr. ad Iubaian ep 73.

Inter epiſt. Cyp. ep. 75

Ibidem.

Itaque primã rationem vnitatis Eccleſiæ *in Cathedra Romana* ponebant illi, ac propterea cùm Cornelium Eccleſiæ Romanę prǽeſſe, contrà Nouatianum contenderet Cyprianus, etiam eum Rectorem Eccleſiæ, cuius arca Noe typus fuiſſet agnoſcebat, qui ſcilicet, *ſucceſſionem Petri, ſuper quem Eccleſiæ fundamenta collocata eſſent, teneret*, vt de Stephano fatetur Firmilianus; Namque etiam Cornelium *Petri locum* occupaſſe, diſertis verbis docet.

Sequitur alia noſtrorum ratio apud Spalat. [Vrgent vlterius, inquit, ſi in ſingulis Eccleſijs miniſtris omnibus, & Parochis, ac toti clero inferiori præeſt vnus Epiſcopus; Epi-

Spalat. Num. 20.

Epiſcopis verò omnibus vnius prouinciæ, vnus Metropolitanus, & in maioribus vrbibus primates, & Patriarchæ; Cur non debet toti Eccleſiæ vnus præeſſe, cui primates quoque, & Pariarchæ ſubijciantur? Reſpondeo Hierarchiam hanc, & ſubordinationem inter Epiſcopos ab ipſamet Eccleſia, ſolo iure humano Eccleſiaſtico ad vitandas confuſiones eſſe introductam; Alioquin ex primaria inſtitutione omnes hi equales ſunt in poteſtate iure diuino. vt fuſè lib. 2. & 3. diſputabo. Et quamuis ad vitandam, vt dixi, confuſionem inducta ſit hæc Hierchia, in tantum tamen inducta eſt, in quantum ſufficit ad prædictum finem. Schiſmatibus autem ſufficienter occurritur, ſi alij alijs ſubijciantur, quouſque commodè Hierarchicum hoc regimen exerceri poſſit. Itaque in vna Eccleſia vni Epiſcopo ſubduntur Parochi, & illius Eccleſiæ Miniſtri iure diuino. Plures verò Epiſcopi illius prouinciæ iure Eccleſiaſtico, vni ſubduntur Archiepiſcopo, ſeu Metropolitano. Metropolitani plures plurium prouinciarum, vni ſimiliter primati eiuſdem regionis. Primates verò, vni Patriarchæ eiuſdem regni, ſeu plagæ orbis terrarum: qui verò ſunt in longè diuerſis regnis, & plagis terræ, cùm non poſſint commodè frui beneficio vllius, qui ſit ab ipſis plurimùm diſſitus, idcircò Eccleſia primas ſedes, quæ ſuprà ſe aliàs ſedes non haberet, fecit plures ſedes Patriarchales.]

At primùm, immanis error eſt, vt alio loco docebitur, reliquos ſaltem miniſtros, Presbyteros ſcilicet, æquare Epiſcopis, qui proculdubiò iure diuino illis ſunt maiores, ac ſuperiores; Ac rurſus, vt demus, reliquos

Lib. 4. c. 4. § 4.

huius Hierarchiæ ordines auctoritate Eccleſiaſtica (certè ſedes Patriarchales à Petro conſtitutas tota antiquitas nos docet) inuectos, quæro quorſum ſunt inuecti, niſi quòd ex eorum inſtitutione magna ad Eccleſiam redundaret vtilitatem, & quòd illud ad Eccleſiaſticæ diſciplinæ conſeruationem faceret, vt ipſe agnoſcit Caluinus? Cur igitur non admittitur quoque vnus à Chriſto bono vnitatis,

Eod. nu. 20.

vt loquuntur, inſtitutus, qui reliquis præſit?

At inquit Spalatenſis, [Concedo itaque in vna prouincia vnum eminere Archiepiſcopum, quia commodè ab vno poteſt regi, & ſic de regionibus, ac regnis; non tamen proptereà concesſerim, Eccleſiam vniuerſam cùm ſit vna, ab vno vniuerſali debere regi gubernatore, quia ciuitas, & prouincia, & regnum commodè hoc regimine vnius poteſt frui, non ſic totus mundus. Et Hierarchia iſthæc, atque ſubordinatio, nonniſi commoditatis gratia, & vt confuſiones, multaque incommoda vitarentur, eſt, vt dixi, ab ipſa Eccleſia iure

De Prouidentia.

humano Eccleſiaſtico introducta.] Id certè verum eſſet, ſi diceremus, Pontificem omnia per ſe immediatè peragere, nec comminiſtrorum ſuorum opera vti, ſed cùm *ſynergus* habeat Epiſcopos, Archiepiſcopos, Patiarchas, Cardinales, qui ſummæ poteſtati ſubiaceant, ac ſubordinentur; tollitur impedimentum, quod volens ſibi fingit aduerſarius. Cæterùm quòd vnus tanto oneri ſufficiat, non humani ingenij viribus, ſed gratiæ Dei deputandum, qui Monarchiam fulciat; Præclarè enim Syneſius; [Diuina enim hæc, & ſingularis prouidentia eſt, vnius interuentu propè infinitorum hominum curam ſuſcipere.]

Spalat. Num 22.

Alia noſtrorum argumenta perſequitur Spalatenſis, [Inſurgunt præterea, inquit, propagationem Eccleſiæ à Monarcha fieri, cui incumbat ſolicitudo conſeruandi totius Eccleſiæ corporis, & propagandi, & ab alio id fieri non poſſe. Imò reipſa per Romanos tantùm Pontifices Eccleſiam eſſe poſt Apoſtolos propagatam; Quomodo enim, inquiunt, prędicabunt, niſi mittantur? Mittere autem in alienas prouincias non eſt Epiſcoporum particularium, qui certis ſuæ Diœceſis finibus continentur, extrà quos nullum ius habent. Sed certè, inquit, aut falluntur, aut nos fallere, iſta dicendo, conantur, oſtendam enim ſuis locis in ſeqn. lib. 2. & 4. Epiſcopos etiam particulares, magnam totius vniuerſalis Eccleſiæ curam geſſiſſe, & de iure diuino, ſicut Apoſtolorum ſingulorum fuit illimitata poteſtas, quod iam explicuimus, ita Epiſcopos quoſcumque in quacumque parte potuiſſe fidem Chriſti dilatare. Et in hiſtorijs ita etiam nos facto ipſo poteſtatem hanc exercuiſſe, conſtare oſtendam, & Patriarchas poſteà omnes, ac primates, & Metropolitanos in hoc ex officio ſpeciali, inuigilaſſe, ſingulos in ſuis regionibus, regnis, & prouincijs, ac vlterius etiam circa ipſas ſuas regiones, vt nouis ab eis miſſis Apoſtolis, & Predicatoribus, ac Epiſcopis, nouas ad fidem Chriſti reducerent, quæ circa ſe eſſent nationes. Romanos verò Pontifices in partibus terræ occiduis tantùm, & non in alijs, ſed neque ſolos hanc olim feciſſe fidei propagationem, facilè conceſſerim, quia in toto Occidente ſolus Romanus Pontifex ſummum habet Patriarchatum. Sed de his omnibus etiam plura poſteà.]

Nos verò oſtendemus hoc non ferendum eſſe in Eccleſia Dei paradoxum, quod, ab ipſis Eccleſiæ incunabulis, conſtitutam diſciplinam funditùs euertat. Neque enim vnquam vllum Epiſcopum agnouit Eccleſia, cui ſua Diœceſis, ſuique limites non eſſent præſcripti, cuique prohibitum non eſſet alienos fines inuadere; Nam vt ſint in plerisque alijs Apoſtolorum hæredes Epiſcopi, certè plenitudinem poteſtatis Apoſtolicæ, quippè quæ cum illis interierit, non acceperunt. Quòd verò [miſiſſe eos aliquando concionatores, & prædicatores ad gentes, quibus verę fidei lux non affulſiſſet,] contendit Spalatenſis, vltrò concedimus, quod ſcilicet tam pio, tamque religioſo opere rem grauiſſimam, & acceptiſſimam Pontifici Chriſti Vicario, in cuius communione agerent, facere ſe certò ſcirent, vt proptereà accederet eius conſenſus, aut tacitus, aut expreſſus; Sed & fatendum eſt aduerſario hanc præcipuam, & potiſſimam Romani Pontificis laudem eſſe; *Præſertim*, inquit Innocentius primus, *cùm ſit manifeſtum, in omnem Italiam, Gallias, Hiſpanias, Aphricam, atque Siciliam, inſulaſque interiacentes, nullum inſtituiſſe Eccleſias, niſi eos, quos venerabilis Apoſtolus Petrus, aut eius ſucceſſores conſtituerint Sacerdotes? Aut legant, ſi in his Prouincijs alius Apoſtolorum inuenitur, aut legitur docuiſſe. Quòd ſi non legunt, quia nuſquam inueniunt, oportet eos hoc ſequi, quod Eccleſia Romana cuſtodit, à qua eos principium accepiſſe non dubium eſt, ne dum peregrinis aſſertionibus ſtudent, caput inſtitutionum videantur omittere.*

Inno. 1 ep. 1. to. 1. Conc.

Exci-

Excipit Spalat. hæc tantùm præſtitiſſe in occiduis partibus; Quòd nimirùm Orientis Patriarchæ, hac in parte vices Pontificis implerent; Sed quis neſciat ſæpiſſimè à Romano Pontifice Orientis Epiſcopos flagitaſſe, vt ad eos mitterent viros, qui auctoritate ab eximia ſede ſibi tradita, turbas in Eccle- (Baſ.ad Ath. magn. ep.52) ſijs ſuis excitatas ſedarent, ac comprimerent? Audi magnum Baſilium ſic loquentem, [Viſum eſt autem mihi conſentaneum, vt ſcribatur Epiſcopo Romæ, vt quæ hìc geruntur conſideret, & ſententiam ſuam expromat. Et quoniam difficilè eſt, vt communi, ac Synodico decreto aliqui illinc mittantur, ipſe ſua auctoritate in iſta cauſa vſus, viros eligat ad ferendas quidem itineris moleſtias idoneos: verùm iuxta ad hoc quoque accommodos, vt manſuetudine, & facilitate ingenij eos, qui diſtorti, & obliqui apud nos ſunt, corrigant, aptè, & diſpenſatoriè ſermonem attemperantes, omniaque ſecum habentes, quæ in Arimino ad ea reſcindenda, quæ illic per vim, & violentiam geſta ſunt.] An hoc minoris ſit potentiæ, quàm ad gentes concionatores miſiſſe?

(Spalat. Num.22. Matth. vlt. 1. Tim. 3.) Vellicat, & aliud noſtrorum argumentum Spalat. [Addunt, inquit, vnitatem fidei poſtulare neceſſariò Monarchiam, vt ſit vnus iudex in rebus, & controuerſijs fidei, cui omnes acquieſcere teneantur. Quaſi verò Chriſtus Dominus ſuum ſpiritum, & ſuam aſſiſtentiam, quam promiſit in ſuo diſceſſu corporali, vni ſoli homini obligarit, & non potiùs omnibus Apoſtolis, & ſucceſſoribus dixerit. Ecce ego vobiſcum ſum, vſque ad conſummationem ſæculi; totaque Eccleſia, & non ſolus Romanus Pontifex dicatur à Paulo, Columna, & firmamentum veritatis.] Sed hæc ſunt futilitatis plena; Non enim negamus Spiritum ſanctum Apoſtolos olim luce veritatis præfudiſſe, & etiamnum Epiſcopos perfundere, quippè, qui ſemper controuerſiarum à nobis habiti ſunt iudices: ſed inter Apoſtolos vnum Petrum huius veritatis propugnandæ anteſignanum facimus, cui dictum ſit, [Tu es Petrus, &c. Et portæ inferi, &c. Ecce ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: Tu conuerſus, cõfirma fratres tuos;] Inter Epiſcopos verò ſucceſſor Petri eadem prærogatiua eſſulget. Quòd verò expugnatarum hæreſeon laudem, & gloriam Concilijs tribuit Spalat. contra laudem, & gloriam Pontificis non facit, quippè, qui Concilia illa, aut indixerit, aut indicenda curauerit, illis per ſuos legatos præfuerit, ac demùm pondus, & robur ſua auctoritate eorum decretis addiderit, [Nec enim licuit ſine eius ſententia, Eccleſijs decreta ſtatuere,] vt habent Sozomenus, Socrates, & Theodoretus. Sed erit aliàs de hac re nobis diſſerendum.

(Concil. 6. Occum.act. 18.) Propterea Concilium ſextum Oecumenicum omnium ante celebratarum Synodorum, potiorem gloriam Pontificibus tribuit, ſic enim habet. [Arius diuiſor, atque partitor Trinitatis, inſurgebat; & continuò Conſtantinus ſemper Auguſtus, & Sylueſter laudabilis magnam, atque inſignem in Nicœna Synodum congregabant, per quam ipſa Trinitas tam fidei ſymbolum dictauit, quamque aduersùs Arianam malitiam, ſententiam promulgauit; Et iuſta pœna errantem Eccleſię locis indignis, ſed illi condignis cruciauit Macedonius Spiritus denegabat deitatem, & dominantem conſeruum prædicabat: Sed Maximus Imperator Theodoſius, & Damaſus fidei adamas, protinùs obſtiterunt, quorum ſolidam mentem aggreſſiones, atque conflictus alienarum ſectarũ nullatenùs ſanciarunt. Gregorius, & Nectarius in hac regia vrbe conuentum congregabant &c. Dum Neſtorius, & iterum Cœleſtinus, & Cyrillus ille quidem Chriſtum diuidebat, & partiebat, hi verò cum Domino conſpirantes, vnà cum ſcept rorum Domino diuiſorem deijciebant; Deindè Eutychetis inſania delirante alteram fabulam, ipſiuſque Saluatoris humanitatem penitùs recuſante &c. Leonis igitur tuba tamquam leonis rugitus viriliter vociferans ex Roma &c. Martianus ſacratiſſimus Imperator, & Anatolius Conſtantinopolitanus antiſtes &c. Sicut, & Vigilius poſt hæc Iuſtiniano pijſſimo conſonuit, & quintum Concilium conſtitutum eſt, vt eorum opuſcula, quæ latenter reperta ſunt repleta abominatione, anathematizarentur.]

Reſtat non contemnendum noſtrorum argumentum, vt vocat Spalatenſis, in quo diluendo prolixam operam ponit, Nos paucis contrahemus. (Spalat. Num.23.) [Non contemnendum adhuc, inquit Spalatenſis, illud, habent Eccleſiaſticæ Monarchiæ patroni, cui nituntur, argumentum, nimirùm Eccleſiam Chriſti, quæ nunc eſt in terris ſub Euangelio eandem prorsùs eſſe, quæ olim fuit ſub natura, & ſub lege. Quòd ſi vetus illa Eccleſia Monarchiæ ſemper formam reſpectu humanæ viſibilis gubernationis retinuit, quæ primùm à ſingulis Patriarchis incipiens ab Adamo, ſubſequentibus Seth, Noe, Melchiſedech, Abraham, Iſaac, & Iacob, in vtroque foro erecta fuit: Deindè ſub lege à Moyſe, Aaron, & ſtirpis ipſius ſummis, & ſingulis Sacerdotibus ſucceſſiuè, in ſpiritualibus ſemper fuit gubernata: in temporalibus verò ab eodem Moyſe, Ioſue, Iudicibuſque pluribus, ac tandem Regibus, vſque ad Chriſtum fuit adminiſtrata; cur eadem forma regiminis adhuc non perſeuerat? Hoc argumentum fusè demore tractat Sanderus, tractat, & Bellarminus.] Reſpondet primò non diffiteri ſe, vnam eandemque eſſe eſſentialiter Eccleſiam, ſed (Sander. de viſib. Mon. lib.2. c. 3. & lib.c.3 & 4. Bellarm. l.3.de verb. Dei cap. 4. & l. 1. de Rom.Pont. c. 2. 3. 9.) accidente differre, ac propterea poſſe in vtraque regiminis modum eſſe diuerſum, addit verò ex ſententia Gratiani [multa Iudæis fuiſſe conceſſa, quæ nunc prohibeantur;] Atqui iſta vim, & robur argumenti non infringunt; Eſto enim accidente differat Eccleſia noui teſtamenti ab Eccleſia veteri, quis tamen, vel per ſomnium cogitauit vnquam huius diſcriminis rationem eſſe, quod veteris teſtamenti Eccleſia Monarchia contineretur; Noui verò Ariſtocratia? Aliàs mi Spalatenſis, quære rationes huius accidentariæ diuerſitatis. Si ſexcentis tibi opus ſit, eas tibi facilè Patres ſuppeditabunt. Statu dfferunt; Illa enim in vmbra fuit, hæc in rerum veritate; Illa carnalia habuit ſacrificia; Hæc in ſpiritu Deum colit; Vno verbo, eſt dogmatum, & rituum, & Sacramentorum in vtraque maxima diuerſitas; Sed hæc minimè probant non potuiſſe eadem regiminis forma vtramque contineri: Et certè ineptus eſt Spalatenſis, qui huc locum

ctum Gratiani flexerit, in quo Danielis factum expendit.

Loquitur enim concinnator decreti de miraculis, hoc eſt de ijs rebus, quæ extraordinario quodam modo olim in veteri lege contigerunt, & in his ponit factum Danielis, quo oſtendat, ſubditis non licere Prælatos accuſare, redarguere, aut indicare, quamquam ille nulla legitima poteſtate functus, iudices à populo conſtitutos, de falſo teſtimonio conuicerit &c. His, inquit, ita reſpondetur; [Miracula, & maximè veteris teſtamenti ſunt admiranda, non in exemplum noſtræ actionis trahenda: Multa enim, inquit Gratianus, vt refert Spalat. concedebantur tunc, quæ nunc penitùs prohibentur; Tunc enim Samuel Agag pinguiſſimum Regem Amelec in fruſta diuidendo concidit; Nunc nulli Eccleſiaſticorum iudicium ſanguinis agitare licet: Tunc Phinees Iudæum coeuntem cum Madianita interfecit, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam, hodiè Sacerdotibus in perniciem ſui officij verteretur.]

2. queſt. 7. cap. Nos, § Itē Dan.

Spalat. Num 25.

Sed hinc argutatur noſter; [Modus ergo regiminis, inquit, fuit valdè diuerſus, & concedit Sanderus, dum ait. Si hoc ita eueniſſet in veteri teſtamento, tamen nulla ratio cogeret, vt idem in nouo teſtamento fieret, cum mutata ſit ratio Eccleſiaſtici regiminis.] An igitur veteris Eccleſiæ Monarchiam inter miracula accenſet? An non magis illius formam, naturæ geminum opus, agnoſcit, quæ vnum in vna familia Dominum, vnum in vno corpore caput, vnum in gregibus, ac armentis ducem, vnum in cœlo ſolem, vnum in orbe Deum, aut probat, aut agnoſcit.

in fine. Sander l. 2. de viſib. mō. cap. 3.

Propterea aliud diuerticulum quærit; & primum Eccleſiam veteris teſtamenti in duplici ſtatu conſiderat, ante legem ſcriptam, & poſt legem ſcriptam; [Et quidem, ait, ante legem ſcriptam vix nos vnam Eccleſiam vniuerſalem formare poſſe viſibilem, & conſpicuam, Poſt verò legem fatetur quidem conſpicuam fuiſſe formam Synagogæ, ſed eam partialem Eccleſiam fuiſſe, cum extra Synagogam eſſent plerique Gentiles fideles, contendit, adeoque ipſius Pontificem non eius Pontificis, qui in noua lege totius Eccleſiæ gubernacula tractaturus eſſet, ſed Epiſcoporum, qui priuatas quoque Eccleſias recturi eſſent, figuram fuiſſe,] multorum Patrum etiam teſtimonio probare nititur.

Spalat. Num. 26, & 27.

Spalat. Num. 28.

Sed nec iſta nos quicquam lædunt; Nam vt ante legem ſcriptam fideles in varias terras diſperſi, non ita inter ſe coierint vnquam, vt vnius, eiuſdemque Eccleſiæ facies illis ſæculis obſeruari potuerit, tamen certum eſt familias Patriarcharum, in quibus cultus Dei, & pietas maximè vigerent, haud Ariſtocratiæ, ſed Monarchiæ ſpeciem præbuiſſe, quippè in quibus annitente etiam Spalatenſi, illo quo primogenitorum iura perſeuerarent: Poſt verò legem ſcriptam, etſi rurſus, vt priuata Eccleſia ſpectetur Synagoga, quippè extra quam multi pij Gentiles ſalutem ſunt conſecuti, tamen ampliſſima fuit Eccleſia, quæ etiam, ita tradente ſcriptura, multitudine, & numero *ſtellas cœli, & arenam maris* æquaret. Rectè ergo ex forma regiminis in rebus ad religionem ſpectantibus illi numeroſiſſimę genti pręſtituta argumentantur noſtri, vt ſimilem formam in Eccleſiam inducant; Nam præterquam quòd typus quidem fuit Synagoga Eccleſiæ, etiam par eſt credere, Deum Optimum Maximum florentiſſimum populum optimo regimine, maximè verò in ſpiritualibus contineri voluiſſe.

Non eſt ergo quòd Spalatenſis Anacletum, Damaſum, Leonem, Concilium Spalenſe, Hieronymum, Concilium Aquiſgranenſe, Theodulphum. Floriacenſem, aut Iuonem accerſat, vt Aaronem, & ſummos Synagogæ Pontifices, noſtrorum Epiſcoporum figuram fuiſſe oſtendat; Hoc enim vltrò cum Bellarmino concedimus; ſed id non efficit, vt noſtri quoque Pontificis figura non fuerint; Meminiſſe enim debet Spalatenſis, ex priuatorum Epiſcopatuum Monarchia, etiam vniuerſæ Eccleſiæ Monarchiam confirmaſſe ſuprà Bellarminum, vt proindè, etiam in priuati Pontificis ordinem coactus Aaron, potuerit ſummi noſtri Pontificis typus, ac imago quædam eſſe.

Spalat. Num. 29.

Bellar. l. 1. de Cler. c. 4.

Sed vrget locum Cyrilli Spalatenſis, [Tabernaculo, inquit, præficit Aaron, & filij eius cum eo; Cuſtodient, inquit, Sacerdotium ſuum, & omnia, quæ pertinent ad altare, & quæ ſunt intra velum, ideſt, illa ſecretiora, ac myſtica magis, & eorum officia, qui diuino altari præſto erant. Ac perſpicuè quidem ea figura ad Chriſtum pertinent, quem conſtituit Pater ſuper domum ſuam, cuius domus nos ſumus. Cœterùm non incongruè illi Aaron in ſacris operibus adminiſtro, ſanctum illum, & admirabilem chorum Apoſtolorum, quodammodo cooperantium, atque miniſtrantium Chriſto, ſignificare potuerunt, Dei namque cooperatores fuerunt, & aſſeruatores, diſpenſatoreſque myſteriorum Dei, atque miniſtri etiam, per quos credimus. Aaron igitur, inquit Spalatenſis, aut Epiſcopum quemque particularem repręſentabat, aut ſi alium Epiſcopis ſuperiorem, is fuit Chriſtus, vt optimè Cyrillus explicabat.]

Spalat. Num. 30. Cyr. l. 13. de ador. in ſpir. & ver.

Reſpondeo, proculdubiò Aaronem Chriſti typum fuiſſe, ſed vt iudicio Spalatenſis, hoc non prohibet figuram quoque fuiſſe noſtrorum Epiſcoporum, ac impedimento non eſt quominùs noſtri etiam Pontificis typus fuerit, ſcilicet hic ſacrificia Aaronica non ſpectamus, ſed modum adminiſtratæ à Pontifice Aaronico ex præſcipto Dei veteris Synagogæ, quo ſenſu aliquantò illuſtrius ſummum Pontificatum Eccleſiæ, quàm ſingulares Epiſcopatus refert, ac repræſentat. Nam, vt hoc obiter dicam, Synagogæ (quoquomodo ſpectetur) non vnus aliquis Epiſcopatus ſucceſſit, ſed Eccleſia vniuerſa, quæ, vt faſſus eſt ſuprà Spalatenſis, [eſſentia vna eſt Eccleſia cum ipſa Synagoga:] ſed Eccleſia quidem amplior, quippè, quæ vtrumque populum complectatur, Iudæum, & Gentilem, cùm hæc vnum admitteret populum Iudæorum. In hoc tamen vtriuſque diſcrimine vanus, ac ſtultus fuerit; *Qui ex quo Pontifex Aaronicus nullis ſummis Sacerdotibus præfuerit, & vnicum dumtaxat templum habuerit ſuæ potentiæ domicilium, ac definitam ſedem*; colligendum ſibi putarit, Pontificis noſtri, quem vnum Patriarchis, Metropolitanis, Epiſcopis, templis, ac Eccleſijs præficiamus, figuram

ram ſatis egregiam, aut illuſtrem non eſſe; Sufficit enim nobis huiuſmodi Pontificis Num.31. in fine. Aaronici poteſtatem ad omnes omninò Synagogas Iudæorum, etiam toto orbe diſperſas, ſeſe fudiſſe, quæ ſiquidem templis caruerunt, nec ſummos vllos Pontifices, ſed dumtaxat Archiſynagogos, qui nec Sacerdotes eſſent, nec in Eccleſiaſtica hebræorum hierarchia cenſerentur, haberent, eorum temporum illa conditio fuit, cùm extra Hieruſalem ſibi ſacrificari prohibuiſſet Deus, ſed ſi toto orbe templa habuiſſent Iudæi, ac inferioris ordinis Pontifices, proculdubiò hi ſuæ Hierarchiæ principem agnouiſſent ſummum Pontificem Hieroſolymitanum.

Verùm, vt hanc quoque rationem conuellat Spalatenſis, maioribus eam tormentis Spalat. Num.32. quatit; [Vrget igitur ſummi Sacerdotis poteſtatem vltra Sacerdotes, & Leuitas non ſe extendiſſe, ac in ſacrificiorum, Altaris, Tabernaculi, ac Templi miniſterio totam fuiſſe occupatam:] Additque, in Synagogis, aut circa Synagogas, nihil vmquam Pontifices habuiſſe iuris, ac muneris; Et quia hanc ſententiam iugulat factum Sauli, *qui literas accepit à principe Sacerdotum ad Synagogas*, vt fideles vexaret, *ac vinctos perduceret Hieruſalem*; occurrit Spalat. *Illas Epiſtolas non fuiſſe* Io.11. Act.5. *principis Sacerdotum, ſed totius Concilij, cui ille præſidebat*, additque, *grauiſſimas de religione cauſas in Concilio agitari ſolitas, vt ex Chriſti, & Stephani damnatione liquidò conſtat.* Atqui hoc eſt victoriam nobis aſſerere; Siquidem cùm Concilio præeſſet Pontifex, & ad Concilium etiam remotiſſimarum Synagogarum negotia referrentur, planum eſt, in omnes omninò Iudæos poteſtatem habuiſſe Pontificem, in his ſcilicet, quæ ad religionem, & legis cultum pertinerent.

Certè quanta eſſet Pontificis in conſeſſu Sacerdotum, & Phariſæorum auctoritas, ex initio aduersùm Chriſtum Concilio abundè colligitur. Nam Caypham Pontificem cæ- Io.12. teris præſcribentem videre ſit; *Vos*, inquit, *neſcitis quicquam, expedit, vt vnus de populo moriatur, & non tota gens pereat.* Atque in eius ſententiam reliqui tranſierunt. Sed nec eius poteſtatis prærogatiuas diſſimulauit Euangeliſta. *Hoc*, inquit, *à ſemetipſo non dixit, ſed quòd eſſet Pontifex anni illius.* Vt ergo ad Concilium cauſas religionis retulerint Iudæi, non propterea excidit ſuo imperio Pontifex, quippèqui ipſi Concilio, ad quod referrentur ſi præſideret, & moderaretur. Sed nondum arma ponit Spalat. Multis probat [Archiſynagogos, hoc eſt Synagogarum præfectos, nec Sacerdotes fuiſſe, nec ex illo ordine Hierarchico miniſtrorum, aut tribu, atque indè colligit ſummo Pontifici ſubiectos non fuiſſe.] Reſpondemus equidem Archiſynagogos Sacerdotes neceſſariò non fuiſſe, imò, nec ex Sacerdotum tribu, ſed id ex locis à Spalat. prolatis, probari ne- Spalat. Num 33. Act 15. gamus. His enim vtitur; [Moyſes enim, inquit Iacobus, à temporibus antiquis, habet in ſingulis ciuitatibus, qui eum prædicent in Synagogis, vbi per omne Sabbatum legitur. Princeps Synagogæ, addit Spalat. ſeù Archiſynagogus is aſſumebatur, qui doctrina, & legis intelligentia eſſet inſignis: neque propterea, aut ipſe, aut quicumque alius, qui in Synagoga diſputaret, erat ex certa tribu, aut ex vllo certo ordine Hierarchico Miniſtrorum. Ita enim Chriſtus celebrabat Synagogas, & docebat, & magnificabatur ab Luc.4. omnibus, & traditus eſt illi liber Iſaiæ Prophetæ &c. Et ipſe teſtatur dicens; Ego ſemper docui in Synagoga. Item, Apoſtoli prędicabant verbum Dei in Synagogis Iudæorum. Sed neque Chriſtus, neque Apoſtoli erant Leuitici ordinis Sacerdotes, neque in Io.18. Act. 13.14.17. hoc ſubdebantur principi Sacerdotum. Vanum ergo prorsùs eſt, quod dicunt Monarchici, ſummum Iudæorum Pontificem omnibus Archiſynagogis præfuiſſe, & totius mundi Synagogas gubernaſſe.] Hæc verò ſolùm euincunt, cuique ſcientia, & legis intelligentia prædito licuiſſe in Synagogis Iudæorum conciones habere, ac verbum Dei, & legere, & interpretari; At hoc non ſoli Archiſynagogi præſtabant, ſed alijs quoque hoc munus, aut iniungebant, aut concedebant, quò referri debet, quod habet ſcriptura, tum Chriſtum, tum Apoſtolos in Synagogis docuiſſe. Neque enim Archiſynagogos eos fuiſſe, quis dixerit. Quod attinet verò ad Archiſynagogos, quos de numero Phariſæorum, & Scribarum fuiſſe docti viri aſſerunt, proculdubiò Pontifici ſubijciebantur, & quoquo loco eſſent ab eius auctoritate pendebant, vt non obſcurè ex loco Actorum à Spalat. fruſtra impugnato, colligitur.

At vehementiùs vrget, [Quæro, inquit, vlteriùs, in quo gubernatio hæc conſiſtebat? Spalat. Num.33. Certè alia non potuit eſſe, niſi in inſtructione, quia nullum aliud erat in Synagogis exercitium, niſi doctrinale, vt vidimus; Atqui ſummum Sacerdotem non fuiſſe legis vnicum interpretem, facilè eſt comprobare; primùm, quia ſic legimus in Hieremia. Ibo igitur ad Optimates (non dicit ad Pontificem) & loquar eis, ipſi enim cognouerunt viam Domini, iudicium Dei ſui.] At quis tam cœcus eſt, vt non videat doctrinæ curam, ac iudicium ad ſummum Pontificem maximè pertinuiſſe? ac propteſea in rationali iudicij, quo eius pectus contegeretur, cùm tabernaculum ingrederetur; *Doctrinam, & veritatem*, volente Deo, *poſitam fuiſſe*? Hoc illa Malachię verba innuunt, *Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem de eius ore requirent, quia Angelus Domini exercituum eſt.* Quod maximè Mal.2. de principe Sacerdotum intelligendum, nullus ſanus negauerit.

Sed obijcit Spalat. non fuiſſe eum vnicum legis interpretem, atque profert locum Hieremiæ; *Ibo ad optimates (non dicit*, inquit, *ad Pontificem) & loquar eis, ipſi enim cognouerunt viam Domini iudicium Dei ſui*, quod argumento eſt, eos legem tenuiſſe, & interpretatos eſſe. Reſpondemus nonſuiſse Pontificem vnicum legis interpretem, ſed præcipuum, & potiſſimum, quomodò in Eccleſia Dei, nec ipſe Pontifex Romanus ſolus ſcripturę interpres eſt, ſed etiam eo officio funguntur Epiſcopi, & Doctores: verùm, vt hi interpretationes ſuas Pontificis cenſuræ ſubijciunt, ità & in veteri lege in iudicio Summi Pontificis reliqui acquieſcebant. Locus Hieremiæ ad rem non facit; Aliud ſiquidem eſt, noſse viam Domini, & iudicia Dei ſui, aliud verò interpretari, & ex Cathedra, vt loquuntur,

tùr, viam Domini, & iudicia Dei proponere, ac ad ea populum edocere. Viam Domini ſcire Oprimares tenebantur, interpretari oon poterant, niſi de numero eſsent, aut Sacerdotum, aut Doctorum.

Sed inſtat Spalatenſis; [Ioſaphat Rex conſtituit in Hieruſalem Leuitas, & Sacerdotes, & Principes familiarum ex Iſrael, vt iudicium, & cauſam Domnini iudicarent, &c. Omnem cauſam, quæ venerit ad vos fratrum veſtrorum, qui habitant in vrbibus ſuis inter cognationem, & cognarionem, vbicumque quæſtio elt de lege, de mandato, de cœremonijs, de iuſtificarionibus, oſtendire eis, vt non peccent in Dominum &c. Hìc verò meritò fraudis poſtulatur; Cur enim in hac enumeratione eorum, quibus iudiciorum cauſam mandaſset Ioſaphat, obuium ſibi Pontificem præterijt. An non poſt conſtitutos minorum genrium iudices, Pontificis auctoritatem commendauit pijſſimus princeps? 2.Par.19. An non hæc illius ſunt verba, *Amarias autem Sacerdos, & Pontifex veſter in his, quæ ad Deum pertinent, præſidebit*? Quod potuit clariùs dici; nonne igitur, vel hæc fidem faciant dubia, ſi quæ emerſiſsent in rebus ad religionem ſpectantibus, ad vnum Summum Pontificem referenda fuiſse?

Spalat. Num. 34. Ioſeph lib. 2 contr. Apio. Ioſephus à nobis ſtat, [Lex, inquit, Sacerdotibus in communi quidem res præcipuas diſpenſare permitrit, ſummo verò Pontifici aliorum Sacerdotum principatum competenter iniungit.] Sed refragatur Spalatenſis; quia, inquit, Ioſephi iudicio, Summus Pontifex, non niſi ſuper Sacerdotes habuit principatum, & ſanè Eccleſiaſticum, non ciuilem.] Sed nec nos poteſtatem ciuilem Pontifici ſuprà Epiſcopos tribuimus, ſed ſacram, & Eccleſiaſticam. Quod verò ad vnos Io.11. Sacerdotes Pontificis Iudaici poteſtatem coarctat, imperitiſſimè facit. Nam tum Scribæ, tum Phariſæi, tum reliqui ſacrorum miniſtri, aut legis interpreres, & doctores, ab vno pendebant Pontifice, qui etiam magno illi conſeſsui (Sanuedrin Hebræi, Græci verò Synedrion vocant) præeſset. Hoc ex Ioanne, Marco, & actis Apoſtolicis adeò eſt perſpicuum, vt illuſtrari non debear. Quòd verò Prophetas Pontificis iuriſdictioni eximit, nos non lædit, fuit enim extraordinaria eorum miſſio, vt proprerea miraculis ad ſui confirmationem indigeret. nos verò de his, qui ordinarij eſsent miniſtri, loquimur, ad quos ſe Pontificis funderet poteſtas.

Num. 24. & 35. Igitur, quæ de Prophetis munia Sacerdotalia extra ordinem obeuntibus, hìc recenſet Spalatenſis, ad rem non faciunt.

Aug. ſexc. loc. vide ep. 162. Addo verò, quod etiam monuit Auguſtinus, Prophetas extra ordinem miſsos, ne ſchiſma facere viderentur, ſemper coluiſse ordinem Sacerdotum, & honorem habuiſse Pontificibus, nec ab eorum ſacris vnquam abhorruiſse.

Spalat. Num. 36. & 37. Sed vehementiùs iam inſtat pro Ariſtocraria Spalatenſis, eamque in populo Iſrael, ſublata omni Monarchiæ imagine, per Moyſem obtinuiſse, ac effloruiſse contendit; Namque poſt repræſentatam Monarchiam Moſis, Spalat. Num. 37. in fin. quam tamen ægrè admittit, addit, poſtquam ille conceſſiſset fatis, [Noluiſse Deum ſucceſſorem eximij legiſlatoris, vnicum eſse hominem, putà ſupremum Sacerdotem Aaron; aliumuè ex ipſius in Pontificatu ſummo ſucceſſoribus; ſed Oprimatum numerum competentem, qui Ariſtocraticè, & ab omni Monarchico dominio remotiſſimi, Rempublicam regerent hebræorum. Atque hoc erat, inquit, illud, quod diximus Conſiſtorium, ſeù Conciliū, cuius inſtirutio ità diuina ordinatione ſe habet.] Sed Synedrij leges ignoraſſe ſe omninò prodit; Nam primùm, etſi fateor admiſſos aliquando in eum conſeſſum, etiam eos, qui ex ordine Sacerdotali, & tribu Leui non eſſent, tamen prima eius inſtitutio fuit, vt ſi fieri poſſet, è ſolis Sacerdotibus, & Leuitis conſtaret, vndè & in Ioſephi ſcriptis, & pluribus ſacræ ſcripturæ locis, appellatione Sacerdotum intelligitur ipſum Synedrium, Ioſeph. l. 4. antiq. Iudai. cap. 8. neque reliquis filijs Iſrael in eum Senatum vnquam aditus patuit, niſi cùm è numero Sacerdotum, aut Leuitarum non reperirentur, qui Senatorum numerum implerent: Cùm ergo iudicio Spalatenſis in vniuerſos Sacerdotes, Leuiras, & templi miniſtros ſummum ius habuerit Pontifex, adeòque eorum comparatione quidem Monarcha fuerit, quis dubitet potiſſimùm cùm de religione ageretur, eum in eo conſeſſu, ac Concilio primas partes habuiſſe?

Certè Concilio, ac Synedrio præſediſſe in cauſa religionis ſuprà agnouit Spalatenſis, atque ex Concilijs aduersùs Chriſtum, & Stephanum initis confirmauit. Non ſum neſcius habuiſſe eum Senatum ſuum principem ordinarium, qui Hebræis eſt Naſi; ſed cùm de religionis grauiſſimis quæſtionibus ageretur, proculdubiò ei præerat Pontifex; Ac propterea Ioſephus à Spalatenſi prolatus eius mentionem faciens, primo loco Pontificem ponit; *Si*, inquit, *iudices neſciant de negotio ad ſe delato pronunciare, ſicut interdum accidit, in ſanctam vrbem integram cauſam relegent: tum verò Pontifex, & Prophetæ vnà cum Senatu, quod viſum fuerit decernant*.

Igitur ex huius conſeſſus, & Synedrij Spalat. Num. 38. apud Iudæos inſtitutione, ſuam Ariſtocratiam probare, aut etiam ſulcire, non poteſt; Deut. 17. Locus Deuteronomij, vt legenti planum ſit, eam euertit. Verba Dei ſunt, [Si difficilè, & ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris inter ſanguinem, & ſanguinem cauſam, & cauſam lepram, & non lepram, & iudicium inter portas tuas videris verba variari; Surge, & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus; Venieſque ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore; quæreſque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem, & facies quodcumque dixerint, qui præſunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius, ſequeriſque ſententiam eorum, neque declinabis ad dexteram, neque ad ſiniſtram.] Etiam quæ de Amaria ſunt à nobis ex ſententia Ioſaphati pijſſimi Regis adducta, illam Ariſtocratiam euertunt. 2. Paral. 19. [Amarias autem Sacerdos, & Pontifex veſter in his, quæ ad Deum pertinent, præſidebit: Porrò Zabadias filius Iſmahel, qui eſt dux in domo Iuda, ſuper ea opera erit, quæ ad regis officium pertinent, habetiſque Magiſtros Leuitas coram vobis, confortamini, & agite diligenter.] Sed vt in priori, teſtimonio vim verborum,

[Qui

[Qui autem ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, & decreto Iudicis, morte morietur homo ille, & auferes malum de Iſrael, effugiat, diuerticula quærit; Ait igitur, vel ſingulare ſumi collectiuè pro plurali, vel præſidem totius Concilij innui, qui nomine eiuſdem Concilij decreta eius publicaret;] Priùs non probauit, poſteriùs concedimus, nempè Synedrij principem ſignificari, nimirùm Pontificem: Nam etſi, vt ſuperiùs monebamus, principem ſuum ordinarium habuit ille Senatus, iſque fuit, qui ex Synedrorum numero ſapientiſſimus haberetur; tamen cùm res difficillimæ, quæ perplexos tenerent iudices, ad eum deferrentur, Pontifex in Concilium conueniebat, atque ei pro ſumma poteſtate præſidebat.

Spalat. Num. 39. Thalmud. tract. de Synedrio.

Quòd autem Baronius ſcribit Sanedrin principem ordinarium *archierea* quoque, hoc eſt, *Principem Sacerdotum*, vocatum nobis probari non poteſt, & à noſtris quoque deſeritur. Impoſuit illi Pſeudo-philo, quem tamen, & præſtigiarum, & impoſturæ alijs locis poſtulat. Cenſet Planus iſte, Herodem, delero Synedrio, quod aliquando, vt cauſam diceret, in illud ſe ſiſtere iuſſus eſſet, ſuffeciſſe Ananelum, quem Annam putat Baronius, eidem Concilio; Non negamus Herodem adoleſcentem in hoc iudicio poſtulatum, ſed quæ adduntur de conſtituto principe Sacerdotum, ac in locum principis Synedrio ſuffecto, præſtrictoris ſomnia ſunt, qui viro optimo, & doctiſſimo errandi anſam præbuit.

Baron. to. 1. an. 31. n. 10.

Spalat. Num. 39.

Adhuc lacertos mouet Spalatenſis, [Ne putes ibi Monarchiam aliquam in illo ſacerdotis imperio contineri, memineris adiungi illi imperio etiam Iudicis decretum; vt qui noluerit obedire, & imperio Sacerdotis, & decreto Iudicis, is morte mulctaretur. Non enim legendum (ex decreto) ſed (& decreto) vt habent Biblia Hebræa, & correcta vulgata editio Latina. De hoc Concilio, aliqua etiam ſuprà attigimus, ac oſtendimus num. 22. tempore etiam Chriſti, & Apoſtolorum, cauſas Religionis in hoc Concilio Hieroſolymitano fuiſſe pertractatas. Nam & ad hanc iudiciorum diſtinctionem, vt alia eſſent ordinaria in cauſis ordinarijs per iudices Ciuitatum ordinarios; alia verò grauiora penès hoc Concilium, mihi videtur Chriſtus Dominus reſpexiſſe, quando dixit; Qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio, qui autem dixerit fratri ſuo Racca, reus erit Concilio, &c.] Sed piget in his quiſquilijs immorari.

Primùm enim negari poteſt, nomine Iudicis alium intelligi debere, quàm eum ipſum, qui in hoc edicto vocatur *Sacerdos eo tempore miniſtrans Domino*. Sed eſto intelligatur Iudicis nomine Iudex Politicus, diuerſuſque à Sacerdote, cuius ibidem fit mentio, numquid proptereà ſummus Iudex non erat ille Sacerdos? Certè adeò iudicem eum fuiſſe hic locus prodit, vt Deus per iudicis decretum eum mori iuſſerit, quia ſuperbia elatus, imperium, & ſententiam illius eſſet aſpernatus. Erat igitur totum pondus iudicij in Sacerdote, & quod ille ſemel ſtatuiſſet, id adeò ratum in externo foro fuit, vt detrectanti obedire, mors impenderet. Eruditè Bellarminus aduertit, Sacerdoti *ſententiam definitiuam* illo loco tribui, *executiuam* verò Iudici: Etſi enim legatur, *& decreto*, non *ex decreto*, tamen cùm nullius decreti à Iudice prolati fiat mentio, ſed tantùm ſententiæ à ſacerdote latæ, quæ idcircò etiam decretum Iudicis appellatur, quòd Iudex Pontificis auctoritate adductus in eam tranſiret, ac executioni mandari iuberet, planè conſtat, ſummam illius Iudicij, penès Pontificem fuiſſe.

Quod verò, reclamantibus Thalmudiſtis, negat, [Herodem Synedrio poteſtatem ſanguinis abſtuliſſe,] ad noſtras diſputationes non pertinet, ſed vt chartas impleret, adeòque immanium voluminum auctor haberetur, hæc veluti parerga ſibi tractanda duxit. Dicam tamen, quod ſentio. — Spalat. Num. 40.

Exiſtimo igitur ex verbis Iudæorum ad Pilatum, *Nobis non licèt interficere quemquam*, non obſcurè colligi iudiciorum capitalium poteſtate illos tum caruiſſe, quod etiam ipſi eorum Magiſtri Rabini agnoſcunt, vt ex libris Thalmudicis plerique viri docti demonſtrarunt; ſcilicèt paulò antè, ea exciderant, fueratque eis adempta iniquitate Romanorum. — Ioan. 18.

Hoc docet Chryſoſt. *Quare*, inquit, *Iudæi Chriſtum non occiderunt, ſed ad Pilatum adduxerunt? Præcipua cauſa erat, quòd parte maxima dominationis ſuæ fuerant priuati, cum eſſet eorum Reſpublica in Romanorum poteſtate*. Itaque Chryſoſtomum, cuius ſe auctoritate tuetur, non legerat Spalatenſis. — Chryſoſt. hom. 82. in Ioan.

Objicit tamen [patere ex Euangelijs, Iudæos condemnaſſe Chriſtum, & mortis reum feciſſe. Conuenerunt enim in Concilium, vt eum dolo tenerent, & occiderent: & reum mortis condemnauerunt.] — Matth. 26.

Reſpondeo, plumbeam eſſe huius argumenti aciem; Nam quidem Iudæi *cognitionem de crimine* habuerunt, alioqui cauſam, cur aliquem occidi poſtularent, reddere non potuiſſent: At *pronunciandi ſententiam cum effectu* ius non habuerunt. — Matth. 14.

Dices; Stephanum non ſolùm reum mortis pronunciarunt, verùm etiam lapidibus obruerunt.

Reſpondeo, rabie, non iure id feciſſe. Sed iſta non ſunt huius inſtituti.

Quia igitur in Monarchia euertenda inanem operam poſuit Spalatenſis, videmus quibus argumentis, ſuam Democratiam, aut Ariſtocratiam tueatur. Democratiam primùm propugnat, & tela infœliciſſimæ, ac deterrimæ regiminis formæ à ſapientiſſimis viris inflicta, ab eius corpore reuellere conatur. [Aduersùs Democratiam, inquit, ſic inſurgunt: Primùm, quia in Democratia Magiſtratus à plebe conſtituuntur, & ab illa auctoritatem ſumunt. Item: Appellare licèt à ſententia Magiſtratus ad populum: Prætereà leges, quibus Reſpublica gubernanda eſt, à Magiſtratu proponuntur, ſed à populo iubentur; Demùm accuſari, & iudicari à populo poſſunt ipſius Magiſtratus, & puniri; Quæ in Eccleſiaſtico regimine non reperiuntur: Reſpondeo non eſſe in Eccleſia veram democratiam, & completam, ſed in aliqua parte tantùm, &c.] — Spalat. Num. 41. Bell l. 1. de Rom. Pont. cap. 6.

Atqui vt eligendi Eccleſiæ miniſtros, ius populo aſſereret, primùm oſtendendum illi fuit, non in ouium numero eum eſſe: Namque ouibus nullo modo conuenit, vt regant, ſed

vt tegantur: Fateor equidem aliquando datum populo, vt teſtimonium de vita, & moribus eligendi ferret, ſed ius ſuffragij vmquam habuiſſe, nego, ac pernego: Neque verò aliud ex ſcriptura colligitur, cùm ei miniſtrorum electio defertur. Et quidem in 7. Diaconorum electione dictum eſt ab Apoſtolis multitudini, Act 6. *Conſiderate ergo fratres, viros ex vobis boni teſtimonij ſeptem, &c.* Sed quis non videat non tam per ſuffragium, quàm per teſtimonium de vita, & moribus, hoc eos vſurpaſſe? Conc. Laod. can. 12. & 13. Certè Concilium Laodicenum antiquiſſimum, omninò prohibet *electionem Epiſcoporum per plebem fieri*, ſed hæc vberiùs alio loco tractabuntur, atque quid de ea re ſenſerint Cyprianus, Leo, & alij, aperietur. Quod de *appellatione ad populum* etiam in iudicio hæreſis addit, tam eſt præter vſum, praxim, & ſapientiam Eccleſiæ, vt monſtri aliquid ſimile in eam inducere videatur. Quis enim vel fando audiuit, iudicaſſe aliquando populum de fide? An verò propterea non ſunt Laici de Eccleſia, quia ius iudiciorum non habent? An omnia membra in corpore oculi ſunt? Ouium certè, vt dixi, eſt non paſcere, ſed paſci.

Præclarè in hanc ſententiam Gregorius Nazianzenus de ordine in Eccleſia conſtituto Orat. 26. de moder. in diſp. ſeru. verba faciens. *Alij*, inquit, *Dominantur, & præſunt: alij parent, & reguntur.* Ac rurſus: Idem ibid. *Hunc ordinem*, ait, *revereamur ô fratres, hunc tueamur, & conſeruemus. Alius auris ſit, alius lingua, alius manus, alius aliud quiddam. Alius doceat, alius diſcat, alius proprijs manibus bonum operetur, vt habeat, quod egentibus impertiat, alius præſit, ac plebem moderetur, &c.* Ac demùm ad retundendos, & comprimendos inſolentiores Laicorum conatus, hæc addit: Idem ibid. *Quid paſtoris munus tibi arrogas, cùm ouis ſis? Quid caput efficeris, cùm pes ſis? Quid exercitum ducere aggrederis, in militum ordinem aſcriptus? &c.* Quòd verò *quædam ab eius acceptatione pendent*, id fit, quia illa in adiaphoris ab Eccleſia ponuntur, quæ ſi pro imperio iuberet, proculdubiò, populo parendum eſſet: Breuior ſum in his, & ſimilibus nugis refellendis, quas hic congerit Spalatenſis, tum quia adeò ſunt iſta omnia abſurda, vt refutatione non indigeant, tum etiam, quia infrà pleniùs habituri ſumus de iure populi, in rebus Eccleſiaſticis diſputationem.

Spalat. Num 42. Poſtremùm noſtrorum argumentum contrà Democratiam iam verſat: [Deindè, inquit, illud afferunt argumentum, Democratiam eſſe peſſimam ex tribus formis Reipublicæ, & diuinam ſapientiam dedecere, vt deterrimum regimen in ſua Eccleſia eſſe velit. Reſpondeo, deterrimum eſſe regimen populare, ſi naturam corruptam ſpectemus, nullis extraordinarijs viribus adiutam. Si verò ei adſit à Deo nouum lumen, & nouum auxilium ſupernaturale, tota concidit difficultas. Ita eſt in Eccleſia: Deus enim Spiritum ſuum toti Eccleſiæ promiſit, non alligando ipſum certis perſonis, ſiue certo generi perſonarum, puta ſolis presbyteris, alijſue Clericis ad miniſteria Eccleſiaſtica deputatis, ſed ipſum voluit eſſe per omnes, licèt non per ſingulos diffuſum: Et conſenſus totius Eccleſiæ in aliquo articulo non minùs intelligitur in Laicis, quàm etiam in Presbyteris, & Prælatis. Sunt enim etiam Laici in Eccleſia, immò ex Eccleſia, ipſiuſque ſolidam, & maiorem partem conſtituunt.]

Atqui lumen illud pro conditione perſonarum impertiri ſolet Deus, & attemperare, nec vmquam eſt populis conceſsum, vt regendæ, ac moderandæ Eccleſiæ pares eſsent. Contrà verò, paſtorum opera, & adminiculo lucem demittere illuſtrandis populis; Euangelium nos docet; *Vos eſtis lux mundi*; dixit, non plebi, ſed Apoſtolis Chriſtus; Elegantiſſimè Auguſtinus verſans illa verba; *Suſcipiant montes pacem populo, & colles iuſtitiam.* Aug. tract. 1. in Euangel. Ioan. *Montes*, inquit, *excelſæ animæ ſunt: colles, paruulæ animæ ſunt. Sed ideò montes excipiunt pacem, vt colles poſſint excipere iuſtitiam. Quæ eſt iuſtitia, quam colles excipiunt? Fides, quia* Orat. 26. de moder. in diſp. ſeru. *iuſtus ex fide viuit. Non autem exciperent minores animæ fidem, niſi maiores animæ, quæ montes dictæ ſunt, ab ipſa ſapientia illuſtrarentur: vt poſſint paruulis tradere, quod poſſint paruuli capere, & viuere ex fide colles, quia montes paces ſuſcipiunt. Ab ipſis montibus dictum eſt Eccleſiæ, Pax vobiſcum.* Sed aliquantò neruoſiùs, & magis in rem noſtram Gregorius Nazianzenus; *Ordo*, inquit, *in Eccleſijs quoque conſtituit, vt alij oues ſint, alij paſtores, alij præſint, alij ſubſint, ac pareant, alius velut caput ſit, alius pedes, alius manus, alius oculi, alius aliud quoddam corporis membrum, ad totius Eccleſiæ concinnitatem, & vtilitatem, vel inferiùs, vel præſtantiùs.*

Itaque ſtramineis ſuis argumentis Democratiam à ſapientiſſimorum hominum vituperatione, ac iuſtiſſima reprehenſione non vindicauit Spalatenſis; Ac rectè omninò Xenophon, qui ad bellicam laudem etiam literarum gloriam adiecit, pronunciauit, *popularem potentiam, virtutibus omnibus inimicam eſſe, nec aliter ſtabiliri, aut retineri poſſe, quàm bonis alijs obiectis.*

Audiamus peritè iam aduerſarium pro Ariſtocratia diſserentem: [Ariſtocratiam Spalat. Num 43. Bel. l. 1. de Rom Pont. cap 7. noſtram, inquit, Eccleſiaſticam Monarchici ſic impugnant; Optimates, vel ſunt Laici, putà Principes; vel Eccleſiaſtici, putà Epiſcopi: & apud neutros eſse regimen Eccleſiaſticum contendunt. Non apud Principes ſæculares, quia Apoſtolis ſuccedunt Epiſcopi, & quia ſcimus ex hiſtorijs ab Epiſcopis excommunicatos aliquos Principes. Nos verò principes etiam includimus in Eccleſiaſtica Democratia, ſicut & Prælatos omnes; tota enim Eccleſia includit omnes fideles, etiam ipſos paſtores, ſiue ſpirituales, ſiue temporales: ſicut in temporali Democratia non eſt ſola plebs, ſed ſunt etiam illi, qui in ipſa ſunt nobiliores, & doctiores. Seorſim tamen Principibus Laicis non committimus regimen Eccleſiæ, vt ipſi propriè ipſam propria auctoritate regant. Committemus tamen ſub loco Principibus Laicis fidelibus curam, & ſuperintendentiam rerum, & perſonarum Eccleſiaſticarum, cum magna interim auctoritate, & poteſtate, ſi non directa, ſaltèm indirecta; Ita vt in quolibet regno, Rex poſſit meritò in bono ſenſu Catholico, dici eſse caput, ideſt, ſupremus gubernator Eccleſiæ totius Regni ſui: Dum videlicèt cogere etiam poteſt Eccleſiaſticos, vt muneri ſuo ſatisfaciant, vt reforment Clerum, & Eccleſias, vt fidem, & Religionem ſartam, tectamque con-

ſer-

ſeruent, vt hæreſes, & ſchiſmata comprimantur, & vbicumque generalitèr Rex cernit, ab Eccleſiaſticis poſſe, aut bonum ciuile commune promoueri, aut boni communis ciuilis obſtacula impediri, immò etiam, vbi videt ſpirituale ſuorum ſubditorum bonum aliquid pati detrimenti, ex officio poteſt, & tenetur omnem mouere lapidem, vt & pacem communem, commodaque Reipublicæ, ſeruata Dei lege, conſeruet, & vt ſalus animarum non periclitetur. De quo ſuis locis in ſequentibus, præſertim libr. 6. fusè diſputabo. Interim moneo argumentum illud ab hiſtorijs deſumptum, de Theodoſij, aliorumue Principum à ſacris excluſione, Ariſtocratiam hanc, etiam inter Optimates, vel ipſi Principes ſæculares reponerentur, non oppugnare. Quid enim obſtat, quin Senatus totus Optimatum, iudicare, & punire poſſit ſingulos Senatores eiuſdem Senatus, ſi delinquant?

Dices ab vnico Epiſcopo Theodoſius fuit punitus, & non à toto aliquo conuentu.

Reſpondeo, Ariſtocratiam Eccleſiaſticam in eo à propriè dicta, hoc eſt, Ciuili Ariſtocratia deflectere, vt ſuprà docui num. 6. quòd & omnes, & ſinguli Prælati habeant plenam auctoritatem Eccleſiaſticam: quia omnes in ſolidum vnicam regunt Eccleſiam.]

Mihi verò non tam pro Ariſtocratia, quàm contrà Ariſtocratiam diſſerere videtur; Nam primùm, quod attinet ad principes Laicos, *Si Rex in quolibet Regno bono ſenſu dici poteſt caput Eccleſiæ*, Ergo eius erit ſtandum ſententiæ; Ergo penès eum erit rerum Eccleſiaſticarum arbitrium; Ergo à nullo Epiſcopo excommunicari poterit; Et tamen legimus Ambroſium Mediolanenſem Epiſcopum, Theodoſium ſummum Imperatorem ſacris abſtentum Eccleſiæ ingreſſu prohibuiſſe: vbi hìc Optimatum illa prædicata auctoritas, & tantoperè celebrata Ariſtocratia? Manus certè dare cogitur aduerſarius.

Reſpondeo, inquit, *Ariſtocratiam Eccleſiaſticam in eo à propriè dicta*, hoc eſt Ciuili *Ariſtocratia deflectere, vt ſuprà docui num. 6. quod & omnes, & ſinguli Prælati habeant plenam auctoritatem Eccleſiaſticam, quia omnes in ſolidum vnicam regunt Eccleſiam*. Itaque eius iudicio illa ſua Ariſtocratia, Ariſtocratia non eſt; Quod autem de Regibus, vt illis adularetur, dixit, *bono ſenſu illos Eccleſiæ capita vocari poſſe*, tam eſt abſurdum, vt Caluinum ipſum huius dogmatis puduerit. *Magiſtratus*, inquit, *ſi pius eſt, eximere ſe nolet à communi filiorum Dei ſubiectione, cuius non poſtrema pars eſt Eccleſiæ ex verbo Dei iudicanti ſe ſubijcere, tantum abeſt, vt iudicium illud ab Eccleſia tollere debeant. Quid enim honorificentiùs*, ait Ambroſius, *quàm vt Imperator Eccleſiæ filius eſſe dicatur? Imperator enim bonus intrà Eccleſiam, non ſuprà Eccleſiam eſt.*

Calu. Inſt. lib. 4. cap. 11. para. 4.

Amb. epiſt. 32.

Propterea ſcilicèt prioris æui Patres Eccleſiæ Proceres, Spalatenſis inſolens pronuntiatum, tamquam vocem antichriſtianam repudiare, anathemate percellere, adeòque Imperatores, Reges, Principes, ac huius generis Magiſtratus interdicta eis ſacrorum procuratione, ad Ciuilia negotia, & res prophanas magna animorum conſtantia ablegare, atque amandare non dubitaſſent. Sic enim cùm de Athanaſio Antiſtite Alexandrino exauctorando, cogitaſſet Conſtantius Conſtantini Magni filius, ac de ea re Oſio Cordubenſi Epiſcopo præſcripſiſſet, reſpondit priſcæ fidei antiſtites. [Ne te miſceas, inquit, Imperator rebus Eccleſiaſticis, neque nobis in hoc genere præcipe, ſed potiùs ea à nobis diſce. Tibi Deus imperium commiſit; nobis, quæ ſunt Eccleſiæ, concredidit.]

Athan. in ep. ad Solitariam vitā agentes.

Sic eundem Conſtantium in re non diſſimili excipit Leontius Tripolitanus Epiſcopus. [Miror, inquit, quomodò ad alia vocatus, alijs rebus te immiſceas: Militaribus enim, & politicis rebus præfectus, in his, quæ ad ſolos Epiſcopos pertinent, præeſſe vis?]

Suidas in verbo Leontius.

Magnus porrò Athanaſius monſtri loco habens, quòd idem Conſtantius iudicium de rebus fidei vſurpaſſet, Antichriſtum eum pronunciat. [Quid hic, ait, quod Antichriſti ſit, omiſit? Siquidem iam denuò, in locum Eccleſiaſticæ cognitionis ſuum palatium tribunal earum cauſarum conſtituit, ſeque earum litium ſummum Principem, & auctorem facit. Et paulò poſt. Quis videns, inquit, eum in decernendo Principem ſe facere Epiſcoporum, & præſidere iudicijs Eccleſiaſticis, non meritò dicat, illum eam ipſam abominationem deſolationis eſſe, quæ à Daniele prædicta eſt?]

Athan. vbi ſuprà.

Ibidem.

Sic, & Valentinianum Iuniorem repreſſit Ambroſius. [Noli te grauare, inquit, Imperator, vt putes te in ea, quæ diuina ſunt, Imperiale aliquod ius habere. Noli te extollere. Scriptum eſt: Date, quæ Dei ſunt, Deo, quæ Cæſaris ſunt, Cæſari. Ad Imperatorem palatia pertinent, ad Sacerdotem Eccleſiæ?] Idem Ambroſius ab Imperatore rogatus, vt cum Auxentio in palatio de rebus fidei ageret, diſſereret, ac diſputaret, reſpondit; [Si tractandum eſt, inquit, tractare in Eccleſia didici, quod maiores fecerunt mei. Si conferendum de fide, ſacerdotum debet eſſe iſta collatio; ſicut factum eſt ſub Conſtantino, qui nullas leges antè præmiſit, ſed liberum dedit iudicium Sacerdotibus. Item eodem loco, Quando, inquit, audiſti, clementiſſime Imperator, in cauſa fidei Laicos de Epiſcopo iudicaſſe? Ita ergo quadam adulatione curuamur, vt ſacerdotalis iuris ſimus immemores? & quod Deus donauit mihi, alijs putem eſſe credendum? At certè, ſi vel ſcripturarum ſeriem diuinarum, vel vetera tempora retractemus, quis eſt, qui abnuat in cauſa fidei, in cauſa, inquam, fidei, Epiſcopos ſolere de Imperatoribus Chriſtianis, non Imperatores de Epiſcopis iudicare?

Amb. ep. 33. ad Sororem.

Rursùs in eam rem Athanaſius: Si, inquit, Iudicium eſt Epiſcoporum, quid commune cum eo habeat Imperator? Sin contrà, iſta minis Cæſaris conflantur, quid opus eſt hominibus titulo Epiſcopis? Quando à condito æuo auditum eſt? quando iudicium Eccleſiæ ab Imperatore auctoritatem ſuam accepit? aut quando vmquam hoc pro iudicio agnitum eſt? Plurimæ antè hac Synodi fuere, multa iudicia Eccleſiæ habita ſunt; Sed neque Patres iſtiuſmodi res Principi perſuadere conati ſunt, nec Princeps ſe in rebus Eccleſiaſticis curioſum præbuit: Paulus Apoſtolus habebat amicos in Cæſaris familia, non tamen eos in iudicio ſocios aſſumpſit.]

Athan. in epiſt. ad ſolitariam vitam agētes.

Sic cùm Valentis Imperatoris Præfectus

Eulogium presbyterum hortaretur, vt cum Imperatore communicaret, reſpondit inuicti animi Sacerdos: [Numquid cum Imperio eſt etiam Sacerdotij dignitatem Imperator conſequutus? Nos verò paſtorem habemus, cuius nutum ſequamur.]

Vide Theodor. l. 4 c. 16.

Pigmenta igitur conquirat Spalatenſis, & dogma illud ſuum, *Rex eſt caput Eccleſiæ*, purpuriſſo, ceruſa, ac ſtybio incruſtet, bonum ei ſenſum non affinget. Sed tantorum Patrum iudicio ſemper inter Antichriſtianas voces cenſebitur. Sunt igitur Reges, ac Principes, fidei vindices, pietatis aſſertores, religionis defenſores, ſed ius, aut imperium in ſacra non habent, ac omninò ab eorum tractatione arcentur, ac prohibentur: quare Oziam Regem incenſum adolere volentem, magna conſtantia ab aris depulit Azarias Sacerdos: *Non eſt tui officij*, inquit, *Ozia, vt adoleas incenſum Domino, ſed ſacerdotum, hoc eſt, filiorum Aaron, qui conſecrati ſunt ad huiuſmodi miniſterium: egredere de ſanctuario, ne contempſeris: quia non reputabitur tibi in gloriam hoc à Domino Deo*. Cùmque, ait ſacer textus, *Iratus Ozias, tenens in manu thuribulum, vt adoleret incenſum, minaretur Sacerdotibus, ſtatim orta eſt lepra in fronte eius coràm Sacerdotibus, in domo Domini ſuper altare Thymiamatis*. Horrendum exemplum, dignumque, in quod magni principes intueantur. Sunt certè Reges, & Imperatores legum diuinarum cuſtodes, atque ipſorum eſt edictis, ac pœnis prohibere, è mundoque eliminare blaſphemias, ſchiſmata, hæreſes, ſacrilegia. At legum diuinarum interpretationem, & iudiciorum Eccleſiaſticorum poteſtatem ad eos pertinere, aut penès eos eſſe, planè eſt Antichriſtianum, vt de Conſtantio pronunciauit Hilarius.

Lib. 2. Paralipom. 26.

Percurramus reliqua. [Oppugnant demùm noſtram Ariſtocratiam, inquit Spalatenſis, & Eccleſiaſticum regimen præcipuè penès Epiſcopos eſſe non poſſe, his conficere conantur argumentis.

Spalat. Num. 44. Bell. l. 1. de Rom. Pont. cap. 8.

Primò, non eſt locus in Scripturis, quo poteſtas Eccleſiaſtica detur Collegio vlli, ſeu conuentui, aut Concilio Prælatorum.

Secundò, Eccleſia ferè ſemper careret Rectoribus, nec eſſet vllus, cui ſit curæ commune bonum; Omnes enim Prælati inter ſe pares ponuntur, & commune bonum curare non poſſunt, niſi vel ſimul congregentur, vel communi conſenſu Magiſtratum aliquem eligant, qui hoc præſtet: Congregatio verò Conciliorum fit rariſſimè, & cum maximo incommodo. Magiſtratus autem talis nullus reperitur inſtitutus; Patriarchæ etenim etiam ipſi ſingulis ſuis clauduntur regionibus, neque extrà illas (vt nos ponimus) poteſtatem habent vllam.

Tertiò, Si eſt Ariſtocratia Epiſcoporum in Eccleſia, quò plures conuenient ad Concilium, eò validiùs decernent; & tamen fuerunt interdùm Concilia minoris numeri, validiora alijs numeroſioribus.

Quartò, Hæreſes, & ſchiſmata, ac factiones ab Optimatibus potiùs excitantur, quàm à plebeis; Ideòque in Eccleſia adhuc peior eſt Ariſtocratia, quàm Democratia.]

[Ad hoc, inquit, Reſpondeo, iam abundè me probaſſe, omnibus Apoſtolis æquè commiſſum fuiſſe à Chriſto regimen Eccleſiæ, quando eis dictum eſt, Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos; Et, Euntes, docete omnes gentes. Apoſtolis verò ſucceſſerunt Epiſcopi omnes, & omnes in ſolidum regunt Eccleſiam, & concordi numeroſitate vnum gregem paſcunt, vt optimè explicabat Cyprianus.]

Spalat. Num 45.

Ioan. 20. Matth. 28.

Ego verò dico, nec probaſſe, nec probare vmquam poſſe eam fuiſſe æqualitatem inter Apoſtolos, quæ vnum Collegij Caput tolleret; *Inter duodecim enim vnus eſt electus, vt capite conſtituto, ſchiſmatis tolleretur occaſio*. Neque verò rursùs vmquam probarit, Apoſtolis in plenitudinem poteſtatis, ſucceſſiſſe Epiſcopos, quare hìc quoque illi hæret aqua.

Hier. lib. 1. adu. Iouin.

Secundò obijcit ſibiipſi, *Eccleſia ferè ſemper careret Rectoribus, nec eſſet vllus, cui ſit curæ commune bonum, omnes enim prælati inter ſe pares ponuntur, & commune bonum curare non poſſunt, niſi vel ſimul congregentur, vel communi conſenſu magiſtratum aliquem eligant, qui hoc præſtet, &c.* Ac reſpondet; *Commune bonum à ſingulis promouetur, & ab omnibus in ſolidum, & ex officio vnuſquiſque Epiſcopus tenetur bonum totius Eccleſiæ vniuerſalis procurare.*

Sed & hoc falſum eſſe ſuo loco oſtendetur, cùm Epiſcopi definitas ſedes habeant, nec liceat illis, alienos greges inuadere.

Tertiò obijcit ſibi: *Si eſt Ariſtocratia Epiſcoporum in Eccleſia, quò plures conuenient ad Concilium, eò validiùs decernent; & tamen fuerunt interdùm Concilia minoris numeri, validiora alijs numeroſioribus,*

Reſpondet, [Oſtendam poſteà lib. 7. Concilia minora ordinariè corrigi à maioribus; etſi interdùm minùs Concilium meliùs ſenſit, quàm maius, etſi etiam maius interdùm errauit, in quo minùs non errauit; tamen error illius maioris damnari non potuit, niſi adhuc à maiori numero Epiſcoporum, ſiue Conciliaritèr congregatorum, ſiue ſingularitèr, & diuiſim in ſuis Eccleſijs reſidentium, & Eccleſiæ totius Catholicæ veritatis ſenſum exprimentium. Contingere enim poteſt, vt ſexcenti Epiſcopi eſſent in Concilio congregati, & vnicus in aliquo angulo mundi, ſiue Epiſcopus, ſiue Presbyter, ſiue etiam Doctor Laicus errorem aperiat, & diſſentiat; ac reclamet; quem poſteà tota ſequatur Eccleſia, & conſequentèr à maiori numero Optimatum illi ſexcenti corrigantur, ipſiſmet etiam correctioni ſubſcribentibus, & ita numerum benè ſentientium adaugentibus: Sed de hoc plura poſteà lib. 7.]

Spalat. Num 46.

Igitur eò relabitur, vt Ariſtocratiam ſuam rursùs tollat, quia vult ab vno *Optimates ſuos omnes corrigi*; ſed nugæ ſunt iſtæ; Conciliorum ea lex eſt ordinaria, vt à maioribus minora corrigantur, fatemur: ſed vt illa pleniora, & maiora iudicij pondus habeant inter Orthodoxa à Pontifice cenſeri debent, vt in cauſa Concilij Ariminenſis eſt aliquando demonſtratum. Ipſorum certè Occumenicorum Conciliorum cogendorum, & confirmandorum auctoritas penès ipſum Pontificem eſt, nec citrà eius conſenſum poſſunt vlla decreta Eccleſijs ſanciri, vt ex veteri inſtituto docent Socrates, Sozomenus, & Theodoretus.

Quartò opponit ſibi [Hæreſes, & Schiſmata, & factiones ab Optimatibus potiùs excitantur, quàm à plebeis; ideòque in Eccleſia

Spalat. Num. 47.

cleſia adhuc peior eſt Ariſtocratia, quàm Democratia.]

Reſpondet, faciliùs eſſe, vt vnus ſubuertatur, & iu hæreſim prolabatur; & ſic ſua ſuprema auctoritate, & impunitate plurimos corrumpar; quàm vt mulri decidant à fide. Etſi inter optimates Eccleſiæ diſſenſio hæc ſurgit, iam dixi remedium eſſe in maiori parte Eccleſiæ per totum orbem diffuſæ, quæ habet aſſiſtentiam illam ſancti Spiritus, à qua
1. Tim 3. Eccleſia tota, dicitur eſſe Columna, & firmamenrum veritatis, & diſſentiones, vbi maior pars negotium decidit, facilè ſedantur, &c.]

Luc. 22. At non aduertit vni illi dictum, *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua*; Hac enim promiſſione fretus errorum ſcopulos facilè deuitat, quod reliquis adeò obuium non ſit. Neque verò ſopiendorum ſchiſmatum aliud vmquam remedium fuit, quàm inuocatio ſummæ poteſtatis, quæ ceruices domaree ſuperbas: Propterea Baſilius Pontificem Romanum adeundum in Orientis ſchiſmate cenſuit, qui auctoritate ſua acta Concilij Ariminenſis reſcinderet, vt eſt ſuprà à nobis obſeruatum. Propterea quoque Hieronymus in Antiochię tumultibus, & totius, vt vocat, *orientis colliſione*, ad Damaſum confugit, arque eius opem
Hier. ep. 58. ad Damaſū. demiſsè implorat: *Hinc*, inquir, *præſidijs fulta mundi Ariana rabies fremit, hinc in tres partes ſciſſa Eccleſia ad ſe rapere me feſtinat. Monachorum circa manentium antiqua in me ſurgit auctoritas. Ego interim clamito, ſi quis Cathedræ Petri iungitur, meus eſt. Meletius, Vitalis, atque Paulinus tibi hærere ſe dicunt. Poſſem credere, ſi hoc vnus aſſereret: nunc, aut duo mentiuntur, aut omnes. Idcircò obteſtor beatitudinem tuam per crucem Domini, per neceſſarium fidei noſtræ decus, per paſſionem Chriſti, vt, qui Apoſtolos honore ſequeris, ſequaris, & merito: ita in ſolio cum duodecim iudicaturus ſedeas, ita te alius ſenem cum Petro cingat, ita municipatum cœli cum Paulo conſequaris, vt mihi literis tuis, apud quem in Syria debeam communicare, ſignifices. Noli deſpicere animam, pro qua Chriſtus mortuus eſt.* An non igitur ſummi viri, & magna Eccleſiæ lumina à Monarchia, non verò ab Ariſtocratia, aut Democraria in Eccleſiarum turbis præſidium petendum oſtendunt? Sed de his aliàs. Tandem, & Ariſtocratiæ, & Democratiæ labes agnoſcit, adeòque quamtumuis reniratur, gloriam Monarchiæ concedit præſtantioris regiminis.

Quod verò coronidis vice addit ſecùm contrà *Pontificem ſentire, pleroſque Eccleſiæ Romanæ Epiſcopos* in hominis vaniſſimi inſomnijs pono, *qui tertiam partem ſtellarum cauda* Apoc. 12.
ſua traxiſſe ſe ſibi fingat. At cœlo ſuo, firmamento illo veritatis, non mouentur præclariſſima, ac conſtantiſſima ſydera: Inerrantium hæc ſtellarum labes ſit, & hominum, iuxtà Apoſtoli ſententiam, *æternæ caligini reſeruatorum*. Iudæ epiſt. Cannnica.

EIVSDEM AVCTORIS.

DISCVSSIO PRIMI CAPITIS LIBRI QVARTI.

CONSPECTVS CAPITIS.

Spalalenſis inſtar Thraſyli cuiuſdam ex amentia voluptatem capientis vanitas, ac leuitas: Petrum Romano ſolio deijcere conatur: Dubium eius mortis locum facit: Tandem tamen Romæ martyrio coronatum fuiſſe: Ne Caluino impudentior habeatur inficiari non audet: Teſtimonia vetuſtiſſimorum Patrum pro Petri martyrio Romæ obito: Dionyſij Corinthiorum Epiſcopi: Tertulliani, Caij, Origenij, Oroſij, Auguſtini, Chryſoſtomi: Confirmatur ex Euangelio: Ioannis, Petrum Romanum fuiſſe Epiſcopum, contrà Spalatenſem defenditur: Auctoritate eorum Patrum, quos ipſe profert, Cypriani, Optati, Athanaſij, Hieronymi, Auguſtini, Petri Rauennatis, Orientalium Patrum Gregorij, & Bernardi: Stultè inter Orientales, & Occidentales de ea re diſſidium fuiſſe, teſtimonio Firmiliani contendit: Refellitur: Eadem veritas aſſeritur teſtimonio Patrum, qui diſertis verbis id profitentur: Euſebij, Ambroſij, Euſebij Papæ, Sulpitij, Iſidori, Hieronymi: Defenditur Bellarminus: vt Romanus Pontifex Petri Vicarius dicatur à Symmacho, Ennodio, Anaſtaſio Bibliothecario, Tarraconenſibus Epiſcopis, Gelaſio, Amatore Epiſcopo, Gregorio, Bonifacio Moguntino: Adriano primo, Carolo Magno, Gregorio quarto, Nicolao primo, Gregorio ſeptimo, Alexandro ſecundo, Anglicana Synodo, & Bernardo: Cypriani locus explicatus: Baronius, & Bellarminus defenſi. Cur Pontifices Petri Vicarios dixerint: Stultum de hac nomenclatura Spalatenſis iudicium: Pontificum modeſtia: Innocentius tertius ab immani calumnia purgatus: Petrum Romanam fundaſſe Eccleſiam: Probatur teſtimonijs Patrum Chryſoſtomi, Oroſij, Leonis, Theodoreti, Theodoſii Imperatoris: Spalatenſis cauilli retunduntur: Apoſtolos vtcumque orbem ſortiti ſint, vt Prouincias ſibi deligerent, vbique tamen Apoſtolicam poteſtatem exercere potuiſſe: Aliud eſt poteſtas, aliud poteſtatis executio: Quo ſenſu Paulus etiam Romanus Epiſcopus dictus: Petrum proculdubiò primùm Romanis prædicaſſe, ac in eo munere Paulum anteuertiſſe: Spalatenſis obiectiones refelluntur; multa à Luca prætermiſſa in libro Actorum, quæ ad Apoſtolorum hiſtoriam pertinerent: Babylonis nomine Petrum Romam intellexiſſe: Oſtenditur teſtimonio Papię, Hieronymi, Oecumenij, Bedæ: Hæreticorum de Babylone commenta: Aliæ obiectiones Spalatenſis refelluntur, quibus probare conatur Paulum primùm Romæ prædicaſſe, Patres etiam Paulo Romanorum doctrinam tribuere, quòd inſtitutos à Petro etiam in fide confirmauit. Hieronymi pro Petro teſtimonium: Catalogus Romanorum Pontificum à Petro ducendus, auctoritate Auguſtini, & Optati oſtenditur. Quo ſenſu plerique Pontifices Petrum, & Paulum ſuæ dignitatis auctores faciant: vnum Petrum caput Eccleſiæ impoſitum agnoſcunt: De imaginibus diplomatum, in quibus Petrus ad dextram collocatur, Paulus ad ſiniſtram: Baronius defenſus: Spalatenſis obſtinatio, & inconſideratio: Petri prædicatio apud Romanos: Patrum encomia Romanæ Eccleſiæ tributa: Pſeudo-Ambroſius notatus: Quorsùm Paulus Romanos reprehendit: Baronius rursùm defenſus: Petrus Roma abeſſe coactus:

Li-

Linum, & Clementem coadiutores ſuos Romæ reliquit: Locus Actorum expenditur: Monſtra ſibi fingit Spalatenſis: Petri peregrinationes, quarum occaſione Roma abfuerit, defenduntur: Lucæ ſilentium his non præiudicare: Diſſertatio doctiſſimi Petauij de Petri profectione, Antiochena, & Romana laudata: Nugæ Spalatenſis, ac fœda errata Chronologica: à Petauio profligata.

Spalat. Num. 1.

SVptemus Eccleſiæ Romanæ primatus, ipſiuſque ſuprà cæteras omnes Chriſti Eccleſias imperium, ſicuti reuera nullis ſolidis innititur fundamentis, ita penitùs illum conſideranti, & excutienti ſtatim ſuam prodit imbecillitatem, nutat, ruit, concidit, proſternitur; vt mirùm prorsùs ſit, quòd quiuis propiùs intuens non planè cernat, huius primatus potentiſſimam vanitatem. Nonne ſuprà ego, libro proximè præcedenti, capite præſertim decimo; Eccleſias omnes Patriarchales, iure & diuino pariter, & humano, penitùs pares in poteſtate feci? Nonne ſatis confirmaui, ſolo iure humano Eccleſiaſtico, Eccleſias aliquas inſigniorum vrbium, curam aliquam in alias certarum prouinciarum, ſeu Regionum iiſdem vrbibus ſubiectarum ſuſcepiſſe? Audio Romanos acriter in me inſurgentes, & hiſce non acquieſcentes, illud vel maximè mihi obijcere: ſi Petrus ſupremum totius Eccleſiæ viſibile caput toti præfuit Eccleſiæ, tamquam vnicus Chriſti Vicarius in terris, & omnibus, ſiue Apoſtolis, ſiue Epiſcopis Prælatus, cur non Romana quoque Eccleſia, Petri Sedes, eadem ratione, & ex eadem cauſa primatus, Petri Primatum ſuprà cæteras omnes Eccleſias non tenebit? Ego verò iam primo huius operis libro totum hoc argumentum deſtruxi penitùs, & in puluerem redegi: Petro enim primatum hunc Imperij, & Dominij eccleſiaſtici nullum competere docui; Petrumque cæteris Apoſtolis penitùs parem feci; oſtendique vniuerſalitèr, in Eccleſia Chriſti Monarchiam non eſſe, quam à ſua Eccleſia Chriſtus longiſſimè abeſſe voluit. Itaque quid ſibi vſurpat Romana Eccleſia propter Petrum, quod à Petro fuit remotiſſimum? Sed vt meliùs adhuc vanitas huius Primatus Eccleſiæ Romanæ pateat, nunc addo, ne indè quidem, quòd ſit peculiaris Petri Sedes, ipſam poſſe gloriari; ſed in hoc habere plurimas, alias Eccleſias ſibi pares: Quarum cùm nulla Primatum, eo nomine in cæteras iactet, cur Romana ſola iactabit?

Apud Ath. lib. 12. c. vlt.

INeſſe aliquam in dementia voluptatem, inſaniamque ſuas habere delicias Heraclides Ponticus Thraſylli Æxonei exemplo confirmabat: nam cùm eum quidam nouus dementiæ morbus inuaſiſſet, Athenienſi vrbe relicta migrabat in Pyreum:

Aelian li. 3. cap. 25.

Cumque ibi habitaret, omnes naues quæcunque in eo ſubducerentur, ſuas eſſe putabat, & in album ſuum referebat, ſicque dimittebat eas. Quòd ſi quæ ſaluæ, & integræ in portum ingrederentur, ſuprà modum gaudebat. Multos autem annos hoc morbo tenebatur. Demùm frater eius profectus è Sicilia, tradidit eum medico, vt ſanaretur, atque ſic eum reliquit vecordia. Sæpiſſimè igitur ſuæ in amentia oblectationis mentionem faciebat, & ſe numquam cumulatiùs gaudium percepiſſe dicebat, quàm cum vidiſſet naues ſeruari, quæ tamen ad ſe nihil pertinerent.

Sed aliud iam nobis exemplum ſuppeditat Spalatenſis, qui haud diſſimili morbo vexatus ex inſania etiam voluptatem capit, ſua ſcilicet opera deiectum, ac de ſua ſede deturbatum Pontificem maximum, ac imperio nudatam triumphati orbis dominam Romam ſub iugum à ſe miſſam inaniter gloriatur, & triumphos ipſe ſibi decernit, ac plauſus mentita Victoria excita, vanitatem hominis, & leuitatem noſtra arguunt. Sinamus ergo importunum ſenem laſciuire, ac iuueniliter quaſi re benè confecta exultare, poſtquam mentem eius Deus emendauerit, errorem agnoſcet, & deprecabitur. Subijciamus verò examini, & hunc quartum librum erroribus, ac mendacijs refertiſſimum. Petrum Roma pellere iam ſtatuit, & quia facere non poteſt, dubium mortis locum reddere conatur, hæc ſunt à nobis, & libranda, & excutienda.

Principio igitur ne Caluino, à quo tam multa eſſet mutuatus, peruicacior, aut obſtinatior haberetur, inficiari auſus non eſt, Petrum aliquando Romæ fuiſſe, atque in ampliſſimo illo orbis theatro glorioſo exitu mortem cum vita commutaſſe, adeòque martyrij palmam reportaſſe, [Petrum, inquit, Romæ martyrio coronatum fuiſſe, malò aſſentiri, quàm reluctari: quamuis hac de re plenam hiſtoricam fidem nondùm ſim aſſecutus; ob plurimorum tamen ſanctorum Patrum conſenſum, arbitror id poſſe à quouis facilè concedi, & credi: neque videtur operæ precium, in hoc contentioſum funem trahere. Quamuis enim ſuas hoc habeat hiſtoricas difficultates, non tamen tanti momenti mihi videntur, vt prudenter poſſit, quis iam obniti, & contradicere.]

Spalat. Num. 2.

Apud Bell. de Rom. Pōt l. 2. c. 1. 23.

Similia ſcilicet habet Caluinus: [Propter hunc Scriptorum conſenſum, ait, non pugno quin illic mortuus fuerit.] Et quidem duri, ac præfracti animi fuerit, tantæ nubi teſtium ſe oppoſuiſſe; ſic enim, quod noſtri obſeruarunt Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus, apud Euſebium, [Petrum, & Paulum, inquit, qui Romanos, & Corinthios primùm in Eccleſiam Chriſti inſeruerunt, prudenti quadam admonitione impulſi, in vnum locum concluſiſtis. Nam ambo cùm, & noſtram Corinthi, & veſtram Romæ Eccleſiam fundaſſent, & eiuſdem doctrinæ præceptis, tum noſtros animos, tum veſtros imbuiſſent, eodem tempore pariter martyrium ſubierunt.]

Calu. lib 4. inſt. c 6 §. 15.

Euſ. lib 2. c. 24. hiſt. Eccleſ.

Ibid. paulò antè.

Anteà verò, [Iſte (Nero,) qui hoc pacto infeſtiſſimus Dei hoſtis primus prædicatus fuit, ad Apoſtolos etiam trucidandos incitabatur. Paulum proindè Romæ, eo regnante, ſecuri percuſſum, & Petrum etiam ſuffixum cruci, hiſtoriarum monimentis proditum eſt. Quin etiam inſignis, ac teſtata Petri, & Pauli, inſcriptio, quæ in cœmiterijs Romę ad hoc vſq; tempus manet, huius rei geſtę fidē facit.]

Sic

Tert.de præſcript. cap. 36. Tert.lib.4. contra Marciones.

Sic Tertullianus, [Statu fœlix, inquit, Eccleſia, cui totam doctrinam Apoſtolicam ſanguine ſuo profuderunt, vbi Petrus paſſioni Dominicæ adæquatur, vbi Paulus Ioannis exitu coronatur, &c. Et rursùs. Quibus, inquit (Romanis) Euangelium, Petrus,& Paulus ſanguine quoque ſuo ſignatum reliquerunt.] Item Caius Tertulliani contemporaneus, [Si lubet, inquit, in Vaticanum proficiſci, aut in viam, quæ Hoſtienſis dicitur, te conferre, trophæa (ideſt Sepulchra)eorum,qui iſtam Eccleſiam ſuo ſermone, & virtute ſtabiliuerunt, inuenies.]

Caius apud Euſ.lib. 2. c. 24.

Orig.apud Euſeb. hiſt. Eccl.l.3.c.1.

Origenes quoque, [Petrus ad extremum, inquit, cùm Romæ verſaretur, capite deorſum ſtatuto (ſic enim perpeti cupiebat) cruci ſuffixus eſt.]

Oroſ.l 7.c.7

Item Oroſius, [Nam primus (Nero) inquit, Romæ Chriſtianos ſupplicijs, & mortibus affecit, ipſumque nomen extirpare conatus, beatiſſimos Chriſti Apoſtolos Petrum cruce, Paulum gladio, occidit.]

Aug. contra Iulian. Pel. lib. 1.

Auguſtinus tandem, [Puto, inquit, tibi eam partem orbis ſufficere debere, in qua primum Apoſtolorum ſuorum voluit Dominus glorioſiſſimo martyrio coronare.]

Chryſ.hom. 42. in Sanct. Mart.Ign.

Tum demùm Chryſoſtomus, [Illi,inquit, qui Romæ tunc habitabant, cùm illic magna vigeret (Romanos cum ſuis Antiochenis comparat) impietas, maior auxilio indigebant. Ideò Petrus, & Paulus, & Ignatius poſt illos ibi fuerunt immolati;vt ciuitatem illam idolorum cruoribus pollutam, proprio ſanguine abluerent, & operibus ipſis Reſurrectionis Ieſu Chriſti crucifixi teſtimonium afferrent, demonſtrantes ijs, qui Romanæ degebant,ſe præſentem vitam tanta cum voluptate numquam fuiſſe deſpecturos, niſi ſibi omninò perſuaſiſſent, quòd ad crucifixum Ieſum eſſent aſcenſuri.]

Adde verò ex Euangelio Ioannis, non obſcurè colligi, Petrum Romæ martyrij palmam conſecutum fuiſſe, Namque cùm certò certiùs ſit multò poſt necem Petri,qui,vt Hieronymus loquitur, Neronianum gladium cruentarat, ſcripſiſſe Ioannem, & ille exitium Petri verbis Chriſti; *Extendes manus tuas*, ſignificatum dixerit,locum verò non indicarit, (Ioan. vlt.) adeòque nec ipſum mortis genus expreſſerit, omninò exiſtimandum eſt, propterea ſupplicij locum,& genus eum præterijſſe, quòd quo loco, quoque mortis genere paſſus eſſet, rem videret eſſe vniuerſo orbi exploratiſſimam, quo admiſſo, planum omninò fit, eum Romæ martyrij palmam conſequutum fuiſſe, ſiquidem non ſolùm ex publica fama,verùm etiam ex trophæis, vt quidem Caius, apud Euſebium loquitur, hoc eſt ex ſepulchrorum, tum Petri, tum Pauli inſcriptionibus id ſcriptis conſignarunt, ac poſteris tradiderunt vetuſtiſſimi, quos citauimus Patres, nimirùm Romæ Petrum cruci affixum fuiſſe.

Præterea etiam, nec ipſa Babyon Aſſyriorum, quam tantoperè iactant nonnulli ex Sectarijs, nec vlla alia Eccleſia vmquam, vel eius ſibi reliquias vindicauit,vel de martyrio eſt glorìata, vt proindè relinquatur, Ioannem publicam illam vocem comprobaſſe.

Hoc igitur vltrò nobis largitur cum Caluino Spalatenſis: At verò Romæ Epiſcopatum tenuiſſe, quod contendunt Patres, magna peruicacia reijcit, ac refellendum ſumit. Profert primùm orthodoxorum, quibus homo Eterodoxus ſe annumerat impudentiſſimè, ſententiam, ac demùm eius firmamenta, ac præſidia conuellere nititur. Audiamus proterunm, ac prælij peruicacem hominem, [Epiſcopum Romæ vrbis Petrum fuiſſe, inquit,, & in epiſcopali munere defunctum,noſtri contendunt acriter: & hoc videtur fieri euidens ex ſequentibus. Quid verò videatur poſſe id perſuadere, quantum ergo potui ex Patribus potiſſimùm colligere, iam profero libenter;meum ſuper his iudicium poſteà ſubiecturus. Petrum itaque fuiſſe Romanum Epiſcopum probatur. Primò, quia ab antiquiſſimis etiam Patribus Romana Cathedra dicitur ſedes Petri. Cyprianus; Nauigare, inquit, audent,& ad Petri Cathedram, atque Eccleſiam principalem, vndè vnitas Sacerdotalis exorta eſt. Item: Factus eſt Cornelius Epiſcopus, cùm Fabiani locus, ideſt cùm locus Petri, & gradus Cathedræ Sacerdotalis vacaret. Optatus Mileuitanus, Parmenianum ſic compellat: Igitur negare non potes; ſcire te, in vrbe Roma Petro primò Cathedram Epiſcopalem eſſe collocatam, in qua ſederit omnium Apoſtolorum caput Petrus. Athanaſius, Non ita ſe habet, inquit, Eccleſiaſticus Canon, neque vmquam accepimus talem à Patribus traditionem, quam ipſi (Romani) à Beato, & magno Apoſtolo Petro, acceperunt. Hieronymus ad Damaſum, cum ſucceſſore, inquit, peccatoris, & Diſcipulo crucis loquor, ego Beatitudini tuæ, ideſt Cathedræ Petri, communione conſocior. Rursùs idem: Prædicatione quoque,inquit, Cathedræ Marci Euangeliſtæ, Cathedra Petri Apoſtoli, ſua prædicatione confirmet. Loquitur de damnatione errorum Origenis, per Anaſtaſium Romanum Pontificem, Romæ probata. Auguſtinus, Cathedra tibi, inquit, quid fecit Eccleſiæ Romanæ, id qua Petrus ſedit, & in qua nunc Anaſtaſius ſedet? Et alibi: Numerate, inquit, Sacerdotes vel ab ipſa Petri ſede, ipſa eſt Petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ. Petrus Rauennas ad Eutychem, Hortamur, inquit, te frater honorabilis, vt ijs quæ à beatiſſimo Papa Romanæ ciuitatis ſcripta ſunt, obedienter attendas, quoniam Petrus, qui in propria ſede viuit, & præſidet, præſtat quærentibus fidei veritatem. Ita etiam Leo, ita Proſper ait, Sedes Roma Petri. Sozomenus, Non ſine diuina, inquit, prouidentia factum eſt, vt mortuo Fœlice, ſolus Liberius Romanæ Eccleſiæ præeſſe,ne Petri ſedes vlla infamiæ macula aſpergeretur. Orientales Epiſcopi Symmacho Papæ aſſerunt à Chriſto optimo Paſtore Petri Cathedram eſſe creditam. Gregorius acri cum querimonia de Rege illius temporis ita ſcribit: In tantam autem ſuæ temeritatem extendit veſaniæ, vt caput omnium Eccleſiarum Romanam Eccleſiam, ſibi vendicet: & in Domina gentium, terræ ius poteſtatis vſurpet. Quod omninò ille fieri prohibuit, qui hanc Beato Petro Apoſtolo ſpecialiter commiſit, dicens, Tibi dabo Eccleſiam meam. Bernardus ad Eugenium Papam: Terribilis prorsùs, inquit, terribilis eſt locus iſte; locus, inquam, in quo ſtas, terra ſancta eſt, locus Petri eſt, locus Principis Apoſtolo-

Eod.num.2.

Idem lib. 4. ep. 2.

Opt contrà Parm. lib. 2.

Athan.ad Solitar.

Hier.ep. ad Damaſ. Id.ep 58. ad Damaſ. & Marcel.

Aug contrà lit.Petili li. 2. cap 51. Id in Pſal. cont. part. Donat. Ad Concil. Chalced.

Leo ſerm. 2. de ſua aſſumpt. Proſper. lib. de ingrat. Sozom l. 4. cap. 14. Inter epiſt. Symm poſt Apologet. Gregor. in Pſal. Pœnit. 5. Bernard. ep. 237.

ſtolorum; vbi ſteterunt pedes eius: locus illius eſt, quem conſtituit Dominus dominum domus ſuæ, & Principem omnis poſſeſſionis ſuæ.] Sed hìc te ſiſto Antoni; Si enim te pudet inficiari Petrum Romæ martyrio coronatum fuiſſe, *ob multorum Sanctorum Patrum conſenſum*; (hæc enim tua ſunt verba,) quid eſt, quòd te ipſo impudentior factus, iiſdem Patribus, qui Petrum Epiſcopatum Romæ obtinuiſſe, ac geſſiſſe ſummo conſenſu, ac omninò conſpirantibus teſtimonijs ſignificaut, te opponis? An illud aſſerentes ſint vera loquuti, iſtud verò effundeutes veri rationem non habuerint, ſed ab eo exorbitarint? Hæc mi Antoni animi tui iuconſtantiam produnt, ac manifeſtant; Age verò, tuas animaduerſiones excutiamus:

Eod. nu. 2.

[Sed neque, inquis, ſilentio præteribo, ipſoſmet Epiſcopos Romanos hoc primùm videri ſuæ Sedi attribuiſſe, eam eſſe Petri Sedem, & conſequenter ſe Petri ſucceſſores aſſeruiſſe; in id non ità facilè alijs Epiſcopis, præſertim Orientalibus aſſentientibus. Inuenio enim Firmilianum Cappadocem de Stephano Romano Pontifice ad Cyprianum iſta ſcribere. Atque ego in hac parte iuſtè indignor ad hanc tam apertam, & manifeſtam Stephani ſtultitiam, quòd, qui ſic de Epiſcopatus ſui loco gloriatur, & ſe ſucceſſionem Petri tenere contendit, ſuper quem fundamenta Eccleſiæ collocata ſunt, multas alias Petras inducat. Item: Iudæos zelum Dei Apoſtolus habere profitetur: Stephanus, qui per ſucceſſionem Cathedram Petri habere ſe prædicat, nullo aduerſùs hæreticos zelo excitatur. Certè Firmilianus his fermè ironicis verbis ſatis oſtendit ſe non aſſentiri Stephaño prætendenti, & aſſerenti ſe in Cathedra Petri ſedere, & Petri eſſe ſucceſſorem. Eodem igitur tempore, & Cyprianus ſuprà adductus Romanam Sedem vocat abſolutè Petri Cathedram, & Firmilianus in hoc non vult aſſentiri, ſed potiùs videtur dubitare. Iudicet lector. Fortaſsè alia tunc erat opinio de Petri Romana Sede Orientalium, alia Occidentalium: & adhuc ſub iudice lis eſt.

Inter epiſt. Cypr. ep 75. edit. Pamel.

Sed quod ad primum attinet, ſcilicet Epiſcopos Romanos, hoc primùm videri ſuæ ſedi attribuiſſe, ſplendidiſſimum eſt mendacium. An igitur Cyprianus, an Optatus, an Athanaſius, an Hieronymus, an Auguſtinus, an Petrus Rauennas, an Sozomenus, an Orientales illi Epiſcopi, an Bernardus, quos tamen omnes pro hac ſententia citas, in Romanorum Pontificum albo ſunt reponendi? Deliras mihi homo: Te tamen tueris Firmiliani Cappadocis auctoritate, neque vides, hunc Firmilianum impudentiæ, & ſceleris in Stephanum admiſſi aliquando puduiſſe, ac etiam pœnituiſſe. Adi Hieronymum, & Auguſtinum, illud te docebunt. Cæterùm nec illis ſuis virulentiſſimis verbis Firmilianus Petri Cathedram concutere molitur, ſed Stephanum ſtultitiæ poſtulat, quòd cùm de ſucceſſione Petri, quod certè omninò iure facere potuit, ſibi plauderet, alias tamen Petras, vt ille loquitur, induceret: verùm tùm ſtultitiæ, tùm impudentiæ nobis coarguendus venit Firmilianus, nimirum & quod pudendum errorem defenderit, & baptizandos eos, qui à baptiſmo hæreticorum ad Eccleſiam ſe referrent, cum Cypriano contenderit, & quòd improbiſſimam cauſam aduerſùs Pontificem propugnans eũ laceſſere, ac ſceleratiſſimis verbis proſcindere veritus non ſit: Miror verò, Spalatenſem Firmilianum Cypriano commiſiſſe, ac diſſidium de Cathedra Petri inter eos cogitaſſe, quibus cętera tam benè conueniret. [Eodem, inquit, tempore, & Cyprianus ſuprà adductus Romanam Sedem vocat abſolutè Petri Cathedram: & Firmilianus in hoc non vult aſſentiri, ſed potiùs videtur dubitare.] Vbi igitur vel minimùm huius inter eos pugnæ, ac digladiationis veſtigium? Sunt hæc febricitantis ſomnia! Age verò, iſtud tibi concedamus, Romæ Cathedram eſſe Petri negat Firmilianus, ait Cyprianus, vtri igitur credendum cenſes? Expendamus reliqua.

Inter epiſt. Cypr. vbi ſuprà.
Hier. cont. Lucifer. Aug. cont. Creſc. l. 3. cap. 3.
Spal. num. 2. in fin.

[Secundò, Romanus Petri Epiſcopatus, inquit Spalatenſis, ex eo probatur, quòd ſæpè à Patribus expreſsè ponitur, & aſſeritur idem Petrus Romanus Epiſcopus. Euſebius: Petrus Natione Galilæus, Chriſtianorum Pontifex Primus, cùm primùm Antiochenam Eccleſiam fundaſſet, Romam proficiſcitur; vbi Euangelium prædicans 25. annis eiuſdem Vrbis Epiſcopus perſeuerat. Ambroſius: Vtique, inquit, ipſe auctor eſt nobis huius aſſertionis Petrus Apoſtolus, qui ſacerdos fuit Eccleſiæ Romanæ. Indè illud Euſebij Papæ; Benedictus Dominus, qui Romanam Eccleſiam beati Petri Apoſtolorum Principis Sacerdotio ditauit. Sulpitius: Inualuerat apud Vrbem diuina Religio, Petro Epiſcopatum gerente. Hieronymus, Petrum, dicit, 25. annis Romæ ſacerdotalem Cathedram tenuiſſe. Idem affirmat de Petro Iſidorus. Hic, inquit, poſtquam Antiochenam Eccleſiam fundauit, ſub Claudio Cæſare, contrà Simonem Magum Romam pergit, ibique prædicans Euangelium 25. annis eiuſdem tenuit Pontificatum.

Spal. num. 3.
Euſeb. in Chron. ann. 44.
Ambroſ. lib. 3. de ſacram. cap. 1.
Euſeb. ep 3. Sulpit. lib. 2. ſac. hiſt.
Hier. de viris illuſt. in Petro. Iſidorus in vita Petri.

Cùm his, quod reponeret, non haberet Spalatenſis, vexandum ſumpſit Bellarminum, [Producit, inquit, Pro Petri Romano Epiſcopatu Bellarminus auctoritatem Dorothei in Synopſi, ità ſcribentis; Linus poſt Coryphæum Petrum Romanæ Epiſcopus fuit. Oblitus, vt arbitror, ſuæ propriæ cenſuræ in illam Synopſim, paulò antè illa nota latæ; Porrò Synopſim, quæ Dorotheo Tyrenſi falsò aſcribitur, plenam eſſe narrationibus confictis, atque mendacibus, &c. Sed hoc familiare eſt noſtris Monarchicis, ac præſertim Baronio, eundem auctorem modò approbare, & in Cœlum euehere, vbi fauere eis videatur; modò viris deuouere, & execrari illum eundem, vbi ipſis aduerſantem offenderint. Sed vndènam Bellarminus ad tam acrem cenſuram in Synopſim illam fuerit permotus, vt eam tamquam plenam confictis, & mendacibus narrationibus coarguerit, audiamus: Eunuchum, inquit, Reginæ Æthiopum inter ſeptuaginta duos Diſcipulos numerat. Et Iuniam ponit inter Diſcipulos: Iunia autem erat fœmina. Sed dormitabat bonus Cardinalis quando hæc ſcripſit. Dorotheus enim enumeratis primùm nominatim ſexaginta octo Diſcipulis, iis adnumerat Marcum, & Lucam Euangeliſtas, ad complendum numerum ſeptuagenarium. Seorſim verò poſt illos,

Eod. num. 3. Bellarm. de Rom. Pont. l. 2. cap. 4. Bellar. ibid. cap. 2.

Euangelij primos annunciatores in mente habens, duodecim Apoſtolis, & ſeptuaginta Diſcipulis, ſubiungit etiam Eunuchum Candacis, qui in Arabia fœlici, & Taprobana Euangelium prædicauit. Et expreſsè illum ponit Euangelij prædicatorem; ſed tamen extrà numerum Apoſtolorum, & 70. Diſcipulorum. Iunias autem, & Andronicus nobiles erant in Apoſtolis, ſumpto Apoſtoli nomine in latiori ſignificatione. Poterat ergo, immò debebat Bellarminus, à tam graui cenſura abſtinere, ſi Opuſculum illud aliundè non poterat abijcere.] Atqui, mi homo, Dorotheum ſingularem teſtem non adduxit Bellarminus, ità enim nullus eſſet, ſed cum reliquis conſpirantem, ac ſentientem in hunc chorum inuexit. Porrò repudiandæ eius Synopſeos, tam multæ cauſæ fuerunt, & Baronio, & Bellarmino, ac reliquis, à quibus malè acceptus ſit hic Planus, vt hiſtoriæ planè rudem eſſe oporteat, qui his non aſſentiatur. Quare, non eſt, quòd in eius nugis expendendis immoremur, ſat fuerit in tuis refellendis tempus triuiſſe.

Rom. 16.

[Tertiò, inquit, Epiſcopatus Romanus Petri probatur ex illis, qui Romanum Pontificem Vicarium Petri nominauerunt. Symmachus in ſuo Apologetico, aduersùs Anaſtaſium Imperatorem ſic loquitur; An quia Imperator es, contrà Petri niteris poteſtatem? Et quia Petrum Alexandrinum recipis, beatum Petrum Apoſtolum, in ſuo qualicumque Vicario calcare contendis? Ennodius Diaconus Symmachi defenſor, beati Petri Apoſtoli Vicarium vocat Symmachum. Et Iuſtinus Imperator lætus fuit, quòd meruit temporibus ſuis Vicarium Petri Apoſtoli videre in regno ſuo Conſtantinopoli; nimirùm Ioannem primum. Ludouicus Imperator in quondam Diplomate ità loquitur. Ego Ludouicus Imperator Auguſtus ſtatuo, & concedo per hoc pactum confirmationis noſtræ, tibi B. Petro Principi Apoſtolorum, & pro te Vicario tuo Domino Paſchali ſummo Pontifici, &c. Tarraconenſis Prouinciæ Epiſcopi ad Hilarum Papam, ita ſcribunt; Beatiſſimi Petri ſingularis prædicatio vniuerſorum illuminationi proſpexit, cuius Vicarij Principatus, ſicut eminet, ità metuendus eſt ab omnibus, & amandus. Gelaſius Papa; Quantùm ad ſeculi poteſtatem, illa à Pontificibus, & præcipuè à beati Petri Vicario debet cognoſcere, quæ diuina ſunt. Et ad Anaſtaſium ſcribens; ſe Apoſtolicæ Sedis Vicarium vocat. Amator Epiſcopus ad Syluerium Papam, è ſede ſua iniuſtè pulſum, ità ſcribit; Quid enim putas de nobis fieri, Pater ſumme, cùm de ſummo Paſtore, & Vicario ſancti Petri, talia fiunt? Gregorius Apoſtolicam Sedem, ſe vice Petri aſſerit ſuſcipere gubernandam. Habet quoque idem formulam iuramenti, & profeſſionis fidei, quam tenebantur facere ij, qui à ſchiſmate ad Eccleſiam redirent: quæ ſic habet inter cætera; Ego ſpondeo atque promitto tibi, & per te ſancto Petro Apoſtolorum Principi, atque eius Vicario beatiſſimo Gregorio, & Succeſſoribus, &c. Simile fidelitatis iuramentum præſtitit Bonifacius Epiſcopus Germaniæ Gregorio Secundo, quod ſic habet; Ego Bonifacius Dei gratia Epiſcopus, tibi B. Petre Apoſtolorum Princeps, Vicarioque tuo Gregorio Papæ, & Succeſſoribus eius, &c. Idem Bonifacius ſcribens de Synodo à ſe habita, inter alia hæc habet: Decreuimus autem in noſtro Synodali conuentu, & confeſſi ſumus fidem Catholicam, in vnitatem, & ſubiectionem Romanæ Eccleſiæ, fine tenùs vitæ noſtræ, velle ſeruare ſancto Petro, & Vicario eius velle ſubijci, &c. Hadrianus Primus, Petro, inquit, Apoſtolo cura totius Eccleſiæ, & Principatus committitur; & ipſe vices ſuas Vicarijs ſuis Pontificibus relinquere dignoſcitur, Eccleſiæ curam gerendi. Anaſtaſius Bibliothecarius, de Spoletinorū deditione Sedi Apoſtolicæ agens, hæc ſcribit; In Eccleſia ſancti Petri omnes vnanimiter, à magno vſque ad paruum, ſub indiculo Sacramenti, iureiurando promiſere eidem Domno Apoſtolico, in ſeruitio eiuſdem, atque antedicti Vicarij ipſius, ſanctiſſimi Hadriani Papæ, atque omnium ſucceſſorum eius Pontificum, fideliter permanſuros. Et de Caroli Magni donatione idem Auctor, ità ſcribit: Adhortari (Pontifex) ſtuduit (Carolum) vt permiſſionem illam, quam eius ſanctæ memoriæ genitor Pipinus Rex, & ipſe præcellentiſſimus Carolus, cum ſuo germano Carolo, vnà cum omnibus Iudicibus Francorum fecerat B. Petro, & eius Vicario ſanctæ memoriæ D. Stephano iuniori Papæ, quando in Franciam perrexit pro concedendis diuerſis Ciuitatibus, ac territorijs iſtius Italiæ Prouinciæ, & contradendis B. Petro, & omnibus Vicarijs in perpetuum poſſidendis, adimpleret in omnibus. Et vbi narrat idem Anaſtaſius aduentum Papæ Leonis Tertij in Franciam, ait; Ipſe magnus Rex ei obuiauit, & ſicut B. Petri Apoſtoli Vicarium venerabiliter, & honorificè cum Hymnis, & Canticis ſpiritualibus eum ſuſcepit. Gregorius Quartus ad omnes Epiſcopos ſcribens ait: Contrà caput ergo nolite vos extollere, nolite beati Clauigeri Petri, cuius vice pro Chriſto legatione fungimur, ſedem, eiuſque Sedis auctoritatem ſpernere. Nicolaus I. ad Michaelem Imperatorem ità ſcribit; Nec in Vicarijs B. Petri Apoſtoli, vobis eſt attendendum, qui ſint. Eiuſdem quoque verba ſunt; Imperator Machæræ vſum, quamprimùm à Petri Principis Apoſtolorum Vicario contrà infideles accepit, non cogatur in Chriſti fideles conuertere. Gregorius Septimus, Per auctoritatem, inquit, quæ data eſt Apoſtolo Petro, per nos eiuſdem Vicarios, &c. Alexander II. vt loquitur Malmesburienſis, voluit, vt Lanfrancus Cantuarienſis ſancti Petri Vicarij veſtigijs aduolueretur. Et in Concilio quodam Anglicano eiuſdem temporis ponitur; Vis diuinæ liberalitatis per Dominum Ieſum, à B. Petro in Vicarium eius diffuſa. Bernardus ad Conradum Regem Romanorum, & ipſe ſcribit: Quam tamen ſententiam cupio vos, & omnimodis moneo cuſtodire, in exhibenda reuerentia ſummæ, & Apoſtolicæ Sedi, & B. Petri Vicario, ſicut ipſam vobis vultis ab vniuerſo ſeruari Imperio. Poſſent ſexcenta alia proferri teſtimonia veterum Scriptorum, in quibus Romanus Papa Vicarij potiùs, quàm ſucceſſoris Petri nomine inſigniatur. Sed hæc pauca ſufficiant.] Hic ſubit mirari, quibus rationibus adductus, tam diligentem, ac ſedulam operam poſuerit in recen-

Spalat. n. 4. Symm. in Apologet.

Enn. Diac. Apol pro Sym. to. 2. Côc. Anaſt. Biblioth. in Ioan. I. diſt. 63. cap.

Ego Ludouicus. Inter epiſt. Hilari.

Gelaſ. in Common. Id. epiſt. 10. Ante epiſt. Syluerij.

Greg. lib 2. ind. 10. epiſtol. 33.

Id. Gregor. l. 10. ind. 5. ep. 30.

Apud Bar. to. 9. an. 723. num. 14. Ib. an. 740. num. 6.

Adr. I. ep. 3.

Apud Baro. to. 9. an. 773. num. 13.

Ib. an. 774. num. 7.

Ib. an. 799. num. 8.

Greg. 4. ep. vn. tom. 2.

Nicol. ep. 8.

Id. ep. 26.

Greg. 7. l. I. ep. 68.

Apud Baro. to. 11. ann. 1071. n. 6. Ib. an. 1072. num. 6.

Ber. ep. 185.

recenſendis tot Scriptoribus, qui Pontificem *Petri Vicarium* indigitarint: Neque enim in toto albo aliquis apparet Symmacho antiquior, quem tamen conſtat nonniſi poſt annum quingenteſimum Eccleſiæ gubernacula tractaſſe; Sed cauſam aperit, de qua poſteà. Nobis primùm excutiendus eſt Cypriani locus, *Certè*, inquit, *Cyprianus generali aſſertione Epiſcopos omnes Apoſtolorum facit Vicarios, dum ait; Chriſtus dicit ad Apoſtolos, ac per hos ad omnes Præpoſitos, qui Apoſtolis Vicaria ordinatione ſuccedant, qui vos audit, me audit, &c.* Hìc ſi bene attendis, Marce Antoni, tuo te iugulas gladio; namque ſi omnes Epiſcopi, auctore Cypriano, *Vicarij ſunt Chriſti*, igitur & in numero quoque Vicariorum Chriſti, Pontifex Romanus eſt reponendus, niſi fortè etiam, & Epiſcopatus infulas ei detractas cupis? Igitur propriè, quod vrget Bellarminus, non eſt Vicarius Petri. *At*, inquit, *omnes Epiſcopi ſunt Vicarij Chriſti*; adde verò, ſi vis, iſtud, *Et omnes Presbyteri ſunt Vicarij Chriſti*; ſed vitioſè ſatis hinc colligis, igitur pari dignitate eſſe omnes cum Pontifice Romano; Dicuntur enim omnes Epiſcopi Vicarij Chriſti in priuatis ſuis Eccleſijs, ſed Pontifex in tota Eccleſia.

Vide Chronolog. Eod num. 4. Cypr. l. 4. ep. 10.

Spalat. n. 5.

Iam mentem ſuam aperit nobis; [Appoſui tibi lector, inquit, ſatis multa loca, in quibus priora ſæcula Romanum Pontificem libentiùs appellarunt Petri, quàm Chriſti Vicarium, aut Petri Succeſſorem, qui in ea Eccleſia, in qua Petrus laborando conquieuit; illius vices ſubit in labore: vt hinc priſcorum illorum ſanctorum Pontificum modeſtia elucceret. Baronius verò, & Bellarminus nauſeabundi, in hoc titulo Vicarij Petri, neſcio quam faſtidiunt improprietatem; dum alicubi ad marginem iſta notat Baronius: Sic vſurpatur impropriè vox illa Vicarius, vſu loquendi illius temporis, quòd loco Petri Chriſti Vicem Papa gerat in terris. Et Bellarminus; Impropriæ ſunt, inquit, illæ locutiones, & ſolùm ob reuerentiam B. Petri aliquando vſurpantur. At certè ſi in voce hac Vicarij eſſet hæc improprietas; non fuiſſet vox hæc adeò priſcis temporibus communis: ſed ideò Vicarij Petri dicebantur Romani Pontifices, quia ſe in locum Petri, hoc eſt, puri miniſtri, & ſerui, ſubſtitutos puros miniſtros, & ſeruos agnoſcebant. Nunc verò quia nudum hoc dedignantur miniſterium, non Petri, ſed Chriſti, immò Dei Vicarij, ſpecioſiſſimo titulo gloriantur.] Appoſuiſti ſatis multa loca ex media, ac etiam infima illa antiquitate, ſed priorum Eccleſiæ ſeculorum nullum proferre potuiſti, ex quo peruinceres; *Libentiùs multò vetuſtiſſimos Patres Pontifici nomen Vicarij Petri, quàm Vicarij Chriſti tribuiſſe*; quare cum ſummis viris Baronio, & Bellarmino, cogitandum tibi fuit, poſteriores Pontifices hunc titulum pro ſua ſumma modeſtia, vſurpaſſe, quòd Vicarij Chriſti, aut etiam ſucceſſores Petri, à cuius eximijs virtutibus, tam longè abeſſe ſe viri moderatiſſimi exiſtimarent, audire erubeſcerent, cùm tamen non neſcirent, & Vicarios Chriſti, & ſucceſſores Petri prioribus ſeculis appellatos fuiſſe Romanos Pontifices deceſſores ſuos.

Baro. to. 9. an. 740. n. 5. Bellarm. de Rom. Pont. l. 2, cap. 27.

Cæterùm præter illam animorum demiſſionem, & ratio illis fuit repudiandi illius tituli; Homines enim piiſſimi Petrum beato æuo fruentem tanquam ſuperſtitem, nec in mortuorum numero reſpondendum colebant, ac Eccleſiæ ſuæ gubernacula per ſe etiam tractantem venerabantur, vt hæc illis cauſa fuerit à nomine ſucceſſoris Petri abſtinendi, quippè cùm ſucceſſor in demortui locum ſufficiatur.

Attigit hanc rationem Petrus Rauennas epiſtola ad Eutychen: [In omnibus, inquit, hortamur te frater honorabilis, vt his, quæ à beatiſſimo Papa Romanæ Ciuitatis ſcripta ſunt, obedienter attendas, quoniam beatus Petrus, qui in propria Sede, & viuit, & præſidet, præſtat quærentibus fidei veritatem. Nos enim pro ſtudio pacis & fidei, extrà conſenſum Romanæ Ciuitatis Epiſcopi, cauſas audire non poſſumus. Incolumem tuam dilectionem Dominus tempore longiſſimo conſeruare dignetur, chariſſime, & honoratiſſime fili.] Propterea ſcilicet veteres, quæ eſſent à Pontificibus Romanis definita, ac ſtatuta, à Petro eſſe decreta, dictabant; Ità in Concilio ſexto Conſtantinopolitano Act. 8. Domitius Epiſcopus Pruſiados dixit: [Suggeſtiones directas à Patre noſtro Agathone ſanctiſſimo Archiepiſcopo Apoſtolicæ, & principalis Sedis antiquæ Romanæ, ad Imperat. tamquam ex Spiritu ſancto dictatis, per os ſancti, & beatiſſimi Principis Apoſtolorum Petri prædico, ſuſcipio, & amplector, ità credo, ità ſentio.]

Epiſt. Petri Rau. ad Eutych tom. 2. inter epiſt. præamb. in Conc. Chal.

Guillelmus Bibliothecarius in Hadriano II. recenſens imprecationes in libellum Photij pſeudo Patriarchæ Conſtantinopolitani, quem ſcripſerat aduerſùs Nicolaum I. Pontificem Romanum, editas, hanc memorat. *Te miniſter Chriſti Nicolaus, nouus Petrus, veritatis amator attriuit*. Hinc factum eſt, vt beati Petri velut in Sede Apoſtolica perpetuò ſedentis ſummi Pontifices Romani, non tàm ſucceſſores, quàm Vicarij dicti ſint à nonnullis. Hæc legitima eſt cauſa aſſumpti nominis *Vicarij Petri*, non illa, quam ſomniat Spalatenſis.

Inſurgit iam aduerſarius in Pontifices ſe Chriſti Vicarios pronunciantes: [At certè, inquit, ſi in voce hac Vicarij eſſet hæc improprietas; non fuiſſet vox hæc adeò priſcis temporibus communis; ſed ideò Vicarij Petri dicebantur Romani Pontifices, quia ſe in locum Petri, hoc eſt, puri miniſtri, & ſerui, ſubſtitutos puros miniſtros, & ſeruos agnoſcebant. Nunc verò, quia nudum hoc dedignantur miniſterium, non Petri, ſed Chriſti, immò Dei Vicarij, ſpecioſiſſimo titulo gloriantur.] At certè mira eſt hæc eius peruicacia, & inconſtantia; Suprà, auctoritate Cypriani vrgebat, omnes omninò Epiſcopos Vicarios eſſe Chriſti, hìc verò typho tribuit, quòd hoc titulo Pontifices inſigniantur.

Eod. num. 5. in fin.

[At fanè, inquit, Petrus Epiſcopos humillimis verbis compellat, & obſecrat dicens; Præsbyteros ego Compresbyter obſecro, Paſcite, qui in vobis eſt, gregem Dei. Vnus verò ex Petri non antiquis Vicarijs, hoc pacto loquitur: Cæterùm attendentes, quòd nos Dominus, licèt immeritos, in ſede iuſtitiæ collocauerit, & Vicarios ſui, & Apoſtolorum Principis conſtituerit ſucceſſores; ne videamur accceptorum beneficiorum ingrati, ſi ei qui

Spalat. n. 6. 1. Pet. 5. Innoc. 3. l. 2. epiſt. 188.

qui nos de puluere ſuſcitatos, inter Principes, immo ſupra Principes, ſedere voluit, & de Principibus iudicare, hominem præferamus,

Id. l. 2 epiſt. 193.

&c. Et idem aliam ità epiſtolam exorditur: Apoſtolica Sedes, quæ, diſponente Domino, inter omnes Eccleſias obtinet Principatum, alios vocauit in partem ſollicitudinis, retenta ſibi plenitudine poteſtatis, vt quoniam Romanus Pontifex, pro defectu conditionis humanæ, per ſe ipſum omnia expedire non poteſt; iuuetur ſubſidijs aliorum, quibus vices ſuas committit, ad exemplum Domini, & Magiſtri, qui Diſcipulos ſuos per Mundum vniuerſum tranſmiſit. Hoc ſanè eſt non eſſe Vicarium Petti, ſed alium penè Chriſtum, addit, cui ſe exæquat; & iam vult inſtar Chriſti, mittere Diſcipulos ſuos, qui non Chriſti, ſed ipſius loco, & vice, iniuncta ab ipſo obeant miniſteria: Quippè qui non ampliùs diuina, ſed propria, propriæ auctoritatis inſtitutione, plenitudinem poteſtatis ſibi ipſemet reſeruauit, & Epiſcopis quantum ipſe voluit, aſſignauit. Quis non tantò typho ſcandalizetur?] Fatemur, neminem magis modeſtiam dicere, quàm ſummum Eccleſiæ Paſtorem, & Vicarium Chriſti ſeruatoris, cuius ſit illud, *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Quare, Pontifex ſe *Seruum ſeruorum Dei* deprædicat, quod aliquantò modeſtiùs eſt, quàm ſe ſolùm Compresbyterum dixiſſe; Cæterùm quod attinet ad locum Petri; ſummus Apoſtolus ſe

Epiſt. 85.

Compresbyterum, hoc eſt, vt interpretatur Hieronymus Coepiſcopum vocat, vt Chriſtianæ modeſtiæ, atque Apoſtolicæ humilitatis exemplum præbeat, cùm tamen iure poſſet ſe Epiſcopum Epiſcoporum, & Eccleſiæ Principem appellare, quippè cui à Domino dictum ſit, *Paſce oues meas*, *Paſce agnos meos*; Et huius quoque exemplo Petri Succeſſores, tametſi ſuum agnoſcant in vniuerſam Eccleſiam Principatum, meritò tamen cæteros inferiores Epiſcopos fratres, & Coepiſcopos nominant; Et quidem tum Petrum, tum Petri ſucceſſores, cùm ità loquuntur, *poteſtatem ordinis, & dignitatem characteris*, quæ par omninò ſit in omnibus Epiſcopis, non verò *amplitudinem iuriſdictionis*, quæ ſuis gradibus diſtinguitur, ſpectant.

Non pugnat verò cum ea modeſtia, & humilitate Apoſtolica, tàm acerbè exagitata Innocentij ſententia, qua ſe *Vicarium Chriſti* indigitat, ſiquidem, vt alicubi loquitur Auguſtinus, *non eſt iſta gloriatio elati, ſed confeſſio non ingrati;* qua *ſuo fonti*, vt verbis vtar Bernardi, *illa gratia refunditur, atque ſuæ redditur origini.* Immeritò igitur Spalatenſis tantum Pontificem vexat, ſuperbiæ poſtulat, ac quaſi typho turgentem, & inſolentiùs ſeſe efferentem, immaniter traducit.

Spalat. n. 7.

Pergit verò, eſſe ſibi ipſi moleſtus; [Quartò, inquit, idem Petri Epiſcopatus probatur ex ijs, qui aſſerunt, Pettum Romanam fundaſſe Eccleſiam; ſua nimirùm prædicatione, cum Romanorum ad fidem conuerſione. Iræneus, Caius, Dionyſius Corinthius, viri antiquiſſimi id fatentur, & alij multi: ſed ſimul cum Paulo Pettum faciunt Romanæ Eccleſiæ fundatorem, infrà num. 10. Chryſoſto-

Chryſoſt. in Pſalm. 8.

mus, Piſcator Petrus, inquit, quoniam Ciuitatem maximè regiam occupauit, etiam poſt mortem reſplendet Sole clariùs. Paulus Oroſius: Exordio, inquit, Regni Claudij, Petrus Apoſtolus Domini noſtri Ieſu Chriſti Romam venit, & ſalutarem cunctis fidem fideli verbo docuit, potentiſſimiſque virtutibus approbauit; atq; exindè Chriſtiani Romæ

Leo ſerm. 1. de Natal. Apoſt. Pet. & Paul.

eſſe cœperunt. Leo; Cùm Apoſtoli imbuendum Euangelio mundum, diſtributis ſibi terrarum partibus, ſuſcepiſſent, beatiſſimus Petrus Princeps Apoſtolici ordinis ad arcem Roma-

Leo ep. 66.

ni deſtinatur Imperij. Et ad Antiochenum Epiſcopum ſcribens ait: Oportet te meminiſſe doctrinæ, quam præcipuus Apoſtolorum omnium beatiſſimus Petrus, per totum Mundum quidem vniformi prædicatione, ſed ſpeciali Magiſterio, in Antiochena, & Romana

Theodor. in c. 1. ad Rom. C. de ſum. Trin. & fid. Cathol. lib. Cunct. populos.

Vrbe fundauit. Theodoretus: Primus, inquit, eis, hoc eſt, Romanis, Magnus Petrus doctrinam Euangelicam præbuit. Theodoſius Imperator; Cunctos, inquit, populos, quos clementiæ noſtræ regit Imperium, in tali volumus Religione verſari, quam beatum Petrum Apoſtolum tradidiſſe Romanis, Religio vſque adhùc inſinuata declarat. Ex his omnibus ſatis euidens relinqui videtur, Pettum fuiſſe Romanæ Vrbis Epiſcopum, & fundatorem, Romæque tandem celebri Martyrio vita functum.] Hæc magna ſunt veritatis præſidia, & credo, iudicat æquus lector neminem, niſi perfrictæ frontis poſſe his obluctari: Obluctatur tamen, ac vehementiùs contra Patres nititur Spalatenſis.

Spalat. n. 8.

[Nihilominùs, inquit, his omnibus adhùc ſtantibus, & nil obſtantibus, illud eſt firmiter aſſerrendum, Petrum ità fuiſſe Romanæ Eccleſiæ Epiſcopum, vt tamen nulla alia peculiari ratione in ea Vrbe Epiſcopatum

Sup. l. 1. c. 8. n. 5. & c. 10. num. 21.

tenuerit, niſi ratione ſui Apoſtolatus. Docuit enim libro primo, & Petrum, & vnumquemque aliorum Apoſtolorum, ex vi Apoſtolatus, fuiſſe Epiſcopum in habitu totius Orbis; in actu verò, & Pettum, & Apoſtolorum quemlibet fuiſſe Epiſcopum illius tantùm loci fidelium, in quo quiſque eorum actu Apoſtolicum munus exercuerit. Quamdiù ergo Petrus Antiochiæ prædicauit, ſi tamen ibi prædicauit, fuit actu Antiochenus Epiſcopus: & quamdiù Romæ euangelizauit, fuit actu Romanus Epiſcopus. Propterea etiam Paulus, quamdiù Romæ prædicauit, fuit & ipſe Epiſcopus Romanus, nihil minùs, quàm Petrus: quia vterque erat æquè plenè Epiſcopus. Etſi vterque Romæ reſidebat, & Romæ vterque Martyr effectus eſt, vterque proculdubiò æquè dicetur Cathedram Epiſcopalem Romæ habuiſſe, & in Epiſcopatu Romano eſſe defunctus. Idem dico de Ioanne, qui, ſi & ipſe aliquamdiù Romanis prædicauit, vt refert Tertullianus, etiam ipſe eo tempore fuit actu Epiſcopus Romanus. Sanè Petrus, & quicumque Apoſtolus tunc dicitur, Cathedram aliquam collocare, ſeu alicubi inſtituere, cùm non modò alicubi prædicauerit actu, ſed etiam ibi cenſuerit, vnum aliquem Paſtorem cum Apoſtolica auctoritate eſſe deputandum; quem Epiſcopum appellamus. Quinimò etiamſi Apoſtolus alicubi non prædicauerit, nec ipſemet eò fidem detulerit, nec eò ſedem ibi fixurus acceſſerit, ſed aliquem ex Diſcipulis cum dicta Apoſtolica auctoritate miſerit, tunc ille Apoſtolus Sedem ibi, ſeu Cathedram Epiſcopalem erexiſſe erit

di-

dicendus. Sed maximè propriè Apoſtolica illa Sedes vocabitur, in qua Apoſtolus ipſe diutiùs, vt docui libro præcedenti, ſederit. Potuit igitur contingere, & ità de facto contigiſſe mihi non eſt dubium, vt Petrus, qui poterat Apoſtolicum munus per totum Orbem, vbicunque ei placuiſſet, ſuo acceſſu exercere, viſo fructu magno, qui ex cultura Eccleſiæ Romanæ ſperabatur, ſeſe eidem Eccleſiæ ſponte tandem, occaſione debellandi Simonis Magi, vt inferiùs patebit, manciparit; ità vt voluerit, Apoſtolicam exercendo auctoritatem in illa Eccleſia exactiùs, & diutiùs laborare. Idem prorsùs puto etiam Paulo Romam ſimiliter à Deo deſtinato contigiſſe. Idem Ioanni, qui ſeſe pari ratione Eccleſiæ Epheſinæ applicauerit; cùm tamen, & ipſe non minùs, quàm Petrus, eſſet in habitu totius Orbis Epiſcopus. Sic cæteros Apoſtolos inter ſe Prouincias diuiſiſſe, aſſerunt multi, & meritò; Mundus enim magnus eſt, & vnus non poteſt vbique ſupplere; ideòque non vnus, ſed duodecim fuerunt à Chriſto Apoſtoli electi. Et quia omnibus dictum eſt
Matth. 16. à Chriſto; Euntes in mundum vniuerſum, prędicate Euangelium omni creaturæ; ideò quilibet eorum erat in habitu Epiſcopus vniuerſi Mundi; actu verò, nonniſi illius loci, in quo prædicabat, & Eccleſiaſtica adminiſtrabar.]

Reſpondeo verò, Apoſtolos, quamquam Orbis terræ Prouincias ſortione ſibi quiſque ſuas delegiſſent, fas tamen omnibus fuiſſe vbique locorum, & gentium Apoſtolica obire munia, & non ſolùm Euangelium promulgare, & Sacramenta miniſtrare, ſed etiam ſontes plectere, quod Pauli exemplo probauimus, & leges condere, quæ ad omnes omninò gentes pertinerent: Sic enim, verbi gratia, Iacobus Hieroſolymis agens, ac etiam Cathedram obtinens, legem ſacramenti Vnctionis a Chriſto proculdubiò inſtituti, promulgauit, qua omnes omninò Eccleſiæ tenerentur. Erant ſiquidem illi earum gentium, & Eccleſiarum, quibus ſe applicabant, & in quibus excolendis operam ſuam ponebant, Epiſcopi, & Antiſtites cum quadam eminentia, ac præſtantia poteſtatis Apoſtolicæ, quæ ad omnes omninò Eccleſias, & gentes ſe funderet. Igitur quamquam ſinguli certas, ac conſtitutas ſedes ſibi, atque Eccleſias priuatim erudiendas, inſtituendaſque ſumpſiſſent, eorum tamen auctoritas latiùs diffuſa haud quaquam, tàm anguſtis terminis continebatur. Vt ergo egerit Romæ Epiſcopum Petrus, & egerit Paulus, vt egerit etiam Ioannes, quod tamen gratis, & ſine fundamento dicitur, interim eorum poteſtas latiùs ſe fundebat, ac totum etiam terrarum Orbem complectebatur.

Quod verò addit Spalatenſis, *fuiſſe actu Epiſcopos eorum locorum, quibus ſe addicerent, poteſtate verò Epiſcopos totius Orbis*, merę ſunt ludificationes; Namque poteſtas Epiſcopalis, non ſolùm actu eſt, cùm ſe exerit, aliàs Epiſcopus, nonniſi eius partis ſuæ Diœceſis, cui ſuam operam actu impenderet, Epiſcopus eſſet, verùm etiam quamdiù vnà cum charactere perſeuerat facultas vtendi; etiam in illis locis, in quibus actu non vtitur, actu eſt Epiſcopus. Aliud enim eſt *Poteſtas*, ſi benè attendis, *aliud Executio poteſtatis*: Executio actum depoſcit; Poteſtas facultatem ſonat. Igitur vt hic alios miſſos faciamus, cùm Petrus Romanam Eccleſiam regendam, nedùm extraordinario iure, quod Paulo fas fuit, ſed planè ordinario ſumpſit eius Eccleſiæ, ac totius Orbis ſe Epiſcopum præbuit, nixus ſcilicet ampliſſima illa poteſtate, quam Chriſtus ſummo Apoſtolo illis Verbis, *Paſce oues meas*, eſt largitus. Quòd autem Patres etiam Paulum Vrbis Romæ Epiſcopum faciunt, hac ratione faciunt, quòd Epiſcopalia munera Romæ exercuerit prædicando ſcilicet, commonefaciendo, & ad pietatem adhortando, non vero quòd ibi ſedem fixerit. Et vt fixiſſet, haud ad illum reuocanda fuiſſet eius Epiſcopatus inſtitutio, cùm Petrum certè Pauli ſuperiorem haberet ſuæ dignitatis aſſertorem, & auctorem. Propterea ſcilicet, qui Eccleſię Romanæ ordinem texunt, & ſeriem, non infrequenter ab vno Petro ordiuntur.

Sic Auguſtinus: [Si ordo, inquit, Epiſcoporum ſibi ſuccedentium conſideratus eſt, quantò certiùs, & verè ſalubriter ab ipſo Petro numeramus, cui totius Eccleſiæ figuram gerenti Dominus ait: Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. Petro enim ſucceſſit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Euariſtus, Euariſto Alexander, Alexandro Sixtus, Sixto Theleſphorus, Theleſphoro Iginius, Iginio Anicetus, Aniceto Pius, Pio Soter, Soteri Eleutherius, Eleutherio Victor, Victori Zepherinus, Zepherino Calixtus, Calixto Vrbanus, Vrbano Pontianus, Pontiano Antherus, Anthero Fabianus, Fabiano Cornelius, Cornelio Lucius, Lucio Stephanus, Stephano Xiſtus, Xiſto Dionyſius, Dionyſio Felix, Felici Eurychianus, Eurychiano Gaius, Gaio Marcellinus, Marcellino Marcellus, Marcello Euſebius, Euſebio Melchiades, Melchiadi Siluester, Silueſtro Marcus, Marco Iulius, Iulio Liberius, Liberio Damaſus, Damaſo Siricius, Siricio Anaſtaſius; in hoc ordine ſucceſſionis nullus Donatiſta Epiſcopus inuenitur. Sed ex tranſuerſo ex Africa ordinatum miſerunt, qui paucis Præſidens Afris in Vrbe Roma Montenſium, vel Cutzupitarum vocabulum propagauit. In illum autem ordinem Epiſcoporum, qui ducitur ab ipſo Petro vſque ad Anaſtaſium, qui nunc eandem Cathedram ſedet, etiamſi quiſquam traditor per illa tempora ſurrepſiſſet, nihil præiudicaret Eccleſiæ, & innocentibus Chriſtianis, quibus Dominus prouidens, ait de propoſitis malis: Quæ dicunt facite, &c.]

Et alibi: [Venite fratres, inquit, ſi vultis, vt inſeramini in vite. Dolor eſt, cùm vos videmus præciſos ità iacere. Numerate Sacerdotes, vel ab ipſa Petri ſede, & in ordine illo Patrum, quis cui ſucceſſit videte. Ipſa eſt Petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ.]

Et rursùs: [Vt ergo omittam, inquit, ſapientiam, quam in Eccleſia eſſe Catholica non creditis, multa ſunt alia, quæ in eius gremio me iuſtiſſimè teneant. Tenet conſenſio populorum, atque gentium, tenet auctoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata. Tenet ab ipſa Sede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oues ſuas poſt reſurrectionem Dominus commendauit, vſ-

que

que ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio Sacerdotum. Tenet poſtremò ipſum Catholicæ nomen, quod non ſine cauſa inter tam multas hæreſes ſic iſta Eccleſia ſola obtinuit, vt cùm omnes Hæretici ſe Catholicos dici velint: quærenti tamen peregrino alicui. vel ad Catholicam conueniatur, nullus Hæreticorum, vel baſilicam ſuam, vel domum audeat oſtendere.]

[Negare non potes (inquit Optatus) ſcire te in Vrbe Roma Petro primò Cathedram Epiſcopalem eſſe collatam: in qua ſederit omnium Apoſtolorum caput Petrus, vndè & Cephas appellatus eſt; in quo vna Cathedra, vnitas ab omnibus ſeruaretur, ne cæteri Apoſtoli ſingulas ſibi quiſque defenderent; & vt iam ſchiſmaticus eſſet, qui contra ſingularem Cathedram alteram collocaret. Ergo Cathedra vnica, quæ eſt prima de dotibus, ſedit prior Petrus, cui ſucceſſit Linus, Lino ſucceſſit Clemens, Clementi Anacletus, &c. Liberio Damaſus, Damaſo Siricius, hodiè, qui noſter eſt ſocius: cùm quo nobis totus Orbis commercio formatarum, in vna communionis ſocietate concordat.]

Ita igitur factum puta, Paulus Epiſcopales functiones modò ſupradicto Romæ exercuit, cùm id ei ratione ſui Apoſtolatus vbivis gentium præſtare liceret, nec tamen in ſerie Epiſcoporum Romanorum, niſi valdè impropriè ponitur, quòd ſcilicet vnius Vrbis duo eſſe Epiſcopi non debuerunt, & quòd eam Cathedram prior occupaſſet Petrus, cuius in æuum eſſet duraturus Magiſtratus, & ad poſteros ex vi legis à Chriſto præſtitutæ deriuandus, cùm contra ipſius Pauli Apoſtolatus, intereunte Apoſtolo, eſſet obliterandus.

Spalat. n.9. Sed pro Paulo acriùs iàm dimicat aduerſarius: Si, inquit, fundatio Romanæ Eccleſiæ ſpectetur, eam aut magis, aut non minùs Paulo deberi, quàm Petro affirmamus: par enim fuit, vt Ciuitas, quæ erat caput gentium, à Doctore gentium primùm inſtitueretur.]

Hæc primùm contra Patres dicuntur, qui primam Romanorum conuerſionem Petro tribuunt, & prætereà ſunt in illis multa, & futilitatis, & ignorationis plena Namque quod contendit, par fuiſſe, vt Apoſtolus Gentium Romam Gentium caput inſtitueret, cum ipſo Paulo primùm pugnat, qui diſertis verbis, antè viſam ſibi Romam, in fide Chri-
Rom. 1. ſti inſtitutos fuiſſe Romanos ſignificat, qua de re videro infrà. Demùm nedùm Gentium, verùm etiam Iudæorum caput eſſe cœperat Roma, vt non ſolùm ex prophanis hiſtorijs, ſed etiam ex Euangelio habetur. Ac tertiò, vt Petrus circumciſionis, hoc eſt Iudæorum Apoſtolus fuerit, tamen Euangelij oſtium primus gentibus ipſe aperuit, inſtituto, ac baptizato Cornelio Centurione Romano, quem non ineptè & Vrbis, & Gentium *primitias* dixeris, à magno Apoſtolo Chriſto ſacratas.

Neque verò loca à Spalatenſi prolata Paulo hanc gloriam aſſerunt, aut Petro de-
Eodem n 9. Act.19. trahunt. Audiamus illum ea perturbatiſſimè recenſentem: [De Paulo, inquit, habemus, quàm anxius fuerit de Romanorum conuerſione. Audi: his autem expletis, propoſuit Paulus in ſpiritu, tranſita Macedonia, & Achaia, ire Hieroſolymam, dicens: Quoniam poſtquam fuero ibi, oportet me & Romam videre. Cur verò tam ſollicitus eſt de videnda Roma, ſi iam Romæ erat Petrus, vt noſtri volunt? Et certa eſt illa reuelatio Chriſti: Conſtans eſto, ſicut enim teſtificatus es de me Act.13.
in Hieruſalem, ſic te oportet & Romæ teſtificari. Quod & præſtitit Iudæis, ac Gentibus Romæ euangelizans. De Petro nihil Scrip- Act. vlt.
tura dicit, quod ſpectet ad Romanorum conuerſionem, & tamen diligentiſſimè de ipſo loquuntur & Euangelia, & Acta Apoſtolorum.]

Falſum ſumit, ſcilicet Paulum de Romanorum conuerſione fuiſſe ſollicitum. Apprimè enim nouerat eos iam in fide inſtitutos, quod Chryſoſtomus tradit. Sed idcircò de Roma videnda cogitabat, vt ſcilicet aliquid *gratiæ ſpiritalis impertiret Romanis ad eos con-* In 1.cap.ep. ad Rom.
firmandos, quorum iam fides annunciaretur in vniuerſo Mundo. Hoc enim de ſe Paulus in epiſtola ad Romanos antè illum ſuum in Vrbem aduentum ſcripta, & Romam miſſa, & illo quidem credo tempore, quo animo deſtinauit, luſtrata Hieroſolyma, Romam ſe con- Rom.1.v.9. & ſeqq.
ferre profitetur: [Sine intermiſſione, inquit, memoriam veſtri facio ſemper in orationibus meis; obſecrans, ſi quo modo tandem aliquando proſperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos. Deſidero enim videre vos, vt aliquid impertiar vobis gratiæ ſpiritualis ad confirmandos vos; ideſt ſimul conſolari in vobis, per eam, quæ inuicem eſt, fidem veſtram, atque meam.]

Ad quem locum ità Theodoretus: [Quia primus eis magnus Petrus doctrinam Euangelicam præbuit, neceſsariò intulit: Ad confirmandos vos. Non aliam, inquit, doctrinam affero; ſed eam, quæ iam oblata eſt confirmare, & arbores iam plantatas irrigare volo.]

Quid clariùs dici potuit? Quod autem quærit, *cur Paulus tam ſollicitus ſit de videnda Roma, ſi iam Romæ erat Petrus?* Quàm ſit acuto ingenio prodit, quaſi verò, quod in Hieroſolymitana Pauli profectione contigit inuiſendi Petri deſiderium, faces addere Paulo non potuerit, vt Romam, quò ille ageret, proficiſceretur? Sed & Apoſtolus veram, & legitimam cauſam eius, quod in optatis haberet, ità clarè expreſſerat, vt ineptiſſimis in- Roman. 1. verſ.10.
terrogatiunculis locus non eſſet relictus; *Vt*, inquit, *aliquid impertiar vobis gratiæ ſpiritualis ad confirmandos vos, &c.* Hoc eſt: Cauſa tanti, tamque flagrantis deſiderij mei, eſt, inquit, vt ſupra ea, quæ iam accepiſtis, aliquid adhuc donorum, ſeu gratiarum ſpiritualium vobis per meum miniſterium impertiar. Igitur Paulus, cùm Romanorum fides totum Orbem iam peruaſiſſet, ſummis precibus à Deo prætereà contendebat, vt tandem aliquando ad eos proſperè veniendi poteſtatem ei faceret, vt ſcilicet illos in fide ſuſcepta confirmaret.

In poſteriore etiam loco Actorum nihil eſt, quod dogma Spalatenſis fulciat: Teſtificatus eſt Romæ de Chriſto Paulus; teſtificatus eſt Hieroſolymis; ſed neutro loco prior teſtificatus eſt; neque iſtud præſtitiſse, ex verbis Chriſti collegeris, quibus illud tantùm ſigni-

ſignificatur, non ſecùs,ac Hieroſolymis, Romæ etiam teſtimonium redditutum Chriſto. Oſtendat igitur aduerſarius, Paulum primùm Hieroſolymis concionatum, vt Iudęos doceret, & negotium totum conſecerit, remque abſoluerit: [At, inquit, Paulus ſcribens ad Romanos ſic ait: Græcis, & Barbaris, ſapientibus, & inſipientibus debitor ſum; itá quod in me promptum eſt, & vobis, qui Romæ eſtis, euangelizare. Vt veniam ad vos in gaudio per voluntatem Dei, vt refrigeter vobiſcum.] Neque verò rurſùs iſta probant, Paulum Petrum anteuertiſſe; ac primùm Euangelium Romanos docuiſſe: *In promptu eſſe ſibi his,quoque, qui Romę eſſent,Euangelium prædicare*, dicit. Sed antè Petrum ſe id effecturum, minimè dicit.

Verùm ſe in diſputando valdè acutum probat Spalatenſis. Quia enim peritia, aut ſagacitate ab *auctoritate negatiua*, vt vocant, ducitur argumentum? Certè vnus extat liber Actorum Apoſtolicorum à Luca conſcriptus, de quo non dubitauit Hieronymus pronunciare multa ab auctore prætermiſſa, quæ etiam ad Pauli hiſtoriam pertinsrent; ſolueus enim obiectionem eorum, qui, vt Petrum à Paulo numquam reprehenſum probarent, contendebant, nuſquam viſum Paulo Antiochiæ Petrum, quòd Lucas hiſtoriæ Apoſtolicæ ſcriptor, eius rei non meminiſſet, ſic habet: [Nec mirùm, inquit, eſt, ſi Lucas hanc rem tacuerit, cùm & alia multa, quæ Paulus ſuſtinuiſſe ſe replicat, hiſtoriographi licentia prætermiſerit, & non ſtatim eſſe contrarium, ſi quod aliud ob cauſam dignum putauit relatu, alius inter cætera dereliquit. Denique primum Epiſcopum Antiochenæ Eccleſiæ Petrum fuiſſe accepimus, & Romam exindè translatum, quod Lucas penitùs omiſit.] Quid igitur mirùm, omiſſas ab eo peregrinationes Petri,& in his Romanam? Addo verò, ex Scriptura non obſcurè colligi,Petrum Romæ aliquando fuiſſe, conſtare verò ex probatiſſimis quibuſque hiſtorijs Eccleſiaſticis, longè antequam Romam ſe reciperet Paulus occaſione ſuorum vinculorum, ibidem & egiſſe, & Euangelsum prædicaſse. Quod enim ad Scripturam attinet, Petrum Romæ fuiſſe, ex prioris ipſius epiſtolæ verbis colligunt veteres: [Salutat vos, inquit, Eccleſia, quæ eſt in Babylone coelecta, & Marcus filius meus.] Nomine enim Babylonis Romam intellexiſſe, ac occultè indicaſſe Patres docent.

Itá enim Papias apud Euſebium: [Conſtat portò, inquit, Petrum Marci mentionem facere io priore epiſtolæ, quam Romæ texuiſſs dicitur, quam quidem epiſtolam ibi præſcriptam oſtendit, dum Ciuitatem illam verbi translatione Babylonem appellat hoc modo: Salutat vos Eccleſia noſtræ electionis conſors,quæ eſt in Babylone,& Marcus filius meus.]

Eodem planè modo ſentit Hieronymus: [Petrus, ait, in epiſtola prima ſub nomine Babylonis figuraliter Romam ſignificans: Salutat, inquit, vos Eccleſia, quæ eſt in Babylone coelecta.] Similia ſcribit alijs locis.

Idem ſcribit Oecumenius: [Babylonem autem, ait, Romam vocat, ob excellentiam Imperij, & claritatem, id quod olim multo tempore Babylon obtinuit.]

Similiter Beda in eandem epiſtolam: [Romam, inquit, vocat Babylonem propter confuſionem multiplicis idololatrię, in cuius medio ſancta Eccleſia adhuc rudis, & parua iam fulgebat.]

Et aliquantò poſt: [Et benè, ait, dum auditores hortatur ad patientiam aduerſitatum præſentium dicit Eccleſiam, quæ ſecum eſt in Babilone, conſtitutam, ideſt, in confuſione tribulationum, quia ſancta Dei Ciuitas à permixtione, & preſſura Diaboli non poteſt eſse immunis.]

Neque verò teſtibus nobis opus eſt, cùm confitentem Spalatenſem habeamus, Babylonem namque Romam in ſequentibus interpretatur, Scio quàm contumelioſè, ſed ſuo loco calumniam refellemus, & os impuriſſimum, ac ſceleſtiſſimum obſtruemus. Interim à Petro Romam *Babylonem* vocatam accipimus, in qua ſcilicet cùm Catholicam illam epiſtolam ad omnes omninò Fideles ſcriberet, eſſetque iam ipſius opera coelecta (collectam tamen legunt alij, fauente Græco textu) Eccleſia, cuius nomine ſalutem dicit reliquis Chriſtianæ pietatis cultoribus. Cur autem,mutato Vrbis nomine, Babylonem pro Roma ſcripſerit, cauſam hanc eſſe, volunt viri docti, quod ſcilicet Chriſtianorum, qui Romæ eſſent, ſaluti, atque incolumitati conſultum cuperet, ne ſi fortè hæc epiſtola ad Gentilium manus perueniret, intelligerent illi Romæ, non paucos Chriſto nomina dediſſe, quod erat tum Senatui, tum Romano Principi, non ſolùm moleſtum, ſed planè exoſum. Non eſſe autem audiendos Nouatores, qui nomine Babylonis in loco Petri Vrbem intel- Bened. Iuſt.
ligunt, quæ eſt apud Aſſyrios, vel oppidulum Explan. c. 5.
in Ægypto, inuictiſſimis rationibus oſtendit 1. Petri.
Iuſtinianus. Meritò igitur noſtri ex eo loco probant, Petrum Romæ fuiſſe, & hanc epiſtolam Romæ ſcripſiſſe. Habemus igitur ex Scriptura Petrum Romæ fuiſſe.

Docuiſſe autem Romæ Petrum ante- N. 7. Spalat
quam Paulus eò profectus eſſet,vel quicquam Eod. num. 9
de Chriſto audiſſent Romani, docent Patres Rom. 16.
ſupra ab ipſo etiam Spalatenſi citati. Videamus ſequentia: [Certè fidem Romanorum, inquit, ac Euangelium à Paulo accepta eſſe, ipſemet teſtatur, dicens: Ei autem, qui potens eſt confirmare, iuxta Euangelium meum, & prædicationem Ieſu Chriſti, ſecundùm reuelationem myſterij, &c.]

Sed perperàm Spalatenſis hunc locum de Euangelio, quod Paulus prædicaſſet Romanis, interpretatur, Euangelium ſuum dicit, quod per omnes Orbis terrarum oras ſpargeret, ac diſſeminaret, quodque eximia illa epiſtola complexus eſſet, cuius ſumma erat; *iuſtificari homines ex Chriſti fide*. Neque enim tum cùm hoc ſcriberet, Romam ali-
quando inuiſiſſe, illa eiuſdem epiſtolæ verba Rom. 15.
indicant: [Propter quod, inquit Paulus, & impediar plurimùm venire ad vos, & prohibitus ſum vſque adhùc. Nunc verò vlteriùs locum non habens in his regionibus, cupiditatem autē habens veniendi ad vos,ex multis iam præcedentibus annis, cùm in Hiſpaniam proficiſci cœpero, ſpero,quòd præteriens, videam vos, & à vobis deducar illuc, ſi vobis

pri-

primùm ex parte fruitus fuero.] Significat enim Paulus ſibi ſæpè fuiſſe in animo Romam proficiſci; ſed hactenùs per multas occupationes, quibus deſtineretur, non licuiſſe.

Eod.num.9. Excipit Spalatenſis: [Non quòd, inquit, ipſe perſonaliter id tunc iam præſtiterit, quando hæc ſcribebat; ſed quia id per ſuos diſcipulos primùm præſtiterit, nàm & nouit multos de nomine, & eos ſalutat, præſertim Priſcam, & Aquilam; quos adiutores ſuos in Chriſto Ieſu vocat. Et Andronicum,

Rom.vlt. & Iuniam ſalutat cognatos ſuos, & nobiles in Apoſtolis. Et præſtiturus erat, vt perficeret, quod per diſcipulos inchoauerat.]

Quos ad finem epiſtolæ ad Romanos recenſet Paulus, quoſque ſaluere iubet, hos Paulo à diſciplina fuiſſe, ægrè probauerit Spalatenſis. Certè ex nomine Andronicum, & Iuniam recenſet, ac antè ſe Chriſto militaſſe ſcribit, vt proindè eius diſcipuli eſſe non potuerint. De Priſca etiam, & Aquila ne coniecturis quidem locus eſt; etenim cùm primùm Corinthi eos offendit, ac cum eis ſe coniunxit, iam Chriſto nomen dederant, atque Roma à Claudio pulſi in eam Ciuitatem ſe receperant. Demus verò & Pauli fuiſſe diſcipulos, & Romæ prædicaſſe; an propterea conſtat, eos prima ſurgentis illius Eccleſiæ fundamenta ieciſſe, nec verò cum Petro non pœnitendo duce ſuam operam coniunxiſſe? An erat aliquid, quod prohiberet Pauli diſcipulos Petro ſe adiungere, ac eo auctore, ac duce Euangelio Chriſti ferendo operam nauare? Nugæ.

Spalat. n.9. Sed vrget Spalatenſis locum ex epiſtola ad Timotheum: [Scribens, inquit, poſteà ſecundam ad Timotheum epiſtolam, vt videtur, Roma, ſic loquitur: In prima mea defenſione, nemo mihi affuit; ſed omnes me dereliquerunt: non illis imputetur. Dominus autem mihi aſtitit, & confortauit me, vt per me prædicatio compleatur, & audiant omnes

Act.28. gentes, & liberatus ſum de ore Leonis. Vbi, ſecundùm Chryſoſtomum, & alios, per Leonem intelligit Neronem; à quo tantiſper liberatus, Romanæ Eccleſiæ fundandæ egregiam nauauit operam. Et hæc eſt illa prędicatio, vt audiant, inquit, omnes gentes. Quia cùm Roma eſſet caput omnium gentium, indè facilè fides in omnes gentes erat penetratura. Vnde Ambroſius de Paulo hæc ait: Scribit Romanis (hi enim caput ſunt omnium gentium, vt in his diſcant cæteri) arguens, &c. Et poſtea idem Ambroſius: Præterea, inquit, maius gaudium eſt, ſi potentes Mundi conuertantur ad Deum, quia quantò inimici graues ſunt, tantò magis reconciliant neceſſarij. Et multò plura (vt videbimus infrà capite 3.) in hoc genere conſiderat idem Ambroſius, ſeu quis alius eorum commentariorum auctor, certè antiquus.]

Reſpondeo, locum Pauli hoc vnum probare, Apoſtolum Romæ cauſam dixiſſe, ab omnibus deſertum fuiſſe, Deum tamen propitium habuiſſe, cuius ſingulari fauore, ac patrocinio de ore Leonis fuerit liberatus. Addit verò ſe vinculis ſolutum; hoc enim in Leonis metaphora ſpectandum eſt, ampliùs, & ampliùs excolendo Euangelio operam impendiſſe. Sed hæc non euincunt Romæ plùs laboris poſuiſſe in fundanda illa Eccleſia, quàm poſuerit Petrus, cum quo minimè ſe conferat. Hic autem obiter adnotandũ, Paulum *primam ſuam defenſionem* vocare, quando primùm omnium ad tribunal Neronis cauſam dixit. In hac ſua defenſione neminem ſibi affuiſſe conqueritur, ac omninò loquitur de ijs, qui prodeſſe poterant, quòd gratia valerent apud Aulicos. Hos enim tantus inuaſerat timor, vt cauſam Pauli captiui, nullus eorum auderet adiuuare; ſed cùm eſſet omnium deſtitutus auxilio, præſto illi fuit Chriſtus, eumque corroborauit, ne in ea defenſione ſuccumberet, ac poſtremò *ex ore Leonis eum eripuit*, ac extraxit, hoc eſt ſæuitiæ Neronis exemit. Quod verò addit Apoſtolus, *vt per me prædicatio impleatur, & audiant omnes gentes*; miror, Spalatenſem ad fundationem Eccleſiæ Romanæ flexiſſe, cùm ex Scriptura conſtet omninò, & collectam, & inſtitutam in Vrbe Eccleſiam antequam coram Nerone cauſam diceret Paulus. Certè verba ſunt Lucæ, Pauli, Achatæ, ac vinculorum Apoſtoli ſocij: *Venimus Romam, & indè cùm audiſſent fratres, occurrunt nobis ad Appij forum, & tres Tabernas. Quos cùm vidiſſet Paulus, gratias agens Deo, accepit fiduciam.* Act. cap. 28. verſ. 15.
Non igitur Paulus primùm Romæ prædicauit, ac, vt rectè monent interpretes, cùm id ei tribuitur, non de primaria inſtitutione, ſed de confirmatione, vt habet epiſtola ad Romanos, eſt intelligendum. Meliùs igitur alij verba Pauli eò referunt, vt ſignificet Apoſtolus factum ſingulari Dei beneficio, vt ſolutus, ac liber in varias Orbis partes Euangelium ſua prædicatione diuulgaret. Atque quidem Hieronymus ex hoc loco colligit, Paulum in Hiſpania, alijſque Occidentalibus Prouincijs Euangeliũ promulgaſſe. Ad hanc amuſſim igitur exigat Spalatenſis dictum pſeudo-Ambroſij, & hoc inſuper addat, etiam poſt prædicationem Petri, multos relictos, tum Paulo, tum alijs verbi Diuini præconibus, quibus informandis, ac inſtituendis ſuam operam addicerent. Erat ſcilicet ampliſſima illic inſtituendorum ſeges.

Iam Patres accerſit, qui conuerſionem Romanorum æquè Petro, & Paulo tribuunt; Spal. n.10.
[Irenæus, inquit, conuerſionem Romanorum æquè Paulo, ac Petro tribuit. Ait enim; Ità Matthæus in Hebræis ipſorum lingua Scripturam edidit Euangelij, cùm Petrus, & Paulus Romæ euangelizarent, & fundarent Eccleſiam. Item: Maximæ, & antiquiſſimæ, & omnibus cognitæ, à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ, & conſtitutæ Eccleſiæ. Caius vir Eccleſiaſticus, qui tempore Zephyrini Papæ Romani vixit. Ego, inquit, Apoſtolorum trophæa perſpicuè poſſum oſtendere; nam ſi lubet in Vaticanum proficiſci: (vbi eſt Petri ſepulchrum,) aut in viam, quæ Oſtienſis dicitur, (vbi Pauli templum eſt, & ſepulchrum) te conferre; trophæa eorum, qui iſtam Eccleſiam, (Romanam) ſermone, & virtute ſtabilierunt, inuenies. Et Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus, ſic ad Romanos ſcribit: Petrum, & Paulum, qui Romanos, & Corinthios primùm in Eccleſiam Chriſti inſeruerunt, prudenti quadam admonitione impulſi, in ſuum locum

con-

concluſiſtis. Nam ambo cùm, & noſtram Corinthi, & veſtram Romæ Eccleſiam fundaſſent, & eiuſdem doctrinæ præceptis, tum noſtros animos, tum veſtros imbuiſſent, eodem tempore pariter Martyrium ſubierunt. Lucius Papa: Hæc ſancta, inquit, & Apoſtolica Mater omnium Eccleſiarum Chriſti Eccleſia, quæ per Dei Omnipotentis gratiam à tramite Apoſtolicæ traditionis numquam erraſſe probatur, nec hæreticis nouitatibus deprauata ſuccubuit: ſed vt in exordio normam fidei Apoſtolicæ percepit, ab Auctoribus ſuis Apoſtolorum Chriſti Principibus, illibata fine tenùs manet. Tertullianus, & ipſe Paulum in fundatione Romanæ Eccleſiæ Petro adiungens: Videamus, inquit, quòd lac à Paulo Corinthij hauſerint, ad quam regulam Galatæ ſint recorrecti; quid legant Philippenſes, Theſſalonicenſes, Epheſij: quid etiam Romani de proximo ſonent, quibus Euangelium, & Petrus, & Paulus, ſanguine quoque ſuo ſignatum, relinquerunt. Idem Tertullianus de Romana Eccleſia hæc quoque protulit: Felix Eccleſia, cui totam doctrinam Apoſtoli cùm ſanguine ſuo profuderunt: Vbi Petrus paſſioni Dominicæ adæquatur: vbi Paulus Ioannis exitu coronatur: vbi Apoſtolus Ioannes, poſtquam in oleum igneum demerſus nihil paſſus eſt, in inſulam relegatur. A tribus ergo magnis Apoſtolis Romanam Eccleſiam fundatam eſſe miratur Tertullianus. Cyrillus Hieroſolymitanus; Eodem Spiritu ſancto, inquit, repletus erat Paulus, poſtquam vocatus eſt à Domino. Qui ab Hieroſolymis vſque ad Illyricum diſſeminauit Euangelium; qui Regiam quoque Romam inſtituebat, & in Hiſpaniam vſque promptitudinem prædicationis extendit. Chryſoſtomus: Cumque vinctus, inquit, per tam vaſtum Pelagus duceretur (Paulus) ità gaudebat tamen, tamquam in maximum duceretur Imperium. Etenim non paruum illi præmium Vrbis Romæ conuerſio proponebatur. Neſcio tamen cur idem Chryſoſtomus Petrum Romæ prædicaſſe aſſerat, tunc quando ad Romanos Paulus ſcribebat; ſi enim conuerſio Romæ Paulum expectabat, Petrus certè inibi eſſe non poterat. Secutus itàque eſt Chryſoſtomus vulgarem opinionem: Si enim rem excutere voluiſſet, aliud certè inueniſſet. Gregorius VII. dum excommunicat Henricum, beatos Apoſtolos Petrum, & Paulum alloquens, ait: Valdè inuitus cum multo dolore, & gemitu, ac planctu in throno veſtro valdè indignus ſum collocatus. Et Bernardus: Succeſſorem Pauli, & hæredem Petri vocat Eugenium. Innocentius III. etiam Paulum agnoſcit æquè cùm Petro Romanæ Eccleſiæ fundatorem; ait enim: Licèt autem huiuſmodi falſitas aliquandiù poſſit cum operibus tenebrarum abſcondi, tamen quia per eam beatis Apoſtolis ſpecialiter infertur iniuria, ille, à quo in perſona eorum Romana Eccleſia auctoritatem ſuper Eccleſias vniuerſas accipit, vndè & bulla noſtra, per quàm totius negotia Chriſtianitatis aguntur, capitum ipſorum charactere præſignatur, perniciem tanti ſceleris non patitur in tantùm præiudicium eorum diutiùs occultari. Hiſpaniæ à Petro, & Paulo Apoſtolis, primos ſeptem ad ſe Roma miſſos Epiſcopos gloriantur. Addamus teſtimonium ex impio auctore, vt meliùs adhuc appareat Romanorum conuerſionem Paulo maximè acceptam ferri. Triepho enim quidam Chriſtianus Romæ agens, dum Critiam inſtruit, & Catechumenum facit, hæc inter alia de ſe, & alijs Chriſtianis Romanis refert: Quando autem me Galilæus ille conuenit, recaluaſter, naſo aquilo, qui in tertium vſque Cœlum per aerem ingreſſus eſt, quæ optima, & pulcherrima ſunt, indè didicit, per aquam nos renouauit, in beatorum veſtigia inſiſtere fecit, & ex impiorum regionibus nos reduxit. Quis non videt hìc Paulum deſcribi? Fatetur id Baronius.]

Tum Petrum, tum Paulum, in adducendis ad fidem Romanis, operam poſuiſſe Patres aſſerunt, & nos non inuiti tibi damus; atqui iſtud non quæritur, ſed num Paulus, an verò Petrus prior eius Eccleſiæ fundementa iecerit, eſt in quæſtione poſitum, qua de re ſic ſtatuunt Patres, Petrum primùm Romæ Euangelium promulgaſſe, Eccleſiam collegiſſe, ac collectam optimis inſtitutis attemperaſſe: Paulum poſtmodùm occaſione ſuorum vinculorum eodem appuliſſe aduertunt, ac toto hyeme verbum Dei prædicaſſe, & inſtitutos à Petro in fide confirmaſſe, adeòque multos alios illis adiunxiſſe.

Ità Chryſoſtomus: *Petrus, inquit, prędicauerat Romæ, verùm quæ ille geſſerat, Paulus pro ſuis reputat.* Similia habet Theodoretus. Hoc ſenſu aſſerunt citati Patres, Petrum, & Paulum fundaſſe Eccleſiam Romanum, ſcilicet per prędecationem Euangelij, quod inter nos non controuertitur. Addunt verò etiam vtrumque reliquiſſe Romanis Euangelium ſuo ſanguine ſignatum; Ità enim Tertullianus, ſed præterquam quòd nullus illorum Patrum Paulum primùm Romæ prædicaſſe Euangelium, quòd probandum Spalatenſis ſumpſerat, aſſerit, cedit iſtud in decus, ac gloriam Eccleſiæ Romanæ, de qua proptereà Tertullianus: *Fœlix Eccleſia cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt: Vbi Petrus paſſioni Dominicæ adæquatur; Vbi Paulus Ioannis exitu coronatur: Vbi Apoſtolus Ioannes, poſtquam in oleum igneum demerſus nihil paſſus eſt, in inſulam relegatur.*

Cæterùm Hieronymus doctrinam Eccleſiæ Romanæ, doctrinam Petri vocat contra Iouinianum, qui impuro, ac voluptuario dogmate Romam corrumpere conatus fuerat. *Nullanè, inquit, fuit alia in toto Orbe Prouincia, quæ reciperet præconium voluptatis, in quam coluber tortuoſus irreperet, niſi quam* Petri doctrina *ſupra Petram fundauerat Chriſtum, vexillum crucis, & prædicationis auſteritas, idolorum templa deſtruxerat?*

Sed inſtat Spalatenſis: [Proptereà igitur paſſim reſolutio, inquit, Romanorum Pontificum ad ſuum principium, terminatur tandem ad Petrum, & Paulum ſimul. Audi Irenæum; Fundantes igitur, & inſtruentes beati Apoſtoli Eccleſiam, Lino Epiſcopatum adminiſtrandæ Eccleſiæ tradiderunt. Succedit Spal. n. 11.

cedit Anacletus, poſt eum Clemens, &c. Idem quoque, Hyginum, dicit, Romæ nouum locum Epiſcopatus per ſucceſſionem ab Apoſtolis habuiſſe. Epiphanius verò, Romæ, inquit, fuerunt primi Petrus, & Paulus Apoſtoli ijdem, ac Epiſcopi; Deindè Linus, deindè Cletus, deindè Clemens, &c. Et Euſebius; Alexander, inquit, quintus ſucceſſione à Petro, & Paulo ducta Pontificatum obtinet. Quid verò, quòd primi Epiſcopi poſt Apoſtolos Romæ Linus, & Clemens, fuit vterque diſcipulus Pauli? Nonnè hoc indicant plùs Paulum, quàm Petrum Romanam fundaſſe Eccleſiam?]

Iunxiſſe operas Principes Apoſtolorum, ac de communi conſilio, cùm alter alterum Romæ nactus eſſet, rebus Eccleſiæ conſuluiſſe nullus dubito: ſed Paulum egiſſe Romæ Epiſcopum, ſi Eccleſiaſtici vocabuli vis, ac energia attendatur, vix eſt, vt concedi poſſit, cùm Cathedram ibi figere non potuerit, occupata, vt omnes Patres aſſerunt, ea Sede à Petro Apoſtolorum Coryphæo. Accedit, quòd cùm Paulus gentium Apoſtolus Diuinitùs conſtitutus eſſet, vt omnibus nationibus Euangelij lucem præferret, nulli certò loco aſtringi, & veluti alligari debuit. Quòd ergo à quibuſdam Scriptoribus Paulus inducitur Epiſcopus Romanus, ad functiones Epiſcopales, quas Paulo vbique obire licuerit, omninò referendum eſt, non ad Cathedræ illam erectionem, quam vni Petro acceptam habet Eccleſia Romana. Sic ergò intelligendus Epiphanius, qui expreſſis verbis Paulum cùm Petro Epiſcopum Romanum facit: ſcilicet ad munia Epiſcopalia reſpexit, cùm tamen eum non lateret Epiſcopatus Romani propriè ſpectati fundamenta vnum ieciſſe Petrum; Hinc ſcilicèt, vt oſtendimus, plerique eorum, qui Cathalogos Romanorum Pontificum contexunt, à Petro, prætermiſſo Paulo, initium ducunt, ac demùm ad Linum, Clementem, ac deinceps alios progrediuntur, vt iam pudere debeat Spalatenſem putidi commenti, quo admiſſo, oporteat à Paulo incipere, ac deindè ad Paulum regredi. Quòd autem Linum, & Clementem Pauli diſcipulos facit, neſcio, vndè habeat; Et vt verùm ſit, annon potuit Petrus Collegæ ſui amantiſſimi diſcipulos ſuæ Cathedræ ſucceſſores, ac hæredes deligere, & Eccleſiæ poſt ſe Rectores renunciare; Annon potuit etiam de Pauli conſilio? Apage has fabulas. Satis eſt nobis, quòd ab antiquiſſimis Patribus, vel ipſo fatente Spalatenſi, vocatur Eccleſia Romana Cathedra Petri, & locus Pontificis Romani locus Petri.

Spal. n. 12. Sed vehementiùs contra noſtram ſententiam nititur aduerſarius. [Hinc etiam, eſt inquit, quòd plurimi Romani Epiſcopi, ſe auctoritatem accepiſſe ab Apoſtolorum principibus Petro, & Paulo, & eorundem auctoritate ſe multa agere, ſæpè teſtantur. Hodie auctoritate BB. Apoſtolorum Petri, & Pauli fiunt abſolutiones, & interminationes. Immò non minùs etiam Pauli Vicarij dicuntur Romani Pontifices: vt in quadam Synodo ſub Ioanne VIII. Ibi enim Epiſcopi illius Synodi ità loquuntur ad Carolum II. Imperatorem: Iam quia diuina pietas vos beatorum Principum Apoſtolorum Petri, & Pauli interuentione, per Vicarium ipſorum Dominum videlicèt Ioannem, Summum Pontificem, & vniuerſalem Papam, ſpecialemque Patrem noſtrum ad perfectum ſanctæ Dei Eccleſiæ, noſtrorumque omnium inuitauit, &c. Luitprandus etiam Epiſcopus Cremonenſis in ſuæ legationis relatione hæc habet: Sanè, quicquid in Italia, ſed in Saxonia, Bauaria, omnibuſque Domini mei Regnis eſt, quòd ad Apoſtolorum beatorum Eccleſiam reſpicit, ſanctiſſimorum Apoſtolorum Vicario contulit.]

Reſpondeo, Apoſtolicam auctoritatem, qua potitur Pontifex, etiam in Paulo reſediſſe, quippè qui non ſecùs, ac Petrus Chriſti Apoſtolus fuerit; quare mirùm eſſe non debet, Pontificis, quem heredem Apoſtolorum nuncupat Hieronymus, poteſtatem ad Paulum etiam referri: Maximè verò, quòd cum Petro operam nauarit ei Eccleſiam inſtituendæ, quòdque totum ſanguinem cum doctrina ei profuderit. Igitur, dicuntur Pontifices multa præſtare auctoritate Petri, & Pauli, quòd vterque nouellam illam plantam excoluerit, ac demùm cruore ſuo aſperſerit, ac irrigarit.

Sed primas in Eccleſia fundanda habuit Petrus tamen, quòd primus Romæ Euangelium promulgarit, tum quòd eam Sedem pro auctoritate capitis Eccleſiæ ad Summum dignitatis gradum euexerit; Paulus equidem eum ſequutus, inſtitutos in fide Romanos confirmauit, ſed Sedem Romæ non fixit, cuius ratione eius Vrbis Epiſcopus cenſeri poſſit. Igitur, vt rem abſoluam, ſi vterque Romanorum fuit Apoſtolus, eximia tamen, ac peculiari quadam ratione Petrus eorum fuit Epiſcopus, à quo proptereà originem, & ſuæ ſucceſſionis ſeriem ducunt reliqui Pontifices, quod Patres à Spalatenſi citati non obſcurè tradunt.

At inquit Spalatenſis, Pontifex vocatur Pauli, & Petri Vicarius. Annuo equidem, & prætereà addo, omnium Apoſtolorum Vicarium dici poſſe, quòd ſcilicèt eorum, & nomen, & dignitatem repræſentet, ſed longè diuerſa ratione. Dicitur enim Vicarius Apoſtolorum, quòd in labores eorum introierit. Dicitur Vicarius Pauli, quòd Romam ſuæ auctoritatis Sedem nactus ſit, quam Peulus ſua doctrina illuſtrarit, ac etiam ſuo ſanguine conſperſerit, & veluti ſacrarit: Dicitur verò Vicarius Petri, quòd eam Cathedram inſideat, in qua Petrus Epiſcopus ſedit.

Cæterùm ne cui Vicarij Petri nomenclatura imponat, repetendum eſt ex ſuperioribus, quo ſenſu dicatur Pontifex Petri Vicarius, atque ad eam amuſſim eſt exigendus Vicarij Apoſtolorum, aut etiam Vicarij Pauli titulus.

Cæterùm, quod attinet ad Ticinenſem Synodum, quam profert aduerſarius, miror non aduertiſſe eum vno eodem tenore Patres, qui Ioannem VIII. Pontificem Petri, & Pauli Apoſtolorum Vicarium nuncupaſſent, iſta omnia pronunciaſſe; [Iam quia diuina Concilium alloquitur; pietas vos beatorum principum Apoſtolorum Petri, & Pauli interuẽtione per Vicarium ipſorum hominum, videlicet Ioannem Summum Pontificem, & vni-

vniuerſalem Papam, ſpiritualemque patrem noſtrum ad profectum S. Dei Eccleſiæ, noſtrorumque omnium inuitauit, & ad Imperiale culmen ſancti Spiritus iudicio prouexit: nos vnanimiter vos protectorem, Dominum, & defenſorem noſtrum elegimus: cui & gaudentes toto cordis affectu ſubdi gaudemus, & omnia, quæ ad profectum totius S. Dei Eccleſiæ, noſtrorumque omnium ſalutem decernitis, & ſancietis, totis viribus, annuente Chriſto, concordi mente, & prompta voluntate obſeruare promittimus.]

Sed & ipſorum patrum ea vox eſt ad Ioannem: [Placet, & valdè placet in omnibus veſtra ſereniſſima ſectari veſtigia; neque fas eſt, vt à culmine Apoſtolatus veſtri in aliquo diſſentiamus, quem videlicet ipſe Chriſtus Dominus noſter omnium noſtrum ad vicem ſuam in terris eſſe voluit caput.]

Qui igitur Pontificem Petri, & Pauli Principem Apoſtolorum Vicarium indigitant, ijdem ipſi vniuerſalem Papam, & caput à Chriſto conſtitutum deprędicant; vt igitur Vicarium Pauli ex eorum ſententia Pontificem ſtatuit Spalatenſis, ità eorum veſtigijs inſiſtere pergens, eum, & vniuerſalem Papam, & caput Eccleſiæ agnoſcat, & veneretur. Sed perſtat in errore, & rurſùs Paulum cum Petro componit; [Quinimmò adhuc Romæ, inquit, in plumbeo ſigillo Paulus Petro ad dextram collocatur. Et in altari ſancti Petri, in miſſis ſolemnibus Papalibus, ſtatuæ tredecim Apoſtolorum ità diſponuntur, vt ad dexteram crucis, quæ eſt in medio, primus ſit Paulus, & primus poſt crucem thurificetur, (niſi ſuper hoc etiam ſit immutatum) à ſiniſtris verò eiuſdem crucis primus ponitur Petrus, & ſtatim poſt Paulum thurificatur. Et numquam ſit officium de altero, quin alteriùs quoque fiat commemoratio.]

Reſpondeo, quòd non nemo aduertit hoc ipſum, quod de diplomatum imaginibus affertur, magnam multis diſputandi materiam prębuiſſe. Neque verò deſunt viri in humanioribus literis exercitati, qui læuam aliquando dextræ potiorem fuiſſe contendant, quinetiam Euſebius ſcribit, inquit Iuſtinianus, ſe in Palæſtina vidiſſe Conſtantinum adoleſcentem ad dextram ſenioris Auguſti prouinciam obeuntem, nec dubium eſt, Conſtantinum adoleſcentem, ac penè priuatum, loco digniore ſeniori Auguſto relicto, inferiorem videri voluiſſe;] Sed his omiſſis, duo ſunt, quæ obiectioni omninò ſatisfaciunt.

Dicendum enim primò, eum honorem delatum laboribus, ac eximiæ Pauli ſapientiæ, qua proculdubiò, & reliquos Apoſtolos, & ipſum Petrum anteuertit, ac excelluit. Enim verò Eccleſia in Sanctorum cultu, & veneratione, dignitatis, aut gradus perpetuò rationem habere non ſolet. Licèt enim Stephanus, & Laurentius, ille quidem Iacobo, hic verò Sixto Romano Pontifici Diaconi operam præbuerit, ille tamen maiori, quàm Iacobus, hic quàm Sixtus, honore colitur, ſic alij permulti ſancti, quamuis gradu Summis Pontificibus inferiores, maiori cultu, ac veneratione celebrantur. Adde, ſi placet, quòd cùm Paulus gentium Apoſtolus, Petrus verò Iudæorum ſit conſtitutus, eò Pauli honor refertur, vt intelligamus Gentiles Iudaico populo præferri. Addunt alij, meritò eum honorem Paulo tribui, quòd à Chriſto immortali, & beato ſit in Apoſtolorum Collegium cooptatus. Addit denique non nemo myſticam quandam rationem, quòd Paulus fuit ex tribu Beniamin, quem filium dextræ interpretantur.

Dicendum ſecundò, non ſemper dextrum latus occupare Paulum, ſed in numiſmatibus ſæpè dextrum videri Petrum: Et fortaſsè magno id conſilio factum, vt eos omninò pares eſſe intelligeremus; Petrus quippè poteſtate maior, ſed ſapientia, vt diximus, præcellere videtur Paulus. Vno verbo, *Paulus Apoſtolus*, vt loquitur Gregorius, *Petro Apoſtolorum primo in principatu Apoſtolico frater eſt*. Nec diſplicet, quod alij aduertunt, fragile duci à picturis argumentum, *Pictoribus, atque poetis, &c.* Lib. 1. Dial. cap. vlt.

Sed Baronium exagitat Spalatenſis; quòd protritis iſtis ſuis argumentis nõ moueatur; [Non placet Baronio, inquit, Pauli cum Petro in fundanda, & regenda Romana Eccleſia, ſocietas; quia plurimùm ſupremæ illi Monarchiæ Petri, & ſucceſſorum derogat, ideò lectis illis Irenæi verbis, Euangelium nimirùm à Matthæo tunc editum, cùm Petrus, & Paulus Romæ euangelizarent, & fundarent Eccleſiam: Communi, inquit, potiùs tum ipſius, tum cæterorum Patrum, vſu loquendi (Irenæum) cùm de Romana Eccleſia fit mentio, Paulum æquè, ac Petrum nominaſſe: non quòd Paulus eodem tempore, quo Petrus, Romam venerit, ac ſimul cum Petro primum fundamentum iecerit; ſed quod deſuper ædificauerit: ac denique eandem Eccleſiam vnà cùm Petro ſanguine conſecrauerit. Hæc Baronius: Immemor, vt puto, moris Pauli ſic prædicantis Euangelium, non vbi nominatus eſt Chriſtus, ne ſuper alienum fundamentum ædificaret, ſed ſicut ſcriptum eſt: Quibus non eſt annunciatum, de eo videbunt: & qui non audierunt, intelligent. Propter quod (inquit idem Paulus,) & impediebar plurimùm venire ad vos, & prohibitus ſum vſque adhuc. Nunc verò vlteriùs locum non habens in his regionibus, cupiditatem autem habens veniendi ad vos, ex multis iam præcedentibus annis, cùm in Hiſpaniam proficiſci cœpero, ſpero, quòd prætериens, videam vos, & à vobis deducar illuc, ſi vobis primùm ex parte fruitus fuero.] Spal. n. 13.

Atqui hic locus Pauli Baronij ſententiam non euertit; namque non hoc ſignificat Apoſtolus, ſe numquam in ijs locis Euangelium prædicaſſe, in quibus eſſet ante Chriſtus celebratus, aliàs mendacij abſolui non poſſet; Siquidem, & Antiochiæ fuiſſe Euangelium promulgatum, antequam eas Vrbes prædicandi gratia ipſe vmquam inuiſiſſet: Sed hoc ſignificat, vt plurimùm in ijs regionibus Euangelium promulgaſſe, vbi ante illum nemo Religionis Chriſtianæ ieciſſet fundamenta, ac eas præcipuè gentes fidei præceptis inſtituendas ſuſcepiſſet, quæ nihil adhuc de Chriſto inaudiſſent, quod certè veriſſimum eſt, nec Baronio aduerſatur. Cogitur verò hic aduerſarius manus dare: Sic

Eod. an.13. in fin.

enim de Paulo: *Præmiſerat quidem ſuos diſcipulos non ſine magno fructu; ſed ipſe rem perfecturus, ſuum quoque aduentum Romam maturabat.*

Igitur, & eos aliquando inſtituendos ſuſcipere non eſt grauatus, qui aliquam ante Chriſti notionem percepiſſent, Chriſtoque nomen dediſſent. At quamquam certum eſt, Paulum Romanos fide Chriſtiana imbuendos ſuſcepiſſe, cùm Romæ lux Euangelij aliena opera affulſiſſet, tamen quòd, vt hunc honorem præripiat Petro, aſſerit aduerſarius, *ſuos diſcipulos præmiſiſſe Romam, vt veluti ſuo nomine negotium auſpicarentur, ac inchoarent*, vt gratis dicitur, etiam gratis reijcitur, ac refellitur: Nec credo vllus locus eſt Scripturæ, qui hoc doceat; Stat ergo firma, & inconcuſſa ſententia Baronij Petro eam gloriam aſſerentis.

Spalat. n. 24.

Sed vide obſtinatum animum? [Erat igitur, inquit, Paulus Romæ prædicaturus Euangelium, vbi nondùm fuerat per vllum Apoſtolorum prædicatum. Is verò tantoperè non laboraſſet, vt perueniret Romam, ſi Petrus iam ibi eſſet: neque imperfectionem (Rom. 1.) fidei iam ſuſceptæ à Romanis argueret; ſi à Petro illi edocti fuiſſent. Deſidero videre vos, inquit, vt gratiam ſpiritualem vobis adminiſtrem. (Amb. in ep. ad Rom. c. 1. Idem in proœm. in ad Rom.) Carnales illos ſenſus aſſecutus ſignificat, inquit, Ambroſius, quia ſub nomine Chriſti, non illa, quæ Chriſtus docuerat, fuerant aſſecuti: ſed ea, quæ fuerant à Iudæis tradita, Conſtat enim (inquit idem Ambroſius) temporibus Apoſtolorum Iudæos, prætereà quòd ſub regno Romano agerent, Romæ habitaſſe; ex quibus ij, qui crediderant, tradiderunt Romanis, vt Chriſtum profitentes, legem ſeruarent. Romani autem, audita forma virtutum Chriſti, faciles ad credendum fuerunt; ſed malè inducti, ſtatim ſe correxerunt; vtpotè prudentes, & manſerunt in eo. Igitur ex Iudæis credentes, & improbè ſentientes de Chriſto, legem ſeruandam dicebant; quaſi non eſſet in Chriſto ſalus plena. Ideò negat Apoſtolus, illos ſpiritalem gratiam conſecutos. (Idem Amb. ibid. in c. 15.) Et poſteà. Romanos igitur, inquit, quia in lege inducti fuerant, interim per epiſtolam corrigit. Quæ verò iſthæc arrogantia, vt Paulus correctioni Romanorum, & inſtitutioni tantoperè inſiſtet: Si Petrus Romæ adeſt; & ſi Romani Petri doctrinam hauſerunt.] Hæc inconſideratiſſimè dicuntur, nam vt Petrus Romanos inſtituerit in fide, an propterea non potuerint quidam illorum à vera pietate deſciuiſſe, quibus propterea vſui eſſe poſſet doctrina Pauli ad eos ab errore reuocandos, An non illi ipſi, qui à Paulo erant inſtituti aliquando à recta fide defecerunt, eiuſque opera indiguerunt, vt ab errore purgarentur, & in viam reducerentur? Quorſùm igitur Corinthios, Galatas, ac reliquos non infrequenter ſeueriſſimè coarguit, inconſtantiæ poſtulat, ac etiam ſchiſmatis, hæreſis, ac impietatis accerſit? Sic Cor. 10. *Propter quod*, inquit, *chariſſimi fugite ab idolorum cultura, &c. Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat, &c.* (1. Cor. 10. Ad Gal. 5.) Sic Galatas pungit, *Currebatis benè*, inquit, *quis vos impediuit veritati non obedire? Perſuaſio hæc non eſt ex eo, qui vocat vos. Modicum fermentum totam maſſam corrumpit, &c.* An non præterea qui eſſent à Petro inſtituti, quod omnes omninò interpretes epiſtolæ ad Romanos factum monent, potuerunt à Paulo confirmari? Ac poſtremò, nonnè etiam poſt ſanctiſſimos Petri, & Pauli labores locus relictus eſt Romæ pluribus ad fidem adducendis?

Quod verò vrget Spalatenſis, *imperfectionem fidei ſuſceptæ à Romanis laceſſiſſe Paulum*, vt verum ſit, Petri induſtriam non eleuat, ſed adiutorium potiùs inconſtantiam prodit. Certè Spalatenſis videt Romanos, antequam hæc ſcriberet Paulus, à Pauli diſcipulo Chriſtiana pietate imbutos: Si igitur rectè eius procedit argumentum, incaſsùm quoque Paulus eam operam ſcripſiſſet. Quid enim rectè dixerit aliquis, an non multi ex diſcipulis Pauli erant ad pietatem edocti? Sed mentem Apoſtoli non eſt aſſequutus aduerſarius, Fidem Romanorum non traducit, ſed omninò eximijs laudibus ornat. Sic intellexerunt Patres. Cyprianus: (Cyp. ep. 55.) [Poſt iſta inquit, adhuc inſuper pſeudo-Epiſcopo ſibi ab hæreticis conſtituto, nauigare audent, & ad Petri Cathedram, atque ad Eccleſiam principalem. Vndè vnitas Sacerdotalis exorta eſt, à ſchiſmaticis, & prophanis literas ferre, nec cogitare eos eſſe Romanos (quorum fides, Apoſtolo prædicante, laudata eſt, ad quos perfidia habere non poſſit acceſſum. Hieronymus, Scito, inquit, Romanam fidem, (Hier. apol. cont. Ruff.) Apoſtolica voce laudatam, iſtiuſmodi præſtigias non recipere, etiamſi Angelus aliter annunciet, quem ſemel prædicatum eſt, Pauli auctoritate munitam non poſſe mutari. Item, Vrbs potens, inquit, vrbs orbis domina, vrbs Apoſtoli voce laudata, interpretare (Id. adu. Iouin. l. 2. ad fin.) vocabulum tuum. Roma, aut fortitudinis nomen eſt apud Græcos, aut ſublimitatis iuxtà Hebræos: Serua, quod diceris: virtus te excelſã faciat, non voluptas humilem. Theodoretus (Theod. ad Leon. inter ep. Leonis poſt. ep 62.) Alias vrbes, inquit, ornat, vel magnitudo, vel pulchritudo, vel multitudo eorum, qui inhabitant: Nonnullas autem ijs priuatas, dona quædam illuſtrant ſpecialia. Veſtræ autem redundantem bonorum copiam dedit is, qui eſt bonorum largitor. Ea eſt enim omnium maxima, & præclariſſima, & quæ præeſt orbi terrarum, & eorum, qui inhabitant, & abundant multitudine, &c. Præcipuè verò, & inſigniter eam exornat fide dignus teſtis diuinus Apoſtolus, qui clamat: Fides veſtra annunciatur in vniuerſo mundo.]

Quare, nihil ſubeſt vanitatis in illis Cleri (Cyp. ep. 31.) Romani verbis: [Antiqua hæc, inquit, apud nos ſeueritas, antiqua fides, diſciplina legitur antiqua: quoniam nec tantas de nobis laudes Apoſtolus protuliſſet dicendo, Quia fides veſtra prædicatur in toto mundo, niſi iam exindè vigor iſte radices fidei de temporibus illis mutuatus fuiſſet, quarum laudum, & gloriæ degenerem fuiſſe, maximum crimen eſt. Nam, & iſta comprobat Cyprianus: (Cyp. ep. 57.) Claruit, fratres chariſſimi, inquit, fides, quam de vobis beatus Apoſtolus prædicauit. Hanc laudem virtutis, & roboris firmitatem iam tunc in ſpiritu præuidebat, & præconio futurorum merita veſtra conteſtans, dum parentes laudat, filios prouocabat. Dum ſic vnanimes, dum fortes eſtis, magna cæteris fratribus vnanimitatis, & fortitudinis exempla tribuiſtis. Quod igitur ait Paulus; Deſidero

dero

dero enim videre vos, vt aliquid vobis impertiar gratiæ ſpiritualis,] ad confirmationem in ſuſcepta fide omninò, vt ſuprà monui, eſt referendum. Poterat enim Paulus, vel noua, & nondùm ipſis perſpecta dogmata proponere, vel etiam morum præcepta tradere, ac Eccleſiaſticam diſciplinam nouis legibus munire, ſicque ex iſs, quemadmodùm ex alijs gentibus fructum aliquem referre, quamquam eſſent illi à Petro in fide inſtituti. Non igitur arrogantiæ inſimulandus venit Paulus, quòd ſe laboribus immiſcuerit Petri, quandoquidem ampliùs, ac ampliùs in ſuſcepta fide; nedùm à Paulo, verùm etiam à quouis alio Euangelij præcone confirmari potuerint.

Spalat. n. 15. Bar. tom. 1. ar. 58. n. 48. 1. Rom. 1. Ambr. in Prop. vbi ſup.

Obijcit verò ſibi ipſi Spalatenſis, quæ & noſtram ſententiam fulcire poſſunt, & ſuam cauſam conuellere. [Et tamen, inquit, Fidem Romanorum, inquies, idem Paulus plurimùm commendat, & Deo gratias agit; quia fides eorum annunciatur in vniuerſo mundo. Reſpondet Ambroſius hoc pacto: Romanis iraſci non debuit, ſed laudare fidem illorum; quia nulla virtutum videntes inſignia, ſuſceperant fidem Chriſti: quamuis corrupto ſenſu: non enim plenè audierant myſterium crucis Chriſti. Hoſne igitur Petrus iam inſtruxerat? Hi ne Petro Magiſtro vtebantur? inter iſtos ne Petrus verſabatur?]

Reſpondeo, ſenſum Pauli non aſſecutū pſeudo-Ambroſium, ac eius ſententiam non ſolùm cum aliorum Patrum interpretatione, verùm etiam cum ipſius Pauli mente pugnare. Si enim adulter ſenſus Romanorum fidem corruperat, qui potuit Apoſtolus citrà mendacium hæc de eorum poteſtate dixiſſe? *Primùm gratias ago Deo meo per Ieſum Chriſtum, pro omnibus vobis, quia fides veſtra annuntiatur in vniuerſo mundo.* An corruptam, ac vitiatam fidem iſtis tantis laudibus, ac encomijs ornaſſet, ac celebraſſet? *Gratias*; inquit, *ago Deo pro fide veſtra, quæ tanta eſt, vt fama eius totum mundum peruagetur.* Non potuerunt

Rom. 1.

iſta ab eximio Apoſtolo, & ab omni aſſentatione alieno de fide parùm ſincera vſurpari? Sed ſi, quod vult pſeudoAmbroſius, hæreſeon ſordibus ſe inquinarunt Romani, quæ mens, quod os, quæ frons eſſet potiùs Apoſtolo hæc effundenti? Certus autem ſum, Græcè *pepeiſmai*, Perſuaſum habeo, *fratres mei*, inquit, *& ego ipſe de vobis, quoniam, & ipſi pleni eſtis, repleti omni ſcientia, vt poſſitis alterutrùm monere.* Ac rursùs iſta, *veſtra obedientia in omnem locum diuulgata eſt: gaudeo igitur vobis.* Certè ſi à fide defecerant Romani, ſi, quod ait pſeudo-Ambroſius, non planè audierant myſterium crucis, apertè magno ſuo dedecore eis adulatur Paulus, ac palpum obtrudit. Vt igitur concedamus non omninò malè interpreti plures fuiſſe è numero Romanorum, qui opera pſeudo-Apoſtolorum à ſuſcepta fide exorbitarint, & in impium Iudaizantium dogma inclinauerint; non fuit ea labes omnium, ſed aliquorum dumtaxat, quos tamen ad meliorem frugem ſtatim rediſſe inculcat. Igitur cùm Paulus Romanos reprehendit, non omnibus inconſtantiæ labem aſpergit, ſed ijs dumtaxat, qui pſeudo-Apoſtolis legis neceſſitatem cùm Chriſtianiſmi profeſſione neceſſariam dicentibus patientem aurem accomodaſſent; ac ſimiliter cùm eos laudibus ornat, non omnes complectitur, ſed eos ſolùm, quos peſtilens, vt ita dicam, illud ſydus non afflarat, quorum, & obedientiam prædicat, & omnibus numeris abſolutam diuinarum rerum cognitionem eis tribuit.

Rom. 15. v. 14.

Rom. 16. v. 19.

Sed inſtat aduerſarius; *Cur verò Petrum in eadem ſua epiſtola ad Romanos*, inquit, *Paulus non ſalutat, vbi plurimos longè inferioris ordinis ſalutat nominatim?* Reſpondeo: fieri potuit, vt cùm Paulus eam Epiſtolam ſcriberet, Roma abeſſet Petrus; Neque enim magnum Apoſtolum Sedi Romanæ tamquam Prometheum aliquem in Caucaſeo ſaxo ſic religamus, aut affigimus, vt ei liberum fuiſſe Roma exire inficiemur, ac aliò ſe conferre, vt Euangelij lucem etiam alijs nationibus præferret, Romam aliquando rediturus. Certè ipſe Paulus poſt confirmatos Romanos, multas alias orbis terrarum oras peruagatus eſt, & in his Hiſpaniam, ſi quid vetuſtioribus Patribus fidei habeatur, luſtrans, ac poſtmodùm Romam redijt. Prætereà nec abfuiſſe Roma Petrum, cùm hæc ſcriberet Paulus, eſt neceſſe, vtcumque ſalutem ei non dicat. Nam; & ad Epheſios ſcribens, nec Timotheo eius Eccleſiæ, ſi quid Euſebio creditur, primo Antichriſti ſalutem dicit, nec rursùs Iacobo Hieroſolymitano Epiſcopo in Epiſtola, quam ad Hebræos miſit.

Eod. nu. 15.

Rom. c. vlt.

Baronius, & Bellarmin. Cardinales priorem ſolutionem amplexati, Petrum Roma pulſum à Claudio, atque nondùm in vrbem reuerſum tum temporis, cùm Paulus ad Romanos ſcriberet, contendunt, hancque velut eſſe rationem, cur ei ſalutem non dixerit Paulus.

Sed vtrumque exagitat Spalatenſis, [Reſpondet; inquit, Baronius, eam potiſſimùm huius rei cauſam credi, quòd Petrus edicto Claudij iam ſemel Roma cum Iudæis pulſus, in Occidentem ad extremas orbis oras prædicationem Euangelij conuertit; ibique tunc occupatus fuerit. Bellarminus contrà, Petrum in Orientem hoc tempore reducit; dicit enim tunc illum Roma in Syriam fuiſſe reuerſum.] Reſpondeo coniecturas Baronij, & Bellarmini niti authoritate fideliſſimorum Hiſtoricorum, ac magnorum Patrum, qui Roma pulſum fuiſſe Petrum cum reliquis Iudæis tradunt, vt eſt etiam ſuprà ab ipſo Spalatenſi obſeruatum.

Eod. nu. 15. Baron. to. 1. an 58. n. 51. Bellarm. de Rom. Pont. lib. 2. cap. 7.

Sed inſtat Spalatenſis, [aitque, Apoſtolis morem non fuiſſe, Eccleſias à ſe fundatas ita deſerere, etiam occaſione vlterioris prædicationis, quin ſaltem in ijs Epiſcopos, & rerum Eccleſiaſticarum moderatores idoneos ſubſtituerent; quod tamen Roma factum non apparet: Et ſi imperfectam, ac malè fundatam, vt patet ex Epiſtola Pauli ad Romanos, relinquerat; cur ſtatim mortuo Claudio, ad tam inſignem Eccleſiam, ipſi iam dedicatus proprius Epiſcopus, non redijt, illam perfecturus, ad quam Aquila, & Priſcilla, & alij ex Iudæis fideles, eodem Claudij edicto Roma pulſi, vt fatetur, & docet ipſemet Baronius, Corintho iam redierant? Potuit, inquit rursùs Baronius, & illud perfacilè accidiſſe (etiam ſi dixeri-

Eod. nu. 15.

Baron. to. 1. An. 58. n. 55

xerimus his temporibus PetrumRomæ egiſſe, vt familiares alias ad ipſum Paulus eidem tabellario dederit literas; adeò vt non opus eſſet per alios ſalutari, cui ipſe ſuis priuatis literis monens, ſalutem plurimam impartitus eſſet. Hæc enim humanitatis officia inter Apoſtolos interceſſiſſe, quis tam ab humanitate alienus negare præſumpſerit? Hæc Baronius. Si hoc pacto hiſtoricas difficultates liceet ſoluere, ſola arbitraria diuinatione, abſque vllo prorsùs iudicio, aut fundamento, nihil erit in Hiſtorijs, præſertim ſacris, & diuinis, tam difficilè, quòd confictis pro libito nouis Epiſtolis perpetuò inauditis, non poſſit quiſque facillimo negotio, pauciſſimis abſoluere, & in quocumque ſenſu, etiam Hiſtoriæ aduerſo confirmare. Ità ne diuinæ Scripturæ difficultates enodantur?]

Nos verò tamquam Apoſtolicæ prudentiæ conſentaneum admittimus, relictos à Petro proficiſcentem ſuo loco Epiſcopos; ſed negamus hac in parte Petrum officio ſuo defuiſse; ſiquidem ob crebras ſuas peregrinationesLinum,& Clementem Coadiutores habuit, ac eorum opera abſens Romanam rexit Eccleſiam, quod à Ruffino præfatione in Clementem animaduerſum,ac ab Epiphanio traditum,miror non vidiſse Spalatenſem. [Quidam, inquit, requirunt, quomodo, cùm Linus, & Cletus in Vrbe Roma ante Clementem hunc fuerint Epiſcopi: ipſe Clemens ad Iacobum ſcribens, ſibi dicat à Petro docendi Cathedram traditam: cuius rei hanc accepimus eſse rationem,quòd Linus, & Cletus fuerunt quidem ante Clementem Epiſcopi in Vrbe Roma, ſed ſuperſtite Petro: vt illi Epiſcopatus curam gererent, ipſe verò Apoſtolatus impleret officium. Sicut inuenitur etiam apud Cæſaream feciſse, vbi, cùm ipſe eſset præſens, Zachæum tamen à ſe ordinatum habebat Epiſcopum: & hoc modo vtrumque verum videbitur: vt & illi ante Clementem numerentur Epiſcopi, & Clemens tamen poſt obitum Petri docendi ſuſceperit Sedem. Romæ, inquit Epiphanius, primi omnium Petrus, & Paulus Apoſtoli pariter, & Epiſcopi fuerunt. Indè Linus, tum Cletus. Poſt hunc Clemens Petri, & Pauli temporum æqualis, de quoPaulus meminit ad Romanos ſcribens. Neque verò miretur aliquis, quòd ante ipſum in Pontificiam dignitatem alij Apoſtolis ſucceſſerint,cùm Petri, & Pauli eſset æqualis,ijſdem enim ille temporibus vixit. Vtrum illis adhuc ſuperſtitibus, impoſitis manibus, Epiſcopus à Petro conſecratus, eaque detrectata Prouincia, ab omni adminiſtratione vacauerit. Ità enim in quadam epiſtola ſcripſit:Recedo, exeo, inſtet populus Dei, nonnullis videlicet hoc modo conſulens:nam in quibuſdam commentarijs ità ſcriptum reperimus, an potiùs ſecundùm Apoſtolos ab Epiſcopo Cleto ſit conſtitutus, liquidò non conſtat. Quanquam, vel hac quidem ratione poterant, viuentibus adhuc Apoſtolis, Petro ſcilicet, ac Paulo, Epiſcopi alij ſurrogari; quòd ijdem illi prædicandi Euangelij gratia in alias Vrbes,regioneſque profectionem ſuſciperent, carere autem Epiſcopo Roma non poſſet.Siquidem Paulus in Hiſpaniam peruenit: Petrus verò Pontum,ac Bithyniam ſæpenumerò peragrauit.]

Epiph. hæret. 27.

Sed vehementiùs nititur, ac vrget Spalatenſis. [Quid verò, inquit, ſibi volunt illa Iudæorum Romæ habitantium verba ad Paulum: Nos neque literas accepimus de te à Iudæa, neque adueniens aliquis fratrum nunciauit, aut loquutus eſt quid de te malum. Rogamus autem te audire, quæ ſentis: nam de ſecta hac notum eſt nobis, quia vbique ei contradicitur. Si Petrum habuiſſent præſentem, & eius prædicationes audiſſent, non eſſent adeò noui,& rudes,neque opus haberent, vt Paulus aliquam eis pleniorem ſectæ ipſis nouæ notitiam traderet.]

Reſpondeo,falſum iudicij Spalatenſem, qui exiſtimarit hos primores iudiciorum, de quibus agit Lucas, hac ratione adductos, vt Paulum de ſecta Chriſtianorum conſulerent, quòd eius pleniorem notionem à Petro non accepiſſent; non hæc eum conueniendi illis cauſa fuit, ſed quòd cùm celeberrima eſſet Pauli fama,tum propter eximiam doctrinam, tum ob crebriora illa miracula, quorum fulgor totum Orbem peruaſerat,reſcire audirent, quod eſſet eius de religione Chriſtiana iudicium. *Rogamus autem*, inquiunt, *à te audire quæ ſentis: Nam de ſecta hac notum eſt nobis, quia vbique ei contradicitur*; Scilicet Paulum in lege valdè exercitatum nouerant, ac proptereà quid de recentiori Chriſtianorum doctrina, quæ cum lege pugnare videretur, ſentiret, ab eo edoceri cupiebant. Et fortaſsè ſpem receperant Paulum ad auitam religionem reuocandi; Neque enim, qui hoc à Paulo quæſierunt, in albo erant fidelium, qui, auctore Petro, Chriſto nomen dederant, ſed de eorum planè numero, qui fidem repudiantes occaſione ſuæ peruicaciæ, illud ſibi à Paulo opprobrari audierunt; *Quia benè*, inquit, *Spiritus ſanctus loquutus eſt per Iſaiam Prophetam ad Patres noſtros, dicens: Vade ad populum iſtum, & dic ad eos; Aure audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non perſpicietis*. Quid igitur mirum eſt, hos nil de Petro ſollicitos fuiſſe, ac minimè eius pernoſcendi, & audiendi deſiderio exarſiſse? Et vt eum nouiſsent, non patiebatur faſtus, ac arrogantia inſolentiſſimorum hominum,vt eius rationem aliquam haberent.

Eod. n. 15. Act. 28.

Act. 28. v. 25.

Cæterùm verba Lucæ,quod ſuperiùs monui,luce meridiana clariùs oſtendunt,eo ipſo tempore, hoc eſt,antequam Paulus eò ſe receptſet, Romam fidelibus refertam fuiſse. Sic enim ille, [Cùm audiſsent fratres, inquit, occurrerunt nobis vſque ad Appij forum; ac tres Tabernas.Quos cùm vidiſset Paulus gratias agens Deo, accepit fiduciam. Cùm autem veniſsemus Romam, permiſsum eſt Paulo manere ſibimet cum cuſtodiente ſe milite. Hæc oſtendunt tunc temporis Romę fuiſse nō paucos Chriſtianos, quos opera Petri ad fidem adductos, melioris notæ Scriptores tradunt, & in his Euſebius, & Hieronymus.

Ibid. v. 15.

Sed nos Chronologicis quibuſdam obſeruationibus, de ſententia deijcere conatur aduerſarius? [Sciam verò, inquit, etiam ipſorum eſse inania ſomnia,dum Petrum Roma pulſum faciunt edicto Claudij, quod edictum ex communi Scriptorum conſenſu contigit anno 9. vt inferiùs oſtendam. Anno ergo 8. Claudij ſecundùm ipſos Petrus omninò Romæ erat.

Eod. n. 15.

Atqui

Act. 15. Atqui ſecundùm veram ſcripturalem Chronologiam, infrà ponendam, Hieroſolymitanum Concilium incidit in annum Claudij octauum, cui tamen Petrus interfuit. Erat ergo ſimul Petrus eodem anno, & Romæ, & Hieroſolymis, ſcilicet per ſui quandam tranſubſtantiationem corporis eiuſdem in pluribus locis replicatiuam. Sanè, etiam Caietanus affirmat clarè haberi, Petrum fuiſse adhuc Hieroſolymis circa Claudij annum ſextum, vel ſeptimum.]

Caiet. in ep. ad Gal. cap. 2.

Reſpondeo, qui hæc diligentiore trutinâ expenderent, rectè omninò aduertiſse, Concilium Hieroſolymitanum incidiſse in annum Claudij, non octauum, ſed nonum, vt proindè tempus fuerit Petro excedendi ex Vrbe, vt Hieroſolymam ſe reciperet, ac Concilio Apoſtolis intereſset. Itàque non ſolùm impiè, verùm etiam improbè hic Spalatenſis; *Tranſſubſtantiationis vocabulum* aduocat, ac ideò vſurpat, vt rem impoſſibilem à nobis venditari perſuadere poſſit.

Spalat. n. 16. Iam ſibi monſtra fingit; [Video, inquit, plurimis Scriptores vrgeri perplexitatibus eos, qui Romanæ Eccleſiæ fundationem, aut ſoli, aut potiſſimùm Petro acceptam ferunt: illum enim ſæpius adducunt Romam, ſæpius Roma abducunt, & denuò reducunt, neque inter eos ſatis conſtat, quot annis Romæ ſederit Epiſcopus, quot annis Antiochiæ; & vter priùs Romam venerit, Petrus ne, an Paulus? Nodus ſanè vix ſolubilis; mihi tamen omninò conandum eſt, vt ipſum ſoluam; remque ex ipſis ſacræ Scripturæ fontibus, quàm maximè fieri poſſit, elucidem, tanto ſanè grauiori labore, quanto non ſolùm ſine alio manuductore per has ſalebras, ſed etiam contra torrentem Scriptorum mihi, Regia tamen via, ſit incedendum. Præuiderat profectò, vt mihi videtur, Spiritus ſanctus ex Petri nomine, ac laboribus eiuſdem, ſi qui fuerunt, Romæ exantlatis occaſionem aliquando arreptum iri, vt Romana Eccleſia, ad indebitam conſurgere Monarchiam, & alias ſibi Eccleſias grauiſſimo cum ſcandalo, & ſchiſmate intolerabili ſubdere niteretur; Ac propterea noluit, vt Canonica ſcriptura quicquam de Petri Romam aduentu commemoraret: ſed profundo ſilentio eius poſteriores peregrinationes obuoluit, adeòque de Romana Cathedra ne verbum quidem: Cùm tamen, ſi fide diuina, vt noſtri volunt, credendum ſit, eundem ibi ſedem fixiſſe, in primis neceſſarium fuerit, vt diuinis oraculis dogma huiuſmodi primarium fundaretur; nihilominùs elatio Romana conata eſt, vndequaque Petri Romana facta ex omni coniecturarum leuiſſimarum vmbra corradere, immò ex quauis lacuna expiſcari, adeò vt Petrum omninò velit, vel inuitum Romæ Eccleſiaſticam, immò, quod longè eſt intolerabilius, etiam temporalem collocaſſe Monarchiam, quæ illi ne in mentem quidem vnquam venire potuit, vt diuina fauente gratia paulatim confirmabo.]

Reſpondeo, nemini non eſſe exploratas hiſtorias, etiam diuinas, plurimis refertas difficultatibus, à quibus ægrè ſe expediant, etiam eruditiſſimi viri, neque tamen propterea illis fidem eſſe abrogandam: ſic enim labaſceret etiam paſſionis Chriſti hiſtoria, qua nihil ſanctiùs habet religio Chriſtiana, quippe quo anno paſſus fuerit Chriſtus inter Scriptores non conuenit.

Et Irenæus nobilis in primis Pater ſupra quadrageſimum annum vixiſſe Chriſtum, aſſeuerare non dubitat. Quod attinet ad varias illas peregrinationes Petri, nec rarò Roma abſcedentis, nec infrequenter ſe eo rurſùs recipientis, neſcio, cur hic aqua hæreat Spalatenſi, quandoquidem eædem penè difficultates occurrunt in explicandis peregrinationibus Pauli, quod illæ duæ in Hieruſalem profectiones, in quibus mirè eſt hallucinatus Spalatenſis, ſatis oſtendunt. Quod ad tempus attinet, noſtra ſententia eſt, Petrum ſeptem annis Antiochenſis Eccleſiæ habenas moderatum; Antiochiæ autem Epiſcopatum conſtituiſſe antequam Romam ſe conferret, penè eſt omnium Scriptorum vox.

Nec audiendus Onuphrius, qui iſtas profectiones Petri turbauit. Diuinat verò, ac omninò ariolatur Spalatenſis, cùm Spiritum ſanctum facit *auctorem obſcuritatis*, quæ in Petri hiſtoria deprehenditur, quaſi propterea perplexitates illas inuexerit, *vt ambitionibus eorum, qui Romanam Monarchiam eſſent aſſerturi, obuiam iret*. Vanæ ſunt iſtæ tuæ coniecturæ, mihomo. Pleraque ità volente Spiritu ſancto, prætermiſerunt Scriptores, de quibus dubitare nefas ſit; Neque verebimur, eum, qui vnico Actorum Apoſtolicorum libello totam Apoſtolorum hiſtoriam comprehenſam contenderit, à religione Chriſtiana omninò eſſe alienum. Certè, vt omittam, tam varias, tamque multiplices Ioannis, Andræ, Matthæi, & reliquorum Apoſtolorum peregrinationes, quas ne attigit quidem Lucas, vnius Iacobi fratris Ioannis ab Herode *gladio occiſi* necem recenſet, nulla de maximorum Apoſtolorum martyrio mentione iniecta.

Scilicet ferè vnum illuſtrandum, ac ornandum ſumpſerat Paulum: quanquam eius occaſione alia tradat, quæ ſcilicet ad Paulum ducerent, ac ſine quibus eius hiſtoria ſcribi non poſſet. Vt ergo Apoſtolica illa hiſtoria Cathedræ Romanæ à Petro erectæ non meminerit, habemus tamen eius erectionis tam firma præſidia, vt nec ab inferorum portis conuelli poſſint. Quod attinet ad *Monarchiam ſpiritalem*: neque enim *Pompaticum*, aut etiam *terrenum imperium*, quod ſomniat Spalatenſis, inducimus, nituntur iſta auctoritate Chriſti, cuius hæc ſunt ad Petrum verba, *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*; *Paſce oues meas, Paſce agnos meos*; quibus eum primùm deſignatum, ac demùm Eccleſiæ Catholicæ impoſitum rectorem non dubitamus.

Excutiendæ iam nobis erant Chronologicæ difficultates, quas in hanc diſputationem inuexit Spalatenſis; ſed hoc nos labore leuauit eruditiſſimus Dionyſius Petauius, inſtituta de profectione Petri Antiochena, & Romana doctiſſima diſſertatione, qua fœda errata, & lapſus Spalatenſis aperit, profligat & diſpungit: Hanc, quòd nondùm edita ſit, hoc loco ſubijciendam duximus, vt emaculatiſſimo labore, quo nihil nobis viſum ſit, aut limatiùs, aut accuratiùs, lector perfruatur. Igitur ſic habet, omnibus numeris abſoluta, optimi Chronologi diſſertatio.

De Petri Antiochena, & Romana Sede Diſſertatio.

VEtus Eccleſiæ traditio eſt, Petrum Apoſtolum vtramque, & Antiochenam, & Romanam Eccleſiam fundaſſe: quod de Epiſcopali ijs in Vrbibus ſede conſtituta potiſſimùm Auctores intelligunt. Quanquam, & Chriſtianam fidem, probabile eſt, à Petro primùm in Vrbem importatam fuiſſe. Sed de Cathedra, vt vocant, præcipuè Veteres illi locuti ſunt, à quibus ea traditio manauit. Hanc tot ſeculorum auctoritate, tot antiquorum teſtimonijs corroboratam fidem hodierni demùm Hæretici conuellere, ac labefactare conati ſunt. Quorum nonnulli, Petrum ne Romam quidem vnquam aſpiraſſe: alij paulò prudentiores ſeriùs, quàm Veterum opinio tulit, ac diù poſt receptam illic Chriſtianam religionem adueniſſe contendunt. Ex hoc poſteriori grege Spalatenſis nuper transfuga, modò ad Catholicos, vtinam quàm fęlici ſorte, tam ex animo, ac bona fide reuerſus l. libro 4. de Repub. Eccleſ. cap. 1. multis argumentis, & coniecturis inſitam illam omnium animis de vtraque per Petrum fundata Eccleſia ſententiam euertere, atque expugnare nititur. Pugnat autem cum primis ratione temporum, & Chronologicis calculis, quos ex Actis Apoſtolorum anxiè, ac ſcrupuloſè ſubducit.

Quam in rem, & controuerſiam tractandam ſic incubuit, nulla vt in alia maiores conatus, atque ingenij ſui vires explicuerit. Nec immeritò ſanè: ſiquidem eſt nodus, vt idem ait, vix ſolubilis. [Itàque mihi, inquit, omninò conandum eſt, vt ipſum ſoluam, remque ex ipſis ſacræ Scripturæ fontibus, quàm maximè fieri poſſit, elucidem, tanto ſanè grauiori labore, quanto non ſolùm ſine alio manuductore per has ſalebras, ſed etiam contra torrentem Scriptorum mihi, regia tamen via, ſit incedendum.]

Poſtquam hac fiduciæ plena denuntiatione magnarum, & inauditarum ſpe rerum Lectorem induxit hiantem, nouas illas commolitur machinas, & aduersùs torrentem Scriptorum brachia dirigit. Ac cum toto ferè Capite primo, Petrum nunquam Romanæ Vrbis Epiſcopatum geſſiſſe, diſputet; à numero 17. ad 32. & vltimum, Chronologicis, vti dictum eſt, momentis idipſum non de Roma ſolùm, ſed etiam Antiochia ſtudet impellere. Quod vt aſſequi poſſit, omnia Petri, ac Pauli itinera, & ſtationes relegit, annoſque ſingulos, quibus vnaquaque geſta res eſt, aut Vrbs adita quælibet, curioſiſſimè percenſet. Verùm in hac ipſa temporum deſcriptione, in qua longè cæteris exactior videri voluit, adeò ſe imperitum, & eius, quod agebat, ignarum, hebetemque prodidit; vt mirum ſit, in eo homine, qui ſingularem quandam, ac reconditam totius Eccleſiaſticæ vetuſtatis ſcientiam profeſſus ſit, tantum eſſe ſtuporis, atque inſcitiæ potuiſſe.

Et quoniam aduersùs Chronologicam illam diſputationem certamen iſtud præcipuè ſuſcepimus; hanc noſtram de Antiochena, & Romana Petri Cathedra diſſertationem ità partiemur; vt ſubdoctis, & in ſummam contractis opinionis contrariæ firmamentis, primùm Chronologica quędam capita, ac veluti cardines figantur, quibus vniuerſa quæſtionis moles, viſque noſtræ opinionis innititur. Hæc vbi, aſpirante Deo, perfecerimus, tum falſas, & pueriles Spalatenſis hallucinationes nullo negotio detegemus, eaſque per ſingulos numeros indagatas, atque erutas omnium in oculis ſtatuere, ac defigere conabimur.

Antiochenam Petri ſedem primo loco Spalatenſis agreditur. Aduersùs quam vehementiore ſtudio, ac totis adeò neruis incumbens, omnes argumentorum machinas admouet: quòd ex illa ſedis alterius, nempè Romanæ, quod ad tempus attinet, apta eſt omnis, & ſuſpenſa ratio. Itàque in Antiochena Cathedra refellenda maiorem partem diſputationis inſumpſit, à numero præſertim 17. ad 28. excluſiuè. Indè ad finem capitis Romanam oppugnat. Vis eſt autem argumentorum omnium in eo poſita; vt ex Actorum libro demonſtret, Petrum tandiù in Palæſtina, & Hieroſolymis eſſe verſatum, vt nonniſi ſerò admodùm, & quindecim fermè ab obitu Saluatoris annis, Antiochiæ fuerit; vbi paulò plus anno vno permanſerit. Romam verò non ante duodecimum Neronis annum, ac ſub obitum ſuum peruenire potuiſſe; cùm hactenùs in Oriente, & Aſia propagandæ Chriſtianæ rei nauaſſet operam.

Igitur aduersùs Antiochenam Cathedram, vt ſummatim colligam, hunc in modum, ratiocinatur. Petrus antequam ab Herode Hieroſolymis in vincula conijceretur, extrà Iudæam pedem non extulit. Ideò ne Antiochenam quidem ſedem, nedùm Romanam ante illud tempus erigere potuit. Quòd autem ante carcerem ſuum extrà Iudææ fines non excurrerit, ex Actorum Hiſtoria ſic oſtenditur. Etenim poſt necem Stephani, Diſcipuli per Iudæam, & Samariam diſperſi ſunt, præter Apoſtolos. Mox Samariam cum Ioanne Petrus mittitur, Act. 8. Secuta eſt paulò pòſt Pauli conuerſio, altero poſt Chriſti paſſionem anno. Poſt triennium, quàm conuerſus erat, Paulus Hieroſolymam venit, vt Petrum videret, Gal. 1. Itàque nondùm Petrus è Iudæa migrauerat. Spalat. n. 17.

Secundùm hæc, pace per Eccleſias conſtituta, Petrus Iudæam, Galilæam, & Samariam peragrauit, Act. 9. Hinc Hieroſolymam reuertitur, Act. 11. Necdùm ergo Antiochenam fundarat Eccleſiam. Cuius quidem prima fundamenta Chriſtianis ab Cyprijs, & Cyrenæis iacta ſunt, Act. 11. 20. quo tempore ad Apoſtolos, qui erant Hieroſolymis, fama peruenit, com. 22. Vnde Petrus, & Barnabas Antiochiam miſſi ſunt. De Petro verbum nullum.

Poſteà cùm ingens fames Imperatore Claudio graſſaretur, Paulus, & Barnabas collatam ab Antiochenis pecuniam Hieroſolymam comportarunt. Paulum verò priuatim & illud mouebat, vt cum Apoſtolis Euangelium conferret, Act. 11. 28. & Galat. 2. Eſt enim ſecundus iſte Pauli aduentus Hieroſolymam, poſt annos à conuerſione ſua quatuordecim, vt ad Gal. ſcribens ipſe teſtatur. Idem porrò annus eſt Chriſti 49. Claudij 6.

quod

quod ex Romanorum Imperatorum ſucceſſione deducitur. Nam decimo quinto Tiberij anno, Chriſtus ætatis agebat annum 30. Tiberius annis 23. imperauit, Caius 4. Claudius 13. Ità conuerſio Pauli incidit in annum Tiberij vigeſimum, Chriſti 35. His adde 14. annos à conuerſione Pauli ad ſecundum aduentum, conſient anni 49. nempè Chriſti 34. & 4. Tiberij, totidem Caij, & 6. Claudij. Anno itàque Claudij 6. Chriſti 49. fames illa contigit, de qua meminit Lucas Act. 11. Hactenùs Petrus Iudæa ſeſe continuit. Nam cùm Paulus ad collectas deferendas, Hieroſolymam per idem tempus veniſſet, cum Petro, & alijs quibuſdam Apoſtolis caput contulit, vt ad Galatas ſcripſit; cum iiſque fœdus inijt, vt ipſe Gentibus; Petrus Iudæis prædicaret Euangelium. Poſt hæc Petrus ab Herode vinctus, Iacobus capite truncatus eſt; Act. 12. Elapſus è carcere Petrus, Antiochiam denique ſeſe contulit. Apparetque non ante Claudij ſextum, hoc eſt Chriſti 49. Petrum Antiochiam vidiſſe. Et errant videlicet, qui anno Claudij ſecundo Romanam Sedem à Petro fundatam memorant; cum ne Antiochenę quidem locus ante ſextum Imperatoris eiuſdem ſit relictus.

Exindè Petrus Antiochia non longè pòſt Hieroſolymam ad Concilium redijt, de quo Act. 15. quod anno Claudij 8. celebratũ eſt, Chriſti 51. à quo tempore ſi ſexennium, aut ſeptenniũ Antiochenę Sedis inchoandum exiſtimes, vix ſatis ad Romanam Sedem obtinendam interualli reliquum feceris. Hæc de Antiochena ſummatim Spalatenſis.

De Romana porrò proxima ſuperioribus, & connexa ratio eſt. Nam ſi rectè conſtituta illic eſt temporum partitio, euidens eſt, Paulum diù antè Petrum Romam perueniſſe; immò verò nonniſi poſtremò vitæ ſuæ tempore Petrum eò veniſſe. Etenim communis omnium conſenſus eſt, cauſam hanc Romam proficiſcendi Petrum habuiſſe, vt Simonem Magum, qui illic graſſabatur, compeſceret, atque eius conatibus intercederet. Quod cùm auctores aliqui ſub Claudio contigiſſe ſcribant, ex eo refelluntur; quòd vnus tantùm ab omnibus Petri Romam aduentus, & cum Simone congreſſus agnoſcitur; poſt quem breui interiecto tempore à Nerone interfectus eſt. Vnde ſequitur ſub extremum vitæ ſuæ tempus, adeòque longè pòſt aduentum Pauli, Romam adueniſſe Petrum, minimèque verum eſſe, quod vulgo iactitant, Romanam Eccleſiam, aut ſedem à Petro eſſe fundatam, cui & annis quatuor, & viginti præſederit. Duodecimo itàque Neronis anno, Chriſti 68. paulò antè martyrium Apoſtolorum, Petrus Romam attigit, & Simonem exaere præcipitem deiecit.

Subijcit ijs in fine Capitis Chronologicam Tabulam, quæ ab anno Chriſti 30. ad 68. & 12. Neronis perducta, ſummam rerum ab Apoſtolis geſtarum complectitur.

TABVLA CHRONOLOGICA à M. Antonio de Dominis Archiepiſcopo Spalatenſi contexta.

Ex Capite primo Libri quarti.

ANNI IMPERATORVM.	ANNI CHRISTI.		SCRIPTVRA.
Tiberij. 15.	30.	Chriſtus in Iordane à Ioanne baptizatus.	Luc. 3.
18.	33.	Chriſtus paſſus.	
19.	34.	Stephanus lapidatus. Perſecutio ſub Stephano. Diſcipuli diſperſi, præter Apoſtolos. Petrus, & Ioannes in Samariam Legati.	Act. 7. 8.
20. 21. 22.	35. 36. 37.	Pauli conuerſio: & prædicatio ipſius in Arabia, & Damaſco.	Act. 9. Gal. 1.
23. Caij.	38.	Pauli primus Hieroſolymam aduentus, poſt tres annos à ſua conuerſione, vt videret Petrum; vbi manſit diebus 15. inde iuſſu Domini elabitur Tarſum.	Act. 9. & 22. Gal. 1.
1. 2. 3. 4. Claudij. 1. 2. 3. 4. 5.	39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47.	Pax in Iudæa, Galilæa, & Samaria. Eccleſia in his locis creſcit: Petrus in Palæſtina ſanat Æneam: ſuſcitat Tabitham: ad Cornelium accedit, reditque Hieroſolymam. Interim Paulus in Syria, & Cilicia, præſertim in ſua patria Tarſi, ſubſiſtit.	Act. 9. 10. 11. Gal. 1.
6.	48.	Conuerſio prima Antiochiæ; miſſio Barnabæ eò, qui ſibi adiunxit Paulum Tarſo abductum. Tunc ſecundus Pauli Hieroſolymam aduentus cum Barnaba, poſt annos 14. à conuerſione: qui eò tum collectas attulerunt occaſione famis, quæ ſæuijt ſub Claudio. Contulit Paulus ſuam prædicationem cum Apoſtolis. Occiſus eſt Iacobus ab Herode. Petrus in carcerem coniectus: inde liberatus pergit Antiochiam.	Act. 11. 12. Gal. 2.
7.	49.	Paulus reuerſus Antiochiam, proficiſcitur Cyprum: peragrat alias Regiones, & reuertitur Antiochiam. Ibi reprehendit Petrum.	Act. 13. & 14. & 15. Gal. 2.
8.	50.	Pauli tertius aduentus Hieroſolymam, pro controuerſia legalium: fitque Concilium Hieroſolymitanum, cui intereſt Petrus.	Act. 15.
8. 9.	50. 51.	Paulus reuertitur Antiochiam, inde ſpargit Euangelij ſemina in Macedonia, Theſſalonicæ, Athenis, &c. peruenitque Corinthum; quo tempore à Claudio Iudæi Italia pulſi.	Act. 15. 16. 17. 18.
10. 11.	52. 53.	Paulus manet Corinthi ſeſquiannum: Et fortaſsè hoc tempore ex voto viſitauit Hieroſolymam.	Act. 18.
12. 13.	54. 55.	Paulus denuò Epheſi: ibique moratur per biennium; in Græcia per tres Menſes.	Act. 19. 20.

AN-

ANNI IMPERATORUM.	ANNI CHRISTI.		SCRIPTURA.
Neronis. 1. 2.	56. 57. 58.	Pauli quartus, (& fortaſsè quintus) Hieroſolymam aduentus: ipſiuſque vincula Hieroſolymis, & Cæſareæ, per biennium.	Act. 21.
3. 4. 5.	59. 60. 61.	Paulus vinctus Romam abducitur; ibique in vinculis biennio prædicat.	Act. 28.
6. 7. 8. 9. 10. 11.	62. 63. 64. 65. 66. 67.	Paulus ſolutus prædicat Romæ, & in Occidente. Petrus verò poſt Concilium Hieroſolymitanum in Oriente prædicat, in Ponto, Cappadocia, Aſia, Bithynia, &c.	2. Tim. 4.
12.	68.	Simon Magus Romæ iterùm debacchatur: Accurrunt Petrus, & Paulus; proſternunt Magum; & martyrio coronantur.	

ALTERA PARS

Diſſertationis;

In qua falſa Spalatenſis opinio refellitur.

HÆC ſunt præcipua Spalatenſis firmamenta, quibus communem, & receptam de vtraque per Petrum fundata Sede ſententiam oppugnat. Qua quidem in tota diſputatione vnum ilud obtinnit, non vt incertam eius, contra quam venit, hiſtoriæ veritatem faceret; ſed vt certam imperitiæ, ſtuporiſque ſui fidem inſignibus documentis teſtatam relinqueret. Quod antequam Lectoribus plsnum facio; quandoquidem quæſtionis cardo in anńorum, ac temporum deſcriptione vertitur; & hiſtoricis duntaxàt argumentis aduerſarius innititur; quædam à nobis fundamenta iaci neceſſe eſt, & Chronologicæ aliquot, hiſtoricæque priùs epochæ muniendæ ſunt, è quibus cætera dependent, quæ in tota hac diſputatione tractantur. Eiuſmodi ſunt in primis Romanorum quatuor Imperatorum tempora, quibus illa, qua de agitur, hiſtoria continetur, Tiberij, Caij, Claudij, ac Neronis; tum Paſſionis Dominicæ, Conuerſionis Pauli, Herodis annorum *diartbroſis*; tempus necis Iacobi, ac vinculorum Perri; famis illius, quæ Claudio imperante contigit; & ſi quæ ſunt alia ſuſceptæ diſputationis elementa; quæ nos non ex arbitrio, ac temerè, vti Spalatenſis, ſed neceſſarijs, quò ad licet, ac manifeſtis argumentis eruta velut *en protheorias logo* pręſtruemus.

I.

Romanorum Imperatorum aliquot epocha demonſtratiuè colligitur.

CHronologicæ demonſtrationes partim ex communi nobilium Hiſtoricorum conſenſu; partim ex Aſtronomicis obſeruationibus, & Mathematicis tabulis petuntur. Hæc enim artis illius principia ſunt; quibus ignoratis, aut neglectis, omnem temporum fluctuare rationem, ac perturbari neceſſe eſt: vt ex Spalatenſis Chronorrhaphia paulò poſt conſtabit.

Quamobrem ad muniendam Romanorum Imperatorum, qui quidem ad inſtiturum noſtrum pertinent, Chronologiam, obſeruationes adhibebimus inſignes duas, vel tres; de quibus nulla ſit dubitario. Prima eſt Eclipſis Solis, quæ, vt refert Dio lib. 9. incidit M. Vinicio II. Statilio Coruino Coſſ. Kalendis Auguſti: quam cùm præuidiſſet ante Claudius, ne quis ex ea malum aliquod Imperatori portendi crederet, publico Edicto denunciauit. Annus hic erat Claudij quintus. Quippè illis Coſſ. quintus inijt annus Imper. Claudij, vtì Scriptores omnes aſſeuerant. Nam primus ipſius annus cœpit Coſſ. Caio 4. & Cn. Sentio Saturnino, 24. Ian. quo Caius occiſus eſt. Ab ijs Coſſ. quintum locum habent in Faſtis Vinicius II. & Statilius Coruinus. Ergo quintus annus Claudij ijs Coſſ. inchoatur. Iam ſi Aſtronomicas Tabulas conſulamus, reperiemus defectum illum Solis incurrere in annum Chriſti 45. Kal. Auguſti.

Altera Solis Eclipſis accidit, vt auctor eſt Plinius lib. 2. cap. 70. Vipſanio, & Fonteio Coſſ. pridie Kalendas Maias, in Campania hora diei inter ſeptimam, & octauam. Hic eſt annus quintus Neronis currens. Cœpit enim Aſinio Marcello, & Auiola Coſſ. tertio Eid. Oct. Porrò Eclipſis hæc incidit in annum æræ vulgaris 59. Cyclo Lunæ 13. Aprilis 30. vtì Tabulæ demonſtrant. Ex ijs duobus Solis deliquijs colligitur duorum Imperatorum initium, Claudij, & Neronis. Nam ſi Claudij annus quintus inijt à Ianuario anni Chriſti 45. neceſſe eſt à Ianuario anni Chriſti 41. primum annum eiuſdem Imperatoris cœpiſſe. Docent Hiſtorici Romani, Tiberium annis ferè 23. imperaſſe, hoc eſt, 22. ſolidis, & menſibus ſeptem; mortuum verò 17. Kalendas Aprilis Cn. Acerronio Proculo, & C. Pontio Coſſ. Caius hunc excepit; qui imperium obtinuit, omnium conſenſu Scriptorum, annis quatuor, minùs duobus ferè menſibus: Mortuus eſt ipſo 4. & Saturnino Coſſ. Ianuarij 24. Claudius deindè annis imperauit 13. cum menſibus 8. diebus 20. Dione teſte. Obijt 13. Octobris. Nero denique annis imperauit 13. menſibus 8. Obijt menſe Iunio. Ex indubitatis hiſce hiſtoriæ principijs cum obſeruationibus illis, quas in medium adduximus, certiſſima eruitur epocha Romanorum 4. Imperatorum, necnon obitus Auguſti. Etenim Claudij annus primus, vt oſtenſum eſt, cępit à Ianuario anni Chriſti 41. & quintus eiuſdem, anno Chriſti 45. Primus ergo Neronis initium habuit ab Octobri menſe anni Chriſti 54. qui eſt annus Iulianæ editionis 99. Vrbis conditæ, 807. Quintus ergo Neronis ab Octobri cœpit anni Chriſti 58. & ſequenti 59. currebat adhuc, quando Eclipſis illa Solis Pridie Kalendas Maias accidit. Ità decimus quartus Neronis, & vltimus cœpit anno Chriſti 67. & octauus eius menſis deſinit in Iunium anni 68. At ſi in anteriora tempora regrediamur; quandoquidem Caij quartus annus cœpit anno Chriſti 40. primus eiuſdem annus inijt anno Chriſti 37. ex A. D. 17. Kalendas Aprilis anno Iuliano 82. Cn. Acerionio Proculo, C. Pontio Coſſ. ſub ijs enim mortuus eſt Tiberius, anno Vrbis 790. Porrò Tiberij viceſimus tertius cœpit anno antecedente, Chriſti 36. Iuliano 81. Igitur primus eiuſdem cœperit oportet anno

Chriſti

Chriſti 14. Iuliano 59. quo & Auguſtus exceſſit, duobus Sextis Coſſ. 14. Kal. Septembr. anno Vrbis 767. quo eodem anno paulò poſt eius obitum Luna defecit: Septembris 27. Cuius deliquij Tacitus meminit, eiuſque conſpectu Romanos milites in Pannonia tumultuantes perterritos eſſe refert. Hactenùs demonſtratæ ſunt Romanorum Imperatorum epochæ; Tiberij anno Chriſtianæ æræ 14. Caij, anno 36. Claudij, 41. Neronis 54.

I I.

Dominicæ Paſsionis annus.

QVæ ad Dominicæ Paſſionis annum, nec non Natalis eiuſdem pertinebant, ea diligenter explicata ſunt in Animaduerſionibus ad Epiphanium: ex quibus, circunſcriptis, ne longiores ſimus, ceteris, ſummam opinionis illius, quam Epiphanio, alijſque Veteribus placuiſſe ſcimus, breuiter hoc loco colligemus.

Eſt igitur Epiphanij illa ſententia; Chriſtum à Iudæis crucifixum eſſe anno illo, qui Tiberium 5. & Seianum Coſſ. habuit; qui eſt Vrbis 784. Iulianus 76. Etenim Iulianus primus inijt anno Vrbis conditæ 709. ita vt 45. anno Iuliano exeunte, Decembri menſe, Natalis æræ Dionyſianæ congruat; & primus eiuſdem æræ proximè poſt Natalem incipiat anno Iuliano 46. Idem annus eſt Olympiadis 202. ſecundus currens Paſſionis tempore; cui tertius eiuſdem Olympiadis ſucceſſit circa æſtiuum Solſtitium. Tiberij verò 18. eodem anno cœptus eſt ab Auguſto menſe. Verùm nonnulli Scriptores annos Tiberij, & aliorum Imperatorum non à propria ipſorum epocha; ſed ab anni ciuilis initio numerant, quod eorum primordium anteceſſit. Itàque Epiphanius, & alij, qui Chriſtum anno 18. Tiberij paſſum eſſe dicunt, decimum octauum eum vocant Iulianum Annum, quo decimus ſeptimus deſijt, & decimus octauus incepit; Is autem eſt Iulianus 76. æræ communis 31. vt proximè demonſtrauimus, Cyclo Lunæ 13. Quòd ergo Paſſioni ſit ille dicatus annus æræ communis 31. multis rationibus adſtruximus in Animaduerſ. ad Epiphan. p. 174. 175. & 176. & eam oſtendimus opinionem fuiſſe Africani, qui anno 2. Olympiadis 202. paſſum aſſeuerat; Concilij Cæſarienſis, cuius fragmentum habetur apud Bedam Opuſc. de Æquinoctio. Patres enim huius Concilij Chriſtum reſurrexiſſe volunt 8. Kalendas Aprilis, nempè Cyclo Solis 12. litera G, quæ hoc tantùm anno tricesimo primo æræ vulgaris occurrit, aut ante hunc, viceſimo quinto, Cyclo Solis 6. vel triceſimo ſexto, Cyclo Solis 17. Verùm tam longè ſummoueri Paſſionis annum, rationum omnium momenta prohibent, vt ad æræ communis 36. & Tiberij 22. prorogetur. Quin etiam Hieronymus lib. de Script. Eccleſ. in Iacobo fratre Domini, teſtatur hunc annis 30. Hieroſolymitanæ Eccleſiæ præfuiſſe; mortuum verò anno 7. Neronis ſub Paſcha. Neronis annus primus inijt æræ communis anno 54. vti demonſtratum eſt: Septimus ergo conuenit in 60. de 60. annis detrahe 30. reliqui ſunt 30. Itàque 31. æræ Epiſcopus Hieroſolymorum creatus eſt Iacobus; quod & Euſebius in Chronico ſcribit. Idem Hieronymus refert illo ipſo libro de Script. Eccleſ. Paulum anno viceſimo quinto poſt Paſſionem Domini, id eſt, ſecundo Neronis, Romam cum vinculis eſſe miſſum, obijſſe verò cum Petro anno poſt Paſſionem triceſimo ſeptimo. Iam conſtat è ſuperioribus Neronis annum ſecundum inchoatum anno communis æræ, 55. de quibus detractis 25. ſuperſunt 30. ideò ſequenti anno, nempè 31. Paſſio contigit. Paulus item anno Neronis exeunte 13. ſequente 14. mortuus eſt: adeòque Chriſtianæ æræ ſexageſimo ſeptimo. Deduc annos 37. de 67. reſtant, vt paulò ante, 30. Plura non addam. Hæc enim ſatis eſſe poſſunt, vt ex Epiphanij, Veterumque ſententia Chriſtum arbitremur anno Iuliano 76. æræ Dionyſianæ 31. paſſum fuiſſe.

I I I.

Quis Herodes ille fuerit, & quo tempore regnaret, à quo Iacobus occiſus, Petrus in vincula coniectus eſt.

EST hic Herodis Chronologiæ cardo cum primis ad certam illorum temporum rationem eruendam opportunus; imò neceſſarius. Cuius ignoratione miſerandum in modum Spalatenſis ſuam inſcitiam traduxit. Sciendum eſt itaque, tres in Scriptura nominis eiuſdem commemorari principes. Primus eſt infanticida. Secundus eſt Herodes Antipas Tetrarcha Galilææ, qui Chriſto illuſiſſe legitur, & Ioannem occidiſſe. Fuit hic Herodis magni filius ex Marace Samaritana, & ab Auguſto ex Patris ſui teſtamento Tetrarcha factus, auctore Ioſepho, lib. 17. cap. 13. Nam Archelao Iudæa cum Hieroſolymis attributa, citra Regis titulum: Herodi iſti Galilæa, & Peræa. Archelaus decimo anno Tetrarchiæ ſuæ apud Auguſtum accuſatus, ab eo Viennam relegatus eſt. Ioſephus lib. 17. cap. 15. Dio ſcribit Coſſ. Marco Lepido, & L. Arruntio Herodem Iudæum à fratribus accuſatum eſſe, & Viennam deportatum in exilium. Hic eſt annus Vrbis 759. Iulianus 51. æræ Chriſtianæ 6. Proindè non dubium eſt, Archelaum Herodis nomine affectum ab hoc Hiſtorico. Quòcirca poſt Archelai relegationem, Iudæa cum Hieroſolymis ſub Iudæorum Regulis eſſe deſijt, & ad Romanorum Magiſtratuum tranſlata poteſtatem eſt, & contributa Syriæ. Herodes Antipas Tetrarcha cùm Agrippæ inuidens Romam ad Caium Caligulam regni impetrandi cauſa nauigaſſet, accuſatus ab Agrippa Tetrarchia ſua exutus, & Lugduni in Gallijs exulare iuſſus eſt. Ioſeph. lib. 18. cap. 18. Contigit hoc anno Caij quarto, æræ Dionyſianæ 40. Galilæatum Agrippæ conceſſa. Iſte eſt Herodes tertius Agrippa nominatus, Herodis Magni nepos, Ariſtobuli F. qui varia vſus eſt fortuna; quam Ioſephus lib. 18. cap. 8. & 9. lib. 19. cap. 4. deſcribit. Primùm à Ti-

berio coniectus in vincula: mox eo mortuo, à ſucceſſore Caio honorificentiſſimè habitus, ac Philippi Tetrarchia cum Regis appellatione donatus eſt, addita Lyſaniæ Tetrarchia; quod anno Caij quarto contigit, vt dictum eſt. Mortuo Caio, Claudius Agrippæ regnum amplificauit, additis Iudęa, & Samaria, quæ olim Archelao ademptæ fuerant. Ità vniuerſam Herodis aui ditionem recuperauit Agrippa. Obijt verò, vt idem Ioſephus prodit lib. 19. cap. vltimo, annum ętatis agens 54. regni ſeptimum; quorum quatuor primos ſub Caio tranſegit. Nam Philippi Tetrarchiam Regis titulo tres annos obtinuit: quarto Herodis Antippę Tetrarchiam à Caio meruit: reliquos tres egit ſub Claudio, Iudęa auctus, & Samaria. Ita tertio anno, quàm toti Iudęæ regnare cœperat, exacto moritur, anno Chriſti Dionyſiano 44. Obijt Cęſareæ, quæ Stratonis Turris vocabatur, cùm ſpectaculis intereſſet, ac frequentibus populi acclamationibus numinis inſtar celebratus eſſet; quæ eſt ipſiſſima Lucæ narratio, cap. 12. Actorum. Igitur ex comparatione Ioſephi lib. 19. cap. 7. cum ſacra hiſtoria Act. 12. dubitari non poteſt, quin Herodes ille, de quo Lucas, ſit idem cum eo, cuius hiſtoriam Ioſephus expoſuit.

IV.

De fame illa, quæ Act. 11. 28. ſub Claudio contigiſſe memoratur.

AGabus ingentem famem Antiochiæ prædixit, quæ contigit toto Orbe terrarum ſub Claudio Cæſare. Qua prædictione commoti Chriſtiani, contributione facta, ſubſidia miſerunt Hieroſolymam; quæ à Paulo, & Barnaba eò portata ſunt. Enitendum itàque nobis eſt, vt famis iſtius tempus certis veſtigijs aſſequi, atque extricare poſſimus.

Dio lib. 70. anno Claudij II. ipſo Claudio, & C. Licinio Largo Coſs. ingenti fame laboratum eſſe narrat, cui Imperatoris diligentia egregiè ſubuenit.

Ioſephus porrò lib. 20. *Archaiol.* Cap. 11. famis alterius meminit, quæ ſub eodem Imperatore contigit, anno eius quarto, vel quinto. Hæc proculdubiò non eadem eſt, ac ſuperior; tametſi in Annalibus promiſcuè habentur.

Euſebius igitur in Chronico famem illam ab Agabo prædictam, quam etiam lib. hiſt. 11. cap. 11. cum ea, quam Ioſephus refert, confundit, in annum Claudij IV. conijcit.

Hunc ſecutus eſt Oroſius lib. 7. cap. 6. Mihi ſecundo potiùs anno Claudij competere videtur: Non ſolùm quia fames illa, quam Lucas memorat, totum Orbem peruaſiſſe dicitur: illa verò Ioſephi, Iudææ fuiſſe penè ſolius; verùm etiam quòd priorem famem ex Lucæ narratiõe colligimus viuo adhùc Agrippa graſſatam fuiſſe. Siquidem antè Petri carcerem, & Iacobi cædem, Paulus, & Barnabas collatitium ęs Hieroſolymam potarunt, quod ad famis ſubſidium vltrò ſibi Chriſtiani Antiochenſes indixerant. Ergo haud longo poſt tempore contigit.

At Herodes Agrippa Claudij anno ineunte quarto perijt, Chriſti 46. Quo quidem anno quadrageſimo quarto nondùm alteram illam incubuiſſe famem, cuius Ioſephus meminit, ſed anno quadraſimo quinto, Claudij V. ità ex Ioſepho concluditur; Scribit is, lib. 20. cap. 1. mortuo Agrippa, filium eius Agrippam Iuniorem, qui Romæ apud Claudium erat, ab eo, quod Iudæi poſtulabant, impetraſſe, vtì Pontificia veſtis in illorum poteſtatem traderetur. Cuius tempus ex reſcri. pto Claudij ad Iudæos ibidem notatur. *Claodios Caiſar Germanicos dimarchicis exoyſias, tò pempton ypatos apodedeimenos, to tetarton aytocrator, tò decaton patir patridos Ieroſolymiton archoyſi.* Hunc locum, vtì in Frobeniana editione legitur, neceſſariò hìc deſcripſimus, vt erroris admoneremus, in quem vitioſa illius interpunctio Illuſtr. Annalium Scriptorem compulit. Cuius ipſi occaſionem dedit Ruffinus Ioſephi deprauator ineptiſſimus; qui ſic illa verba reddidit. [Claudius Cæſar, Germanicus, Tribunitiæ poteſtatis, quinquies Conſul, ordinarius quater, Imperator decies, pater patriæ, Hieroſolymorum principibus.] Ex quo in Annalibus Eccleſ. anno 46. num. 9. Ioſephus acerrimè reprehenditur, quòd hæc, quæ illic geſta narrantur, referat ante annum quinti Conſulatus Claudij; qui fuit Imperij eius annus decimus; itemque antè famem illam toto Orbe graſſatam, quæ anno ſecundo Claudij contigit. Verùm ex mendoſa Græcæ illius editionis, & Ruffinianæ verſionis interpunctione quęrelæ iſtæ natæ ſunt. Scribe igitur: [Claudius Cæſar Germanicus Tribunitiæ poteſtatis quintum, Conſul deſignatus quartum: Imperator decimum, pater patriæ, &c.] Notum illud, ex multiplicata Tribunitia poteſtate annos Imperij colligi; quod Dio lib. 51. teſtatur. Quare, annus iſte Claudij quintus eſt, non autem antè Conſolatum quintum, quem anno Imperij vndecimo geſſit, at quartum Conſulatum anno Imperij 7. Chriſti 47. ſed ante biennium, ideſt, Chriſti anno quadrageſimu quinto, cùm ageret Imperij quintum, deſignatus iam Conſul, reſcriptum illud edidit. Quid enim Ruffino venit in mentem, vt *apo dedeigmenon* verteret ordinarium? Porrò Ioſephus proximè ſequenti capite, ſub idem tempus, quo ſcripſit Claudius, famem incidiſſe refert, cui Helena Adiabenorum regina opem attulit. Vnde perſpicuum eſt, Claudij V. non quarto, vt Euſebius, Oroſius, alijque memoriæ prodiderunt, famem ingruiſſe, cuius meminit Ioſephus; nec eandem eſſe cum altera, quæ Act. 11. memoratur; vt ijdem Scriptores aſſeuerant.

Concludamus ergo famem illam, de qua Act. 11. incurrere in annum 2. Claudij; vtì Dio teſtis eſt; qui annus eſt æræ Dionyſianæ 42.

De

V.

De anno Conuerſionis Pauli, carceris Petri, ac necis Iacobi.

POſt Chriſti Domini Paſſione,& in Cœlum Aſceuſionem breui interiecto tempore, eodem aooo certè, Stephanum occiſum à Iudæis, Baronius haud temerè colligit; eique nos aſſentimur. Quo tempore Chriſtiani, qui Hieroſolymis erant, vbique diſperſi ſunt, Act. 8. 4. Saulus deindè ex perſecutore Chriſti Diſcipulus factus eſt. Id autem quoto anno contingerit, accuratiùs expendendum. Hieronymus in Catalogo Script.in Paulo,refert ipſum anno poſt Paſſiooem Domini triceſimo ſeptimo mortuum eſſe, Neronis XIV. Chryſoſtomus verò Homilia de Prioc.Apoſt. tomo 5. ſcribit, Paulum ſeruijſſe Chriſto annis 35. Oſtendemus paulò poſt, Apoſtolorum necem incidiſſe in annō æræ Dionyſianæ 68. quo annus Neronis 13.deſijt,& 14. inchoatus eſt. Si igitur de 67. annis detrahas 35. reliqui ſunt 32.Proindè anno circiter ineunte 33.æræ Dionyſianæ, Iuliano 78. conuerſus eſt Paulus.

Quod ad annum attinet necis Iacobi, & carceris Petri, ad hunc eruendum nullum aliud præſidium occurrit, quàm Herodis regnum. Conſtat, Herodem illum Agrippam fuiſſe: quem nos oſtendimus quatuor annis in Galilæa, cæteriſque, præter Iudæam, & Samariam, Iudaici Regni Prouincijs imperaſſe Regio titulo præditum, idque imperante Caio: tres autem reliquos exegiſſe ſub Claudio: qui ſimulatque imperium iuijt, Agrippæ Iudæam, & Samariam admenſus eſt. Ex eo itàque tempore Iudææ totius Regnum obtinuit, quod Herodes ſenior habuerat; ac tum Hieroſolymis cum poteſtate regia præfuit; quæ hactenùs Herodiadum ditioni ſubtracta ab Romanis Magiſtratibus adminiſtrabatur, ab eo anno, quo relegatus eſt Archelatus, ad primum Claudij, quo Agrippæ Regno Vrbs illa cum reliqua poſſeſſione veteris Herodis eſt attributa. Itàque ab anno Iuliano 51. quo, Dione teſte, Archelaus relegatus eſt, ad Iulianum 86. Dionyſianæ æræ 41. quo Agrippa Vrbe potiùs eſt, annis 35. Hieroſolymis nullus ex Herodis poſteris eum poteſtate præfuit; neque iuriſdictionem vllam exercuit. Argumento eſt, quòd Paſſionis Dominicæ tempore Pilatus in Chriſtum ſententiam tulit; Herodes tanquam priuatus eadem iu Vrbe verſatus eſt. At poſteà quàm Herodes Agrippa Claudij beneficio Hieroſolymam ad imperium adiunxit, ibidem pro rege ſeſe geſſit, & Iacobum damnauit; Petrum in vincula coniecit.

Quod autem, anno 1. Claudij ineunte, Chriſto quadrageſimo primo, Agrippa Hieſolymis, ac Iudæa donatus ſit, ex reſcripto Claudij, quod Ioſephus lib.19. cap.4. refert, liquidò conſtat. Cùm enim ſtatim poſt obitum Caij, qui Ianuario menſe deceſſit, nactus imperium Claudius Agrippam Iudęæ totius, & Hieroſolymorum adeò regem conſtituiſſet, hic in Palæſtinam ſubindè Roma profectus eſt: cui digredienti Claudius literas dedit in Iudæorum gratiam, Alexandriam, & in Syriam perferendas. In ijs literis Claudius *dimarchicis exoyſias* ſimpliciter dicitur: quod indicio eſt, primo anno imperij ſcriptas fuiſſe.

Additur in ſecundo reſcripto, *ypatos cheirotonitheis tò deyteron*, ideſt deſignatus. Geſſit autem Conſulatum ſecundum anno Chriſti 42. imperij ſecundo: deſignatus autem anno ſuperiore fuit, hoc eſt Chriſti 42. Agrippa verò ſtatim, ac celerrimè, vt ait cap. 2. Ioſephus, Hieroſolymam properauit, & Iudæos omnibus officijs comprehendere, ac demereri ſibi conatus eſt.

Quocircà probabile eſt, anno ipſo Chriſti quadrageſimo primo, quo ab Iudæis gratiam iniret, ſtatim in ipſo Hieroſolymorum poſſeſſionis initio de Iacobo, & Petro pœnas ſumere voluiſſe.

Itá anno vndecimo à Chriſti paſſione Petrus in vincula coniectus eſt, Lege attentiùs cap. 11. & 12. Act. Apoſt. Inuenies eodem quidem anno, ſed paulò antèquam fames illa graſſaretur, cui ſubuentum eſt ab Antiochenſibus, id eueniſſe, nempè anno Claudij 2. Chriſti 42. paulò antè Paſcha.

Cùm enim com. 27. 28. 29. & 30. capitis 11. narraſſet Lucas, Agabum *ſignificaſſe per ſpiritum famem magnam futuram in vniuerſo Orbe terrarum quæ facta eſt ſub Claudio Cæſare*: ideòque contributione facta, ſubſidia per manus Barnabæ, & Sauli Hieroſolymam miſſa, mox cap. 12. ſubijcit: *Eodem autem tempore miſit Herodes Rex manus, vt affligeret quoſdam de Eccleſiæ*, &c. Et in fine capitis: *Barnabas autem, & Saulus reuerſi ſunt ab Ieroſolymis, expleto miniſterio.*

Credibile eſt, anno 41. Chriſti Agabum Antiochiæ vaticinatum eſſe; & eodem anno, vel ineunte 42. Paulum cum Barnaba Hieroſolymam profectum, ſiue antèquam Petrus vinceretur, ſiue poſt eius fugam. Omninò verò ſuperſtite adhùc Herode fames incubuit. Hoc ſi verum eſt, ergo antè 44. annum fame laboratum eſt. Nàm Herodes hoc anno moritur. Quare, neceſſe eſt anno 42. famem accidiſſe, eodemque Petrum eſſe vinctum.

VI.

De varijs temporibus, quibus Paulus Hieroſolymam profectus eſt, deque Concilio Hieroſolymitano.

NOn mediocrem verò propoſitæ quæſtioni lucem afferet variarum profectionum Pauli, & Concilij Hieroſolymitani enucleata ratio. Quater igitur, quantum è ſacris libris colligimus, poſt conuerſionem ſuam Paulus Hieroſolyma profectus eſt.

Prima profectio eſt illa, cuius meminit Gal. 1. 18. poſt tres annos à conuerſione, vt videret Petrum; anno Chriſti triceſimo ſexto.

Secunda legitur Act. 11. 30. quando cum

Bar-

Barnaba miſſus eſt, vt collatitiam ſtipem deferret. Tertia, poſt annos à priori 14. contigit; à poſteriori verò circiter octo; nempè Chriſti 49. Claudij 9. Galat. 2. 1.

Quarta profectio Act. 18. deſcribitur, quando, & in vincula coniectus, & Romam perductus eſt.

De tertia nonnihil ambigitur. Quidam enim quatuordecim illos annos, qui ad Galat. 2. 1. leguntur, numerant ab ipſa conuerſione Pauli; quod & illuſtriſſimus Annalium ſcriptor ſecutus eſt.

Sed rectiùs Hieronymus in illum locum annos iſtos 14. à prima profectione, quæ poſt triennium à conuerſione contigit, putandos exiſtimat: vt ſit annus tertiæ profectionis poſt conuerſionem decimus ſemptimus, Chriſti 49. Claudij nonus.

Conuerſio Pauli contigit anno Chriſti 33. decimus ſeptimus ab eo eſt 49. Chriſti. Proindè meritò Spondanus vir eruditus in Epitome, ad annum 51. Baronianos Annales corrigit, & auctorem Hieronymum ſequitur. Paulus verò in epiſtola ad Galat. 1. tantùm, ac tertiæ profectionis meminit; de ſecunda mentionem nullam facit: fortaſsè quòd leuiores iſta cauſas habuerat; præcipuè vt collatam pecuniam deferret, non vt de functione ſua, ac prædicandi munere cum Petro, ac cæteris conferret, quæ primæ, ac tertiæ profectionis occaſio fuerat. Id enim agebat in ea ad Galatas, vt ſe Euangelium ſuum non ab vllo mortalium accepiſſe, ſed à Deo ſolo, perſuaderet. Quare, illas tantùm profectiones attigit, quę *aythenticin* ſuam *exoyſian*, & auctoritatem approbare poſſent.

Primam quidem ideò commemorauit, vt nonniſi triennio poſt conuerſionem, Petrum ſe, & alios Apoſtolos vidiſſe planum faceret; adeòque nec ab illis Euangelium eſſe perdoctum.

Tertiam verò; quòd ex ea conſtaret veram, ac legitimam ſuam eſſe doctrinam; quòdque in ea ſpecimen quoddam, & exemplum doctrinæ illius extitiſſet, quam Galatis perſuadere vellet.

Secunda cùm nihil haberet iſtiuſmodi, quod ad rem, qua de agebatur, attineret, ab Apoſtolo prætermittitur. Nunc de Hieroſolymitani Concilij tempore porrò videamus. Hieronymus ex quorumdam ſententia refert, cauſam tertiæ illius poſt annos 14. profectionis fuiſſe, vt de controuerſia illa, quæ Antiochiæ conflata fuerat, Act. 15. cum Apoſtolis, ac cæteris ſtatueret. Quare, vt Concilio intereſset, Hieroſolymam aduolauit.

Profectus eſt Paulus, vt oſtendimus, anno 17. poſt conuerſionem, Chriſti 49. Claudij 9. Proindè eodem anno Concilium Hieroſolymis habitum eſt, in quo Antiochenſis illa controuerſia ex Petri, & Iacobi auctoritate deciſa eſt.

Ità ſentit Oroſius lib. 7. cap. 6. Commodùm per idem tempus Iudæi omnes Roma pulſi ſunt; quòd, vt mentitur Suetonius, *impulſore Chriſto aſſiduè tumultuarentur*. Qua re factum eſt, vt & Petrus, & alij complures Roma in Orientem, & Hieroſolymam redierint, non ſine Dei nutu, vt de tanti momenti controuerſia deliberare poſsent, ac primum illud celebrare Concilium,

VII.

Quo demùm anno Sedes Antiochena, tum Romana conſtituta ſit, deque vtriuſque tempore.

EVſebius in Chronico ad annum Claudij ſecundum, ità ex Hieronymi fide Latinè loquitur: *Petrus Apoſtolus, cum primus Antiochenam Eccleſiam fundaſſet, Romam mittitur; vbi Euangelium prædicans 25. annis eiuſdem Vrbis Epiſcopus perſeuerat.* Vbi pro eo, quod Latinè ſcriptum eſt, *mittitur*; Græcè fuiſse *ſtelletai*, non malè coniecit Scaliger. Euſebio ſuffragatur Hieronymus in Catalogo.

Scribit enim, Petrum Apoſtolorum Principem poſt Epiſcopatum Antiochenſis Eccleſiæ, ſecundo Claudij anno Romam aduenisse. Itàque diù antè Claudij ſecundum annum Antiochiæ Sedes à Petro conſtituta fuerat, priùſquam Romam proficiſceretur. Et quamuis primæ iſtius Antiochiam profectionis Scriptura non meminit, eſt tamen veriſimile, ſub illud tempus à Petro eſse ſuſceptam, quo, vt eſt Actorum 9. 32. varias Prouincias obeundo peragrauit; quod quidem circà annum Chriſti 37. contigit, quo Tiberij vltimus deſijt, & Caij primus inijt, iſque annus eſt Iulianus 82. Neque verò ſic illud accipiendum eſt, quod dicimus, Petrum Antiochiæ Sedem Epiſcopalem inſtituiſse, quaſi perpetuò illic hæſerit; ſed vt ibidem aliquantulum moræ fecerit, indeque ad vicinas Vrbes egreſsus, Antiochenſes ſuos ex interuallo reuiſerit; cùm antè annos aliquot Iacobus, vt idem narrat Euſebius, Hieroſolymitanæ Eccleſiæ ordinatus eſset Epiſcopus.

Ac fatemur quidem antèquam Petrus Sedem Antiochiæ collocaret; in qua Chriſtianis illis potiſſimùm, qui ex Iudæis conuerſi fuerant, primo Epiſcopatus ſui tempore præſedit, à Diſcipulis, qui poſt necem Stephani cùm alias in Prouincias, & Vrbes, tùm Antiochiam dilapſi ſunt, fidei, & Eccleſiæ fundamenta eſse iacta; quod Act. 11. 19. legitur.

Hoc verò ſubindè poſt Stephani necem, & Paſſionem adeò Dominicam accidit; tametſi Lucas pluribus interiectis cum Antiochenſis Eccleſiæ progreſſiones, & vberrima incrementa deſcriberet, primam illam originem attigerit, quæ multis annis anteceſſit: Quare, non exiſtimandum eſt; eo demùm tempore Antiochiæ Chriſtianam fidem receptam, quò ad Apoſtolos, & Hieroſolymitanam Eccleſiam eius rei fama peruenisse dicitur, commem. 22. quando Paulus, & Barnabas eodem miſſi ſunt. Nàm ſtatim à cæde Stephani, & in illa diſperſione Chriſtiana fides Antiochiam eſt importata.

Verùm cùm maiora in dies incrementa caperet, nec iam ſe Iudaica gente contineret, ſed ad Gentiles quoque perua deret, eius rei fama, nimirùm increbeſcentis Chriſtiani nominis, ac multiplicati fidelium numeri, Hieroſolymam peruenit.

At

At verò Barnabas,& Paulus Antiochiam miſſi ſunt anno circiter antè ſecundum Claudij, quo famem illam incidiſse demonſtrauimus, vt ex com. 26. capitis eiuſdem, & ſequentibus liquet : Ergo Chriſti ferè quadrageſſimo profecti ſunt.

Iiſdem porrò Scriptorum teſtimonijs Romanæ Sedis epocha firmatur; quam Petrus anno Claudij 3. Chriſti 43. primùm in Vrbe conſtituit. Quippè Romam profectus eſt anno ſecundo Claudij, qui eſt Chriſti 42. auctoribus Euſebio, Hieronymo, Oroſio; cuius verba iſta ſunt lib.7. cap.6. *Exordio regni eius*, Claudij, *Petrus Apoſtolus Domini noſtri Ieſu Chriſti Romam venit, & ſalutarem cunctis credentibus fidem fideli verbo docuit, potentiſſimiſque virtutibus approbauit. Atque exin Chriſtiani Romæ eſſe cœperunt*. Caſſiodorus, coſs. Saturnino 11. & Venuſto coſs. *Petrus*, inquit, *Apoſtolus Romam mittitur; vbi Euangelium prædicans 25. annis eiuſdem Vrbis Epiſcopus perſeuerat*. Cuſpiniamus ad Caſſiodori chronicon, & hunc locum, ſcribit apud alium Scriptorem pro illis coſs. alios ſubſtitui; nempè Tiberium Claudium 11. & Longum. Conſolatus Claudij ſecundus in annum Imperij eiuſdem ſecundum incidit, Chriſti 42. Addit & ſe in vetuſtiſſimo quodam Opuſculo Anonymi Scriptoris, quo Romani Pontifices à D. Petro ad Marcellinum vſque deſcripti erant, iſta legiſse. *Petrus anno 25. M. I. D. 9. fuit temporibus Tiberij Caij, Claudij, & Neronis, à Conſulatu Vinicij, & Longini vſque Nerone, & Vetere*, &c. Hoc igitur perſuaſiſſimum antiquitati fuit; Petrum ſub annum Claudij 2 Romam veniſse, ibique. & Chriſtianam ſeuiſse fidem, & Epiſcopatum annis 25. geſſiſſe. De quo ità Seuerus Sulpitius lib.11. de Neronis agens Imperio · *Namque eo tempore diuina apud Vrbem religio inualuerat: Petro ibi Epiſcopatum gerente, & Paulo poſteàquam ab iniuſto Præſidis iudicio Cæſarem appellauerat, Romam deducto.* Quocircà Petrus antè Pauli Romam aduentum Epiſcôpatum illic geſſit; inmò verò primus Catholicam eodem intulit fidem, (quod præ cæteris Dionyſius Corinthius vetuſtiſſimus Scriptor apud Euſeb. lib.2.cap.24. comprobat,cùm ait,Petrum Romanam Eccleſiam fundaſse) ac peculiarem ſedem 25. annis obtinuit, ex Euſebij, Hieronymi, Oroſij, Caſſiodori, aliorumque Veterum auctoritate; quos ità numeramus.

Euſebius in chronico, Hieronymus Catalogo, Caſſiodorus, & alij, Petrum, & Paulum Neronis anno 14. à Nerone interfectos eſse memoriæ prodiderunt. Quod in Annalibus Eccleſiaſticis ex eo refellitur ad An.69. quòd cùm Neronis primus annus inierit ex antè diem 13. Octobris, & octo dumtaxat menſes anni decimi quarti confecerit, vſque ad 4. Eid. Iunij: Apoſtoli verò tertio Cal. Iul. necati ſint; fieri non poſſit, vt anno illius 14. martyrium fecerint, ſed antecedente, nimirùm 13. Verùm minimè reprehendendi, ſunt antiqui illi, qui, vt plerique Scriptores ſolent, Imperatorum annos non ab eo die,vel menſe, quo primùm inaugurati ſunt, ſed à ciuili, & populari anni principio, quod epocham illam præceſſit,inchoaſse videtur. Nàm quod ad Euſebium attinet, oſtendetur alibi annorum initia in illius chronico ab Autumno deduci, quod Syromacedonum, & propemodum Alexandrinorum ciuile anni principium extitit. Neronis imperij primus annus, vt ex Aſtronomicis obſeruationibus ſuperiùs adſtruximus, inijt ab Octobri menſe anni Iuliani 99. Vrbis conditæ 807.qui eſt æræ Dionyſianæ 54. Quare, decimus quartus, quem ad octauum menſem vſque perduxit, cœpit ab Octobri menſe anni Iuliani 112. Vrbis conditæ 820. Chriſti 67. qui annus notatur in Faſtis Conſulatu Fonteij Capitonis, & Iulij Rufi. Euſebius annum 14. Neronis appellauit eum, qui reuera decimus tertius deſinens erat,quòd paucis poſt menſibus decimus quartus cœperit. Vt igitur accuratè loquamur, paſſi ſunt Apoſtolorum Principes anno Neronis 13. labente, Chriſti 67. quod cœleſtia *phænomena*,& alia rationum monumenta validiſſimè demonſtrant. Iàm verò cùm anno Chriſti 42. Claudij ſecundo, Petrus Romam adierit; ſequente anno, qui eſt Chriſti 43. Romanam Cathedram erexit, ineunte anno. Ab eo verò tempore ad Iunium anni Chriſti 67. ſolidi ſunt anni 24. menſes ferè 6. hoc eſt,anni quinque,& viginti dumtaxat inchoati. Hac verò ratione Cathedræ Antiochenæ competunt anni ſolidi ferè 6. qui & ſeptem numerari poſsunt; ſi annos Iulianos vno,paucisue inchoatos menſibus pro integris accipias. Nàm à Februario menſe anni 37. æræ Dionyſianæ ad Ianuarium anni 43. ſeptem Iuliani interiecti ſunt. Ità annis ferè triginta, & vno ſedem vtramque Petrus adminiſtrarit.Iam de Antiochena Sede,& Epiſcopatu monuimus; non ſic accipiendum illud eſſe, quaſi toto illo ſpatio, quo ſediſſe dicitur,ſtationem illic habuerit. Sed ità potiùs, vt poſteàquam ſemel ibidem Cathedram, ac peculiaris Epiſcopatus ſedem collocauit, conſtitutis rebus, & Eccleſia fundata, Vicarijs relictis, varias in Orbis partes, ac Prouincias, prout Spiritus ſanctus impulerat, profectus ſit: Vnde identidem ad primariam, atque à ſe delectam Eccleſiam rediret. Quod ab Illuſtriſſimo Annalium Scriptore meritò proditum, fruſtrà Spalatenſis oppugnat. Hoc enim ipſum Epiphanius noſter Hæreſi 27.numero 6. confirmat: vbi quod de Clemente dubitabatur, vtrum Petro adhuc ſuperſtite Romæ ordinatus eſſet Epiſcopus, diſſoluens,docet, Petrum & Paulum, etiam poſtquam Romæ conſederunt, varias indè in Orbis regiones egredi ſolitos,ne Romę deeſſet Epiſcopus, ſuas partes Vicario cuidam Epiſcopo mandaſſe. Quod de Petro præcipuè ſentiendum eſt,quem tandiù ante Pauli in Vrbem aduentum Romæ Sedem habuiſſe, Veterum perſuadet auctoritas.

VIII.

De Petri cum Simone Mago congreſſu.

NObiliſſimum,& Antiquorum monimentis teſtatiſſimum eſt Petri Apoſtoli cum Simone certamen: cuius accuratior inquiſitio magnam ad propoſitæ quæſtionis diſce-

ſceptationem opportunitatem afferet. Iuſtinus Apol. 2. Irenæus lib. 1. cap. 21. & ex his Epiphanius Hær. 21. tum Euſebius lib. 2. hiſt. cap. 12. Simonis hiſtoriam ità referunt, nullam vt illius certaminis mentionem faciant. Sed alij exquiſitæ inter Patres auctoritatis Petrum cum Mago illo commiſiſſe prælium, & eundem in ſublime ſubuectum oratione deieciſſe, pro comperto poſteris tradiderunt. Ambroſius lib. 4. Hexaem. cap. 8. & in capit. 8. epiſt. ad Rom. Maximus Hom. 5. de Petro, & Paulo, Cyrillus Hieroſolym. Catech. 6. Philaſtrius, Seuerus Sulpitius lib. 2. Hiſt. Theodor. lib. de Hæreſ. & alij magni, ac minuti Scriptores infiniti. Rursùs nonnulli Simonem Claudio Imperatore Romam aduolaſſe, neque præterea quicquam aſſerunt. Alij ſub Nerone veniſſe, & cum Petro conflixiſſe narrant. Alij denique certum congreſſus illius tempus omittunt. Quòd Neronis tempore Romam aduenerit; apertiſſimè inter cæteros docent, Sulpitius, Philaſtrius, & Maximus, qui Petrum ideò interfectum à Nerone ſcribit, quòd Simonem ex aere deieciſſet. Ex quorum omnium collatis inter ſe teſtimonijs illud liquet, duplicem omninò Simonis aduentum Romanam in ciuitatem fuiſſe: primum ſub Claudio; quando & Petrus illò vſque Magum inſecutus dicitur: ſecundum imperante Nerone; quando à Petro, & Paulo è ſublimi oratione deiectus eſt. Cuius quidem hiſtoriæ fidem longa iam vetuſtate corroboratam, & ſincera præſtantiſſimorum Scriptorum auctoritate commendatam, temerè ſollicitari non conuenit. De qua pluribus Illuſtr. Card. Baronius in Annalibus.

Hactenùs diſputationis noſtræ fundamenta poſuimus; præcipuis temporum illuſtratis, explicatiſque quæſtionibus, ex quibus Spalatenſis imperitiam, & ſtupiditatem Chronologica in re demonſtrabimus. Sed priùs hiſtorias illas, quarum à nobis diſputata ſunt tempora, breui in Tabella Chronologica complectemur, vt eam ſubijciens oculis Lector, & cum Spalatenſis Tabula comparans, & eius ſalebris & ambagibus emergat: tum verò mecum fuiſſe miretur hominem, qui cuius ſcientiæ tam extremè eſſet imperitus, hanc adeò præ ſe ferre, ſeque illa vendicare non erubuerit.

TA-

TABVLA CHRONOLOGICA ANNORVM
à Paſſione Chriſti ad Petri, & Pauli Martyrium.

Anni Iuliani.	*Anni æræ Dionyſianæ*	*Anni Imper. Rom.*	*Conſules.*	*Epochæ memorabiles.*
76.	31.	18.	Tiberius Cæſar Aug. V. L. Ælius Seianus.	Chriſtus patitur. Stephanus lapidatur. Diſperſi Chriſtiani Antiochiã veniunt.
77.	32.	19.	Cn. Domitius Ahenobarbus A. Vitellius Nepos.	
78.	33.	20.	Ser. Sulpitius Galba. L. Cornelius Sulla.	Saulus ad Chriſtum conuertitur.
79.	34.	21.	Paulus Fabius Perſicus. L. Vitellius Nepos.	
80.	35.	22.	C. Ceſtius Camerinus. M. Seruilius Ruſus.	
81.	36.	23.	Q. Plautius Lælianus. Sex. Papinius Gallienus.	Paulus Hieroſolymam poſt tres annos à conuerſione venit, vt videret Petrum. Gal. 1.
82.	37.	Caij 1.	Cn. Acerronius Proculus. C. Pontius Nigrinus.	Tiberio mortuo 17. Kalend. April. Caius ſuccedit Anno 3.:1499. Petrus varijs Iudeæ peragratis locis, Antiochiæ Cathedram, ac Sedem conſtituit 22. Februarij. Herodes Agrippa Philippi Tetrarchia donatur à Cajo cum Regis titulo.
83.	38.	2.	M. Aquilius Iulianus. P. Nonius Aſprenas.	Petrus hoc, & ſequentibus annis varias obiens Prouincias Pontum, Galatiam, Aſiam luſtrat, ibique diuerſas Eccleſias inſtituit.
84.	39.	3.	C. Caligula II. L. Apronius Cæſianus.	
85.	40.	4.	C. Caligula III. Solus.	Herodes Antipas Lugdunum relegatur, cuiuſque Tetrarchia Herodi Agrippæ tribuitur.
86.	41.	Claudij 1.	C. Cæſar Caligula IV. Cn. Sentius Saturninus.	Caio interfecto die 24. Ian. ſuccedit Claudius. Herodes Agrippa Iudæam, & Samariam à Claudio accipit: & in Iudæam proficiſcitur. Ibi Iacobo occiſo Petrum in vincula conijcit. Agabus famem prædicit. Act. 11.
87	42.	2.	Claudius Imper. II. C. Licinius Largus.	Paulus collectas Hieroſolymam portat, Herodes Iacobum occidit; Petrum in vincula conijcit. Vnde hic elapſus, Romam proficiſcitur.

Anni Iuliani.	*Anni æræ Dionyſianæ*	*Anni Imper. Rom.*	*Conſules.*	*Cathedræ Romanæ.*	*Epochæ memorabiles.*
88.	43.	3.	Claudius Imper. III. L. Vitellius Nepos.	1.	Petrus Romæ Cathedram erigit.
89.	44.	4.	L. Quintius Criſpinus. M. Statilius Taurus.	2.	Herodes Agrippa moritur.
90.	45.	5.	M. Vinicius Quartinus. M. Statilius Coruinus.	3.	Eclip. Solis Kal. Aug. contigit.
91.	46.	6.	P. Valerius Aſiaticus. M. Iu lius Silanus.	4.	
92.	47.	7.	Claudius Imper. IV. L. Vitellius II.	5.	
93.	48.	8.	A. Vitellius. L. Vipſanius Poplicola.	6.	
94.	49.	9.	C. Pompeius Longinus. Q. Veranius.	7.	Cladius Iudæos ab Vrbe pellit. Concilium Hieroſolymis habitum, cui & Paulus interfuit.
95.	50.	10.	C. Antiſtius Vetus. M. Suillius Rufus.	8.	
96.	51.	11.	Claudius Imper. V. Ser. Cornelius Scipio.	9.	
97.	52.	12.	P. Cornelius Sulla. L. Saluius Otho.	10.	
98.	53.	13.	D. Iunius Silanus. Q. Haterius Antonius.	11.	
99.	54.	14. Neronis 1.	Q. Aſinius Marcellus. M. Acilius Auiola.	12.	Claudio mortuo III. Eid. Oct. ſuccedit Nero.
100.	55.	2.	Nero Imperator. L. Antiſtius Vetus.	13.	Paulus Romam vinctus mittitur.
101.	56.	3.	Q. Voluſius Saturninus. P. Cornelius Scipio.	14.	
102.	57.	4.	Nero Imper. II. L. Calpurnius Piſo.	15.	
103.	58.	5.	Nero Imper. III. Valerius Meſſala.	16.	
104.	59.	6.	C. Vipſanius Poplicola. L. Fonteius Capito.	17.	Eclip. Solis Apr. 30.
105.	60.	7.	Nero Imper. IV. Coſſus Cornelius Lentulus.	18.	
106.	61.	8.	C. Cæſonius Pætus. C. Petronius Sabinus.	19.	

Anni

Anni Iuliani.	*Anni æræ Dionyſianæ*	*Anni Imper. Rom.*	*Conſules.*	*Cathedræ Romanæ.*	*Epochæ memorabiles.*
107.	62.	9.	P. Marius Celſus. L. Aſinius Gallus.	20.	
108.	63.	10.	L. Memmius Regulus. Paulus Virginius Rufus.	21.	
109.	64.	11.	C. Lecanius Baſſus. Marcus Licinius Craſſus.	22.	
110.	65.	12.	P. Silius Nerua. C. Iulius Atticus.	23.	
111.	66.	13.	C. Suetonius Paulinus. L. Pontius Teleſinus.	24.	
112.	67.	14.	L. Fonteius Capito. C. Iulius Rufus.	25.	Petrus, & Paulus Simone Mago profligato à Nerone ſupplicio affecti sũt Iunij 29. curr. 13. eiuſdem Imperatoris.

ALTERA PARS

Diſſertationis.

In qua Spalatenſis Diſputatio refellitur.

I.

Euertitur præcipua vis argumentorum, quibus vtramque Sedem oppugnat.

QVisquis hęc noſtra Chronologiæ firmamenta diligenter excuſſerit, quibuſque probata rationibus, immò verò demonſtrationibus adſtructa, ſtabilitaque ſiut, apud ſe perpenderit, cùm certiſſima illa eſſe iudicabit; tùm ab illis abhorrentem Spalatenſis Chronologiam, ac tam fœdè tempora permiſcentem ſatis admirari non poterit. Nam ex illis, quæ capite ſuperiori non probabilibus modò, ſed neceſſarijs argumentis eruimus, infinitarum hallucinationum, & intolerabilium errorum illius diſputatio conuincitur. Cuius nos abſurditatem mox in ſingulis Capitis ſectionibus oſtendemus. Nunc caput erroris ipſum, ac ſummam probationum omnium, & robur, quod ſuperiori capite propoſitum eſt, *catholoy* breuiterque diluendum eſt.

Argumentorum in eo vis erat poſita, quòd Petrus è Iudæa nonniſi ſub annum Chriſti 49. Claudij ſextum egreſſus fuerit: Is eſt verò à Chriſti paſſione decimus ſextus; à quo ad Petri, Paulique necem anni ſunt circiter nouemdecim; qui, vt verum ſit Antiochiæ pariter, ac Romæ Sedem ab illo fixam, in vtramque partiendi ſunt. Quare, illud ſaltem auferetur; non ſex annis, vel ſeptem Antiochiæ, Romæ verò quinque, & viginti ſediſſe.

Nos ei ſic occurrimus: Falſiſſimum eſſe; Petrum ante annum Chriſti 49. Iudæa non exiſſe: Quippè Antiochiam longè antè id tempus excurriſſe; quando varias peragrauit Vrbes, ac Prouincias, Act.9.32. De quo vide §.7. ſuperioris partis. Indidem etiam perſpicuum eſt, anno Claudij ſecundo Romam properaſſe Petrum; qui eſt Chriſti 42. vti ſextus Claudij, Chriſtianæ æræ 46. eſt, non 49. quod §.1. indubitatis argumentis conuicimus: Ex quo illud prætereà conficitur, quod in hoc toto negotio præcipua obſeruatione dignum eſt: Aliud eſſe de annis Chriſti veris, & ab eius Paſſione, vel Natali numeratis loqui, aliud de æra Dionyſiana; quam infrà verum Natalem aliquot annis incipere, iampridem Veteres Chronologi deprehenderunt. Sed plerique immane quantum deeſſe putauerunt, nimirùm annos 22. vt Sigebertus, Marianus Scotus, Matthæus Paris, Paulus Foroſempronienſis. Quorum eſt opinio alio loco refutata. Alij vnum tantùm annum; vt Lucidus: duos alij: alij quinque, vel quatuor addendos rati ſunt, vt ad verum Natalem pertingeret. Quamquam Dionyſiana hæc æra, non idcircò reijcienda eſt, ſed nihilominùs retinenda; vtpotè quam tot Chronologorum, & Annalium vſus adſciuit. Salua igitur in omnibus Eccleſiæ, ac Romanorum Pontificum auctoritate, & in præſens omiſſa Natalis Chriſti diſquiſitione; nos præcipuas illas epochas ijs annis conſignauimus, in quos neceſſariò competere certiſſima, atque euidentiſſima rationum momenta perſuadent. Cuiuſmodi in vetuſtiſſimorum Spriptorum auctoritate, & Aſtronomicis obſeruationibus eſſe poſita, nemo prudens, & harum rerum paululùm intelligens ignorare poteſt. Ergo Claudij primum annum ex ijs Aſtronomiæ fontibus in anno communis æræ 41. collocauimus; Paſſionem Domini in anno 31. Neronis 14. ineuntem, anno 67. ad quem à Chriſti Paſſione intercedunt anni 37. Qui hæc vera eſſe negauerit; is Aſtronomiam funditùs omnem, ac veteres omnes hiſtorias negare priùs debet, atque è medio tollere. Porrò ab anno Dionyſianæ æræ 37. docuimus Antiochenam Sedem ad 42. eſſe perductam; immò ad Februarium anni 43. à quo ad finem Iunij anni 67. viginti quinque circiter annis Romanum Epiſcopatum Petrus adminiſtrauit. Ad hæc non minùs eſſe falſum, quod Spalatenſis pugnat; Petrum è Iudæa non migraſſe ante illum, quo Paulus ad collectas deferendas Hieroſolyma profectus eſt; quem etiam fruſtrà decimumquartum à conuerſione computat, cùm nonniſi octo circiter annis, poſtquam Chriſtianus factus eſt, ea profectio contigerit. Verùm tam hæc, quàm reliqua omnia portentoſa mendacia, ac labes annorum fœdiſſimæ, in quibus Spalatenſis Chronologia volutatur, per ſingulas capitis Sectiones; quibus quidem ea, quam oppugnamus, diſputatio continetur, faciliùs, & ad Lectoris intelligentiam aptiùs exponentur.

II.

Spalatenſis inſcita ratiocinatio, num. 17. & 18.

ORſus eſt argumentationem ſuam à num. 17. Vbi primùm velut conceſſum id ſumit, quod vehementer negandum eſt: Petrum antequam ab Herode vinciretur, Iudæa non exiſſe. Probat hoc non ratione vlla, ſed craſſiſſimo, ſtupidiſſimoque ſophiſmate, hoc ferè modo: Toto illo ſpatio, quod à Paſſione Domini ad Petri carcerem interlapſum eſt, Petrus Hieroſolymis, in Samaria, ac reliqua Iudæa aliquoties repertus eſt, vt in Actis Apoſtolorum legitur. Nam in Samariam profectus eſt cum Ioanne, Act.8. Item à Paulo poſt tres annos, quàm conuerſus erat, Hiero-

Hieroſolymis conuentus eſt, Gal. 1. Exindè varias Prouincias obijt, Act.9. 10. 11. Igitur extrà Iudeam nullibi terrarum fuit: neque Antiochiam peruenit. Hoc acumen probationis: hæc Chronologica demonſtratio: hęc hominis induſtria; qui inſolubilem nodum ex ipſis ſe Scripturæ fontibus diſſoluturum tam glorioſè receperat. Atqui ridicula, & vaniſſima eſt iſta collectio. Quamuis enim certis illis temporum opportunitatibus, & Hieroſolymis,& in Samaria,& alibi Iudęæ ſit inuentus; non ideò neceſſe eſt ijs in locis hæſiſſe perpetuò,nec aliò quoquam abijſſe. Certè id in Scripturis nuſquam legitur. Poſt triennium à Pauli conuerſione Antiochiam adijt, ibique Sedem Epiſcopatus conſtituit. Quod vt in priori parte, §. 7. audacter affirmaremus, nulla nos Spalatenſis ſophiſmata prohibuerunt.

Num.18. Conuerſionem Antiochenæ Ciuitatis ineptiſſimè conijcit in id tempus, quod Act.11.22. deſignatur; quando ad Eccleſiam, quæ erat Hieroſolymis, perlatus Nuntius dicitur Chriſtianæ rei mirum in modum ſeſe apud Antiochenos efferentis. Nimis illud ſerum eſt. Tantò enim antè, ſtatim poſt Stephani necem, in illa fidelium prima diſperſione, conuerſi ſunt Antiochenſes, Act. 11. 19. Quare,ridiculus, atque hebes eſt Chronologus noſter; qui pro eo, quòd Lucas longo interuallo primæ illius conuerſionis meminit, cum de fidei illic incremento ageret, tum demùm inuectum in eam Vrbem Chriſtianiſmum putauit. Nam Pauli,& Barnabæ miſſio aliquantò poſteà contigit, quàm Petrus Cathedram eodem in loco ſtatuerat.

III.

Diſſoluuntur ea, quæ de Collectis à Paulo perlatis Hieroſolymam n.19. deque fœdere cum Petro inito n.20. traduntur.

OMnia deinceps ſuſque deque miſcet, ac pertubat Chronologus. De quadruplici Hieroſolymam aduentu Pauli, habes §.6. par.1. Peſſimè verò Spalatenſis profectionem ſecundam, quæ eſt Act.11.30. cum tertia confundit, quæ Gal.2. memoratur, quæque octo circiter annis illa poſterior eſt. Quod iudicium hominis fuit, cùm annis poſt conuerſionem quatuordecim elapſis, ſtipem illam Antiochenſis Eccleſiæ Paulum Hieroſolymam comportaſſe ſcripſit? Quid putidiùs excidere potuit? Fames illa, quam Agabus præuidit, cuique opitulati ſunt Antiocheni Chriſtiani, ſecundo Claudij anno contigit, Chriſti 42. poſt conuerſionem Pauli circiter decimo; vt §.4. demonſtratum eſt. Quod vt in dubium vocetur, negari profectò non poteſt,viuo adhuc Herode contigiſſe. Hoc adeò ſeries ipſa narrationis apud Lucam, extremo capite 11. & initio duodecimi, ſatis arguit. Mortuus eſt Herodes Agrippa poſt annum Chriſti 43. ineunte 44. & Claudij 6. vti ex Ioſepho planùm fecimus; anno poſt conuerſionem Pauli 11. vel 12. Quanam ergo ſcutica tantum delirium expiabitur, dum poſt annos à conuerſione Pauli 14. hoc eſt, biennio ferè poſt obitum Claudij, famem illam incidiſſe ponit, quam viuo adhuc Herode graſſatam Lucas indicat? *Cat' ecceinon de tin cairon,* inquit cap.12.1. *epetalen Irodis ò Baſileys tas cheiras,* &c. *Eodem autem tempore miſit Herodes Rex manus.* Quod, amabo, idem illud eſt tempus? Nempè cuius proximè antè fine cap.11. meminerat; quando famem illam Agabus prædixit. Si fames anno Claudij ſecundo, Chriſti 42. conuenit; ergo ante annum iſtum, vel eo ſaltem ineunte, Paulus Hieroſolymam collectas detulit, vndecimò à Paſſione Chriſti, à conuerſione ſua octauo, vel nono. Non igitur Claudij ſexto fames incidit, triennio poſt Herodis obitum; neque Chriſti 49. qui eſt ab Herodis morte ſextus. Et quamuis hæc Spalatenſi concedantur omnia; Paulum, vt Antiochenam illam pecuniam Hieroſolymam deferret, ſuſcepiſſe profectionem illam, cuius ad Gal.2. meminit, ac tum dextras cum eo Apoſtolos iunxiſſe reliquos; non tamen ex eo concludi poteſt, Petrum hactenùs Iudæa ſeſe continuiſſe, neque aliò identidem excurriſſe.

Quod num.20. Spalatenſis obijcit, de fœdere illo, quod cum Paulo Petrus pepigit, vt ille Gentilibus, hic Iudæis prædicaret Euangelium, obſoletum eſt, ac rancidum. Olim ex Veleno Hæretico Bellarminus illud attulit, ac diſcuſſit lib. 2. de Rom. Pontif. cap.7. Pacti ſunt inter ſeipſos Apoſtoli, vti Petrus Iudæis præſertim operam nauaret, Paulus Gentilibus; tametſi tam iſte Iudæos, quàm ille Gentiles ad Chriſtum conuerterit. Vtriuſque non pauca ſunt in ſacris libris exempla. Vel Cornelius Centurio,cæterique Gentiles à Petro conuerſi ſatis indicant, Petrum operam etiam in Gentiles contuliſſe. Paulus verò perſæpè in Actis Apoſtolicis apud Iudæos Sabbatis verba feciſſe legitur & ex illis permultos ad Chriſti fidem adduxiſſe. Idem & ad Hæbreos luculentam Epiſtolam ſcripſit; qua ſuum in illorum cauſa ſtudium non obſcurè teſtatus eſt.

IV.

Spalatenſis portenta Chronologica num.20. & 21.

QVantus verò in Chronologia ſit Spalat. hoc vno indicio monſtrabitur. Herodem num.20. & 21. & in Tabula Chronologica, dicit Iacobum affeciſſe ſupplicio; Petrum autem in vincula conieciſſe,anno Chriſti 48. Claudij ſexto: Prætereà ſub idem tempus Paulum Hieroſolymam ad collectas portandas veniſſe, poſt annos à conuerſione ſua quatuordecim. Cuiuſmodi verò ex hac temporum diſtributione portenta ſequantur,paucis accipe. Annus Claudij primus Mathematica demonſtratione ſuperiori capite, §.1. defixus eſt anno Chriſti 41. Mortus eſt Herodes ille Iacobi,ac Petri perſecutor anno Claudij tertio, vel quarto,hoc eſt, Chriſti 43. vel ineunte 44. Ergo Iacobi nex, & Petri carcer quinquennio poſt Herodis Agrippæ mortem con-

contigit ex accurata Spalatenſis Chronologia. Ergo mendax erit hiſtoria Lucæ, qui ab Herode paſſos iſta duos illos Apoſtolos narrat. Item Paulus ad Antiochenſem collectam Hieroſolymam perferendam ſub idem tempus aduenit, paulò antè famem, quæ Claudij ſecundo, Chriſti 42. anno contigit, vtique ante Herodis obitum. Fuit autem annus aduentus illius decimus quintus à conuerſione Pauli; vt eidem Chronologo placet. Proindè cùm annus Chriſti 42. ſit 15. à conuerſione Pauli; conuerſus erit anno æræ Chriſtianæ 28. longè ante Paſſionem Chriſti. Expecto quid, vel Chronologus iſte, vel qui ſuas ad immanes iſtos Commentarios operas contribuerunt, afferre poſſint, quo tantam fatuitatem, & inſaniam excuſent. Audeant negare, primum annum Claudij eſſe Chriſtianæ æræ quadrageſimum primum; Herodem anno Claudij, vel exeunte tertio, vel ineunte quarto mortuum eſſe, adeòque æræ quadrageſimo tertio, vel quarto. Tum illud euertant, quod neceſſaria conſecutione colligitur, ſi anno Claudij 5. vel 6. Iacobus occiſus eſt, poſt Herodis mortem eſſe paſſum: ſi æræ Chriſtianæ 48. quinto poſt eiuſdem necem, Iacobi Martyrium accidiſſe. Etenim Romanorum Imperatorum anni certiſſimis notis, & characteribus adſtricti ſunt, atque æræ Dionyſianæ annis impliciti: ex quibus error omnis facilè deprehenditur, & vel ab inuitis inſcitiæ confeſſio velut fidiculis exprimitur.

V.

Quatuor Spalatenſis hiſtorici cardines euertuntur, ac reliqua n. 22. 23. 24.

POſtremò quatuor ſunt cardines, quibus ille Chronologiam niti ſuam num. 22. ſtatuit, qui partim è ſuperioribus nonnulli præcipitem ſecum doctrinam vniuerſam trahunt; partim nihil ad eius inſtitutum faciunt. Primus eſt cardo: Chriſtum ætatis anno 33. eſſe paſſum. Cui ità nos occurrimus; quicquid de ætate ipſa Chriſti conſtituatur, quæ res in opinione poſita eſt; at eſſe certiſſimum: neque Chriſtum æræ Chriſtianæ, ſiue Dionyſianæ, anno 33. eſſe paſſum, neque 18. annum Tiberij in annum iſtum congruere. Quod ex Animaduerſionibus noſtris ad Epiphanium euidentiſſimè conſtat. Etenim Auguſti mors incidit in annum æræ Chriſtianæ 14. quod indubitatus character eclipſis illius arguit, quæ paulò poſt eius obitum accidit, Coſſ. Sexto Pompeio, & Sexto Apuleio, qui eſt annus editionis Iulianæ 59. ac proindè Chriſti 14. (Primus enim Chriſti eſt Iulianus 45.) Quare, Tiberij primus conſurgit ex die 19. Auguſti anni Chriſti 14. Vndè & eiuſdem 18. inijt anno Chriſti 31. Sed hæc accuratiùs ſuperiori capite diſputata ſunt.

Secundus cardo: anno vno poſt Aſcenſionem elapſo, Chriſti trigeſimo quarto item elapſo, currente trigeſimo quinto, Paulum eſſe conuerſum. Neque hoc verum eſt, ſi ad æram Chriſtianam referatur, quod putat Spalatenſis. Nam 33. Chriſti anno conuerſus eſt, biennio poſt Aſcenſionem. Deindè valdè *idioticos*, & perplexè loquitur. Quid eſt enim. Paulum poſt elapſum ab Aſcenſione annum, Chriſti 34. elapſo, currente 35. eſſe conuerſum? Si Domini Paſſio in annum eius 33. incidit, vt ille cenſet; & poſt elapſum ab Aſcenſione annum conuerſus eſt Paulus, acciderit hoc anno Chriſti 34. non 35. Aut ſi 35. conuerſus eſt, vtique propemodùm biennio poſt Aſcenſionem contigit.

Tertius cardo: quartodecimo poſt conuerſionem Pauli anno, hoc eſt, 49. ſecundum Pauli aduentum Hieroſolymam contigiſſe, ſexto nimirum Claudij anno. Hic multiplex inſcitia eſt, & puerilis hallucinatio. Oſtenſum eſt, annum 49. æræ Chriſtianæ eſſe decimum ſeptimum à conuerſione Pauli; Claudij verò nonum. Vide ſuperiora; & imperitiam hominis animaduerte, qui ſe Chronologum profiteatur, cùm ne artis quidem illius prima rudimenta guſtauerit.

Quartus cardo: annum illum, quo Iudæi Roma pulſi ſunt à Claudio, fuiſſe Imperatoris huius nonum, Chriſti 51. quo anno Paulus poſt diuturnam peregrinationem Corinthi prædicauit, Act. 18. Cùm igitur acta anni noni Claudij, Chriſti 53. nimirùm Petri carcer, & ſecundus Pauli Hieroſolymam aduentus: neceſſe eſt capita interiecta, ſcilicet Act. 13. 14. 15. 16. 17. trium annorum geſta complecti, adeòque tres annos interceſſiſſe. Petrus verò anno 6. Claudij Herodis vinculis exemptus primùm Antiochiam peruenit.

Nuſquam inſigniùs Chronologi ſtupor, hæſitatio, & *antimachia* ſe prodit. Quæ enim ſine iudicio fundit, neque ſecum, neque cum veritate cohærent. Ità porrò inconditè, & perturbatè loquitur, vt quid ſibi velit, ne ipſe quidem nos docere poſſit. Annum Claudij nonum, quo pulſi ſunt Roma Iudæi, comparat cum anno Chriſti 51. vt ex Tabula Chronologica liquet, quam pag. 543. exhibet. Sextus quoque Claudij reſpondet Chriſti 48. Cæterùm anni Imperij Claudij cum Chriſti annis adæquantur propemodùm. Inijt quippè Claudius Ianuarij 24. Ideò ſinguli anni Claudij totos ferè Chriſti ſingulos exhauriunt. Capite 12. Act. deſcribuntur ea, quæ anno Claudij 6. Chriſti 48. contigerunt. Capite 18. quæ anno Claudij 9. Chriſti 51. Inter annum 48. & 51. anni intercedunt duo, non tres, vt Spalatenſis aſſerit. Sed hæc leuia ſint. Pergit, atque ita ratiocinatur. Quoniam igitur ſtatim fermè poſt vincula Petri, Paulus, & Barnabas iubente ſancto Spiritu miſſi ſunt, Act. 13. & in ea profectione annum ſolidum conſumpſerunt; quo toto tempore Petrus Antiochiæ fuit; reuerſo Paulo circa quinquageſimum Chriſti annum, ideſt, ſeptimum Claudij, factum eſſe ſcandalum Antiochiæ ab ijs, qui legalium obſeruationem Gentilibus ſuadebant. Inter quos auctores ſcandali Petrus, inquit, fuit. At ò bone! ſi annus Claudij ſextus eſt Chriſti 48. ſeptimus non quinquageſimus eſt, ſed quadrageſimus nonus, vti & Tabula tua Chronologica fidem facit. Mox pagina ſequenti 538. [Itaque, inquit, cùm non poſſimus reluctari iam confirmatiſſimæ aſſertioni, Sedem Antiochenam Petro ante Romanam tribuenti, hoc ipſo

anno

anno 9. nimirùm Claudij, & Chriſti 51. Antiochiæ Petrum ſibi ſedem delegiſſe, vt ibi ab Herodis perſecutione tutus aliquandiù conquieſceret, admitti poſſe videtur.] Hæc ſunt inquinatiſſima. Modò Claudij 7. erat Chriſti 49. deindè 50. nunc idem 51. eſt. Quid hoc Chronologo facias? Mortuus eſt, Ioſephi, & cæterorum conſenſu, Herodes anno Claudij ineunte 4. Chriſti 44. Et tamen Petrus annis poſt 8. illius inſidias pertimeſcit Chriſti 51. In Tabella Chronologica Spalatenſis, Petrus Antiochiam è vinculis fugit anno Claudij 6. Chriſti 48. Cur non ſequenti ſaltem, nempè 49. Cathedram figit? Poſtremò quid iſte cardo Chronologicus tot ambagibus, ac mendacijs implicatus ad cauſam pertinet? An illud ex eo deduci poteſt, Petrum ante carcerem Antiochiæ non fuiſſe? Atqui nos contrarium priùs oſtendimus. Iam hoc virulentum, execrandum, & Apoſtata Scriptore dignum cacoethes, quod n.23. Spalatenſis aſperſit: vbi inter eos, qui Antiochiæ ſcandalum excitarunt, de quo Act.15. proculdubiò Petrum fuiſſe pronunciat. Tantumne temeritatis eſſe futili, & vnius aſſis Chronologo? Quis hoc illum docuit? quo auctore? qua coniectura confiſus tantam Apoſtolorum Principi calumniam imponit? Ea verò falſiſſima, & putidiſſima eſt. Iam qui riſum teneat, cùm eodem n. 33. legerit, Herodem Cæſaream vſque Petrum eſſe perſecutum? Vndè hoc diuinat, Herodem Antiochiam ideò profectum, vt Petrum perſequeretur? Sanè hæc fatua ſunt. Ego verò non ſtatim poſt elapſum fuga Petrum Herodem Antiochiam aſpiraſſe ſentio; ſed aliquantò poſteà; Lucam verò, vt ea, quæ ad Regem iſtum attinerent, vno tenore pertexeret, ad eaque, quæ inſtituti ſui erant, ſeſe referret, mortis illius hiſtoriam proximæ de Petro narrationi ſubieciſſe.

Annus Concilij Hieroſolymitani eſt nonus Claudij, Chriſti 49. vt ſuprà vidimus. Vtrum ante hoc Concilium, necne, Petrus à Paulo ſit reprehenſus, nihil ad cauſam facit. Eſt enim illud Spalatenſis exploſum, ann. 14. qui Gal.2. numeratur, à Pauli conuerſione deduci; quem nos ab ea monſtrauimus eſſe 17. Sed neque Paulus, tametſi poſt narrationem rerum à ſe 14. anno geſtarum contentionem illam cum Petro ſubijciat, certum eius tempus deſignat. Denique licèt poſt Concilium id accidiſſe velimus, nequaquam nos Spalatenſis *parepicheirimata* commouebunt. Putat autem ex eo demonſtrari, diſſenſionem illam Petri, & Pauli ante Concilium Hieroſolymitanum accidiſſe, quia ſi iam definitio hæc præceſſiſſet, non erat, cur inter ſe diſſiderent. Quaſi eadem ſit conditio facti illius, cuius cauſa reprehenſus eſt Petrus, & eius, quod in Concilio decretum eſt. Statuit Concilium ne Gentiles circumciſione, ac cæteris Iudæorum ritibus ampliùs tenerentur: Petrus ne Iudæos offenderet, paululùm ſe ab Gentilium conſuetudine ſegregauit. Ideò Paulus illum redarguit. Ambo hæc planè ſeiuncta, & à ſe inuicem diuerſiſſima ſunt. Quare, nihil eſt, quod prohibeat antè Concilium Hieroſolymitanum caſtigationem illam accidiſſe.

VI.

Ridicula Spalatenſis argumentatio num.25.26.

PEr eſt verò ridiculum illud, quod n.25. *aſyllogiſtos* concludit; *Petrum in Iudæa Cathedram non habuiſſe; quia Hieroſolymis totius Iudææ Moyſis Cathedra diutiùs perſeuerauit, & ſenſim in Cathedram Chriſti eſt immutata*. Hæc *etinodis* eſt, & plumbea ratiocinatio: immò ſacrilega, & impia. Nam ſi Moyſis Cathedra, quamdiù in Iudæa fuit, Chriſti Cathedram excluſit: igitur neque Chriſtus ipſe, dum viueret, Cathedram vllam propriam habuit. Neque enim ipſe, ſed Scribæ, & Phariſæi ſuper Cathedram Moyſis ſedebant. Tum verò mortuo Chriſto, nulla fuit Apoſtolorum Cathedra. Proindè nullum ius cogendi Concilij, aut deliberandi, vel decidendi penès illos fuit. Quid eſt enim aliud Cathedra, quàm iuriſdictio, ac poteſtas? Quamobrem ex fatua iſta Spalatenſis argumentatione, primum illud Hieroſolymis habitum Concilium, cui Petrus, & Apoſtoli præfuerunt, irritum fuit, & auctoritate caruit: quia nulla tum Apoſtolorum Cathedra, id eſt auctoritas, iuriſdictio, poteſtas in Iudæa fuit, quamdiù Moyſis illic Cathedra perſeuerauit; quæ ad excidium vſque Hieroſolymorum tenuit. Prætereà, ſi nulla Hieroſolymis erat Chriſti Cathedra, donec Moyſis Cathedra perſtitit, nulla prorsùs Eccleſia fuit. Nam ſine Cathedra, quę, vt dictum eſt, poteſtatem, & iuriſdictionem ſignificat, Eccleſia eſſe non poteſt. Hæc ſunt ſtolida, fanatica, portentoſa deliria.

Quid illud eodem Numero? *Neque Antiochiæ, neque Romæ Petrum propriè ſediſſe, qui non vt ſederet, ſed vt excurreret, Apoſtolatum accepit*. Quaſi ſedere, & Sedem habere alicubi, cum de Epiſcopis, vel Apoſtolis vſurpatur, ſit aſſiduè illic hærere. Atqui numero ſequenti hoc tam abſurdum, & ineptum effatum pronunciat. *Sedes Eccleſiaſticæ, ſedes alicuius ſunt per actualem ſeſſionem, non per ſolam mentalem applicationem*. An tu neceſſe putas, perpetuò vt Epiſcopus in vno loco ſubſideat, neque vel ſi aliò migrandi neceſſitas ingruat, de ſtatione ſeſe moueat? Quis hoc tibi concedat? Vt in vrbe aliqua ſedes conſtituatur; ad ſummum ſufficit, vt aliquando qui ſedem iſtic optat, in vrbe illa fuerit, vt ad eandem, ſi poteſt, aliquando redeat; ſi non poteſt, at neminem ſuo loco alterum præſidem imponat. Antiochenam Cathedram obtinuit quamdiù voluit Petrus. Vbi Romam tranſferri Sedem placuit, aliud ordinauit, nimirum Enodium, vt Euſebius, & Ignatius teſtantur. Qui poſterior non tantoperè inceſſendus fuit; quòd Antiochiæ primùm Diſcipulos Chriſtianos vocatos eſſe ſcribat, cùm Petrus, & Paulus fundarent Eccleſiam. Quippe, & Antiochenſibus ipſis, eorumque fundandæ, ac ſtabiliendæ Eccleſiæ Petrus nauauit operam.

De Patriarchali Sede, quam à Petro Antiochiæ primùm erectam Baronius dixit, Spa-

Spalatenſis ſtrenuè nugatur. Quamuis enim Patriarchales Sedes eo nomine diſtinctè, & exertè nondùm per illa tempora vocarentur, conſtabat tamen illis ſua iuriſdictio, & poteſtatis, ac dignitatis amplitudo, quàm Nicæna Synodus approbauit. Vndè meritò Petrus Antiochiæ Patriarchalem Sedem conſtituiſſe dicitur, quatenùs Orientalium Eccleſiarum Principem illam eſſe iuſſit.

VII.

Refellitur num. 27.

SVmmam in numero 27. rationum ſuarum, hoc eſt *paralogiſmon*, & *parepicheirimaton* ſubducit. Petrum ante Concilium Hieroſolymitanum Iudæa non exiiſſe, quod pro comperto ſumit, mendaciſſimum eſt, & à nobis cap. 1. abundè refutatum. Si Hieronymum audimus, etiam ante Claudij 2. Chriſti 42. Pontum, Galatiam, Cappadociam, & Bithyniam peragrauit, & Iudæis, qui illic degebant, Chriſti nomen intulit. Secundùm quæ Romam ſecundo anno Claudij profectus eſt. Proindè cùm Antiochiæ Sedem ſuam anno æræ Chriſtianæ circiter 37. Tiberij vltimò, collocauerit, totum illud tempus interiectum, hoc eſt, annos ferè quatuor, in obeundis illis Prouincijs, ac Iudæis, qui *en ti diaſpora* degebant, inſtituendis, & Eccleſijs erigendis inſumpſit: ità quidem vt identidem ad ſuos Antiochenos, & interdum Hieroſolymitanos; ac Palæſtinos excurreret, Eccleſiarum omnium curam ſuſtinens.

Quamobrem quòd aliquoties Hieroſolymis, aut in reliquis Iudææ regionibus, aut Antiochiæ demùm verſatus eſſe, & ibidem repertus à Paulo legitur, non impedit, quin alijs temporibus longè, lateque peruagatus Iudæis potiſſimùm conuertendis operam adhibuerit: donec anno ſecundo Claudij Romam adiens, non Iudæis ſolùm, ſed etiam Gentibus pleniùs, & vberiùs Chriſtianam lucem impertijt. Hæc ad Hieronymi, & aliorum Veterum mentem, ac ſententiam aptiſſimè congruunt. Nimis eſt enim Spalatenſis inulſa ratio; qui ex eo tantùm, quòd identidem in Iudæa, vel Antiochiæ, Petrus verſatus ſit, concludit indè numquam eſſe digreſſum.

VIII.

Euertuntur ea, quæ num. 28. 29. 30. 31. 32. *continentur.*

E*St quidem probabile*, ait Spalatenſis, *Petrum quoque tandem Romam veniſſe.* Probabile, inquis? Satis tibi dixiſſe videris ea de re, quam negare, vel non credere, pecudis eſt, non hominis. Itaque ne Hæreſiarchæ quidem ipſi, qui nihil non audent, inficiari iſtud audent. Sed breuiſſimo illi tempore Spalat. vix vno anno moratum eſſe Romæ Petrum ſomniat. Quorum inſaniam, ac proteruiam omnis retrò vetuſtas iugulat: vt ex cap. 1. Diſſertationis huius liquet. Vbi & de Simone Mago, cuius hiſtoria potiſſimùm Spalatenſis nititur, quantum ſatis erat, diximus. Quærit tamen, quibus auctoribus duplicem, vel Magi Simonis, vel Simonis alterius, & Apoſtoli Romam diſtinguamus aduentum. Facilis eſt reſponſio. Veterum alij Simonem Magum anno Claudij ſecundo Romam veniſse; alij imperante iam Nerone ſcribunt. Bis ergo, & diuerſis temporibus illic fuit. Rursùs Petrum anno Claudij 2. vt ſe Mago Simoni opponeret, Romam eſse profectum referunt. Iidem magno auctorum omnium conſenſu Romæ ſub Nerone paſsum eſſe cum Paulo prædicant. Quid clarius? quid certius? quàm & ſub Claudio, & ſub Nerone Romana in vrbe eſse verſatum? Contrà hæc nihil præter os, & frontem, quod opponat Spalatenſis, habet.

Cætera, quæ ad finem vſque capitis pertexui, partim friuola ſunt, partim è ſuperiori capite facilè diſcutiuntur. Quale eſt inter alia, quòd Petrum, & Paulum anno Neronis 12. Martyrio affectos eſse defendit: cùm id exeunte 13. aliquot ante 14. initium menſibus conſenſu omnium acciderit, Capitone, & Ruſo Coſs. qui eſt annus æræ Dionyſianæ *67*. non vt eſt in Annalibus Eccleſiaſticis *69*. vt antè demonſtrauimus.

Hactenùs doctiſſimus Petauius: in cuius ſententiam manibus, pedibuſque diſcedimus, dignamque iudicamus, quam omnes docti amplectantur. Quòd ſi quis nouitate perturbetur, meminerit, quæ noua ſint, non protinùs mala eſſe, & ineſse in doctiſſimi Chronologi rationibus pondus, quòd etiam ipſi nouitati auctoritatem conciliare poſſit. Verùm nec recens inuentum eſse, ac dudum initam hanc rationem tollendarum difficultatum, quæ in impeditiſſima diſputatione de Antiochena, & Romana Petri profectione occurrunt, norunt, qui de Annalibus Eccleſiaſticis inaudierunt; ſed diligentiorem, ac exquiſitiorem operam, in his eruendis poſuit Petauius, qui omnes anfractus, ac voragines, quibus illa quæſtio inciditur, emendauit, ac expleuit, ſcrupuloſque omnes exemit. Si quis autem præfractior in eum irruerit, ſentiet nobiliſſimum Athletam lacertos habere, inuictumque illi eſse robur experietur.

DIS-

DISCVSSIO
SECVNDI CAPITIS
LIBRI QVARTI.
CONSPECTVS CAPITIS.

Comparatione à Iudæis ſumpta, qui ab vna Tribu Iuda nomen duxerint, oſtenditur nomine Eccleſiæ Romanæ, totam Eccleſiam Catholicam cenſeri, ac comprehendi: Oppoſitiones Spalatenſis diſſoluuntur: Duo ipſius errata in ipſo limine diſputationis notantur, ac refelluntur: Trifariam dici poſſe Catholicam, & quo ſenſu Romana hoc nomen conſecuta ſit, explicatur: Athanaſius Spalatenſi non intellectus: Hieronymus, & Auguſtinus declarati: Eccleſia Romana fons, radix, & origo, reliquarum caput: Cypriano Eccleſia principalis: Eugenij Carthaginenſis, Vincentij Lirinenſis, Ambroſij, Theodoreti, Hieronymi, Poſſidij teſtimonia pro auctoritate Catholica Eccleſiæ Romanæ: Cauilli Spalatenſis abſterguntur: quatuor Epiſcoporum ordines, & gradus: Pontifex hos omnes comprehendit, ac omnes ſacri muneris perſonas ſuſtinet: Sirmondus in hanc rem citatus: Obiectiones Spalatenſis depulſæ, Pontificis auctoritas nuſquam reſtricta in Concilijs: Epiſcopus Romanus Metropolita Prouinciæ Romanæ, Primas Italiæ, Orientis Patriarcha, Rector vniuerſæ Eccleſiæ audit: Nugæ Spalatenſis de Canone ſexto Nicæno refelluntur: Ruffinus notatus: Mritur in Sicilia Anathemate perculſus à Pontifice: Quid nomine ſuburbicariarum intellexit prolixè diſputatur: Pontifex Vrbicus vocatus: Specialis eius Diœceſis apud Hincmarum: Verus Canonis Nicæni intellectus: Sſchiſmaticorum exilium, quibus limitibus definitur: De Canonibus Arabicis Nicænis: Pro Patriarchatu Occidentis Pontifici aſſerto veterum teſtimonia, potiſſimùm Baſilij, & Hieronymi: Longè alio ſenſu ab Orthodoxis Occidens tribuitur Pontifici, quàm à ſchiſmaticis Græcis: Primatum Pontificis Nicæni Patres agnouerunt: Chalcedonenſium de ea re iudicium: Item Imperatoris Valentiniani: Pontifex ſemper Metropolitas ſub ſe habuit, etiam in ſpeciali ſua Diœceſi: Vetus Canonis Nicæni editio ex Bibliotheca Vaticana: Baronius, & Bellarminus defenſi: Nicolai primi Canonis Nicæni interpretatio: Quàm latè pateret Religio Chriſtiana in Oriente tempore Concilij Nicæni oſtenditur: Noua Spalatenſis nugæ profligatæ: Cyprianus Catholicis aſſertus: Eccleſia Romana fidei prærogatiua, ac potentiæ influxu vniuerſalis, ac Catholica: Theodori Studitæ pro Pontifice teſtimonium: Roma Religionis Metropolis non Athanaſio: Baronius defenſus, & à calumnijs Spalatenſis vindicatus: Socratis

cratis locus emendatus: De Epiſcopis Pontificis Suffraganeis; Proſperi Romanæ Eccleſiæ encomium: Diuerſorum Patrum de ea re ſententia explicatur: Cyprianus, Auguſtinus, Beda, Hieronymus, Chryſoſtomus, quàm Romani fuerint: De Bulgaria, & inſcriptione tumuli, ſeu Epitaphio Stephani ſexti.

Spalat. n. 1. VNAM eſſe Chriſti Eccleſiam vniuerſalem militantem, & viſibilem toto Orbe diffuſam; omnes in Chriſtum credentes, Chriſtique baptiſmate ablutos in ſe complectenrem, iam oſtendi, libro 3, capite 1. eiuſque partes integranres, & homogeneas eſſe Eccleſias particulares, maiores quidem, aut minores, ſola mole, ſeu multitudine, pront maior, aut minor fidelium nnmerus aſſumatur, qui ſimul vno, eodemque loco; ſeu vna, eademque Ciuitate, aut vna, eademque Diœceſi, in fide, Synaxi, verbo Dei, & Sacramentis participet. Cùm itàque Romana Eccleſia, dum fidem Chriſti retinet, & peculiari, ac certo numero, nimirùm Romano conſletur; neque in ſe omnes Chriſti fideles, quotquot ſunt in mundo mortales, contineat; quis non videat Eccleſiam Romanam eſſe vnam Eccleſiam partialem per ſe ſeorſim exiſtentem; ſicut alia particularis eſt Mediolanenſis, alia Neapolitana, alia Moguntina, alia Lugdunenſis, & ſic de cęteris? Eſt ergo antè omnia Eccleſia Romana vna particularis Eccleſia Epiſcopalis, cùm propria ſua, & limitata Diœceſi; quod Monarchici non negant. Etſi dicas, omnes Chriſti fideles, quotquot ſunt in toto mundo, Romanam Chriſtianam fidem complecti, indèque eam fieri vniuerſalem; quæram ego, num hæc Romana fides ſit quædam fides peculiaris, ſolius Romanæ Eccleſiæ propria; an fides Chriſti Catholica illa, quam Eccleſia Catholica, hoc eſt, quam tota, totius mundi Chriſtiani Eccleſia, talem, qualem Chriſtus, & Sancti Apoſtoli mundo tradiderunt, tenet? Si eſt propria ipſius tantùm; pereat talis Eccleſia, & talis fides; quia vera fides Chriſti Catholica eſt, & per totum mundum ſparſa: ac verò in fide Catholica, non minùs verè, & propriè dici poſſunt omnes, & ſingulæ Eccleſiæ cum Romana, in omnibus articulis veræ fidei conſentire, quàm etiam Romana, cum omnibus, & ſingulis alijs. Ità etiam omnes conſentiunt, cum Mediolanenſi, Viennenſi, Hiſpalenſi, & reliquis; quarum nulla propterea eſt vniuerſalis; ſed omnes inter ſe fidei, & charitatis glutino, vt loquitur Cyprianus, colligatæ. De ijs porrò, quæ ab hac vnitate ſchiſmate ſunt ſeparatæ, agam poſtea libro 7.

QVamquam duodecim Iſraelitarum numeroſiſſimæ Tribus fuerint, quæ à duodecim filijs Iacob deſcenderunt, originemque duxerunt, à Iuda tamen fortiſſimo, ac generoſiſſimo Duce omnes Iudæi ſunt appellati, omneſque Tribus Iudaicæ dictæ, quia ſcilicet, vt ait
August l. 1. in Geneſ. Geneſ. 49. Auguſtinus, *à ſtirpe Iudæ regnum veniebat Iudæis*, iuxtà Iacobi oraculum; [Non auferetur ſceptrum de Iuda, nec Dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus eſt, & erit expectatio Gentium.] Namque quod de
Tacit. hiſt. lib. 5. Tertull. in Apolog. monte Idæ, vndè Iudæi, quaſi Idæi dicti ſint Tacitus ſcribit, *à mendaciorum loquaciſſimo* eſſe meritò contendit Tertullianus. Ad hunc igitur modum, licèt toto Orbe diuerſæ ſemper fuerint Chriſti Eccleſiæ, ſunt tamen omnes ab vna Romana appellationem ſortitæ, vt nomine Eccleſiæ Romanæ, non illam pomœrio, ac mœnibus Romanis comprehenſam, ſed omnes omninò, quæ in communionem ſunt Pontificis, intelligant orthodoxi. Nimirùm Romæ Apoſtolicum Principatum fixit Petrus Apoſtolorum primogenitus, Caput, & Princeps, cuius cùm poteſtas ad omnes ſeſe fundat Eccleſias, eius quoque nomen ſubeunt. Qua ratione *Catholica, & vniuerſalis Eccleſia* audit, nullis limitibus circumſcripta, ſed ad Orientem, Occidentem, Septentrionem, & Nouum Orbem diffuſa.

Receptam à tot ſeculis doctrinam im-
Spalat. n. 2. pugnandam hoc capite ſuſcepit Spalatenſis. [In hoc capite, inquit, labor meus eò tendit, vt oſtendam per multorum ſeculorum teſtimonia, Eccleſiam Romanam, aut conſiderari, & commemorari, tamquam Eccleſiam vnam ſingularem, particularem, ſub ſuo ſingulari, & peculiari Epiſcopo, ſicut cæterarum quæcunque, aut ſi quid vlteriùs ei additur, hoc eſſe, vel ius Metropoliticum in ſuam particularem Prouinciam, vel ad ſummum ius patriarchale pro ſuo proprio, & ab alijs diſtincto patriarchatu.] Sed in ipſo limine Num. 1.
bis impingit. Primùm, quòd Eccleſias particulares, partes integrantes, & homogeneas vniuerſalis Eccleſiæ faciat: Quod ſtultum dogma ſuperioribus libris profligauimus. Secundùm, quòd Eccleſiam Romanam, quam nos Catholicam, ſeu vniuerſalem dicimus, ex peculiari, ac certò populo, nimirùm Romano conflari arbitretur. Neque enim cùm nos Romanam Eccleſiam dicimus, peculiarem illum populum Romæ, aut in confinio Vrbis agentem intelligimus, ſed omnes omninò per totum terrarum Orbem diſperſos fideles, quos eiuſdem fidei profeſſio, eorumdem Sacramentorum communicatio, cum Romano Pontifice legitimo ſuo Paſtore conſociat, ac coniungit. Vanum eſt itàque, quod obiectat Spalatenſis, Eccleſiam Romanam eſſe Eccleſiam particularem, non minus, ac Mediolanenſem, Moguntinam, aut Lugdunenſem. Neque enim hoc ſenſu vſurpamus hoc loco, cùm Catholicam, & vniuerſalem dicimus, ſed quo ſenſu diſperſas per totum terrarum Orbem Orthodoxas Eccleſias complectitur, quemadmodùm tota Aſia, Europa, ac Africa diſperſæ Iudaicæ Tribus, vna Iudaica Eccleſia non plures cenſebantur, ſeque religionis nomine fratres dicebant,

qui

qui vbiuis terrarum erant Iudæi.

Sed vt hoc Catholicum dogma illuſtremus, ac contrà Spalatenſem pugnemus, omninò obſeruandum eſt, Catholicam dici poſſe Eccleſiam tribus modis: ſcilicet præciſè, & per ſe, participatione, & influxu. Præciſè,& per ſe dicitur Catholica, cui ratio nominis conſtat, ac omnium omninò Eccleſiarum Vniuerſitatem comprehendit, ac complectitur, extra quam ſcilicet nulla alia fingi poſſit. Et hoc ſenſu Eccleſia Catholica, ſeu Vniuerſalis ea eſt, quam per totum terrarum Orbem, ab Oriente vſque ad Occidentem, fulgoris ſui radios fundere, ac ſpargere docent Origenes, & Cyprianus, quamque vult Auguſtinus, ad omnia tempora, loca, & hominum genera ſeſe fundere, vt hac ratione diſtinguatur à Synagoga certo tempori adſtricta, vni Templo addicta, & in vno populo propagata. Participatione dicitur Eccleſia Catholica, quæ in communione eſt vniuerſitatis; qua ratione omnes Eccleſiæ particulares, & priuatæ, cùm Catholicæ membra ſint, & partes, vniuerſitatis rationem participant, ac hoc nomine Catholicæ dici poſſunt. Influxu dicitur Eccleſia Catholica, quæ cùm reliquarum caput ſit, auctoritatis prærogatiua vim ſuam illis influit, ac eiuſdem fidei profeſſionem inſpirat. Priore acceptione in priuatarum Eccleſiarum albo reponenda eſt Romana; quò referri debent, quæ totis integris ſectionibus, quarta, quinta, ſexta, ſeptima, octaua, nona, in hanc rem congerit Spalatenſis. Hac ſiquidem ratione Summi Pontifices ſe Romanos, & Vrbis, non Orbis Epiſcopos dixerunt, & ab alijs etiam Diœceſeos Romanæ adminiſtratores, & Epiſcopi ſunt vocati. Sed qui eos Epiſcopatui Romano addictos cenſuerunt, non ſemel eis totius Orbis procurationem conceſſerunt.

Spalat. n. 5. Sic verbi gratia, vt Spalatenſem non alijs, quàm ſuis exemplis refellamus, Gregorius, qui in quadam ſua Synodo non potuit non fateri, ſuam curam Epiſcopalem in ipſa Romana Eccleſia particulari eſſe defixam, mille locis Eccleſiæ Romanæ principatum ſuprà omnes Eccleſias prædicat, ac omnibus etiam legem ponit, vt eſt ſuprà à nobis demonſtratum. (Num. 6.) Sic Irenæus non contentus Eccleſiam, Romanam antiquiſſimam, omnibus cognitam, à duobus Apoſtolis Petro, & Paulo Romæ fundatam Eccleſiam dixiſſe, ac cum Smyrnenſi, & Epheſina numeraſſe, addendum curauit; (Num. 8.) Ad hanc Eccleſiam, Romanam ſcilicet, propter potentiorem principalitatem, neceſſe eſſe omnem Eccleſiam conuenire.

Sic Athanaſius Eccleſiam Romanam haud quaquam *Eccleſiam Italiæ*, quod ſomniauit Spalatenſis, (Athan. ep. ad ſolit. vitam agent.) non aduertens hìc Italiam anguſtiùs accipi, & Athanaſio Mediolanum eſſe Italiæ Metropolim, ac reliquas, quæ in tractu erant, cui Vicarius Italiæ præerat, (quare, Dionyſium Mediolani, *quod & ipſum*, inquit, *Metropolis eſt Italiæ*, in epiſtola ad ſolitariam vitam agentes, *Epiſcopum* indigitat,) ſed *Sedem Apoſtolicam Romanæ ditionis Metropolim* vocat. Cùm enim Romam intelligit, & primo loco ponit, & magnam Romam nuncupat. Ità enim Orthodoxos recenſens Epiſcopos, qui ſibi impenſiùs fauerent, numerat [ex magna Roma, *apo tis megalis Romis*, atque vniuerſa Italia, Calabria, Apuleia, Campania, Brucia, Sicilia, Sardinia, Corſica, tum ex vniuerſa Africæ, Gallijs, Britannia, Hiſpanijs, &c.] (Athan. ad ſol. vit. agent. p. 64.) An non igitur cachinnis excipiendus eſt Spalatenſis, qui Italiam, Romanam Eccleſiam ratus, hęc in Orthodoxos effudit? [Romanam tamen, inquit, ſeorſim oblitus eſt nominare, ſed eam vno faſce cum cæteris Eccleſijs Italicis, vt ex illis vnam, generali Italiæ nomine eſt complexus. Immò verò (quod nunc dierum non ſine hæreſis ſuſpicione luceret,) Italiam ipſam in prima acie non collocauit.]

Sic Hieronymus, qui quoties de Papa loquitur, illum Romanæ Eccleſiæ vocat Epiſcopum, etiam illum, & vocat, & agnoſcit totius Eccleſiæ caput, ac communionis Eccleſiaſticæ vinculum. Hinc ad Damaſum; [Beatitudini tuæ, id eſt, Cathedræ Petri, inquit, communione conſocior. Super hanc Petram ædificatam Eccleſiam ſcio; Quicumque extra hanc domum Agnum comederit, propahnus eſt, &c.

Quare, quòd Vrbem Orbi alibi opponit, & Orbem Vrbe maiorem eſſe vrget, facit, (Spal. eod. n. 8.) quòd priuatum abuſum nulla Pontificis, aut Eccleſiæ Romanæ auctoritate fultum, quem (Spalat. n 9. Hier. epiſt. 86. Euagr.) propterea vnius Vrbis conſuetudinem vocat, profligandum, ac eliminandum ſumpſiſſet. [Cęterùm, inquit, omnes Apoſtolorum ſucceſſores ſunt. Sed dicis, quomodo Romæ ad teſtimonium Diaconi Presbyter ordinatur? quid mihi profers vnius Vrbis cõſuetudinem, quid paucitatem, de qua ortum eſt ſupercilium, in leges Eccleſiæ vindicas? Omne, quod rarum eſt, plus appetitur. Pulegium apud Indos pipere pretio ius eſt. Diaconos paucitas honorabiles, Presbyteros turba contemtibiles facit. Cæterùm etiam in Eccleſia Romæ Presbyteri ſedent, & ſtant Diaconi: licèt paulatim increbreſcentibus vitiis, inter Preſbyteros, abſente Epiſcopo, ſedere Diaconum viderim, & in domeſticis conuiuiis benedictiones coràm Presbyteris dare.]

Quod verò de Auguſtino affertur, eum (Spalat. n 10.) Romanam Eccleſiam feciſſe particularem, equidem verũ eſt ſenſu à nobis tradito. Namque de conſuetudine quadam locali illi eſt ſermo, ſed errori feciſſe obnoxiam, eſt omninò falſum, ac preterea eodem loco Petrum agnoſcit Caput Apoſtolorum; (Epiſt. 86. ad Caſulan.) Quod certè in priuatum Epiſcopum non conuenit. Quid portò ſentiret de fide Pontificis, ipſe contrà Iulianum aperuit. (Aug. cont. Iulian. Pel. l. 1. c. 2. to. 7.) [Puto, inquit, tibi eam partem Orbis ſufficere debere, in qua Primum Apoſtolorum ſuorum voluit Dominus glorioſiſſimo martyrio coronare. Cui Eccleſiæ præſidentem Beatum Innocentium ſi audire voluiſſes, iam tunc pericloſiſſimam iuuentutem tuam Pelagianis laqueis excuiſſes.] Et hæc quidem de prima acceptione Eccleſiæ Catholicæ.

Secunda acceptione, nedùm Romana, verùm & quæuis alia priuata, *Catholica* dici poteſt, propterea quòd quemadmodùm participatione vnius ſpeciei plures homines ſunt vnus homo, ità eiuſdem fidei profeſſione, ac eorundem Sacramentorum communicotione omnes per Orbem terrarum Eccleſiæ vna ſunt Eccleſia, *vna columba, vna perfecta.* (Cant. 6.)

Tertia acceptione ſola Romana cenſeri po-

poteſt *Catholica*, quæ vna reliquarum Caput, fons, radix, & origo, auctoritatis prærogatiua vim ſuam illis influat, tamquam Princeps, & Regina. Quo ſenſu eam Cyprianus Eccleſiam *principalem vocat, à qua Sacerdotalis vnitas exorta ſit*. Hnc enim ſenſu metas nulla ei poſuit Spiritus Sanctus, *imperiumque ſine fine dedit*, vt proindè à Patribus omnibus Caput Eccleſiarum iure optimo nuncupetur. Sic namque Eugenius Carthaginenſis Epiſcopus apud Victorem Vricenſem, Arianis Vandali Regis ſui poteoria fretis, de fide conferre volentibus reſpondit: [Sic eſt hoc, quomodo dicatur homini, vt per aetà feratur, & volitet, quod motis non eſt humanæ naturæ. Dixi enim, ſi noſtram fidem, quæ vna, & vera eſt, poreſtas Regis cognoſcere deſiderat, mittat ad amicos ſuos. Scribam, & ego fratribus meis, vt veniant Coepiſcopi mei, qui vobis nobiſcum communem fidem noſtram valent demonſtrare, & præcipuè Eccleſia Romana, quæ CAPVT EST OMNIVM ECCLESIARVM.] Qua ratione etiam Vincentius Lyrinenſis, & Ambroſius Sedem, & Eccleſiam Romanam Caput Orbis, & Caput Imperij Romani vocat. *Lecta ſunt*, inquit Vincentius Lyrinenſis, (in Concilio Ephrſino epiſtolæ S. Felicia Martyris, & S. Iulij Vrbis Romæ Epiſcoporum. Et vt non ſolùm CAPVT ORBIS, verùm etiam latera illi iudicio teſtimonium perhiberent, adhibitus eſt à Meridie Beatiſſimus Cyprianus, à Septentrione S. Ambroſius, &c. Quid etiam ſi deſuiſſet,] inquit Ambroſius vnà cum Collegis, qui Aquileiæ conuenerant ad Imperatores Theodoſium, & Valentinianum; [tamen totius Orbis Romani Caput Romanam Eccleſiam, atque illam Sacro-ſanctam Apoſtolorum Sedem ne turbari ſineret, obſecranda foret Clementia veſtra: indè enim in omnes venerandæ communionis iura dimanant.] Rationem reddidiſſe videtur Theodoretus. [Tenet enim, inquit, ſancta iſta ſedes gubernacula regendarum cuncti Orbis Eccleſiarum.] Propterea refert Hieronymus, ex vniuerſa Eccleſia, & toto terrarum Orbe reſponſa ſuo ſeculo peti ſolita à Sede Apoſtolica Romana. [Antè annos, inquit, plurimos cùm in chartis Eccleſiaſticis iuuarem Damaſum Romanæ Vrbis Epiſcopum, & Orientis, atque Occidentis Synodicis conſulationibus reſponderem, &c.] Scilicet Sedes Petri Roma, vt loquitur Proſper, paſtoralis honoris caput facta eſt mundo. Hnc igitur ſenſu planè Catholica eſt, quia per totum ſeſe fundit, vniuerſoque moderatur Orbi. Hinc Poſſidius in vita Auguſtini Eccleſiæ Romanæ iudicium Eccleſiæ Catholicæ iudicium vocat. [Innocentius, & Zozimus, inquit, Apoſtolicæ Sedis Antiſtites, ſuis diuerſis temporibus Pelagianiſtas notantes, atque à membris Eccleſiæ præſcindentes, datis literis ad Africanas Orientis, & Occidentis Eccleſias, eos anathematizandos, & deuitandos ab omnibus Catholicis cenſuerunt. Et hnc tale de illis Catholicæ prolatum iudicium, etiam pijſſimus Imperator Honorius audiens, ac ſequens, ſuis eos legibus damnatos, inter hæreticos haberi debere conſtituit.]

De perſecut. Vvandal. lib. 2.

Common. adu. hæreſ. cap. 42.

Amb ep. 4.

Epiſt. ad Renat.

Hier. ep ad Ageruchiā de Monog. De ingrat. cap. 2.

Poſſid c. 18.

Sic Ambroſius de obitu Satyri. lib. 1. [Aduocauit ad ſe Epiſcopum, nec vllam veram putauit, niſi veræ fidei gratiam, percontatuſque ex eo eſt, vtrum cum Epiſcopis Catholicis, hoc, eſt cum Romana Eccleſia, conueniret.]

Sic & Hieronymus contra Ruffinum, apol. 1. [Fidem ſuam quam vocat? inquit. Eam ne qua Romana pollet Eccleſia? An illam, quæ in Origenis voluminibus continetur? Si Romanam reſpnoderit; ergo Catholici ſumns.]

Et alibi: Id. ep. 68. ad Theoph. [Sed tu ſcito, inquit, nobis nihil eſſe antiquius, quàm Chriſti iura ſeruare, nec Patrum transferre terminos, ſemperque meminiſſe Romanam fidem Apoſtolico ore laudatam, cuius ſe eſſe participem Alexandrina Eccleſia gloriatur.]

Sed homo reſtrictus hanc Romanæ Eccleſiæ amplitudinem reuincire, ac religare conatur. De limitatione, inquit, in ipſa Romana Eccleſia tum ſuæ propriæ Diœceſis, tum ſuæ Metropoliticæ iuriſdictionis multa adfero, quæ limitatio excludat omnes alias Eccleſias, quæ non ſint in Romana Prouincia, ab ipſius Romanæ Eccleſiæ poteſtate, & iuriſdictione; atque ità excludat, vt nullo pacto vniuerſalitatem illam, quam ipſa prætendit, limitatio dicta toleret, aut admittat. De Patriarchali verò ipſius dignitate nequaquam vniuerſali, egi pluribus lib. 3. cap. 10. agam, & ſequentibus huius libri Capitibus, ac præſertim nono. Itàque ex multiplici capite reſtringi, ac coarctari Summi Pontificis poteſtatem contendit, ſcilicet tum ex limitibus Epiſcopatus, quos certè anguſtiores eſſe negare non poſſunt Orthodoxi, quippè, qui vltrà Romanum Epiſcopatum non ſeſe fundant, tum ex finibus Metropoleos, quorum ſunt etiam definita ſpatia, tùm ex metis Diœceſeon, quas ſimiliter circumſcriptas habent, hocque argumentum magna animi contentione verſat, vt Orbem eripiat Pontifici.

Spalat. n. 2. in fine.

Hoc vt benè intelligatur, & eius rationes facilè ſoluantur, Aduertendum eſt, noſtros Epiſcoporum quatuor gradus facere, quos Synodo Chalcedonenſi deſignatos, potentiſſimis rationibus oſtendit doctiſſimus Sirmondus, antiquitatis callentiſſimus. Nempè Epiſcopus ſingularum Ciuitatum, qualis verbi gratia erat Vercellenſis, Metropolitanos Prouinciarum, qualis Mediolanenſis erat, Primates Diœceſeon, quos Græci *exarchoys* vocant, quales erant in Diœceſi Pontica Epiſcopus Cœſarienſis, in Aſiana Epheſious, in Thracica Heraclienſis. Addunt verò hos inter ſe gradus ità comparatos eſſe, vt ſuperior inferiorem ſemper complectatur. Nam qui Metropolitanus eſt Prouinciæ, idem Epiſcopus eſt Ciuitatis ſuæ; & qui Primas eſt Diœceſis, idem & Metropolitanus Prouinciæ ſuæ, & ſuæ item Ciuitatis, Epiſcopus: atque ità deinceps, qui Patriarcha eſt, multas Diœceſes habens, eſt quoque Primas Diœceſis, Metropolitanus Prouinciæ, & Ciuitatis, Epiſcopus. Qui verò celſiore loco Pontifex eſt *cephali cephalon*, non modò Epiſcopus, ſed & Metropolitanus, & Primas, & Patriarcha audit, nulla imminutione ſummi Magiſtratus. Epiſcopus quidem Vrbis Romæ, in qua Presbyteros ſolus ordinat, & reliqua munia exequitur Epiſcopi: Metropolita verò Prouinciæ Romanæ, in qua Epiſcopos conuocare,

Can. 9. & 17. Differt. 2. Cenſur. de Suburb. c. 1. Et adu. lib. 1. cap. 5.

care, & Concilia cogere, & cauſarum appellariones excipere ſolet, cæteraque præſtare, quæ Metropolitanis in ſua cuique Prouincia communi iure conueniunt. Primas autem Italiæ, in qua ipſis Metropolitis, verbi gratia Mediolanenſi, Aquileienſi, Rauennaei ius dicit. Patriarcha demùm torius Occidenris, in quo *immediatè*, *& per ſe*, vt loquuntur, & Epiſcopos, & Metropolitas, & Primates regit, ac moderarur, non ſecùs, ac Antiochenus omnes Orientis Antiſtites, Altxandrinus verò Ægypti, Libyæ, Penrapolis, & Thebaidos. Poſtremò denique ſummus Pontiſex non modò Epiſcoporum, Metropolitatum, Primatum, ſed & Patriatcharum Caput, ac Princeps, ad quem ex roto Orbe appelletur, vt ſuo loco oſtendemus.

His ità conſtituris, ac declaratis contendunt noſtri, ac planè euincunt, inferiores illos gradus ſummam Capitis Eccleſię dignitatem haudquaquam circumſcribere. Nou repugnare verò eundem Pontificem tot, tamque diuerſas ſacri muneris partes, ac perſonas ſuſtinere, appoſitiſſimis exemplis oſtendit politiſſimus, & terſiſſimus Scriptor. [Quemadmodùm, inquit, in ſingulis Prouincijs Metropolitani, quamuis peculiarem ſinguli Epiſcoparum, & Ciuitatem habeant, cui præſunt; ijdem tamen integras quoque Prouincias nutu, & poteſtate ſua regunt: aut ſicut in exercitu Imperator, etſi peculiarem cohortis cuiuſpiam, vel alæ præfecturam ſubeat, non eò fit, vt copiarum omnium Dux idem, & Caput eſſe non poſſit. Sic in Eccleſia Catholica, reclament licèt, terramque Cœlo miſceant Romanæ Sedis perduelles, vnum, eundemque Pontificem Maximum diuerſas ſacri muneris partes, & perſonas ſuſtinere videmus, adeò vt priuatæ Romanorum Eccleſiæ, vt proprius præſit Epiſcopus, & Prouinciam Romanam, vt Metropolitanus, Italiam, vt Primas, Occidentem regat vt Patriarcha; idem tamen vniuerſæ ſimùl Eccleſiæ, *tis oicoymenicis*, *tis ypò tòn oyranon*, ſibi Petri perſona commiſſas, vt legitimus Petri ſucceſſor, clauum teneat.]

Sirmondus in Cenſ. diſſer. 2. c. 8.

Hoc igitur impugnandum ſumpſit infęliciſſimus ſenex. [Fatentur, inquit, Hieromonarchici, neque diffiteri poſſunt, Eccleſiam Romanam, & eſſe vnam particularem cum ſuo particulari Epiſcopatu, & eſſe vnam Metropolitanam cum propria Prouincia ſab alijs diſtincta: aliqui etiam fortaſsè admitrent illam eſſe vnam Patriarchalem ab alijs diuerſam, ſed interim eſſe etiam vniuerſalem, & Papalem cum iuriſdictione in vniuerſam Chriſti Eccleſiam. Quam Papalem iuriſdictionem aliqui volunt in ipſomet Patriarchatu Romano conſiſtere. Huic tamen Papatui reſtrictiones illas Metropoliticæ, & Patriarchalis poteſtatis plurimùm obeſſe optimè norunt: ideòque, vt paulò pòſt videbimus, tantoperè laborant, vt reſtrictionem iuris Metropolitici præſcriptam in vno Canone Nicęno, euitent. Non enim dicunt reſtrictionem illam competere Romanæ Eccleſiæ, quatenùs eſt ſuæ propriæ Prouinciæ Metropolitana. Cæterùm illam adhùc habere aliam maiorem iuriſdictionem, nimirùm Papatus; Sed conantur excludere ipſam Romanam ab illis limitationibus, & reſtrictionibus. Sciunt enim illas cum Papatu ſtare non poſſe, & Paparum nullas omninò pati reſtrictiones, quando ille ſuperadditur Epiſcopatui ordinario, Metropolitico, & Patriarchali. Vt ſi Centurio alicuius exercitus ſtatim euehatur in ſupremum Ducem, & totius exercitus Imperatorem, illeque velit adhùc tamquam Centurio ſuos centum milites ſub ſe, tamquam ſub peculiari Centurione, retinere, proculdubiò hos centum milites imperiali auctoritate, non centuriali gubernabit, & conſequenter nullis reſtrictionibus, quibus alij centuriones obligantur, ille tenebitur: abſorbet enim imperialis auctoritas illam centurionalem, & poteſt omnia in illam ſuam peculiarem cohortem, cuius ille, & Centurio eſt, & Imperator, quæ alij non poſſunt Centutiones in ſuas proprias cohortes. Quòd ſi Imperator hic, retento officio Centurionis, legibus impediretur, ne in alios milites, qui non ſint ſub illius centuria, ius vllum exerceat, profectò is Centurio tantùm eſſet, non Imperator: ac proptereà limitatio omnis, & reſtrictio pugnaret penitùs cum ipſius poteſtate Imperiali. Cùm itàque Romana Eccleſia ſubſtet limitationibus omnibus, & reſtrictionibus, tum Epiſcopatuum ſimplicium in propria Diœceſi, quàm Metropolis in propria Prouincia, & Patriarchæ in ſuo Patriarchatu, ne liceat ei proprios limites excedere, proculdubiò Papalis eſſe non poterit. Et ſi ſemper Paparum habet annexum, cùm Papatus abſorbere ponatur in ſe omnes Epiſcopales, Metropoliticas, & Patriarchales poteſtates, profectò Romana Eccleſia iam non eſſet ampliùs obliganda reſtrictionibus illis, & conſequenter neque vlla ratione eſſet vmquam reponenda, ac recenſenda inter meras Epiſcopales, meras Metropoliticas, & meras Patriarchales Eccleſias; eam tamen reponi, & agnoſci verè particularem iam demonſtrabo.]

Spalat. n. 3.

Sed fallitur omninò, & fallit: ſiquidem nullę reſtrictiones adduntur Pontificię dignitati, ſiue ratione Epiſcopatus priuati, ſiue ratione auctoritatis Metropoliticæ, ſiue ratione Primatus, aut etiam Patriarchatus, quæ eius amplitudinem coerceant, aut ſolidam illam in omnes Orbis terrarum Eccleſias poteſtatem conuellant: Tantummodò, quòd omnes Epiſcoporum gradus, & titulos amplectatur, diſtinguenda ſunt vniuſcuiuſque poteſtatis iura, quid nimirùm ab illo, tamquam ab Epiſcopo, in Vrbe, vrbiſque patœria præſtetur; quid tamquam à Metropolitano in Prouincia Romana; quid vt Primas habeat iuris in Italia; quid vt Patriarcha in Occidente; quid poſtremò, vt Papa, & ſummus Pontifex in Eccleſia vniuerſa. Rem ſimilitudine explicat noſter Sirmondus: [Sicut, inquit, in Galliæ noſtræ Prouincijs, quas Duces olim, aut Comites ſub Regibus poſſidebant, nunc poſtquam in Regis poteſtatem redactæ ſunt, diſtincta ſunt iura Regis, atque Ducis, aut Comitis. Et quamuis Princeps idem vtramque perſonam ſuſtineat, alia tamen Ducis, Comitiſue iure imperat, alia Regis, nec regiam apud nos maieſtatem lædit, qui Regis titulo, Ducis, aut Comitis nomen adſcribit.]

Propempt. lib. 2. c. vlt.

Vellicat hanc noſtrorum rationem Spalatenſis. [Quòd ſi, inquit, Imperator hic,

Spalat. n. 3.

reten-

retento officio Centurionis, legibus impediretur, ne in alios milites, qui non ſint ſub illius Centuria, ius vllum exerceat, profectò is Centurio tantùm eſſet, non Imperator: ac propterea limitatio omnis, & reſtrictio, pugnaret penitùs cum ipſius poteſtate imperiali. Cùm itaque Romana Eccleſia ſubſtet limitationibus omnibus, & reſtrictionibus tàm Epiſcopatuum ſimplicium in propria Diœceſi; quàm Metropolis in propria Prouincia, & Patriarchæ in ſuo Patriarchatu, nec liceat ei proprios limites excedere; proculdubiò Papalis eſſe non poterit. Et ſi Papatum habet ſemper annexum, cùm Papatus abſorbere ponatur in ſe omnes Epiſcopales, Metropoliticas, & Patriarchales poteſtates, profectò Romana Eccleſia iam non eſſet ampliùs obliganda reſtrictionibus illis; & conſequenter, neque vlla ratione eſſet vmquam reponenda, aut recenſenda inter meras Epiſcopales, meras Metropoliticas, & meras Patriarchales Eccleſias.]

Nec verò exemplum, quo vtitur, noſtram ſententiam euertit. Etſi enim Centurio Imperator factus, Centuriæ ſuæ, ſi modò eam retineat, iam ſummo iure imperet, non abſorbet tamen ea dignitas Centurionis auctoritatem, qua vna fretus, centum illis ſuis peditibus militiæ leges præſcribere poſſit, nec opus ſit ſupremam aduocare poteſtatem. Sic verbi gratia Agamennon Mycenarum Rex, poſteà vniuerſi exercitus Græci Dux bello Troiano declaratus, ſuis Mycenenſibus imperabat, & vt Rex eorum priuatus, & vt ductor totius exercitus. Ad hunc igitur modum Pontifex Romanus, & totam Eccleſiam regit, qua *Caput, & Rector totius vniuerſitatis*, quod ei nomen Imperatores tribuunt; & rursùs ſuas legiones, centurias, & manipulos, qua Patriarcha, qua Primas, qua Metropolita, & qua Epiſcopus, gubernat.

Itaque quod ſuprà monebamus, & Epiſcopus Romanus ab alijs dicitur, & talem ſe nominat ipſe, & Metropolita audit, qui vni Prouinciæ Romanæ ius dicat; & Primas quoque Italiæ celebratur, cui ſubijciantur etiam ipſi Italiæ Metropolitæ; ac poſtremò Patriarcha quoque agnoſcitur, cuius ſpecialis Diœceſis ſit Occidens; ac præterea *Rector Eccleſiæ vniuerſæ habetur*: quæ vt minimè pugnare videat Spalatenſis, ſua ipſe adaptet exempla.

Spal. num. 4. *De Damaſo*, inquit, *ſic ſcribit Theodoretus: Hic Damaſus Epiſcopus Romanus fuit, in illius Eccleſiæ adminiſtratione ſucceſſor Liberij*. Et tamen de eodem Damaſo ſcribit vetuſtiſſimus Auctor commentarij in Paulum, qui Ambroſij nomine præfertur; *Cùm totus*, inquit, *Mundus Dei ſit, Eccleſia tamen domus eius dicitur, cuius hodie Rector eſt Damaſus*. Sic & Leo licèt Romanus Epiſcopus dicatur, Rectorem tamen eum etiam vniuerſitatis Imperatores indigitant. [Cùm igitur, inquit Valentinianus, Sedis Apoſtolicæ Primatum ſancti Petri meritum, qui princeps eſt Epiſcopalis coronæ, & Romanæ dignitas ciuitatis, ſacræ etiam Synodi firmarit auctoritas, ne quid præter auctoritatem Sedis iſtius illicitum præſumptio adtemperare nitatur. Tunc enim demùm Eccleſiarum pax vbique ſeruabitur, ſi Rectorem ſuum agnoſcat vniuerſitas.] Hæc ſatis ſint ad refellendas obiectiones, à numero tertio ad decimum tertium.

In epiſt. ad Tim. c. 3.

Theod. leg. Nouell. tit. 24.

Sed iam potentiores, & validiores machinas admouet. [Nihil verò, inquit, magis rem noſtram confirmat, quam Nicæni magni Concilij canon ſextus. Is enim ſi legatur, prout publicè expoſitus omnibus patet, ex eo quòd Romanus Patriarcha proprijs limitibus propriæ Prouinciæ ex antiqua conſuetudine ſe contineret, nec extra illam conſecrationes faceret; Alexandrino quoque ſuos præſcribit limites, vt ipſe etiam, ſicut, & Antiochenus, ac cæteri cuiuſque Prouinciæ Metropolitani, qui tunc propriam habebant Prouinciam, ſimiliter vt Romanus intra Prouinciæ ſuæ proprios limites ſe contineret. Si verò canonis eiuſdem non tam verba, quàm perfecta ſententia, prout ab antiquis Patribus, & Auctoribus fuit acceptus, & intellectus, proferatur; manifeſtum fiet, in eo Concilio, illo Canone reducta ad legem expreſſam antiqua Eccleſiarum communiſſima conſuetudine, tribus Patriarchis, Romano, Alexandrino, Antiocheno, ſicut & cæteris Metropolitanis præſcriptum fuiſſe, vt quiſque ſuæ tantùm Prouinciæ propriæ curam gereret, maximè in Epiſcopis ordinandis; & nemo eorum ad alienam Prouinciam ordinandam ſe extenderet. Quæ ſententia à verbis, vt paſſim proponuntur, aut parùm, aut fermè nihil diſcrepat.] Spalat. n. 13.

Reſpondeo, habere hìc Spalatenſem, quos ſequatur Auctores Schiſmaticos, tùm Græcos, tùm Latinos, quos mirari ſubit non vidiſſe, falſum falſiſſimum eſſe, vllos limites Pontifici poſuiſſe Concilium, aut eius poteſtatem religaſſe. Equidem Ægyptum, Libyam, & Pentapolim Alexandrino Patriarchæ attribuit, ac Antiochiæ, & reliquis Eccleſijs ſua ſeruari priuilegia iubet, Pontifici verò metas nullas ponit, Prouincias nullas aſſignat, ſed hoc ſolùm de illo addit, *Epeidi caì to en ti Romi Epiſcopo toyto ſinithes eſtin*. *Quoniam illa eſt etiam Romano Epiſcopo conſuetudo*. Percurrant igitur, ac euoluant omnes Synodos Oecumenicas Schiſmatici, deprehendent numquam dubitaſſe, eas Alexandrino, & Antiocheno potentiſſimis Epiſcopis ſuos terminos conſtituere. Verùm numquam eò audaciæ progreſſas, vt Pontifici Romano fines vllos præſcriberent. Sic primo Concilio Oecumenico Conſtantinopolitano decernitur, vt [ſecundùm regulas conſtituas, Alexandriæ quidem Epiſcopus, ea, quæ ſunt in Ægypto, tantùm gubernet, Orientis autem Epiſcopi ſolius Orientis curam gerant, ſeruatis honoribus Primatus Eccleſiæ Antiochenæ, qui in regulis Nicænæ Synodi continentur: Sed & Aſianę Diœceſis Epiſcopi, ea, quæ ſunt in Aſia, & quæ ad Aſianam tantummodò Diœceſim pertinent, gubernent; Pontiani Epiſcopi Ponticæ tantùm Diœceſis habeant curam; Thraciæ verò, ipſius tantummodò Thracię.] At ne ſyllaba quidem de limitibus Pontificię ditionis. Sic Chalcedonenſi ſancitur, [vt Antiochienſium ſanctiſſima Eccleſia duas Phœnicias, & Arabiam ſub ſua habeat poteſtate; Sanctiſſima verò Hieroſolymorum Eccleſia tres Palæſtinas itidem ſub propria habeat poteſtate:] ac demùm poſt euectum ad thronum Patriarchalem contra fas Antiſtitem Conſtantinopolitanum, ità de eius limitibus cenſuerunt Patres;

Conc. Côſt. Can. 2.

Conc. Chal. Act. 7.

tres;

Can 18. tres; [Vt, inquiunt, & Ponticæ, & Aſianæ, & Thracicæ Diœceſis Metropolitani ſoli, prætereà Epiſcopi prædictarum Diœceſium, quæ ſunt inter Barbaros, à prædicto throno ſanctiſſimæ Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ ordinentur.] Sed nuſquam illis venit in mentem eius limitationis, quam cogitat, & verè ſomniat cum Schiſmaticis Spalatenſis.

Spalat n. 14. Sed inſtat ille. [Ità canonem hunc intellexit ex antiquis Ruffinus, à Concilij Nicæni temporibus vix quadraginta annis remotus, ſic enim hunc canonem in compendium redactum refert; Vt apud Alexandriam, & in Vrbe Roma, vetuſta conſuetudo ſeruetur, vt vel ille Ægypti, vel hic Suburbicarum Eccleſiarum ſollicitudinem gerat.]

Reſpondeo hic multa adferri poſſe ad eleuandam fidem Ruffini, quæ non ſint à noſtris diſſimulata. Occurrit primùm hominis improbitas, & nequitia, quem conſtat pluſquam Vatiniano odio in Eccleſiam Romanam exarſiſſe, à qua eſſet anathemate perculſus; quod ſubindicat Anaſtaſius Papa. [Ruffinus, inquit, de quo me conſulere dignatus es, conſcientiæ ſuæ habet arbitrum Diuinam Maieſtatem, apud quam ſe integro deuotionis officio ipſe viderit, qualiter debeat approbare.]

Anaſt. ep 3. ad Io. Hier. Epiſc.

Significat verò apertiſſimè Hieronymus de Anaſtaſij epiſtola contra Ruffinum agens, qui eam ex Hieronymi officina prodijſſe diceret: [Si, inquit, fictam à me epiſtolam ſuſpicaris, cur eam in Romanæ Eccleſiæ Chartario non requiris? &c. Vade potiùs Romam, & præſens apud eum expoſtula, cur tibi & abſenti, & innocenti fecerit contumeliam, primùm, vt non reciperet expoſitionem fidei tuæ, quam omnis, vt ſcribis, Italia comprobauit: & baculo tuarum vti noluerit literarum contra canes tuos. Deindè vt epiſtolas contra te ad Orientem mitteret, & cauterium tibi hæreſeos, dum neſcis, inureret.]

Iterum refellens Ruffini vanitatem, qui fidei ſuæ confeſſionem ab omnibus Italiæ Epiſcopis eſſe ſuſceptam aſſereret: [Miror, inquit, quomodo probauerit Italia, quod Roma contempſit, Epiſcopi ſuſceperint, quod Sedes Apoſtolica condemnauit.] Et rursùs alia Apologia: [Id, inquit, Romanis auribus ingeris, quod tranſlatum totus Orbis expauit? aut certè, ſi ideò interpretatis, vt eum hæreticum arguas; nihil de Græco mutes; & hoc ipſum præfatione teſtare, quod prudentiſſimè Papa Anaſtaſius in epiſtola, quam contra te ſcribit ad Epiſcopum Ioannem, ſuo ſermone complexus eſt, me liberans, qui id feci, & te arguens, qui facere noluiſti. Ac ne forſitan, hoc quoque neges, ſubieci exemplum eius; vt, ſi non vis audire fratrem monentem, audias Epiſcopum condemnantem.] Fruſtrà verò eſt Gennadius in aſſerenda Ruffini pietate, quem conſtat hæreſi pollutum, & vinculo excommunicationis innodatum, in Sicilia diem clauſiſſe extremum, quod ænigmaticòs expreſſit Hieronymus in procemio I. commentariorum Ezechielis ad Euſtochium. *Scorpius*, inquit, (Ruffinum intelligit) *inter Enceladum, & Porphyrionem* (ſic enim legendum, non Porphyrium) *Trinacriæ humo premitur, & Hydra multorum capitum contra nos aliquando ſibilare ceſſauit.*

Alludit ſcilicet Hieronymus ad Gigantum fabulam, qui aduersùs Superos conſpirarunt, & Enceladum Titanis, & Terræ filium; & Porphyrionem Siſyphi filium, quos fulmine ictos, ac deuſtos Iupiter Etnæ Siciliæ monti ſuppoſuit, nominat, & cum eis Ruffinum confert, locum, & meo iudicio etiam genus mortis notans. Fieri igitur potuit, vt homo irarum plenus, corruptela, & deprauatione Canonis Nicæni, acceptam à Romana Eccleſia iniuriam vltum ire voluerit.

Accedit portentoſa Latini ſermonis imperitia, & in vertendis Græcis ſumma oſcitantia, & ſupinitas: qua de re Hieronymus; [Ego, inquit, ſcripta tua relegens, quamquam interdùm non intelligam, quid loquaris, & Heraclitum me legere putem, tamen non doleo, nec me pœnitet tarditatis, id enim in legendo patior, quod tu pateris in ſcribendo.] Et de quadam eius epiſtola loquens; [Omne iter dictionis tuæ, inquit Ruffino, abſque Palladis arte ſalebris, & voraginibus vitiorum inciditur.] Et rursùs: [Ego Philoſophus, inquit, Rhetor, Grammaticus, Dialecticus, Hebræus, Græcus, Latinus, trilinguis. Hoc modò, & tu bilinguis eris, qui tantam habes Græci, Latiniq; ſermonis ſcientiam: vt & Græci te Latinum, & Latini te Græcum putent.] Et Apologia prima. [Tu, inquit, qui in Latinis muſſitas, & teſtudineo gradu moueris potiùs, quàm incedis, vel Græcè debes ſcribere, vt apud homines Græci ſermonis ignaros, aliena ſcire videaris; vel ſi Latina tentaueris, ante audire grammaticum, ferulæ manum ſubtrahere, & inter paruulos *athinogeron*, artem loquendi diſcere.

Similia habent ex Sectarijs Ioſephus Scaliger, & Iunius. Hic quidem: [Ruffinus, inquit, literarum priſcarum peſtis fuit, qui nec veritate, nec fide in vertendis auctoribus vſus eſt, vt Hieronymus oſtendit, & boni norunt.] Item, [Ruffinus dente magis, quàm naſo valuit; atque haud ſcio, an non etiam dum alios liberè dente rodere, & truncare voluit, ipſe ſibi naſum abſtulerit.] Ille verò; [Quis, inquit, ignorat inſcitiam Ruffini?] Et rursùs: [Mos eſt, inquit, Ruffino omittere, peruertere, mutare ex animi libidine. Sumpſit ſibi Ruffinus, inquit Eraſmus Roterodamus, in vertendis penè ſingulis, quæ tranſtulit, præſertim in libris Origenis, & Euſebij Cæſarienſis hiſtoria. Verùm hæc non eſt libertas interpretis, ſed licentia potiùs contaminantis aliena ſcripta.] Et quidem in huius ipſius Concilij alijs Canonibus vertendis mirè hallucinatum eum noſtri clariſſimè oſtendunt. Sed meo iudicio his recuſationibus opus non eſt, atque viris doctis Sirmondo, & Aleandro omninò aſſentior, qui negant, aut conſultum mendacium, aut hallucinationem ei tribuendam, cùm veriſimile non ſit in re apertiſſima eum labi potuiſſe, aut tam perfrictæ frontis fuiſſe, vt aduersùs perſpicuam, & omnibus exploratam veritatem pugnandum ſibi duxerit. Vna igitur obſcuritas ei opprobrari poteſt, nec quiſquam eum tenebricoſiorem fuiſſe negauerit. Videndum igitur quid per *Suburbicarias* intellexerit. Sectarij omnes, Suburbicarias Eccleſias, quibus Romana Diœceſis contineetur, eas Ruffino dici exiſtimant, quæ in regionibus

Iun. aduerſ. Bellar. lib. 2. cap. 4.

ſint ſuburbicarijs. *Suburbicarias* autem *regiones* eas dicunt, quæ intra centeſimum ab Vrbe milliarium, vt ipſi quamquàm falsò putant, ſitæ, ad præfecturæ Suburbicariæ Diœceſim pertinuerint, & in Præfecti Vrbis Diœceſi fuerint, vt eorum iudicio Epiſcopi Romani poteſtas non latiùs ſe fuderit, quàm Præfecti Vrbis. Reclamant verò nedùm Orthodoxi, quorum agmen ducunt Baronius, & Bellarminus, verùm etiam ipſi Eccleſiæ Romani iurati hoſtes Schiſmatici Græci.

Sic enim Zonaras ad Canonem ſextum Nicænum; [Alexandrinum igitur Epiſcopum, inquit, ijs, qui in Ægypto, Libya, ac Pentapoli ſunt, præſidere, Antiochenum ſubiectis ſibi Prouincijs, Syriæ nimirùm, Cœleſyriæ, Ciliciæ vtrique, Meſopotamiæ, ac alios Epiſcopos, ſuis quemque regionibus, quemadmodùm, & Eccleſiæ Romanæ Præſes, in Occidentales Prouincias principatum diuturna conſuetudine obtinet, præeſſe iubet.]

Et Balſamon ad eundem Canonem: [Sextus, & ſeptimus Canon, inquit, ſtatuunt quatuor Patriarchas, videlicet Romanum, Alexandrinum, Antiochenſem, & Hieroſolymitanum (de Conſtantinopolitano enim in alijs Canonibus tractabitur) ex antiquis moribus honorari; & Alexandrinum quidem Epiſcopum præeſſe Prouincijs Libyæ, & Ægypti, & Pentapolis: Antiochenum ſimiliter Syriæ, Cœleſyriæ, Meſopotamiæ, & vtrique Ciliciæ: Hieroſolymitanum autem Prouincijs Palæſtinæ, Arabiæ, & Phœnices. Quoniam, inquit, & Romanus Epiſcopus præeſt Occidentalibus Prouincijs.]

Hanc aduerſariorum ſuorum confeſſionem arripiunt Orthodoxi, atque cùm in Ruffino *Suburbicarias regiones* legunt Pontifici aſſignatas, ex æquo, & bono eas totum Occidentem interpretantur, quo Patriarchatus Pontificis deſcribatur. Non igitur *Suburbicarias regiones* illas, quæ ad centeſimum lapidem Vrbis ſe porrigerent, intellexiſſe Ruffinum arbitrantur, ſed eas omninò, quæ Vrbis Epiſcopo parerent, quem *Vrbicum* dictum norunt, qui veteres Auctores triuerunt. Pontificem enim Romanum, *Vrbicum Epiſcopum*, Paulinus appellat: *Zephyrinumque* Optatus etiam *Vrbicum* vocat. Itàque eorum ſententia, quos iam ſequimur, *Suburbicarias* Eccleſias cùm dixit Ruffinus, omnes Eccleſias, quæ ſpeciali Romani Pontificis Diœceſi, vt loquitur Hincmarus, continentur, hoc eſt, totius Occidentis Eccleſias complexus eſt.

Alio igitur ſenſu quàm quo de Suburbicarijs loquuntur, qui Præfecti Vrbis ditionem deſcribunt, accepit Ruffinus. Nec hoc inſolens, aut nouum, quamquam obſcuritatis plenum ingenuè fatear locum Ruffini, vt pro rei adiunctæ modo, ſignificationem varient vocabula: Sic enim Orientis nomen non vno modo ſumitur, cùm Comitem Orientis audimus, & cùm Præfectum Prætorij Orientis; Nec eadem Aſia occurrit, aut animo obuerſatur, cùm Proconſul Aſiæ nominatur, & cùm Vicarius Diœceſis Aſianæ; nec eadem Italia, quæ à Vicario Italiæ regitur, & quæ à Præfecto Prætorij Italiæ adminiſtratur, vt eruditè diſſerit Sirmondus. Quemadmodùm igitur aduerſariorum ſententia illo alio ſenſu ex dictæ ſunt *Suburbicariæ regiones*, quæ Præfecto Vrbis, aut potiùs Vicario Vrbis parebant: Ità *Suburbicariæ* Eccleſiæ ritè nominantur omnes, quæ in *Vrbici* Epiſcopi, hoc eſt Romani Diœceſi ſint, & poteſtate. Firmant pluribus hanc ſententiam Sirmondus, & Aleander. Non eſt igitur, quòd nos torqueamus in veſtigandis regionibus Vrbicarijs, quarum limites ex appellatione Canonis Vrbicarij veſtigatum iuit Baronius.

Tamen *Suburbicarias regiones*, Suburbanas, hoc eſt, Vrbi vicinas, & ad centeſimum lapidem protenſas, reſcriptis Imperatorum euincere contendit Aduerſarius. [Valentinianus enim, inquit, qui Vrſicinum Antipapam in Gallijs exulare iuſſerat, eidem indulgentiam impertiens, ità reſcripſit ad Ampolium. Dudùm Vrſicini inquietudine prouocati, fauentes concordiæ populi Chriſtiani, quieti etiam Vrbis ſacratiſſimæ prouidentes, vno interim loco, intra Gallias dumtaxat perturbatorem tranquillitatis publicæ, ſtatueramus iure cohiberi; ſcilicet ne applicatione motum latæ diſſenſionis incommodum ſpargeretur. Verùm naturæ noſtræ manſuetudine leuigati, ità memorato abſcedendi copiam dedimus, ne ad Vrbem Romam, vel certè Suburbicarias regiones pedem inferat, neque nequitiæ ſuæ contagionem conetur infundere. Et ad Maximinum Vicarium Vrbis Romæ de eodem; Diſcedendi copiam ei fecimus ſub ea conditione, ne vagandi arbitrium præberemus, neque ad Vrbem Romam, vel regiones Suburbicarias valeat commanere.]

Spalat. n. 15. Apud Bar. tom. 4. ann. 371. init.

Ibid. num. 3.

Atqui Suburbicarias quidem Vrbes, aut regiones audio, quæ vicinæ erant Vrbi; ſed Suburbicarias illas fuiſſe, quibus ditio Pontificis contineretur, non audio: Neque verò illæ intelligi poſſunt, ſi modò mens Concilij Nicæni benè expendatur. Namque propoſitum illi fuit Alexandrinum Epiſcopum cum Romano conferre, quà vterque in numero Patriarcharum eſt; nec audiendi ſunt, qui Synodum cenſent Epiſcopi Alexandrini Diœceſim cum Prouincia Romani Pontificis, quam Pontifex peculiari Metropolitanorum iure adminiſtret, quamque totam intra centeſimum lapidem fuiſſe Sectarij contendunt, non verò cum eius Diœceſi comparare. Siquidem peruerſa rerum vice haud paria inter ſe conferret, Prouinciam cum Prouincia, Diœceſim cum Diœceſi, Patriarcham cum Patriarcha, & Metropolitam cum Metropolita; ſed ineptiſſimè Prouinciam cum Diœceſi, Diœceſim cum Prouincia, Patriarcham cum Metropolitano componeret: neque enim in Suburbicarijs vllæ fingi poſſunt Metropoles, quæ Ægypti, Libyæ, ac Pentapolis amplitudinem exæquent, ſiquidem in illis Metropoles nullæ erant, vt proindè ridiculus ſit Spalatenſis, qui Diœceſim in illis comminiſcitur. Fortaſſè verò colligit ex eo Suburbicarias illas Diœceſim fuiſſe Pontificis, quòd Schiſmaticorum exilium illarum limitibus definiretur; quódque qui Epiſcopatum aliquem turbarent, extra eius fines relegarentur, ac deportarentur. Sed certas Schiſmaticorum exilij metas non fuiſſe, hoc ipſum Imperatorum reſcriptum oſtendit. Sic enim Gratianus, & Valentinianus AA. ad Aquilinum de Vrſicini, qui ad-

uer-

uerſùs Damaſum ſchiſma fecerat, exilio ſcribunt. [Vrſicinum quidem, inquiunt, Gallia coercet, & ne motus aliquos inquietus exerceat, cohibet Agrippina ſeceſſio. Iſaacem remotus Hiſpaniæ angulus titulo damnationis incluſit.] Audis Vrſicinum factionis Caput in Galliam, alterum in Hiſpaniam relegatos. Vt proindè appareat haud ſemper, qui Epiſcopatus turbarent, præcisè extra illorum terminos deportari ſolitos.

Spalat.n.16. Tom.1.Cōc edit. Bin. At nos præmit Spalatenſis Arabicorum Canonum auctoritate, [Sed & in Arabicis, inquit, quos tanti faciunt Turrianus, & Piſanus, alijque noſtri Romanenſes, primi Concilij Nicæni Canonibus; ſextus hic, quem præ manibus habemus Canon, octauo inter illos loco poſitus, Ruffini paraphraſi optimè reſpondet. Sic enim ponitur; Conſtitutum eſt, vt Epiſcopus Ægypti, id eſt, Patriarcha Alexandrinus præſideat, & habeat poteſtatem totius Ægypti, & omnium locorum, Ciuitatum, & Caſtellorum, quæ ſunt circum eam, quia ſic conuenit. Si quidem ſimiliter Epiſcopus Romæ, id eſt, ſucceſſor Petri Apoſtoli, poteſtatem habet omnium Ciuitatum, & locorum, quæ ſunt circa eam. Ac ſimiliter Epiſcopus Antiochiæ, id eſt, Patriarcha, poteſtatem habeat Prouinciæ illius totius, & illorum locorum, quæ circum eam ſunt, & in alijs item locis ſeruari debet, quod in præterito conſtitutum eſt. Suburbicariæ igitur Eccleſiæ Ruffini, in Nicænis Arabicis Canonibus, ſunt Eccleſiæ Ciuitatum, & locorum quæ ſunt circa Romam, quæque conſequenter Romanam propriam efficiunt Prouinciam.

De Arabicis hiſce Canonibus nihil ſtatuimus. Ceterùm; vt octauus reſpondeat Ruffini paraphraſi, Ciuitates, & loca, quæ circà ſunt Pontificem, quarum poteſtatem habere eum dicit, totum Occidentem complecti neceſſum eſt, quandoquidem proportione, Ægypto, Libiæ, ac Pentapoli reſpondere debent, non verò ab his numero ſuperari; Omninò verò ſuperarentur, ſi intrà Suburbicarias regiones cogerentur Ciuitates, & loca, quibus imperat Pontifex. Sic verò intelligendum Canonem illum ſuadent, quæ de Antiocheno Patriarcha ibidem habentur. *Similiter & in Antiochia, & in alijs prouincijs, ſua priuilegia ſeruentur Eccleſijs*. In Arabico verò ſic effertur: *Ac ſimiliter Epiſcopus Antiochiæ, id eſt Patriarcha poteſtatem habeat Prouinciæ illius totius, & locorum, quæ circum eam ſunt. Et in alijs locis ſeruari debet, quod in præterito conſtitutum eſt*. Neque enim credo, voluit Synodus anguſtiores eſſe terminos præfecturæ Antiocheni, aut etiam Alexandrini.

Cæterùm potentiſſimis argumentis oſtenditur, Ruffinum per *Suburbicarias Vrbes*, vniuerſum Occidentem, non regiones vrbi vicinas intellexiſſe. Nam præterquàm quòd ineptè admodùm centeſimi ab Vrbe lapidis Ciuitates, cum integra Ægypti Diœceſi, hoc eſt, cum multarum Ciuitatum, ac regionum complexione componeret; certum eſt poſterioribus ſæculis, cùm ad Patriarchatus gradum eſt euectus Conſtantinopolitanus Præſul, ad inſtar Romani Patriarchatus eius præfecturam conſtitutam fuiſſe: Atqui tantum abeſt, vt centeſimo lapide definita ſit, vt ex Oriente ei tres ampliſſimas Diœceſes attribuerint Chalcedonenſes, Ponticam, Aſianam, & Tracicam. Præ illius finibus igitur ridiculi eſſent veteris Romæ termini centeſimo milliario, ſi Superis placet, deſcripti. Præterea non alios fines Patriarchatus Romani intelligere potuit Ruffinus, quàm quos habet Hieronymus eius Synchronos, ac antagoniſta. Hieronymus verò perpetuò Pontificem quà Patriarcham ſpectans, Occidentem totum ei tribuit. *Omittamus*, inquit, *hæreticorum patrocinium, & nulla erit inter nos contentio. Eodem feruore, quo Origenem antè laudauimus, nunc damnatum toto orbe damnemus. Iungamus dextras, animos copulemus, & duos Orientis, & Occidentis* Tropaiophoroys *alacres ſequamur*. Et rurſùs aduerſùs Vigilantium: *Quid facient*, inquit, *totius Orientis Eccleſiæ: Quid Aegypti, & ſedis Apoſtolicæ, quæ aut virgines Clericos accipiunt aut continentes?* Ac rurſùs: *Si eis placet*, inquit, *hæreticum me cum Occidente, hæreticum cum Aegypto, hoc eſt, cum Damaſo, Petroque condemnent*. Et alibi: *Vulgatum eſt beatum quoque Papam Anaſtaſium eodem feruore, quia eodem ſpiritu eſt, latitantes in foueis ſuis hæreticos perſecutum, eiuſq; literæ docent damnatum in Occidente, quod in Oriente damnatum eſt*. Itaque Pontifici Occidentem tribuit, in quo Patriarcham agat. Baſil.ep.10.

Hier. apol. 2. in Ruffin.

Hier. Marco Presb. Epiſt.77. Id. ep.79.

Baſilius quoque Pontificem, *Orientalium* proptereà *Coryphæum* vocat. Sed aduertendum omninò eſt, Orthodoxos Patres, longè alia mente Pontifici Occidentem attribuere, quàm attribuant nuperi Græci Schiſmatici. Hi enim totam ditionem Pontificis Occidentis terminis claudunt, nec fas illi eſſe vllum in Eccleſias Orientis imperium vſurpare clamitant. Illi verò equidem Occidentem tamquam ſpecialem ei Diœceſim aſſignant, ſed prætereà totius orbis adminiſtrationem tanquam ſupremò totius Eccleſiæ Paſtori attribuunt. Sic Chryſoſtomus: *Si quis percunctaretur*, inquit, *quomodo Iacobus ſedem Hieroſolymis acceperit: reſponderem, hunc totius Orbis Magiſtrum præpoſuiſſe*; Petrum. Sic Baſilius, qui Pontificem Occidentalium Coryphæum dixit, eundem vniuerſæ Eccleſiæ Caput nouit, ac veneratus eſt. Sic enim ad transmarinos Epiſcopos, hoc eſt, ad Damaſum Pontificem, & Occidentales ſcribens; *Siue caput*, inquit, *voſipſos vniuerſalis Eccleſiæ reputatis*, (Pontificem alloquitur) *non poteſt pedibus dicere caput, non eſt mihi opus vobis: ſiue in reliquum vos Eccleſiaſticorum membrorum ordinem locatis*, (ad reliquos Occidentis Epiſcopos ſermonem flectit) *non poteſtis nobis dicere, qui in eodem corpore vobiſcum conſtituti ſumus, non eſtis mihi neceſſarij*. Ac rurſùs ad Damaſum; *Etiamſi*, inquit, *habitationibus ſumus alter ab altero, quàm longiſſimè diſſiti, ac direpti: ratione tamen huius coniunctionis, ſumus propinqui inuicem. Quoniam igitur pedibus caput dicere non poteſt: non eſtis mihi neceſſarij: planè neque nos amicitiam nobis renuntiare ſuſtinebitis*. Imploranti ſuam opem Baſilio tandem ſuppetias tulit Damaſus, & in ea, qua potiebatur auctoritate vſus, Orientis quoque curam ſuſcepit, & excitatas in eo turbas reſtrinxit, ac ſedauit. Liberium ſcilicet deceſſorem ſuum imitatus, de quo ſic Sozomenus: *Controuerſia*, inquit, *cum contendendi ſtudio, vti credibile eſt in dies magis magiſque creſceret*,

Chryſoſt. hom 87. in Ioan.

Baſil.ep.77.

Baſilius ep. 70.

Sozom. l.6. c.21.

ret, Epiſcopus Romanus de ea certior factus ſcripſit ad Eccleſias Orientis literas, vt vnà cum Sacerdotibus, & Epiſcopis Occidentis Trinitatem, & conſubſtantialem eſſe, & gloria æqualem exiſtimarent. Quo facto ſinguli rebus ab Eccleſia Romana ſemel iudicatis acquieuerunt, hæcque controuerſia finem habere viſa eſt.

Cōc. Chalced. act. 16. Vltimò, Pontifici ſolas Vrbicarias, quæ centeſimo lapide clauderentur, non tribuiſſe Synodum Nicœnam, hinc apparet, quòd quocumque modo legatur Canon, omninò conſtat, Primatum Eccleſiæ Romanæ eam agnouiſſe, ac ſuo calculo probaſſe. Namque cùm non vno modo lectus eſſet Canon ille ſextus in Concilio Calcedonenſi, & Paſchaſinus ſedis Apoſtolicæ Legatus ſic extuliſſet; [Quòd Eccleſia Romana ſemper habuit Primatum. Teneat autem, & Ægyptus, vt Epiſcopus Alexandriæ omnium habeat poteſtatem, quoniam, & Romano Epiſcopo hæc eſt poteſtatem, quoniam, & Romano Epiſcopo hæc eſt conſuetudo, &c.] Conſtantinus verò deuotus Secretarius Conſiſtorij ex dato codice ab Aetio Archidiacono Conſtantinopolitanorum ſanctiſſimæ Eccleſiæ recitaſſet: [Antiquæ conſuetudines teneant in Aegypto, vt Alexandrinus Epiſcopus omnium habeat poteſtatem, quoniam, & Romano Epiſcopo hæc conſuetudo eſt, &c.] In hac tamen lectionum diuerſitate glorioſiſſimi iudices (nec adulabantur illi, nec famulabantur Pontifici, ſed regiæ vrbis Conſtantinopoleos Epiſcopi Anatolij cauſam agebant) in hunc modum pronuntiarunt. [Ex his, quæ geſta ſunt, & ab vnoquoque depoſita, perpendimus omnem quidem primatum, & honorem præcipuum ſecundùm Canones antiquæ Romæ, Dei amantiſſimo Archiepiſcopo conſeruari, &c.] Vidit, & hoc Valentinianus Imperator, cuius hæc verba extant in Nouella; [Cùm ſedis, ait, Apoſtolicæ Primatum, ſancti Petri meritum, qui Princeps eſt Epiſcopalis coronæ, & Romanæ dignitatis ciuitatis, ſacræ etiam Synodi firmarit auctoritas.] Firmauit ſcilicet, Primatum habere Eccleſiam Romanam. At verò non Primatum, ſed ſimulacrum Primatus oportuit eſſe, ſi intrà centeſimum lapidem eſt illius Eccleſiæ præfectura coacta, & ad anguſtiores iſtos terminos coarctata. Qua ratione concedit commentum illud de Suburbicarijs, quibus definitam volunt aduerſarij præfecturam Pontificis; adeòque ſi quà caput Eccleſiæ ſpectetur, vniuerſus ei orbis eſt attribuendus: ſi quà Patriarcha, totus Occidens eſt aſſignandus.

Valen. nou. legit. tit. 24. Spalat. n. 17. Quod verò monet Spalatenſis; [Tempore Concilij Nicœni, quando primùm Eccleſia, quæ ad illud tempus perpetuò fermè ſub Ethnicis Imperatoribus Chriſtianæ fidei perſecutoribus gemuerat, Dei benignitate nacta eſt pium, & fidelem Imperatorem; Chriſtianam Religionem nondùm fuiſſe vſque adeò dilatatam extrà Italiam, vt plures potuerit habere Prouincias benè ordinatas cum ſuis Metropolitanis, quorum ſinguli plures haberent Suffraganeos.] Non magis ad Occidentem pertinet, aut Italiam tangit, quàm Orientem, aut Ægyptum, aut Libiam, aut Pentapolim, cùm vbique turbæ, & tumultus eſſent aduerſùm Religionem Chriſtianam, ac locis omnibus Eccleſia graues pateretur aduerſarios. Sed quod addit, Metropoles in Gallijs, Hiſpanijs, & Aphrica ſe ſubduxiſſe Pontifici, nec ad eam pertinuiſſe Epiſcoporum illarum Metropoleôn conſecrationem, omninò falſum eſſe ex Gregorio, quem tamen teſtem aduocat, apparet. Sic enim ille de Salonitio Epiſcopo. [Salonitanæ verò ciuitatis Epiſcopus, inquit, me, ac Reſponſali meo neſciente, ordinatus eſt; & facta res eſt, quæ ſub nullis anterioribus Principibus euenit. Quod eo audiens, ad eundem præuaricatorem, qui inordinatè ordinatus eſt, protinùs miſi, vt omninò Miſſarum ſolemnia celebrare nullo modo præſumeret, niſi priùs à Sereniſſimis Dominis cognoſcerem, ſi hoc fieri ipſi iuſſiſſent; quod ei ſub excommunicationis interpoſitione mandaui.] Et ſemper fuiſſe Metropoles in ſpeciali Pontificis Diœceſi, illa Hincmari verba oſtendunt. [Sancta Romana Eccleſia, cui ſollicitudo omnium Eccleſiarum in beato Petro Principe Apoſtolorum eſt commiſſa, plures Metropolitanos in ſua ſpeciali Diœceſi habet: ſed & Antiochena ſedes, nonnullos Metropolitanos in ſua Diœceſi habet.] Grec. epiſt. l. 4. ep 34. Hinc. epiſt. 6. cap. 4.

Aggreditur iam Spalatenſis ad refellendas Canonis Nicœni ſexti, Baronij, & Bellarmini Cardinalium interpretationes, atque indignis modis eos exagitat, quòd ſextum illum Canonem mutilum cenſeant, quòdque Epiſcopi Romani morem à Patribus inductum aliter interpretentur, quàm ipſe velit, atque ad factam poteſtatem à Pontifice Alexandrino Epiſcopo, quicquid eſt illi imperij, in Aegyptum, Libiam, & Pentapolim referant. Sed primùm, mutilum eſſe Canonem, vt nunc extat, plura euincunt. Primùm, vetus editio, quam ex Vaticano profert Sirmondus, quæ plenior, ac etiam ſyncerior videtur. Sic autem concipitur. [De Primatu Eccleſiæ Romanæ, & aliorum ciuitatum Epiſcopis. Antiqui moris eſt, vt Epiſcopus vrbis Romæ habeat principatum, vt ſuburbicaria loca, & omnem Prouinciam ſuam ſollicitudine gubernet.] Accedit Nouella Valentiniani, de qua egimus ſuprà, ac aperta glorioſiſſimorum iudicum in Concilio Chalcedonenſi confeſſio: & quicquid blaterent hoſtes veritatis, idipſum firmat Paſchaſini Leonis Magni in eodem Concilio Legati recitatio, quem conſtat Canonem Nicœnum cum ipſa Primatus mentione coniunxiſſe; *I Eccleſia Romis pantote eſche tà proteia*: *Eccleſia Romana ſemper habuit Primatum*. Neque enim credibile eſt in auguſtiſſimo orbis terrarum conſeſſu voluiſſe Pontificium Legatum, cui credo, aliqua frons erat, falſum Canonem obtrudere, ne falſitatis conuictus, & ſe, & Dominum ſuum peſſundaret. Quod attinet ad morem Epiſcopi Romani, cuius in eo Canone eſt mentio, nihil eſt in doctiſſimorum Cardinalium interpretatione, quod reprehendas. Volunt referri morem ad Pontificis indulgentiam, qui ante omnem Conciliorum definitionem conſueuerit permittere Epiſcopo Alexandrino regimen Aegypti, Libyæ, & Pentapolis, quòd ſcilicet Græcis innixi, nullam in Canone comparationem Romanæ, atque Alexandrinæ Eccleſiæ viderint. Sic enim habent Græca: *Epeidi caì to en ti Romi Epiſcopo toyto ſinithes eſtin*: *Quoniam, & Epiſcopo Romano hic mos eſt*: Neque enim ſe alijs verſionibus; Sirmond. Differt. 2. c. 4. Act. 16.

nibus, in quibus eſſet expreſſa comparatio, teneri exiſtimarunt, vt eas ſequerentur. Cæterùm nolim contentioſiùs pro ea ſententia pugnare, immò me aſſenſorem habet Spalatenſis, iuſtitutam à Concilio comparationem inter Eccleſiam Romanam, & Alexandrinam, ac Romanam propoſitam veluti ideam, & exemplar, ad quod formaretur Alexandrina.

Nicol.1.ep. 8.

Sic enim Nicolaus primus. [Si inſtituta Nicœnæ Synodi, inquit, diligenter inſpiciantur, inuenietur profectò, quia Romanæ Eccleſiæ nullum eadem Synodus contulit incrementum, ſed potiùs ex eius forma, quod Alexandrinę Eccleſiæ tribueret, particulariter ſumpſit exemplum.]

Spalat.n.22.

Quod autem obijcit Spalatenſis, ſupponere igitur Canonem etiam Romanam Eccleſiam proprios ex eadem conſuetudine habere limites; de ſpeciali Diœceſi, de qua ſuprà ex Hincmaro, omninò verum eſt. Sed pręter illam ſpecialem Diœceſim, quæ Occidentis limitibus terminatur, cura Pontifici incumbit vniuerſarum per orbem Eccleſiarum.

Nicol.1.ibi.

Quod verò rurſùm obijcit, Nicolaum primum ad Petrum non ſe reducere, quod facit Baronius, eſt falſitatis, & impoſturæ plenum. [Animaduertendum eſt, inquit, quia non Nicena, non denique vlla Synodus; quamquam Romanæ contulit Eccleſiæ priuilegium, quæ in Petro nouerat, eam totius iura poteſtatis pleniter meruiſſe, & cunctarum Chriſti ouium regimen accepiſſe, ſicut beatus Præſul Bonifacius atteſtatur vniuerſis Epiſcopis per Theſſaliam conſtitutis ſcribens. Inſtitutio vniuerſalis naſcentis Eccleſiæ, de beati Petri ſumpſit honore principium, in quo regimen eius, & ſumma conſiſtit.] An non igitur ad Petrum, vt verbis vtar Spalatenſis, ſe reducit Nicolaus? Hoc eſt, an non Petrum coronæ Epiſcopalis Principem, vt loquuntur Imperatores, fontem facit, ac ſcaturiginem Pontificiæ poteſtatis? Hic verò explodendum venit commentum Spalatenſis, quo argumentum Bellarmini aduerſùs Ruffinum inſtructū eludere conatur. Incredibile dixerat Bellarminus Romano Epiſcopo eſſe aſſignatam anguſtiſſimam regionem, regionem, nimirùm Suburbicariam tantùm, alijs verò Patriarchis ampliſſimam.

Spalat.n.24.

Excipit Spalatenſis: [Reſpondeo, inquit, Euangelium priùs in partibus Orientalibus optimè innaluiſſe, & poſteà in Occidentem perueniſse: ideòque plures regiones erant Chriſtianæ in Oriente tempore Canonis, quàm in Occidente. Quid mirum igitur ſi latiùs ſe extenderent Patriarchatus Orientales, quàm Occidentales? Addo vt ſuprà, Suburbicarias regiones non ſolis ſex viciniſſimis Epiſcopatibus contineri, ſed tribus præfecturis vltra quartam, quæ erat vrbana, & facilè poſſe totam Italiam dici Suburbanam.] Hoc igitur falſum eſſe plura oſtendunt. Nam præterquàm quòd toto Occidente opera potiſſimùm Petri, & Pauli exculto Euangeliū latiùs proueniſſe, quàm vllo alio orbis terrarū loco nos veteres hiſtoriæ docent:

In Apol. c. 37.

Tertulliani locus, quàm numeroſa eſſet plebs Chriſtiana in occiduis partibus ſatis indicat. [Externi, inquit, ſumus, Imperatores Romanos alloquitur, & veſtra omnia impleuimus, vrbes, inſulas, Caſtella, Municipia, Conciliabula, Caſtra ipſa, Tribus, Decurias, Palatium, Senatum, forum; ſola vobis relinquimus Templa.] Hæc certè magis ad Occidentem, quàm ad Orientem pertinent, & propterea Nicæni Concilij temporibus hoſtes Eccleſiæ Romanę Euſebiani, acerba, & ironica illa Epiſtola ad Iulium ſcripta indignabantur, ac conquerebantur ſe poſteriores ideò ferre; *Oti mi megethei i plithei Ecclisias pleonectoysin*. Sozom.hiſt. Eccl.l.3.c.7

Et Zonaras, quamquam ſchiſmaticus auctor, quàm latè pateret ditio Pontificis, quamque longè ſuperaret ditiones reliquorum Patriarcharum illis ipſis temporibus oſtendit, ad canonem 5. Sardicenſem. Zonar. in Can.5.Côc. Sardic.

[Romanæ Eccleſiæ ditioni, inquit, eo tempore omnes ferè Occidentis Eccleſiæ ſubijciebantur: Macedoniæ nimirùm, Theſſaliæ, Illyrici, Peloponeſi, & eius, quæ Epirus dicitur, quæ poſteà in Conſtantinopolitani iura tranſiere, vt proindè ad illum prouocationes ex his locis referri ſit conſentaneum.] Sed & Leo ſapiens nedùm Occidentem complexam fuiſſe ditionem Pontificis, verùm etiam Macedoniæ Epyri, Achaiæ, Peloponeſi Metropoles multas comprehendiſſe docet, quæ demùm factione Epiſcoporum Conſtantinopolitanorum, indè auulſæ ad Conſtantinopolitanam poſteà ſedem tranſlatæ ſint. [Auulſi, inquit, à Diœceſi Romana, iamque throno Conſtantinopolitano ſubiecti Metropolitani Theſſalonicenſis, Corinthius, Nicopolitanus, Athenienſis, Patrenſis.] Hæ ſcilicet ſunt Prouinciæ, quas Adrianus, à Conſtantino, & Hirene, Nicolaus primus à Michaele Imperatore repoſcebant.

Cætera, quæ totis huius capitis ſectionibus vrget Spalat. diligentiori examini non ſubijcio, hoc enim ſolùm probare, contendit Pontificem Romanum, quà Epiſcopum particularem Eccleſiam quoque Romanam, quà item priuatam Eccleſiam rurſus Pontificem, quà Patriarcham, & Eccleſiā Romanam, quà Patriarchalē ſuas reſtrictiones, & limitationes habere, quæ vniuerſitati officiant. Immò verò *ex ipſa pharetra Vaticana*, inquit, *ſpicula* mutuatur, quibus nos confodiat. Leo ſap. in Diatyp. Adſia. ep.1. Nicol.ep.8.

Nempè ex Baronio refert certos, & conſtitutos Epiſcopos, qui omnes ad Romani Epiſcopi ordinationē immediatè ſpectarent, & Synodis eius intereſſent; in Campania Tiburtinum, Anagninum, &c. In Marſis Furconenſem, Marſicanum, Valuenſem, Tracinum, &c. In Thuſcia Nepheſinum, Viterbienſem, Peruſinum, &c. Nec meminit nos quà Metropolitam etiam Pontificem ſpectare, Qua de re egimus ſuprà abundè, & de locis Patrum, quibus multos alios addit, non maioris ponderis, diximus.

Ad calcem autem capitis nititur, quaſdam noſtrorum obiectiones ſoluere, atque Cyprianum nobis eripere. Spalat.n.33.

Sed de Cypriano plura ſuperioribus libris, eumque totum orthodoxis vindicauimus. Lubet tamen Spalatenſem audire. [Obijcient mihi in primis, inquit, dicta Cypriani, quibus ille videtur Romanæ Eccleſiæ agnoſcere principatum. Cypr.l.1. ep.3.

De Donatiſtis ſuis Aphricanis, ait; Nauigare audent, & ad Petri Cathedram, atque Eccleſiam principalem, vndè vnitas Sacerdotalis exorta eſt: à ſchiſmaticis, & prophanis literas ferre; nec cogitare eos eſſe Romanos, quorum fides, Apoſtolo prædicante laudata eſt; ad

quos

quos perfidia habere non poteſt acceſſum. Quia tamen Cyprianus totus eſt nobiſcum, vt iam vidimus, ſibi ipſi contrarius numquam erit. Conſiderauit igitur fidem Chriſtianam ex Oriente in Occidentem primùm Romam perueniſſe, ibique Petri, & Pauli Principum Apoſtolorum prædicationibus, egregiè fuiſſe firmatam, indèque in reliquum Occidentem, atque etiam in Aphricam diſſeminatam; adeò vt nulla eſſet tunc Eccleſia in Occidente, quæ ſi orthodoxa eſſet, cum Romana fide non conuenerit; & probatio fidei cuiuſq; Eccleſiæ ad ipſam Romanam, tamquam ad Lydium lapidem examinanda perferretur, vt indè omnes Eccleſiæ fidem diſcerent, vndè primùm ſuum ortum habuerant; & omnes pariter ideò in vnitatem conuenirent, quia omnes Romanæ æquè conſentirent, iuxtà illud Geometriç axioma; Quę eidem ſunt æqualia, inter ſe ſunt ęqualia: Quod alij in Philoſophia ſic vertunt; Quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe.

Spalat n.34. Atque hinc Cyprianus Romanam Eccleſiam vocat principalem, quia prima eſt in Occidente, à maximis Apoſtolis fundata, & ab ea cęteræ, & vnitatem, ait, Sacerdotalem indè exortam, quia Epiſcopi omnes Occidentales ea tamquam communi vinculo, & exemplari in vnitate fidei inter ſe conueniebant, quia cum Romana fide conſentiebant. Ideòque, vt audiuimus, Romanæ tunc fidei puritatem, vel maximè extollit. Iſta porrò Primatum iuriſdictionalem in Romana Eccleſia nullum ponunt, vt libro ſeptimo adhuc pluribus perſequemur. Immò verò Primatum hunc Romanũ à Cypriani mente, tunc etiam quando illa ſcribebat, fuiſſe remotiſſimum, facilè quiſque aduertit, dum in eadem Epiſtola paulò pòſt, illum videt in eos excandeſcere, qui externa vltra mare iudicia Romæ quærebant, quæ in proprijs Eccleſijs quæri debuiſſent: ait enim; Nam cùm ſtatutum ſit Ibid. omnibus nobis, & ęquum ſit pariter, ac iuſtum, vt vniuſcuiuſque cauſa illic audiatur, vbi eſt crimen admiſſum; & ſingulis Paſtoribus portio gregis ſit adſcripta, quam regat vnuſquiſque, & gubernet, rationem ſui actus Domino redditurus, &c. Principalis igitur illa Eccleſia, vndè vnitas Sacerdotalis exorta eſt, non niſi portionem ſuam propriam gregis ſibi adſcriptam habebat, & alij Epiſcopi non tenebantur vlli rationem reddere ſui actus in ſua Eccleſia regenda, niſi ſoli Deo. Non ergo Romana habebat ſuprà illas Principatum. De his tamen adhuc agam c.8. inferiùs. Afferunt noſtri pro Eccleſia Romana, dicta etiam illa Cypriani, in quibus Eccleſia quandam vocat fontem, radicem, matricem, &c. Sed illa de vniuerſali Eccleſia proferri, non de Romana, oſtendi libr.1.c.11. num.17.& lib.3.cap.1. num.12.18.] Sed hæ meræ ſunt nugæ. Neque enim Cyprianus originem diſſeminati Euangelij expendit. Si namque originem expendiſſet, vel Hieroſolymam ſpectaſſet, quam Tertullianus *Religionis matricem* vocat, quòd ex *Sion exerit lex, & verbum Domini de Hieruſalem*: vel Græciam, Ang.ep.178 à qua Auguſtinus in Aphricã *delatum Euangelium* oſtendit; Quare & *terram Græcorum* nominat, *vndè vbique deſtinata ſit fides*; ac rurſùs *in Oriente Eccleſiam eſſe, vndè Euangelium in Aphricã venerit*, aſſeuerat; Aphricanarumq; Eccleſiarum *radicem* vocat, à qua *præciſi eſſent Donatiſtæ*; quorum neſcio, cur hìc à Spalatenſi ſit facta mentio, cùm de illis non ſit locutus Cyprianus.

Demùm *principalem Eccleſiam* vocat Cyprianus, certè eo ſenſu, quo Irenæus *potentiorem principalitatem* Eccleſiæ Romanæ adſcribit, & in ea *Cathedræ Apoſtolicæ ſemper viguiſſe principatum*, Auguſtinus docet, Auguſtinus docet, vt nos ſuperioribus libris, inuictiſſimis argumentis euicimus; quę omnia ad imperium, & auctoritatem, non ad originem pertinent. Quod vero repetit ex eodem Cypriano, *de portione gregis ſingulis Paſtoribus*, adſcripta, *quam regat vnuſquiſque, ac gubernet, ſui actus Domino rationem redditurus*; eſt à nobis ſuo loco explicatũ de mente Auguſtini. Et illud, quod habet de radice, fonte, ſole, matrice eſt etiam à nobis Eccleſiæ Romanæ aſſertum, & vindicatum. Aliud iam argumentum noſtrorum verſat ex Cypriano.

[Obijciunt tamen rurſùs, inquit Spalatenſis, pro Romanæ Eccleſiæ vniuerſitate, eundem Cyprianum dicentem; Deus vnus eſt, & Chriſtus vnus, & vna Eccleſia, & Cathedra vna ſuper Petram Domini voce fundata: aliud altare conſtitui, aut Sacerdotium nouum fieri præter vnum altare, & vnum Sacerdotium non poteſt. Quiſquis alibi collegerit: ſpargit; adulterium eſt, impium eſt, ſacrilegium eſt quodcumque humano furore inſtruitur, vt diſpoſitio diuina violetur. Vnam Cathedram ſuper Petram fundatam, intelligit Cyprianus Eccleſiam vniuerſalem toto orbe diffuſam, non intra Romanæ vrbis mœnia coarctatam, vt probant illa, quæ de vno Altari, & de vno Sacerdotio ab eodem proferuntur ad excludendas ſectas hæreticorum, & ſchiſmaticorum.] Sed rurſùm ſunt hæ corruptelæ ſententiæ Cypriani, qui non vno loco Cathedram Romanam locum Petri, ac proindè Eccleſiam Romanam, Eccleſiam ſuprà Petrum Domini voce fundatam intelligit. Qua de re etiam ſuperioribus libris, vt ſuperfluum ſit de his plura dicere.

Spalat.n.35. Cypr.lib.1. ep.8.

Quod verò, vt tandem finem imponat capiti, vltimo loco audit, *Eccleſiam Romanam eſſe Eccleſiam Particularem*. nec huius ſpeciei *illam inſtituiſſe Chriſtum*, *quæ alijs eſſet dux, norma, & forma credendi*; eſt à nobis initio capitis diſpunctum, & exploſum; Nec cogitat Spalatenſis, Eccleſiam Romanam, quam vt meram Eccleſiam particularem, & priuatam ſpectat, fide, prærogatiua, potentiæ, & auctoritatis influxu vniuerſalem eſſe, vt proindè non citrà contumeliam, immò ſacrilegium eam facti ſchiſmatis poſtulet, quaſi ab Eccleſia vniuerſali deſciuerit, membrum eius eſſe renuerit, & ab eius ſe radice auellere non erubuerit. Ac rurſùs per ſummum ſcelus, ac impudentiam, cùm Donatiſtarum, & Anabaptiſtarum improbiſſimis factionibus confert; immò *Luciferianam*, *& Antichriſtianam* vocat; ambitus, & carnalis prudentiæ accerſit; ſcilicet vt ſib iuſtam cauſam ab ea recedendi fuiſſe, improbus perfuga, imperitis perſuadeat.

Spalat.n.36. Spalat.n.37. Spalat.n.28. in fine. Theod.Stud

Sed ſubit mirari, qui Theodorum Studitam, quòd Pontificem Patriarcham Occidentis ſæpiùs vocarit, in numero eorum poſuerit,

qui

qui ad has reſtrictiones, & coarctationes impegerint. Nam pijſſimi Patris ad Paſchalem Pontificem, cuius opem depoſceret in Orientis turbis, hæc ſunt verba. Adiuua nos, inquit, qui has à Deo partes ſuſcepiſti, manum præbe quò ad fieri poteſt. Ex eo enim apud Deum habes poteſtatem, quia vniuerſis præſides, & ad hoc es conſtitutus.] Sed & vaniſſimum de Suburbicarijs commentum refellunt illa Athanaſij in Arianos Pontificis afflictores; [Ne Liberio quidem, ait, Romano Epiſcopo pepercerunt, nulla reuerentia ducti, vel quòd illa Sedes Apoſtolica eſſet, vel quòd Roma Metropolis eſſet Romanæ ditionis.

Athan. ad ſolit. vitam agent. p. 644

Rectè enim Baronius interpretatur, Romanā Eccleſiarū ſententia Athanaſij eſſe metropolim Eccleſiarū totius Imperij Romani. Nomine ſiquidem *tis Romanias*, veteres vniuerſum Imperium Romanum intellexere: Metropolim autem Religonis non *politias* dixiſſe ex eo apparet, quòd Ariani, quorum Epiſt. ibid. profert, quamquam *eironicos*, expreſſis verbis Eccleſiam Romanam *Apoſtolon phrontiſtirion, cai eyſebeias mitropolin* appellitent. Sed Baronium vexat. [Nec vidit Baronius, ait, hanc ipſam gloſſam, Monarchiam Romanam Eccleſiaſticam deſtruere. Si enim Romanæ Eccleſiæ Eccleſiaſtica poteſtas extrà Romanum Imperium, teſte Athanaſio, non extenditur, cur Papam facimus omnium Chriſti Eccleſiarum totius mundi Monarcham? Tunc profectò extrà Romanum Imperium fides Chriſti in multis vigebat regionibus. Nam vt ait Proſper, Gratia Chriſtiana non fuit contenta eoſdem limites habere, quos Roma; multoſque iam populorum ſceptro Crucis Chriſti illa ſubdiderat, quos armis ſuis iſta non domuit; quæ tamen per Apoſtolici Sacerdotij Principatum, amplior facta eſt arce Religionis, quā ſolio poteſtatis.] Aliæ quoque fateor, erant gentes Chriſtianæ extrà *Romanian*, quę ſcilicet Romano Imperio nō parent.] Namq; diſertis verbis Epiphanius *Romanian* à Perſide, in qua multi eſſent Chriſtiani, diuerſam facit; & Athanaſius ipſe meminit belli Perſarum, cuius obtentu cauſarentur Epiſcopi Ariani, ſibi liberum non eſſe Romam proficiſci. Verùm, & ad illius imperij Eccleſias, non ſecùs, ac ad eas, quæ in *Romania* erant, Pontificis ſe fundebat poteſtas. Quare, Pataræ Liciæ Epiſcopus in cauſa Siluerij intereſse multùm inter Imperatorem, & Pontificem, Iuſtiniano ſignificauit; *Multos eſſe dicens in hoc mundo Reges, & non eſſe vnum; Sicut ille Papa eſt ſuper Eccleſiam mundi totius, à ſua ſede expulſus*. Quare non *cogitur Baronius fateri*, quod putat Spalatenſis, *ex ſæculari potentia, Romanæ Eccleſiæ pendere dignitatem*.

Spalat. n. 28.
Proſp. de vocat. gentium l. 2. c. 6

Liberat. in Breu. c. 22. ibid. nu. 28.

Cæterùm hic occaſione verborum Athanaſij de Liberio, obiter monuerim, quod aduertit doctiſſimus Aleander, ſubeſſe mendum apud Socratem in Epiſtola Liberij ad Orientales Epiſcopos, qua ſe Italię Epiſcopū, quod etiam ſuprà retulit Spalatenſis, nuncupat. *Adeò enim eſt inſolens ea loquendi formola*, inquit ille, *vt vno hoc excepto Socratis loco, nuſquam alibi eam reperias*. Quod autem hic refricat Spalatenſis de paritate Epiſcoporum, eſt centies à nobis diſſlatum, & diſpunctum.

Spalat. n. 4.
Aleand diſſert. 2. c 3.

Pergit verò oſtendere Pontifici fuiſſe ſuam Metropolim certis limitibus definitam, fuiſſe, & ſuos Epiſcopos Suffraganeos, vt vocant, in quos vnos ſolos poteſtatem haberet, vt indè probet ad totius orbis Eccleſias eius imperium non ſe effudiſſe. Sed hæc, vt oſtendimus, nos non lædunt; habere enim Pontificem Romanum quà Metropolitam, ſuam definitam Prouinciam; quà verò Patriarcham, certam ſuam Diœceſim, quis vnquam noſtrum eſt inficiatus? Sed extrà fines, aut Metropoleos, aut Diœceſeos poteſtatem nullam habere, hiſque limitibus ſuum imperiū contineri, vel illud falſum eſſe oſtendit, quod ſuprà ex Proſpero referebat Spalatenſis. Roma *per Apoſtolici Sacerdotij principatum amplior facta eſt arce Religionis, quàm ſolio poteſtatis*. Et illud eiuſdem; *Quicquid non poſſidet armis, Religione tenet*. Pontificem verò in aliarum Diœceſeon Epiſcopos poteſtatem habere, in cauſa Athanaſij, de cuius condemnatione agebatur, Iulius oſtendit, qui, & Euſebianis, & orthodoxis diem dixit, ipſoſque orthodoxos ſuis ſedibus in Oriente reſtituit.

Spalat. n. 29.

Immò Conſtantius Imperator Arianus, & ſacrorum noſtrorum dirus hoſtis, Romani Pontificis auctoritatem, non inter Epiſcopos modò, ſed, & in Epiſcopos aliarum Diœceſeon probè agnoſcere ſe vehementi illo ſtudio oſtendit, quo neruis omnibus contendit, vt auctoritate quoque Liberij, ſententia ab Epiſcopis in Athanaſium lata confirmaretur.

Qua de re ſic Ammianus Marcellinus; [Hunc per ſubſcriptionem, inquit, abijcere ſede Sacerdotali, paria ſentiens cæteris, iubente Principe, Liberius monitus perſeueranter renitebatur, nec viſum hominem, nec auditum damnare nefas vltimum, ſæpè exclamans, apertè ſcilicet recalcitrans Imperatoris arbitrio. Id enim ille Athanaſio ſemper infeſtus, licèt ſciret impletum, tamen auctoritate quoque, qua potiores æternæ vrbis Epiſcopi firmari deſiderio nitebatur ardenti.

Marcell. l. 15. n. 18.

Vt igitur Theodoretus Studita Pontificem vocet, *Patriarcham Occidentis*; Vt Ambroſius, *Eccleſiæ Romanæ ſubiectos faciat certos Epiſcopos*; Vt Gregorius Epiſcopus, *Romanæ Eccleſiæ addictos habeat, & ad Pontificem*, vt loquitur, *pertinentes*; Vt Martinus, *Apoſtolicæ ſedis Pontifices numeret, ſuos Epiſcopos recenſens*, Vt Leo Secundus, *Concilia ſanctæ ſedi ſubiacentia prædicet, vt etiam Suffraganei fuerint Pontificis, quibus Aurelianus Imperator commiſit componendam litem de domo quadam Eccleſiaſtica exortam*, Vt Luitprandus, *Romanæ Metropolis Suffraganeos, & cardinales, Presbyteros, & Diaconos ponat*, Metropolitico, aut etiam Patriarchico illo iure non definitur, aut deſcribitur potentia Pontificis, ſed ad quaſcumque terras ſol luſtrat, ſeſe fundit.

Spalat. n. 29.
Apud Bar. to. 9. an. 321.
Euſeb. l. 7. c. 24.

Et quamquam Spalatenſis recocta crambe nos excruciet, ac totius profligatam ſuam Epiſcoporum æqualitatem rurſùs obtrudat, cum probationes deficiunt. Quas enim ex Cypriano, & Auguſtino rurſùs inculcat, ſuperioribus libris diſpunximus, falſumque eſſe oſtedimus, aut Cyprianum ſe partem Pontifici feciſſe, ad quem etiam pro exauctorando Arelatenſi Epiſcopo Nouatiano ſcri-

Spalat. n 30.

pſe-

Digitized by Google

rit; aut Auguſtinum Carthagiuenſem Eccleſiam Romanæ, *in qua ſemper viguiſſe Principatum* aſſerat, exæquaſſe. De Gregorio etiam vidimus abundè. Beda verò Eccleſiam Romanam maximè ornat, quam *primum in toto orbe Pontificatum* vocat, Primum enim dicit non ſolùm *ordine, & dignitate*, ſed etiam *potentia & auctoritate*. Porrò quid de Petro Pontificatus Romani fundatore ſenſerit Origenes, oſtendimus ſuo loco.

Quàm verò fuerit Romanus Hieronymus, quàm ſyncerè Pontificem coluerit, atq; quàm indubitatè pro capite Eccleſiæ habuerit, duæ ad Damaſum ſcriptæ Epiſtolæ ſatis produnt, vt in his immorandum diutiùs non ſit.

Neque verò parcior eſt in ornando Pontifice Chryſoſtomus, qui hoc agmen claudit.

Quod verò exiſtimat Spalatenſis, concertationem inter Romanam, & Conſtantinopolitanam Eccleſiam, pro ſubiectione Bulgariæ de qua ſuprà, optimè etiam confirmare *hanc Eccleſiæ Romanæ*, vt loquitur, *particularitatem*, vt ſit vna ex Patriarchalibus cum ſuo limitato Patriarchatu, potentiam Pontificiam non labefactat, aut imminuit. Nam præter ius Metropoliticum, aut etiam Patriarchicum eſt Pontifex totius Eccleſiæ Caput, & Paſtor, ſuntque iſta in eo diſtinguenda, vt ſuprà monuimus.

Epigraphen tumuli Stephani Sexti etiã ſi marmori inſculpta non eſſet, ne attingeremus quidem. Rexerit populum, & Vrbem, quod habet Tumuli inſcriptio, ſeu Epitaphiũ, ſed Vrbem rexit, à qua in totum terrarum orbem ſemper iura manarint. Spalat. n. 31.

DIS-

Google

DISCVSSIO
TERTII CAPITIS
LIBRI QVARTI.

CONSPECTVS CAPITIS.

Spalatenſis cum Balaamo collatus, maledicturus Eccleſiæ triumphos eius celebrat. Patres eam commendantes magna pompa in hanc ſcenam inducit. Eius fraudes aperiuntur, ac depelluntur. Eius inconſtantia. Probra, & contumelia in Eccleſiam Romanam. Hieronſolymam Romæ præfert. Refellitur, & oſtenditur origine quidem primam eſſe Hieroſolymam; ſed non auctoritate. Hieronymus explicatus. Sanctitate loci propter paſsionem Saluatoris prælata Hieroſolyma. Qnamquam Cæſarienſi Eccleſiæ ſubiecta, quod ad auctoritatem ſpectat. Petri, cui primatum tribuerit Chriſtus, meritò factum, vt Eccleſia Romana, Caput Orbis cenſeretur. Id viſum, & agnitum Patribus Nicænis. Ex Concilio Romano ſub Felice Tertio. Euſebianorum aduersùs Eccleſiam Romanam calumnia depulſa. Eorum vanitas, ac leuitas auctoritate Gregorij Nazianzeni diſpuncta. Eraſmi cenſura in librum quæſtionum veteris, & noui Teſtamenti, qui falsò Auguſtino tribuitur. Verus Auguſtinus explicatus: Pauca de furtiuo Canone Chalcedonenſi. Hugo Aetherianus Orthodoxis aſſertus. Baronius declaratus, & defenſus. Quorsùm Alexandria Antiochiæ prælata. Zozimus, Gelaſius, Nicolaus Primus, propugnati. De ficta donatione Conſtantini Imperatores dignitatis Ecclſieaſticæ aſſertores, non auctores. Eorum de hac re teſtimonia Valentiniani, Gallæ Placidiæ, Iuſtini, ac Inſtiniani. De Phoca impio patricida. Primatum Romanum, auctore Chriſto, Apoſtoli Petrus, & Paulus fundarunt, maximè verò Petrus Apoſtolorum Coryphæus. Synodi ſuis Decretis declararunt, Imperatores edictis firmarunt. Furibundæ Spalatenſis prædictiones, quibus perniciem Pontifici, & Eccleſiæ Romanæ vaticinatur. Liber Apocalypſis obſcuriſsimus, à Sectarijs immaniter detortus. Quo ſenſu Babylon dicta antiquis Roma, de Vrbe, non de Eccleſia intelligendi: Occurritur obiectionibus Spalatenſis, atque profligantur; Sedis Apoſtolicæ Romanæ firmitas: Multa de antiqua Babylone notatu digniſsima: De purpura Imperatorum: Aliæ Spalatenſis obiectiones depelluntur: Quo ſenſu accipiendum: Exite de Babylone populus meus: *Hieronymus ſubiratior Clerum Romanum aliquando inſectatar, ſed ſanctiſsimum ordinem non violat: De loco epiſtolæ ad Theſſalonicenſes: De decem Regibus Spalatenſis*

nugæ. Eccleſiam Romanam Principibus exoſam reddere ſemper conati Sectarij: Paulini coniectura librata.

PRIMAM, & maximam Eccleſiæ Romanæ gloriam, illam ego facilè aſſeruerim, quòd in ea fundanda, docendá, inſtituenda, & perficienda, duo primi, & maximi laborarunt Apoſtoli, Petrus, & Paulus; addit, vt vidimus, Tertullianus, & cum ipſo Leo etiam Ioannem; quem ſupra cæteros diligebat Ieſus. Et Clemens libro primo recognitionum, Barnabam, ait, Romæ tempore Tyberij, primùm prædicaſſe, quod tamen mihi non videtur probabile. Iidem verò Apoſtolorum Principes, Eccleſiam hanc ſanguine ſuo, & reliquijs exornarunt. Hinc illa primum obtinuit, & præcipuum priuilegium, vt ſit Sedes Apoſtolica; immò in toto Occidente fortaſsè ſola: & conſequenter Mater, & Magiſtra plurimarum Eccleſiarum; omnium (vt arbitror) quotquot ſunt in toto Occidente, hoc eſt in tota Europa, ab Illyrico vſque ad vltimas Britannias: in tota Africa, & in partibus Orientalibus, in tota Ægypto, Marco Alexandriam à Petro Roma miſſo. Omnes enim harum regionum Eccleſiæ, mihi videntur propagines Romanæ Eccleſiæ; ex qua, tamquam ex promptuario, & ſeminario generali illæ ſeminatæ ſunt, & multiplicatæ, ſiue viuentibus adhùc Apoſtolis ipſis, illius primis fundatoribus, qui vel per ſe, propria excurſione, vel per Diſcipulos ipſorum, ſalutarem Chriſti doctrinam per iſtas ſparſerint regiones, ſiue poſteà quoque ſucceſſu temporum, aut immediatè ex Romana Eccleſia miſſi viri Apoſtolici, plures Eccleſias Chriſto pepererint, aut mediatè, aliarum Eccleſiarum à Romana iam fundatarum opera, & labore conuerſio, & ad Chriſtum reductio facta fuerit populorum.

Leo epiſt. 7. & ſup. l. 3. c. 12. n. 55.

OLIM pſeudo-Propheta Balaam à Rege Ballac accerſitus, vt diris exe-crationibus Iſraeliticum populum fœliciſſimè progredientem perderet, eius mentem ſuo ſpiritu occupante Deo, ea rerum facta eſt conuerſio, vt quod habet Tertullianus: *Non ad quam venerat maledictionem, ſed quam illi ipſa hora ſpiritus ſuggerebat, benedictionem pronunctarit.* Itaque cùm tentaret maledicta, & execrationes in Dei populum iactare, Diuina vi prohibitus, & illud effari, quod ſibi Diuinitùs inditum eſſet coactus, tandem in Iſraelis laudes erupit, haſque voces illi elicuit Deus: *Quàm pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Iſrael, vt valles nemoroſæ, vt horti iuxta fluuios irrigui, vt tabernacula, quæ fixit Dominus, quaſi cedri propè aquas.*

Lib. 4. in Marcioné.

Num. c. 24. v. 5. & 6.

Idem mihi omninò videtur eueniſſe Spalatenſi, ſecuto, vt eſt in epiſtola poſteriore Petri, *viam Balaam, qui mercedem iniquitatis amauit.* Namque cùm Eccleſiam Romanam maledictis exagitare, eiuſque gloriæ obtrectare ſtatuerit, iam encomia, ac laudes eius celebrat. Quid enim illuſtriùs de illa dici poſſit, quàm quod hac prima ſectione habet? [A Principibus Apoſtolorum ſatam eam, & excultam, fundatam, & inſtitutam fuiſſe, vndè Sedes Apoſtolica Mater, & Magiſtra Eccleſiarum, quæ ſint in toto Occidente, hoc eſt, in tota Europa ab Illyrico vſque ad extremas Britannias; in tota Africa; & in partibus Orientalibus; in tota Ægypto, Marco Alexandriam à Petro Roma miſſo, meritò agnoſcatur?] Et ſint tot Eccleſiæ eius propagines, eam verò præterea illuſtret Vrbis, ſplendor, & dignitas temporalis? Nec contentus in has voces erupiſſe, clariſſima Eccleſiæ lumina eximios Patres, hac de re mirificè diſſerentes, ac eam extollentes inducit.

2. Petr. 2.

Orditur verò ab Euſebio: [Euſebius Pamphili, ait Spalatenſis; Ceterùm, inquit, quis non obſtupeſcat ſecùm cogitans, atque animo verſans, non humanum hoc fuiſſe opus, vel ex eo, quòd nunquam alias ſub vno Romano Imperio plurimæ Orbis gentes eſſe potuerunt, niſi ſecundùm Ieſu tempora; nam ſimul, ac ille admirabiliter ad homines venit, atque inter homines verſatus eſt, etiam res humanas ad Summum perueniſſe contigit, quo primùm tempore videlicet Auguſtus plurimarum gentium Dominus euaſit: id verò fuit, cùm & Cleopatra capta eſt, & Ptolomæorum ſucceſſio, Ægypto diſſoluta: atque ex illo in hunc vſque diem, quòd ab initio Orbis, & ab ipſa, vt ità dicam, hominum origine ſteterat, Ægypti regnum euerſum eſt. Ex illo Iudæorum quoque natio à Romanis in ſeruitutem redacta: Syrorum irà, & Cappadocum, & Macedonum, & Bithynorum, & Græcorum, ac denique reliquorum omnium, qui Romano Imperio ceſſerunt. Hoc autem non ſine Deo, vnà cum doctrina, quæ de Saluatore noſtro ferretur, introiſſe in Orbem, quis non fateatur? Reputans non facilem Ieſu Diſcipulis externarum regionum peragrationem futuram fuiſſe, ſi gentes inter ſe diuiſæ, diſcordeſque fuiſſent, neque vllum prorſùs, ob multiplices Principatus, inter illas commercium: quibus ſanè ſublatis Principatibus, intrepidè iam, atque impunè negotium propoſitum compleuerunt: cùm ſupremus Deus, & iter illic expeditum, ac facilè compararet: & ſuperſtitioſorum in ciuitatibus animos, terrore maioris Imperij cohiberet. Reputa enim tecum parumper, ſi nulla res impedimento fuiſſet ijs, qui errore colendi multos Deos tenebantur, ne doctrinam Chriſti oppugnarent, quàm multas antehac ciuiles ſeditiones, & in Vrbibus, & in agris vidiſſes, quot vexationes, quot bella non mediocria illa quidem, ſi ſuperſtioſi illi ſuæ ipſorum poteſtatis fuiſſent, ac penès ſe ius Imperij habuiſſent? Nunc autem hoc quoque ſupremi Dei fuit opus, maiori quodam terrore ſupremæ alicuius potentiæ, proprij verbi inimicos habere iam domitos: id enim proficere in dies, & apud cunctos homines cre-

Spalat. n. 2. in fine.

N. 3. Euſeb. de demõſtr. Euang. l. 3. cap. vlt.

creſcere volebat. Hæc Euſebius, Ambroſij quoque, immò veriùs Proſperi hac de re luculentam habemus conſiderationem.]

Spalat. n. 4. Proſp. de vocat. gentium l. 2. c. 6. al. 2. [Cùm Apoſtoli, inquit, repleti Spiritu ſancto linguis omnium gentium loquerentur; conueniebat, excita miraculo diuerſi generis hominum multitudo, vt Euangelium Chriſti, in eis, qui aderant, totus mundus audiret: Confluxerant autem, ſicut ſcriptum eſt Parthi, & Medi, &c. Audientes eorum linguis prædicari magnalia Dei, quorum teſtificatio etiam in eas gentes, quæ remotiores ſunt, longè, latèque procurreret. Ad cuius rei effectum credimus, prouidentia Dei, Romani Regni latitudinem præparatam; vt nationes vocandæ ad vnitatem corporis Chriſti priùs iure vnius conſociarentur impietatis; quamuis gratia Chriſtiana non contenta ſit eoſdem limites habere, quos Roma, multoſque iam populorum ſceptro Crucis Chriſti illa ſubdiderit, quos armis ſuis iſta non domuit: Quæ tamen per Apoſtolici Sacerdotij Principatum, amplior facta eſt arce Religionis, quàm ſolio poteſtatis. Roma itàque occaſione ſui, & magni Imperij facta eſt arx Religionis; quia illa ad fidem conuerſa, occaſio fuit, & commoditas, vt ei ſubiectæ nationes ad eandem fidem conuerterentur, imò etiam non ſubiectæ; & ab ea tamquam à præcipua arce, & fonte doctrinæ, & fidei tutò diſcerent id, quod ipſam Apoſtoli diligentiori cultura docuerant. Scitè autem oppoſuit Proſper Romæ, arcem Religionis ſolio poteſtatis, & non ſoliũ poteſtatis Eccleſiaſticæ, ſolio poteſtatis Imperialis, vt indè inſtrueremur Religione, & non iuriſdictione Romanam Eccleſiam eminere.

Fuit ſanè Imperium Romanum occaſio magna dilatandæ in ſuis initijs Eccleſiæ, vt Ambr. in Pſal. 45. Ambroſius verè, & pulcherrimè diſſerit: Tædio, inquit, bellorum ciuilium, Iulio Auguſto Romanum defertur Imperium, & ità prælia inteſtina ſedata ſunt: Hoc autem eò profecit, vt rectè per totum Orbem Apoſtoli mitterentur, dicente Domino Ieſu; Euntes docete omnes gentes. Illis quidem etiam interclusa barbaricis montibus regna patuerunt, vt Thomæ India, Matthæo Perſia. Sed tamen, quò plura obirent ſpatia, terrarumque diuortia, donata pace compoſuit. Didicerunt omnes homines, ſub vno terrarum Imperio viuentes, vnius Dei omnipotentis Imperium, fideli eloquio confiteri. Proſper lib. de ingratis. Proſper verò cecinit:

Sedes Roma Petri, quæ Paſtoralis honoris.
Facta caput Mundo, quidquid non poſſidet armis.
Religione tenet, &c.

Facta eſt Roma caput Paſtoralis honoris Mundo: quia indè diffuſi ſunt Paſtores in vniuerſum penè Mundum, vt Leo ſtatim explicabit.]

Spalat. n. 5. Leo ſerm. 1. de Natal. Pet. & Pau. [Proſperum, & Ambroſium imitatus Leo, eodemque imbutus ſenſu dicebat: vt autem huius inenarrabilis gratiæ per totum Mundum diffunderetur effectus, Romanum Regnum diuina prouidentia præparauit, vt multa Regna vno confœderatur Imperio, & citò peruios haberet populos prædicatio generalis, quos vnius teneret regimen ciuitatis. Beatiſſimus Petrus princeps Apoſtolici ordinis, ad arcem Romani deſtinatur Imperij, vt lux veritatis, quæ in omnium gentium reuelabatur ſalutem, efficaciùs ſe ab ipſo capite per totum Mundi corpus effunderet.]

[Ità & Chryſoſtomus reddens rationem, cur veriſſimile ſit, fidem Romanorum in totum Mundum fuiſſe, vt Paulus affirmabat, peruagatam, ait: Neque enim obſcura, & ignobilis Vrbs erat, verùm tamquam in faſtigio quodam ſita, vndequaque illuſtris.]

[Sed ante hos, Optatus eòdem fermè reſpexit, quando Donatum, qui dixerat; Spalat. n. 6. Optat. lib. 3 cont. Parm. Quid eſt Imperatori cum Eccleſia? Obiurgauit; ità ſcribens; Iam tunc meditabatur contrà præcepta Apoſtoli Pauli, poteſtatibus & Regibus iniuriam facere, pro quibus, ſi Apoſtolum audiret, quotidie rogare debuerat. Non enim Reſpubl. eſt in Eccleſia; ſed Eccleſia in Republ. eſt; ideſt, in Imperio Romano, quod Libanum appellat Chriſtus in Canticis Canticorum, cùm dicit; veni de Libano ſponſa mea, ideſt, de Imperio Romano; vbi & pudicitia, & virginitas, quæ barbaris gentibus non ſunt, & ſi eſſent, tuta eſſe non poſſent.]

Et paulò antè: [Montem ſanctum, qui eſt Eccleſia, dicit per omnem Orbem Romanum caput ſub toto Cœlo extuliſſe. Imperatoris itàque, & conſequenter Romanæ ciuitatis imperantis pietatem, & religionem, maximo adiumento eſſe cenſuit Optatus, ad religionis, & pietatis, fideique in toto Imperio propagationem. Propterea Auguſtinus, in dignitate, & amplitudine ciuitatis Carthaginenſis, videns periculum totius Africanæ Eccleſiæ inficiendæ, ſi Carthagine ſcandalum fieret, de ſecundo Tigiſatono contrà Cæcilianum pacem Eccleſiæ turbante ait, tantò magis enim timere debuit, ne pax vnitatis violaretur, quantò erat Carthago ciuitas ampla, & illuſtris, vndè ſe per totum Africæ corpus, malum, quod ibi eſſet exortum, tamquam à vertice effunderet.]

Huc vſque Spalatenſis; Quamquam autem hìc dolos verſat, ac propterea amplitudinis Imperij Romani, & magnitudinis Vrbis meminit, vt Eccleſiæ Romanæ prærogatiuam ex Vrbis maieſtate ortam oſtendat, tamen quòd nos non fungiat, in conſtituendis dignitatum Eccleſiaſticarum gradibus, aliquam ciuilium dignitatum rationem habitam fuiſſe, maximè initio ſurgentis Eccleſiæ in eo refellendo tempus non teremus: quandoquidem, & ipſi Imperatores in Sedis Apoſtolicæ primatus cauſis etiam *Romanæ ciuitatem dignitatis* ponunt, ſcilicet cùm Romam ſui primatus honorem Petrus intuliſſet, ac diuino nutu defixiſſet, ſplendor ciuitatis eum reddidit illuſtriorem, multùmque dignitatis conciliauit: Primaria tamen, & legitima cauſa primatus, *meritum Petri* fuit, quod ipſi docent Imperatores, ac pluribus infrà ſumus demonſtraturi. Illo verò errore depulſo, quo Eccleſiæ prærogatiuam Vrbis magnitudini, & dignitati acceptam haberi vult, reliqua, quæ ad Vrbis, & Imperij Romani maie-

Auguſtin. ep. 162.

maieſtatem extollendam, & commendandam profert Spalatenſis, intacta relinquimus; contenti, docuiſſe in *cauſis remotis* eſſe illa numeranda, ac reponenda: ſed acriùs inſtat prælium. Nam quemadmodùm Balaamus, poſt celebrata Iſraelis encomia, à propoſito inconſtantiſſimè reſilijt, mutatiſque ſedibus, nouo furore impulſus, ſuſceptam impia mercede prouinciam, & tantiſper intermiſſam potiùs, quàm omiſſam reſumpſit, ac maledictis Iſraelem exagitauit. Ità hic noſter vates, quaſi ſui ipſius oblitus, quam laudibus ornarat, probris afficere, ac deformare aggreditur.

Spalat. n. 7. Anſam autem laceſſendæ Romanæ Eccleſiæ quærit, & occaſionem captat ex dignitate Hieroſolymitanæ, quam ei omninò præferre, ac anteponere conatur; cumque Matrem omnium Eccleſiarum Romanam dixiſſet, adiecendum putauit. Spalat. n.8. [In hoc tamen, inquit, maternitatis priuilegio, Romanam Eccleſiam Hieroſolymitana longè debet anteire: Hæc enim, ſicut, reuera eſt, ità & paſſim vocatur, mater omnium Chriſti Eccleſiarum, quia ex ea emiſſi ſunt omnes Apoſtoli: Atque hoc ſenſu, ipſa quoque Romana, immò & omnes quantumuis Apoſtolicæ, filiæ erant Eccleſiæ Hieroſolymitanæ. Eam propterea Matrem vocant Patres Concilij primi Conſtantinopolitani generalis: Eccleſiæ, inquiunt, Hieroſolymitanæ, quæ eſt omnium aliarum Mater, Cyrillum eſſe Epiſcopum ordinatum, &c. Hier. in Iſa. cap. 2.

Hieronymus: In Hieruſalem, inquit, primùm fundata Eccleſia totius Orbis Eccleſias ſeminauit. Matrem Chriſtiani nominis eam vocauit Imperator Iuſtinus: vt nemo audeat, inquit, ab ea ſeſe diſcernere.

Auguſtinus verò initium Chriſti Eccleſiæ ponit Hieroſolymis; & applicat illud pſalmi; Virgam virtutis ſuæ emittit Dominus ex Sion: hoc eſt; Regnum, inquit, potentiæ tuæ, incipit à Hieruſalem. Quia Apoſtoli, inquit Iuſtinus Martyr, Hieroſolymis egreſſi vbique prædicauerunt.]

Et rurſus Auguſtinus: [Remiſſio peccatorum, inquit, in Chriſti nomine prædicatur: vbi prædicatur? Per omnes gentes: vnde? Incipit ab Hieruſalem: communica huic Eccleſiæ, quare litigamus? Cœpit enim hæc Eccleſia ab Hieruſalem iſta terrena, vt gaudeat de Deo in illa Hieruſalem cæleſti, ab hac enim incipit, in illa terminat; in illa tota Eccleſia erit, ab iſta exordium fidei ſumpſit. Quinimmò Paulus ipſe, Eccleſias inter gentes collectas, ab Eccleſia Hieroſolymitana, ex Hebræis ad fidem Chriſti conuerſis, congregata, initia ſumpſiſſe apertè teſtatur: dum charitatem Macedonum, & Achæorum narrat, à quibus elemoſynas collegerat pro Eccleſia, quæ erat in Hieruſalem, iuxta conuentionem factam cum Petro; vt hic in circumciſione, ille verò inter gentes Euangelium prædicaret; ità tamen vt pauperum memor eſſet: Probauerunt enim, inquit, Macedonia, & Achaia collationem aliquam facere in pauperes ſanctorum, qui ſunt in Hieruſalem, Placuit enim eis, & debitores ſunt eorum: nam ſi ſpiritualium eorum participes facti ſunt Gentiles, debent & in carnalibus miniſtrare illis. Quia ergo Gentiles, Macedoniæ, & Achaiæ, fidem ſuſceperunt ex Hieruſalem ad eos delatam; idcircò, inquit Paulus, debuerunt ſpiritualia carnalibus compenſare.] Gal. 2. Rom. 15.

Paupertas porrò fidelium Hieroſolymitanorum, indè erat, quòd Hebræi cùm eſſent, à Magiſtratibus Hebræis bonis omnibus ſpoliabantur; vt cùm Chryſoſtomo docui, libro 1. capite 12. num. 40. [Meritò itàque Villelmus etiam Tyrius Epiſcopus, dum narrat de Synodo quadam facta Hieroſolymis; Eam dicit celebratam fuiſſe in primitiua, & Eccleſiarum Matre ſancta Sion.] Spalat. n. 9. Tyr. de bello Sac. l. 15. cap. 18.

Eccleſiæ Hieroſolymitanæ laudes maligno dente non carpimus; nec eius gloriæ obtrectamus, ſed quæ profert Spalatenſis, hoc ſolùm efficiunt fuiſſe eam *omnium Eccleſiarum Matrem*, ſcilicet *origine*, non *auctoritate*.

Quare, Hieronymus Hieroſolymam vocat *Athenas Chriſtianorum*, quòd ex ea primùm Chriſtiana Religio prodierit. Epiſt. 17.

Origine igitur prior eſt Hieruſalem, quia iuxta diuinum oraculum, *exiuit ex Sion lex, & verbum Domini de Hieruſalem*.

Et vt loquitur Tertullianus, Apoſtoli *primò per Iudæam* (cuius eſſet Hieroſolyma Metropolis) *conteſtata fide in Ieſum Chriſtum, & Eccleſijs inſtitutis*, dehinc in Orbem profecti, eandem doctrinam eiuſdem fidei nationibus promulgauerunt: *Auctoritate* verò omnium Eccleſiarum parens non eſt, cum Synodo Nicæna quamquam ei ſuus honos ſeruetur, iubeatur ſub ditione eſſe ſui Metropolitani, nempè Cæſarienſis Epiſcopi: Lib. 4. adu. Marcion. cap. 35.

Alibi verò oſtendo, cur ea ciuitas, in qua, vt ſcribit Tertullianus, eſſent olim *Sacerdotes, & Templum, Matrix religionis, & fons non puteus ſalutis*; noluerit Chriſtus ſuæ Eccleſiæ, hoc eſt, Religionis Chriſtianæ caput, & arcem eſſe, quam ſciret funditùs euertendam, ob grande illud nefas interfecti filij Dei.

Spalat. n. 9. Hier. ep. 17. Pergit tamen Spalatenſis, primatum aſſerere Hieroſolymitanæ Eccleſiæ. [Quantum verò, inquit, ex hoc capite Hieroſolyma præcedat Romam, habes fuſiorem apud Hieronymum diſputationem in ea epiſtola, quam ſcripſit ad Marcellam; in qua ſatis oſtendit Hieroſolymam ſuo adhuc tempore fuiſſe, veræ fidei, & diſciplinæ Eccleſiaſticæ magiſtram celeberrimam; Longum eſt, inquit, nunc ab aſcenſu Domini, vſque ad præſentem diem, per ſingulas ætates currere; qui Epiſcoporum, qui martyrum, qui eloquentium in doctrina Eccleſiaſtica virorum venerint Hieroſolymam, putantes minùs ſe religionis, minùs habere ſcientiæ, nec ſummam, vt dicitur, manum accepiſſe virtutum, niſi in illis Chriſtum adoraſſent locis, de quibus primùm Euangelium de patibulo coruſcauerat. Et in hac comparatione Romæ cum Hieroſolymis, ne verbum quidem de primatu Eccleſiæ Romanæ, in qua reſideat Monarcha Eccleſiæ vniuerſalis, attigit; profectò tantam eius dignitatem ſilentio non præteriturus, ſi eam aliquam agnouiſſet. Eſt itàque dignitas non exigua, nec leuis gloria Eccleſijs, à quibus aliæ, & fidem accipiant, & diſciplinæ Eccleſiaſticæ inſtructionem: iuriſdictionem tamen, & Imperium nullum ſuper alias indè conſequuntur. Ac certè ſi hoc nomine mater

Eccle-

Eccleſiarum audiat Roma, iure optimo omnium auia dicetur Hieroſolyma. Prærogatiua itàque hæc pariendi filias, & eas docendi, atque inſtruendi non eſt ſolius Romanæ Eccleſiæ propria, ſed in omnibus eſt ſedibus Apoſtolicis, & propterea ſicut prærogatiua hæc cæteris, ac præſertim Hieroſolymitanæ, Primatum poteſtatis nullum tribuit, ità neque Romanæ poteſt tribuere, Sit igitur magiſtra quandiù recta docet; quandiù Apoſtolicam doctrinam puram ſeruat, nec eam miſtione impurorum interturbat liquorum, certè Domina non erit, neque ſola omnium Eccleſiarum deſpotico dominatu gubernatrix. Inſtruxit Romana multas Eccleſias, iiſque, & fidem tradidit, & diſciplinam, ſed prima documenta regendæ Eccleſiaſticæ vniuerſalis diſciplinæ, toti Chriſtiano Orbi Eccleſia tradidit Hieroſolymitana: cuius prima decreta fuerunt, antequam etiam Euangelium fuiſſent conſcripta, communiſſima materia Apoſtolicarum prædicationum, quibuſeum initio ſancti Apoſtoli, & Diſcipuli Domini fidelium cœtus colligebant. Paulus enim perambulabat Syriam, & Ciliciam, confirmans Eccleſias, præcipiens cuſtodire præcepta Apoſtolorum, & Seniorum. Et; Cùm pertranſiſſent Paulus, & Silas ciuitates, tradebant eos cuſtodire dogmata, quæ erant decreta ab Apoſtolis, & Senioribus, qui erant Hieroſolymis. Et nihilominùs Hieroſolymitana Eccleſia nullum habuit Primatum, ſed ſubiecta fuit Cæſarienſi; vt toties vidimus in præcedentibus.]

Quod ad primum attinet; Hieronymus epiſtola ad Marcellam, nomine Euſtochij, & Paulæ Romam cum Hieroſolyma confert, ac quid inter eas Vrbes interſit, explicat, non ratione auctoritatis, aut dignitatis Eccleſiaſticæ, ſed ratione ſanctitatis locorum, Hieroſolymamque præfert, quòd cruorem Domini hauſerit, vt multò accommodatiorem inſtituto Monachorum, cuius candidata erat Marcella, oſtendat, ac proindè in animum eius inducat, vt relicta Roma ad loca ſancta ſe conferat. Occurit verò obiectioni eorum, qui eam appellarent Sodomam, & Ægyptum terramque maledictam: [Maledictam terram, inquit, nominant, quod cruorem Domini hauſerit; Et quomodo benedicta loca putant, in quibus Petrus, & Paulus, Chriſtiani exercitus Duces, ſanguinem fudere pro Chriſto? Si ſeruorum, & hominum glorioſa confeſſio eſt; cur Domini, & Dei non ſit glorioſa confeſſio? Et Martyrum vbique ſepulcra veneramur, & ſanctam fauillam oculis opponentes, ſi liceat, etiam ore contingimus: & monumentum, in quo Dominus conditus eſt, quidam exiſtimant negligendum?]

Epiſt. 17. Et cum vrgerent aduerſarij paſſionem Domini infamatam, reſpondet: [Quid ſibi voluit Paulus Hieroſolymam feſtinare, vt ibi faceret Pentecoſten? qui retinentibus ſe locutus eſt dicens: Quid facitis flentes, & conturbantes cor meum? Ego enim non ſolùm ligari, ſed & mori in Hieruſalem paratus ſum pro nomine Domini Ieſu Chriſti. Quid cæteri ſancti, & illuſtres viri, quorum vota, &

Ibid. oblationes poſt prædicationem Chriſti ad fratres, qui erant Hieroſolymis, deferebantur? Longum eſt ab aſcenſu Domini vſque ad præſentem diem per ſingulas ætates currere, qui Epiſcoporum, qui Martyrum, qui eloquentium doctrina Eccleſiaſtica virorum venerint Hieroſolymam: putantes minùs ſe religionis, minùs habere ſcientiæ, nec ſummam, vt dicitur, manum accepiſſe virtutum, niſi in illis Chriſtum adoraſſent locis, de quibus primum Euangelium de patibulo coruſcauerat.]

Igitur illuſtres viros, qui ſe Hieroſolymam contulerant, commemorant Paula, & Euſtochium, quarum eſt nomine ſcripta à Hieronymo epiſtola, vt Marcellam quoque ad loca ſancta pertrahant, in quibus eſſent tot Sanctorum agmina, maximè Monachorum, & Virginum chori: de his enim potiſſimùm loquitur, quod epiſtolæ verba indicant: [Certè, inquit, flos quidam, & pretioſiſſimus lapis inter Eccleſiaſtica ornamenta, Monachorum, & Virginum chorus eſt. Quicunque in Gallia fuerit primus, huc properat. Diuiſus ab Orbe noſtro Britannus, ſi in religione proceſſerit, occiduo ſole dimiſſo, quærit locum fama ſibi tantùm, & Scripturarum relatione cognitum. Quid referamus Armenios, quid Perſas, quid Indiæ, quid Æthiopum populos, ipſamque iuxta Ægyptum, fertilem Monachorum, Pontum, & Cappadociam, Syriam Cœlen, & Meſopotamiam, cunctaque Orientis examina? Quæ iuxta Saluatoris eloquium, dicentis: Vbicunque fuerit corpus; illic congregabantur Aquilæ: concurrunt ad hæc loca, & diuerſarum nobis virtutum ſpecimen oſtendunt. Vox quidem diſſona, ſed vna religio. Tot penè pſallentium chori, quot gentium diuerſitates, & inter hæc, quæ vel prima in Chriſtianis virtus eſt, nihil arrogant ſibi de continentia ſupercilij. Humilitatis inter omnes contentio eſt. Quicunque nouiſſimus fuerit, hic primus putatur. In veſte nulla diſcretio, nulla admiratio. Vtcumque placuerit incedere, nec detractionis eſt, nec laudis. Ieiunia quoque neminem ſubleuant: nec defertur inediæ, nec moderata ſaturitas condemnatur. Suo Domino ſtat vnuſquiſque, aut cadit. Nemo iudicat alterum, ne à Domino iudicetur. Et quod in pleriſque Prouincijs familiare eſt, vt gemino dente ſe lacerent, hìc penitùs non habetur. Procul luxuria, procul voluptas: tanta in ipſa Vrbe orationum loca, vt ad ea peragranda dies ſufficere non poſſit.]

Hier ep. 17. ad Marc.

Matth. 24.

Cùm igitur piiſſimis fœminis de ſanctitate locorum ſermo eſſet, neceſſe non habuerunt, nec eorum nomine Hieronymus, vllam primatus Romani mentionem facere, quippè qui ad auctoritatem, & dignitatem Eccleſiæ pertineat, non verò ad ſanctitatem loci.

Quod verò vrget Spalatenſis, [Hieroſolymam omnium Eccleſiarum parentem, nullum ſuprà reliquas Eccleſias imperium obtinuiſſe, contrà verò, Cæſarienſi parere iuſſam fuiſſe,] noſtram firmat ſententiam, & longè infrà Romam collocandam eſſe.

Neque verò Romana Eccleſia idcircò reliquarum Eccleſiarum parens dicitur, quòd eas ad pietatem Chriſtianam informarit, fidemque tradiderit, & diſciplinam, quòd etiam in Hieroſolymitanam quadrat, ſuadet

locus

Act. 4.

locus Actorum: ſed quod irà volente Deo eam ſibi Sedem delegerit Petrus, penès quàm ſummam rei Eccleſiaſticæ eſſe pronuociauit Chriſtus, propterea, vt dicebamus meritò Petri, eam dignitatem tribount Imperatores: cùm igitur meritum Petri dicunt, veram, & geuuinam cauſam primatus aperiunt, ad quam etiam reſpexiſſe Nicænos patres, auctores ſuot ſeptuaginta ſeptem Epiſcopi in cauſa Acatij Romæ ſub Felice III. congregati:

Ep. Synod. Conc Rom. 2. ſub Fel. 3.

[Quotiens, inqoiont, contrà Italiam propter Eccleſiaſticas cauſas, præcipuè fidei, colliguntur Domini Sacerdotes, conſoetudo retinetur, vt ſuccesſor Præſulum Sedis Apoſtolicæ ex perſona cuoctorum totius Italiæ Sacerdotum, iuxta ſollicitudinem ſibi Eccleſiarum omnibus competentem cuucta conſtituat, qui caput eſt omnium: Domino adbeatum Petrum, dicente: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; & portæ inſeri non præualebunt aduersùs eam: Quam vocem ſequentes trecenti, & octo ſancti Patres, apud Nicæam congregati, confirmationem rerum, atque auctoritatem ſanctæ Romauæ Eccleſiæ detuleruot: quam vtramque vſque ad ætatem noſtram ſucceſſiones omnes, Chriſti gratia præſtante cuſtodiunt.]

Quod itàque addit Spalatenſis, probaſſe ſe [omnes Apoſtolos fuiſſe æquales, Romanam Sedem non fuiſſe peculiarem Sedem Petri, Petro non dari peruliarem ſucceſſorem:] & in hanc rem Canonem Nicæuum profert, mendaciſſimæ loquacitati eſt depotandom.

Spalat n. 12. Iul. ep. 1.

Sed quàm feſtiuus eſt, & ſuauis, qui Euſebiauos, hoc eſt, cœoum, & peſtes Orientis nobis opponat. [Eccleſiam Romanam, inquit, ſuprà cæteras efferri ſolitam, aduerterant Euſebiani Epiſcopi, Athanaſij perſecutores, ægrèque ferebant Iulium Papam quoddam Imperium exercere; ideòque ei opponebant, omues Epiſcopos iure diuino eſſe pares, neque ex magnitudine ciuitatum honorem creſcere Epiſcoporum. Atque hanc oppoſitionem Iulius, vt veram admiſit, indèque eos reprehendit, quòd nihilominùs illi facilè ſuas mutabaut Sedes, vt à minori ad maiorem tranſuolarent ciuitatem. Iidem quoque Orientales in Iulium commoti, ruſsùs ei obijciunt, ſola Vrbis magnitudine ſe ab eo ſeparari: cęterùm Orientales Eccleſias, & antiquitate, & doctrinæ fonte, & more probitate Romanam ſuperare.]

Scilicèt, qui gloriæ filij Dei obtrectatout, aut ſaltem obtrectatoribus fauerunt, digni ſunt, quos iudices in cauſa Eccleſiarum adhibeamus.

Certè, & ab Athanaſio, & à reliquis Scriptoribus Eccleſiaſticis ſumma eorum impudentia notatur, & procacitas, quam vt frangeret Iulius Pontifex, noluit de magnitodine Eccleſiarum cùm illis acriùs contendere, contentus argumentum in eos retorſiſſe, ac illos maguarum Eccleſiarum ambitores oſtendiſſe: quà de re nos alibi.

Quod verò addunt, [Orientales Eccleſias, & antiquitate, & doctrinæ foute, & morum probitate, Romanam ſuperare,] à leuitate, & vauitate Græcorum eſt; Sic Nazianzenus iuniores Epiſcopos Orientales inducit, qui, vt auctoritatem ſuam Occidentalium auctoritati auteponerent, haoc rationem afferrent, quòd Chriſtus in Oriente natus eſſet, atque in Oriente Sol oriretur. Riſit hanc eorum vaoitatem Nazianzenus, & hinc liquere, quàm in cæteris rebus acuta mente eſſent, cùm hìc tam perſpicaces, & iogenioſos ſe præbuiſſent.

Ratio porrò quam ſcita; aſpice,
Debere noſtras, nempè res ſolem ſequi,
Ortum hinc trahentes, vndè regnator poli,
Nobis, amictus carne, primùm ſplenduit.

Non erat igitor cum Græcis hominibus leuiſſimis, ac vaniſſimis miranda quidem, ſed non credenda iactantibus ineptiret, aut etiam eis fidem haberet. Sed iam meliores profert teſtes Augoſtinum, Concilium Chalcedonenſe, Hugonem Ætherianum, & Baronium ipſum, vt digoitatem Eccleſiæ Romanæ ex Vrbis maieſtate ortum habuiſſe oſtendat. [Auguſtious, iuquit, elationem Romanotum Leuitarum io Vrbis magnificentia fundaram reprehendit; nam Falcidium quendam elatioois illius promotorem, Diaconos Presbyteris, duce ſtultitia, & Ciuitatis Romauæ iactantia, aſſerit coæquaſſe, & addit; Sed quia Romanæ Eccleſiæ miniſtri ſunt, idcircò honorabiliores putantur, quàm apud cęteras Eccleſias, propter magnificentiam Vrbis Romanæ, quæ caput eſſe videtur omuium Ciuitatum. Illo igitur adhuc tempore Clerus Romanus aliundè ſe ſuprà alios efferre non potuit, niſi ex eo quòd eſſet Clerus Imperatricis ciuitatis. Sed immemores, ioquit Auctor illarum quæſtionum, elatione mentis: eò quòd videant Romanæ Eccleſiæ ſe eſſe minoiſtros, non conſiderant quid illis à Deo decretum ſit, & quid debebant cuſtodire. Alibi verò Aug. ipſe, ex ciuitatis amplitudine, Epiſcopi etiam auctoritatem creſcere fatetur; hęc enim de Carthagine, & Cæciliano habet: Erat tranſmarinis vicina regionibus, & fama celeberrima nobilis; vndè non mediocris vtique auctoritatis habebat Epiſcopum, qui poſſet non curare conſpirantem multitudinem inimicorum.]

Spalat. n. 15. Aug. in qq. vet. & nou. teſt. q. 101.

Sed quod attinet ad primum locum, proculdubiò Auguſtini oon eſt: [Hoc opus, inquit Eraſmus, vt perſuadeam Auguſtini non eſſe, non arbitror pluribus vtendum argomentis. Cordatum Lectorem admonuiſſe abundè ſatis eſſe puto. Arguit hoc tota phraſis ab Auguſtini Charactere abhorrens.] Cæterùm quòd auctor ille Leuitarum, & Diaconorum Romanorum ioſolentiam notans, ex Vrbis dignitate eam ortam obſeruat; Eorum quidem leuitatem, ac vanitatem prodit, ſed non facit, vt à maieſtate Vrbis pendeat Eccleſiæ dignitas, namque ſatui fatua loquentis, ſiue Falcidij, ſiue alterius, quem etiam ſuggillat Hieronymus, ea vox fuit, Diaconos æquandos eſſe Presbyteris; Quòd ſi aliquid eis ſplendoris contulit dignitas Vrbis, annon Presbyterorum quoque ea gloria fuit? Nam vt rectè argumentatur ille; *Si qui inferiores ſunt, creſcunt propter magnificentiam ciuitatis, quantò magis qui potiores ſublimandi ſunt?* Sed & alia cauſa fuit vanitatis Diaconorum, nimirùm quòd theſauri Eccleſiæ eis eſſent commiſſi,

Auctor. qq. vet. & nou. teſt c. 101.

quos

quos in pauperes diſtribuerent. Vtrumque occaſio potuit eſſe inaniſſimæ gloriationis: cauſa legitima eſſe non potuit.

Quod ſpectat ad ſecundum locum, qui verè ſit Auguſtini, non negamus, dignitati Eccleſiaſticæ ſplendorem, & maieſtatem conciliare vrbium amplitudinem, ac potentiam, quæ harum Antiſtites etiam illuſtriores reddat, ſed eam cauſam genuinam eſſe ſummi gradus, infieiamur. Neque verò Auguſtinus Cathedræ Apoſtolicæ principatum, quem ſemper in Eccleſia Romana viguiſſe prædicat, ab Vrbis potentia eſſe, vel illo loco, vel vllo alio aſſeuerat, ſed à Petri, cui paſcendas oues ſuas Dominus commiſit, Primatu, quem in thronum Romanum inuexerit.

Spalat.n.14. Concil. Chalced. Act.15.c.18. Ibid. c. 17. Perſequamur reliqua. [Concilium Chalcedonenſe, inquit, apertè fatetur, propter Imperium Vrbis, Romanam Eccleſiam ſua priuilegia habuiſſe, & propter idem Imperium Conſtantinopolitanam quoque eadem debere habere priuilegia: quin etiam idem ſtatuerat formam regiminis Eccleſiaſtici debere ſequi ciuiles diſpoſitiones ciuitatum, ſi qua, poteſtate Imperiali nouaretur. Quæ verò huic decreto de priuilegiis Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ à Legatis Romanis fuerunt oppoſita, & quæ noſtri opponunt, diſcutiam capite ſequenti, vbi de Conſtantinopolitano agam Patriarchatu ſeorſim. Nam quod ad præſens negotium ſpectat, nemo quicquam oppoſuit eis, quæ dicta ſunt, propter Imperium Vrbis priuilegia Romanæ Eccleſiæ fuiſſe à Patribus data. Nam & Hugo Ætherianus totus Monarchicus hoc decretum aſſumit, abſque vlla oppoſitione. Sicut & planum eſt ex eadem Vrbis Conſtantinopolitanæ ſæculari dignitate, Patres 2 & 4. Concilij Oecumenici, Conſtantinopolitanam quoque Eccleſiam paribus exaltaſſe priuilegijs.] De Concilio Chalcedonenſi videro capite ſequenti, oſtendamque fortiuum eſſe Canonem, quo illud de tributo primatu Romanæ Eccleſiæ, propter Vrbis & Imperij amplitudinem continetur.

Hugo Aether. l.3 de haret. c.16.

Sed quod attinet ad Hugonem Ætherianum; miror hominem, quem ſuperiore libro ſibi planè ignotum diceret, cuius nomen eleuaret, cuius auctoritatem ne nauci quidem faceret, iam teſtem proferri, & dignum, qui audiatur exiſtimari.

Sed illum in caput ſuum ſubornauit teſtem, ſic enim ille adiectionem, filioque Symbolo Pontificis auctoritate factam propugnans: [Nulla, inquit, calumnia notandus eſt antiquioris Romæ Antiſtes, quòd cauſa interpretationis dictionem vnam, dico autem ex Filio procedere Spiritum, ſanctorumque plurium Epiſcopotum, ſcientiſſimorum Cardinalium conſenſu habito appoſuerit: licuit enim ei, ſemperque licebit, fratres confirmare, decreta edere, cudere interpretationes, ſi vbi aliquid obſcurè ſcriptum ſit, & de voluntate Scriptoris argumentari, indicio voluntatis illius relicto facere, hoc perſuadente. Is enim eſt, cui oues, & agni commiſſi ſunt, & ideireò non ſolùm ſcripti recitator eſſe debet, verùm interpres illorum, quæ adſcripta non ſunt: vt caput ouium Dei paſtor, quod ſancta, & vniuerſalis ſecunda Synodus, his verbis ſanciuit. Epiſcopus quidem Conſtantinopoleos habeto primatum honotis poſt Romæ Epiſcopatum: quòd ipſa ſit noua Roma. Iuſtinianus quoque piiſſimus Imperator, in ſua *neara* talem legem promulgauit. Sancimus iuxtà ſacras Synodorum conſtitutiones, ſanctiſſimum antiquioris Romæ Papam primum eſſe omnium Sacerdotum: beatiſſimum verò Epiſcopum Conſtantinopoleos nouæ Romæ, ſecundum ordinem habere poſt Apoſtolicum thronum antiquioris Romæ. Et rurſùs idem Imperator Epiphanio ſanctiſſimo Antiſtiti Conſtantinopoleos, in quadam epiſtola ſcribit inter cætera: Hunc per omnia ſeruamus ſtatum concordiæ ſanctiſſimarum Eccleſiarum, & circa ſanctiſſimum Papam antiquioris Romæ Patriarcham, cui, & hotum ſimilia ſcripſimus, Non enim ſuſtinemus quippiam, quod ad Eccleſiaſticam ſpectet conſtitutionem, non illius referri beatitudini, vt capiti omnium exiſtenti Sanctorum Dei Sacerdotum, nimirùm quotiens in iſtis partibus hæretici exorti ſunt, conſilio, rectoque iudicio illius venerabilis ſedis venerunt in deſtructionem. Aſt quid Synodicam, vel Imperatoriam ſanctionem in memoriam reduco? maius his teſtimonium habet Coryphæi Petri ſucceſſor, Chriſti, ſcilicet, Saluatoris noſtri, qui vt ſolũ Petrum in tributi ſolutione ſibi exæquauit, ità & eundem ſolum Orbi præfecit vniuerſo, vt Theologus Ioanues perhibet: Cùm igitur, inquit, cœnaſſent, dicit Ieſus Simoni Petro: Simon Iona, diligis me plus his? dicit ei: Etiam Domine, tu ſcis, quia amo te: dicit ei, Paſce oues meas: hunc locum Ioannes, qui meritò Chryſoſtomus nuncupatur, aperit interpretatione huiuſcemodi: Et quid vtique prætereundo alios: cum Petro diſputat de huiuſmodi, quia Petrus eſt præſtantiſſimus Apoſtolorum, os Diſcipulorum, & Princeps chori: propterea & Paulus aſcendit Hieroſolymam, ipſum videre præ alijs. Dicit ergo ei: Amas me, fratrum habeto curam: tertiò autem ipſum interrogat, præcipitque tertiò eadem: oſtendens quanti honoris faciat regnum propriarum ouium. Et poſt pauca. Quòd ſi quis dicat: Quomodo igitur Iacobus thronum accepit Hieroſolymis? Illud vtique dicam: Quia Petrum Orbis ordinauit Didaſcalum: Et iterùm: Cùm itaque magna ei dixerit, Orbem commiſerit, prædixerit martyrium, & amorem teſtatus ſic ampliorem alijs, dum Petrus Ioannem aſciſcere vult ſibi ſocium; Domine, inquit, hic autem quid? Verum Chriſtus æqualem Petro conſortem nullum aſſociauit. Qua in re manifeſtum antiquioris Romæ præſulem poteſtatem à Petro accepiſſe fidem renouandi, vt verbis vtar Patrum, habendi curam, & regnum omnium Sacerdotum, quin etiam omnium Chriſtianorum: ergo qui reſiſtunt primæ ſedis, immò totius Orbis Præſuli, Chriſti diſpoſitioni reſiſtunt, & niſi reſipiſcant, contumaciæ iudicio plectentur.] An ergo cenſuerit Hugo Ætherianus prærogatiuam Eccleſiæ Romanæ ab Vrbis pendere magnitudine, & Imperij maieſtate?

Veniamus ad Baronium: [Baronius, inquit, profectò, qui ferre alios non potuit tribuentes Romanæ Eccleſiæ dignitatem ex ſola Vrbis præcellentia; oblitus erat, ſe fortaſsè, vel inuitum, in duabus alijs Patriarchalibus Alexandrina, & Antiochena totam Spalat n.15.

ca-

eatum præminentiam, ad ſolam ſæcularem illarum Ciuitatum diguitatem reduxiſſe. Cùm enim non poſſet cauſam aſſignare, cur Alexandrina ſit prælata Antiochenæ; cùm tamen Antiochena à Petro fundata ſit, idque priùs; Alexandrina verò à Diſcipulo Petri Marco, & poſteriùs? Quoniam, inquit, præfectura Alexandrina, Auguſtalis dicta ab Auguſto eo nomine inſignita, magnificentiſſimè præ cæteris ab eodem fuerat nobilitata, longè præſtabat Syriæ præfecturæ, ea de cauſa, &c. Atque ex eadem cauſa pergit oſtendere Hieroſolymitanam Eccleſiam fuiſſe Cæſarienſi ſubiectam, quia Cæſarea fuerat à Romanis inſtituta totius Palæſtinæ Metropolis. Si hæc ratio in his tribus Alexandrina, Antiochena, & Cæſarienſi, ſola & maximè militat, vt hæ ſuos haberent Primatus; cur eadem obſecro etiam in Romana non militabit, tot præſertim teſtimonijs id confirmantibus? Et certè Alexandrina Eccleſia fuit filia, vt vidimus, Eccleſiæ Romanæ, quæ Eccleſia Romana ius Patriarchij in omnes ſuas filias obtinuit, & tamen ipſa Alexandrina, licèt eſſet Romanæ filia, ſeorſim facta eſt prima poſt Romanam Patriarchalis; in omnibus priuilegijs, excepto ſolo dignitatis loco, Romanæ æqualis, & plus in hac potuit dignitas illa temporalis Vrbis Alexandrinæ, quàm ſpiritualis maternitas, quam à Romana Eccleſia agnoſcebat.] Vt primas ferret Alexandrina Eccleſia, eique Antiochena poſthaberetur, id demùm cauſæ fuiſſe, quòd præfectura Auguſtalis, qua poriretur Ægyptus, cuius illa caput erat, longè nobilior eſſet præfectura Syriæ, cuius Princeps Ciuitas Antiochia, Comitum Orientis ſedes, aſſerit Baronius. At verò aut Antiochiam, aut Alexandrinam à ſuis præfecturis habuiſſe, quod inter ſedes Patriarchales reponerentur, ac numerarentur, non aſſeuerat.

Sed Petrum eius rei non obſcurè facit auctorem, quem tamen velit, ciuilium dignitatum rationem habuiſſe, quod nulli Orthodoxi ſunt vnquam inficiati: Sed Marci quoque Euangeliſtæ habitam eſſe rationem, quod Bellarminus defendit, & nos alibi oſtendimus, eſt omninò probabile. Quòd verò *Hierarchicam totam inter Epiſcopos dignitatem, & pariter inter Eccleſias*, vt loquitur, *iure ſolo Eccleſia-*
Spalat. n. 15. in fine & n. 16. per totum. *ſtico eſſe inductam*, probaſſe ſe ſatis libro tertio capite ſecundo gloriatur Spalatenſis, eſt eius vanitati deputandum. Ac eum abundè refellimus.

Et vt verum ſit, Patriarchatus Alexandrinum, & Antiochenum *mero niti iure poſitiuo Eccleſiaſtico*, falſum eſt, Romanam Eccleſiam, cuius Cathedram Petrus inſederit, alio iure quàm diuino ſuum poſſidere primatum. Et miror tam perfricta fronte fuiſſe aduerſarium vt Zozimum, Gelaſium, Nicolaum primum noſtræ ſententiæ propugnatores acerrimos, veritus non ſit contrarij dogmatis defenſores oſtentare.

Et Zozimi quidem verba ſunt: *His accedit Apoſtolicæ Sedis auctoritas, cui in honorem beatiſſimi Petri Patrum decreta peculiarem quandam ſanxere reuerentiam*. Honorem enim Petri reuerentiam vocat à Patribus Petro habitam, propter ſummum Apoſtolatus faſtigium, ad quod euectus ſit à Chriſto illis verbis; *Tu es Petrus*, & *Paſce oues meas*. Quo ſenſu etiam, dixit Valentinianus Imperator, *Petri meritum* Romanæ Sedi primatum conciliaſſe.

Quart, etiam Spalatenſis cogitur Zozimum repudiare; [Sed non obſtante, inquit, Num. 17.
quam veritas elicuit confeſſione, poſteà idem Zozimus, iure etiam diuino videbitur ſibi quendam attribuere in Eccleſia Principatum.] Non erat igitur, quòd eum pro ſolo iure poſitiuo teſtem induceret; Gelaſium verò ad ius diuinum Eccleſiæ Romanæ Primatum reuocaſſe, tam eſt clarum, tamque apertum, vt in meridie nihil vidère videatur Spalatenſis, qui contrariam ei tribuerit ſententiam. [Quamuis, inquit, vniuerſæ per Orbem Ca- Gelaſ. in Decreto de apocryphis Scripturę locis Matth. 16.
tholicæ Eccleſiæ vnus thalamus Chriſti ſit, Sancta tamen Romana, Catholica, & Apoſtolica Eccleſia nullis Synodi conſtitutis cæteris Eccleſijs prælata eſt, ſed Euangelica voce Domini, & Saluatoris noſtri primatum obtinuit; Tu es Petrus inquientis, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; & portæ inferi non præualebunt aduerſùs eam & tibi dabo claues Regni Cœlorum; Et quæcumque ligaueris ſuper terram, erunt ligata, & in Cœlis, & quæcumque ſolueris ſuper terram, erant ſoluta, & in Cœlis.] Quòd ergo Canones, & multiplicem traditionem in hanc quoque rem citat, facit, quia ius diuinum, Canones, & Sanctorum Patrum regulæ expreſſerunt, & declararunt. Quo ſenſu Ioannes ſecundus ad Iuſtinianum ſcribens, vt etiam à Spalatenſi refertur, ait, [Quam Roma- Num. 18. Ca. de ſum. Trin. inter Clem.
nam Eccleſiam eſſe omnium verè Eccleſiarum caput, & Patrum regulæ, & Principum ſtatuta declarant.] Declarant, inquam, non efficiunt.

Sed qua procacitate eſſe oporteat Spalatenſis, & proteruia, qui Nicolaum primum acerrimum veri primatus Romani propugnatorem nobis opponat: [Nicolaus primus, inquit, ſuæ Eccleſiæ totum Primatum ad Con- Spalat. n. 19.
ciliaria tandem reduxit decreta:] Irà ne eſt hominum audaciſſimè? Quid igitur iſta ſibi volunt, quæ tu etiam nobiſcum ex eius epiſtola 8. ad Michaelem Conſtantinopolitanorum Imperatorem legis? [Eccleſiæ Romanæ priuilegia, Chriſti ore (audiſne, Chriſti ore) in Beato Petro firmata, in Eccleſia ipſa diſpoſita, antiquitùs obſeruata, & à ſanctis Synodis vniuerſalibus celebrata, atque à cuncta Eccleſia iugiter venerata nullatenùs poſſunt minui.]

Ac rurſùs: [Iſta igitur priuilegia huic Sanctæ Eccleſiæ à Chriſto donata, à Synodis non donata, ſed iam ſolummodo celebrata, & venerata: per quæ non tàm honor, quàm onus nobis incumbit (licèt ipſum honorem non meritis noſtris, ſed ordinatione gratiæ Dei per Beatum Petrum, & in Beato Petro ſimus adepti) nos cogunt, noſque compellunt omnium habere ſollicitudinem Eccleſiarum.] Quid autem intellexerit per meritum Petri, quod ex Zoſimo citat, quodque etiam habent Imperatores, de quibus infrà ſuo loco, explicauimus ſuprà. De Hugone verò Ætheriano abundè diximus. Iam Imperatorum munificentiæ deputat Romani Pontificis ornamenta, & honores, quòd ſi illi mens eſt aſſerere, Auguſtos illos Chriſtianos, ſummi Apoſtoli reuerentia adductos, Eccle-

ſiam,

ſiam, quam caput Orbis, ità volente Chriſto, conſtituiſſet, coluiſſe, obſeruaſſe, ac ornaſſe, nos aſſenſores habet; ſi auctores fuiſſe dignitatis Eccleſiaſticæ, ac ſupremæ poteſtatis, nos aduerſarios nactus eſt, quippè, qui Antichriſtianam illam vocem eſſe iudicemus. Conſtantinum primum profert, ſed folia farſari donantem, non quòd magnum Imperatorem Romanæ Eccleſiæ exaltatorem, vt loquitur Bonifacius octauus, inficiemur.

Verùm quæ nomine eius à Græcis venditetur donatio, Græcum verè commentum eſt, arte Pelaſga inuentum, & fabricatum. Donauit igitur multa Conſtantinus, quæ Eccleſiæ ſplendorem auxere, & opes. At verò Primatum neque dedit, neque verè dare potuit, quicquid garriat Theodorus Balſamon harum mercium, ſeù potiùs fumorum inuerecundus venditor. Valentiniani, Gallæ quoque Placidiæ, Iuſtini, ac Iuſtiniani, reliquorumque Imperatorum in Romanam Sedem beneficia agnoſcimus, ſed Protectores, & Seruatores priuilegiorum, non auctores facimus: Itàque vt Spalatenſem perſequamur, non priuilegium dedit, ſed priuilegium tutatus eſt Romani Pontificis Galla Placidia hoc reſcripto. [Igitur tua clementia, inquit, ſecundùm Catholicam fidem, quod ſemper nobiſcum fecit, & nunc ſimiliter conſpirare dignetur, vt quidquid in illo tumultuoſo, miſerrimòque apud Epheſum Concilio conſtitutum eſt, omni virtute remoueatur: vt omnibus integris permanentibus, ad Apoſtolicæ Sedis, (iudicium) in qua primus Apoſtolorum Beatus Petrus, qui etiam claues Regni cœleſtis ſuſcipiens, Sacerdotij principatum tenuit, Epiſcopatus cauſa mittatur. Debemus enim primatum in omnibus immortali conuerſationi tribuere, quæ totum mundum propriæ virtutis dominatione compleuit, & noſtro Imperio, Orbem gubernandum, ſeruandumque commiſit.] Itàque Galla Placidia pia me Heclè Princeps, Petri meritum, quo ſenſu explicauimus, Primatus Petri, etiam veram, ac genuinam cauſam facit: Ac certè valdè contumelioſus eſt in Auguſtos Spalatenſis, cuius inſolentiſſima habes verba ad finem ſectionis: [Neque, inquit, ego puto hæc ex Imperatorum pietate in Romanam Eccleſiam priuilegia emanaſſe, ſed ex ſolo ſuperbiæ typho; vt ipſorum Imperialis Ciuitas tantò eſſet ſplendidior, & indè ipſi quoque glorioſiores.] Annuat, qui volet, ſed eſt eorum pietas à ſanctiſsimis Patribus celebrata, & ſummis laudibus ornata. Iuſtinus epiſtola ad Hormiſdam ſe pro concordia Eccleſiarum laborare ſcribit, ſtudium eius prouocat, operam pollicetur, & veneratione ſuæ Apoſtolicæ Sedis auctoritatem firmat; quod habet Platina: ſed auctoritatem non confert; Summam autem reuerentiam ſpirat, ad Ioannem Papam Iuſtiniani Epiſtola.

Ep. ad Pulcheriam Auguſtam.

Num. 22. in fine.

Reddentes, inquit, honorem Apoſtolicæ Sedi, & veſtræ Sanctitati, (quod ſemper nobis in voto, & fuit, & eſt,) & vt decet Patrem honorantes veſtram Beatitudinem, omnia, quæ ad Eccleſiarum ſtatum pertinent, feſtinauimus ad notitiam deferre veſtræ Sanctitatis: Quoniam ſemper nobis fuit magnum ſtudium vnitatem veſtræ Apoſtolicæ Sedis, & Statum ſanctarum Dei Eccleſiarum cuſtodire, qui hactenùs obtinet, & incommotè permanet, nulla intercedente contrarietate. Ideòque omnes Sacerdotes vniuerſi Orientalis tractus, & ſubijcere, & vnire Sedi veſtræ Sanctitatis properauimus. In pręſenti ergo, quæ commota ſunt, (quamuis manifeſta, & indubitata ſunt, & ſecundùm Apoſtolicæ veſtræ Sedis doctrinam ab omnibus ſemper Sacerdotibus firmè cuſtodita, & prædicata) neceſſarium duximus ad notitiam veſtræ Sanctitatis perueniant. Nec enim patimur quicquam, quod ad Eccleſiarum ſtatum pertinet, quamuis manifeſtum, & indubitatum ſit, quod mouetur, vt non etiam veſtræ innoteſcat Sanctitati, quæ caput eſt omnium Sanctarum Eccleſiarum. Per omnia enim, (vt dictum eſt) properemus honorem, & auctoritatem creſcere veſtræ Sedis.] Phocam lubens faceret Spalatenſis auctorem magnitudinis Romanæ, quam prædicamus, vt nefandi Principis infamia hunc ſplendorem Eccleſiæ obſcuraret: [Sed Phocas maximè, inquit, Romanam videtur extuliſſe Eccleſiam Bonifacio tertio annitente. Bonifacius enim ab eo, inquit Platina, magna tamen contentione obtinuit, vt ſedes B. Petri Apoſtoli, quæ caput eſt omnium Eccleſiarũ, ità & diceretur, & haberetur ab omnibus: quem quidem locũ Eccleſia Conſtantinopolitana ſibi vendicare conabatur, fauentibus interdùm malis Principibus, affirmantibuſque eò loci primam ſedem eſſe debere, vbi Imperij caput eſſet, &c. Sed ſacer ſit ſæuus ille tyrannus Phocas, credo, nec crudelior, nec ſceleratior fuit magno Cyro, quàm Hieroſolymorum inſtauratorem, ac libertatis ſanctæ Ciuitatis Hieruſalem vindicem, & aſſertorem produnt Scripturæ, impietate quoque, credo, non vicit Nabuchodonoſorem, qui propoſito edicto ſummi Dei gloriam tutatus eſt. Igitur Phocam vanitatis Antiſtiti Conſtantinopolitani caſtigatorem agnoſcimus, quippè, qui, adnitente Bonifacio, ſuperbum Epiſcopum in ordinem coegerit, ac ambitum eius repreſſerit: namque ille cum à Romano Pontifice ſecundùm ſe crederet participatis honoribus in toto Oriente Oecumenicus audire audebat, quod Phocas non tulit, Auctorem verò Primatus Romani Phocam illi ſoli faciunt, quorum pridem in Eccleſiam Romanam odium exarſit. Reſtat Lambertus Imperator, qui ornandum quoque exemplo maiorum Pontificem meritò cenſuit. Itàque non inuiti concedimus, ex tribus veluti fontibus Primatum Romanum emanaſſe, ex fundatorum Apoſtolorum veneratione, vt habet Spalatenſis: [Ex Patrum, & Conciliorum Decretis; ac demùm ex Imperatorum conatu, & ſtatutis:] Apoſtoli, nimirùm Petrus, & Paulus eam fundarunt. Præcipuè Petrus Apoſtolorum coryphæus, cuius meritò illum acceptum referunt Imperatores; Patres, & Concilia ſuis decretis declararunt; Imperatores edictis firmarunt, ac illibatum eſſe voluerunt. Non eſt igitur hominum ſe inſolentiùs efferentium iactantia, quod Pontifices ſcribunt, non placitis Imperatorum, aut Synodorum decretis, aut vllis humanis præſidijs, ſed ſolo iure diuino primatum Eccleſiæ Romanæ, cuius etiam fidem per multa ſecula (per omnia dicere debuit) ſinceram, puram,

Iuſt. ep. ad Ioan. Pap. Cod. de ſũma Trin. & fide Cath.

Num. 23. Platina in Bonif. 3.

Eſdras.

Num. 24. in fine.

tam, ac illibatam prædicat Spalatenſis, cuiuſqoe ſedem pietatis aſylum, ae vexatorum perfugium agnoſcir. Sed inſtar Balaami io furorem, & errorem abreptus pergit ariolari, & quaſi præſcius futuri interitum, & ruinam, furibuudis prædictionibus Eccleſiarum Principi minatur, ac vaticinatur verè *phatis*. Mirabamur Apocalypſim tritum omnibus ſectatijs librum, cuius effatis obſcurioribus, adeòque incognitis ſimplicium dementant animos, à Deſertore noſtro prætermiſſum, ſed mitationem excutit, & ſanctiſſima Oracula ad fabulas inflectens leui, ac vecordi ariolatione, in perniciem tum Pontificis, tum Eccleſiæ Romanæ conuertit, & tamqnam validiſſima, vel potiùs venenatiſſima tela intorquet. Nihil igitur reueritus trophæa Apoſtolorom, aut Chriſti altaria, peſſundata quoque illa fide, quæ iam ſeculo Apoſtolorum, per totum mundum celebratetur, vaſtaro Petri throno, ſanctiſſima Cathedra proeulcata, Romam Chriſtianam funditiùs euerſa Religione in interitum abituram prædicit, & veluti entouſiaſmo correptus, impendentem Romæ Chriſtianæ ruinam dennnciar. Et tantus, & tam enormis eſt hominis furor, vt veteres Patres ſuæ ſententiæ Patrouos oſtentet.

Num. 26,

Audiamus beſtiam ſua verba reſonantem: [Nè verò, inquit, propter expanſas has plumas decoris, & maieſtatis plenas ſuperbiat Romana Mater, criſtaſqne tollat, ſed potiùs Spiritus iamdiù elatos deponat, non poſſum non ei in memoriam reuocare tremendum Dei iudicium quotidie imminens, ae ſemper expectandum, vt vel indè ſatis coguoſcat, credibile noo eſt, voluiſſe Chriſtum Dominum, illam cæteris ſuis Eccleſijs præferre, ſeu præficere, quæ ſicut diuioa benignitate ex Babylone Ethnica facta eſt olim Eccleſia Chriſtiana nobiliſſima; itâ poſteà iuſtiſſimo Dei iudicio, ex Eccleſia erat denuò io Babylonem connertenda, & miſerabili exlcu, omoi diuina protectione deſtituenda, ignèque oon minùs tempotali, quàm ęterno concremanda.

Apoc 17. & 18.

Nos Spiritum Sanctum in Ioannis Apocalypſi loqui oon dubitamus, vbi verò de Romana Vrbe ſatis aperta habetur prophetia, duobus eapitibus comprehenſa, de ea tibi, veritatis ſtudioſè lector, hic pauca curſim, & ſummatim, prout à me intelligitur, ſubnecto: tu quæſo eam ſedulò conſidera. Et hanc prophetiam verè de ipſa Romana Vrbe, ipſiuſqne potentia, & dominatu proferri ad literam, ſicut ſeptem colles, & regnum, quod tempore Ioannis illa habebat, ſuper Reges terræ, coguntur fateri, itâ Tertullianus apertè teſtatus eſt, neqne negant communiter noſtri Theologi, & Scriptores: Babylonem enim vocari contendunt Romanam Ethnicam, ex parte Ethnicorum in ea habitantium, & dominantium; quo eam nomine, etiam Petrus (vt ipſi volunt) deſignauit: Eccleſiam verò, quæ eſt in Babylone, intelligi fideles Chriſtianos Romauæ Vrbis. Fulcrum, vel potiùs bacillum, quale ad hoc ſuſtentandum mutuantur ab Hieronymo, Romam ſic alloqnente: Ad te loquar, quæ ſcriptam io fronte blaſphemiam Chriſti coofeſſiooe deleſti. Horrenda verò illa, quæ proferuntur in hac prophetia aduersùs Romam, ad perſecutionem Antichriſti referunt ſub finem ſeculi

Tert. adu. Iud. & l. 3. cont. Marc. Bel. io App. ad libros de Rom. Pont. c. 6. & Bar. 10. 1. an. 44. n. 16. & ſeq. 1. Pet. 5. & Papias apud Euſeb. l. 2. c 15. & Hic. de Script. Eccleſ. in Mar. Hier. adu. Iouin. li. 1.

peruentura. Hæc ſunt furioſi hominis vaticinationes, & ariolationes.

Vndè tamen viuat, vaticinator habet:

Sed quando hic de ſumma Religionis agitur, erat, quòd Scripturam ænigmatibus, figuris, & obſcuritatibus plenam, quippè quæ tot myſteria habeat, quot verba, vt loquitur Hieronymus, rantiſper ſeponeret, ac apertioribus, & maniſeſtioribus locis oon premerer coniector fatidicus, namque quod præclarè dixit in cauſa Eccleſiæ aduersùs Donatiſtas Auguſtinus, & hic quoqne maximè locum habet: [Sic, inquit, & illa interim ſeponenda ſunt, quæ obſcurè poſita ſunt, & figurarum velaminibus innoluta, & ſecundùm nos, & ſecundùm illos poſſunt interpretari.] Quod Auguſtinus dixit occaſione Donatiſtarum, qui, vt Eccleſiam ſibi aſſererent, illud ex Cantico Canticorum afferebant, vbi paſcas, vbi cubes io meridie, iactantes ſuam ſectam in Aphrica, quæ ad meridiem eſſet, obtioere, quem locom, vt obſcorum non poſſe ab illis vrgeri cootendit Auguſtions. Et quidem Tertullianus hæreticos lucifugas Scripturarum vocat, non quòd Scripturis, non vtantur, ſed quòd relictis apertioribus locis, obſcurioribus delectentur, vt lucem rebus eripiant, ac tenebras animis offundant. Hos igitur præclarè noſter imitatus eſt vates, quare, inania in nos iactat tela.

Lib. de vnit. Eccl. c. 5.

Quòd attinet verò ad Patres, à quibus ducere præſidium molitur, equidem verùm eſt, Babylonem ab eorum pleriſq; intellectam Romam; Babylon, inquit, Tertullianus, apud Ioannem, Romanæ Vrbis figura eſt, quam propterea Hieronymns purpuratam meretricem vocat: & Auguſtious alteram Babylonem, additque Oroſiua, Romam per omnia Babyloni reſpoodere. Sed quibus ea opinio placuit, Romam non pro Eccleſia Romaua, ſed pro Vrbe, & Imperio Romano acceperunt, vt Roma illis ſit Babylon, meretrix purpurata, & Ciuitas illa ſanguine Sanctorum inebriata. Sed Roma Ethnica, non Chriſtiana; Imperium Romanum, noo Eccleſia Romana; qua ratiooe Tertullianus, Babylonem figuram Vrbis, non Eccleſiæ prædicat, atque eo ipſo loco ſeipſum clariſſimè interpretatur: Babylon, inquit, Romanæ Vrbis figura eſt, proindè magnæ, & regno ſuperbæ, & Sanctorum Dei debellatricis.

Tert. lib. adu. Iudæos & li. 3. adu. Marci. Hier. ep. ad Marc. Aug. lib. 18. de Ciuit. Dei c. 23. Oroſ. lib. 2. cap. 3. Apo. 17.

Sic Hieronymus epiſtola ad Marcellam, cùm propter magnam illam vitiorum ſegetem, quæ in ampliſſimis Vrbibus ſuccreſcit, Romam, purpuratam Meretricem vocaſſet; aſperius dictum molliuit. [Eſt quidem, inquit, ibi ſancta Eccleſia, ſunt trophæa Apoſtolorum, & Martyrum: eſt Chriſti vera confeſſio, eſt ab Apoſtolo prædicata fides, & gentilitate calcata in ſublime ſe quotidie erigens vocabulum Chriſtianum: ſed ipſa ambitio, potentia, magoitudo Vrbis, videri, & videre, ſalutari, & ſalutare, laudare, & detrahere, vel audire, vel proloqui, & tantam frequentiam hominum ſaltem inuitum videre, à propoſito Mooachorum, & quiete aliena ſunt.]

Vides, vt Hieronymus aperriſſimè inter Eccleſiam, & Vrbem diſtinguat, vides, vt vernantis fidei, ac efflorèſcentis Religionis gloriam Eccleſiæ tribuat, Vrbi verò incommoda, quæ Monachorum inſtitutum con-

uel-

Google

utllant. Sed clariora ſunt illius aduersùs Iouinianum verba, quàm vt à Deſertore obſcurari poſſint: [Ad te loquar, inquit, quæ ſcri-
Hieron, Lib. 2. adu. Iou. in fine. ptam in fronte blaſphemiam, Chriſti confeſſione deleſti. Vrbs potens, Vrbs Orbis domina, Vrbs Apoſtoli voce laudata, interpretare vocabulum tuum, Roma, aut fortitudinis nomen eſt apud Græcos, aut ſublimitatis iuxtà Hebræos. Serua quod diceris: virtus te excelſam faciat, non voluptas humilem. Maledictionem, quam tibi Saluator in Apocalypſi comminatus eſt, potes effugere per pœnitentiam, habens exemplum Niniuitarum. Caue Iouiniani nomen, quod de idolo deriuatum eſt. Squalet Capitolium: templa Iouis, & Cæremoniæ conciderunt, cur vocabulum eius, & vitia apud te vigeant? Adhuc ſub Regibus, & ſub Numa Pompilio, faciliùs maiores tui Pythagoræ continentiam, quàm ſub Conſulibus Epicuri luxuriam ſuſceperunt.

Sed aduersùs hanc interpretationem
Spalat.n.27. obijcit Spalatenſis: [Si tamen tota per partes hæc prophetia attentiùs conſideretur, liquidò apparebit, & Babylonem à Ioanne vocari Romam, iàm totam Chriſtianam; & propter ipſius immenſa ſcelera, & tyrannicam nouam, poſt Imperialem poteſtatem, ad quam iàm Chriſtiana peruenerit, non ex iniuxta vlliùs perſecutione, ſed ex iuſto Dei iudicio, illius ſcelera iuſtè, quia ità placitum ſit illi, per Reges fideles, & Deo piè, ac religioſè ſeruientes, punientis, atrocia illa omnia ei obuentura. Atque ità Romæ deſtructionem tamquam impiæ, & Deo exoſæ, ipſius Dei voluntate, & iuſſione, ac inſpiratione per Reges iàm pios, & fideles eſſe euenturam, quæ Romæ Ethnicæ non contigerunt. Illa enim dum ethnica fuit, non eſt deſtructa: habuit quidem incurſiones hoſtium, & populati ſunt illam, dum adhùc magna ex parte eſſet Ethnica, Gothi, & aliæ barbaræ Nationes; ſed vltima exterminatio nunquam ei adhùc contigit, illa nimirùm de qua hæc prophetia ait; Hoc impetu mittetur Babylon Ciuitas illa magna, & vltra iàm non inuenietur; &
Apoc.18. vox citharœdorum, & muſicorum, & tibia canentium, non audietur in te ampliùs; & omnis artifex omnis artis, non inuenietur in te ampliùs, & vox molæ non audietur in te ampliùs; & lux lucernæ non lucebit in te ampliùs, & vox ſponſi, & ſponſæ non audietur adhùc in te, &c. Roma verò poſt Barbarorum clades ſtatim reſurgens redintegrata eſt, & Imperium in ea ſatis florens diù perdurauit; totaque Chriſtiana facta eſt, & hodie, vel maximè ſuperfluit, ac diffluit delicijs omnibus. Nondùm ergo impleta eſt Prophetia Romanæ exterminationis; & tamen quando exterminabitur, tunc de illa dicetur: Cecidit, ce-
Apoc. 18. cidit Babylon. Roma igitur non Ethnica, ſed plenè iàm Chriſtiana eſt, aut erit Babylon;
Apoc.17. eſt, aut erit habitatio Dæmoniorum, & cuſtodia omnis Spiritus immundi; & cuſtodia omnis volucris immundæ, & odibilis: eſt, aut erit meretrix magna, quæ aureo poculo, & pleno abominationis propinet omnem immunditiam, & fornicationem: eſt, aut erit Beſtia coccinea, plena nominibus blaſphemiæ: eſt, aut erit adeò peruerſa, & iniqua, vt Deus clamet, vel ſit clamaturus ſeruis ſuis, accipiatis: Exite de illa populus meus; vt ne
Spalat.n.28. participes ſitis delictorum eius, & de plagis eius non accipiatis. Beſtia, quam vidiſti, inquit Ioannes, fuit, & non eſt; & aſcenſum eſt de abyſſo, & in interitum ibit: Loquitur ſanè Ioannes pro tempore, quo non
2. Theſſ. 2. Chr.hom.3. in ep. 2. ad Theſs. ille viuebat, & prophetabat, ſed quo Prophetia erat adimplenda: & conformatur cum Prophetia Pauli; vt finis mundi non ſit expectandus, niſi priùs diſceſſio fieret, hoc eſt, iuxtà communem interpretationem Sanctorum, niſi priùs Romanum Imperium diſſoluatur; cuius Imperij diſſolutio, & diſſipatio iàm aperiat viam Antichriſto ad omnem iniquitatem. Ità Ioannes ait, Beſtia fuit, & non eſt: nempè Romanum Imperium non erit ampliùs; ſed cadet, & diſſoluetur: aſcenſura tamen ex abyſſo eſt eadem beſtia, quia ſuccedet Romæ eadem Romana poteſtas ſub alio titulo, quouſque, & ipſa exterminetur. Et decem Reges, qui nondùm erant, quando Ioannes ſcribebat, ſed ab eo futuri prædicuntur, ex Romani Imperij ruinis erant exorituri; eidem beſtiæ, quæ eſt illa noua Romana poteſtas ex abyſſo de nouo aſcenſura, tradent poteſtatem, tamdiù enim potens erit, quamdiù Reges ex Romani Imperij diſſolutione exorti, ei fauebunt; & de eius poculo fornicationum inebriati, ab ea quoque vice verſa, nonnihil in eorum humanis conſilijs adiuti; & abominationibus falſitatum ſub falſo religionis nomine repleti, reuera tamen ſimul cum ipſa aduersùs Agnum pugnantes, cum illa conſentient. Sed hi ipſi decem Reges tandem agnoſcent veritatem, vt iàm nonnulli illorum eam agnouerunt, & ab agno victi, odient, inquit, Propheta, fornicariam, & deſolatam facient illam, & nudam, & carnes eius manducabunt (quia terrenum ipſius principatum ſibi aſſument) & ipſam igni concremabunt; Deus enim dedit in corda eorum, vt faciant, quod placitum eſt illi. vt dent regnum ſuum beſtiæ, donec conſumentur verba Dei. Permiſſio nempè diuina erit, vt hi Principes regnantem beſtiam confirment, & ſuſtentent, donec conſumentur verba Dei prædicta; hoc eſt, donec agnus illuminet illos, & vincat: ponatque in corda eorum, vt odio habeant fornicariam, eamque pœnitùs excidant.]

Atqui primùm, quòd tot iactationibus ſuccuſſa, euerſa non fuerit, quòd cùm tot tempeſtatibus fuerit exagitata, cùm fluctibus propemodùm obrui videretur, è medio ipſo gurgite vndarum molibus deiectis, tandem eluctari, & emergere, ſuperior euadere potuerit, mundum vincere, dicere montibus iſtis omnibus, vt præcipites ſe darent in mare, nec Religionis curſum interciperent, ac remorarentur: Obſtinatum animum frangere debuit, ac inducere, vt crederet Eccleſiam illam reliquarum caput, per Deum vim habere cœleſtem, & immortalem, & robur inuictum. Sanè Oroſius, hoc inter Romam, & Babylonem diſcrimen intercedere ſapienter obſeruauit, quòd cùm Babylon Aſſyriorum poſt 120. plùs minùs annos, capta, & Imperio nudata fuerit, Roma tamen poſt eadem temporis interualla à Gothis quidem capta fuerit, Imperium tamen non amiſerit: *Propter*, Lib.2.c.3.
inquit, *Religionis Chriſtianæ cultum, & meri-*

tum. Qua ratinne adductus, iàm in diuerſas partes abeo ab his, qui hic nomine Babylonis Romam intelligunt, quocũque modo ſpectatam, atque in eorum caſtra concedo, qui vniuerſam impiorum hominum multitudinem, & bonos perſequentium colluuiem interpretantur. Quam ſententiam amplectitur Auguſtinus, ac clariſſimis verbis docet.

Enarrat. in pſ. 61 & lib. 20 de Ciuit. Dei cap. 9. Aretas in Apocal.

Sanè Aretas, quamquam homo Græcus, & ſchiſmate implicatus, Romam Babylonem intelligi non poſſe, vt nec aliam vllam peculiarem Vrbem, commentarijs in Apocalypſim docet, & eſt hoc aduerſùs aduerſarios ineluctabile argumentum. Conſtat eo modo accipiendum Babylonem, quo ſit accipienda Hieruſalem, quam ei eo ipſo Apocalypſeos libro opponit Spiritus Sanctus: namque contrariorum eadem eſt ratio, atqui certò certius eſt Hieruſalem, non vnam certam Ciuitatem intelligi, ſed bonorum omnium, qui vmquam fuerunt, vel erunt, innocentiſſimum cœtum, quem Auguſtinus Ciuitatem Dei vocat; Igitur nec Babylon vnam certam Ciuitatem ſignificat. Atque eſt hoc rursùs aduersus Spalatenſem inextricabile argumentum. Verba illa Apocalypſeos: *Cecidit, cecidit Babylon,* quibus Romę vltimum exitium minitari Angelum contendit, quo omninò ſit abolenda, primùm de veteri Babylone dicta ſunt, ac penè omnia Apocalyſeos vaticinia, quibus Babylonis, & purpuratæ meretricis ruina prædicitur ex Eſaiæ, Hieremiæ, & Ezechielis vaticinijs, quod noſtrorum interpretum neminem aduertiſſe, quod ſciam, mirari ſubit, hauſta ſunt, & deprompta; ſic enim apud Iſaiam de Babylone per Medos, & Perſas euertẽda. *Cecidit, cecidit Babylon,* immò caſum eius miraculo, & ſtupori ſibi fuiſſe aſſerit Deus, aut Prophetæ, vt interpretatur Hieronymus: *Babylon dilecta mea,* inquit, *poſita eſt mihi in miraculum.* Dixerat verò etiam ſuprà Propheta, onus Babylonis inclamans. [Erit Babylon illa glorioſa, in regnis inclyta, ſuperbia Chaldæorum, ſicut ſubuertit Dominus Sodomam, & Gomorrham, non habitabitur, vſq; in finem, & non fundabitur vſque ad generationem, & generationem, nec ponet ibi tentoria Arabs, nec Paſtores requieſcent ibi. Sed ibi requieſcent beſtiæ, replebuntur domus eorum draconibus, & habitabunt ibi ſtruthiones, & ſyrenes in ludibrijs voluptatis. Quæro igitur à Spalatenſi, num poſt hoc Babylonis excidium prædictum, poſt captam, & direptã Babylonem à Medis, & Perſis, Vrbs ampliùs non fuerit Babylon, num etiam hodie non extet? Certè florentiſſimam fuiſſe poſt acceptam à Medis, & Perſis cladem, hiſtoriæ loquuntur. Itàque implendo Oraculo ſufficit vaſtatam fuiſſe, prioribus ornamentis nudatam, & in alium iàm ſtatum commutatam fuiſſe. Cùm igitur non minores clades à Vuandalis, & Gothis acceperit Roma, quàm à Perſis, & Medis acceperit Babylon, an aliquid deeſſe videbitur firmando Oraculo, quod cecidiſſe eam ſignificat, an non priore illo ſtatu florentiſſimo excidiſſe, cecidiſſe eſt? Et prætereà conſtat veterem Romam planè abolitam, & extinctam, ac veluti in nouam Vrbem veteres migraſſe colonos: fruſtrà enim iàm Romæ, niſi in ruderibus Roma quæritur. Immanior ergo ſic Spalatenſis, qui poſt tot ſuperba ædificia diruta, poſt tot templa ſolo æquata, poſt tot altaria effoſſa, tantam potẽtiam extinctam, poſt incenſas tot Heroum domos, poſt expilatas tot opes, poſt tantum cruoris effuſi, poſt diſſipata omnibus terrarum locis pulcherrimi Imperij membra atrociores adhuc vindictas ſpiret, nec adhùc ſatis flagellatam Romam putet. Quod verò attinet ad *purpuratæ meretricis* nomen, haudquaquam, quod indocti, & hæretici ſomniant, illo epitheto noſtrorum Cardinalium amictus notatur: ſed alludit Hieronymus ad Imperatorum, & Magiſtratuum Romanorum purpuram; namque purpura antiquitùs erat inſigne Romanorum Magiſtratuũ, in vſuque erat Imperatoribus, Regibus, ijſq; qui apud Principes cæteris dignitate anteirent. De Magiſtratibus extat illud Martialis:

Diuiſit noſtras purpura veſtra togas.

Et norunt Docti dictam etiam purpuram Megalenſem, quòd ludi Megalenſes Dijs magnis, potiſſimùm verò Matri Deorum conſecrati, olim celebrati ſint Romæ, Magiſtratibus purpuratis in toga, atq; prætexta. Itàque Hieronymus *purpuratam Meretricem* Romam vocat, à purpura Imperatorum, & Magiſtratuum. Quod autem, vt ad Spalat. reuertamur, vrget, *nondùm impletas Prophetias, quæ excidium Romæ minentur, quòd adhùc non ceciderit Roma, cùm tamen dictum ſit: Cecidit Babylon,* etiam noſtram ſententiam firmat, & præterea, qui Romam Ethnicam intelligunt, reſpondere poſſunt, cecidiſſe *Babylonem*, quòd Roma priſtino ſtatu ſuo omninò exciderit, Imperioq; quod diù continuit, ſpoliata fuerit; quibus addi poteſt, ampliùs ſepticollem non eſſe, quò Sectarij *ſeptem Reges, & ſeptem montes, & ſeptem capita* perperam referunt: namque populus Romanus non iàm in ſeptem collibus habitat, ſed in campo Martio ſuas ſedes habet. Sed de his plura alibi, nec cum omnibus Spalatenſis monſtris hic luctari animus nobis eſt. Sed & quæ ex ſuo cerebro aduersùm perpetuò duraturam Eccleſiam Romanam profert, adeò ſunt abſurda, vt refutatione non indigeant. Locus ex Epiſtola poſteriore ad Theſſalonicenſes, de diſceſſione primùm ventura, quam Imperij Romani diſſolutionem ioterpretatur, adeò obſcurus viſus eſt Auguſtino, vt quid voluerit dicere, Auguſt. ſe neſcire ſit profeſſus.

Sed quàm facetus eſt Spalatenſis, in enumerandis decem Regibus, quos Antichriſto operam ſuam locaturos, ac poſtmodùm repudiata eius obedientia Romam euerſuros, Apocalypſis loquitur: Scilicèt potentiſſimos Reges Franciæ, Hiſpaniarum, Luſitaniæ, Angliæ, Daniæ, Germaniæ, Hungariæ, & Poloniæ, vtriuſque Siciliæ, Principes Italiæ, quos vnum Regem facit, indignis modis traducit, maieſtatemque eorum violat, membra Antichriſti, & beſtiæ, atque purpurati ſcorti procos illos deſcribens. Et auſus erat dictis Reges, laceſſere Therſites. Sed quàm vitioſa collectione; namque primùm Luſitaniam, & vtramque Siciliam ad vnum Hiſpaniarũ Regem pertinere haud obſeruat, Imperatorem Regem Hungariæ eſſe non aduertit, ac præterea Principes, & Potentatus Italiæ, vt loquitur, prodigioſo exemplo, pro vnico Rege numerari poſſe aſſeuerat; ità

Spalat. n. 56.

Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis.

Vt emiſſarios ſuos cogat, qui Romam funditùs

Iſa. 21. v. 9. & 4 cap. 13. v. 19.

tùs euertant; Mihi certè Elleboro purgandus videtur, potiùſquam refellendus.

Spalat n.30. Sed inſtat Spalatenſis: *Quomodò ergo*, inquit, *ſermo hic ad Romanam Ethnicam poteſt pertingere? Fuit beſtia, & non eſt.*

Ad primum reſponderent, qui Romam Ethnicam intelligunt fuiſſe beſtiam,& non eſſe, quia vt dicebamus florentiſſimo ſuo ſtatu excidit magna conuerſione, tùm in Vrbe, tùm in Imperio facta;ſic in eodem libro Apocalypſeos ait ſacer Euangeliſta: *Vidi Cœlum* Apocal. 21. *nouum, & terram nouam, prius anim Cœlum, & prior terra iam abijt*: quòd nimirùm tum Cœlum, tum terra in alium ſtatum iudicij tempore promouenda ſint, non quòd planè ſint deſitura.

Ad ſecundum,ex hiſtorijs conſtat omninò,veterem Romam fœderatos habuiſſe multos Reges, quorum opera vteretur ad potentiam augendam, & parentis eloquentiæ pro Rege laborantis vox eſt:*Semper Regium nomen in hac Ciuitate ſanctum fuit, ſociorum verò, & amicorum, ſanctiſſimum*. Quod attinet ad illa verba, *Exite de ea populus meus, vt ne participes ſitis deliŝtorum eius, & de plagis eius non accipiatis*.

Quæ etiam obijcienda cenſuit Spalatenſis, reſpondit Auguſtinus vnà cum reliquis Orthodoxis in collatione Carthaginenſi, id à bonis præſtari,non corporali ſegregatione, ſed ſpirituali vitæ diſſimilitudine, & morum diuerſitate. [Eo modo, inquit, obediunt boni præcepto Dominico, quo ait diſcedite, indè & immundum ne tetigeritis: Nàm, inquit Auguſtinus, qui hoc non ſpiritualiter obſeruandum putant,arrogantia vanitatis in illud incidunt,quod per eundem Prophetam deteſtatur dicens, Qui dicunt, noli me tangere, quoniam immundi ſunt, hi fumus indignationis meæ.]

Quod verò opponit Spalatenſis, Anſelmum,locum Apoſtoli, *qui tenet nunc teneat,donec de medio fiat*, intellexiſſe de ſancta, & neceſſaria ſeparatione;ſeparatione inquam corporali, qua Eccleſiæ à Romano Pontifice deficiant, ob iniquitates Eccleſiæ Romanæ, coniectura eſt, nullo Scripturarum, aut Patrum præſidio fulta, & ſupra Spalatenſis diſceſſionem ab Apoſtolo prædictam, communi Sanctorum interpretatione Imperij diſſolutionem, & diſſipationem ſignificare aſſeuerabat.

Spalat.n.28. Neque verò Anſelmus vir ſanctiſſimus,& innocentiſſimus, Eccleſiæ veræ Catholicæ filijs perſuaſiſſet vmquam, quod facere molitur Spalatenſis, vt ab Eccleſia Romana refugerent, & ſanctam Sedem, pro qua ille tot ſubijt labores, deſererent, ac præterea mores attingit, non doctrinam, quod etiam facit

Spalat.n.32. Hieronymus, de quo rursùs nobis dicendum. [Eccleſiam profectò Romanam,inquit Spalatenſis, Hieronymus Babylonem vocauit; & meretricem purpuratam, & ollam à facie Aquilonis ardentem: Eccleſiam, inquam, non Vrbem; quia Babylonis Senatum, hoc eſt, viros Eccleſiaſticos, Senatum vocat Phariſæorum, & imperitororum, quæ aduersùs

Hierem. 1. ipſum coniurauerat; Coniurauerant autem Clerici, non Curia Cæſaris Capitolina. Et hanc ipſam factionem vocat ollam ardentem. Ex eadem Apocalypſis Prophetia alibi idem Hieronymus, miſerandum eidem Romanæ Eccleſiæ interitum aſſerit imminere: Lege, inquit ad Marcellam, Apocalypſim Ioannis; Hier.ep.17. & quid de muliere purpurata, & ſcripta in eius fronte blaſpemia, ſeptem montibus, aquis multis, & Babylonis cantetur exitu, contuere. Exite, inquit Dominus, de illa populus meus; & ne participes ſitis delictorum eius, & de plagis eius non accipiatis, Fugite de medio Babylonis, & ſaluate vnuſquiſque animam ſuam: cecidit Babylon magna; & facta eſt habitatio dæmonum, & cuſtodia omnis ſpiritus immundi. Et quamuis excipiat, ſeparetque ibidem Hieronymus ſacra à profanis; in ipſis tamen rebus Eccleſiaſticis, & ſacris, iam tum videbat, neſcio quid Babylonicum redolere:Eſt quidem ibi,inquit, ſancta Eccleſia, ſunt trophæ Apoſtolorum, & Martyrum; eſt Chriſti vera confeſſio, eſt ab Apoſtolo prædicata fides; & gentilitate calcata, in ſublime ſe quotidiè erigens vocabulum Chriſtianum. Sed ipſa ambitio potentia, magnitudo Vrbis; videri, & videre; ſalutari, & ſalutare; laudare, & detrahere, vel audire, vel proloqui, & tantam frequentiam hominum ſaltem inuitum videre, à propoſito Monachorum, & quiete aliena ſunt. Indicat mores ſeculares, inter Chriſtianos quoque, & Religioſos, iam tum inualuiſſe. Neque negat eidem Ciuitati,quantumuis tunc Chriſti confeſſione, & deuotione ſatis celebri, vltimum exitium ex Apocalypſis Prophetia imminere: & de illa audiendum eſſe ait, cecidit, cecidit Babylon magna, futuramque dæmonum habitationem, indèque lapſu irreparabili caſuram. Quamuis pœnas haſce ei imminentes eam vitare poſſe aſſerat: ſi Niniuitarum inſtar ad pœnitentiam confugiat. Maledictionem, inquit, quam tibi Saluator in Apocalypſi comminatus eſt,potes effugere per pœnitentiam, habens exemplum Niniuitarum.]

Ad primum reſpondeo, Hieronymum ſubiratiorem Clericis Romanis, qui mortuo Hier. adu. Iouin.l.2 in fine. Damaſo Pontifice ſanctiſſimo, & Hieronymi amantiſſimo, eius ſcripta mordere, ac reprehendere auſi eſſent, eis Babylonios mores tribuiſſe, nimirùm, quòd inuidia, & odio flagrantes, quaſi coitione facta, illum perdere ſtatuiſſent. Eorum itàque cauſa in Vrbem, quam incolerent, inuehitur, *Babylonemque* vocat, ac *purpuratam meretricem*, ſcilicet alludens ad priorem ſtatum Vrbis Romæ, cùm nondùm ſcriptam in fronte blaſphemiam aboleuiſſet, quòd nimirùm illorum, vt vocat, Phariſæorum mores, potiùs Babylonis incolas referrent, quàm Eccleſiæ miniſtros; vnde & eam factionem *Ollam à facie Aquilonis ardentem*, vocat: ſed hæc ad peccata pertinent, & vitia hominum, non verò ſacrum miniſterium attingunt.

Et vt intelligas, de Vrbe illi ſermonem eſſe, non de Eccleſia, Babylonem dicit, in qua *iure Quiritum viueret*;atqui non in Eccleſia, ſed in Vrbe Roma *iure Quiritum* viuitur: item *Romuli, & ludorum lupercalium*, & eius loci meminit,*qui fratris genuit paricidam*, quæ omnia, nemo eſt tam cœcus, qui non videat, non ad Eccleſiam, ſed ad Vrbem pertinere. De loco epiſtolæ ad Marcellam,diximus ſuprà, ac oſtendimus, idcircò *Babylonis* memi-

niniſſe, & *purpuratæ meretricis*, cùm Roma Hieroſolymam accerſeret Marcellam Monachoeum inſtitutum profeſſam, vt ſignificaret, magnam Vrbem confuſionis plenam minùs commodam eſſe propoſito, quod illa eſſet amplexata; quippè in qua ſeſe efferret aobitio in illa hominum frequentiâ, quæ etiam inuitos profanis congreſſibus implicaret. Exitium verò illi imminere, niſi exemplo Niniuitarum pœniteat, prædicit, peccata hominum notans, non auctoritatem Eccleſiaſti-

Spalat. n. 33. cam conuellens: [At, inquit Spalatenſis, ſi Roma adhùc Imperatores haberet, quaotumcumque Chriſtiauos, vt erant tempore Hieronymi, cauſam excidij Romani fortè tribueremus iniquitatibus ipſorum Imperatorum, & Curiæ, ac ſecularium prorsùs mundanè viventium, & regentium, ipſis enim, vt patet, Hieronymus, excidij futuri cauſam, putauit eſſe tribuendam: cùm tamen iam Roma non ſit ampliùs Imperatorum, nec ſecularium, ſed tota Eccleſiaſticorum, & Curiæ Eccleſiaſticæ, quis non videt è ſacrario ipſo malum erumpere? Et meretricium Romæ, non in regimine Imperiali, ſed in Eccleſiaſtico exercendum? Paulinus quoque ruinam Romanam in Apocalypſi prædictam ex Curia Imperiali, & ſecularibus orituram exiſtimauit, ait enim, poteras Roma, intentas tibi illas in Apocalypſi minas non timere, ſi talia ſemper ederent numera Senatores tui.]

Reſpondeo, & Eccleſiæ Miniſtros ſuos habere nænos, ſua peccata, ob quæ in Vrbem deſæuiat ira diuina, adeòque in ipſos Miniſtros ſceleribus contaminatos, iuxtà illud, *A ſanctuario meo incipite*, Sed oraculum eſt

Pſal. 88. diuinum: *Si dereliquerint filij eius legem meam, & in iudicijs meis non ambulauerint, &c. viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum, miſericordiam autem meã non diſper-*

Spalat. eod. num. 33. *gam, &c.* Rectè verò Paulinus *conijciebat ex*

Apocal. 18. *Imperiali aula, & ex ſecularibus ruinam Romanam orituram*, quòd nimirùm, clades, quas accepit, & quibus penè tota eſt deleta: idcircò

Apocal. 17. ei euenerint, quòd, vt eſt in Apocalypſi, *peruenissent peccata eius vſque ad Cælum: & recordatus Deus peccatorum eius, eam perdere ſtatuiſſet*. Quare, in eadem Apocalypſi dicitur: *Et Babylon magna venit in memoriam antè Deum, dare illi calicem vini, in die indignationis iræ eius*. In memoriam venit, quia veterum eius ſcelerum, ideſt, cultus idolorum, immanium ſuperſtitionum, ſæuitiæ, & crudelitatis in Martyres recordatus, pœnas de ea ſumere ſtatuit, reliquijs impietatis, & ambitionis adhùc in ea graſſantibus.

Sic poſt multa ſecula ſanguinem ſeruorum ſuorum, qui Hieroſolymis effuſus fuerat, vltus eſt Deus, Quod attinet ad nomen *filiæ Babylonis*, Cardinalis Baronius ponderans verba Paulini, de filia Babylonis, quam Romam intelligit, hæc habet: [Quam, inquit, Vrbem, cùm ſic nominet filiam Babylonis, vt tamen in pluribus dicat, eam præ ſe ferre filiam Sion, facilè puto, intelligit, ea nominis vnius Vrbis varietate diſcriminatos eſſe Gentiles à Chriſtianis; nimirùm, vt ea ex parte Roma Babylon, dicatur, vbi adhùc in ea Gentilitia vigeret impietas, Sion autem in pluribus, vtpotè quæ Chriſtianis abundaret, in quibus cultus Religionis verè micaret.]

Heribertus verò Roſueydus curioſus antiquitatis indagator, qui vnà cum noſtro Frõtone Ducæo altero Societatis Ieſu nobili ornamento, Paulinum commentarijs illuſtrauit, aliò nomen filiæ Babylonis refert: [Exiſtimo, inquit, potiùs Romam hoc tempore dictam Paulino Babylonem, vti & Hieronymo, ratione turbarum, & illecebrarum, quarum Romæ magna erat copia, cùm Hieroſolymis quies eſſet, vt clarè hic Paulinus. Ità Hieronymus epiſtola 17. ad Marcellam, quam nomine Paulæ, & Euſtochij conſcripſit; vt eam Roma Hieroſolymam euocaret, proponit ei tumultus Vrbis. Idem facit epiſtola 18. quam ſuo nomine ad eandem Marcellam ſcribit.]

Sed quocunque ſenſu accipiantur illa verba, faciunt ſequentia ad laudem Vrbis Romæ; [Quia iam, inquit Paulinus, & ipſa Vrbs in pluribus filia Sion eſt, quàm filia Babylonis, & ideò miratur in humilitatis obſcuro, & veritatis luce viuentem (Mileniam intelligit) & fidei incitamenta diuitibus, anguſtiarum ſolatia pauperibus miniſtrantem.]

Cæterùm Paulinus apertum diſcrimen ponit inter filiam Babylonis, & filiam Sion, nec vmquam filiam Sion in Babylonem euaſuram dicit. Per *filiam Babylonis* ſceleratos quoſcunque Romæ agentes intelligit, per *filiam Sion* autem probos quoque, & pios, & religioſos, quos audituros dicit: *Exite de ea popule meus*, vt ſcilicet, quod monebamus ex Auguſtino, *ſpiritualiter* ſeparentur, nec ſe contagione ſceleris improborum, aut polluant, aut implicent, non verò vt corpore etiam eam deſerant.

Sed quàm lepidus eſt Spalatenſis, & ſuauis concionator, qui Eccleſiam Romanam adhortetur, vt priuatui nuntium remittat, quo iram Dei effugiat, quam in procinctu eſſe, eique imminere vaticinatur.

Leuis, & vecors homo! Sed te ſiſto, pie, & cordate lector, an non meminiſti Verborum Chriſti, hypocritam pingentis, qui feſtucam in alieno oculo videat, trabem verò in ſuo non deprehendat? Iſte diſertus monitor priora Apocalypſeos capita, quæ ad eum pertinerent, quippè in quibus improborum Epiſcoporum mores notantur, præteruolauit; nec ſibi dictum aduertit, quod eſt ſcriptum Angelo, hoc eſt, Antiſtiti Sardicenſi, *Nomen habes, quòd viuas, & mortuus es, pœnitentiam age*. Illud quoque Laodicenſi reſcriptum: [Et Apocal. 3.
Angelo Laodiceæ Eccleſiæ, ſcribe: Hæc dicit, Amen, teſtis fidelis, & verus, qui eſt principium creaturæ Dei: ſcio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus; vtinam frigidus eſſes, aut calidus, ſed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo, quia dicis: quòd Diues ſum, & locupletatus, & nullius egeo: & neſcis, quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cœcus, & nudus.]

Ac ſibi in poſterioribus capitibus, quæ inuolucris plena in peruerſum ſenſum aduerſùs Eccleſiam trahi poſſunt, acquieſcendum ſibi putauit, & figuris ludens, fræna linguæ laxauit, vt tum Eccleſiam Romanam, tum Pontificem, tum reliquos Eccleſiæ ordines affligeret, ac perderet. *Hypocrita eijce primùm trabem de oculo tuo*.

DISCVSSIO

QVARTI CAPITIS

LIBRI QVARTI.

CONSPECTVS CAPITIS.

Conſtantinopolitanorum Antiſtitum ambitus, occaſionem præbet Mahometanis inuadendi nobiliſſimi Imperij, eos tamen excuſare conatur Spalatenſis, totamque afflicti Chriſtiani Orbis cauſam in Eccleſiam Romanam confert: Vt Conſtantinopolis veterem Romam potentia æquauerit, tamen Primatum Eccleſiaſticum ſibi vendicare non potuit: Gelaſij, & Leonis: Furtiuus Canon Conſtantinopolitanus, à Spalatenſi citatus, examini ſubiectus: à Cyzicenis Epiſcopis repudiatur Cyzicus Metropolis: Theophili Alexandri Patriarchæ factum expenditur: Legatorum Pontificiorum aduersùs hoc decretum exceptiones: Baronius defenſus: Suſpicio fraudis in publicatione Canonis: Numquam permiſſum Canones ſancire Eccleſiæ præter ſententiam Pontificis: In præiudicium Alexandrini Concilij conditus: Eius promulgatione violati Canones Nicæni: Eius cauſa plures à Romano throno, & Antiocheno Diœceſes auulſas: Concilium primum Conſtantinopolitanum beneficio Pontificis Oecumenicum: Eius Canon in gratiam Antiſtitis Conſtantinopolitani cuſus, à Pontificibus exploſus: In Concilio Chalcedonenſi ſanciri non potuit illud decretum: Vitia decreti Chalcedonenſis, non Concilij, ſed Clericorum Conſtantinopolitanorum opera inuectum: Hoc fatetur Anatolius: Hora minùs appoſita editus Canon, & abſentibus Legatis Pontificibus: A ſolis Antiochenis, & Conſtantinopolis circumuicinis Epiſcopis procuſus, qui Epiſcopi adduci potuerunt, vt ſubſcriberent: Duæ ab eis corruptelæ in Canonem Conſtantinopolitanum inuectæ: Euſebij Doryl æi impoſtura: Leo hunc Canonem ſemper auerſatus eſt: Ne publicetur, intercedunt Legati Pontificis: Eum obliterat, ac damnat Leo: Anatolij fraudes pro eo extorquendo, quem tandem ſui delicti pœnitet: Haud citrà fraudem Chalcedonenſibus inſertum furtiuum decretum: Soluuntur obiectiones pro vſu, & praxi Canonis: Pontus, & Aſia antè Chalcedonenſem Synodum ad Conſtantinopolitanum Epiſcopum non pertinuerunt: Quamquam in eas Prouincias aliquando inuolarunt: Legem ſanciendo Canoni per fraudem à Theodoſio Atticus extorſit: Cyzicenorum factum rursùs expenditur: Aliæ Spalatenſis obiectiones depelluntur: Leo contra Spalatenſis calumnias defenſus: Patribus Chalcedonenſibus Pontifex Caput Eccleſiæ, iure diuino: Hormiſdas Pontifex declaratus: De Epiphanio Epiſcopo Conſtantinopolitano: Temporum iniuria, & Imperatorum fauore in ſecundi Patriarchæ locum inuaſit Antiſtes Conſtantinopolitanus: Primatus Pontificis de iure diuino: Nugæ Spalatenſis in ſoluendis noſtrorum argumentis detectæ, & profligatæ: Leo Imperator precibus Leonis adductus Eccleſiæ Alexandrinæ proſpicit: Gelaſius propugnatus contra magnitudinem Vrbium: Gregorij moderatus animus, nihil tamen de dignitate remittit: Græcorum de Primatu Romano falſa vaticinia: Eccleſia Conſtantinopolitana Romanæ ſemper ſubiecta.

Spalat. n. 1.

TRES dumtaxat Patriarchales ſedes in toto Romano Chriſtiano Orbe agnouit Antiquitas; quia tres dumtaxat fuerũt in Romano Imperio adoleſcente Eccleſia, Vrbes maximè inſignes, & dignitate ſeculari celeberrimæ: vt oſtendi lib. 3. cap. 10. Romana, Alexandrina, Antiochena, cùm nondùm Byzantium fuiſſet imperij ſedes, & noua Roma. Poſtquam verò Byzantium facta eſt Conſtantinopolis, & noua Roma, Imperijque Romani ſedes; ſicut æquum fuit, ità, & placuit Patribus Concilij primi Conſtantinopolitani Oecumenici, Conſtantinopolitanam Eccleſiam erigere in Patriarchalem, & Patriarchalibus priuilegijs exornare; proximumque poſt Romanam dignitatis locum, ſupra alias duas, ei tribuere; & conſequenter primum locum dignitatis, inter Eccleſias omnes Orientales illam habere voluerunt, idque huiuſmodi data Canone ſanxerunt: Conſtantinopolitanæ ciuitatis Epiſcopum, habere oportet Primatus honorem poſt Romanum Epiſcopum, propterea quòd ſit noua Roma. Priùs enim Byzantius Epiſcopus, ſi Gelaſio credimus, ne Metropolitanus quidem erat; ſed Heracleenſis Metropolis Suffraganeus. Quanquam ipſa Byzantina Eccleſia Apoſtolicam Sedem ſe habere ſoleat gloriari: Cui, ſiue Petrus primos dederit Epiſcopos, ſicut Alexandriæ, vt contendit Baronius ex quadam Agapeti epiſt. in 5. Synodo generali lecta, ſiue Andreas, primus eam fundarit Eccleſiam, vt Græcorum volunt hiſtoriæ in Menologio, & vterque Nicephorus Conſtantinopolitanus in ſuo Chronico, & Caliſtus in ſuæ hiſtoriæ lib. 8. cap. 7. Vnde & Sergius Patriarcha, in ipſa ſui promotione ad Conſtantinopolitanam Sedem, preces Theodori Syceotæ poſtulabat, vt diuina gratia Epiſcopatu, & Apoſtolica Sede dignus efficeretur. Neque verò negare poſſumus Conſtantinopolim, poſtquam Sedes Imperialis facta eſt, ad maximam celebritatem, & poteſtatem deueniſſe, & Romana Vrbe iam depreſſa, ſupra illam plurimùm caput extuliſſe. Nazianzenus ſanè de Byzantio ait: Quæ nunc ciuitas in Europa præcellit vniuerſa. Et: Ciuitatem Orienti præſidentem, vocat idem. Magnam, Regiam, Vrbem, primam ciuitatum vocant Monachi Orientales ad Agapetum ſcribentes. In ea totius Orbis populi aderant: Ac proindè, ſicut priùs Romana, dum eſſet, & nomine, & re Caput Orbis, ipſum Orbem inſtruebat in fide, vt ſuprà conſiderauimus; ſic poſteà fecit Eccleſia Conſtantinopolitana: Magna reuera ciuitas, inquit Chryſoſtomus, ac totius Orbis Metropolis: Quot Epiſcopi, quot Doctores huc venerunt, & à populo docti diſcedunt, ac legem illam non ſcriptam, ſed cordibus inſitam, hìc diſcunt? Iam enim, inquit Sozomenus, non modò hanc appellationem (nouæ Romæ) Vrbs ea adepta erat, Senatuque, & ordinibus, & Magiſtratibus conſimiliter vtebatur; verùm & inſignia quoque eadem Romano ritu præferebat, & iura pariter, atque honores vtrimque in omnibus congruebant. Hæc ſanè Patres illos permouerunt, vt Patriarchali, & honore, & officio in paritate cum ipſa Roma veteri ipſam Conſtantinopolim decorarent. Ea profectò vſi ratione, vt ipſimet innuunt in ſuo Canone, & explicat in parte Sozomenus; nimirùm, quandoquidem Roma vetus propter dignitatem dumtaxat Imperialem in ea reſidentem, habuit ſuum Epiſcopum Patriarchali ſumma dignitate Eccleſiaſtica, cum tot priuilegijs, & prærogatiuis eminentem, cùm iam Conſtantinopolis ad eandem Imperialem peruenit dignitatem, cum omnibus Imperialis reſidentiæ ornamentis, par omninò eſt, vt ipſa quoque habeat ſuum Epiſcopum, Epiſcopo Romano in omnibus priuilegijs, & prærogatiuis æqualem. Et ità reuera magnum illud Concilium Oecumenicum totam Romani Pontificis præeminentiam, ab ipſa ſola Imperialis ciuitatis dignitate profectam cognoſcit, & profitetur. Indèque iam parem voluit eſſe Romano Conſtantinopolitanum, in dignitate, humaniſque priuilegijs, & prærogatiuis.

Apud Suriũ die 22. Apr. in Theod.

Naz. orat. in Iun. Cæſ.

Apud Stobæũ ſer. 10.

VErè omninò à Timone illo hominum exoſore, *ſtoicheia ton cacon einai apliſtian caì philodoxian: elementa malorum eſſe inſatiabilitatem, & ambitionem*, pronunciatum fuiſſe, vel Antiſtitum Conſtantinopolitanorum exemplo docetur, quorum ambitione factum ſit, vt penè regno ſuo exciderit Chriſtus, & ampliſſimo Orbis terrarum patrimonio ſpoliatus fuerit; ſiquidem dum æquari Romano Pontifici per fas, & nefas contendunt, diſſidia que, ac ſchiſmata in Eccleſia ferunt; occaſionem præbent Mahometanis inuadendi nobiliſſimi Imperij, totoque Oriente Eccleſias populandi, ac pulcherrimi Imperij membra diſſipandi. Sceleſtas eius cupidines accendit, & inflammauit Vrbis ſplendor; in qua cùm rerum Domini Imperatores regnarent, ſedemque Imperij feciſſent par quoque illis exiſtimarunt ad eam ſummam rerum Eccleſiaſticarum ſaltem toto Oriente reuocari, vt eius Epiſcopus Oecumenicus etiam diceretur. Hinc tot Orientis clades, hinc totius ferè Orbis Chriſtiani exitium, & veluti fatalis ruina, vt mirari ſubeat, repertum, qui improbos illos conatus, quos ambitio rerum humanarum, & diuinarum pernicies, flamma, & peſtis ſuaſiſſet, ſuggeſſiſſet, ac perſuaſiſſet, defenderet: ac etiam in Cœlum laudibus extolleret, vt innocentes tot cladium inuidia oneraret. Id tamen odiorum in Pontificem rabie accenſus præſtitit abundè Spalat. ſuſcepto Conſtantinopolitanorum Antiſtitum patrocinio: toto enim hoc capite cauſam illorum agit, Pontifices etiam ſanctiſſimos lacerat, in his Leonem, & quid non molitur? vt afflicti Orbis Chriſtiani culpam in Eccleſiam Romanam totam conferat. Rem igitur ab ouo repetit, & vt ambitum Conſtantinopolitanorum propugnet, craſſiſſimum mendacium fundamenti loco ponit, atque vnam Vrbis dignitatem Romæ Primatum aſſeruiſſe contendit, vt ſcilicèt tranſlati ad ſe Imperij iure, Conſtantinopolis parem ſibi omninò auctoritatem vindicare, & potuerit, & debuerit; ſed hoc putidum commentum in ſuperioribus refellimus. Sit igitur Conſtantinopolis poſtquam Imperij Sedes facta eſt, ad maximam celebritatem, vt contendit Spalatenſis, euecta, anti-

Greg. Naz. Carm. de vita ſua. tiquam Romam potentia, & maieſtate æquauerit, ac meritò cecinerit Nazianzenus:

Natura binos haud quidem ſoles dedit:
Dedit ipſa binas attamen (mundi faces)
Romas, vetuſtam ſcilicèt, Romam, & nouam.

Rurſùs *ciuitatem Orienti præſidentem* vocarit, ac *magnam Regiam Vrbem*, *primam Ciuitatum Orientis*, Monachi nuncuparint, ipſeque Chryſoſtomus *magnam reuera ciuitatem*, *ac totius Orbis Metropolim dixerit*. Quid hæc ad Primatum Eccleſiaſticum ei aſſerendum, aut conciliandum faciant? An ſeculari potentiæ iura ſubſternuntur diuina? An ab illa pendent, aut ab ea vim conſequuntur? Riſit hanc Græcorum vanitatem in Acatio magnus Epiſt. ad Epiſc. Dardaniæ. Pontifex Gelaſius: [Riſimus autem, ait, quòd prærogatiuam volunt Acatio comparari, quia Epiſcopus fuerit regiæ Ciuitatis. Nunquid apud Rauennam, apud Mediolanum, Sirmium apud Treuiros, multis temporibus non conſtitit Imperator? Nunquidnam harum Vrbium Sacerdotes, vltrà menſuram ſibimet antiquitùs deputatam, quippiam ſuis dignitatibus vſurparunt? &c.]

Et rurſùs: [Si certè de dignitate agitur ciuitatum, ſecundæ Sedis, & tertiæ maior eſt dignitas Sacerdotum, quàm eius ciuitatis, quæ non ſolùm inter ſedes minimè numeratur, ſed nec inter Metropolitanorum iura cenſetur, nam quod dicitis regiæ ciuitatis, alia poteſtas eſt regni ſæcularis, alia Eccleſiaſticarum diſtributio dignitatum. Sicut enim quamuis parua ciuitas prærogatiuam præſentis regni non minuit, ſic Imperialis præſentia menſuram diſpenſationis religioſæ non mutat. Sit clara Vrbs illa poteſtate præſentis Imperij, Religio tunc ſub eadem firma, tunc libera, tunc prouecta conſiſtit: Si potiùs hoc præſente propriam teneat, ſine vlla perturbatione menſuram.]

In ipſo etiam æſtu concertationis, cùm Anatolius ſecundum à Romano Pontifice locum ſibi aſſerere Martiani Imperatoris auctoritate eniteretur, planè ſimilia ad pijſſimum Leo ep. 54. Ad Martia. Auguſt. Imperatorem perſcripſit Leo: [Habeat, inquit, ſicut optamus Conſtantinopolitana ciuitas ſuam gloriam; at protegente dextera Dei, diuturno clementiæ veſtræ fruatur Imperio. Alia tamen eſt ratio rerum ſæcularium, alia diuinarum, nec præter illam petram, quam Dominus in fundamento poſuit, ſtabilis erit, vlla conſtructio. Propria perdit, qui aliena concupiſcit. Satis ſi prædicto, quòd veſtræ pietatis auxilio, & mei fauoris aſſenſu Epiſcopatum tantæ Vrbis obtinuit. Non dedignetur ciuitatem, quam Apoſtolicam non poteſt facere ſedem, nec vllo ſperet modo, quòd per aliorum poſſit offenſiones augeri.]

Sed inſtat Spalatenſis, & furtiuum, ac ſubdititium canonem profert, quo ſe tueatur, probetque ſplendorem ciuitatis Conſtantinopolitanos Patres permouiſſe, vt depreſſis Patriarchis Alexandrino, & Antiocheno, ſecundum à Romano Pontifice locum, alijs loco Spalat. n. 1. pulſis aſſererent, ſanctionemque æquitatis Spalat. n. 2. plenam prædicat: [Sicut æquum fuit, inquit, Socrat. l. 7. cap. 28. ità & placuit Patribus Concilij primi Conſtantinopolitani Oecumenici, Eccleſiam Conſtantinopolitanam erigere in Patriarchalem, & Patriarchalibus priuilegijs exornare, proximumque poſt Romanam dignitatis locum, ſupra alias duas ei tribuere, & conſequenter primum locum dignitatis inter omnes Eccleſias Orientales illam habere voluerunt; idque huiuſmodi dato canone ſanxerunt: Conſtantinopolitanæ ciuitatis Epiſcopum habere oportet Primatus honorem poſt Romanum Epiſcopum, propterea quòd ſit noua Roma.]

Addit verò Spalatenſis: [Viſa ſunt, inquit, hæc adeò iuſta, adeòque rationabilia toti tunc Eccleſiæ vniuerſali, vt nemo inuentus ſit per octoginta fermè annos, cui decretum hoc conciliare, in tantæ Eccleſiæ decus, & auctoritatem factum, aut iniquum, ac indecens videretur; quiue illud non vt optimum, & æquiſſimum amplecteretur. Quis enim ante Leonem ei obſtitit? Et tamen aderant, cùm Alexandrinus Timotheus, tum Meletius Antiochenus, tum etiam Cyrillus Hieroſolymitanus; vt ex ſubſcriptionibus eiuſdem Concilij Patrum eſt manifeſtum, qui quia id æquum eſſe animaduertebant, tametſi ageretur de eorum præiudicio, quibus ipſe Conſtantinopolitanus præferebatur; nihilominùs tamen plenè in ipſum decretum conſenſerunt, eique ſubſcripſerunt.]

Reſpondeo, non vnum Leonem, cùm Antiſtites Conſtantinopolitani hoc canone freti caput extulerunt, reclamaſſe; verùm etiam & alios, in quos attributam ſibi poteſtatem exerere conarentur. Exemplo ſint Cyziceni, de quibus Socrates: [Mortuo, inquit, Cyzicenorum Epiſcopo, Siſinius Proclum Cyzici Epiſcopum deſignat. Quem ad illam Vrbem profecturum anteuertunt Cyziceni, Dalmatiumque Monachum Epiſcopum ordinant. Hoc ab illis factum eſt, neglecta illa lege, quæ iubet, ne quis Epiſcopus deſignetur, abſque ſententia & auctoritate Epiſcopi Conſtantinopolitani. Legem autem propterea neglexerunt, quòd Attico ſoli (vt illi putabant) nominatim auctoritatem illam concederet. Proindè Proclus cum ſuæ ipſius Eccleſiæ adminiſtrationem non obiret, in Eccleſijs Conſtantinopolis manſit: in quibus docendo permagnam laudem adeptus eſt.] Et quidem aduersùs Spalat. hoc obſeruandum ex Notitia Imperij, & alia Notitia Epiſcopatuum, Cyzicum inter Metropoles numerari.

Quare, inter ſubſcriptiones Patrum Chalcedonenſium recenſetur Diogenes Epiſcopus Metropolis Cyzici: *Diogenes Epiſcopus Metropolis Cyzici, definiens ſubſcripſi.* Sic etiam apud Curopalatem Andronicus Palæologus ſenior, Expoſitione quo ſe ordine habeant ſubiectæ Metropoles throno Patriarchæ Conſtantinopolitani. *Metropolitanus*, inquit, *Cæſareæ*, *Epheſi*, *Nicomediæ*, *Heracleæ*, *Ancyræ*, *Cyzici*, *&c.*

Infrà verò ipſe Curopalates enuncians thronos honoratiſſimos, quorum Metropolitas Principes Græci vocant. *Ancyræ*, inquit, *Princeps totius Galatiæ*. *Cyzici*, *Princeps totius Helleſponti*. Ac certè Florus Cyzicum nobiliſſimam Vrbem, ac propterea hoc honore digniſſimam deſcribit. *Cyzicum*, inquit, *nobilis ciuitas*, *arce*, *mœnibus*, *portu*, *turribuſque*

que marmoreis Vſiaticæ plagæ littora illuſtrat 1 *hanc ille* (Mithridates) *quaſi alteram Romam toto inuaſerat bello*.

Vt proindè ius Conſtantinopolirano Patriarchæ fuerit ordinandi illius Epiſcopi, ſi modò Canoni Conſtantinopolitano ſua auctoriras conſtabar. Hoc enim Concilio Chalcedonenſi, etiam ſancitur, quo renouatum Canonem Conſtantinopolitanum contendit Spalatenſis. [His, inquit, de magnæ ciuitatis loco, & honore à ſacra Synodo conſtitutis, Diœceſes quoque, Ponticam, Aſianam, Thraciam, eiuſdem vrbis imperium agnoſcere, earumque Metropolitanos Conſtantinopolitani Patriarchæ auctoritate conſtitui iubet. Sed ſolos, inquit, Metropolitanus, ne Epiſcopos quoque alios creandi ius Conſtantinopolitanus ſibi quandoque Antiſtes aſſumeret: nam id quidem, eorum Metropolitanis, quos penès anteà quoque fuerar, eſt relictum. Idcircò namque etiam verba illa in canone adiuncta, quibus ab vnoquoque Metropolitano Epiſcopos Prouinciæ ſuæ; alijs quoque adhibitis eiuſdem Prouinciæ Epiſcopis, creandos eſſe declaratur. Sed tamen earum quoque Diœceſium Epiſcopos illos, qui apud barbaras nationes degunt, quales Alani ſunt, & Ruſſi, illi quidem Ponticę Diœceſi, hi verò Thraciæ adiuncti, à Conſtantinopolitano Præſule renunciari permiſſum. Verùm ne à diuinis Patribus, quæ ad creationem Metropolitanorum pertinent, vniuerſa Conſtantinopolitani auctoritati conceſſa eſſe putarentur, vt ipſi quæcumque collibitum eſſet, pro poteſtate ſtatuere liceret idcircò, ab illo quidem, ſed conſentientibus tamen aliorum ſuffragijs, atque ad eum delatis, Metropolitanos creandos eſſe decernunt.] Quare, cum legem, qua ad poſtulationem Sinnij Theodoſius Iunior eius canonis vſum vrgeret, Cyziceni Epiſcopi repudiarint, ac morem gerere, renuerint cauſati in vnius Aeticii gratiam ab Imperatore latam, argumento eſt non obtinuiſſe canonem. Abeunt itaque in fumos, quæ ad hanc Socratis narrationem commentarur aduerſarius: ſed & Conſtantinopolitanum Antiſtitem ſecundos à Romano honores nactum non fuiſſe, ex eo validè probat Baronius, quòd Theophilus Alexandrinus, poſt editum illum canonem, ius ſibi illum ordinandi, tamquam primus Orientis Patriarchæ vendicarit, non enim ſecundus Patriarcha à tertio ordinari poterat.

Spalat. n. 21. Spalatenſis obiectionem hanc *exilem eſſe* pronunciat. [Quid enim, inquit, obſtat Primatui Conſtantinopolitano, ſi Alexandrinus, qui iam erat poſt illum proximus, prætenderet, vacante prima Sede Conſtantinopolitana, ipſius iuris eſſe Conſtantinopolitanum Epiſcopum ordinare.] Sed quid reſpondebit ad factum eiuſdem Theophili, Conſtantinopolitanum Antiſtitem, Chryſoſtomum ſcilicet, exauthorantis, ac de Sede deturbantis? Certè ſi par in parem imperium non habet, multò minus inferior in ſuperiorem; Et quod dicit Spalatenſis, *hanc prætenſionem*, vt vocat, ex ambitionis ſpiritu erupiſſe, obiectionis vim non infringit, neque de iure contendimus, ſed de facto, idque tantùm volumus, etiam Orientalibus, non agnitum Antiſtitem Conſtantinopolitanum, à Romano Patriarcha ſecundum.

Sed rursùs eo canone paſſim vſos non fuiſſe Conſtantinopolitanos, apparet, tum ex Lucentij Apoſtolici in Concilio Chalcedonenſi obiectione; [Si, inquit, hoc priuilegio vſi ſunt à tempore Concilij Conſtantinopolitani, quid nunc requirunt? Si vſi non ſunt, quid requirunt?] Tum ex verbis Leonis ad Pulcheriam Auguſtam: [Superbum nimia eſt, inquit, & immoderatum vltrà fines tendere; & antiquitate calcata, alienum ius velle præripere, atque vt vnius creſcat dignitas, tot Metropolitanorum impugnare Primatus; quietiſque Prouincijs, & olim ſanctæ Synodi Nicænæ moderatione diſpoſitis, bellum nouæ perturbationis inferre; atque vt venerabilium Patrum decreta ſoluantur, quorumdam Epiſcoporum præferre conſenſum, cui tot annorum ſeries negauit effectum. Nam ſexageſimus ferè annus huius iactantiæ eſſe iactatur, qua ſe prædictus Epiſcopus, æſtimat adiuuari, fruſtrà cupiens id ſibi prodeſſe, quod etiamſi quiſquam auſus eſt velle; nullus tamen potuit obtinere.] Spalat n. 16.

Verùm de repudiato hoc canone plura infrà: Nunc eſt Baronio ſuccurrendum, quem acerbè vexat pſeudo-Antiſtes: [Canonem, inquit, nihilominùs illum Conſtantinopolitanum de Primatu eiuſdem Eccleſiæ, poſt mille, & ducentos, ac vltrà annos, primus Baronius ſuſpicatus eſt, eſſe commentitium, & ſuppoſitum. Suſpicionem ei mouerunt hæ rationes: Prima, quòd Anatolius à Leone per epiſtolam 56. exagitatus, nequaquam ſe auctoritate alicuius canonis, à Conſtantinopolitano Oecumenico conſtituti, purgarit. Secunda ratio, quòd Epiſcopi, qui ſequenti anno Conſtantinopoli conuenerunt, in Epiſtola ad Damaſum, nullam mentionem huius canonis habuerint. Tertia, quòd Timotheum Alexandrinum Epiſcopum, in cuius præiudicium hic canon editus fuerat, hoc æquo animo ſuſtuliſſe, non ſit probabile. Quare, cùm is nihil contraxiſſe legatur, canonem de fide ſuſpectum eſſe oportet. Quarta, quòd ſuperiori, ac præcedenti canoni aduerſari videatur; adeòque fidem omnem excedat, eundem ab eodem Concilio editum fuiſſe; qua ratione quæſo, inquit Baronius, ex præſcripto Nicæni Concilij voluit ſancta Synodus, quibuſcumque Prouincijs iura ſua integra eſſe ſeruata; ſi in præiudicium aliarum Eccleſiarum, vni Conſtantinopolitanæ tanta priuilegia contulit?] Spalat. n. 5.

Suſpicio tamen, pergit Spalatenſis, leuiſſima eſt, & prudenti viro, ac in rebus eccleſiaſticis verſato indigna. Canonem enim etiam hiſtoriæ, vt verum agnouerunt, illius enim, & Socrates, & Sozomenus meminerunt. Et in Concilio Oecumenico Chalcedonenſi eiuſdem, vt Conſtantinopolitani Canonis mentio eſt; Imò & Legati Apoſtolici fatentur de hoc priuilegio Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ, mentionem in Conſtantinopolitano Concilio factam perhiberi. Et quotquot ex Romanis Pontificibus contra Conſtantinopolitanum Primatum inſurrexerunt, omnes canonem quidem vti verum, & genuinum agnouerunt, & nemo vt impoſturam eum negauit, illum tantùm, vt iniquum, & indebitum ab Spalat. n. 4.

eis

eis reputatum repulerunt. Et cur, quæſo, Eccleſia Romana Canones Concilij Conſtantinopolitani primi non admiſit, ijs ſolis exceptis, qui aduersùs Macedonium ſunt definiti, niſi quia aderat canon hic de Primatu Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ? Leo verò, Ge-
Greg. lib. 6. ind. 15. ep. 31. laſius, Gregorius, & Nicolaus, qui in Conſtantinopolitanum Primatum acriùs ſunt inuecti, de impoſtura numquam ſunt ſuſpicati; neque eſt vlla cauſa id ſuſpicandi. Ad primam rationem reſpondeo, ex his Leonis epiſtolis ſatis apparere, fundamentum totum Anatolij fuiſſe ante omnia Decretum Con-
Leo ep. 56. ſtantinopolitanum: Ait enim Leo ad eumdem Anatolium ſcribens; Perſuaſioni tuæ, in nullo penitùs ſuffragatur quorundam Epiſcoporum ante ſexaginta, vt iactas, annos facta ſubſcriptio. Quis non videt hæc ad Concilium Conſtantinopolitanum referri? Imò vt inferiùs ponetur, vnus Epiſcopus ad hoc miſſus, hoc idem Decretum Papæ ipſi Romæ intimauerat: qui illud etiam admiſerat, & approbarat. Ad ſecundam reſpondeo de prærogatiua illa noua, Patres illi ſiluerunt, quia nihil intererat Romani Pontificis, quòd Conſtantinopolitana facta fuiſſet ſecunda Sedes. Ipſi enim Romano Pontifici ſuus ordine primus locus ſeruabatur. Id tamen factum fuit conſentientibus illis, nempè Alexandrino, & Antiocheno, quorum intereat, & quibus fiebat aliquod præiudicium.]

Ea itáque ſola Romano Pontifici ſignificarunt; in quibus ad vnionem, & communionem neceſſariam ipſius, & totius Occidentis requirebatur conſenſus; hoc verò priuilegium non erat tanti momenti, vt in eo eſſet neceſſarius totius Eccleſiæ aſſenſus, modò Alexandrinus, & Antiochenus conſentirent. Ad tertiam, non contraxit Timotheus, quia de ipſius quoque aſſenſu factus eſt canon, quem æquum, & rationabilem, vt dictum eſt, planè agnoſcebat. Ad quartam reſpondeo; Eo priuilegio nullum præiudicium Nicænis Canonibus eſſe generatum, qui inter Sedes ipſas Patriarchales, nullum ordinem prioritatis, aut poſterioritatis poſuerunt; ſed vt quæque ſuis ſe limitibus coerceret, ſtatuerunt. Priuilegium porrò hoc nonniſi honoris primum locum Conſtantinopolitano Patriarchæ tribuit poſt Romanum. Et quamuis Prouincias aliquas, nimirùm Thraciæ, & Ponti, aliaſque Barbaras, quæ extrà Romanum erant Imperium, quæque iam de more, & conſuetudine à Conſtantinopolitano ordinabantur, eripuerint Antiocheno, qui iuxtà regulas Nicænas fuerat totius Orientis declaratus Patriarcha, id tamen non eſt contra
Hier. ep. 61. ipſas regulas Nicænas; quæ non vetuerunt, vt non liceat Eccleſiæ magnas Prouincias in minores partiri, & nouas erigere Eccleſias Metropolitanas; dummodò Metropolitanus quiſque in alienam non irrumpat Prouinciam, ſed intrà ſuam ſe coerceat, & Patriarcha iuribus Patriarchalibus contentus, ſibi ſubditos non turbet Metropolitanos, ſic enim can. 2. Idem Concilium Conſtantinopolitanum præmiſit, vt Thracia à Thraciæ, Pontus à Ponti Metropolitano ordinetur, licèt & Thracia, & Pontus iure Patriarchali iam Conſtantinopolitano ſubijcerentur: hoc eſt, vt ipſi Metropolitani tum Thraciæ, tum Ponti à Conſtantinopolitano ordinentur, quòd ſecundo prædicto canoni nihil repugnat.]

At pro Baronio reſpondemus, nec leues, nec vanas eſſe coniecturas; namque primùm potuit quidpiam ſimile cudi, non quidem à Concilio Conſtantinopolitano, ſed extra concilium, à Græcis omnium hominum vaniſſimis, quibus ſemper ſtudium fuit ſuam Conſtantinopolim honoribus augere, & fortaſsè per fraudem commentum ſuum pro Synodi Oecumenicæ placito, ac decreto obtruſerunt, ac inuexerunt, cuius propterea meminerint Socrates, Sozomenus, & factioſi illi, qui in Concilio Chalcedonenſi ambitioſiùs ſecundos à Romano Pontifice honores Antiſtiti Conſtantinopolitano aſſerere, per fas, & nefas moliti ſunt. Non meminiſſe verò canonis Anatolium à Leone tantoperè exagitatum, nec ab eo ſui ambitus præſidium duxiſſe, cùm contrarijs edictis premeretur, mirum omninò videri poſſit (ſi modò extabat ille canon.) Quod verò ex verbis Leonis colligit Spalat. Anatolium totius ſuæ dignitatis firmamentum in eo poſuiſſe, ſiquidem verba Leonis ad eum ſunt: [Perſuaſioni tuæ, inquit Leo, in nullo penitùs ſuffragatur quorumdam Epiſcoporum, ante ſexaginta, vt iactas, annos facta ſubſcriptio,] cauſam eius non erigit, atque recurrit illud Legatorum, *ſi eo iure iam olim potitus erat, quid attinebat*, tot tragœdias concitare, vt in conſeſſu Chalcedonenſi de ea re, etiam reclamantibus Pontificis Legatis, ſtatueretur? Nimirùm imbecillum, & infirmum decretum illud, ſeu verum, ſeu falſum agnoſcebat, cui propterea fulciendo alia eſſet opus auctoritate.

De fraude verò Euſebij Dorylæi Epiſcopi, qui Romæ conſenſiſſe in hunc canonem Leonem aſſerere auſus ſit, dicetur ſuo loco. Eccleſia verò Romana propterea exceptione vti potuit, vt ſolos Conſtantinopolitanos Canones, qui Macedonium damnarent, probaret; quòd hic canon, veluti aſſumentum quoddam, in eorum albo appareret: Qua ratione etiam Pontifices Leo, Gelaſius, Gregorius, & Nicolaus, vt de impoſtura conqueſti non ſint, quia tamen, tamquam ſpurium reſpuerunt, ſatis ſignificarunt fraudis veſtigia aliqua ſe deprehendiſſe. Graue verò præiudicium facit huic canoni altum de eo Epiſcoporum, qui ſtatim à concilio ad Damaſum perſcripſerunt, ſilentium, & valdè inuerecundum eſſe oporteat Spalat. qui ad Pontificem Romanum nihil illum pertinuiſſe præfidenter ſcribat: namque vt nulla ſit ei iniuria facta, quòd illum ſuo loco eſſe ſinerent, cùm tamen Alexandrinus, & Antiochenus Antiſtites ſuis locis moti iniuriam ſummam accepiſſent, ad Pontificem Patriarcharum caput res omninò referri debuit.

Quare, etiam Leo hanc vnam impugna- Spalat. n. 16.
ti Anatolij rationem proferr, quòd Coepi- Epiſt. 56.
ſcoporum ſuorum cauſam agat. [Non conuellantur, inquit, prouincialium iura primatum, nec priuilegijs antiquitùs inſtitutis Metropolitani fraudentur Antiſtites. Nihil Alexandrinæ Sedis, eius quam per ſanctum Marcum Euangeliſtam beati Petri Diſcipulum meruit, pereat dignitatis: Nec Dioſcoro impietatis ſuæ pertinacia corruente, ſplendor tantæ Eccleſiæ, tenebris obſcuretur alie-

nis. Antiochena quoque Eccleſia, in qua primùm, prædicante beato Apoſtolo Petro, Chriſtianum nomen exortum eſt; in paternæ conſtitutionis ordine perſeueret: & in gradu tertio collocata, numquam ſe fiat inferior. Aliud enim ſunt Sedes; aliud præſidentes, & magnus vnicuique honor eſt integritas ſua.] Quid igitur? an rurſùs, adeò hoſpes eſt Spalatenſis in hiſtoria Eccleſiaſtica, vt eum fugiat extitiſſe legem ab omni æuo in Eccleſia receptam, cuius meminerit Zozomenus, qua prohiberetur, *ne citrà conſcientiam Epiſcopi Romani decreta, ſeu canones Eccleſijs ſancirentur*. Qua fronte igitur hunc canonem ad Romanum Pontificem nihil pertinuiſſe aſſerit. Certè cum Damaſo, qui ſecundò Conſtantinopolim conuenerant Antiſtites, de Nectarij, & aliorum Epiſcoporum, qui in Synodo Conſtantinopolitana creati eſſent, ordinationibus, perſcripſiſſent, poterant, & de mutatis Sedibus Patriarchalibus ſcribere. Quod addit Spalatenſis, *non contradixiſſe Timotheum Alexandrinum Epiſcopum, quia de ipſius aſſenſu factus eſt canon*, ne pilum quidem veriſimilitudinis habet, nec eius rei veſtigia vlla extant: Probabilius eſt, quod affert Baronius, poſt diſceſſum Timothei Alexandrini, in cuius præiudicium hic canon vertitur, eum editum, ac perindè actis concilij furtiuè ſuperadditum fuiſſe: quod eò veriſimilius videri debet, quòd cum Concilio Chalcedonenſi idem canon nouo decreto firmatus fuiſſet, Maximuſque Antiochenus Epiſcopus vtcumque inuitus conſenſiſſet, poſteà tamen factæ ſibi iniuriæ impatiens, de ea apud Leonem conqueſtus ſit; par enim iniuria fiebat Alexandrino tum Antiocheno.

Quod poſtremò inculcat Spalatenſis, eo priuilegio *nullum Nicænis Canonibus præiudicium eſſe generatum*, abundè à Leone refellitur pluribus ad Marcianum, ad Pulcheriam, & Anatolium ipſum epiſtolis, & vt non refelleret, res ipſa tamen clamat violatos Canones Nicænos. Quid enim? Annon, vt ſecundus locus Conſtantinopolitano aſſereretur oportuit Alexandrinum, eodem loco, quo eum conſiſtere voluerat Nicænum Concilium moueri? ac in tertium pulſo, in quartum Antiocheno reijci? Annon præterea hanc corniculam alienis plumis ornari oportuit? Annon ſunt auulſæ à Throno Romano, & ab Antiocheno Diœceſes, quæ ei regendæ committerentur, imminuto aliorum magiſtratu? Sed demus fortiuum, & ſubdititium non fuiſſe canonem, quod tamen Baronius contendit, proculdubiò, vt ſit primi Concilij Conſtantinopolitani decretum, vel in ipſo Concilio factum, vel poſtea ab Epiſcopis, qui poſtea Conſtantinopolim abſoluto Concilio conuenerant, Oecumenici tamen Concilij canon eſſe non poteſt: namque cùm Concilium illud Conſtantinopolitanum centum, & quinquaginta Epiſcoporum, vt teſtatur Socrates, ſolos Orientis Epiſcopos habuerit, nec vlli Occidentis interfuerint Epiſcopi, Oecumenicum non alia ratione habetur, quàm quòd à Pontifice, Damaſo ſcilicet, vt teſtatur Photius, confirmatum fuerit. Quare cùm Pontifex pro ſpurio, ac illegitimo hunc canonem habuerit, nec eum Eccleſia Romana vnquam admiſerit, non plùs habet ponderis, quàm ſi furtiuus, & ſubdititius eſſet; Non recepiſſe autem Eccleſiam Romanam hunc canonem, teſtes nobis ſunt omni exceptione maiores, Leo, & Gregorius: [Romana Eccleſia, inquit Gregorius, eoſdem Canones, vel geſta Synodi illius hactenùs non habet, nec accipit, in hoc autem eandem Synodum accepit, quod eſt per eam contra Macedonium definitum. Fruſtrà, inquit Leo, quorundam Epiſcoporum profertur conſenſus, cui tot annorum ſeries negant effectus.]

Lib. 5. cap. 8. | Greg. lib. 6. ind. 15. ep. 31 | Leo ep. 51. ad Anat.

Sed iam, vt nutantem canonem fulciat, ad Chalcedonenſem Synodum confugit, quam Conſtantinopolitanorum patrocinum ſuſcepiſſe contendit, vtque probabiliorem ſuam ſententiam oſtendat, Concilij hiſtoriam Græca fide contexit, cumque in multis, non quidem in vniuerſum ab omnibus Chalcedonenſibus Patribus peccatum fuiſſe, ſed à factioſis quibuſdam Conſtantinopolitanæ Sedi nimiùm addictis noſtri oſtendant, ſic rerum geſtarum ſeriem adornat, vt ſimplicioribus fucum facere poſſit.

Spalat. n. 5.

Attexamus illius verba: [In Concilio Chalcedonenſi, inquit, (fortaſsè ità inſtante, & ſollicitante Anatolio, vt queritur Leo; nimirùm cupiente ſe à moleſtijs, quas à Romanis Pontificibus Conſtantinopolitani patiebantur, poſt hanc Conſtantinopolitanæ Sedis euectionem, liberare,) fuit idem Conſtantinopolitanus canon de primatu illius Sedis confirmatus. Ac primùm quidem iam introductam conſuetudinem, vt cauſæ Eccleſiaſticæ totius Orientis, quæ in proprijs Prouincijs terminari vix poſſent, ad Sedem Conſtantinopolitanam deferrentur, Concilium hoc Chalcedonenſe bis confirmauit: vt ſi aduersùs eiuſdem Prouinciæ Metropolitanum Epiſcopus, vel Clericus habet querelam, vel de ruſticis Parochijs lis oriatur; petat, aut Primatem Diœceſeos, aut ſedem Regiæ Vrbis Conſtantinopolitanæ, & apud ipſam iudicetur. Deindè verò ad Primatum dictum, & confirmandum, & declarandum accedens, ità ſtatuit, ac definit: Vbique ſanctorum Patrum definitiones ſequentes; & canonem, qui nuper lectus eſt centum, & quinquaginta Deo amantiſſimorum Epiſcoporum, qui congregati ſunt ſub piæ memoriæ Imperatore Theodoſio Magno, in Regia ciuitate Conſtantinopoli noua Roma agnoſcentes; eadem quoque, & nos definimus, & ſtatuimus, de priuilegijs eiuſdem ſanctiſſimæ Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ nouæ Romæ, Etenim Sedi Senioris Romæ, quod vrbs illa imperaret, Patres iure priuilegia tribuerunt. Et eadem conſideratione moti, centum quinquaginta Dei amantiſſimi Epiſcopi, æqua priuilegia tribuerunt ſanctiſſimæ Sedi nouæ Romæ; rectè iudicantes vrbem, quæ & imperio, & ſenatu honorata ſit, & æqualibus priuilegijs cum ſeniore Regia Roma fruatur, etiam in rebus Eccleſiaſticis; non ſecùs, ac illa, extolli, ac magnifieri, ſecundam poſt illam exiſtentem; vt, & Ponticæ, & Aſianæ, & Thraciæ Diœceſeos Metropolitani ſoli, prætereà, & qui ſunt in Barbarico Epiſcopi prædictarum Diœceſeon, ordinentur in prædicto ſanctiſſimo throno, ſanctiſſimæ Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ; nimirùm, vnoquoque Metropolita earum ipſarum Diœceſeon, vnà cum Epiſcopis

Pro-

Prouinciæ, ordinante Prouinciæ Epiſcopos; vt diuinis canonibus promulgatum eſt. Metropolitas verò earum Diœceſeon ordinari à Conſtantinopolitano Archiepiſcopo, electionibus conuenientibus ſecundùm morem factis, & ad eum perlatis.]

Spalat. n. 6. [Paſchaſinus tamen, & Lucentius Epiſcopi, & Legati Romani poſt peractum negotium de rebus fidei, rogati à Patribus Concilij, vt communicarent etiam alijs geſtis, quæ iuxtà conſuetudinem Conciliorum, poſt res fidei, etiam circa regimen Eccleſiaſticum ſolent, canonum editione, adijci; negarunt ſuam præſentiam: ſe alia ſuſcepiſſe à Leone mandata aſſerentes. Idem quoque retulerunt ijdem Patres Iudicibus Concilij, qui nomine Imperatoris aderant; & hi iuſſerunt, vt Concilium illa quoque inſpiceret: atque ità de licentia iudicum canones, inter quos eſt ille de Primatu Conſtantinopolitano, conſentiente ſanè toto Concilio, ſunt formati: neque in occulto quicquam geſtum eſt; vt habent acta, neque furtim; ſed recto ordine, atque canonicè. Paſchaſinus tamen, & Lucentius Legati prædicti, conqueſti ſunt coram Iudicibus quædam geſta eſſe in Concilio, poſt ipſorum Legatorum, immò etiam Iudicum abſceſſum: prædictuſque peculiaris canon, vt legeretur, curauerunt, quo lecto, ſtatim ſecuta eſt ſubſcriptio totius fermè Concilij: cui ſubſcriptioni ſtatim Lucentius circumuentionem, & coactionem obiecit. Sed omnes Epiſcopi clamauerunt, nemo coactus eſt. Tunc obiecit Lucentius, canonem hunc eſſe contrarium canonibus Nicænis: & in Concilio quidem Conſtantinopolitano primo, ante octoginta annos, mentionem factam eſſe huius priuilegij: ſed in Synodicis canonibus illud non haberi, atque ſic arguit: ſi hoc priuilegio vſi ſunt à tempore Concilij Conſtantinopolitani, quid nunc requirunt? ſi nunquam vſi ſunt, quare requirunt? Tunc requiſiti ipſi Legati, an ſuper hoc mandatum ſpeciale haberent; protulerunt huiuſmodi commiſſionem ſanctorum Patrum conſtitutionem prolatam, nulla patiamini temeritate violari: Seruantes omnimodis perſonæ noſtræ in vobis, quos vice noſtro tranſmiſimus, dignitatem: ac ſi qui fortè ciuitatum ſuarum ſplendore confiſi, aliquid ſibi tentauerint vſurpare; hoc qua dignum eſt conſtantia retundatis.]

Spalat. n. 7. [Tunc Iudices legi mandauerunt Nicænum canonem ſextum; qui vno modo lectus eſt à Paſchaſino Legato Papæ, prout ex Archiuis Romanis fuerat delatus; alio modo ex codice Græco, à Secretario Concilij eſt recitatus. Similiter etiam canon Conſtantinopolitanus Nicæno conformis eſt recitatus, cum adiectione priuilegij Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ. Quibus perlectis, Iudices dixerunt: hi, qui relecto tomo ſubſcripſerunt, Aſiani, & Ponti ſanctiſſimi Epiſcopi, dicant, ſi voluntate propria, vel impoſita ſibi aliqua neceſſitate coacti ſubſcripſerunt: & duodecim quidem ex ipſis ſingillatim ſe liberè, & ſpontè ſubſcripſiſſe ſunt profeſſi; rationes etiam varias adducentes, cur meritò debeant Conſtantinopolitano ſubeſſe Patriarchæ; inter quos Euſebius Dorylei: Spontè, inquit, ſubſcripſi: quoniam, & hanc regulam ſanctiſſimo Papæ in Vrbe Roma ego relegi; præſentibus Clericis Conſtantinopolitanis, eamque ſuſcepit. Et Calogerus Claudiopolitanus: Secundùm ſententiam, inquit, ſanctorum Patrum 150. voluntate propria, non coactus ſubſcripſi. Ità etiam Antiochus Synopſis dixit: Spontè ſubſcripſi, ſequens Metropolitanum meum, & regulam 150. Et Eleutherus Chalcedonenſis dixit: Sciens, quia & per Canones, & per conſuetudinem præcedentem, habet hæc iura Conſtantinopolitana Sedes, cum voluntate ſubſcripſi. Cæteri Epiſcopi Aſiæ, & Ponti clamauerunt; ſpontè ſubſcripſimus. Indè Euſebius Ancyranus, qui non ſubſcripſerat, interpellatus à Iudicibus aliqua in ſui excuſationem dixit. His omnibus, Spalat. n. 8. (perſequitur Spalatenſis) ſic peractis, & auditis, viſaque voluntate eorum Epiſcoporum, de quorum videbatur agi præiudicio: Thraciæ nimirùm, Ponti, & Aſiæ, qui nouo Patriarchæ, priùs conſuetudine paulatim introducta, vt dicebat Eleutherus, deindè etiam canone Concilij Conſtantinopolitani generalis, ac demùm huius Concilij Chalcedonenſis confirmatione, & declaratione, libenter ſubijciebantur: Iudices Imperiales ſuam protulerunt ſententiam, in hanc formam; Ex his, quæ geſta ſunt, vel ab vnoquoque depoſita perpendimus, omnem quidem Primatum, & honorem præcipuum, ſecundùm canones antiquæ Romæ, Dei amantiſſimo Epiſcopo conſeruari. Oportere autem ſanctiſſimum Archiepiſcopum Regiæ Conſtantinopolis nouæ Romæ, eiſdem Primatibus honoris, & ipſum dignum eſſe, & poteſtatem habere ordinare Metropolitas, in Aſiana, & Pontica, & Thraſica Diœceſibus: ſecundùm hunc modum, vt decreto facto à Clericis vniuſcuiuſque Metropolis, & poſſeſſoribus, atque clariſſimis; ſuper hæc, & à Reuerendiſſimis Epiſcopis Prouinciæ omnibus, aut plurimis eligi, quemcunque præfati Metropolitanæ Epiſcopi dignum eſſe probauerunt. Referri autem ab omnibus eligentibus, ſanctiſſimo Archiepiſcopo Regiæ Conſtantinopolis, vt penès eum ſit, ſi velit, hunc, qui electus eſt, deductum hìc ordinari, aut ſecundùm eius permiſſionem in Prouincia Epiſcopatus mereri Decretum: vniuſcuiuſque tamen ciuitatis ſanctiſſimos Epiſcopos ab omnibus ordinari, aut plurimis Prouinciæ: Reuerendiſſimis Epiſcopis poteſtatem habente Metropolitano, ſecundùm Parrum regulas definitam, etiam nihil communicante in illorum ordinationibus ſanctiſſimo Archiepiſcopo Regię Conſtantinopolis. Hæc à nobis inſpecta ſunt: Quæ autem videntur, ſanctum, & vniuerſale Concilium docere dignetur. Reuerendi Epiſcopi dixerunt: Hęc iuſta ſententia: hæc omnes dicimus: hæc omnibus placent: hæc omnes dicimus, hoc iuſtum decretum, quæ conſtituta ſunt valeant: hæc iuſta ſententia, omnia ordinatè decreta ſunt. Hic Lucentius ſuam interpoſuit contradictionem. Poſt illum Ioannes Sebaſtenſis ad Iudices conuerſus dixit: Omnes in ſententia veſtræ magnificentiæ permaneamus: Viri illuſtriſſimi Iudices dixerunt, quod interlocuti ſumus, tota Synodus approbauit. Hucuſque acta Concilij Chalcedonenſis, in quibus patet magna cum maturitate in confirmatione illius priuilegij proceſſum eſt, & obiectiones Lega-

Legatorum Romanorum fuiſſe ventilatas: & ab ipſo toto Concilio reiectas, vt planè fatetur etiam Liberatus Diaconus in ſuo Breuiario c.13. Neque dubitari poteſt aliud fuiſſe legitimum conciliare Decretum, cuius plenam notitiam per Synodicas ſuas, Concilium ipſum dedit Papæ Leoni; vt & ipſe actis, & decretis Conciliaribus ſuum aſſociaret aſſenſum. Admiſit verò omnia,& approbauit Leo, quæcumque in fidei cauſa definita fuerant: Canones non admiſit.]

Spalat. a. 9. [Volui tibi lector, addit Spalatenſis, exactiùs acta Concilij Chalcedonenſis referre, qui ea Baronius mutilata profert, vt liceat ei tandem concludere: Actionem illam vltimam, in qua confirmatus eſt Canon de Primatu Conſtantinopolitano, ſpuriam, & clandeſtinam, fuiſſe ab Anatolio furtim adiectam. Cùm tamen, vt vidimus, actio illa tota iuſtificatiſſima fuerit, & maximè legitimis modis celebrata præſentibus ſemper Legatis Apoſtolicis, licèt contradicentibus, & diligenti facto examine, cum legitimis, & liberis ſubſcriptionibus, cum proceſſu, examine, & ſententia definita, conciliarique plena approbatione.]

Sed quoniam tum Spalatenſis, tum ante eum Chalcedonenſes vera falſis, incredibilia probabilibus intexunt, ſunt ſingula à nobis diligentiùs excutienda; vt, quibus in rebus, tum ab illo, tum ab iſtis peccatum ſit, aperiamus. Quod attinet ergo ad Chalcedonenſe decretum, non vnum ſubeſſe vitium, ſed plura notant noſtri.

Primum vitium ſit: Quòd neque à Præſidibus Concilij, neque à Synodo ipſa, ſed à ſolo Clero Conſtantinopolitano, maximè verò ab Aeatio Archidiacono, ſtudio augendæ dignitatis ſuæ Eccleſiæ laboranti, & priuato affectu abrepto inuectus fuerit, & obtruſus: Hoc omninò colligitur ex actione vndecima, in qua cùm pars huius decreti, nimirùm, vt Metropolitani Epiſcopi Aſiæ minoris ordinationes ſuas ab Epiſcopo Conſtantinopolitano acciperent. [Aſiani Reuerendiſſimi Epiſcopi ante ſanctiſſimam Synodum Patrum dixerunt: Miſeremini noſtri. Nos ſupplicamus ſancto Concilio, vt miſereatur filiorum noſtrorum, ne fortè propter nos, & propter peccata noſtra moriantur, vt nobis clementia condonetur. Nam ſi Baſſiano ſucceſſorem ſuadeat aliquis hìc ordinari, & filij noſtri moriuntur, & ciuitas deperit. Glorioſiſſimi iudices dixerunt: Quoniam ſecundùm voces ſancti Concilij, neque Baſſianus, neque Stephanus Reuerendiſſimi, Epiſcopi in Epheſiorum Ciuitate ſunt digni, Aſiani autem Epiſcopi hìc reperti dicunt, Si hìc ordinetur alter Epiſcopus Epheſiorum, conturbari ciuitatem, dicat ſancta Synodus, vbi volunt Epiſcopum Epheſinæ ſanctiſſimæ Eccleſiæ Canones ordinari.] Et horum quidem votis annuerunt reuerendiſſimi Epiſcopi, nam quærentibus glorioſiſſimis Iudicibus à ſancta Synodo, vbinam vellent Synodum Epiſcopum Ephæſinæ Sanctiſſimæ ordinare, *ei eylatheſtatoi Epiſcopoi cipou eu ti eparchia*. Cumque ea de re litem Aſianis mouiſſent, Philippus Presbyter Conſtantinopolitanus, & Aetius Archidiaconus vna vox fuit *Patrum Canones obtineant*, quo audito tumultum conciraucrunt Clerici Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ, atque clamauerunt; *Ea quæ Sanctorum Patrum centum quinquaginta ſunt, teneant* (Canonem primi Concilij Conſtantinopolitani, quem impugnauit Baronius, intelligunt) *priuilegia Conſtantinopolis ne pereant*. Quare,etiam cùm Accius Archidiaconus Conſtantinopolitanus fraudis à Legatis Apoſtolicis poſtularetur, hoc reſponſo factum leniuit, [Conſuetudo eſt in Synodis, poſtquam ea, quæ ſunt omnium præcipua, fuerint definita, & alia quædam neceſſaria, examinari, atque formari. Habuimus, hoc eſt, Conſtantinopolitana, Sanctiſſima Eccleſia, certa quædam, quæ agere debebamus.] Ex quibus verbis liquidò apparet, condendi pſeudo-Canonis auctores fuiſſe Clericos Conſtantinopolitanos proferendæ ſuæ Eccleſiæ gloriæ deſiderio æſtuantes, ac flagrantes, non verò Synodum de eo cudendo primùm cogitaſſe; quare, etiam in Clerum ſuum totam culpam coniecit Anatolius, cùm à Leone eius arceſſeretur. [Illam culpam,inquit, quam de augenda poteſtate aliena, vt aſſeris, adhortatione contraxeras, efficaciùs, atque ſinceriùs tua charitas diluiſſet, ſi quod tentari ſine tua voluntate non potuit, non ad ſola Clericorum Conſilia tranſtuliſſes: quia ſicut in mala ſuaſione delinquitur, ità & in mala conſenſione peccatur. Sed gratum mihi frater Chariſſime eſt, quod dilectio tua profitetur ſibi diſplicere, quod tunc etiam placere non debuit. Sufficit in gratiæ communis regreſſum, profeſſio dilectionis tuæ atteſtatio Principis Chriſtiani. Nec videtur tarda correctio, cui tam venerabilis aſſertor acceſſit.] Alterum vitium fuit, quòd hora minùs appoſita, & vt Iuriſconſulti loquuntur, incompetenti, editus fuerit hic Canon, poſt enim dimiſſos Patres, & ſolutum conſeſſum, adeòque poſt tum Legatorum Pontificiorum tum ipſorum Senatorum, ac glorioſiſſimorum Iudicum diſceſſum; qua de re in hæc verba conqueſti ſunt Legati poſtero die: *Heſterna die*, inquiunt, *poſtquam poteſtas veſtra ſurrexit, & humilitas noſtra veſtigia veſtra ſequuta eſt, quædam geſta facta dicuntur, quæ nos, & præter Canones Eccleſiaſticos, & diſciplinam æſtimamus effecta*. Ex reſponſo verò Iudicum conſtat, vera omninò dixiſſe Legatos; namque glorioſiſſimi Iudices dixerunt: *Si qua geſta poſt noſtrum diſceſſum facta ſunt, relegantur. Quod & factum eſt, & oblata ſcheda ab Aetio Archidiacono Conſtantinopolitano, Beroſianus Secretarius diuini Concilij legit, &c.* Conſentit Liberatus in Breuiatio. *Et alia, in qua poſt diſceſſum Iudicum*, inquit, *& Senatorum, & Legatorum Apoſtolicæ Sedis, regulæ conſtitutæ ſunt Eccleſiaſticæ, & quædam priuilegia deputata Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ, vſurpante ſibi hoc Anatolio eiuſdem vrbis Epiſcopo, occaſione accepta ex Dioſcori damnatione*. Vndè apparet falsò Actium, vt ſe defenderet ad Iudices dixiſſe, *Rogaſſe ſe Dominos Epiſcopos de Roma*, vt communicarent ijs geſtis, quamquam renuiſſent, aut certè fatendum eſt, non illo die, nec illa hora, qua conditus eſt Canon, ad Legatos de eo retuliſſe.

Tertium vitium fuit, quòd tandem poſt multas prehenſationes à Solis Epiſcopis Patriarchatus Antiocheni, & Prouinciarum

Con-

Google

Conſtantinopoli vicinarum procuſus eſt, abſentibus ſcilicèt, non ſolùm Patriarchatus Alexandrini Antiſtitibus, quos propterea abfuiſſe contendit Spalatenſis, quòd in ſui Patriarchæ Dioſcori exautorati locum nullus adhuc ſuffectus fuiſſet, verùm etiam Illyrici Orientalis Macedoniæ Hellados Poloponenſi Theſſaliæ, ac Inſulæ Cretæ; adeòque ipſis Legatis Pontificis, qui totius Occidentis Epiſcopos referrent, ac eorum loco eſſent, ac pro ijs loquerentur. Id verò Anatolij fraude factum, planum eſt, ſiquidem, quòd eos aduerſarios ſe habiturum ſciret, ſedulò cauit, ne adeſſent, cùm de condendo Canone ſermo inſtitueretur.

Concilium Chalced. Act.16.

Quartum vitium fuit, quòd illi ipſi, qui ſubſcripſerunt Epiſcopi, inuiti, & nonniſi tergiuerſando ſubſcripſerunt, qua de re conqueſti ſunt Pontificis Legati; hæc enim Lucentij ad Iudices verba ſunt: [Primò gloria veſtra perpendat, qua circumuentione cum SS. Epiſcopis geſtum ſit, vt non conſcriptis Canonibus, quorum mentionem fecerunt (Clerici Conſtantinopolitani) ſubſcribere ſunt coacti; vel vt habent Græca: Videt ergo præ alijs veſtra gloria, qua circumuentione actum eſt circa Epiſcopos, qua etiam feſtinatione factum eſt, vt præter ſanctas regulas ſub neceſſitate ſubſcriberent Epiſcopi.] Neque verò vanam fuiſſe Legatorum querelam, quod objicit Spalat. vox Epiſcoporum clamantium, *Nemo coactus eſt*, oſtendit. Id ſiquidem Anatolij, & Clericorum Conſtantinopolitanorum ambitioſæ prehenſationi eſt deputandum, qui freti auctoritate Imperatorum, etiam cum multa indignitate prehenſarunt ſingulos Epiſcopos, vtque Regiæ vrbi hunc honorem impertirentur, Imperatoremque, ac Senatum hoc beneficio demererentur. Patet iſtud ex ſeſſione vndecima, in qua, cùm ordinandi Epiſcopi Epheſini ius ſibi arrogare vellet, quod poſtea conceſſa ſibi Patriarchatus dignitate obtinuit, & ſpurio illo Canone eſt definitum, non ſuſtinuerunt Aſiæ minoris Epiſcopi, hancque iniuriam, etiam profuſis lachrymis deprecati ſunt: [Miſeremini noſtri. Nos ſupplicamus ſancto Concilio, vt miſereatur filiorum noſtrorum, ne fortè propter nos, & noſtri filij moriantur, & nobis clementia condonetur: Nam ſi Baſſiano ſucceſſorem ſuadeat aliquis hic ordinari, & filij noſtri moriuntur, & ciuitas deperit. Glorioſiſſimi Iudices dixerunt: Quoniam ſecundùm voces ſancti Concilij, neque Baſſianus, neque Stephanus Reuerendiſſimi Epiſcopi Epheſiorum Ciuitate ſunt digni, Aſiani autem Epiſcopi hic reperti, dicunt: Si hìc ordinetur alter Epiſcopus, Epheſiorum conturbari Ciuitatem, dicat ſancta Synodus, vbi volunt Epiſcopum Epheſinæ Sanctiſſimæ Eccleſiæ Canones ordinari.] Itaque Epiſcoporum Aſiæ minoris vna vox fuit, nulla ratione ad Conſtantinopolitanum Antiſtitem deuolui debere ius ordinandi Epheſini Epiſcopi, quod tamen ſubdititio Canone, vt diximus, illi tribuitur. Sed Conſtantinopolitani Clerici clamoribus omnia compleuerunt, hocque ius aſſerere ſuo Antiſtiti moliti ſunt. *Ea, quæ Sanctorum*, inquiunt, *Patrum centum quinquaginta ſunt, teneant priuilegia Conſtantinopolis, ne depereant. Ordinatio ſecundùm morem ab Archiepiſcopo noſtro fiat*. Igitur ante illas Cleri Conſtantinopolitani indignas prehenſationes, proculdubiò hunc ambitum auerſabantur Aſiæ minoris Epiſcopi, vtque conſuetudini ſtaretur, contendebant, & alioquin futurum prædicebant, vt vrbes cædibus, & ſanguine complerentur, quare, inconſtantiæ, & leuitatis, adeòque mendacij, meritò poſtulatur Diogenes Cizici Metropolita, qui, cùm rogarentur Epiſcopi, num ſponte ſubſcripſiſſent, dixerit: *Coram Deo cum voluntate ſubſcripſi*. Alia ſiquidem illa ſeſſione conſuetudinem propugnarat, qua in Prouincia ſolere ordinari Epiſcopus Epheſinus, negato eo iure Conſtantinopolitano.

Quintum vitium fuit, quòd illi ipſi, qui prenſationibus egerunt, vt hic honos ſuo Antiſti deferretur, Concilij Conſtantinopolitani Canonem centum quinquaginta Patrum, quo ſe venditarent, duorum mendaciorum adiectione corruperunt. Prior corruptela fuit, quòd cum Canone illo, qualis tandem fuerit, ſolùm ſecundi à Romano Pontifice honores Conſtantinopolitano tribuerentur: *Conſtantinopolitanæ Ciuitatis Epiſcopum habere oportet primatus honorem poſt Romanum Epiſcopum, propterea quòd ſit noua Roma*, Pares omninò, ac æquales à Canonis renouatoribus ei tribui curarint, [Et eadem conſideratione moti, inquiunt, centum quinquaginta Dei amantiſſimi Epiſcopi, ſanctiſſimo nouæ Romæ throno æqualia priuilegia tribuerunt, rectè indicantes, Vrbem, quæ & Imperio, & Senatu honorata ſit, & æqualibus cum antiquiſſima Regina Roma priuilegijs fruatur, etiam in rebus Eccleſiaſticis, non ſecùs, ac illam extolli, ac magnifieri, ſecundam poſt illam exiſtentem.] Poſterior impoſtura fuit, quòd Patres Conſtantinopolitanos Antiſtiti Conſtantinopolitano, ordinationes Metropolitarum Ponti, & Aſiæ detuliſſe aſſeruerint, cùm de ea re nonmodò nihil ſtatuiſſent, ſed etiam contrarium ſanxiſſent. Verba Concilij ſunt: [Aſianæ Diœceſis Epiſcopi, ea, quæ ſunt in Aſia, & quæ ad Aſianam tantummodò Diœceſim pertinent, gubernent. Ponti autem Epiſcopi, Ponticæ tantùm Diœceſis, habeant curam: Thraciæ verò, ipſius tantummodò Thraciæ.] Quare, etiam Socrates vnam Thraciam Nectario Conſtantinopolitano Epiſcopo in ea Synodo creato delatam, ac deſignatam ſcribit: [Nectario, inquit, ampla illa ciuitas Conſtantinopolis, & tota Thracia ſorte obuenit. Ponticæ autem Diœceſis Patriarchatus Helladio Cæſareæ, Cappadociæ poſt Baſilium Epiſcopo, &c. Patriarchatum item Aſianum Amphilochius Epiſcopus Iconij, & Optimus Antiochiæ Piſidiæ ſortitò capiunt.] Contendiſſe autem Clericos Conſtantinopolitanos à centum quinquaginta Patribus tributam ſuo Antiſtiti ordinationem Metropolitarum Aſię, ea reuerà Epiſcoporum, qui Canonem teſtauerunt, verba indicant. [Sanctorum Patrum decreta vbique ſequentes, & Canonem, qui nuper lectus eſt, centum, & quinquaginta Dei amantiſſimorum Epiſcoporum agnoſcentes, eadem quoque, & nos decernimus, ac ſtatuimus de priuilegijs Sanctiſſimæ Eccleſiæ Conſtantinopolis nouæ Romæ. Etenim antiquæ Romæ throno, quòd vrbs illa imperaret, iure Patres priuilegia tribuere. Et eadem conſideratione moti centum quinquaginta Dei

amao-

amantiſſimi Epiſcopi ſanctiſſimo nouæ Romæ throno æqualia priuilegia tribuere, rectè iudicantes, vrbem, quæ & Imperio, & ſenatu honorata ſit, & æqualibus cum antiquiſſima Regina Roma priuilegijs fruatur, etiam in rebus Eccleſiaſticis, non ſecùs, ac illam extolli, ac magnificari, ſecundam poſt illam exiſtentem: vt & Ponticæ, & Aſianæ, & Thraciæ Diœceſis Metropolitani ſoli, prætereà Epiſcopi prædictarum Diœceſum, quæ ſunt inter barbaros, à prædicto throno Sanctiſſimæ Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ ordinentur: vnoquoque ſcilicet prædictarum Diœceſum Metropolitano cum Prouinciç Epiſcopis Prouinciæ Epiſcopos ordinante, quemadmodùm diuinis Canonibus eſt traditum. Ordinari autem, ſicut dictum eſt, prædictarum Diœceſum Metropolitanos à Conſtantinopolitano Archiepiſcopo conuenientibus de more factis electionibus, & ad ipſum relatis.] Fuiſſe enim hoc commentum Cleri Conſtantinopolitani, à quo eſſent illi Epiſcopi dementati, omninò ex ſeſſione vndecima colligitur, namque cùm ordinandi Epheſini Epiſcopi, ius ſuo Antiſtiti vindicarent, clamauerunt: [Iuſtitia Baſſianum vocat, Regulæ valeant. Glorioſiſſimi Iudices dixerunt. Nobis quidem videtur, neque Baſſianum reuerendum dignum exiſtere, vt ſit Epheſiorum Ciuitatis Epiſcopus, quoniam ex inuaſione violenta Epiſcopatum ſibimet vendicauit: neque Stephanum Reuerendum Epiſcopum, qui per coniurationes, & tales adinuentiones Epiſcopatum ſibimet acquiſiuit.

Sextum vitium fuit, quòd cùm iudices, hoc eſt, Senatores ab Imperatore ad Synodum miſſi, *vt paci, ac tranquillitati, ne quis tumultus ſuboriretur, conſulerent*, cùm augendæ, & amplificandæ dignitati Conſtantinopolitanæ Vrbis nimiùm ſtuderent, neceſſitatem ſua auctoritate Epiſcopis impoſuerunt in hunc canonem conſentiendi, nàmque cùm hac ſanctione gratificaturos Patres Imperatori Synodo perſuaſiſſent, non exiſtimarunt Epiſcopi, integrum ſibi eſſe, reluctari, ne Imperatorem offendiſſe viderentur, hanc cauſam ſibi fuiſſe condendi canonis epiſtola ad Leonem ſignificant: [Nos, inquiunt, curantes tam pijſſimos, & Chriſti amicos Imperatores, qui ſuper hoc delectantur, quàm clariſſimùm Senatum, & totam (ſicut dicere conuenit) imperij Ciuitatem opportunum credidimus eſſe, honoris eius confirmationem ab vniuerſali Concilio celebrari, & velut hæc à tua ſanctitate fuerint inchoata, eò quòd fouere ſemper ſtudeas, roborauimus, præſumentes, dùm nouimus, quia quicquid rectitudinis à filijs fit; ad patres recurrit, facientes hoc ſibi proprium.]

Septimum vitium fuit, quòd ſtudio partium laborans Euſebius Dorilæi Epiſcopus, cuius teſtimonium oſtentat Spalatenſis, quòd dixerit, *Spontè ſubſcripſi, quoniam & hanc regulam ſanctiſſimo Papæ in Vrbe Romæ ego relegi, præſentibus Clericis Conſtantinopolitanis, eamque ſuſcepi*. Impoſtorem egerit, & deceptorem verſutum, ac callidum, quippè qui egregiè impoſuerit Pontifici, quò eius auctoritate Synodum circumueniret, ac in Conſtantinopolitanorum ſententiam pertraheret, quod, & obtinuit, nam perſuaſi Patres probatam eam regulam Pontifici, non dubitarunt, eam ſancire, quod ipſi innuunt ea epiſtola ad Leonem: [Et velut, inquiunt, hæc à tua Sanctitate fuerint inchoata, eò quòd fouere ſemper ſtudeas, roborauimus, præſumentes, dum nouerimus, quia quicquid rectitudinis à filijs fit, ad Patres recurrit, facientes hoc proprium ſibi. Rogamus igitur, & tuis decretis noſtrum honora iudicium, & ſicut nos capiti in bonis adiecimus conſonantiam, ſic & ſummitas tua filijs, quod decet, adimpleat. Sic enim, & pij Principes complacebunt, qui tamquam legem tuæ Sanctitatis iudicium firmauerunt, & Conſtantinopolitana Sedes ſuſcipiet præmium, quæ omne ſemper ſtudium vobis ad cauſam pietatis expleuit, & ſemetipſam vobis ad concordiam eodem zelo coniunxit.]

Quàm autem hæc falſa eſſent, & à mente Leonis aliena, apparet, tùm ex intercesſione Legatorum, tùm ex Leonis epiſtolis, ſiquidem cùm de eo canone contenderetur, rogati Legati Pontificij, numquid contrà præcipiſſet Pontifex: [Bonifacius Presbyter Sedis Apoſtolicæ Vicarius dixit: Beatiſſimus, & Apoſtolicus vir Papa, inter cætera hoc nobis mandauit, & ex chartula recitauit: Sanctorum quoque Patrum coſtitutionem prolatam, nulla patiamini temeritate violari, ſeruantes omnimodis perſonæ noſtræ in vobis, quos vice noſtra tranſmiſimus, dignitatem: Ac ſi qui fortè, Ciuitatum ſuarum ſplendore confiſi, aliquid ſibi tentauerint vſurpare, hoc, qua, dignum eſt conſtantia retundaris.] Quod ſincerè omninò dixiſſe eum, ac pro mandato accepto à Pontifice, oſtendit Leo epiſtola ad Maximum Conſtantinopolitanum Epiſcopum.

Item altera ad Anatolium, ſic enim ad Maximum: [Si quid ſanè ab his fratribus, inquit, quos ad ſanctam Synodum vice mea miſi, præter id, quod ad cauſam fidei pertinebat, geſtum eſſe perhibetur, nullius erit penitùs firmitatis, quia ad hoc tantùm ab Apoſtolica Sede ſunt directi, vt excuſſis hæreſibus, Catholicæ eſſent fidei defenſores.]

Sic verò ad Anatolium: [Abſit à conſcientia mea, inquit, vt tam praua cupiditas meis ſtudijs adiuuetur, ac non potiùs, & meo, & omnium, qui non alta ſapiunt, & humilibus conſentiunt, opere ſubruat.]

Octauum vitium fuit, quòd reluctantibus, & hanc audaciam damnantibus, adeòque nomine Pontificis intercedentibus Legatis, is canon procuſus fuerit; hanc ſuam interceſſionem inter acta Concilij reponi obnixè petierunt: Sic enim poſt aſſertum eum canonem: [Sedes Apoſtolica, quæ nobis præcepit, præſentibus humiliari non debet. Et ideò quęcumque in præiudicium canonum, vel regulatum heſterna die geſta ſunt, nobis abſentibus, ſublimitatem veſtram petimus, vt circumduci iubeatis: ſin aliàs contradictio noſtra his geſtis inhæreat, vt nouerimus, quid Apoſtolico viro vniuerſalis Eccleſiæ Papæ referre debeamus: vt ipſe, aut de ſuæ Sedis iniuria, aut de canonum euerſione poſſit ferre ſententiam.] Act. 16.

Quod etiam ex epiſtola Leonis ad Anatolium colligitur, & ipſi Chalcedonenſes conqueruntur epiſtola ad Leonem: [Qui enim, inquiunt, locum veſtræ ſanctitatis obtinent ſan-

ſanctiſſimi Epiſcopi Paſchaſinus, & Lucentius, & qui cum eis eſt reuerendiſſimus Preſbyter Bonifacius, ijs ità conſtitutis, vehementer reſiſtere tentauerunt, proculdubiò à veſtra prouidentia inchoari, & hoc bonum volentes, vt ſicut fidei, ſic bonæ ordinationis vobis deputetur effectus. Indè enim fratres noſtri, inquit Leo ad Anatolium, ab Apoſtolica Sede directi, qui vice mea Synodo præſidebant, probabiliter, atque conſtanter illicitis auſibus obſtiterunt, apertè reclamantes, ne contra ſtatuta Nicænæ Synodi præſumptio reprobæ nouitatis aſſurgeret. Nec poteſt de eorum contradictione dubitari, de quibus in epiſtola tua etiam ipſe conquereris, quòd conatibus tuis voluerint obuiare, &c.] Qui ergo hunc canonem ſancire potuerint Chalcedonenſes, cùm veteri Eccleſiæ inſtituto nemini liceret, *præter ſententiam Romani Epiſcopi* regulas ſancire Eccleſijs.

Nonum vitium fuit, quòd cùm canonis confirmationem à Pontifice Chalcedonenſes demiſsè petijſſent, vt ex eorum epiſtola apparet, non ſolùm annuere recuſauit, verùm etiam decretum refixit, ac damnauit.

Patet iſtud ex epiſtola ad Pulcheriam: [Conſenſiones, inquit Leo, Epiſcoporum, Sanctorum canonum apud Nicæam conditorum regulis repugnantes, vnita nobiſcum veſtræ fidei pietate in irritum mittimus, & per auctoritatem beati Petri Apoſtoli generali prorsùs definitione caſſamus.]

Et Gelaſius de anathematis vinculo [Quod firmauit, inquit, in Synodo Sedes Apoſtolica, robur obtinuit; quod refutauit, habere non potuit firmitatem: & ſola reſcindit, quod præter ordinem congregatio Synodica putauerat vſurpandum, non promulgatrix iteratæ ſententiæ, ſed cum Apoſtolica Sede veteris executrix.]

Nec eſt, quòd Spalatenſis obijciat indulſiſſe affectui Leonem, cùm iura ſua non propugnaret, ſed iura Patriarcharum, nempè Alexandrini, & Antiocheni, qui ægerrimè tulerunt, & Conſtantinopolitani, & Hieroſolymitani ambitioſos conatus, Pontificemque ſunt obnixè precari, vt eos repreſſos in ordinem cogerent: Sic enim, & Cyrillus Alexandrinus de Hieroſolymitano, & Maximus Antiochenus de ipſo Anatolio apud Leonem conqueſti ſunt, vt ex epiſtola Leonis ad Maximum conſtat; [Cùm, inquit, aliquid pro Antiochenæ Eccleſiæ priuilegijs dilectio tua agendum eſſe crediderit, proprijs literis ſtudeat explicare, vt & nos conſultationi tuæ abſolutè, & congruè reſpondere poſſimus. Nunc autem ad omnia generaliter prænunciare ſufficiat, quòd ſi quid à quoquam contra Nicænorum canonum ſtatuta, in quacumque Synodo, vel tentatum eſt, vel ad tempus videtur extortum, nihil præiudicij poteſt inuiolabilibus inferre decretis.] Nullus verò dubito Chalcedonenſes ea fuiſſe in Sedem Apoſtolicam reuerentia, vt ſola ignoratione decreti Pontificij, hac in parte peccarint. Si enim exploratum illis fuiſſet, hunc canonem auctoritate Leonis abrogatum fuiſſe, proculdubiò in illum non conſenſiſſent.

Propterea etiam Ambitor Anatolius per ſummum ſcelus, & fraudem Sirophis luſit, ac à Leone miſſum ad ſe abrogationis decretum, reliquos Epiſcopos celauit. Qua fraude ferè factum eſt, vt totus Oriens diſcordijs ciuilibus arderet; nàmque cum eadem epiſtola, & illius canonis irritatio, & reliquorum Chalcedonenſium decretorum confirmatio contineretur, hoc Pontificis decretum ſuppreſſum Anatolius occultauit, qua ratione pleriſque Orientalibus perſuaſum fuit, Pontificem Concilij Chalcedonenſis acta minùs probaſſe, quòd confirmationis ab eo factæ veſtigium nullum appareret, quare, etiam à Leone Martianus Auguſtus contendit, vt Sanctæ Synodi fidem calculo ſuo probaret, ac confirmaret; altero ſcilicet ſcripto, cùm de primo non conſtaret.

Habentur iſta in epiſtolis Leonis ad Martianum Auguſtum, & ad Pulcheriam Auguſtam: [Quod faciliùs, inquit, clementia veſtra arbitretur implendum, ſi per vniuerſas Eccleſias, definitiones ſanctæ Synodi Chalcedonenſis, Apoſtolicæ Sedi placuiſſe doceantur. De quo quidem non fuit ratio ambigendi, cùm ei fidei omnium ſubſcribendo conſenſus acceſſerit, quæ à me ſecundùm formam Apoſtolicæ doctrinæ, ac paternæ traditionis emiſſa eſt, & per fratrem meum Lucianum Epiſcopum talia, & ad gloriam veſtram, & ad Conſtantinopolitanum Antiſtitem ſcripta direxerim, quæ euidenter oſtenderent, me ea, quæ de fide Catholica in prædicta Synodo definita fuerant, approbare. Sed quia in eiſdem literis ea, quæ per occaſionem Synodi malè ſunt attentata, reprehenderam: maluit prædictus Antiſtes meam gratulationem tacere, quàm ſuum ambitum publicare.]

Alterum vitium fuit, vel potiùs vitij indicium fuit, quòd poſt tot prenſationes, poſt tot curas, & labores, ipſum Anatolium ſui ambitus puduit, ac adulterino honori ceſſit vt ex Leone, & Gelaſio colligitur: [Illam, inquit Leo, culpam, quam de augenda aliena poteſtate, vt aſſeris, adhortatione contraxeras, efficaciùs, atque ſinceriùs tua charitas diluiſſet, ſi quod tentari ſine tua voluntate non potuis, non ad ſola Clericorum conſilia tranſtuliſſes: quia ſicut in mala ſuaſione delinquitur, ità & in mala conſenſione peccatur. Sed gratum mihi (frater chariſſimè) eſt, quòd dilectio tua profitetur ſibi diſplicere, quod tunc etiam placere non debuit. Sufficit in gratiæ communis regreſſum, profeſſio dilectionis tuæ, atteſtatio Principis Chriſtiani. Nec videtur tarda correctio, cui tam venerabilis aſſertor acceſſit. Quòd Sedes Apoſtolica non conſenſit, inquit Gelaſius, nec Imperator impoſuit, nec Anatolius vſurpauit. Totumque (vt dictum eſt) in Sedis Apoſtolicæ poſitum eſt poteſtate. Ità quod firmauit in Synodo Sedes Apoſtolica, hoc robur obtinuit, quod refutauit, habere non potuit firmitatem.] Gelaſ. de Anathemat. vinculo.

Vltimum vitium ſit, quòd perperam, & falsò hic Canon reliquis Canonibus Concilij Chalcedonenſis inſertus, ac inter eos repoſitus ſit, cùm namque legitimi Canones Concilij Chalcedonenſis, numero 27. tantummodò fuerint, & hic 28. habeatur, cui alius non melioris notæ ſit additus 29. neuter inter legitimos cenſeri poſſit. Fuiſſe autem tantùm viginti ſeptem Canones Chalcedo-

nenſes, doceṫ Theodoretus, Dionyſius Exiguus, Theodorus Anagnoſtes, & priſcæ fidei exemplaria tum Græca, tũ Latina, qua de re ſic collector, & interpres Romanus: [Canones, inquit, qui ſequuntur, non extant in codicibus Græcis manuſcriptis, quos habuimus huius Concilij, nec etiã in Latinis, neq; in collectionibus Dionyſij, & Iſidori. Cuius rei cauſa ea eſſe videtur, quia Anatolij CP. Epiſcopi circumuentione, ac fraude, cum Sedis Apoſtolicæ Legati è Synodo egreſſi eſſent, Patribus Concilij propoſiti, atque ab eis ſubſcripti fuerant: ex quorum primo, qui eſt 28. duorum Patriarcharum Alexandrini, & Antiocheni priuilegia à Concilio Nicæno eis data, infringebantur, & Primatus eius in Eccleſia poſt Romanum Pontificem ſtatuebatur. Quod beatus Leo indignè ferens, eoſdem reiecit, & infirmauit, vt apparet ex ipſius epiſt. 61. ad Epiſcopos Synodi Chalced. & epiſt. 62. ad Maximum Antiochenum, & alijs. Recenſentur tamen à Th. Balſamone, Ioann. Zonara, & alijs Græcis Canonum collectoribus, & cùm idem 28. Canon relectus ſit in ſequenti actione, petentibus ipſius Apoſtolicæ Sedis Legatis, illos hìc adſcribendos putauimus, non vt eis aliquid auctoritatis adiungatur, ſed vt rei geſtæ ſeries non ignoretur.]

Vt argumento ſit poſteriorum Græcorum fuiſſe hanc fraudem, cuius cauſa fortaſsè pronunciarit Gregorius à Conſtantinopolitanis falſatum Concilium Chalcedonenſe. Et certè ſi benè attendatur ſeries actorum, apparebit, nec vigeſimum octauum, nec vigeſimum oonum Canonem, qui inſcribitur, Canonis vllam ſpeciem habere, ſed longiores ſumus in ea fraude aperienda, quam tamen propugnare non deſinit Spalatenſis. Verùm, quæ ſunt à nobis obſeruata, eius commentis refellendis ſatis eſſe poſſunt; vt proptereà thraſonicam illam iactantiam, aut potiùs inſultationem, qua Baronium laceſſit, & inſectatur, nihil moremur.

Spalat. n. 9. Baron. to. 6. ann. 451. nu. 128. & ſeq. Euagr. lib. 2. cap. vlt. in fin. Baron. ibid. num 143.

Quis enim his imbutus non rideat hanc vanitatis plenam orationem? [Volui hìc tibi lector, inquit, exactiùs acta Concilij Chalcedonenſis referre, quia ea Baronius mutilata profert, vt liceat ei tandem concludere: Actionem illam vltimam, in qua confirmatus eſt Canon de Primatu Conſtantinopolitano, ſpuriam, & clandeſtinam fuiſſe ab Anatolio furtim adiectam. Cùm tamen, vt vidimus, actio illa tota iuſtificatiſſima fuerit, & maximè legitimis modis celebrata præſentibus ſemper tribus Legatis Apoſtolicis, licèt contradicentibus, & diligenti facto examine, cum legitimis, & liberis ſubſcriptionibus, cum proceſſu, examine, & ſententia definitiua, conciliarique plena approbatione.] At verò Baronium ex alio capite Strophæ, vafriciei, & proditionis (non cadunt iſta in ſanctiſſimum, & innocentiſſimum Cardinalem) poſtulat: quòd comminiſcatur ipſum Concilium noluiſſe eſſe præſentes Ægyptios Epiſcopos, dum in præiudicium ſui Patriarchæ Alexandrini, Conſtantinopolitanus ſuprà modum

Spalat. nu. 9.

euehitur. [Cùm tamen, vt vidimus, actio illa, ait, iuſtificatiſſima fuerit, & maximè legitimis modis celebrata, præſentibus ſemper tribus Legatis Apoſtolicis, licèt contradicentibus; & diligenti facto examine, cum legitimis, & liberis ſubſcriptionibus, cum proceſſu, examine, & ſententia definitiua, conciliariſque plena approbatione. Falſum igitur eſt, quod opponitur, clam, & inſcijs Romanis Legatis, Canones illos fuiſſe cuſos. Nam facti ſunt certiores ipſi Legati, & rogati, vt geſtis adeſſent, ſed refugerunt Strophã in hoc, vafriciẽ, & proditionẽ ponit Baronius, cum tamen ipſius ſit Stropha, vafricies, & proditio; in eo præſertim, quòd cõminiſcitur ipſũ Concil. noluiſſe eſſe præſentes Ægyptios Epiſcopos, ne, inquit, reclamarent dum in præiudicium ſui Patriarchæ Alexandrini, Conſtantinopolitanus ſuprà ipſum euehitur. Et tamen maximo conatu, ac fermè intolerabili importunitate ipſi Epiſcopi Ægyptij reſtiterunt, ne ſubſcriberent, non Canonibus Chalcedonenſibus, ſed epiſtolæ Leonis de Verbi incarnatione, donec ipſorum primas Alexandrinus Patriarcha crearetur. Qui ergo nimia obſtinatione reſtiterunt, ne ſubſcriberent tam neceſſariò dogmati contra Neſtorianos, antequam haberent ſuum Patriarcham, quem ſequerentur; quomodo ſubſcripſiſſent Canonibus Conciliaribus circa Eccleſiaſtica externa regimina? vt proptereà vltimo Canone, Patres Chalcedonenſes, eis compati voluerint; & à ſeueriori cenſura liberare. Et non erubuit Baronius, contra tam manifeſta acta aſſerere, Epiſcopos Orientis aſtu feciſſe, vt Ægyptij non intereſſent. Qui tamen poſtquam noluerunt ſubſcribere epiſtolæ Leonis actione quarta, ordinationem ſui Archiepiſcopi in locum Dioſcori depoſiti expectantes, nulli ampliùs Actioni Conciliari interfuerunt: ſed Chalcedone, penè ligati, & perpetuò de hæreſi ſuſpecti, priuatim ſubſiſtebant. Et tandem profectò Concilio, damnato Eutychete, & Dioſcoro, factaque ſubſcriptione epiſtolæ Leonis, reuerſi ſunt Alexandriam, ibique Proterium Dioſcoro viuenti, ſed damnato, ſubſtituerunt.

Baron. ibid. num. 135.

Act. 4.

Liber. Bren. cap. 14.

Verùm ſi quod addit Baronius, benè perpendatur, crimine liberabitur, culpaque tota in Orientis Epiſcopos conijcietur: Palpaſſe enim Ægyptios oſtendit, addito Canone, quo excuſandos eſſe eos; neque ob id vt Schiſmaticos habendos declarant, quod minimè, vt alij ſubſcriberent rebus in Synodo Chalcedonenſi decretis, idque feciſſe eos contendit, vt Aegyptij, omni auctoritate in Synodo ſpoliari, nomine ſui Patriarchæ Anatolio Conſtantinopolitano ſe inſolentius efferenti, negotium faceſſere. eique ſe opponere non poſſent. Iactis ruinoſis fundamentis, de quibus nos egimus, vitioſè ædificat Spalatenſis, & rursùs illa obtrudit de magnitudine vrbium, vt ſplendorem vrbis primatum Conſtantinopoli aſſeruiſſe probet; verùm hæc ſunt à nobis, vt illud quod addit de conſuetudine, ſuprà diſpuncta. Tamen vt ſubditio Canoni auctoritatem aſtruat, & pondus addat, trium Imperatorum Leonis, Baſilij, ac poſtremò Iuſtiniani teſtimonia profert. Interim, quod ædificarat, diruit, inducto Leone Pontifice, qui pondus illud detrahat, & auctoritate ſpoliet canonem; nam Pontificum eſt, non Imperatorum de eis cenſere, & iſta ſancire: Palatia, inquit Ambroſius, Regum ſunt, Eccleſiæ Sacerdotum.

Sed expendamus verba Spalatenſis: [Leoni tamen magno hoc priuilegium, inquit, Spalat. n. 11.

Con-

Epiſt.56.57. & 58. Conſtantinopolitanum viſum eſt intollerabiie, ipſeque primus omnium contra ipſum inſurrexit acerrimè.]

Quid igitur ad iſta reponit? [Et tamen ait, tempore Leonis erat iam Sedes Conſtantinopolitana in pacifico poſſeſſu huius Primatus, tum ex conſuetudine, vt oſtendi, tum ex canone Conſtantinopolitani Concilij, imò ex legibus etiam Imperialibus, vt mox dicam. Et longè falluntur, qui negant antè Concilium Chalcedonenſe Sedem Conſtantinopolitanam vſam eſse illo priuilegio, vt propterea Leo ſe acriter oppoſuerit. Erat enim profectò in vſu etiam ante Concilium Conſtantinopolitanum, vt dicebat Eleutherius Chelcedonenſis, & ante Chalcedonenſe poſt Conſtantinopolitanum, multò magis; vt mox oſtendam. Cur enim Leo dat in mandatis ſuis Legatis, quod ſuprà vidimus num. 6. vt opponant ſe conatibus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, niſi quia videbat illam frui tali priuilegio; & conaturam, vt adhuc meliùs occaſione Concilij generalis confirmaretur? Ac
Act.16. propterea Legati Papæ in Concilio Chalcedonenſi ità arguebant: ſi his temporibus hoc beneficio vſi ſunt, quid nunc requirunt? Si numquam vſi ſunt, quare requirunt? vſi enim ſunt, vt iam probabo; & tamen confirmationem poſtulant, vt vſus, etiam canone iam alteriùs Concilij generalis confirmetur; & ſic ſe meliùs à moleſtijs Romanorum Pontificum obſiſtentium liberent, & tueantur.]

Spalat.n.12. [Vſum verò, addit ille, facilè probamus. Primùm, quia Eleutherius Chalcedonenſis, ſuprà num. 7. teſtabatur in Concilio Chalcedonenſi, Eccleſiam Conſtantinopolitanam habere iura illa Primatus, etiam ex præcedenti conſuetudine, antequam ille Canon fieret in Concilio Conſtantinopolitano. Et vbi ſingulis Primatibus aſſignantur in eodem Concilio Conſtantinopolitano ſuæ Prouinciæ, quas iuxta Nicænos Canones regere debeant, Conſtantinopolitano Epiſcopo aſſignatur Thracia, tamquam ipſius propria, quam iam haberet, Prouincia: ſed in Concilio Chalcedonenſi ex confeſſione Epiſcoporum Ponti, & Aſiæ apparet, poſt Concilium Conſtantinopolitanum etiam Aſiani, & Pontum ſola conſuetudine ad Conſtantinopolitanum acceſſiſſe; ideòque idem Concilium Chalcedonenſe Thraciam, Aſiam, Pontum ei aſſignat, vt earum Metropolitanos poſſit ordinare.]

Spalat. n.13. [Deindè verò idem vſus poſt Concilium Conſtantinopolitanum, & ante Concilium Chalcedonenſe, confirmatur etiam ex dictis, quæ ſequuntur: Ioannes Chryſoſtomus libellos accuſationum aduersùs Theophilum Alexandrinum à Monachis Aegytijs accepit, & iudicium agitauit: Aſianos Epiſcopos iudicat, & condemnat: Viſitat Aſiam, & depoſuit Epiſcopos, etiam Metropolitanos, vt Nicomediensem. Atticus Conſtantinopolitanus Silnanum Philoſophum, Philoppopolis, donauit Epiſcopatu. Proclus, Thalaſſum Præfectum Prætorio facit Cæſareæ Cappadociæ Archiepiſcopum.

Honorius Imperator iura Patriarchatus Conſtantinopolitani ad Illyricum extendi debere, promulgata ſanctione conſtituit, quæ talis eſt: Omni innouatione ceſſante, vetuſtatem, & canones priſtinos Eccleſiaſticos, qui vſque nunc tenuerunt, etiam per omnes Illyrici Prouincias ſeruari præcipimus. Si quid dubietatis emerſerit, id oporteat, non abſque ſcientia viri Reuerendiſſimi ſacroſanctæ legis Antiſtitis Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, quæ Romæ veteris prærogatiua lætatur, conuentui Sacerdotali, ſanctoque iudicio reſeruari. Canonem verò Conſtantinopolitanum de Primatu illiùs Eccleſiæ Romano Pontifici fuiſſe delatum, & ab eo acceptum, ſicut ſuprà teſtabatur Euſebius Dorylæi, ità codex Canonum, quem ſibi Romana collegerat Eccleſia, id confirmat; quia canonem Conſtantinopolitanum, cum adiectione illius priuilegij habet, & tamen canonem Chalcedonenſem; quia illum nondùm acceptarat, non habet; vt videre eſt in dicto codice canonum, ex veuſtiſſimis exemplaribus deſumpto, & impreſſo Moguntiæ anno 1525. quo vſa eſt Eccleſia Romana per multa ſecula, antequam immenſa volumina iuris Canonici Nic.epiſt.8. fuiſſent à Gratiano, Raymundo, & alijs centonum collectoribus conſarcinata.

Certè Nicolaus canonem illum, quem ſextum vocat Conſtantinopolitanum, Romæ inueniri negare non potuit. Et nondùm indictum fuerat Concilium Chalcedonenſe, Act.1. cùm Euſebius Dorylæi, cauſam Eutychetis vehementiùs commendat Flauiano Conſtantinopolitano; qui & in ea coacta Synodo plurimùm laborat. Sic etiam cauſa Ibæ Edeſſeni ſupplici libello eidem Flauiano offertur.

Et Anatolius in Concilio Chalcedo- Act.10. nenſi, cùm nondùm in eo fuerat factum Decretum de Primatu Conſtantinopolitano poſt Legatos Romanos, in dicenda ſententia primus eſt; vt patet potiſſimùm in damnatione Dioſcori. Act. 3.

Expendamus ſingula. Pontum, & Aſiam ad Conſtantinopolitanum non pertinuiſſe ante Chalcedonenſem Synodum oſtendunt illa, quæ actione 11. & 12. in cauſa Baſſiani, & Stephani geſta ſunt, namque cùm ijs exauctoratis, ac dignitate Epiſcopali ſpoliatis, dandus Epheſijs eſſet Antiſtes, Act.11. ac eius ordinationem vrgeret Dorylæi Epiſcopus Euſebius, Reuerendiſſimi Epiſcopi dixerunt: [Miſeremini noſtri. Nos ſupplicamus ſancto Concilio, vt miſereatur filiorum noſtrorum, ne fortè propter nos, & propter peccata noſtra moriantur, vt nobis clementia condonetur.

Nam ſi Baſſiano ſucceſſorem ſuadeat aliquis hìc ordinari, & filij noſtri moriuntur, & ciuitas deperit: Glorioſiſſimi iudices dixerunt. Quoniam ſecundùm voces ſancti Concilij, neque Baſſianus, neque Stephanus Reuerendiſſimi digni ſunt, qui in Epheſiorum ciuitate ſint Epiſcopi; Aſiani autem Epiſcopi hìc reperti dicunt? Si hìc ordinetur alter Epiſcopus, Epheſiorum conturbari ciuitatem, dicat ſancta Synodus, vbi volunt canones Epiſcopum Epheſinæ Eccleſiæ ordinari? Reuerendiſſimi Epiſcopi clamauerunt: In Prouincia; Diogenes Reuerendiſſimus Epiſcopus Cyzici dixit: Conſuetudo hoc habet. Si factus fuiſſet à Conſtantinopolitano Epiſcopo, non haberent hæc agi. Ibi enim Salgamarios ordinant, & propterea euerſio fit.

Leontius Reuerendiſſimus Epiſcopus Magneſiæ dixit; A ſancto Timotheo vſque nunc viginti ſeptem Epiſcopi facti, omnes in Epheſo ſunt ordinati: Solus Baſilius violenter hic factus eſt, & multæ cædes hinc ortæ ſunt. Philippus Reuerendiſſimus Presbyter Conſtantinopolitanæ ſanctiſſimæ magnæ Eccleſiæ dixit: ſanctæ memoriæ Ioannes Epiſcopus Conſtantinopolitanus quindecim Epiſcopos depoſuit, profectus in Aſiam, & pro eis alios ordinauit, & Memnon hic ordinatus eſt. Ætius Archidiaconus Conſtantinopolis dixit: & Caſtinus hic ordinatus eſt; Heraclides, & alij cum voluntate noſtræ Vrbis Archiepiſcopi ordinati ſunt. Baſilium ſimiliter beatæ memoriæ Proclus ordinauit, & beatæ memoriæ quidam Theodoſius Imperator huiuſcemodi ordinationi cooperatus eſt, & beatæ memoriæ Cyrillus Alexandrinus Epiſcopus. Reuerendiſſimi Epiſcopi clamauerunt: Canones obtineant. Voces Imperatori. Clerici Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ clamauerunt: Ea, quæ ſanctorum Patrum centum quinquaginta ſunt, teneant: Priuilegia Conſtantinopolis ne depereant. Ordinatio ſecundùm morem ab Archiepiſcopo noſtro fiat. Glorioſiſſimi iudices dixerunt: Perſpicimus, quia hic deliberatione opus habet ſanctum Concilium de ordinatione Epiſcopatus Epheſinæ Eccleſiæ. Vnde, ſi videtur, cras hoc perfectiùs diſponatur.]

Soli Conſtantinopolitani reclamarunt, vt appareat, aliam Aſianorum Epiſcoporum, aliam Cleri Conſtantinopolitani ſententiam fuiſſe: neque enim negamus id ſibi perſuaſiſſe, Conſtantinopolitanos, penès ſcilicet Antiſtitum ſuum eſſe ius Epiſcoporum ordinandorum, qua opinione deceptus etiam ipſe Chryſoſtomus, vt eadem ſeſſione vndecima refertur, quindecim Epiſcopos in Aſiam profectus depoſuit, & alios in illorum locum ſuffecit, quod habet etiam Palladius, & referunt Socrates, ac Sozomenus. De Attico, qui Syluanum Philoſophum Philoppopolis Epiſcopatu donauit.

Reſpondeo, Atticum dolis egiſſe apud Theodoſium Imperatorem, vt lex conderetur, qua non ſolùm Canon ille ſubdititius Conſtantinopolitanus confirmaretur, verùm etiam poteſtas ei in Illyricum decerneretur, Aſianis & Ponticis Eccleſijs iam ſubactis; ſed vt monuimus ſuprà, cùm Sizinius ea lege fretus Cyzico Epiſcopum dare vellet, non tulerunt Epiſcopi illius Metropoleos, & Epiſcopum ipſi conſtituerunt, in gratiam vnius Attici factam legem cauſati.

Sed in ea lege fœdè hallucinatus Spalatenſis, exiſtimauit Honorij eſſe, cùm procul dubiò ſit Theodoſij. Verumtamen eſt, ea lege fretos Antiſtites Conſtantinopolitanos Aſiæ, Thraciæ, Ponti ordinationem ſibi vendicaſſe, quò refero quæ, de Attico, de Proclo, ac ſimilibus obijcit Spalatenſis, vt illum vſum ſuum probet. Preſſerunt veſtigia ſuorum prædeceſſorum poſteriores Conſtantinopolitani Antiſtites, ac tandem peruicerunt, vt ſecundo loco eſſent à Romano Pontifice. Sed quod addit Spalatenſis, *Conſtantinopolitanum Primatum Romano Pontifici delatum, & ab eo acceptum*, tam falſum eſt, quàm eſt verum Dorylæi Epiſcopum Euſebium, quod ſuprà monebamus, Chalcedonenſibus impoſuiſſe: Itàque quamquam Romæ viſus fuerit Canon, quod agnoſcit Nicolaus; Tamen Pontificibus probatus non fuit, vt quæ de Flauiniano, & Anatolio adducuntur, in vſurpationum albo cenſeri debeant, & fauori Imperatorum deputari. Hoc certè inuictiſſimis rationibus oſtendit Spalatenſis, prolatis prolixia locis ex epiſtolis Leonis, quibus non ſolùm non admiſiſſe Romanum Pontificem illud Decretum, verùm etiam acriùs impugnaſſe demonſtratur.

Subijciamus hæc ipſa loca, vt quid reponat Spalatenſis, diſcutiamus; [Chalcedonenſe Decretum, hoc, inquit, de Primatu Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, omnium acerrimè rum Leo Pontifex Romanus eſt inſectatus. Excanduit enim vehementiſſimè in Anatolium Conſtantinopolitanæ tunc Sedis Antiſtitem, quem putauit fuiſſe huius Decreti conficiendi, non ſine doloſis artibus auctorem. Audiamus ipſummet Leonem contra ipſum Anatolium in hac cauſa, & contra dictum Decretum rugientem; Ad Anatolium hæc vox eius; Poſt illa ordinationis tuæ non inculpata principia, doleo etiam in hoc dilectionem tuam eſſe prolapſam, vt ſacratiſſimas Nicænorum Canonum conſtitutiones conareris infringere, tanquam opportunè ſe tibi hoc tempus obtulerit, quo ſecundi honoris priuilegium ſedes Alexandrina perdiderit, & Antiochena Eccleſia proprietatem tertiæ dignitatis amiſerit: vt his locis iuri tuo ſubditis omnes Metropolitani Epiſcopi proprio honore priuentur. Quibus inauditis, & nunquam antè tentatis, ità præuenitis exceſſibus, vt ſanctam Synodum (Chalcedonenſem) ad extinguendam ſolùm hæreſim, & confirmationem fidei Catholicæ, ſtudio Chriſtianiſſimi Principis congregatam, in occaſionem ambitus trahas; &, vt conniuentiam ſuam tibi det, impellas, tanquam refutari nequeat, quod illicitè voluerit multitudo: & illa Nicænorum Canonum per Spiritum verè ſanctum ordinata conditio in aliqua vnquam ſit parte ſolubilis. Nulla ſibimet de multiplicatione congregationis Synodalia Concilia blandiantur; neque trecentis illis decem, atque octo Epiſcopis, quantumlibet copioſior numerus Sacerdotum, vel comparare ſe audeat, vel præferre; cùm tanto diuinitùs priuilegio Nicæna ſit Synodus conſecrata, vt ſiue per pauciores, ſiue per plures Eccleſiaſtica iudicia celebrentur, omni penitùs auctoritate ſit vacuum, quicquid ab illorum fuerit conſtitutione diuerſum. Nimis ergo hæc improba, nimis ſunt praua, quæ ſanctiſſimis Canonibus inueniuntur eſſe contraria. In totius Eccleſiæ perturbationem ſuperba hæc tendit elatio; quæ ità abuti voluit Concilio Synodali, vt fratres in fidei tantummodò negotio conuocatos, & definitione eius cauſæ, quæ erat curanda perfunctos, ad conſentiendum ſibi, aut deprauando traduceret, aut terrendo compelleret. Indè enim fratres noſtri ab Apoſtolica Sede directi, qui vice mea Synodo præſidebant, probabiliter, atque conſtanter illicitis auſibus obſtiterunt: apertè reclamantes, ne contra inſtituta Nicæni Concilij præſumptio reprobæ nouitatis aſſurgeret, nec poteſt de eorum contradictione dubitari, de quibus

Spalat. n. 14.

in

in epiſtola tua etiam ipſe conquereris, quòd conatibus tuis voluerint obuiare.

In quo eos quidem multum mihi hæc ſcribendo commendas; Sed temetipſum, quòd eis parere nolueris, dum illicita moliris, accuſas: ſuperfluè non concedenda appetens, & inſalubriter tibi contraria concupiſcens; quę nullum vnquam poterunt noſtrum obtinere conſenſum. Abſit enim à conſcientia mea, vt tam praua cupiditas meis ſtudijs adiuuetur; ac non potiùs, & meo, & omnium, qui non alta ſapiunt, ſed humilibus conſentiunt, opere ſubruatur. Sancti illi, & venerabiles Patres, qui in Vrbe Nicæna, ſacrilego Ario cum ſua impietate damnato, manſuras vſque in finem mundi leges Eccleſiaſticorum canonum condiderint, & apud nos, & in toto Orbe terrarum, in ſuis conſtitutionibus viuunt, & ſi quid vſquam, aliter quàm illi ſtatuerunt, præſumitur, ſine cunctatione caſſatur: vt quæ ad perpetuam vtilitatem generaliter inſtituta ſunt, nulla commutatione varientur; nec ad priuatum trahantur commodum, quæ ad bonum ſunt commune præfixa: & manentibus terminis, quos conſtituerunt Patres, nemo in ius tendat alienum, ſed intrà fines proprios, atque legitimos, prout quis valuerit, in latitudine ſe charitatis exerceat; cuius ſatis vberes fructus Conſtantinopolitanus poteſt Antiſtes requirere, ſi magis humilitatis virtute nitatur; quàm ſi Spiritu ambitionis infletur.

Noli altum ſapere, ſed time; & Chriſtianiſſimorum Principum pijſſimas aures improbis petitionibus, inquietare deſiſte: quibus certum habeo, modeſtia te magis quàm elatione placiturum. Perſuaſioni enim tuæ in nullo penitùs ſuffragatur quorumdam Epiſcoporum ante ſexaginta, vt iactas, annos facta ſubſcriptio; numquamque à prædeceſſoribus tuis, ab Apoſtolicæ Sedis tranſmiſſa notitiam; cui ab initio ſui, caducæ, dudùmque collapſæ, ſera nunc, & inutilia ſubijcere fomenta voluiſti; eliciendo à fratribus ſpeciem conſenſionis, quam tibi in ſuam iniuriam verecundia fatigata præberet. Memento quid Dominus ei, qui vnum de puſillis ſcandalizauerit, comminetur; & ſapienter intellige, quale ſit Dei iudicium ſubiturus, qui tot Eccleſijs, tot Sacerdotibus, ſcandalum inferre non metuit. Fateor enim, ità me dilectione vniuerſæ fraternitatis obſtringi; vt nemini prorsùs, in his, quæ contra ſe poſcit, aſſentiam; poſſiſque euidenter agnoſcere, me dilectioni tuæ beneuolo animo contraire, vt ſaniore Concilio, ab vniuerſalis te Eccleſiæ perturbatione contineas.

Non conuellantur Prouincialium iura Primatum, nec priuilegijs antiquitùs inſtitutis, Metropolitani fraudentur Antiſtites. Nihil Alexandrinæ Sedis eius, quam per ſanctum Marcum Euangeliſtam beati Petri Diſcipulum meruit, pereat dignitatis: Nec Dioſcoro impietatis ſuæ pertinacia corruente, ſplendor tantæ Eccleſiæ tenebris obſcuretur alienis. Antiochena quoque Eccleſia, in qua primùm prædicante beato Apoſtolo Petro, Chriſtianum nomen exortum eſt; in paternæ Conſtitutionis ordine perſeueret: & in gradu tertio collocata, nunquam ſe fiat inferior. Aliud enim ſunt ſedes; aliud præſidentes: & magnus vnicuique honor eſt integritas ſua. Quæ cùm in quibuslibet locis propria ornamenta non perdat, quantò magis in Conſtantinopolitanæ Vrbis magnificentia poteſt eſſe glorioſa, ſi per obſeruantiam, & defenſionem paterni canonis, & exemplum probitatis, multi habeant Sacerdotes.]

Spalat. n 15.

Et ad Martianum Auguſtum, de eodem Anatolio conquerens ait: Qui etiamſi præcipuis meritis, optimoque iudicio, legitimè fuiſſet, ac ſolemniter ordinatus contra reuerentiam canonum paternorum, contra Sancti Spiritus inſtituta, contra antiquitatis exempla, nullis poſſet ſuffragijs adiuuari. Apud Chriſtianum, & verè religioſum, verèque Orthodoxum Principem loquor; multùm Anatolius Epiſcopus proprio detrahit merito, ſi illicito creſcere optat augmento. Habeat, ſicut optamus, Conſtantinopolitana ciuitas gloriam ſuam, ac protegente dextera Dei, diuturno clementiæ veſtræ fruatur imperio. Alia tamen eſt rerum ſæcularium, alia diuinarum; nec præter illam petram, quam Dominus in fundamento poſuit, ſtabilis erit vlla conſtructio, propria perdit, qui indebita concupiſcit. Satis ſit, quòd prædicto veſtræ pietatis auxilio, & mei fauoris aſſenſu Epiſcoparum tantæ Vrbis obtinuit.

Non dedignetur Regiam ciuitatem, quam Apoſtolicam non poteſt facere ſedem; nec vllo ſperet modo, quòd per aliorum poſſit offenſiones augeri. Priuilegia enim Eccleſiarum, Sanctorum Patrum canonibus inſtituta, & venerabilis Nicænæ Synodi fixa decretis, nulla poſſunt improbitate conuelli, nulla nouitate mutari. In quo opere, auxiliante Chriſto, fideliter exequendo, neceſſe eſt me perſeuerantem exhibere famulatum, quoniã diſpenſatio mihi credita eſt, & ad meum tendit reatum, ſi Paternarum regulæ ſanctionum, quæ in Synodo Nicęna ad totius Eccleſiæ regimen, Spiritu Dei inſtruente, ſunt conditæ, me, quod abſit, conniuente violentur, & maior ſit apud me vnius fratris voluntas, quàm vniuerſæ domus Domini communis vtilitas.

Et paulò pòſt: Vnde quia conuenit fidei veſtræ, vel gloriæ, vt ſicut hæreſis, Deo per vos agente, deſtructa eſt, ità etiam omnis ambitus retundatur; agite quod & Chriſtianę eſt probitatis, & Regiæ; vt prædictus Epiſcopus pareat Patribus; conſulat paci, neque ſibi æſtimet licuiſſe, quòd Antiochenum, ſine vllo exemplo, contra ſtatuta canonum, Epiſcopum ordinare præſumpſit, quod amore reparandæ fidei, & pacis ſtudio retractare ceſſauimus. Abſtineat ergo ab Eccleſiaſticarum iniuria regularum, & illicitos declinet exceſſus; ne ſe ab vniuerſali Eccleſia, dum inimica paci tentat, abſcindat.]

Spalat. n. 16.

Et Pulcheriæ Auguſtæ; Confirmato autem, inquit, [in vnitate Euangelij vniuerſo mundo, & in eodem Spiritu ſenſus directis cordibus omnium Sacerdotum, optimum fuerat ſupra illa, propter quæ eſt ſancta Synodus congregata, & quæ ſecundùm pietatis veſtræ ſtudium, probili ſunt fine concluſa; nihil quod tanto bono contrarium eſſet inferri, nec per occaſionem Epiſcopalis Concilij, id in commune apperi, quod non licuit concupiſci. Frater enim, & Coepiſcopus meus

meus Anatolius, parùm conſiderans quanto pietatis veſtræ beneficio, & mei fauoris aſſenſu Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Sacerdotiũ fuerit conſecutus, non tam de adeptis gauiſus, quàm de immodicis appetendis, ſuprà menſuram ſui honoris accenſus eſt, credens huic tam imperanti cupiditati poſſe prodeſſe, quòd ei quorundam conſenſum præbuiſſe dicitur extorta ſubſcriptio; cum tam deſtruendis mox conatibus contradictio fratrum, & Coepiſcoporum meorum vicem meam agentium fideliter, & laudabiliter obuiaret. Quoniam contra ſtatuta paternorum canonum, quæ antè longiſſimæ ætatis annos, in vrbe Nicæna, ſpiritualibus ſunt fundata decretis, nihil cuique addere conceditur, ità vt, ſi quis aduersùs aliquid decernere velit, ſe potiùs minuat, quàm illa corrumpat, quæ ſi, vt oportet, à cunctis Pontificibus intemerata ſeruentur, per vniuerſas Eccleſias tranquilla erit pax, & firma concordia, nullæ de menſuris harum diſſenſiones, nullæ de ordinationibus lites; nullæ de priuilegijs ambiguitates; nulla erunt de aliena vſurpatione certamina; ſed ea, quæ iure charitatis rationabilis eſt, & morum, & officiorum ſeruabitur vnanimitas. Et ille verè erit magnus, qui fuerit totius ambitionis alienus, dicente Domino; Quicumque voluerit inter vos maior fieri, &c. Et tamen hæc illis tunc inſinuabantur, qui de puſillo volebant creſcere; & de infimis in ſumma tranſire. Conſtantinopolitanæ verò Præſuli Eccleſiæ, quia ampliùs quàm aſſecutus eſt, concupiſcit, quid illi ſatiſfaciet, ſi tantæ vrbis magnificentia, & claritudo non ſufficit? Superbum nimis eſt, & immoderatum vltra fines proprios tendere; & antiquitate calcata, alienum ius velle præripere, atque vt vnius creſcat dignitas, tot Metropolitanorũ impugnare Primatus; quietiſque Prouincijs, & olim ſanctæ Synodi Nicænæ moderatione diſpoſitis bellum nouæ perturbationis inferre, atque vt venerabilium Patrum Decreta ſoluantur; quorundam Epiſcoporum proferre conſenſum, cui tot annorum ſeries negauit effectum. Nam ſexageſimus ferè annus huius iactantiæ eſſe iactatur, qua ſe prædictus Epiſcopus æſtimat adiuuari, fruſtrà cupiens id ſibi prodeſſe, quod etiãſi quiſquam auſus eſt velle, nullus tamen potuit obtinere. Agnoſcat, cui ſucceſſit viro, & repulſo omni ſpiritu elationis, Flauiani modeſtiam, Flauiani humilitatem, quæ illum vſque ad confeſſionis gloriam prouexit, imitetur. Cuius ſi velit ſplendere virtutibus, laudabilis erit, & in omni loco plurimùm dilectionis acquiret: non ambiendo humana, ſed promerendo diuina. Hæc autem obſeruantia cum illi animum ſpondet copulandum, & Apoſtolicæ ſedis dilectionem, quam Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ ſemper impendimus, nulla mobilitate violandam. Quia ſi interdùm immoderati præſules aliquas incidunt culpas; Eccleſiarum tamen Chriſti integra gratia perſeuerat. Conſenſiones verò Epiſcoporum, Sanctorum Canonum apud Nicæam conditorum regulis repugnantes, vnita nobiſcum veſtræ fidei pietate in irritum mittimus; & per auctoritatem B. Petri Apoſtoli generali prorsùs definitione caſſamus; in omnibus Eccleſiaſticis his legibus obſequentes, quas ad pacificationem omnium Sacerdotum, per trecentos decem, & octo Antiſtites, Spiritus ſanctus inſtituit; ità vt etiamſi multò plures alij, quàm illi ſtatuere decernerent, in nulla reuerentia ſit habendum quicquid fuerit à prædictorum conſtitutione diuerſum. Hactenùs Leo. Similia repetit, & inculcat in Epiſtolis quoque 63. 66. tom. 1. Epiſt. Decret. Rom. Pont. Hæc autem integra, & ſi longiora afferre volui, & non mutilata, vt Leonis ſenſus totus appareat: & mihi ad alia quoque in ſequentibus inſeruiant.] Ex his tam prolixè à Spalatenſi recenſitis, omninò apparet, Pontificem, in quo vno reſideret poteſtas Canones corroborandi, ac firmandi, furtiuum illud decretum damnaſſe, neque verò probare potuiſſe. Quid igitur ad iſta reponit Spalatenſis, Leonem Ambitus poſtulat, impatièntem conſortis facit, atque vt riualem deijciat vanitatem, Nicœnos Canones oſtentantem inducit, ac demùm in Conſtantinopolitani Antiſtitis dignitatem inſurgentem. [In his tamen ipſis, inquit, nihil magis vrget Leo, quàm Nicænorum Canonum Iniuriam, ac violationem: atque hac prætenſione armatus; Conſtantinopolitano priuilegia reſiſtebat. Reuera tamen ſe ſolùm totius vniuerſalis Eccleſiæ Monarcham eſſe cupiebat; neque facilè patiebatur ſocium, & æmulum in Eccleſiaſtico imperio, licèt vno dignitatis gradu inferiorem. Non capit regnum duos. Habeat, inquit, ſicut optamus, Conſtantinopolitana ciuitas gloriam ſuam. Alia tamen ratio eſt rerum ſæcularium, alia diuinarum, nec præter illam Petram, quam Dominus in fundamento poſuit, ſtabilis erit vlla conſtructio: propria perdit, qui indebita concupiſcit. Hæc profectò ad præiudicium Sedis Romanæ pertinere quiſque nouit. Ideòque Legatis ſuis ad Concilium Chalcedonenſe miſſis mandat idem Leo, vt perſonæ ſuæ ſeruent dignitatem, Conſtantinopolitano Primatui reſiſtendo; vt habemus ſuprà num. 6. Hinc igitur illæ lachrymæ. Non poteſt pati nouum Primatum Conſtantinopolitanum; quia ille Romanum Primatum videbatur deprimere, dum nuper Patriarcha Conſtantinopolitanus aſſurgit ad omnimodam æqualitatem cum Romano. Atque hoc abſolutam Romanam Eccleſiaſticam Monarchiam conuellebat, quam ſibi ex diuina per Petrum inſtitutione iam effingebat.

Spalat. n. 17.

Seneca in Thyeſte.

Leo ep. 57.

Nicœnorum porrò Canonum iniuriam in hac Conſtantinopolitana euectione nullam ego obſeruo: Nam, vt ſuprà etiam monui, Nicœni Canones nihil de ordine inter Patriarchales Eccleſias ſtatuunt; ſed potiùs ſupponunt æqualitatem inter illas; & illud dumtaxat præcipiunt, vt ſuis ſe quiſque detineat limitibus; nec in alienam erumpat Prouinciam, dum ſcilicet aliena eſt, fineſque circumſcribunt Alexandrino, & Antiocheno, ſicut iam Romano, ex ipſa conſuetudine præſcriptos eſſe cernebant; vltra quos extendi eis non licerèt: ſed non prohibent quò minùs poſſint fines eorum retrahi, & decurtari nouatum Metropolum legitima erectione. Eam enim legem ponunt vniuerſalem, vt cuique Metroplitano ſua iura illæſa ſeruentur; non modò videlicet ijs, qui tunc temporis erant Metropolitani; ſed etiam reliquis omnibus, qui

Spalat. n. 18.

qui ſucceſſu temporum exurgerent. Quemadmodùm igitur conſuetudo Eccleſiaſtica occaſionem dedit Nicęno Canoni, fines Patriarchis, & Metropolitanis præſcribendi, ità quid obſtat quominus vlterior conſuetudo, alios ſiue Patriarchas, ſiue Metropolitanos inſtituat, eaque conſuetudo Conciliaribus Oecumenicis firmetur decretis, ſicut Nicęnis anterior conſuetudo firmata fuit? Et hoc Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ contigiſſe iam oſtendi. Nihil ergo contra Nicænum Canonem faciunt Conſtantinopolitani, & Chalcedonenſis Concilij Decreta, licèt Antiocheno Patriarchæ, pars aliqua magni ſui Patriarchatus, eo pręſertim conſentiente, per Concilia generalia abſcindatur: (nam Alexandrino nihil ereptum eſt ſuarum Prouinciarum) dummodò Conſtantinopolitanis ſuis finibus iam ſibi legitimè aſſignatis contentus, non inuadat in fines alienos: quod potiſſimùm Nicæni Canones prohibuerunt, & in hac parte omnibus ſunt ſeruandi; neque vllus Epiſcoporum numerus, licèt maior, vt vult Leo, poſt eos conuellere, ac licitum facere, vt Patriarcha quicumque, ſeu Primas, aut Metropolitanus, poſſit in alienam Prouinciam extra proprios fines ſibi legitimè præſcriptos, ſe extendere; præſertim in ordinationibus Epiſcoporum, ſeu Metropolitanorum faciendis. Nam aliquod priuilegium, & conſuetudo, & Canones, & leges Patriarchis, Ciuitatum præſertim Imperialium,ſupra reliquos Patriarchatus etiam indulſiſſe oſtendam cap. 9. Non erat ergo Leoni occaſio tantoperè reſiſtendi, magnorum Conciliorum decretis: Ac certè anno vix dum poſt Concilium Chalcedonenſe trigeſimo, Fœlicem Tertium Papam video in Conſtantinopolitanum hunc primatum ſpontè conſentire; Fatetur enim Acacium Conſtantinopolitanum habere ſub ſe Epiſcopos ei ſubiectos: Ideoque miror cur Gelaſius proximus Felicis ſucceſſor eundem Primatum riſerit, & impugnarit, quem etiam poſteà Innocentius Tertius ſolemni conſtitutione ſtabiliuit, & Concilium Florentinum confirmauit.

Leo ep. 56. 58. 86.

Quid ad hæc igitur reponit Spalatenſis? [Conatus quidem eſt Leo Chalcedonenſe illud ſtatutum infringere, & quantum in ipſo erat caſſare, & abolere, illis verbis ad Pulcheriam Auguſtam ſcriptis, videlicèt, Conſenſiones verò Epiſcoporum, Sanctorum Canonum apud Nicæam conditorum regulis repugnantes, vnita nobiſcum veſtræ fidei pietate, in irritum mittimus, & per auctoritatem beati Petri Apoſtoli generali prorsùs definitione caſſamus. Sed caſſatio hæc in Romana dumtaxat Eccleſia tantiſper obtinuit, quandiu Primatui Conſtantinopolitano illa reſtitit, neque in ſuo Codice Canonum, vt dixi, voluit decretum illud retinere. Orientalis tamen Eccleſia Conciliare decretum legitimè factum; præcedentis tum Synodici decreti Conſtantinopolitani, tum antiquioris etiam conſuetudinis confirmatiuum, & firmum retinuit, & vſu ipſo ſtabiliuit, atque ampliauit. Video enim Ioannem Conſtantinopolitanum ſuam Eccleſiam Romanæ coæquare; & vnam, ac eandem facere: & in hoc cerno ei Hormiſdam aſſentiri; immò & expreſsè paritatem cum Conſtantinopolitano profiteri. Video Epiphanium ſimiliter Conſtantinopolitanum ſe Patriarcham Patriarchæ Romano æquare; ſuſpendereque communionem aliquorum Epiſcoporum, quos Romanus iam in communionem receperat. Video Acacium ſuum priuilegium mordicus retinentem. Quinimmò Epiſcopi Aſiæ, pro ſui reſtitutione libellum ſupplicem eidem porrigunt Acacio, non tamquam Legato Papæ (quò Baronius de more confugit) ſed vt Patriarchæ ſupremo Orientis, vt pluribus explico infrà capite 12. num. 18. Video in Synodo Quiniſexta Conſtantinopolitano Epiſcopo poſt Romanum ſuum confirmari Primatum. Video alium Ioannem Conſtantinopolitanum Concilium indicere, & cauſam Gregorij Antiocheni in eo agitare. Video coràm Patriarcha Conſtantinopolitano aliā etiam de Diœceſi litem inter Antiochenum, & Salaminenſem definiri: Video Ignatium Conſtantinopolitanum ad Gregorij Syracuſani Epiſcopi depoſitionem deueniſſe: & pro Bulgaria ſuo Patriarchatui retinenda acerrimè cum Romano Pontifice eandem ad ſe attrahenre decertaſſe. Video Photium literas etiam Decretales ſcribentem, & vniuerſo Orienti in Eccleſiaſtico regimine leges dantem. Video à Michaele Conſtantinopolitano Patriarcha Antiochenum, & Alexandrinum ſubiugari. Video Metropolitanum Corcyrę, cum ſuis Epiſcopis, qui erant in Italia, in magna Græcia dicta, exactiſſimam obedientiam Conſtantinopolitano Patriarchæ profiteri. Omitto recentiora; Priuilegium ergo Primatus Conſtantinopolitani fuit exactiſſimè perpetuò in Orientalibus Eccleſijs obſeruatum.] Sed quod ad primum attinet iure optimo imminuti magiſtratus accuſandus fuiſſet Leo Pontifex Maximus, niſi ambitioſos conatus Conſtantinopolitani ſe inſolentiùs efferentis repreſſiſſet: & cum auctoritate Chriſti, vnum tantùm Pontificem ſummum Eccleſiæ impoſitum rectorem agnoſceret: quorsùm,& qua pietatis ſpecie Conſtantinopolitanum tuliſſet perniciem legitimo hæredi molientem? Sagaciſſimus enim præſul Leo, videbat futurum, vt deiectis Alexandrino, & Antiocheno etiam in Romanum Pontificem graſſaretur Conſtantinopolitanus, atque hac ratione conſtituto à Chriſto Pontifici perniciem Eccleſiæ moliretur.

Spalat.n.19. Leo ep. 58.

Cæterùm Chalcedonenſium cauillationem retundit Leo, his verbis: *Alia eſt rerum ſæcularium,alia diuinarum, nec præter illam petram, quam Dominus in fundamento poſuit, ſtabilis erit vlla conſtructio. Propria perdit, qui indebita concupiſcit*. An verò vt eius verba expendamus, falſus vates fuit Leo? An non vna ſtante Roma aliæ Sedes Patriarchales corruerunt,& diſſipatæ ſunt? An non ipſa Conſtantinopolis, cuius tanta fuit honorum contentio, à ſæuo, & crudeli tyranno oppreſſa eſt? Quod ſpectat ad Religionem, & ſacra Chriſtianorũ proſtrata, ac diruta iacet. Certè magno Conſtantinopolitano Epiſcopo ſua proteruia ſtetit,ac ambitionis ſuæ grauiſſimas pœnas luit, allata toti Orienti pernicie ægrè auertenda. Itàque diuini viri Leonis vocem exaudiuit Deus, & verum fuiſſe vatem oſtendit, ſcilicet non vno ſchiſmatis crimine ſe

pol-

polluetat; ſed prætereà auctore Phntio in diſputatione de proceſſione Spiritus ſancti, hæreſim Eccleſiæ Romanæ affinxetat, cùm tamen ea labes eius eſſet, quippè quæ à Filio Spicitum ſanctum procedere negarét. Nimirùm vetera toris ea ſraus ſuit, vt omnis reconciliandarum ſummarum Eccleſiarum ſpes præcluderetur, Conſtantinopolitana fœdi erroris labe Romanam aſpergente, contrà, Romana aduersùs Conſtantinopolitanam auitam fidem propngnaute. Itaque dum ſcelus ſcelete cumulat, iuſtas ab ea ſui furoris pœnas repetit Deus, ac tandem ſua culpa perit Conſtantinopolis, quòd ſcilicet Romanis Pontificibus recta monentibus auſcultare renuerit. Quod Gennadius Patriarcha Conſtanrinopolis ſtatim ab exciſa vrbe diuiniſſimè obſeruat. [Quid, inquit, euenit noſtra memoria, nunc ſub Nicolao V. Pontif. Maximo? Cùm Legati à Cnnſtantino Imperatore, qui vocabatur Dragaſes, ad eum miſſi adhuc ſuperſint: quibus literas dedir plenas timotis, & horroris, vbi apertè cum execratione prophetizat excidium, & internecionem extremam infœlicium Græcorum: in quibus poſt alia multa (cùm conuicia, & probra reſeciſſet, quæ à Græcis quotidiè impudentiſſimè iactabantut) mirè, & hoc dicit. Omnes gentes decretum, quod ſancitum eſt, receperunt: Græci verò neque receperunt; neque ſpes eſt eos vmquam eſſe recepturos; quæ ſuper concordia, & vnione decreta ſunt, procraſtinationes enim procraſtinationibus ab eis ſemper prætexuntur, excuſationes, & reſponſiones in ſingulis. Neque verò Græci arbitrentur Romanum Pontificem ità eſſe mente deſtitutum, omnemque Occidentalem Eccleſiam, vt non intelligat, quæ in ſingulis dilationibus reſpondendo nugantur, optimè cuncta nouimus: Sed toleramus in Ieſum reſpicientes ſempiternum Sacerdotem, & Dominum; qui ſterilem illam ficum vſque ad annum tertium iuſſit aſſeruari, agricola iam ad excidendam arborem ſe accingente, quia nullum ſructum ferebat. O magnam calamitatem, & 1453. capta eſt Conſtantinopolis, num poteſtis hæc vera non eſſe? minimè gentium, cùm id ſit manifeſtum, & res ipſa apertè loquatur. Tres, inquit, annos expectabimus, ſi vos forte à ſchiſmate, & ſeparatione conuerteritis, & vos verè decreto adiunxeritis ſecundùm Saluatoris de ficu præceptum. Si verò non excindemini, ne terram otioſam, & inutilem reddatis hoc miraculorum miraculum maximum: quod (vt in epiſtola ipſa ſcribit Nicolaus Papa) Græcorum gens illa magna, & formidabilis, ſapiens, clara, fortis, terrarum domina, ob diuinam vltionem irà in barbarorum ſeruitutem adducta ſit. Hæc enarranti mihi ſubit lamentari, & deplorare excidium gentis noſtræ, quamquam vos non intuemini.]

Gennad. in expoſ. pro Conc. Florent. c. 5. ſect. 14.

Sed ad Chalcedonenſes reuertamur. Cùm Canonem cuderent, dumtaxat magnitudinis, & ſplendoris vrbium meminerunt, de remota tamen cauſa, & impellente ſunt locuti, quod attinet ad proximam, & præciſam, non ignari, Chriſtum Romani primatus auctorem eſſe, qui nedùm Petrum, verùm etiam Leonem ipſum ad eum honorem euexiſſet; propterea ſcilicet Leonis Epiſtolam Beati Petri prædicationem vocant, quòd in Cathedra Petri ſedens eam exaraſſet, ac ad Concilium miſiſſet.

Et omninò conſtat ex relatione Concilij ad Leonem, agnouiſſe eos auctoritate Chriſti conſtitutum Pontificem vineæ, ideſt, Eccleſiæ, cuſtodem; ſic enim de Dioſcoro: *Inſuper & contra ipſum*, inquiunt Patres Concilij Chalcedonenſis, *cui vineæ cuſtodia à Saluatore commiſſa eſt, extendit inſaniam, ideſt, contra tuam quoque Apoſtolicam Sanctitatem. Et excommunicationem meditatus contra te, qui corpus Eccleſiæ vnire feſtinas*. Quare, etiam eadem epiſtola, præterita illa magnitudine vrbium, duas alias rationes proferunt, quibus in ſuam ſententiam pertrahere Pontificem conantur. *Confidentes*, inquiunt, *quia lucente apud vos Apoſtolico radio, & vſque ad Conſtantinopolitanorum Eccleſiam conſuetè gubernando, illum ſpargentes, hunc ſæpiùs expanditis, eò quòd abſque inuidia conſueueritis veſtrorum bonorum participatione ditare domeſticos*. Cogitandum ergo illis ſuit hoc cuſtode vineæ, & gubernatore Eccleſiæ à Chriſto impoſito, in eo eſſe acquieſcendum, nec alium eſſe ſuperinducendum, de quo nihil ſtatuerit. Nec Synodorum quamtumuis illuſtrium verum vnius Chriſti eſſe, Rectorem Eccleſiæ præficere, vt proptereà eam dignitatis æqualitatem Conſtantinopolitano aſſerere non debuerint. Sed hæc ſuprà expendimus. Quod verò attinet ad iniuriam Canonibus factam, perperam negat Spalatenſis Canonibus Nicænis conſtitutum Patriarcharum ordinem, hoc furtiuo decreto turbari. Peto enim ab eo, num veteri conſuetudine receptum non eſſet, vt ſecundus à Pontifice Romano inter Epiſcopos haberetur Alexandrinus; Tertio verò loco conſiſteret Antiochenus; hoc ſi negat, omnibus omninò, & hiſtorijs, & Conciliorum actis fidem detrahit: Atqui admiſſo ſubdititio Canone Chalcedonenſi, non iam ſecundus habetur Alexandrinus, ſed ſuo loco pulſus, Conſtantinopolitano cedere cogitur, ac in tertio conſiſtere iubetur, reiecto in quartum Antiocheno. Cùm igitur veterem morem obſeruandum duxerit Concilium Nicænum, procul dubiò ordo, non tam ab eo præſtitutus, quàm firmatus, Chalcedonenſi decreto turbatur, proptereaque Leoni Synodi Nicænæ acerrimo propugnatori, cauſa fuit conquerendi violatorum priorum Canonum. Et vt Nicæni Patres poteſtatem liberam reliquerint alijs Concilijs, erigendarum nouarum Metropoleon, eminentioribus, & excelſioribus illis thronis à Petro fundatis, ac conſtabilitis, ſuus honos eripi non debuit, vt hominibus ambitioſis traderetur. Quid igitur attinuit Conſtantinopolitanos Antiſtites olim Heracleoti ſubiectos, nec alijs Metropolitis permixtos his Eccleſiæ proceribus prætuliſſe? Nimirùm, qui Pontifices Romanos ſuperbiæ inſimulat Spalatenſis, Conſtantinopolitanorum faſtum, ac typhum defendendum ſuſcepit, non charitate Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, ſed odio Romanæ. Verùm nec pondus, nec robur habet deſertoris ſuffragium, contrà, pro tribunalij, & pro auctoritate ſibi à Chriſto commiſſa, de iniuſto, & ſubdititio decreto cenſet magnus Leo. Sed ea ſolertia, & prudentia, vt quæcumque ſunt à Chalcedonenſibus de fide ſapienter, & orthodoxè defi-

Rel. Conc. Chalc. ad Leon. Papâ.

Ibid.

definita, rata, ac firma habeat, obeliſcoque ſolam ſpuriam ſanctionem confodiat.

Audiamus æquiſſimum cenſorem epiſtola ad Pulcheriam, cuius partem tantùm retulit Spalatenſis: [Sanctis, inquit, & Deo placitis clementiæ veſtræ ſtudijs defenſam contra hæreticos Catholicam fidem, & vniuerſæ Eccleſiæ redditam pacem ineffabiliter cum veſtra pietate gaudemus, gratias agentes miſericordiæ omnipotentis Dei, quòd exceptis his, qui magis dilexerunt tenebras, quàm lucem, neminem paſſus eſt Euangelica veritate fraudarij, vt abſterſa erroris caligine, in omnium cordibus puriſſimum lumen oriretur, nec de infirmis quorumdam animis, tenebroſus ille exultaret inimicus, quem non ſolùm hi, qui illæſi ſteterant, ſed etiam quos fecerat nutare, ſuperauerunt, vt errore abolito, per totum mundum fides vera regnaret, & omnis lingua confiteatur, quoniam Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris. Confirmato autem in vnitate Euangelij vniuerſo mundo, & in eodem ſpiritu ſenſus directis cordibus omnium Sacerdotum optimum fuerat, ſupra illa, propter quæ eſt ſancta Synodus congregata, & quæ ſecundùm pietatis veſtræ ſtudium, probabili ſunt fine concluſa, nihil quod tanto bono contrarium eſſet, inferri: nec per occaſionem Epiſcopalis Concilij, id in commune appeti, quod non licuit concupiſci. Frater enim, & Coepiſcopus meus Anatolius parùm conſiderans, quanto pietatis veſtræ beneficio, & mei fauoris aſſeuſu Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Sacerdotium fuerit cōſecutus, non tam de adeptis gauiſus, quàm de immodicis appetendis, ſupra menſuram ſui honoris accenſus eſt, credens huic tam intemperanti cupiditati poſſe prodeſſe, quòd ei quorumdam conſenſum præbuiſſe dicitur extorta ſubſcriptio; cùm tam deſtruendis mox conatibus contradictio fratrum, & Coepiſcoporum meorum viceni meam agentium fideliter, & laudabiliter obuiaret. Quoniam contra ſtatuta paternorum Canonum, quæ antè longiſſimæ ætatis anno, in Vrbe Nicæna, ſpiritualibus ſunt fundata decretis, nihil cuique addere conceditur, ita vt, ſi quis diuerſum aliquid decernere velit, ſe potiùs minuat, quàm illa corrumpat, quæ ſi, vt oportet, à cunctis Pontificibus intemerata ſeruentur, per vniuerſas Eccleſias tranquilla erit pax, & firma concordia, nullæ de menſuris harum diſſenſiones; nullæ de ordinationibus lites; nullæ de priuilegijs ambiguitates; nulla erunt de aliena vſurpatione certamina; ſed ea, quæ iure charitatis rationabilis eſt, & morum, & officiorum ſeruabitur vnanimitas. Et ille verè erit magnus, qui fuerit totius ambitionis alienus, dicente Domino; Quicumque voluerit inter vos maior fieri, ſit veſter miniſter. Et quicumque voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſeruus. Sicut filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare. Et tamen hæc illis tunc inſinuabantur, qui de puſillo volebant creſcere, de infimis ad ſumma tranſire. Conſtantinopolitanæ verò Præſuli Eccleſiæ (quia ampliùs, quàm aſſecutus eſt, concupiſcit) quid illi ſatisfaciet, ſi tantæ vrbis magnificentia, & claritudo non ſufficit? Superbum nimis eſt, & immoderatum vltra fines proprios tendere; & antiquitate calcata, alienum ius velle præripere, atque vt vnius creſcat dignitas, tot Metropolitanorum impugnare Primatus; quietiſque Prouincijs, & olim ſanctæ Synodi Nicænæ moderatione diſpoſitis, bellum nouæ perturbationis inferre, atque vt venerabilium Patrum Decreta ſoluantur, quorumdam Epiſcoporum proferre conſenſum, cui tot annorum ſeries negauit effectum. Nam ſexageſimus ferè annus huius iactantiæ eſſe iactatur, qua ſe prædictus Epiſcopus æſtimat adiuuari, fruſtrà cupiens id ſibi prodeſſe, quod etiamſi quiſquam auſus eſt velle, nullus tamen potuit obtinere. Agnoſcat, cui ſucceſſit viro, & repulſo omni ſpiritu elationis, Flauiani modeſtiam, Flauiani humilitatem, quæ illum vſque ad confeſſionis gloriam prouexit, imitetur. Cuius ſi velit ſplendere virtutibus, laudabilis erit, & in omni loco plurimùm dilectionis acquiret; non ambiendo humana, ſed promerendo diuina. Hæc autem obſeruantia eum quoque illi animum ſpondet, copulandum, & Apoſtolicæ Sedis dilectionem, quam Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ ſemper impendimus, nulla mobilitate violandam: quia ſi interdùm immoderati Præſules aliquas incidunt culpas, Eccleſiarum tamen Chriſti integra gratia perſeuerat. Conſenſiones verò Epiſcoporum, Sanctorum Canonū apud Nicæam conditorū regulis repugnantes, vnita nobiſcū veſtræ fidei pietate, in irritum mittimus, & per auctoritatem beati Petri Apoſtoli, generali proſùs definitione caſſamus, in omnibus Eccleſiaſticis his legibus obſequentes, quas ad pacificationem omnium Sacerdotum, per trecentos decem, & octo Antiſtites Spiritus ſanctus inſtituit, ità vt etiam ſi multò plures alij, quàm illi, ſtatuere decernerent, in nulla reuerentia ſit habendum, quicquid fuerit à prædictorum conſtitutione diuerſum. Prolixitatem itàque epiſtolæ meæ, quæ neceſſe habui explicare, quid ſentiam, rogo vt per fratrem, & Coepiſcopum meum Lucianum, qui (quantum in ipſo eſt) ſollicitudinem ſuſceptæ legationis eſt fideliter exequutus, & per filium meum Baſilium Diaconem, pietas veſtra dignanter accipiat. Et quia moris veſtri eſt, pro pace, & vnitate Eccleſiæ laborare, fratrem meum Anatolium Epiſcopum ex veſtra inſignatione dilectum, ſalubriter in his, quæ ipſi profutura ſunt, continere, vt gloria clementiæ veſtræ, ſicut magnificatur de fide reparata, ità prædicetur de ambitione compreſſa.] En quomodò Leo calculo ſuo decreta fidei probet, & in ſolum canonem diſciplinæ correctorem, cenſoriam virgulam exerat.

Ad Pulcheriam ep. 55.

Quod verò obijcit Spalatenſis, *viguiſſe nihilominùs decretum in Oriente*, ſuprà diſpunximus, & inter malè feriatas Conſtantinopolitanorum vſurpationes, quibus ſuæ Eccleſiæ perniciem accerſiuerunt, repoſuimus: Falſus verò iudicij eſt Spalatenſis in Ioannis Conſtantinopolitani Antiſtitis verbis referendis, & planè perperam Hormiſdam Pontificem inducit, Conſtantinopolitanorum ambitui fauentem, nec enim Ioannes, cùm Eccleſiam Conſtantinopolitanam, vnam eſſe cum Romana Eccleſiam diceret, æqualitatem inducebat, ſecùs, & ipſe Gregorius, qui tres Sedes Romanam, Alexandrinam, & Antiochenam, vnam

vnam Petri Sedem dixit, pares eas feciſſet, quod longè ſit ab eius mente. Sed propterea Ioannes vnam Sedem dixit, vt ſe ab ambitu purgaret, ſignificaretque Hormiſdæ ſe in eius perſeuerare communione, ac ſuam Eccleſiam, à Romana diuerſam; idcircò non cenſerẽ, quòd in vnam fidem conſpiraret, ac prætereà quicquid honoris, & decoris haberet, ab ea mutuaretur, quanquam video hanc fraudem fuiſſe Conſtantinopolitanorum, vt ſuam Eccleſiam vnam, eandemque cum Romana dicerent, quòd Roma Conſtantinopolim migraſſent, non modò Senatores, ſed & Clerici Romani ad Vrbem ornandam eò à Conſtantino Imperatore ablegati; Sed Hormiſdam audiamus, & euaneſcent illæ nebulæ de parilitate Eccleſiarum: Siquidem ad Epiphanium ſcribens vices ſuas ei committit, quo ſua auctoritate fretus, Orientales fidei reconciliandos in communionem Eccleſiaſticam admittat.

Hormiſd. ad Epiph. Conſt. to. 1. ep. dec. 77. [Vt tutè, inquit, & ſine redargutione, vel alicuius erroris palliatione valeat peruenire, dilecte frater, perſonam meam in hoc te oportet ſubintrare, ſcientem in huiuſcemodi materijs (ſicut prædictum eſt) quid faciendum ſit, quid cuſtodiendum: ſicque omnia prouidentem, vt non dubites de hac diſpoſitione rationem reddere Deo. Ità quidem, vt literæ veſtræ ſignificent, eos, qui nobis communione coniungentur, tales eſſe, qui per nos Sedi Apoſtolicæ noſtris literis miſceantur, & ea, quæ continentur in libellis, quos produxerint: Sic enim ab errore Seueri, & huic coniunctorum, & ſimilium liberabantur, & damnum eorum, qui ſanari non poterunt, ſuſtinemus. Ideircò vobis imponere cenſuimus, ad veſtram diligentiam onera noſtra transferentes: quoniam non paruas probitatis tuæ iam demonſtrationes dediſtis hæreticis, obijciendo, vt non oporteat de iſto dubitare, aſſumerẽ ſimul ſanationis curam, cui contingit probum oſtenſum fuiſſe.]

Et rursùs: [De Theſſalonicenſibus, inquit, quorum ad nos Legati per informationem fideliſſimi, ac glorioſiſſimi Imperatoris filij noſtri venerunt, vt nihil reliquiſſe videamus, volumus ſecundùm ea, quæ (Domino noſtro Ieſu Chriſto inſpirante) placuerunt, totam cauſam veſtræ conſiderationi tractandam, etſi, quod oportet, impleuerint, formandam committere.]

Quod attinet ad Epiphanium, vt non niſi tergiuerſando annuerit, annuit tamen, faſceſque tandem ſummiſit capiti Eccleſiæ, cuius Vicarium egit in Orientem, vt eius auctoritate abſtentos Epiſcopos communioni Eccleſiaſticæ reſtitueret. [Habeat, inquit, hanc ſententiam circà me veſtræ beatitudinis ſancta fraternitas: vobis enim manifeſtam feci, & ſub me Eccleſijs hæc prædico, feſtinans per omnia eas, mihique, & veſtræ beatitudini vinculo charitatis adunari, quas omninò oportet eſſe vnitas, & inuiolabiles, & Corpus vnum communis Apoſtolicæ Eccleſiæ, eundemque perpetuò cuſtodire. Quantus enim circà veſtram venerabilem fraternitatem, in omnibus ſit amor, iubete perpendere: quia quos veſtra Apoſtolica Sedes condemnans in ſacris diptychis recitare non iuſſit eos, nec ego inter ſacra facio nominari miſteriã.] Patuiſſe verò Pontifici, vel ex eo patet, quòd ad eius nutum Acacij, Euphemij, Macedonij nomina è diptychis eradi fecerit: [Nomina, inquit, eorum inter ſacra non ſunt recitata myſteria, quæ ſedis veſtræ profana cognouimus.]

Extat Imperatoris Iuſtiniani, qui Iuſtino ſucceſſit, ad hunc Epiphanium, epiſtola, qua Pontifex Caput Eccleſiæ prædicatur: [Cognoſcere, inquit, volentes tuam Sanctitatem, ea omnia, quæ ad Eccleſiaſticum ſpectant ſtatum: neceſſarium duximus hiſce ad eam vti diuinis cõpendijs, ac per ea manifeſta eidem facere, quæ iam moueri cepta ſunt, quanquam, & illa eandem cognoſcere ſumus perſuaſi. Cùm itàque comperiſſemus quoſdam alienos à ſancta Catholica, & Apoſtolica Eccleſia, impiorum Neſtorij, & Eutychetis ſecutos deceptionem, diuinum antèhac promulgauimus edictum (quod, & tua nouit Sanctitas) per quod hæreticorũ ſutores reprehendimus, ità vt nullo quouis omninò modo immutauerimus, immutemus, aut prætergreſſi ſimus eum, qui nunc vſque coadiuuante Deo ſeruatus eſt, Eccleſiaſticum ſtatum, quemadmodùm, & tua nouit Sanctitas, ſed in omnibus ſeruato ſtatu vnitatis ſanctiſſimarum Eccleſiarum cum ipſo ſanctiſſimo Papa veteris Romæ, ad quem ſimilia hiſce perſcripſimus. Nec enim patimur, vt quicquã eorum, quę ad Eccleſiaſticum ſpectant ſtatum, non etiam ad eiuſdem referatur Beatitudinem, cùm ea ſit Caput omnium Sanctiſſimorum Dei Sacerdotum: vel eò maximè, quòd quoties in his locis hæretici pullularunt, & ſententia, & recto iudicio illius venerabilis ſedis correcti ſint.]

Ep. ad Ioan. Papam Cod. de ſummã Trin. & fid. Cathol. Ac eiuſdem Iuſtiniani extat epiſtola, qua ſe omnes Eccleſias Romanæ, vt parerent, adegiſſe conſtat; [Reddentes honorem, inquit, Apoſtolicæ Sedi, & veſtræ ſanctitati, (quod ſemper nobis in voto, & fuit, & eſt) & vt decet Patrem honorantes veſtram beatitudinem, omnia, quæ ad Eccleſiarum ſtatum pertinent, feſtinauimus ad notitiam deferre veſtræ ſanctitatis: quoniam ſemper nobis fuit magnum ſtudium, vnitatem veſtrę Apoſtolicæ Sedis, & ſtatum Sanctarum Dei Eccleſiarum cuſtodire, qui hactenùs obtinet, & incommotè permanet, nulla intercedente contrarietate. Ideòque omnes Sacerdotes vniuerſi Orientalis tractus, & ſubijcere, & vnire Sedi veſtræ ſanctitatis properauimus. In præſenti ergo, quæ commota ſunt, (quamuis manifeſta, & indubitata ſunt, & ſecundùm Apologiæ veſtræ Sedis doctrinam ab omnibus ſemper Sacerdotibus firmè cuſtodita, & prædicata) neceſſarium duximus, ad notitiam veſtræ ſanctitatis perueniant. Nec enim patimur quicquam, quod ad Eccleſiarum ſtatum pertinet, quamuis manifeſtum, & indubitatum ſit, quod mouetur, vt non etiam veſtræ innoteſcat ſanctitati, quæ Caput eſt omnium ſanctarum Eccleſiarum. Per omnia enim (vt dictum eſt) properamus, honorem, & auctoritatem creſcere veſtræ Sedis.]

Non itàque Epiphanius par Pontifici eſt habitus, neque principatu, aut Iuſtini, aut Iuſtiniani magnos illos Spiritus ſibi ſumere potuit.

De Acatio, aliud, quod reſpondeam, non habeo, quàm quod de Tertulliano dixit magnus

gnus vir, *Eccleſiæ bominem non fuiſſe*; nàm non modò ſchiſmare, ſed hæreſi ſe polluit, proptereàque anathemate eum percelluit Pontiſex, qui & nomen eius, vt meminimus, ex ſacris diptychis deleri iuſſerit, etiam poſt ſata impijſſimi Antiſtitis executioni demandata cenſura Ecclrſiaſtica, vt non alia lege Orientis Ecclrſiæ, & in ijs ipſa Conſtantinopolitaua Romanæ communionem promeritæ ſint, quàm eius expunctione, vt ſuprà in Hormiſda vidimus.

Synodus Quiniſexta, non Concilium, ſed Concilij ſimulacrum fuit, meritòque *erraticam Synodum*, cui omnis fides ſit detracta, & abrogata, vocat Brda. Quate, vt firmare tentarit furtiuum decretum Chalcedoneuſe, robur uullum ei addidit.

Beda de ſex ætatibus in Iuſtiniano Iuniore.

Alius ille Ioannes, quem profert Spalatenſis, inſignis Hypocrita fuit, de quo candidi pectoris Pontifex ità ſenſit: [Eo tempore, inquit, quo fraternitas veſtra in Sacerdotalem honorem prouecta eſt, quantam Eccleſiarum pacem, atque concordiam inuenrrit, recolit. Sed quo auſu, quove tumore neſcio, nouum ſibi conata eſt nomen arripere, vnde omnium fratrum corda potuiſſent ad ſcandalum peruenire. Qua in re vehementer admiror, quia ne ad Epiſcopatum venire potuiſſes, fugiſſe te velle memini. Quem tamen adeptum ità exercere deſideras, ac ſi ad eum ambitioſæ deſiderio cucurriſſes. Qui enim indignum te eſſe fatebaris, vt Epiſcopus dici drbuiſſes, ad hoc quandoque prrductus es, vt deſpectis fratribus, Epiſcopus appetas ſolus vocari. Et quidem hac de re ſanctæ memoriæ deceſſoris mei Pelagij grauia ad ſanctitatem veſtram ſcripta tranſmiſſa ſunt. Iu quibus Synodi, quæ apud vos de fratris quondam, & Conſacerdotis noſtri Gregorij cauſa congregata eſt, propter neſandum elationis vocabulum, acta diſſoluit, & Archidiaconum, quem iuxtà morem ad veſtigia Dominorum tranſmiſerat Miſſarum vobiſcum ſolemnia celebrare prohibuit.] Lis inter Antiochenam, & Salaminenſrm, indicem habet Conſtautinopolitanum, ſi quid ei narrationi, quam profert Spalatenſis, credendum ſit, & ex Imperaroris mandato, non quòd ei ius vllum eſſet in eas Eccleſias.

De Ignatio diximus ſuo loco: vno verbo, quæcunque ad roborandum decretum Chalcedonenſe, de Patriarchis Conſtantinopolitanis narrantur, vel in vſurpationum numero habenda ſunt, vel ad condeſcenſionem Pontificis ſunt referenda, qui bono pacis tandem inflecti ſe paſſus eſt.

Sed impium Photium, non erat, quòd cum eo coniugeret, quippè quàm crudeliſſimum tyrannum ſit expertus, non ſecùs, ac Imperarorem Michaelem, qui huic Orientis turbini aduersùs ſanctiſſimum Martyrem impenſiſſimè fauit, & ſunt quoque ſpectanda trmpora, quibus eſt tandem renunciatus ab Imperatoribus ſecundus Patriarcha Conſtantinopolitanus Antiſtes, Occidente concuſſo, totaque Italia, Roma etiam ipſa à Gothis vaſtata, florentibus verò Orientis rebus, ac etiam laſciuiente Conſtantinopoli, ob regios faſces ſibi traditos, facile fuit Regiæ Vrbis Antiſtiti, conuulſo Eccleſiarum ſtatu, ſecundum à Romano Pontifice locum auctoritate Imperatorum ſibi comparare.

Baſiliſcus tyrannus, qui, pulſo Zenone Imperatore, rerum per tyrannidem potitus eſt, primus decretum Chalcedoneuſe ſanxit, ac firmum, & ratum eſſe voluit. Securus eſt Zeno, qui, deuicto, & interſecto hoſte infenſiſſimo, Imperij habenas iterùm ſuſcepit. Secuti ſunt, & alij Orientis Imperatorrs, etiam Orthodoxi, qui nimiùm Vrbi Regiæ fauentes, idem moliti ſunt.

Horum igitur temporibus cùm afflictiſſimæ eſſent Res Occidentis, facilè impetrauit Antiſtes Conſtantinopolitanus, vt Patriarcha diceretur, adnitentibus etiam Pontificibus, qui Imperatorum precibus fatigati, vt ijs gratificarentur, & ſibi fauentes haberent, remiſerunt.

Itàque non infringunt iſta rationes Leonis, ſed temporum iniuria hoc de ſuis iuribus decedere paſſa eſt Eccleſia Romana. At obijcit Spalatenſis: [Quòd autem ait Leo, aliam eſſe rationem ſecularium, aliam diuinatum, vt gloria ciuitatis Conſtantinopolitanæ cum Primatu Eccleſiaſtico, nihil coniunctionis habeat, neque ſtabilis ſit vlla conſtructio præter illam petram, quam Dominus in fundamento poſuit. Reſpondeo, Hierarchiam Eccleſiaſticam inter Epiſcopos eſſe de ſolo iure humano; & nego primatus hoſce ad res diuinas pertinere, vt iam oſtendi: multò magis nego, ex iure diuino Romanam Eccleſiam, aut vllam aliam particularem, vllam præeminentiam ſupra cęteras vnquam habuiſſe. Hoc itaque quod opinabatur Leo, ſubſiſtere non poteſt, qui facilè ſibi etiam Scripturæ contraria ſolet in gratiam huius primatus perſuadere: vt quando dixit; Antiochiæ prædicante Petro primùm Chriſtianum nomen exortum eſſe. Non enim Petro, ſed Paulo, & Barnaba prædicantibus illud factum eſt. Falluntur itaque, quicumque volunt, Romanam Eccleſiam ſuum habere primatum ex ipſa Chriſti inſtitutione, & à Petro Principe Apoſtolorum: ac multò plus falluntur, dum contendunt non potuiſſe Concilia, quantumuis generalia, vllam aliam Eccleſiam ad eiuſmodi primatum euehere; idque tunc maximè verum eſſe ſibi perſuadent, quando Romanus Pontiſex in ea parte talia concilia non approbarit; ſed eis reſtiterit, & eorum decreta caſſauerit, & abolcuerit. Fallnntur, inquam; quia Chriſtus numquam Romam nominauit, neque de Romana Eccleſia ſpeciali vnquam verba fecit; mera eſt igitur vanitas, facere Chriſtum Romanæ Eccleſiæ ſpecialem fundatorem. Nam Chriſtus duodecim fecit Apoſtolos, cum æquali poteſtate, vt docui lib. 1. neque vllum eorum fecit vllius certæ ciuitatis proprium Epiſcopum, quos omnes voluit per vniuerſum Mundum excurrere, prædicare, & Eccleſias fundare.]

Spalat. n. 20.
Leo ep. 57.
Leo ep. 56
Act. 11.

[Itàque neque Petrus fuit vllius ciuitatis proprius Epiſcopus, neque ſucceſſorem vllum habuit peculiarem, vt iam oſtendi, & vlterius cap. 6. huius confirmabo. Itàque totus Romanus Primatus ſola Eccleſiæ conſuetudine, & Conciliaribus decretis, Imperialibuſque priuilegijs conſiſtit. Cur igitur ſimiliter conſuetudo, & Conciliaria decreta, & leges Imperiales, non potuerunt aliam Ec-

Digitized by Google

cleſiam ad ſimilem primatum attollere ? Renitentia verò Romani Pontificis contra vniuerſalia Concilia nihil officit, vt iam oſtendi, & ſuo loco pleniùs pertractabo. Et quamuis plures occaſiones concurrerint in Romana Eccleſia, quàm in Conſtantinopolitana extollenda, humanæ profectò omnes, & temporales, vt in ſequentibus patebit; tamen præcipuæ ex ijſdem, etſi non omnes, vt Conſtantinopolitana efferretur, concurrerunt.] Atquì ſi Hierarchia Eccleſiæ, etiam incluſo Pontificis primatu, de iure diuino non eſt: Egregiè igitur, ac ſplendidè mentiti ſunt Chalcedonenſes, qui hoc nomine Pontificem primùm venerari ſe agnoſcunt, quòd *vineæ*, hoc eſt, totius Eccleſiæ *cuſtos* à Christo deputatus ſit, quodque apud ipſum *radius* luceat *Apoſtolicus*; qua de re egimus ſupra abundè. Verùm quæ ad Romanæ Eccleſiæ primatum pertinent, alio loco expendentur.

Spalat.n.21. Sed iam aggreditur ad ſoluenda noſtrorum argumenta, & ſua deliramenta confirmanda: [Objicies 1. inquit, poſt Conſtantinopolitanum Primum Concilium, & ante Concilium Chalcedonenſe, Siſinium Conſtantinopolitanum tentaſſe, vt Cyzici Epiſcopum Proclum faceret; ſed reſiſtentibus Cyzicenis, qui Dalmatium iam ordinari fecerant, nihil effeciſſe: Cur autem Proclus Sedem non obtinuerit, Socrates hanc reddit rationem: Hoc, inquit, à Cyzicenis factum eſt, neglecta illa lege, quæ iubet, ne quis Epiſcopus deſignetur, abſque ſententia, & auctoritate Epiſcopi Conſtantinopolis: legem autem propterea neglexerunt, quòd Attico ſoli, vt illi putabant, nominatim auctoritatem illam concederet.

Vides igitur, inquit Baronius, neque in ipſo Helleſponto ius aliquod ex aliqua Synodo Oecumenica, vendicaſſe ſibi Epiſcopos Conſtantinopolitanos; ſed Attico id tantùm fuiſſe conceſſum, neſcio cuius legis auctoritate. Ego verò hinc colligo libidinem dominandi, vt ſolet, facilè potuiſſe mouere Patriarchas Conſtantinopolitanos, vt plus ſemper vellent, & conarentur, quàm eis, vel conſuetudo, vel canones tribuerent. Primatus enim erat dumtaxàt, in Metropolitanis certarum Prouinciarum ordinandis, non autem in ordinandis Epiſcopis, qui non eſſent Metropolitani, quorum ordinatio ſemper ad Metropolitanos ſpectat, etiam ex Canonibus Nicænis, qui violari non debent; neque vllum Concilium eos tentauit conuellere. Ac propterea Concilium Chalcedonenſe, ita quidem Conſtantinopolitano Epiſcopo firmauit priuilegia Patriarchatus, vt tamen expreſsè prohibuerit, ne in Epiſcoporum ordinationes ſe ingereret; ſed contentus ſola Metropolitanorum ordinatione, Epiſcoporum ordinationes ſuis relinqueret Metropolitanis. Itaque Atticus extorſerat fortaſsè aliquam legem perſonalem ab Imperatore, vt liceret ei etiam Epiſcopos ordinare; cui Epiſcopi, & populi ob reuerentiam Imperialem, refragari non ſint auſi: ſed extincto Attico, lex quoque illa: ſeu priuilegium extinctum eſt; vnde meritò Cyziceni Siſinio Patriarchæ, rem indebitam, & inconceſſam attentanti reſtiterunt.] Sed hanc obiectionem falsò niti fundamento oſtendimus, atque Spalatenſem hac in parte ignorantia lapſum oſtendimus, qui non viderit Cyzicum in albo Metropoleon eſſe, quòd eum docere potuerunt notitia Epiſcopatuum, Concilium Chalcedonenſe, & Curopalates. Sed benè eſt, quòd hic quoque Conſtantinopolitani Antiſtitis ambitum notat.

Aliud iam argumentum verſat de Theophilo: [Obijcit, inquit, tertiò Baronius, Spalat.n.22. quòd Alexandrinus Theophilus ius ſibi vendicaret ordinandi Patriarcham Conſtantinopolitanum: Ex quo probè ſi attendas, inquit, intelliges primam Sedem poſt Romanam, Alexandrinam Eccleſiam tenuiſſe in Oriente, ſpretoſque fuiſſe canones, ſi qui Conſtantinopoli in Synodo facti ſunt, quibus derogetur Alexandrinæ Eccleſiæ priuilegijs. Obiectio exilis eſt. Quid enim obſtat Primatui Conſtantinopolitano, ſi Alexandrinus, qui iam erat poſt illum proximus, prætenderet, vacante Sede, prima Conſtantinopolitana, ipſius iuris eſſe, Conſtantinopolitanum Epiſcopum ordinare? Sed hæc quoque prætenſio ex ſpiritu ambitionis erumpebat. Heracleenſis enim hoc ius habebat, ſed non propterea Conſtantinopolitano Primatui oberat. Sicut neque conceſſerit Baronius obeſſe Primatui Romano, quòd ab Oſtienſi ſoleat Romanus Epiſcopus ordinari.] Sed hanc quoque exceptionem ſupra profligauimus, oſtendimuſque ex facto Theophili omninò apparere, Patriarcham Alexandrinum, ſe à Pontifice ſecundum ſemper venditaſſe, quippè qui de exauctorando Chryſoſtomo cogitarit, deque alio in eius locum ſufficiendo, vide quæ à nobis ſupra dicta ſunt in eam rem.

Rursùs Anatolium in Scenam inducit: [Obijcit, inquit, quartò Baronius, Anatolium commotum magni Leonis iurgiis ceſſiſſe Spalat.n.23. illi primatui, quem à Concilio Chalcedonenſi extorſerat, paruiſſeque Leoni, qui ſolus, inquit, irritum reddiderat, quod Concilium ſexcentorum Patrum ſententijs comprobaſſet: & Eccleſiam Conſtantinopolitanam regebat; perindè ac ſi in Romanæ Vrbis ſuburbijs eſſet conſtituta. Atque hæc colligit ex epiſtola Leonis ad Anatolium ſcripta; in qua & approbat Leo priuationem Archidiaconi, & quid de alijs delinquentibus, partemque in nece Flauiani habentibus faciendum ei ſit. & excuſationem Anatolij redarguit, qua ille à ſe culpam facti Decreti Chalcedonenſis amouebat.

Sed neque illud erat propriè regere Eccleſiam Conſtantinopolitanam; vbi ex ordinaria mutua charitate ſolerent inuicem ſeſe mutuò Eccleſiæ magnæ, & Patriarchales, ac Primatiales conſulere, & acta regiminis communicare, vt ſeſe inter ſe iuuarent; & grauioris momenti cauſarum tractationes perficerent: quod in epiſtolis Cypriani clariſſimè apparet, vt poſuimus ſupra lib. 2. cap. 7. & infrà cap. 9. explicabitur. Neque vlla apparet Anatolij ceſſio, aut primatus abiectio; ſed in eo firma ſtabilitas, cum prudentia tamen, & religioſa charitate; qui ferens Leonis impatientiam, nihil vnquam voluit ad eum de ſuo primatu, de quo fuerat acriter per literas à Leone reprehenſus, reſcribere: Ad quas, inquit Leo, cùm non reſcriberes, ipſe te à collo-

lo-

loquij mei conſortio ſepataſti. Vbi tameo
Leo Impetatorem rogauit, vt Flauiani perſe-
cutionis tei Clerici, ſui ſceletis pœnas da-
rent; idque Anatolius, vt par erat, fuiſſet exe-
cutus; vt in pace, & communione cum Leone
perſeueraret, pet ſuas litetas illum hac de re
fecit certiorem; & hac occaſione, non quòd
culpam vllam agnoſceret;ſed vt moneret, non
ipſius ſolius, ſed Conſtantinopolitanæ Eccle-
ſiæ Clericotum motum ſuiſſe; vt in Concilio
Chalcedonenſi de illo primatu ageretur. Sic-
que non deberet ei tantoperè Leo ſuccenſere.
Non tamen propteteà vllam fecit ſui prima-
tus abiectionem, in quo etiam poſt has lite-
tas ſolertiſſimus perſeuerauit, vt patet, quia
Clerus Alexandrinus, & Epiſcòpi Ægyptij in
litetis ſois ad Leonem Imperatorem,aduersùs
Timotheum inuaſorem ſctiptis; Anatolium
ponuot ſtatim poſt Romanum; & reliquis Pa-
rriarchis Orientalibus anteponunt; immò &
priùs ipſum ſuis literis conueniunt, quàm
Romanum: & Leo Imperator grauiſſimam
Eccleſiæ Alexaodrinæ turbationem, totam
Anatolio ipſi committit, vt ipſe prouideat,
quid verò reſpondeat Imperatoti Anatolius,
audi,& vide.]

Sed neſcio quid ſit leges Antiſtitibus
Eccleſiæ imponere, niſi quod Conſtantino-
politanis Leo Pontifex imperat, hoc loco ha-
beatur. Nam præterquàm quòd ſanctiſſimi
Flauiani Martyris hoſtes plectendos ſua au-
ctoritate ſanxit, gratiam factam Ætio Archi-
diacono probauit, formam etiam præſcripſit,
& normam, quam ſequeretur Conſtantinopo-
litanus Antiſtes in reis reconciliandis. Ver-
ba eius ſunt. [Cæteri verò, inquit Leo, quos
per reatus inuoluerat, ſi veniam ſimili pro-
feſſione cum ſatisfactione depoſcunt, ſuis or-
dinibus reformentur, his tantùm ad officio-
rum primatum admiſſis, quos ab omni erro-
re liberos fuiſſe conſtiterit.] Hæc ſcilicet
non ſolam charitatem inter ſummas Eccle-
ſias, ad quam confugit Spalatenſis, ſpirant;
verùm ſummam potentiam ſonant, qua præ-
ditus ſit, qui ſic præſcribat. Ceſſiſſe verò ho-
nori, pro quo tantoperè contenderat, Anato-
lium, ſequentia Leonis omninò probant:
[Illam autem culpam, inquit, quam de au-
genda poteſtate aliena (vt aſſeris, adhorta-
tione contraxeras, efficaciùs, atque ſinceriùs
tua charitas diluiſſet, ſi quod tentari ſine tua
voluntate non potuit, non ad ſola Clerico-
rum conſilia tranſtuliſſes: quia ſicut in mala
ſuaſione delinquitur, ità & in mala conſen-
ſione peccatur. Sed gratum mihi (frater
chariſſime) eſt, quòd dilectio tua profitetur
ſibi diſplicere, quod tunc etiam placere non
debuit, ſufficit in gratiæ communis regreſ-
ſum, profeſſio dilectionis tuæ, atteſtatio
Principis Chriſtiani. Nec videtur tarda cor-
rectio, cui tam venerabilis aſſertor acceſ-
ſit.]

Quod etiam Gelaſius confirmat duobus
locis, de quibus infrà. Perſeuerat tamen ho-
mo contumax, atque obſtinatè contendit,
Anatolium conſtantiſſimè comparatum ſibi
in Concilio Chalcedonenſi honorem propu-
gnaſſe, ac retinuiſſe; [Num, inquit, prima-
Spalat. in fin. 23. n. 24. tum ſuum abiecerat? Ait enim; Orationi ſi-
quidem noſtræ, opus eſt, Chriſtianiſſime, &
fideliſſime Imperator, vt non circa medica-
tionem à diabolo peruenientium rerum, con-
tra communem Eccleſiarum pacem occupe-
mur. Quia verò, ſicut apparet, aduerſarius
non ſinit præſentem ſine fluctuatione nauiga-
re nos vitam; neceſſe eſt ſupernæ gratiæ gu-
bernaculo vſos, oportere nos omnes, qui, Deo
auctore, ſumus in Sacerdotio conſtituti, il-
lius certaminibus obuiare; vnde etiam nunc
in his, quæ ſunt præſumpta in Alexandrino-
rum Eccleſia, non quieui, ſed ſequens veſtræ
Chriſtianæ tranquillitatis intentionem, vo-
lentem, & ſanctorum Patrum regulas non
ſperni, & ciuilia iura ſeruari, quod me face-
re congruebat, ſcilicet Sedem gubernantem
huius Regiæ Ciuitatis egi; & hæc manifeſta
veſtræ pietati fient, per ea, quæ ſcripſi tam
Romano ſanctiſſimo, & venerando Leoni
Pontifici, quàm omnibus vniuſcuiuſque
Diœceſis venerabilibus Metropolitanis Epi-
ſcopis, ad quos ingemui petulantiam con-
tra ſanctorum Patrum regulas perpetratam;
& facta ſceleſta Timothei, ſicut accuſatio-
nes aduersùs eum veſtræ pietati, & nobis
ſcriptæ teſtantur, qui conculcauit eccleſia-
ſticas ſanctiones, legeſque ciuiles; quique
ſecundùm quod ſcriptum eſt, malam potiùs
partem libenter elegit, & quæ illis, quæ in
rebus decentibus deficiunt, commodatur: Prouer. 18.
ait enim; Impius dum ceciderit in profun-
dum malorum, ſpernit. Significaui nihilo-
minùs eis, & de ſancto, beatoque noſtro
Concilio Chalcedonenſi, quæ digna ſunt.
Ergo quoniam alijs hæc conuenienter expo-
ſui, pronior nunc exiti, vt cùm fiducia cla-
riùs, de rebus præſentibus, meam poſſim pu-
blicare ſententiam. Notum igitur facio ve-
ſtræ tranquillitati, quod pijſſimis veſtris ſyl-
labis à nobis fieri præcepiſtis; quia conſti-
tuo Timotheum quidem quantum ad inte-
gritatem ſanctorum Canonum, aduersùm
quos ſemper ea, quæ geſſit, & gerit hactenùs,
irritauit, In ordinatione Sacerdotij nullate-
nùs eſſe dignum, &c. Hìc certè Anatolius,
cum magna procedit auctoritate erga Pa-
triarcham Alexandrinum. Quomodo ergo
primatum abiecerat?]

Reſpondeo primùm, quod attinet ad
Epiſtolam Alexandrinorum ad Imperatorem
Leonem, idcircò ad eum confugiſſe, quòd
non niſi eius auctoritate depelli poſſet illa
peſtis Eccleſiæ Alexandrinæ, ſanctique Prote-
rij interſector Timotheus, à cuius partibus
ſtarent omnes Ægyptij, & Alexandrini, qui
hoſtes ſe Concilij Chalcedonenſis profiteren-
tur. Quod ſpectat ad Epiſtolas Leonis ad
Anatolium, & Anatolij ad Leonem, tantùm
abeſt his firmari furtiuum illum Patriarcha-
rum, vt etiam his planè iuguletur; ſi enim
poteſtatem parem Pontifici nactus erat, adeò-
que ius in Eccleſiam Alexandrinam habebat,
quid opus fuit Imperatoris mandato? quid
illa Principis commiſſione, qua vna fretum,
de Alexandrinis rebus cognouiſſe ſe ſcribit
Anatolius. Ac præterea nonnè acceptis ab
Imperatore Leone literis, ad Pontificem con-
feſtim ſcripſit,& Princeps ipſe; Annon à Leo-
ne obnixè rogatus fuit Imperator, vt latronis
illius, ac parricidæ Timothei inſolentiam
frænaret, eumque mulctaret? Certè Impera-
toris hanc curam fuiſſe, ne quid detrimenti
reſpublica Alexandrina caperet, & illa flam-
ma

Ep. Anar. ad Leon. Imp. Epi Leonis Ponrific. ad Leon. Imp. Liber. in Breu. c. 15.

ma conſopiteтur, Liberatus oſtendit. [Interea Leo ſumic Imperium, iuquit, ad quem tanti facinoris Carholicorum quærela peruenit, aſcendentibus ad imperialem Ciuitatem cum Cleris aliquantis Alexaudriuæ Eccleſiæ Epiſcopis, qui erant à Timotheo ſedibus ſuis pulſi. Supplicationes ab eis oblatæ ſunt Leoni Imperaroti, quatenùs mors vindicaretur Proterij, & expelleretur Epiſcopali ſede Timorheus Aelurus, tamquam noo legaliter inſtitutus. Hæc quidem egerunt Epiſcopi, & Clerici, Synodi Chalcedonenſis defeuſores. Sed & à Parre Timorhei quidam Epiſcopi, & Clerici Timothei aſcendentes, functi legatione pro Timotheo Aeluro, dederunt, & ipſi petitiones Imperatori, contrà Synodum ſępè facientes, vt eadem Chalcedonenſis Synodus tolleretur. E contrà illi à parte Proterij vindictam ſceleris poſtulabant.] Hoc ipſum indicant Leonis literæ, cuius proindè Anatollius iuſſa capeſſiſſe ſe dicit, ac obſecundaſſe. Non negamus autem pleraque ſuprà attributam ſibi ab Eccleſia potentiam, ac ſuprà communem, & ordinariam Epiſcoporum poteſtatem, etiam in alijs Eccleſiis egiſſe Conſtantinopolitanos Antiſtites; Sed Imperatores iura Eccleſiis nou deceroutt, Antiſtitum poteſtatem non faciunt, quamquam & Patroni, & defenſores Eccleſiarum audiunt. Et certum quidem eſt Leonis rogatu Pontificis, Leonem Imperatorem tum de Concilio Chalcedonenſi firmando, tum de ſopiendo Alexandrino tumultu cogitaſſe. Leonis Pontificis eum adhortantis verba ſunt apud Chriſtianiſſimum Principem: [Cùm, inquit, Clementiam tuam Dominus taora Sacramenti ſui illuminatione ditauerit, debes incunctanter aduertere, regiam poteſtatem tibi non ſolùm ad mundi regimen, ſed masimè ad Eccleſiæ præſidium eſſe collatam, vt auſus nefarios comprimendo, & quæ benè ſunt ſtatura defendas, & veram pacem his, quæ ſunt turbata, reſtituas: depellendo ſcilicèt perſuaſores iuris alieni, & antiquæ fidei ſedem Alexandrinæ Eccleſiæ reformando: vt correctionibus tuis Dei iracundia mitigata, Regiæ Ciuitati non retribuat, quæ admiſſa ſunt, ſed remittat. Conſtitue antè oculos cordis tui uenerabilis Imperator omnes, qui per totum Orbem ſunt Domini Sacerdotes, pro ea tibi fide, in qua totius mundi eſt redemptio, ſupplicare: in qua te ſpecialiùs ambiunt, qui Apoſtolicæ fidei ſectarores, Aleſandrinæ Eccleſiæ præſederunt: agentes apud pietatem tuam ne homines hæreticos, & meritò pro ſua peruerſitate damnatos, vti ſua perſuaſione patiamini, cùm ſiue impietatem errorum aſpicias, ſiue opus perpetrati furoris attendas: non ſolùm ad Sacerdotij honorem admitti nequeant, ſed ab ipſo Chriſtiano nomine mereantur abſcindi. Nam (quod exorata pietaris veſtræ venia dixerim) quodam contagio ſplendorem veſtræ ſereoitatis offuſcant, cùm ſacrilegi parricidæ id audeant petere, quod ne innocentes liceat obtinere.

Epi. Leonis Pap. ad Leonem Imperar. Ep. 75.

Et vt intelligas Anatolium in his turbis ſopiendis haudquaquam Patriarcham egiſſe, ſed Regium miniſtruoi, profitetur ipſe nedum ſe eorum, quæ ad Religionem pertinerent, curam ſuſcepiſſe, verùm etiam rebus ſe immiſcuiſſe politicis; Prout, inquit, deceret Regiæ Ciuitatis Antiſtitem, cui ſcilicet Imperatorum gloria cordi eſſe deberet. Verba eius ſunt: [In his, inquit, quæ ſunt præſumpta in Aleſandrinorum Eccleſia, non quieui, ſed ſequens veſtræ Chriſtianæ trauquillitatis intentionem volentem, & Sanctorum Patrum regulas non ſperni, & ciuilia iura ſeruari. Numquid igitur iura ciuilia ad Patriarchæ curam pertinent, non verò ad miniſtri regij ſollicitudinem?

Anar. Epiſ. ep. ad Leo. Imper. inter Ep. illuſtr. perſon. pro Conc. Chal.

Pergamus. [Obijcies quintò cùm Gelaſio, inquit, ridente, quòd Acacio vellent prærogatiuam comparare, quia Epiſcopus fuerit Regiæ Ciuitatis, ac dices; Numquid apud Rauennam, apud Mediolanum, Sirmium, apud Treuiros multis temporibus non conſtitit Imperator? Numquidnam harum Vrbium Sacerdotes, vltra menſuram ſibimet antiquitùs deputatam, quippiam ſuis dignitatibus vſurparunt? Si certè de dignitate agitur Ciuitatum, ſecundæ Sedis, & tertiæ maior eſt dignitas Sacerdotum, quàm eius Ciuitatis, quæ non ſolùm inter Sedes minimè numeratur, ſed nec inter Metropolitanorum iura cenſetur, nam quod dicitis, Regiæ Ciuitatis, alia eſt poteſtas Regni ſecularis; alia Eccleſiaſticarum diſtriburio dignitatum, ſicut enim parua Ciuitas prærogatiuam præſentis Regis non minuit; ſic Imperialis præſentia menſuram diſpenſationis Religioſæ non mutat. Sit clara Vrbs illa poteſtate præſentis Imperij, Religio tunc ſub eadem firma, tunc libera, tunc prouecta conſiſtit, ſi potiùs hoc præſente propriam teneat, ſine vlla perturbatione menſuram: Poſtremò ſi ſibi blandiuntur, & indè putant Conſtantinopolitanæ Ciuitatis Epiſcopi potiorem fieri poſſe perſonam, audiant Martianum eiuſdem Principem Ciuitatis, poſteaquam pro augmento Vrbis ipſius Sacerdotis intercessor acceden s, contra regulas obtinere nil potuit, ſanctæ memoriæ Papam Leonem ſummis laudibus, proſecutum: quòd Canonum regulas violari, nulla fuerit ratione perpeſſus. Audiant Anatolium eiuſdem Sedis Antiſtitem, Clerum potiùs Conſtantinopolitanum, quàm ſe tentaſſe alia confitentem, atque in Apoſtolici Præſulis totum dicentem poſitum poteſtate. Ipſum Beatum Papam Leonem Sedis Apoſtolicæ Pręſulem, cuius Synodus Chalcedonenſis auctoritate firmata eſt, quicquid, vltra quam ab eodem, pro fide, & communione Catholica, atque Apoſtolica illic agendum, conſtaret eſſe delegatum per occaſionem congregationis illius, præter Nicænos Canones noua videretur actione tentatum, competenti reſutatione vacuaſſe. Eaque nihilominùs etiam ſub ſanctæ memoriæ Papa Simplicio, Legato Sedis Apoſtolicæ, ſanctæ memoriæ Probum Canuſinę Vrbis Epiſcopum, Leone Principe tunc petente præſente docuiſſe nullatenus poſſe tentari; neque his prorsùs præbuiſſe conſenſum: atque ideò non ad Ciuitatis cuiuslibet reſpiciant qualitatem, ſed modum diſpenſationis Eccleſiaſticæ paterna traditione firmatum, conuenienter obſeruent. Hæc Gelaſius.

Spalat. n. 25. Gelaſ. ep. 11 & Bellarm.

Leo ep. 63.

Excipit Spalatenſis. [Vt Ciuitas, inquit, ſit Imperialis, non ſatis eſt ſi Imperator in ea pro commoditate Imperij, iuxtà opportunitates rerum, & negotiorum, degat tantiſper; Spalat n. 26.

per;

Digitized by Google

per; immò etiam ad longum tempus: ſed ea eſt Ciuitas Imperialis, in qua Curia, in qua Senatus fixa ſunt permanenter; in qua Conſules, in qua reliqui Imperij Magiſtratus adſunt, nec talem Ciuitatem, quis in toto Romano Imperio, vltra Romanam, & Conſtantinopolitanam vmquam inuenit, obſeruauit, aut nominauit, ſed neque nos dicimus præſentiam ſolam Imperialem ſtatim facere, vt Eccleſia illis Ciuitatis habeat prærogatiuas, ſed poſtquam occaſio Imperatoris, & Curiæ, conſuetudinem introduxit, vt negotia quoque Eccleſiaſtica, ac præſertim Epiſcoporum ordinationes, ad eam ſedem deferantur; talemque conſuetudinem Concilia poſtea generalia approbent, & confirment, & hoc nihil præiudicat Religioni; neque indè Religio, vllam admittit mutationem; ſed in ſola externa Eccleſiaſtica diſciplina aliqua fit mutatio in meliùs ſemper, & non in deteriùs propter Eccleſiarum commoditatem, & Imperatoris res Eccleſiaſticas adiuuantis, auctoritatem, & opportunitatem. Quod verò aſſerit de Martiano, id conatus eſt aliquo modo ex Leonis literis ad Martianum datis colligere: Certè Martiani literas non vidit, non enim extant, quod ſciam; Leo verò, poſtquam certiorem reddidit Martianum, ſe in literis ad Anatalium datis, ea quæ de fide in Concilio Chalcedonenſi definita fuerant, approbaſſe; addit, ſed quia in eiſdem literis, ea, quæ per occaſionem Synodi malè ſunt attentata, reprehenderam; maluit prædictus Antiſtes meam gratulationem tacere, quàm ſuum ambitum publicare. Mihi autem multùm fiduciæ, Deo per vos operante, collatum eſt, quòd probaſſe vos obſeruantiam meam de cuſtodia Canonum paternorum, pietatis veſtræ affatibus indicaſtis. Et meritò geminatur gaudium meum: cum vobis religioſiſſimè placere cognoſco, vt & fides Nicæna ſuam teneat firmitatem, & priuilegia Eccleſiarum illibata permaneant. Sed quòd ad primum attinet, iugulat hoc reſponſum cauſam Anatolij; ſiquidem quòd Imperij neceſſitates id depoſcerent, vt non vno loco conſiſteret Imperator, ſed modò hanc, modò illam Vrbem incoleret, in eamque aulam induceret, proptereà ab Imperatoris præſentia Eccleſiarum ſplendor pendere non debuit, ne perpetuò nutaret, ac crebras mutationes ſubiret. Quod attinet verò ad diuturniorem alicuius Vrbis incolatum, ſi ijs ad conciliandum ius Patriarchicum ſufficeret, planè conſtat, eius ſibi aſſerendi ſufficientiſſimam cauſam habuiſſe Mediolanum, in quo diutiſſimè, quod norunt omnes hiſtoriæ periti, Imperatores ſuam ſedem habuerint.

Leo ep.63.

Quod poſtremò contendit laudatum à Martiano Leonis zelum generalem, vt loquitur. [Quidni laudaret Martianus Papæ zelum illum generalem, quem circa Canonum cuſtodiam præ ſe ferebat?] Pudendum eſt effugium, neque enim ſolùm de ſeruandis in genere Canonibus Nicænis apud Imperatorem egit Leo, verùm nominatim, ac ſpeciatim pro eo Canone, quo Alexandrinæ, & Antiochenæ prærogatiuæ ſancirentur, contendit. ac ſi verum fateri licet, de his ad Imperatorem ſcribendi potiſſima cauſa fuit, quòd in Anatolium Regiæ Vrbis intuitu inclinaret ille, & verba Leonis à nobis citata id abundè teſtantur: [Illam autem culpam, inquit, quam de augenda poteſtate aliena (vt aſſeris, abhortatione contraxeras, efficaciùs, atque ſinceriùs tua charitas diluiſſet, ſi quod tentari ſine tua voluntate non potuit, non ad ſola Clericorum conſilia tranſtuliſſes: quia ſicut in mala ſuaſione delinquitur, ità & in mala conſenſione peccatur. Sed gratum mihi (frater chariſſimè) eſt, quòd dilectio tua profitetur ſibi diſplicere, quod tunc etiam placere non debuit, ſufficit in gratiæ communis regreſſum, profeſſio dilectionis tuæ, atteſtatio Principis Chriſtiani. Nec videtur tarda correctio, cui tam venerabilis aſſertor acceſſit.]

Spalat.n.27. Leo ep.71.

Vt ergo Gelaſius Imperatoris nullas literas viderit, ſatis eſt ex Leonis Epiſtolis eius mentem deprehendiſſe, neque enim Planus, aut fumorum venditor fuit Leo Pontifex, ſed ſincerioris fidei Antiſtes, cui proptereà meritò crediderit, quare, fidenter hoc ipſum repetit alio loco: Ne fortè, inquit, quod ſolent, dicant, quòd ſi Synodus Chalcedonenſis admittitur, omnia conſtare debeant, quæ illic videntur eſſe deprompta; Aut enim ex toto eam admitti oportere, aut ſi ex parte repudiabilis eſt, firmam ex toto conſtare non poſſe. Cognoſcant igitur illud ſecundùm ſcripturas ſanctas, traditionemque Maiorum, ſecundùm Canones, regulaſque Eccleſiæ pro fide communi, & veritate Catholica, & Apoſtolica, pro qua hanc fieri Sedes Apoſtolica delegauit, factamque firmauit, à tota Eccleſia indubitanter admitti: alia autem, quæ per incompetentem præſumptionem illic prolata ſunt, vel potiùs ventilata, quæ Sedes Apoſtolica gerenda nullatenus delegauit, mox à Vicarijs Sedis Apoſtolicæ contradicta, manifeſtum eſt; quæ Sedes Apoſtolica, etiam petente Martiano Principe, nullatenùs approbauit, quæ Præſul Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ tunc Anatolius, nec ſe præſumpſiſſe profeſſus eſt, & Apoſtolicæ Sedis Antiſtitis non negauit poſita poteſtate: quæ ideò, ſicut dictum eſt, Sedes Apoſtolica non recepit, quia quæ priuilegijs vniuerſalis Eccleſiæ contraria probantur, nulla ratione ſuſtinet.] Quod verò negat Spalatenſis, in Pontificis poteſtate fuiſſe Concilij Chalcedonenſis decretum reſcindere, cùm antiquo Canone Eccleſiæ à nobis centies prolato, quo cauetur, ne cuiquam liceat præter ſententiam Romani Pontificis Canones ſancire, omninò pugnat, & conſtat omne pondus Synodo Antiochenæ in Encænijs, & Ariminenſi detractum Pontificis improbatione. Quod additur ex Hieronymo, orbem eſſe maiorem Vrbe, ad rem non facit, de conſuetudine enim locali, de qua nos ſuprà, perperam à Diaconis Romanis citra conſenſum vllum Pontificis Romani inuecta loquitur. Præualuiſſe autem Concilium quintum contra Vigilium in fabulis numeramus; ſed hæc alio loco expendentur; Pœnituiſſe Anatolium inſolentioris ambitus, eſt ſuprà à nobis demonſtratum. De fruſtrato Leone pro roborando Decreto Concilio Chalcedonenſi apud Simplicium contendente, certè dignus eſt Gelaſius, cui hoc aſſerenti fides habeatur, cùm deceſſorum ſuorum res probè teneret. Videamus ſequentia.

Gelaſ de vinculo Anathematis. Socrat. l.2

[Obij-

Spalat. n.28. Greg. lib.7. ind.2. ep 63. [Obijcies ſextò, inquit, Gregorium dicentem : Quis dubitat Conſtantinopolitanam Eccleſiam Sedi Apoſtolicæ ſubiectam ? Reſpondeo, id ità fortaſsè Gregorium ſenſiſſe, opinio hæc Romanorum Pontificum eſt ſatis propria, Conſtantinopolitanum Primatum nullum eſſe: Ego tamen puto Gregorium loqui de ſubiectione in ordine dignitatis ; quia Romana prima eſt ; ſecunda Conſtantinopolitana.] Sed primùm moderatum Gregorij animum, tam ab iniuſto omni ambitu alienum fuiſſe, vt inſolentiùs numquam ſe extulerit, aut in aliorum iura inuaſerit, ſeſeque intra modeſtię fines religioſiſſimè ſemper continuerit, agnoſcunt pij omnes, vt proindè immeritò à Spalatenſi huius vanitatis poſtuletur ; & quòd ſubiectionem illam interpretatur de *ordine dignitatis*, vt ſcilicet Pontificis in Antiſtitem Conſtantinopolitanum poteſtatem eneruet, ex ipſo Gregorio ſatis refellitur; quippè qui ſe appellantes, à Conſtantinopolitano Antiſtite damnatos ſuſceperit, eorumque cauſas retractarit, ac etiam ab eo condemnatos abſoluerit.

Locus eſt inſignis in epiſtola eiuſdem Gregorij ad Ioannem Conſtantinopolitanum, de Ioanne Presbytero iniuſtè damnato,
Greg. lib 5. ind.14.ep.15 quem liberum eſſe pronuntiat. [Nos, inquit, facto Concilio, ſicut geſtorum apud nos habitorum tenor oſtendit, cuncta, quæ erunt neceſſaria, ſubtiliter perſcrutantes, ac tractantes, quoniam in nullo antedictum Preſbyterum reum inuenire potuimus ; pręcipuè, quia libellus, quem delegatis à vobis iudicibus obtulit rectæ fidei per omnia ſinceritati concordat : ea propter eorundem iudicum reprobantes ſententiam, noſtra eum definitione catholicum, & ab omni hæretico crimine liberum eſſe Chriſti Dei Redemptoris noſtri miſericordia, & gratia reuelante denunciauimus.]

Huius etiam meminit epiſtola ad Martianum Rauennatem; [Nunquid, inquit, non ipſe noſti, quia in cauſa, quæ à Ioanne Preſbytero contra Ioannem Conſtantinopolitanum fratrem, & Coepiſcopum noſtrum orta eſt, ſecundùm canones ad Sedem Apoſtolicam recurrit, & noſtra eſt ſententia definita ?] An hæc ſolùm dignitatis ordinem, non verò poteſtatis vigorem ſpirant : ſed de Gregorio diximus abundè ſuprà. Perſequitur Spalatenſis.

Spalat.n.29. Apud Baro. tom.10.ann. 878.n.51.52. [Obijcies ſeptimò, inquit, Primatum hunc tot tyrannos Eccleſiæ Conſtantinopolitanos Patriarchas peperiſſe; qui contemptis Canonibus, alios deponerent Epiſcopos, alios ſubrogarent, alios transferrent, hos depriınendo; illos tollendo, &c. vt potiſſimùm de Photio narrat Nicetas.

Reſpondeo, Primatum Romanum quoque longè peiora, & immaniora nobis monſtra peperiſſe. Neque id primatui legitimo, & modeſto, aut decretis Primatum confirmantibus eſt tribuendum, ſed ipſis Primatibus, malè Primatu abutentibus, & Principibus eoſdem Primates in ſuis abuſibus fouentibus; nec vt par eſt, eos compeſcentibus, & in of-
Nic. epi.70. apud Baron. tom.10.ann. 867.num.54. ficio retinentibus. Contra eundem quoque Photium Nicolaus Primus excanduerat, & inter cætera ei, ac Græcis obiecerat iſta, ſed quid mirùm ſi hoc iſti prætendunt cùm etiam glorientur, atque prohibeant, quando de Romana vrbe Imperatores Conſtantinopolim ſunt translati, tunc, & Primatum Romanæ Sedis ad Conſtantinopolitanam Eccleſiam tranſmigraſſe ; & cum dignitatibus Regijs etiam Eccleſiæ Romanæ priuilegia translata fuiſſe, ità vt eiuſdem inuaſor Eccleſiæ Photius, etiam ipſe ſe in ſcriptis ſuis Archiepiſcopum, atque vniuerſalem Patriarcham appellet. Hæc de Photio ; aduersùs, quæ inſurgit ipſe Nicolaus, ex communibus, & ordinarijs locis fundationis Romanæ Eccleſiæ, à Petro habitæ, & Paparum teſtimonijs.

An verò Græci prætenderint, aut prætendant ità Primatum Eccleſiaſticum à Romana ad Conſtantinopolitanam Eccleſiam tranſijſſe, cum tranſitione Imperij, vt Romana ſuum perdiderit Primatum ; dicam inferiùs cap.7. Certè Canones illi relinquunt Romanæ Eccleſiæ primum locum, quem habebat; ideò id Græci prætendere nullo modo debuerunt : Sicut neque verum eſt, quod Baronius aſſerit, in altero extremo conſtitutus ; videlicet, ità datum ſecundum locum Conſtanti- Baron. to.8. an.680.n.41.
nopolitanæ poſt Romanam, cui primus ſuus locus manſit, vt ipſi Romanæ ſe ſubiectam eſſe, Conſtantinopolitana ſemper ſit profeſſa ; contenta, quòd reliquis Patriarchalibus fuerit prælata : At inter Patriarchales Eccleſias nulla eſt prælatio, nulla propriè dicta ſubiectio, vt probaui lib. 3. cap. 10. Sed ipſæ inter ſe ſunt æquales, hinc eſt vnaquæque ſuæ regionis prima, & ſuprema; ſolo ordine dignitatis inter ſe ſubordinatæ ; vt primo loco ſit Romana, ſecundo Conſtantinopolitana ex priuilegio, tertio Alexandrina, quarto Antiochena, quinto, & vltimo Hieroſolymitana, & ipſa ex priuilegio.

Itàque ſecunda non ſubijcitur primæ, neque tertia ſecundæ : & ſic deinceps ; hoc enim expreſsè, & principaliter declarat Canon 6. Nicænus, vt nullus horum Primatum, ſeu Patriarcharum, aut Metropolitanorum quicquam iuris habeat in alterius Prouinciam, aut poteſtatis exceptis tantùm quibuſdam prærogatiuis, de quibus iam egi lib. 3. cap. 10. & agam inferiùs cap. 9. Priuilegium itàque Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, ità eam prætulit reliquis duabus Patriarchalibus Alexandrinæ, & Antiochenæ, vt tamen Romanę non ſubijceretur, ſed neque præferretur, ſed ei penitùs in omnibus prærogatiuis æquaretur, & ſolo ordine dignitatis poſtponeretur, vt in ſequentibus explicabitur.]

Sed primùm fallit iniquiore Pontificis cum Antiſtite Conſtantinopolitano comparatione, vt enim etiam in tyrannos degeneraſſent Pontifices, quod tamen citra probationem impudenter aſſeritur, vitium *in modo imperandi*, vt loquuntur, non *in iure imperij*, reſideret : penès enim Pontificem poteſtatem ſemper fuiſſe de omnibus per Orbem Epiſcopis cenſendi, ac iudicandi ſuprà oſtendimus. Sed Antiſtites Conſtantinopolitani cùm eos legitima auctoritas deficeret, ne Eccleſiarum capita haberi poſſent, cùm Epiſcopos vexarunt, tyrannos ſe, non modò in regiminis forma, verùm etiam in iure regnandi præbuerunt, ac oſtenderunt.

Neſcio verò, cur ad aſſerendum Patriarchatum Conſtantinopolitanum à bipedum

nequiſ-

nequiſſimo Photio præſidium petat, & in eo oſtentando ſibi adeò placeat. Cœnum enim, peſtis, ac flamma Eccleſiæ ille conſceleratus Eunuchus fuit; cui etiam poſt ſanctiſſimos Pontifices, anathematis notam Oecumenica Synodus octaua inuſſit. Etſi verò quorundam Græculorum opinio fuit, excidiſſe Romanam Eccleſiam ſuo primatu, ac totum eius imperium Conſtantinopolitanum tranſlatum fuiſſe, illi tamen ipſi à ſuis confœderatis, hoc eſt, ab alijs Schiſmaticis refelluntur.

Audi Zonaram: [Cùm de aliarum Patriarcharum, inquit, iure ſuperiori canone definitum ſit, de Conſtantinopolitano à Patribus hoc loco actum, eique primi honores, priuilegiaque ſingularia, quippè nouæ Romę, ac reginæ vrbium præfecto poſt Romanum Epiſcopum, decreta. Quod quidem ità accepere non multi, non vt inferiorem dignitatis gradum, ſed temporis poſteriorem ab hac conſtitutione edita ſeriem, ea loquendi formula, ſignificari vellent. Erat ſiquidem vrbs antiqua Byzantium, quæ cum ſuis legibus vteretur, Seuero Imperatore triennio obſeſſa, rerum neceſſariarum inopia compulſis ad deditionem ciuibus, venit in Romanorum poteſtatem: ac mœnibus ſolo æquatis, ureque omni vrbis amiſſo, in Perinthiorum ceſſit imperium. Eſt verò Perinthus, quæ alio nomine Heraclea, atque hinc Heraclienſi Antiſtiti, quòd ab eo ſcilicet Byzantinus Epiſcopus olim renuntiari ſoleret, dicendi Conſtantinopolitani Patriarchæ auctoritas huc vſque ſeruata. Eadem vrbs, à Magno Conſtantino inſtaurata, ac de eius nomine Conſtantinopolis dicta, nouæ quoque Romæ titulo honeſtata fuit.

Illa ergo particula, poſt, ſolùm ordinem temporis, non inferiorem honoris conditionem indicari, quidam exiſtimauere. Quam quidem ſententiam ſuam, vigeſimo octauo Synodi Chalcedonenſis Canone confirmare nituntur. Ibi namque, mentione huius Canonis iniecta, hæc poſteà ſubijciuntur. De priuilegijs ſanctiſſimę Conſtantinopolitanæ magnæ Eccleſiæ eadem nos quoque ſancimus. Sanctiſſimam enim nouæ Romæ Sedem, quòd ea quoque ſedes eſſet imperij, iiſdem, quibus antiqua Roma fruitur priuilegijs, meritò Patres decorauere, iureque optimo, quæ vrbs imperio, ac ſenatu honeſtata, ac ijſdem cum vetere vrbium regina, muneribus ornata foret, eam in Eccleſiaſtica quoque Republica, æqualibus cum illa honoribus extollendam, ac ſecundam ab illa collocandam eſſe indicauere. Æqualibus igitur, aiunt, honoribus inſignitam vrbem, eandemque dignitate inferiorem eſſe, quo pacto intelligi poſſit?

Verùm Iuſtiniani nouella centeſima trigeſima, Imperatoriarum Conſtitutionum libro quinto, titulo tertio, Canonem aliter explicat. Sanctiſſimum namque, ait, veteris Romæ Papam ex Synodorum placitis, totius Eccleſiaſtici ordinis principem eſſe, beatiſſimum verò Conſtantinopolitanæ vrbis nouæ Romæ Epiſcopum, ſecundum ab Apoſtolica veteris Romæ ſede locum obtinere, alijs omnibus honore ſuperiorem eſſe decernimus. Quo ex loco, de ſubiectionis, non temporis ſolius ordine, ac de inferiori honoris gradu, Canonem accipiendum eſſe, facilè eſt intelligere. Cùm aliòquì præſertim, honoris æqualitas in vtraque ſede retineri nullatenùs queat. Nam ſiue ipſa Præſulum nomina recitanda, ſiue in eodem vtrique conſeſſu aſſidendum, ſiue vtriuſque chirographo eadem ſyngrapha ſit firmanda, alterum certè præferri neceſſè eſt. Quicumque ergo particulam, poſt, ſolam temporis ſeriem, non inferiorem quoque dignitatis gradum ſignificare contendat, is & vim huic loco afferat, & ſententiam neque rectam, neque bonam eliciat.

Quin & Trullanæ Synodi Canone trigeſimo ſexto, noſtra explicatio apertiſſimè confirmatur. Poſt antiquæ, inquit, Romæ thronum, ſecundus Conſtantinopolitanæ ſedi locus aſſignetur, poſt hanc Alexandrina, indè Antiochena, & poſt Antiochenam demùm Hieroſolymitana numeretur, vbi de inferiori dignitatis ordine, præpoſitionem intelligendam eſſe, ambigi non poteſt.]

Conſtans itàque Græcorum opinio eſt, primum locum Pontifici Romano deberi, oportere autem ſecundum à Romano audire Conſtantinopolitanum, ſed vſurpato Oecumenici titulo, vt ſcilicet toto Oriente Oecumenicus habeatur, quomodo toto Orbe pro Oecumenico Romanus agnoſcitur; verùm hunc ambitum non tulit Eccleſia, qua de re videro alibi.

Certè conqueritur Nilus iniuriam fieri Græcis, cùm vendicati ſibi primi loci ante Romanum Pontificem arceſſuntur; ſic enim ille de Primatu Petri: [Neque verò, inquit, illud in cauſa eſt, quod Latini affirmant, neque nobis Primatum arrogare velle, & in ſecundis poſt Romanum Principatum nolle conſiſtere, idcircò pacem detractare. Neque enim vmquam cum Romana Eccleſia de Primatu contendimus, neque de ſecundo loco nunc agitur. Sed neque vetus conſuetudo, neque Patrum decreta nos latent, quibus Romana Eccleſia antiquiſſima omnium Eccleſiarum declaratur.] Sed in hoc eſt à poſterioribus Græcis peccatum, quod *ordine*, non *poteſtate*, primùm coluerunt Pontificem; quicquid enim contrà effutiat Spalatenſis, Orientalibus ſemper perſuaſum fuit, antiquiores illos intelligo, toti Eccleſiæ præeſſe, ac, vt ità dicam, ius in omnes Orientis Epiſcopos habere; nam nos hiſtoriæ docent, & Alexandrinos, & Antiochenos, & Conſtantinopolitanos cùm res poſtulabat, quod non infrequenter accidit, in ordinem cogi à Pontifice Romano, Anathemate feriri, etiam abdicari, ac exauctorari, ſuos Patriarchas flagitaſſe, ac Decretis Pontificum, iudicatiſque ab eis paruiſſe, & ſubit mirari tantæ molis librorum auctorem non aliqua ſaltèm recordatum fuiſſe, nec recurriſſe animo, vel Anthimum Conſtantinopolitana ſede, in quam Imperatorum fauore inuolarat, ab Agapeto Papa deiectum, vel ab vno Felice Romano tres Orientis Patriarchas, Petrum Alexandriæ, Acacium Conſtantinopoli, Petrum alterum Antiochiæ, ſacrorum participatione depulſos, atque ab Eccleſiaſticis diptychis eraſos, vel Flauianum ab Epheſina prædatoria, Chryſoſtomum à Conſtantinopolitana tumultuaria Synodo, hunc ad Innocentium, illum ad Leonem, Petrique Cathedram prouocantes. Mitto Iulij

Papæ auctoritate ſuas Eccleſias Athanaſio Alexandriæ Aſclepæ Gaſæ, Marcello Ancyrę, &c. in Oriente redditas, & reſtitutas. Hæc ſcilicet Romani Pontificis in vniuerſam Eccleſiam poteſtatem comprobant, atque niſi antiquos Patres planè contemnit Spalatenſis, manus dabit, ac in veritatis partes concedet.

Spalat.n.30. [Obijcies octauò, inquit, Conſtantinopolitanam Eccleſiam, licèt Patriarchalem, ſubiectam eſſe Romanæ, eò quòd Romana eam regat, & dirigat, & reſcriptis regulet. Extra, de elect. cap. ſcriptum, &c. vt præteritæ, & de maiorit. & obed. cap. inter quatuor.

Naucler. Gener.41. Reſpondeo, tunc Latinos, Francos nimirùm, & Venetos, erepta Græcis Conſtantinopoli, Eccleſiam illam Græcis ſimiliter ereptam tenuiſſe; ideòque Romanus Pontifex in ea ſuam exercuit, Græcis tamen gementibus, & frementibus, poteſtatem, ſed breue fuit Latinorum in ea regia vrbe dominium; immò & Chriſtianorum, quod eſt profuſis lacrymis deplorandum.]

Hæc ex ſuperioribus planè refelluntur; antequam enim Latinis colla ſubmittere coacti fuiſſent, aut eorum Imperio premerentur, poteſtatem habuiſſe, nedùm in Conſtantinopolitanam, verùm etiam in Patriarchales alias Eccleſias, quæ eam pro capite venerarentur, ac colerent, exempla à nobis adducta clariſſimè oſtendunt. Sed de his rursùs alibi.

DISCVSSIO
QVINTI CAPITIS
LIBRI QVARTI.

CONSPECTVS CAPITIS.

Rerum humanarum conditio : Non niſi ſenſim, & moratè ſuas opes oſtentant : Regum etiam potentia vires acquiſiuit eundo : Cardinalium initio non tantus fulgor, cum ſcilicet ſub cruce adhuc ageret Eccleſia, quantus poſteà apparuit, creſcente nimirùm Eccleſia, eorum creuit dignitas : De nomine Cardinalis: Onuphrij ſententia depulſa: Bellarminus defenſus : Cardinalatus apex dignitatum omnium, quæ ſub Pontifice, Chriſto in terris militant: Baronij iudicium de titulis Eccleſiarum: Spalatenſis de Cardinalibus nugæ, depulſæ: Quinam Eccleſiaſtici in ſententia Gregorij incardinati dicerentur: De externis Clericis, qui in aliquam Eccleſiam cooptarentur, eſt intelligendus: Cypriani locus in hanc rem à Baronio expenſus: Immodeſtia Spalatenſis : Ioannes Octauus defenſus : Aliæ Spalatenſis nugæ detectæ: Eius de Cardinalibus paralogiſmi: Patres, à quibus præſidium ducit, declarati: Rectum Bellarmini de Cardinalibus iudicium: Olim Epiſcopis inferiores: Nunc longè ſuperiores: Huius conuerſionis rationes, duæ potiſſimæ: Tributa illis Pontificum electio, & quia iam Pontificis Conſiliarij audiunt: Legati Pontificij in Concilijs, etiamſi Preſbyteri tantùm eſſent, Epiſcopis anteibant: Probatur exemplo Philippi in Concilio Epheſino primo Legati: Splendor Vrbis Romæ Clero Romano dignitatem aliquam conciliauit: Non tamen cauſa proxima: Diaconorum Romanorum leuitas, & vanitas repreſſa à Hieronymo: Non erant illi Cardinales, nec omnium illa labes fuit: Spalatenſis iniquiores querelæ, vaniſſimè ad ipſa tempora Bernardi protenſæ: Refellitur ex Bernardo: Eius in Purpuratorum Patrum cultum contumeliæ: Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales cath exochin *dicti: Inſcitia Spalatenſis arguitur: Rectè Cardinalis Bellarminus ex ſacris ordinibus, quibus Cardinales in Diaconos, Presbyteros, & Epiſcopos initiantur, eorum dignitatem colligit: Sacerdotij quantus fulgor ex Patribus: Impius Spalatenſis iocus de triobolaribus Presbyteris: Egregium beati Martini factum, defenſum: Cardinales de potentia, & mundano principatu cum Regibus non certant: Spalatenſis de honore ineptè philoſophatur: A Regibus culti Sacerdotes: Alexandri magni facinus egregium: Bellarminus iterùm defenſus: Stultum Spalaten-*

tenſis commentum de Canonicis Lateranenſibus: Tria Cardinalium officia, quibus tota eorum dignitas nititur, diligentiùs explicantur: Meritò horum munerum prærogatiua ad Cardinales reuocatur: Bellarminus denuò defenſus: Spalatenſis refutatus: Iniquè Cardinales eum Diaconis, quos ſugillat Hieronymus, confert: Improbè poteſtatem Pontificis circumſcribit: Bellarminus ampliùs propugnatus, ac à calumnijs Spalatenſis vindicatus: Viris Eccleſiaſticis res temporales gubernare aliquando permiſſum: Inferiores Clerici ratione dignitatis, vel officij, quo in aula, vel Eccleſia potirentur, aliquando Epiſcopis Prælati: De Cartophylace Eccleſiæ Conſtantin. Imperatorum ſanctiones: Nequaquam eſt depreſſus ordo Eccleſiaſticus, ſed dignitate auctus, euectis ad honorum faſtigium Cardinalibus: Platina in moribus Pontificum, & Cardinalium traducendis paulò liberior dolori indulget: Senatus Cardinalium magnis viris ſemper ornatur: Illo multò impudentior Spalatenſis in vexandis Cardinalibus: De Conuentu Baſileenſi: Spalatenſis dogma euertit, quamquam eo ſe tueatur: Eius leges melior temporum conditio refixit: Cardinalium probitas quanta eſſe debeat: Vtrùm Cardinales Apoſtolis ſucceſſerint: Haudquaquam ſucceſsiſſe doctrina eſt Benedicti Iuſtiniani, qui tamen de ijs magnificè ſenſit: Academiæ leges Eccleſiæ non ponunt, ſed Conſilijs iuuant: Pariſienſis omnium Princeps laudata: De Concilio Conſtantienſi: Conciliorum Decreta auctoritate Pontificis firmantur: Cardinalium tempore Bernardi quantus fulgor, & dignitas: Locus Ottonis Frigienſis declaratus: De Torcellano obiter aliquid: Suſpectus fraudis in eo referendo Spalatenſis: Matthæus Paris notatus Cleri Romani hoſtis: Eius odij cauſa: Nouæ quædam Spalat. calumniæ depulſæ de purpura Cardinalium: Baronius propugnatus; Dilutæ obiectiones Spalatenſis: Clericorum Romanorum priuilegia: Obiter de Hieronymo: De ipſius Cardinalatu commentum depulſum à Baronio in Annalibus: De falſâ donatione Conſtantini: Bernardus pro Cardinalibus defenſus: Similiter Damianus, cuius ſententia expenditur: De Eccleſia Lateranen. Bernardi egregia de Cardinalibus: Pontificis eſt in illuſtriſſimum ordinē optimè de Eccleſia meritos cooptare.

Spalat. n. 1. Omnis cuiuſcumque Eccleſiæ benè inſtuctæ Clerus his gradibus expletur; Epiſcopo, Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, & miniſtris minoribus, vt plenè docui libro ſecundo capite quarto. Quare etiam in Eccleſia Romana totus ipſius Clerus ijſdem, & non alijs gradibus continebitur. Et quamuis poſtremis iam ſeculis Cardinalitia dignitas nobiliſſimum in Eccleſiaſtica Hierarchia locum occuparit; & ſeque ſuprà Epiſcopos omnes, præter Romanum, extulerit: quicunque tamen Cardinales efferunt, non eis vllum nouum,
Bel. de Cler. & diuerſum, à prædictis, gradum tribuunt, ſed alios faciunt Epiſcopos Cardinales; alios
lib. 1. c. 16. Presbyteros, item Cardinales, & alios demùm Diaconos Cardinales. Cardinalatus itàque non eſt gradus, aut dignitas, aut officium, aut miniſterium Eccleſiaſticum ſeorſim; ſed iuxta noſtros Monarchicos, addit aliquid Epiſcopo, Presbytero, & Diacono; quo hi ſuperent alios Epiſcopos, item Presbyteros, & Diaconos non Cardinales.

Sic ſunt comparatæ res humanæ, vt haudquaquam vno momento, ſed ſenſim, ac paulatim, & moratè ſuum ſplendorem, & dignitatem, vt plurimùm conſequantur. Nauigabiles ad ipſam ſuam ſcaturiginem fluuios aliqui commenti ſunt: Sed vix eſt, vt in ipſo rerum ortu illarum faſtigia appareant, & ferè non niſi temporis tractu ad illa aſſurgunt; Ipſa Regum potentia ex paruis initijs creuit, nec principio erat is Regius fulgor, qui poſteà ſecutus eſt; Id in reliquis ſeculi dignitatibus ſpectandum proponitur, & conſtat, vt ità dicam, vires acquiſiſſe eundo, ſi modò ſolidis fundamentis nitebantur. Stultè igitur Spalatenſis, quod initiò non fuerit tantus illuſtriſſimorum Cardinalium fulgor, non debuiſſe poſterioribus ſeculis, ſummis honoribus à Pontifice augeri contendit; Sanè, quemadmodùm ad corporum lationem ſuperficies mouentur, ſuperficieſque ipſas lineæ emulantur, ſic creſcente Eccleſiæ Chriſti gloria, creuit nobiliſſimorum miniſtrorum, ſcilicet purpuratorum Patrum dignitas,

gnitas, quos iam mœnibus ſanctæ Hieroſolymæ impoſitos cuſtodes Eccleſiæ Catholica tota veneratur, ac ſuſpicit. Scilicet, nec ipſa Eccleſia Chriſti ſponſa, ſtatim eximios conſequuta eſt honores, ſed primùm ſub cruce fuit, indignè ab infidelibus habita, ac miſerè vexata, cuius rei gratia adductus cœleſtis ſponſus, conuerſione rerum facta eam honoribus augere ſtatuit, priore opprobrio detracto.

Iſaiæ c. 60. verſ. 15. Hoc habent oracula Prophetarum: ſic enim apud Iſaiam ad illam Deus: *Pro eo, quòd fuiſti derelicta, & odio habita, & non erat, qui per te tranſiret, ponam te in ſdperbiam ſeculorum, & gaudium in generarionem, & generationes, & ſuges lac Gentium, & mammilla Regum lactaberis*: Quare, Auguſtinus eam cum mole terræ initio aquis opertæ confert; quæ tandem ad Dei intonantis vocem montes ſuos oſtentarit, ac eo torquet illud Dauidis: [Abyſſus ſicut veſtimentum amictus eius, & ſuper montes ſtabunt aquæ: Ab increpatione tua fugient, à voce tonitrui tui formidabunt. Fugerunt enim aquæ, inquit, ab increpatione Dei, quia cor Regum in manu Dei: Deflexit, quò voluit, iuſſit per eos pacem dari Chriſtianis, emicuit, & eminuit auctoritas Apoſtolica. Numquid quando ſuprà erant aquæ, montium defecerat magnitudo? Sed tamen fratres mei, vt omnes viderent eminentiam montium, per quos montes ſalus eſſet generi humano, quia leuaui oculos meos in montes, vndè veniet auxilium mei: Ab increpatione Dei fugerunt aquæ.]

Pſal, 103.

Hieronymus quoque ad illa verba: [Aedificabunt filij peregrinorum muros tuos, & Reges eorum miniſtrabunt tibi.] Carnaliter, vt loquitur, temporibus Conſtantini id impletum obſeruat: [Iſtud, inquit, carnaliter accipitur, vel ſpiritaliter. Si carnaliter videmus Cæſares Romanos Chriſti iugo colla ſubmitrere, ædificare Eccleſias expenſis publicis, & aduersùs perſecutiones gentium, atque inſidias hæreticorum legum ſcita pendere, &c.]

Hieron. ad c. 60. Iſaiæ.

Itàque tribus integris ſeculis, cum grauiſſimis aduerſarijs conflictata eſt, nec niſi ſenſim eluctari, aut emergere ex tot periculis potuiſſ, quæ tamen poſtmodum, tanto etiam externo fulgore colluſtrata eſt, vt inſtar mulieris, [Sole ipſo amictæ Lunam ſub pedibus habentis, ac in capite coronam ſtellarum duodecim geſtantis,] in hoſtium etiam oculos incurrerit, in ſuique admirationem potentiſſimos ſeculi Principes pertraxerit. Haud igitur mirum eſſe debet, eiuſdem Eccleſiæ miniſtros, repentè ſummos non eſſe factos, ſed tractu temporis, ſe extuliſſe, ac ſenſim illam ſibi gloriam comparaſſe. Dicendum itàq; qua ratione factum ſit, vt tanto in honore habiti ſint purpurati Patres, hoc eſt, illuſtriſſimi Cardinales, quos in ordine Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum eſſe, lubentes Spalatenſi concedimus, his enim claſſibus Clerus Eccleſiæ diſtinguitur; ſed acceſſionem quoque honoris vrgemus, de qua infrà, ſed primùm de nomine eſt nobis cum aduerſario agendum. Hac de re diſputaturus Spalatenſis, aliorum primùm aggreditur refellere opiniones, vt ſuam ſententiam ſtatuat. [Cardinalē, inquit, explicat Onuphrius eſſe eum, qui cæteris præſit, vt in ea Eccleſia, in qua ſunt plures Presbyteri, is qui inter eos eminet, & reliquis præeſt, ſit Presbyter illius Eccleſiæ Cardinalis, ſic Diaconus Cardinalis ſit, qui aliorum eiuſdem Eccleſiæ Diaconorum ſit præſes. Hæc tamen explicatio eſt imperfecta; quia Epiſcopus Cardinalis, qui non fuit Metropolitanus, nullum habet Epiſcopum, cui præſit; & mox patebit, vnicum Presbyterum in aliqua Eccleſia, qui nullum alium ſub ſe habeat Presbyterum, eſſe nihilominùs Presbyterum Cardinalem: immò etiam in eadem Eccleſia eſſe plures Presbyteros Cardinales: ità Diaconi vt plurimùm, qui nullum ſub ſe haberent Diaconum, erant nihilominùs Cardinales.]

Apoc. c. 12.

Spalat. n. 2. Panuin. lib. de tit. Card.

[Bellarminus, perſequitur Spalatenſis, nomen Cardinalis primùm impoſitum fuiſſe loco cenſet, & à loco deriuatum ad perſonas; Dicebantur enim, inquit, tituli Cardinales quædam Eccleſiæ principales, vbi baptiſma conferebatur. Indè autem Presbyter, qui eam Eccleſiam regebat, dicebatur Preſbyter Cardinalis: pari ratione Diaconiæ Cardinales erant loca quædam principalia in vrbe diſtincta, iuxta numerum regionum, & qui in eis reſidebant Diaconi, dicebantur Cardinales Diaconi; ab Eccleſia videlicet Cardinali, quam tenebant. Sic etiam poſtmodùm dicti ſunt Epiſcopatus Cardinales, & indè Epiſcopi Cardinales ſex illi, qui ad eligendum Pontificem conueniebant, & eidem Pontifici à Conſilijs erant, præter cæteros Chriſtiani Orbis Epiſcopos. Sed hæc etiam eſt imperfecta explicatio; videbimus enim multos Epiſcopos Cardinales, extra illos ſex: & Diaconos Cardinales; & non Cardinales in eadem Diaconia reſidentes, & oſtendere deberet, alias Eccleſias fuiſſe cum titulis Cardinalitijs, alias verò cum titulis quidem, ſed non Cardinalitijs. Ego enim omnes inuenio, fuiſſe olim Eccleſias eodem modo titulatas, vndè & ordinationes debuerunt olim ſemper fieri ad titulum Eccleſiæ, vt monui lib. 2. cap. 7. num. 26. & plenè probabo lib. 9. cap. 3. & cap. 10. Quicunque ergo ordinabantur, debuerunt eſſe Cardinales, ſecundum Bellarminum, quia omnes ad titulum Eccleſiæ titulatæ ordinabantur. Prætereà in eadem Eccleſia, ſeu titulo, reperiemus Presbyteros Cardinales, & non Cardinales: non ergo locus facit, aut denominat Cardinales. Verùm itàque eſt, nullum Cardinalem fuiſſe, qui titulatæ Eccleſiæ non eſſet inſitus, ſed non omnes eiuſdem Eccleſiæ Clerici erant Cardinales.]

Spalat. n. 4. Bellarm. de Cler. lib. 1. cap. 16.

Conc. Chal. Can. 6. & diſt. 70. cap. Sanctorum.

Quod attinet ad Onuphrium, eius ſanè ſententia eſt, quam explicat Spalatenſis. Sic enim ille: [Tituli erant, inquit, templa, vel vt nunc dicitur Eccleſiæ, ſiue loca ſacra in ſanctorum honorem, aut memoriam erecta, & per Vrbis regiones à Romanis Pontificibus antiquitùs diſtincta, in quibus animarum cura à Presbyteris in eis commorantibus habebatur. Quibus, qui præerant Presbyteri appllabantur, vt Cardinales, hoc eſt principales, ſimilitudine à quatuor ventis Cardinalibus, ideſt, air Seruius ſuper Virgilium, principalibus, deducta. Cùm enim in vnoquoque titulo plures eſſent Clerici, qui Sacramenta populis exhiberent, vel exhibentibus præſto eſſent,

Onuphrius l. de ep. &c. pag. 3.

eſſent, vt Subdiaconi, Diaconi, & Presbyteri, is, qui omnibus præerat Presbyter, à cæteris Clericis illius tituli, vel à Romano Pontifice creatus, dicebatur Cardinalis, quòd omnium dignior, principaliorue eſſet in eo titulo commorantium, cæteroſque clericos regeret, vel gubernaret, in titulo ſibi commiſſo viuentes.]

Sed eam ſententiam meritò reijcit Cardinalis Bellarminus; nec benè, aut ſolidè à Spalatenſi ipſe refellitur; nam vt verum ſit, quod Bellarmino opponit, omnes Eccleſias titulis inſignitas fuiſſe, non dubitamus inſigniores aliquos titulos fuiſſe, quibus Cardinalium nomen tributum fuerit, quòd in horum Eccleſijs, vt aduertit Cardinalis, *Baptiſma conferretur*, & ſacris initiarentur, qui fierent Chriſtiani, quo factum ſit, vt qui illis præeſſent, etiam Cardinales dicti ſint. Verùm quia obſcuriora ſunt illa initia, & ſcriptorum penuria laboramus; ſufficit ad nominis etymum explicandum, Cardinalem idem planè eſſe, ac præcipuum, aut principalem, quo ſenſu dicuntur, Venti Cardinales, Virtutes Cardinales, Puncta Cœli Cardinalia. Eſt itàque Cardinalium Collegium, flos, ac præcipua, & principalis portio Ordinis Eccleſiaſtici, apexque dignitatum omnium, quæ ſub Pontifice Chriſto in terris militant, ac in Eccleſia miniſtrant; Sed quia in Titulorum mentionem incidimus, reſque de ſe ſatis eſt obſcura, lubet aſcribere, quæ de ijs ſunt à doctiſſimo Annalium parente obſeruata, ex quibus lux aliqua conciliari poſſit his, quæ de titulis in hac di-

Bar. tom. 2. an. 112. nu. 4. 5. 6. ſputatione traduntur: [Haud dubium, inquit, per titulos accipi domos diuino cultui mancipatas, in quibus Chriſtiani Synaxes agere conſueuerant. Eſt de his exemplum in breuioribus illis, ſed planè aureis Pij Papæ epiſtolis ad Iuſtum Epiſcopum Viennenſem, in quarum priori hæc de nuper erecto titulo: Antequam Roma exijſſes, ſoror noſtra Euprepia (ſicut benè recordaris) titulum domus ſuæ pauperibus aſſignauit: vbi nunc cum pauperibus noſtris commorantes, Miſſas agimus, & poſteriori: Presbyter Paſtor titulum condidit. Sic igitur quòd dicatur Euariſtus titulos diuiſiſſe Presbyteris, de illis planè intelligendum eſt, qui recens eſſent inſtituti: Sicut enim Chriſtiana religio in dies maioribus augebatur incrementis, ità pariter nouos adijcere titulos opus erat, prout & poſterioribus temporibus eſſe factum apparet.]

Sed vnde acciderit, vt domus fidelium in ſacrum vſum conuerſæ, quas nos Eccleſias dicimus, à maioribus Tituli dicerentur; paucis aperiendum. A rebus fiſcalibus videtur accepta eſſe nomenclatura: tituli namque impoſitione, rem aliquam ſibi Fiſcus ſolitus erat vendicare, atque Principi conſecrare: Vt cùm ait Imperator: Tituli verò, quorum adiectione prædia noſtris ſunt conſecranda ſubſtantijs, nonniſi publica teſtificatione proponantur. Fuiſſe huiuſmodi titulos vela quædam, quæ regiam repræſentarent poteſtatem, vel imaginibus Imperatorum, vel nominis ipſorum inſcriptione inſignita, multa ſunt, quæ poterunt demonſtrare: Sed nos breuiter tantùm rem attingemus. Eiuſmodi vela cortinas regias ſanctus Ambroſius nominat, dum ſcribens ad Marcellinam de Valentiniano Imperatore agit, qui cortinarum illatione intrà Baſilicam, illam ſibi eo modo ſtuduit vendicare: Sed eiſdem à pueris ſciſſis omnia irrita ſunt reddita.]

Porrò titulos, & literis notari ſolitos, ſanctus Auguſtinus his verbis demonſtrat. Ne domum ipſius inuadat aliquis potens, ponit ibi titulos potentis, titulos mendaces: ipſe vult eſſe poſſeſſor, & frontem domus ſuæ de titulo alieno muniri; vt, cùm titulus fuerit lectus, conterritus quis potentia nominis abſtineat ab inuaſione. Vetuit Gregorius huiuſmodi titulos imponi Eccleſiaſticis rebus: quippè qui ſciret, titulos Eccleſiaſticos longè à Fiſcalibus diuerſos eſſe debere. Fuiſſe autem apud Chriſtianos titulum, quo domus aliqua cultui diuino manciparetur, vexillum crucis, ex ijs poſſumus intelligere, quæ Theodoſius Imperator edicto præcepit, vt delubra Gentilium Chriſtianæ religionis cultui manciparentur, collocato in eis, vt ait, venerandæ Chriſtianæ religionis ſigno. Eaque ratione, quòd titulo crucis cenſerentur res dicatæ eſſe religioni, Leo Imperator, ne ſignum crucis inferretur in loca publica, quæ gratia popularis voluptatis eſſent erecta, lege vetuit, cùm ſic ait: Decernimus, vt poſt hac neque Monachi, aut quicumque alij cuiuſque ſtatus, atque fortunæ, in ædes publicas, vel in quæcumque loca populi voluptatibus fabricata venerabilem crucem, & ſanctorum Martyrum reliquias illicitè inferre conentur, vel occupare audeant ea, quæ ad publicas cauſas, vel ad populi oblectamenta extructa ſunt. Ad hæc inſuper, alia ſunt complura exempla, & auctoritates, quibus crucis vexillo illato, velut præfixo titulo, res cenſeretur Deo dicata, quæ colleginius in noſtris Notis in Romanum Martyrologium editis, vt non ſit opus eadem hìc denuò repetere.]

Cùm igitur domus aliqua publico religioſo Chriſtianorum vſui manciparetur, crucis titulo inſignita, ex eo & nomen accipiens, Titulus dicebatur. Ex his & alluſio facta eſt apud Ambroſium, cùm dicitur: Domum ſalutat, tam enim deuota fuiſſe videtur, vt omnis domus eius ſigno titulata eſſet crucis; ſed & alia quoque ratione dici poteſt, Eccleſiam dictam eſſe Titulum, nimirùm quòd qui illi Presbyter aſcriberetur, ab ea nomen, titulumque acciperet, vt eius loci Presbyter diceretur.]

Exiſtimat igitur magnus Annalium parens, tum Presbyteros, tum Diaconos in diuerſas regiones, & parœchias Vrbis diſtributos, ab his titulis nomen duxiſſe: Addit verò, quod monebamus, illuſtriſſimus Bellarminus, in his fuiſſe inſigniores quoſdam, qui Cardinales dicerentur, à quibus tranſierit ad Presbyteros, ac Diaconos, qui illis potirentur, Cardinalium nomen, quod quamquam ægrè ex veteri hiſtoria colligi poſſit, eius tamen ſententiæ valdè congruit, quod eſt in Concilio Meldenſi conſtitutum, *vt Epiſcopus titulos Cardinales in Vrbibus, vel ſuburbys conſtitutos ordinet, atque diſponat*. Proculdubiò enim titulos præcipuos, ac principales intelligit Concilium.

Impugnat tamen eam ſententiam Bellarmini Spalatenſis, aliamque profert, quæ iam ſit à nobis excutienda. [Cardinalis, inquit,

mea

Spahr. n. 5. mea ſententia, dictus eſt olim, ſiue Epiſcopus, immò etiam Metropolitanus, ſiue Preſbyter, ſiue Diaconus, qui non per modum prouiſionis, aut tranſcurſim, aut ferè mutuato, & ad tempus, ſed qui fixè, ac permanenter vti proprius tam illius Eccleſiæ Miniſter ad exercenda Eccleſiaſtica miniſteria illius Eccleſiæ propria in ea legitimè collocaretur, & inthronizaretur: quæ collatio, ſeu inthronizatio, etiam incardinatio ſolet vocari, vt mox apparebit.]

Apud Bar. tom 10. an. 963. nu. 13. Atque ità Cardinalis Presbyter, aut Diaconus, vel Subdiaconus etiam (nam Ioannem Subdiaconum Cardinalem inuenies à Ioanne Papa XII. teſtium amputatione occiſum) numquam poterat eſſe in Eccleſia, quæ non eſſet reuera titulata; hoc eſt, ad publica miniſteria Eccleſiaſtica erecta, & deputata: nam erant etiam oratoria ad priuatas tantùm orationes, ſeu ſepulturas fabricata. Quæcunque igitur Eccleſia facta eſſet ab Epiſcopo Parochialis, & publicis, vt dixi, miniſterijs Sacramentorum deputata; illa dicebatur titulus Cardinalis.]

Et de his titulis Cardinalibus loquitur Concilium Meldenſe, dum præcipit, vt Epiſcopus titulos Cardinales in Vrbibus, vel ſuburbijs conſtitutos Canonicè ordinet & diſponat. Hoc eſt, illas Eccleſias deputet ad publica miniſteria, faciatque Parochiales, quas ipſe deputandas cenſeat; alias verò relinquat priuatas.]

Ità Ioannes Diaconus ſcribit, Gregorium Cardinales violenter in parœcijs ordinatos forenſibus, in priſtinum cardinem reuocaſſe. Hoc eſt, iam priùs in Vrbana Eccleſia incardinatos, poſteà inuitos ad forenſem translatos, ad ſuam priſtinam Vrbanam reuocaſſe.]

Ioannes quoque III. Scribit Dilectis filijs Cardinalibus, & Clericis Eccleſiæ ſanctorum Apoſtolorum, ſe à Pelagio inceptam Eccleſiam dictam ſanctorum Apoſtolorum in Vrbe abſoluiſſe; Hanc etiam, inquit, in natali Apoſtolorum Philippi, & Iacobi, quod eſt in Calendis Maij, ad honorem omnium Apoſtolorum decenter dedicatam, titulum Cardinalem illam conſtituimus; nec non & Parochiam; ſicut cæteri tituli Vrbis habent. Vt videas, illam Eccleſiam fuiſſe Cardinalem, & titulum Cardinalem cum pluribus in ea Cardinalibus, quæ ad publica exercitia fidelium Spiritualia eſſet deputata. Atque hæc omnia ex iam producendis teſtimonijs, & ex multis, quæ lib. 9. diſputabo, fient manifeſtiſſima. Huiuſmodi ſanè Miniſtri Cardinales, quia ex officio erant ligati tali curæ, & tenebantur illam, vt ordinarij, exercere, Cardinales dicebantur; quia ſicut cardo fixus eſt, & immobilis, ac circa ipſum valuæ voluuntur; ità circa ipſos tamquam circa fixos cardines voluebantur illius curæ fideles, in regimine Eccleſiaſtico, & ſpirituali. Non ſic erant cardines alij aduentitij, & vagi, ac mobiles; qui tantiſper, vel ſupplerent pro ordinario, vel ad ſola capienda alimenta, in illam Eccleſiam admitterentur, abſque cura ordinaria, & principali.]

Apud Bar. tom 7. an. 559. num. 3.

Gloſs. in c. Miniſteriũ de offic. Archipr.

Reſpondeo, negari non poſſe olim *Cardinare*, *Incardinare*, *&* *Cardinalem inſtituere*, nihil aliud fuiſſe, quàm parœchiæ alicui, aut Epiſcopatui regendo quempiam Sacerdotem, vel etiam Diaconum addicere, ac vt vulgò loquuntur immatriculare, & incorporare, vt perpetuò illi Eccleſiæ famularetur, ac ſuam operam impenderet, id enim paſſim docet Gregorius, potiſſimùm verò epiſtola ad Fortunatum Epiſcopum Neapolitanum, relata inter canones.

Sic enim habet: [Fraternitatem tuam à nobis petiſſe recolimus, ait, vt Gratianum Eccleſiæ Venefranæ Diaconum tuæ concederemus Eccleſię cardinandum. Et quoniam nec Epiſcopum, cui obſecundare, nec propriam habet Eccleſiam, hoſte ſcilicet prohibente, quo ſuum debeat miſterium exhibere, petitionem tuam non præuidimus differendam; idcircò ſcriptis tibi præſentibus eum neceſſariò duximus concedendum, habituro licentiam Diaconum illum, noſtra interueniente auctoritate, Eccleſiæ tuæ Deo propitio conſtituere Cardinalem.]

Cùmque Decreti corruptores, pro voce *tò Cardinandum*, ordinandum induxiſſent, emendarunt viri doctiſſimi, atque cardinandum, legendum eſſe ex ipſa epiſtola docuerunt.

Sed hoc mihi obſeruandum videtur, incardinationem illam neutiquam fuiſſe eorum, qui ad illum titulum ordinarentur, ſed qui neceſſitate aliqua ad illum transferentur; namque cùm iuxtà ſextum canonem Concilij Chalcedonenſis, accuratè obſeruaretur, vt nullo modo daretur alicui locus in Eccleſia, qui nunc Titulus vocatur, niſi ſimul ad illum locum ordinaretur, cùm aliquis ſubindè iam ordinatus, exigente neceſſitate Eccleſiarum, in aliam transferebatur, vt in illa eodem gradu eſſet, quo in prima ordinatus fuerat; In illa ſecunda dicebatur *incardinari*, quod locus Gregorij indicat, & rursùm colligitur ex alijs epiſtolis: [Quia, inquit, non in hæreſim incidit, ſed à ſacris generalis Eccleſiæ myſterijs quaſi rectæ ſtudio intentionis errauit, imbecillitati eius, atque neceſſitatibus conſulentes, maximèque ſuſtentationi eius, pietatis intuitu prouidentes in tua Eccleſia Syracuſana eum præuidimus cardinandum: ſiue vt officium Diaconatus expleat, ſeu certè pro ſuſtentanda paupertate ſua commoda conſequatur.]

Conſtat verò, & hoc modo aliquando à Gregorio *incardinatos Epiſcopos*, qui propterea Cardinales dicerentur, vocari. [Quale, inquit, de Paulo fratre, & Coepiſcopo noſtro habeat charitas veſtra iudicium, directa à vobis relatio patefecit. Quem quoniam ità eſtis in paucis diebus experti, vt eum Cardinalem habere deſideretis Epiſcopum, gratulamur.]

Et Ioanni Epiſcopo Scyllatino ſcribens; [Paſtoralis, inquit, officij cura nos admonet, deſtitutis Eccleſijs proprios conſtituere Sacerdotes, qui gregem Dominicum debeant paſtorali ſollicitudine gubernare. Proptereà te Ioannem ab hoſtibus captiuatę Liſitanæ Ciuitatis Epiſcopum in Scyllatina Eccleſia Cardinalẽ neceſſe duximus conſtituere Sacerdotem, vt ſuſceptam ſemel animarum curam, intuitu futuræ retributionis impleas.]

Et in epiſtola ad Agnellum Epiſcopum de fundis, qui in Ciuitate incardinatus fuerat

Ter-

Id. l. 1. ind. 11. ep. 13.

Terracina. [Relatio, inquit, Cleri ſimul, & populi Terracinæ degentis nos valdè lætificat, ob hoc, quòd de tua fraternitate bona teſtatur. Et quia defuncto Petro Pontifice ſuo, ſibi Cardinalem poſtulant, conſtitui te Sacerdotem, eorum vota neceſſariò complenda eſſe præuidimus: quatenùs, & illi ſe gaudeant impetraſſe, quod poſtulant, & nos conceſſiſſe, quod expedit, videamus.]

Similia habet Ioannes Diaconus in vita beati Gregorij. [At verò, inquit, Ciuitatum deſolatarum PontificesGregorius vacantibus Ciuitatibus incardinare curabat. Vnde Martino Epiſcopo Corſicæ inter cætera ſcribens: Quoniam, inquit, Eccleſia Tamitana, in qua dudùm fuerat honore Sacerdotali tua fraternitas decorata, ità eſt, delictis facientibus, hoſtili feritate occupata, & diruta, vt illuc vlteriùs ſpes remeandi nulla remanſerit: in Eccleſia te Alerienſi, quæ iamdiù eſt Pontificis auxilio deſtituta, Cardinalem ſecundùm petitionis tuæ modum hac auctoritate conſtituimus, ſine dubio Sacerdotem. Ità ergo ſtudio vigilanti cum Dei amore ſecundùm canonum præcepta cuncta diſpone, & ordina, vt & fraternitas tua ſuis deſiderijs ſe gaudeat eſſe potitam, & Eccleſia Dei alterno gaudio repleatur, Cardinalem te ſuſcepiſſe Pontificem.]

Item Ioanni Epiſcopo Squillaceno: Paſtoralis officij cura nos admonet, deſtitutis Eccleſijs proprios conſtituere Sacerdotes, qui gregem Dominicum paſtorali debeant ſollicitudine gubernare. Propterea te Ioann. ab hoſtibus captiuatum Liſitanæ Ciuitatis Epiſcopum in Squillacena Cardinalem neceſſe duximus conſtituere Sacerdotem: vt ſuſceptam ſemel animarum curam intuitu futuræ retributionis impleas. Et licet à tua, hoſte imminente, depulſus ſis, aliam, quæ paſtore vacat, debeas Eccleſiam gubernare: ità tamen, vt ſi Ciuitatem hoſtibus liberam effici, & Domino protegente, ad priorem ſtatum contigerit reuocari: in eam, in qua priùs ordinatus es, Eccleſiam reuertatis: ſi autem prædicta ciuitas continua captiuitatis calamitate premitur, in hac, in qua à nobis ordinatus es, debeas Eccleſia permanere.]

Item Ioanni Epiſcopo Vellitrano: Poſtquam hoſtilis impietas diuerſarum Ciuitatum, ità peccatis facientibus, deſolauit Eccleſias, vt reparandi eas ſpes nulla, populo deficiente, remanſerit: maiori valdè cura conſtringimur, ne defunctis earum Sacerdotibus, reliquiæ plebis nullo paſtoris moderamine gubernante, per deuia fidei, hoſtis callidi rapiantur, quod abſit, inuidia. Huius ergo rei ſollicitudine ſæpè commoniti, hoc noſtro ſedit cordi conſilium, vt viciniis eas mandaremus Pontificibus gubernandas. Ideòque fraternitati tuæ curam, gubernationemque trium Tabernenſium Eccleſiarum præuidimus committendam, quam tuæ Eccleſiæ agregari, vnirique neceſſe eſt, quatenùs vtrarumque Eccleſiarum Sacerdos, & rector, Chriſto adiutore, poſſis exiſtere: & quæcunque tibi de eius patrimonio, vel Cleri ordinatione, ſeu promotione vigilanti, ac Canonica viſa fuerint cura diſponere, quippè vt Pontifex proprius liberam habebis, ex præſenti noſtra permiſſione licentiam.]

Item Grarioſo Numentano Epiſcopo curam, gubernarionemque ſancti Anthemij Eccleſiæ in CuriumSabinorum territorio conſtitutæ incardinando coniunxit.]

Item Agnello Epiſcopo Fundano poſt aliqua: Quoniam propter cladem hoſtilitatis, nec in Ciuitate, nec in Eccleſia tua eſt cuiquam habitandi licentia: ideò te auctoritate noſtra Terracinenſis Eccleſiæ Cardinalem conſtituimus Sacerdotem. Et poſt pauca: Illud quoque fraternitatem tuam ſcire neceſſe eſt, quoniam ſic te prædictæ Terracinenſis Eccleſiæ Cardinalem eſſe conſtituimus Sacerdotem, vt & Fundenſis Eccleſiæ Pontifex eſſe non deſinas, nec curam, gubernationemque eius prætereas.]

Quò etiam Illuſtriſ. Cardinalis Baronius refert locum Cypriani de Numidico Presbytero in Carthaginenſem Clerum adlecto. Verba Cypriani ſunt ad ſuos Carthaginenſes: [Nunciandum vobis fuit, fratres chariſſimi, inquit, quod pertineat, & ad communem lætitiam, & ad Eccleſiæ noſtræ maximam gloriam. Nam admonitos nos, & inſtructos ſciatis dignatione diuina, vt Numidicus Presbyter aſcribatur Presbyterorum Carthaginenſium numero, & nobiſcum ſedeat in Clero luce clariſſima confeſſionis illuſtris, & virtutis, ac fidei honore ſublimis: qui hortato ſuo copioſum martyrum numerum lapidibus, & flammis necatum ante ſe miſit: quique vxorem adhærentem lateri concrematam ſimul cum cæteris, vel conſeruatam magis dixerim, lætus aſpexit. Ipſe ſemiuſtulatus, & lapidibus obrutus, & pro mortuo derelictus, dum poſtmodum filia ſolicito pietatis obſequio cadauer patris inquireret, ſemianimis inuentus, & tractatus, & refocillatus à comitibus, quos ipſe præmiſerat, remanſit inuitus, ſed remanendi, vt videmus, hæc fuit cauſa, vt eum Clero noſtro Dominus adiungeret, & deſolatam per lapſum quorundam Presbyteri noſtri copiam glorioſis Sacerdotibus adornaret, &c.]

Sic igitur ad illum locum illuſtriſs. Card. Baronius: [At non hunc modò, inquit, à S. Cypriano ordinatum putamus eſſe Preſbyterum, (quod alij tradunt) ſed cùm iam alterius cuiuſpiam Eccleſiæ Presbyter eſſet, tam præclaro exantlato martyrio, eo honore Cyprianus ipſum eſſe dignum exiſtimarit, vt in primaria totius Aphricæ Eccleſia Carthaginenſi Presbyterio fungeretur. Suadent enim id illa verba: vt Numidicus Presbyter adſcribatur Presbyterorum Carthagin. numero. At de noua ordinatione ipſius ne verbum quidem, vt de lectoribus ordinatis nuper pluribus feciſſe vidimus: magnus quippè is cenſebatur honor, vt cum Epiſcopo in Chathedrali Eccleſia inter Presbyteros ſederet. Dicebantur huiuſmodi ſic allegendi, incardinari: atque iam adſciri, Cardinales; qua voce vtitur ſæpè S. Gregorius. Sed de his ſuo loco pluribus.]

Non igitur repudiamus, quæ de incardinatis ſiue Diaconis, ſiue Presbyteris, ſiue Epiſcopis ex tot auctoribus, & veterum monumentis colligit aduerſarius; ſed vt quòd res eſt, dicamus, in hac diſſertatione de Cardinalibus Eccleſiæ Romanæ, de quibus nobis eſt ſermo, perpetua homonymia laborat, & fal-

lit,

lie, ac fallitur nominis ambiguitate, immò verò, & modeſtiæ fines tranſilit, hoc potiſſimùm nomine, quòd Ioannis VIII. veram, & planè genuinam nominis interpretationem, & reijciat, & inſectetur.

Spalat. eod. n. 5. in fine. Leo 9. ep. 1. cap. 32. Vide, & iudica lector: [Omitto, inquit, nunc, immò contemno, etymologiam Cardinalium, quam ſibi ipſi nimiùm blandiens excogitauit Leo nonus; dum Papam facit cardinem totius Eccleſiæ, & indè Clericos ipſius ait, vocari Cardinales, cardini vtique illi, inquit, quo cætera mouentur viciniùs adhærentes. Cardinem enim illum ab Eccleſiæ valuis, & amoui, & amoueo, & amouebo; & meam etymologiam, vt veriſſimam, & propriam iam confirmo.] Sunt iſta vanitatis plena, & meritò in deſcriptore modeſtiam deſideramus: Sed videamus, quibus iam argumentis ſuam ſententiam fulciat, perſequitur illa à ſectione ſexta ad vigeſimam ſecundam.

Spalat. n 6. Cautum eſt in Concilio Neocæſarienſi antiquiſſimo, inquit, ne regionarij, ſeu naturales Presbyteri, in Eccleſia Vrbana matrice, quam Dominicum vocat Ciuitatis, offerant; neque ſacra miniſtrent, præſente Epiſcopo, vel Presbyteris Ciuitatis. Hos Presbyteros Ciuitatis, canonem hunc tractans, vocat Zacharias Papa Presbyteros Cardinales, ſicut ad Pipinum ſcribens: De Presbyteris agrorum, quam obedientiam debeant exhibere Epiſcopis, & Presbyteris Cardinalibus, ex Concilio Neocæſarienſi cap. 13. ità continetur: Presbyteri ruris in Eccleſia Ciuitatis, Epiſcopo præſente, vel Presbyteris Vrbis ipſius, offerre non poſſunt, &c. Meritò Zacharias Presbyteros Vrbis vocauit Cardinales; ad diſtinctionem ruralium, qui in Vrbana Eccleſia erant aduenititij, & non cardinati; ideòque non debebant, præſentibus Cardinalibus, ideſt proprijs, & fixis, ſacra miniſtrare, vbi ipſi non eſſent Cardinales. Et Concilium, ac etiam Zacharias, loquitur in genere de quacunq; Ciuitate, non de Romana ſola.]

Spalat. n. 7. Concilium Romanum, pergit Spalatenſis, quod dicitur ſub Syluestro primum, decernit: Ne Presbyter Cardinalis, niſi quadraginta quatuor teſtibus, Diaconus verò Cardinalis conſtitutus Vrbis Romæ, nonniſi viginti ſex damnetur. Et in altero ſub eodē Syluestro Concilio Romano ſtatuitur: vt Diaconi Cardinales Vrbis Romæ ſint ſeptem. Et, vt à Subdiacono vſque ad Lectorem omnes Clerici ſubditi ſint Diacono Cardinali Vrbis Romæ. Et in actis expurgationis Sixti, & Polychronij, Dico Diaconi Cardinales Romani, & tres Presbyteri, ſubſcripſerunt.]

Teſtatur Volaterranus ſe in antiquis tabulis, apud Eccleſiam Aretinam, inſtrumentum donationis cuiuſdam Zenobij Senatoris Romani, eidem Eccleſiæ, vſque à tempore Damaſi Papæ, factæ inueniſſe: vbi eſt, inquit, huiuſmodi ſubſcriptio; Et ego Ioannes S. R. Eccleſiæ Diac. Cardinalis, ex parte Damaſi Pontificis, laudo, & confirmo. Si hæc Concilia, acta, & inſtrumenta eſſent firmæ fidei, in his haberemus primam, & vetuſtam Cardinalium mentionem: ſed in eo profectò dumtaxat ſenſu, quem modò explicaui. Poſteriora tamen tempora frequentiorem habere Cardinalium mentionem, & clariorem ſignificationem.]

Gelaſius, pergit Spalatenſis, (ſi Gratiano credimus) cuidam Cœleſtino Epiſcopo commiſit, vt vacante Parochiali Eccleſia Stomenſi, quendam Diaconum in ea electum ordinet ei Sacerdotem: & quoniam Eccleſia hæc Stomenſis non erat in Diœceſi dicti Epiſcopi Cœleſtini, ſed in alia; ideò monet eum Gelaſius, vt prædictam cùm fecerit ordinationem, ſciat ſe viſitatoris, hoc eſt commiſſione delegata, non Cardinalis Pontificis nomine, hoc eſt, non propria, & ordinaria auctoritate eam facturum.] Spalat. n. 8.

Sciturus, inquit, eum viſitatoris ſe nomine, non Cardinalis creaſſe Pontificis. Erat igitur hic Epiſcopus Cardinalis quidem Epiſcopus in ſua propria Eccleſia, & Diœceſi: in aliena autem Diœceſi non erat Epiſcopus Cardinalis; ſed aduentitius, & extraordinarius. Et depoſito Conſtantino Papa, Concilium quoddam Romanum decreuit: Ne vllus vmquam præſumat Laicorum, neque ex alio ordine, niſi per diſtinctos gradus aſcendens, Diaconus, vel Presbyter Cardinalis factus fuerit, ad ſacri Pontificatus honorem poſſit promoueri.]

Gregorius ſæpè meminit Cardinalium, inquit, & ſemper in eo ſenſu, quem ego poſui. Ad Balbinum Epiſcopum Roſellanum ſcribit, eum debere ad Populonienſem Eccleſiam accedere Viſitatorem; Vt vnum, inquit, Cardinalem illic Presbyterum, & duobus debeas Diaconos ordinare.] Spalat. n. 9.

Martinum Tamitanæ Eccleſiæ in Corſica Epiſcopum, cum hoſtili feritate fuiſſet, ipſa eius Eccleſia Tamitana occupata, & diruta; ad Eccleſiam eiuſdem Inſulæ Solanenſem iamdiù vacantem, iuxtà dicti Martini petitionem, transfert: In Eccleſia, inquit, Solanenſi, quæ iamdiù Pontificis auxilio destituta eſt, Cardinalem te ſecundùm petitionis tuæ modum, hac auctoritate conſtituimus ſine dubio Sacerdotem. Et Clero, ac Nobilibus Corſicæ, hac de re ſcribens, ait; Quoniam Eccleſia Salonenſis Sacerdotis diù eſt auxilio deſtituta, neceſſarium duximus Martinum fratrem, & Coepiſcopum noſtrum, ibidem Cardinalem conſtituere Sacerdotem. Commiſerat etiam Leoni Epiſcopo in Corſica Viſitationem Eccleſiæ Sagonenſis, cum poteſtate in ea ordinandi Sacerdotes, & miniſtros, vt poſſet quidem id præſtare; & alia circà bonum regimen dictæ Eccleſiæ diſponere, vtì ſi eſſet ipſius Eccleſiæ proprius Pontifex; Cardinalem tamen voluit eum in hoc vocare Pontificem; quia ad tempus hæc ei cura, quaſi vicaria committebatur. In his verò prouidet Gregorius, quia Corſicæ Eccleſiæ ad ipſius ſpectabant ordinationem; & electores ordinarij prouidere negligebant: ad eos enim ſic ſcribit: Et ſi vos multo iam tempore ſine Pontifice eſſe Dei Eccleſiam non doletis, nos tamen, &c.]

Spalat. n. 10 De Liberato quodam, ait, in Carallitana Sardiniæ Eccleſia Diacono, hæc ſcribit idem Gregorius ad Archiepiſcopum Carallitanum: [Liberatus igitur, de quo nobis tua fraternitas indicauit, quia Diaconij fungi perhibetur officio; ſi à deceſſore tuo non factus eſt Cardinalis; ordinatis à te Diaconis nulla debet ratione præponi; ne eos, quos conſecrando probaſſe cognoſceris, reprobare ſup-

ſuppouendo quodammodò videaris. Prædictum itaque Liberatum, quem reprimendus ambitionis inflat ſpiritus, omni inſtantia à ſui prauitate compeſce, & vltimum inter Diaconos ſtare conſtitue; ne dùm ſi illicitè præferri contendit, immeritus loco, in quo nunc ſitus eſt, iudicetur. Cuius tamen ſi obedientia fueris inuitatus; & eum poſt hæc Cardinalem facere volueris; niſi Pontificis ſui ceſſionem ſolemni more meruerit, abſtinendum ab omni eius incardinatione memineris: quoniam æquitati conuenire non ambigis, vt alijs ſeruare non differas, quod ipſe quoque tibi ſeruari deſideras. Hic mihi videtur, incardinare Diaconum, eſſe illum in numerum ordinariorum Diaconorum collocare, qui iam fixi ſunt, & ſtabiles in ea Eccleſia, ac permanentes; & cùm incardinari fuerint, tunc eos eſſe Diaconos Cardinales. Vnde ſequitur etiam plures in eadem Eccleſia Diaconos fuiſſe Cardinales.

Vacante Eccleſia Neapolitana (pergit
Spalat.n.11. Spalatenſis): Paulus quidam aduena, alterius loci Epiſcopus, puto titularis, cuius nempè Eccleſia fuiſſet, vt ſupra de Tamitana vidimus, ab hoſtibus deuaſtata; ibidem Pontificalia, vt hoſpes exercebat; eum Neapolitani poſcebant, vt plenè eorum eſſet Epiſcopus Cardinalis, hoc eſt proprius, fixus, ac permanens: Quem quoniam, inquit Gregorius, ità eſtis in paucis diebus experti, vt eum Cardinalem habere deſideretis Epiſcopum, gratulamur. Vbi verò Gregorius non vult eſſe Presbyterum fixum, proprium, & ordinarium; vt in quibuſdam Oratorijs, quæ ad priuatas preces, præſertim Monachorum; non ad publicas Synaxes, & Sacramentorum adminiſtrationes extruerentur, negat talibus Oratorijs Sacerdotem Cardinalem; ſed ſatis eſſe, ſi interdùm ex matrice Eccleſia aduentitij accedant Sacerdotes, incerti, & vagi, prout, quis certis occaſionibus ab Epiſcopo miſſus, & pro illa vice datus fuerit: ſic igitur Ariminenſem Epiſcopum inſtruit.

Timothea illuſtris fœmina, petitoria
Spalat n.12. nobis inſinuatione ſuggeſſit; intrà Ciuitatem Ariminenſem, in loco iuris ſui, Oratorium ſe pro ſua deuotione fundaſſe; quod in honorem ſanctæ Crucis deſiderat conſecrari. Et ideò, frater chariſſime, ſi in tuæ Ciuitatis iure memorata conſtructio conſiſtit; & nullum corpus ibidem conſtat humatum eſſe, percepta primitùs donatione legitima, ideſt, totius facultatis eius, accepta familia, priùs mobilium, vel immobilium, ſeque mouentium, vncijs octo; retento ſibi vſu fructuario diebus vitæ ſuæ, geſtiſque municipalibus alligatam; prædictum Oratorium abſque Miſſis publicis ſolemniter conſecrabis, ita vt in eodem loco nec futuris temporibus Baptiſterium conſtruatur, nec Presbyterum conſtituas Cardinalem. Et ſi miſſas fortè maluerit fieri, ſibi à dilectione tua Presbyterum nouerit poſtulandum, quatenùs nihil alias à quolibet Sacerdote alio, nullatenùs præſumatur. Similem prorsùs dat inſtructionem Epiſcopis Firmano, & Neapolitano. Vbi verò vult Gregorius, vt Presbyter ponatur fixus, & Eccleſia dedicetur pro ſacris vſibus, etiam populi; tunc iubet, vt in ea conſtituatur Presbyter Cardinalis.

Ità ſcribit Paſſiuo Firmano: [Presbyterum quoque te illis conſtituere volumus Cardinalem, quia, videlicet non eſt Oratorium, ſed Eccleſia titulata.]

Has inſtructiones ſequutus poſteà Zacharias Papa, in ſolutionibus quæſitorum ad Pipinum, habet & illam: [Decimum quintum caput, pro eo, quod interrogatum eſt de Laicis, qui Eccleſias in ſuis proprietatibus conſtruunt, quis ipſas debeat regere, aut gubernare. A ſanctis Patribus ità ſtatutum eſt, & in præceptis Apoſtolicis ſic continetur; iuxta petitoris imploratum, vt ſi in quolibet fundo, cuiuſcumque iuris Oratorium, ſiue Baſilica fuerit conſtructa, pro eius deuotione, in honorem cuiuſcumque Sancti, in cuius Epiſcopi Parochia fuerit fundatum Oratorium, percepta primitùs donatione legitima, prędictum Oratorium per miſſas publicas ſolemniter conſecrabis; ita vt in eodem loco nec futuris temporibus Baptiſteria conſtruantur, nec Presbyter conſtituatur Cardinalis, &c.

Liſitanum quoque Epiſcopum, inquit, Spalat.n.13.
propria Eccleſia ab hoſtibus occupata, deſtitutum; ad Squillatinam vacantem, transfert idem Gregorius his verbis: [Te Ioannem ab hoſtibus captiuatum, Liſitanæ Ciuitatis Epiſcopum, in Squillatina Eccleſia Cardinalem duximus neceſsè conſtituere Sacerdotem. Et licèt à tua Eccleſia ſis, hoſte imminente, depulſus, aliam, quæ Paſtore vacat, Eccleſiam debes gubernare; ità tamen, vt ſi Ciuitatem illam ab hoſtibus liberam effici; & Domino protegente ad priorem ſtatum contigerit reuocari, in eam, in qua priùs ordinatus es, Eccleſiam reuertaris. Sin autem prædicta Ciuitas continua captiuitatis calamitate premitur, in hac, in qua à nobis ordinatus es, vel incardinatus Eccleſia, debeas permanere. Factus eſt itaque proprius, & fixus Epiſcopus Squillatinus; cum ea tamen conditione, vt ſi libera fieret ipſius prior Eccleſia, ad ipſam rediret. Quæ conditio non facit quò minùs ſit proprius, & fixus, ac proindè Cardinalis Squillatinus; ità in hac Eccleſia ordinatus, vt, niſi Liſitana recuperetur, proprius ſit, & perpetuus Epiſcopo Squillatinus.

Quemadmodùm ſupra Neapolitani pe- Spalat.n.14.
tierunt Paulum, alterius Eccleſiæ titularem Epiſcopum, ſibi concedi Epiſcopum Cardinalem; ità Terracinenſes Agnellum Fundanum popoſcerunt, quem eis idem Gregorius, facta vnione Eccleſiarum, duxit eſſe concedendum; ſcribitque ad ipſum Agnellum: [Relatio Cleri ſimul, & populi Terracinenſis gentis non valdè lætificat, ob hoc, quod de tua fraternitate bona teſtatur, & quia defuncto Petro Pontifice ſuo, te ſibi Cardinalem poſtulant conſtitui Sacerdotem: eorum vota neceſſariò complenda præuidimus; quatenùs & illi ſe gaudeant impetraſſe, quod poſtulant, & nos conceſſiſſe, quod expedit, videamur. Quia igitur ob cladem hoſtilitatis, nec in Ciuitate, nec in Eccleſia tua, eſt cuiquam habitandi licentia; ideò te, auctoritate noſtra Terracinenſi Eccleſiæ Cardinalem conſtituimus Sacerdotem. Illud quoque fraternitatem tuam ſcire neceſsè eſt, quoniam ſic te prædictæ Terracinenſis Eccleſiæ

Cardi-

Digitized by Google

Cardinalem eſſe conſtituimus Sacerdotem, vt & Fundenſis Eccleſiæ Pontifex eſſe non deſinas, ne curam, gubernationemque eius prætereas, quia ita fraternitatem tuam, ſæpè dictæ Terracinenſi Eccleſiæ, ſicut præfati ſumus, præeſſe præcipimus, vt antè dictæ Fundenſis Eccleſiæ, tibi iura, poteſtatemque nullo modo ſubtrahamus.]

Et ad Clerum, plebemque Terracinæ: [Dilectionis veſtræ deſideria inſinuata nobis, quam obtuliſtis, petitio reſerauit: electionemque veſtram valdè laudauimus; quia Agnellum fratrem, & Coepiſcopum noſtrum, probatum iam meritis, Cardinalem vobis conſtitui deprecamini Sacerdotem; ſupradictum Agnellum, Eccleſiæ veſtræ Cardinalem ſtatuimus eſſe Sacerdotem.] Pergit Spalatenſis.

Spalat. n. 15. Idem Gregorius, ad miſſum ad pœnitentiam Felicem Diaconum Hiſtrienſem, commendat Epiſcopo Syracuſano; vt ipſum ſuo incorporet Clero, ſaltem ad effectum, vt indè habeat alimenta, & ſic ſcribit: [Imbecillitati eius, atque neceſſitatibus conſulentes, maximèque ſuſtentationi eius pietatis intuitu prouidentes, in tua Eccleſia Syracuſana eum præuidimus cardinandum; ſiue vt officium Diaconatus expleat; ſeu certè, vt ſola eiuſdem officij, pro ſuſtentanda paupertate ſua commoda, conſequatur; in tuæ fraternitatis volumus hoc pendere iudicio. Relinquit iudicio, & voluntati ipſius Epiſcopi Syracuſani, vt vel illum cardinet, tradendo ei & locum, & officium ordinarium inter Diaconos; vel ſi nolit eum cardinare, ſaltem tribuat ei alimenta, & partem Diaconalem ſuſtentationis, vt indè viuat; tametſi non fiat Diaconus in ea Eccleſia Cardinalis.

Spalat. n. 16. De Gratiano Diacono, addit, ità ſcribit idem Gregorius ad Epiſcopum Neapolitanum: [Fraternitatem tuam à nobis petiſſe recolimus, vt Gratianum Eccleſiæ Venefranæ Diaconum, tuæ concederemus Eccleſiæ cardinandum: & quoniam nec Epiſcopum, cui obſecundare, nec propriam habet Eccleſiam, hoſte ſcilicet prohibente, quo ſuum debeat miniſterium exhibere, petitionem tuam non præuidimus differendam: idcircò ſcriptis tibi præſentibus, cum neceſſariò duximus concedendum; habituro licentiam, Diaconum illum, noſtra interueniente auctoritate, Eccleſiæ tuæ, Deo propitio, conſtituere Cardinalem.] Perſequitur.

Spalat. n. 17. Iſauriæ Epiſcopus, hoſtibus imminentibus, confugium habuit in Inſulam Corcyram, ad Eccleſiam Caſſiopi Caſtri; ſecumque corpus ſancti Donati detulit ibi conſeruandum: Ortaque lis eſt inter Epiſcopum dictæ Inſulæ, & Iſauricum; hic enim in Eccleſia Caſſiopi Pontificalia volebat, ſuæ plebi, quæ eò cum ipſo confugerat, exercere.

Reſcribit Gregorius Corcyrano, hoc pacto: [Oportet ergo, vt Sacerdotes, vel Clerus Iſauriæ Ciuitatis, ab antifati Caſſiopi caſtri habitatione, nullatenùs repellantur; ſed & beati Donati ſanctum, ac venerabile corpus, quod ſecum detulerunt, in vnam Eccleſiarum antedicti loci, quam elegerint, ſiue intus, ſiue foris, habeant recondendi, debita cum veneratione licentiam. Sic tamen, vt dilectioni tuæ, in cuius Parochia caſtrum ipſum eſt poſitum, emiſſa procuretur cautione monitio: per quam promittat Epiſcopus Iſauriæ, nullam ſibi poteſtatem, nullum priuilegium fore, nullam iuriſdictionem, nullam tanquam Cardinalis Epiſcopus, vlterius auctoritatem, defendere. Sed &, poſt pacem, Deo propitio, redditam, ablato venerabili ſancti Donati corpore, ad propria modis omnibus reuerſurus: vt huius promiſſionis perſiſtente memoria, nec de cætero quicquam ſibi illic principaliter quacumque occaſione audeant vendicare; ſed omni ſe tempore eſſe ibidem hoſpites recognoſcant, & fraternitatis tuæ Eccleſia iuris, vel priuilegij ſui in qualibet parte præiudicium non incurrat.]

Hìc apertiſſimè conſtat, Cardinalem eſſe eum, qui proprius eſt, fixus, & ordinarius, ad excludendos hoſpites aduentitios, & qui fixam ibi ſedem non habent.

Propterea & Ioannes Diaconus ſcribit, Gregorium ſuæ Eccleſiæ Cardinales, ad Epiſcopatus, ſi conſentirent, prouexiſſe; inuitos tamen prouehere noluiſſe; & profert exemplum Florentij Subdiaconi. Igitur Subdiaconos quoque fixos, & titulatos vocat Ioannes Cardinales. Nec mirùm, nàm ipſe etiam Gregorius Coſmam Subdiaconum ordinarium in Eccleſia Syracuſana, deputatum, & ab Epiſcopo ſuo poſteà in forenſi factum Presbyterum, voluit propterea fieri in Syracuſana Eccleſia Presbyterum Cardinalem, quia vbi fuerat Subdiaconus Cardinalis, factus poſteà Presbyter, par fuit, vt ſimiliter eſſet Presbyter Cardinalis.] Addit inſuper.

Hadrianus Primus in ſua collectione §. Presbyteri tomo ſecundo Conciliorum, Presbyterum in cardine conſtitutum, nonniſi in quadraginta quatuor teſtibus damnari aſſerit, & Diaconum Cardinarium Vrbis Romæ in 26. ſequutus priorem ſub Silueſtro Romanam Synodum, de qua ſupra numero ſeptimo. Spalat. n. 18.

Et Hadrianus Secundus Actardum à Clero, & plebe electum, conſtituit Cardinalem Metropolitanum, & Archiepiſcopum Turonicæ Prouinciæ.

[Ioannes VIII. Papa transfert Burdegalenſem Archiepiſcopum, poſt illius Eccleſiæ vaſtationem à Normannis, in Bituricenſem; Spalat. n. 19. Epiſcopum, inquit, fratrem noſtrum Frotharium in Bituricenſem Eccleſiam Cardinalem fieri decernentes, Metropolitanæ dignitatis priuilegio iterato munire curauimus. Item; neceſſarium duximus Frotharium alij Eccleſiæ præponendum, & incardinandum. Item ad eundem Frotharium ſcribens, ait: Neceſſariò præuidimus fraternitatem tuam in Eccleſia Bituricenſi præferre ſimul, & incardinatam præficere. Idem Ioannes Presbyteros ſui cardinis vocat Presbyteros in Eccleſijs Romanis incardinatos. In Conſtantinopolitana quoque Eccleſia idem Papa Ioannes Octauus Cardinales agnoſcit: Præſcribit enim, vt poſt mortem Photij nullus de laicis, vel Curialibus in Patriarchatus eligatur, vel conſecretur honore; niſi de Cardinalibus Presbyteris, & Diaconibus Conſtantinopolitanæ Sedis. In Mediolanenſi quoque Eccleſia Cardinales agnoſcit idem Pontifex; ait enim ad

Clerum Mediolanenſem ſcribens; Præſenti vobis ſtatuto iubemus, vt omnes vno animo, vno voto conuenientes, atque conuocantes Paſtores, vel populum Ciuitatis de electione alterius, qui de Cardinalibus Presbyteris, aut Diaconibus dignior fuerit repertus, cum Chriſti ſolatio ad Archiepiſcopatus honorem promoueatis.]

Spalat. n. 20. Apud Bar. tom. 12. ann. 1104.

Paſchalis II. ait, in Compoſtellana Eccleſia, & Presbyteros, & Diaconos nominat Cardinales: Epiſcopo enim Compoſtellano ſcribens, ait; Cardinales in Eccleſia tua Presbyteros, ſeu Diaconos tales conſtitue; qui dignè valeant commiſſa ſibi Eccleſiaſtici regiminis onera ſuſtinere. Algiſius quoque Mediolanenſis Archiepiſcopus, iuſſu Alexandri Tertij, facta translatione Sedis Cathedralis Aquenſis in Eccleſiam Alexandrinam Ciſalpinam, ad Alexandrinos ſcribens, ait; Sic itaque ipſum Epiſcopum Aquenſem, Cardinalem veſtræ Ciuitatis conſtituimus Sacerdotem, &c. Iuo Carnotenſis Presbyterum, iam plenè in locum alterius, qui Eccleſiam ſuam reſutarat ordinatum, & affixum, dicit fuiſſe incardinatum.

Spalat. n. 21.

Habemus itaque, quinam ſint propriè Cardinales; Clerus nimirùm proprius cuiuſcumque Eccleſiæ in ea fixus, & titulatus, atque ordinarius: & quæcumque Eccleſia eſſet collegiata, illa plures etiam in ſe continebat Cardinales, ſiue Presbyteros, ſiue Diaconos, ſiue etiam Subdiaconos. Ità in Concilio Romano primo ſub Symmacho; Adſunt Presbyteri tituli S. Sabinæ tres; S. Praxedis duo; S. Pudentis duo; ſanctæ Suſannæ duo; S. Anaſtaſiæ duo; Sanctorum Apoſtolorum tres; S. Equitij tres; S. Creſcentianæ tres; S. Æmyllanæ duo; S. Laurentij in Lucina tres; S. Veſtinæ tres; S. Clementis tres; S. Chryſogoni tres; S. Euſebij duo; S. Faſciolæ duo; S. Trigulæ duo; S. Gaij duo; S. Marcelli tres. Et primæ regionis Diaconi duo ſubſcribuntur; Singuli verò ſecundæ, quartæ, & ſeptimæ: vt hinc appareat, Diaconos Cardinales Vrbis Romæ non habuiſſe tunc titulos Eccleſiarum, ſed regionum dumtaxar Vrbis: quæ in ſeptem fuerit diſtributa regiones; in ſingulis verò regionibus, vel plures, vel vnicum tunc fuiſſe Diaconum deputatum: Ita quoque in Synodo Romana quadam ſub Gregorio, habentur ſubſcriptiones Presbyterorum Cardinalium; & ſub titulo ſanctæ Balbinæ ſunt tres; ſancti Damaſi duo; ſancti Siluestri duo: Sanctorum Apoſtolorum tres. Atque ità Romæ oportuit fuiſſe magnum numerum Cardinalium, quia multæ erant Eccleſiæ Parochiales, & fortaſsè omnes collegiatæ. Certè Cornelius Papa, ſuo tempore, ſecundo poſt Chriſtum ſeculo, numerat Romæ Presbyteros 46. Diaconos 7. Acoluthos 42. Exorciſtas, & Lectores, cum Oſtiarijs 52. viduas, & alios Pauperes, qui ab Eccleſia ſuſtentabantur 1500. Non ſolùm Clerum Cardinalem numerauit; ſed & inferiores miniſtros, & viduas, & pauperes, quos ipſa Eccleſia nutriebat. Poſteà aucti ſunt tituli, multiplicatæ Eccleſiæ, & conſequenter etiam multiplicatus numerus Cardinalium: ſed diminutus numerus viduarum, ac pauperum, quorum tandem alimenta in luxum Cardinalium, & Curiæ tranſierunt: vt l. 9. deplorabo. Non potuit hiſce, vel inuitus non

Conc. Neocæſ. c. 14. & Conc. Ro. 2. ſub Syl. 6.

aſſentiri Onuphrius, dum ait: Hęc vox (Cardinalis) in eandem ferè ſententiam frequens eſt in Regiſtro D. Gregorij, & Epiſtolis Pontificum Romanorum decretalibus: Quibus is Cardinalis dicitur Presbyter, vel Diaconus, qui certæ alicui Eccleſiæ, vel Diaconiæ proprius, & ad certi alicuius tituli, ſiue Eccleſiæ miniſterium ordinatus, inſertus, annexus, & (vt ipſe loquitur) incardinatus eſt. Nam S. Gregorio idem eſt Cardinalem conſtituere in aliquo titulo, vel Eccleſia, quòd incardinare alicui Eccleſiæ, vel in aliqua Eccleſia Cardinare: Idem etiam de Epiſcopis dicit, quòd de ſua Eccleſia ad aliam neceſſitatis cauſa translatos, Epiſcopos quidem Eccleſiæ ſuæ, illius verò, ad quam translati ſunt, Sacerdotes, ſiue Pontifices Cardinales vocat: quæ vox non ſolùm Romanæ, ſed omnibus alijs Eccleſijs per Prouincias communis eſt. Hæc ille, & benè: Illud tamen malè ſubdit, incardinationem hanc non fuiſſe, niſi eorum, qui in Eccleſijs, ſeu titulis cæteris præeſſent, quod falſum eſſe iam vidimus: Cardinalatus enim, neque prælationem, neque dignitatem vllam de ſe importat, ſed Clericum ordinarium, fixum, & in ſua Eccleſia, ſuoque titulo ſtabilitum, & inſitum ſignificat. Et longè à vera Cardinalis ſignificatione aberrant, qui præcipuum aliquem, & principalem hoc nomine volunt in hac, quam tractamus, materia ſignificari. Fixum enim per modum cardinis, & inſitum, ac ſtabilitum ſignificat, vt eſt à me iam plenè explicatum.

Onuph. in cum Eccleſiaſt. verbo Cardinalis.

Hæc, vt vno faſce complectamur, dicimus planè vera eſſe, ſed ad rem non facere, vitioſè enim omninò ex nominis ſimilitudine dignitatum paritatem colligit, nec leuius peccat, quàm qui ex eo quòd Tabellarij, & Angeli nuncij dicantur, induxerit, eoſdem eſſe Tabellarios, & Angelos; aut qui ex eo quod opiliones, & bifulci, non ſecùs, ac Epiſcopi Paſtores dicantur, intulerit, eoſdem eſſe, opiliones, bifulcos, & Epiſcopos.

Spalat. n. 6.

Sint ergo Presbyteri Ciuitatis, de quibus Concilium Neocæſarienſe Zachariæ Pontificis Presbyteri Cardinales, ad diſtinctionem vicanorum, ſeu *ruralium*, vt loquitur Spalatenſis. Sint Diaconi, Subdiaconi, de quibus in Concilio Romano ſub Syluestro, ac etiam in expurgatione Sixti, & in Volaterano; Sint, inquam, Diaconi, & Subdiaconi Cardinales: Habeat Gelaſius Epiſcopum Cardinalem, Concilium item quoddam Romanum meminerit Diaconi, & Presbyteri Cardinalis. Mille locis mentionem fecerit Gregorius de Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, & etiam Epiſcopis Cardinalibus, qui in aliquam Eccleſiam cooptarentur. Hadrianus quoque Primus in ſua collatione Presbyterum habeat in ſuo cardine conſtitutum. Hadrianus verò Secundus, conſtituat Cardinalem Metropolitanum, & Archiepiſcopum Turonenſem. Ioannes Octauus Archiepiſcopum Burdigalenſem, Epiſcopum Cardinalem faciat, in Eccleſia Bituricenſi. Idem in Eccleſia Conſtantinopolitana Cardinales agnoſcat, atque etiam in Mediolanenſi. Paſchalis II. in Compoſtellana Eccleſia, & Presbyteros, & Diaconus nominet. Caluiſius Mediolanenſis Archiepiſcopus iuſſu Alexandri Tertij Epiſcopum Aquenſem Cardinalem Alexan-

Spal. n. 7. 8.

Spal. n. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19.

xan-

xandriæ conſtituat. Iuo Carnotenſis Preſbyterum iam plenè in locum alterius, qui Eccleſiam refutarat, ordinatum, & affixum dicat fuiſſe incardinatum: Vno verbo, fuerint olim propriè Cardinales Clerici ordinarij, cuiuſcumque Eccleſiæ in ea fixi, & vt loquuntur *intitulati*, quod tamen in vniuerſum verum non eſt, cùm in iiſdem Eccleſijs aliqui fuerint Cardinales, alij non Cardinales; quod etiam locus ex reformatione Ioannis VIII. adductus oſtendit. Sint, inquam, iſta omnia vera, tamen ad inſtitutum non faciunt, namque huius ſpeciei Cardinales non quærimus, ſed quos ſanctus Bernardus *Iudices orbis* vocat, quoſque Patriarchis ipſis anteponit Damianus; qua de re videro infrà. Sed hìc obiter aduertendum contra Spalatenſem, haudquaquam ſingulos de Clero alicuius Eccleſiæ Cardinales dictos, ſed nonnullis tantùm tributum hoc nomen, propter eas rationes, quas habet vel Onuphrius, vel Bellarminus, quod quamquam reluctetur, fateri omninò debet Spalatenſis, quandoquidem Ioannis VIII. conſtitutionem laudat, qua id planè ſignificatur. [Meritò, inquit, in ſuæ Romanæ Eccleſiæ reformatione Ioannes VIII. edita conſtitutione, iſta inter alia præcipit Cardinalibus: Itemque ex noſtra præſenti conſtitutione, bis in menſe, vel eo ampliùs; vel apud illum, vel illum titulum, ſiue apud illam, vel illam Diaconiam, ſiue apud alias quaslibet Eccleſias vos conuenire mandamus. Et ob veſtram, & inferiorum Clericorum vitam, & mores, & qualitates, & habitus veſtrum perſcrutando, & qualiter quilibet præpoſiti ſe erga ſubditos habeant, vel quòd ſubditi ſuis præpoſitis non obediant, & ad quæque illicita amputanda; Clericorum quoque, & Laicorum querimonias, quæ ad noſtrum iudicium pertinent, quantum fieri poteſt, definiendas. Quippe cùm, ſicut noſtram manſuetudinem Moyſi, ità & veſtram fraternitatem, 70. Seniorum, qui ſub eodem cauſarum negotia dijudicabant, viciſſitudinem gerere certum habeamus. Item Monaſteria Abbatibus viduata, & Abbatum noſtra præcedente conſcientia, ſubſtitutionem his, qui ſunt inter nos, vel fuerint Monaſticæ profeſſionis, diſponenda committimus. Propter ſollicitudinem autem Eccleſiarum, & Clericorum earumdem diſciplinam, ſiue Laicorum quærimonias, definiendam, bis in hebdomada ad ſacroſanctum Palatium, iuxtà decreta prædeceſſoris noſtri Leonis Quarti vos conuenire mandamus. Item ſancimus de Parochijs noſtris, quantumque Pontifici comperit, Pontificali beneficio vos in perpetuum poſſidere; & in principalibus Eccleſijs, iuxtà Primatum veſtræ conſecrationis, viciſſim officia Diuina peragere; & earum oblationibus, ſalua ſemper Cardinalium Diaconorum priſca conſuetudine, æqualiter participare, eam propter vſum veſtrum, quàm in Eccleſiarum veſtrarum luminarium concinnatione. Huc vſque Ioannes. Hæc verò ſunt munera propria Canonicorum, & Parochorum: neque extra Vrbem extenduntur. Hæc Spalatenſem iugulant, Cardinales enim, quibus ſuas vices demandat, quoſque cum ſeptuaginta Senioribus confert, proculdubiò præcipui, & principales quidam Eccleſiæ miniſtri erant, quos

Spalat n.22.

ab inferioribus Clericis, qui eorum iudicijs ſtare deberent, planè diſtinguit, diſcriminat, ac ſeparat; idemque colligitur ex ſtatuto illius Leonis, quem altera ſectione profert Spalatenſis: ſic enim habet. [Leonis quoque, inquit, neſcio, cuius Papæ illud ſtatutum legimus: Miniſterium Archipresbyteri in eo conſtituitur, vt diligenti cura prouideat miniſterium Sacerdotum Cardinalium, qui ſolemne debent agere officium, in communicatione corporis, & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti, à ſacroſancto die Dominico incipiendo per omnes horas Canonicas, indeclinabiliter perſeuerent; vt opus Dei dignè, & ſanctè perficiatur ab eo, cui committitur. Et infrà: Prouideat etiam Archipresbyter vitam Sacerdotum Cardinalium præceptis ſui obtemperando Epiſcopi, ne aliquando cedant, aut ſcurrilitate torpeant, &c.] Hinc enim apparet certos, ac diſtinctos à reliquo Clero fuiſſe Cardinales Presbyteros, quamquam, vt dixi, omninò falli exiſtimem, qui ad amuſſim huius generis Cardinales, Illuſtriſſimos Eccleſiæ Romanæ Cardinales, & purpuratos illos Patres iam exigunt, quos longè excellentiores his, quos Cardinales vocauit antiquitas, nullus dubitarit, qui eorum officia perpenderit. Sed de his videro infrà. Quare, quæcumque argumenta ab ijs Cardinalibus ducit, vt purpuratos Patres peſſundet, vitioſa ſunt, & à claudicante ſimilitudine. Sunt, fateor, quædam illis communia, ſiue miniſteria priuata, ſiue titulos ſpectes. Sed quod attinet ad præcipua officia, de quibus ſtatim, planè nihil iſtis cum illis conuenit.

Spalat.n.23. Extr. de off. Archipreſ. cap.2.

Spala. n. 26.

Sed iam nos Canonici iuris Interpretum auctoritate vexat. [Meritò, inquit, noſtri Canoniſtæ fatentur; Quòd Epiſcopi vſque ad Clementem V. & Ioannem XXII. erant in dignitate ſuprà Cardinales: & quòd vſque ad Bonifacium VIII. Epiſcopi non fiebant Cardinales, ad hoc ne viderentur deſcendere à maiori ad minorem gradum. Et Onuphrij obſeruatio optima eſt, dum ait: Antiquitùs porrò mos fuit, qui etiam per mille annorum ſpatium ſeruatus eſt, vt Presbyter Cardinalis vrbis Romæ, neque Epiſcopus eſſet, vel Epiſcopatum adminiſtraret, vel ex Epiſcopo fieret Presbyter Cardinalis, cùm maior dignitas tunc fuerit eſſe Epiſcopum cuislibet Diœceſis, quàm Cardinalem, quod ex Cardinalibus Romanæ Eccleſiæ, ſecùs quàm nunc obſeruatur, Epiſcopi diuerſarum Ciuitatum creati fuerint, ex Cardinalatu enim gradus erat ad Epiſcopatum; ſicut nunc ex Epiſcopatu ad Cardinalatum: Cardinaliſque Presbyter Epiſcopus factus, eſſe Cardinalis deſinebat, ſicut nunc Epiſcopus Cardinalis factus ampliùs non appellatur Epiſcopus, ſed Presbyter Cardinalis S.R.E. & Adminiſtrator perpetuus illius Epiſcopatus, quòd ſe inuicem compati non poſſint eſſe Presbyterum Cardinalem vrbis Romæ, & Epiſcopum alterius Eccleſiæ: repugnat enim Presbyter, & Epiſcopus; quod antiquis Canonibus cautum fuerit, vnum hominem non niſi vno Sacerdotio potiri poſſe. Nunc tamen Epiſcopi potentiores, & nobiliores ambitione inflati, vt fiant Romani Cardinales, inſano ſumptu, & effuſiſſima largitione impetrant; & malunt iam eſſe, vel nominari Presbyteri Cardinales Ro-

manī

mani, quàm Epiſcopi reuera Cardinales ſuarum Eccleſiarum, neque conſideraut ſe Romanos Presbyteros eſſe non poſſe Cardinales, niſi prrſonalem reſidentiam in ſuo titulo Romæ faciant; & conſequenter Epiſcopalem ſuam dimittant Eccleſiam.

Non negabo cum eodem Soto circumuicinos illos ſex Epiſcopos, poſſe aſſumi ad Romanum Cardinalatum; quia & exigua cura eſt illorum ptopria, & facilè poſſunt ob vicinitatem, ſuas Eccleſias adminiſtrate. Sic enim iam facta intelligitur quædam quaſi vnio ſex illarum Eccleſiarum cum Romana, & in ipſam incorporatio; ſeu potiùs videntur, quaſi Chorepiſcopi Epiſcopi Romaui, cuius vnica Diœceſis ſit, quitquid ſub illis ſex Epiſcopatibus continetur: immò ſeptem olim fuerunt, addita Eccleſia Siluæ candidæ, ſeu quod idem eſt, S.Ruffiuæ; quæ tamen poſteà Portueuſi vnita eſt.

Vidi enim ego in quibuſdam priuatis inſtrumentis ſub Alexandro Tertio, Epiſcopum Portuenſem, ſe Portuenſem, ſiue S.Ruffinæ ſubſcribentem, vt propteteà hi ſint tituli Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſed Epiſcopales; ſicut reliqui ſunt tituli Presbyterales, & Diaconales: Remotos tamen Epiſcopos, & Romanæ nequaquam vnitos, nec incorpotatos, fieri Romanos Cardinales otdinarios, eſt intolerabile; & diuino iuri, ſimulque Eccleſiaſtico plurimùm repugnans, vt ex libro noſtro nono erit manifeſtiſſimum.

Aſtutia tamen humana, & Romana, non ſine fraude temedium excogitanit, vt qui Epiſcopi veliut Romæ cum Cardinalatu reſidrre, reſiguent Epiſcopatum, nomine tenùs, nepotibus, vel amicis; ipſi verò redditus ſibi vſurpent, quod etiam libro nono pluribus impugnabo, aut commendatis Eccleſijs, ſub nomine adminiſtrationis, licèt non ſibi titulatis, perfruantur; quod etiam Sotus reprehendit; & Cardinales Epiſcopos, in ſuis Eccleſijs, non Romæ reſidere debere, ſi ſaluam velint conſcientiam, optimè confirmat: Ac conſequenter ex hactenùs explicatis, hi non erunr Romani Cardinales, niſi æquiuocè. Quare,ſi electio Romani Epiſcopi legitima, à ſolis Romanis Cardinalibus (de quo poſteà) fieri debet; horum Cardinalium ſuffragia legitima eſſe non poſſunt; & electiones vitio non carebunt.]

Niſi odio pluſquam Vatiniano exarſiſſet In Illuſtriſſimos Catdinales, atque contumelijs agendum ſibi duxiſſet, proculdubiò ſatiſfactum huic obiectioni à Bellarmino vidiſſet; ſic enim de ea re magnus Cardinalis: [Fateor, inquit, olim Epiſcopos quoſcumque Prælatos fuiſſe Cardinalibns non Epiſcopis, immò etiam Cardinalatum gradum fuiſſe ad Epiſcopatum. vt Onuphrius rectè docet in libro de Cardinalibus, & apertiſſimè colligitur ex libro primo cap. 7. vitæ ſancti Gregorij. Poſteà tamen mutatus eſt ordo, & cœpti ſunt Cardinales Epiſcopis anteponi, & epiſcopatus gradus eſſe ad Catdinalatum, &c.] Itàque nullus ſanæ mentis negauerit, priſcis temporibus Epiſcopotum digniratem maiorem fuiſſe, quàm Cardiualium; id enim tum ex multis alijs,tum ex eo potiſſimùm conſtat, quòd & in Concilijs adhùc eorum extant nomina digniori loco ſubſcripta, & in vita ſancti Gregotij memoriæ proditum eſt, ſolitum illum ex Cardinalibus facere Epiſcopos. Quòd etiam obſeruauit Illuſtriſsimus Bellarminus.

De Clerie. lib.1. ca 16. de Card.

Ioan. Diac. lib.1.c.10.

Igitur prioribus illis temporibus antiſtarunt Epiſcopi, ac dignitate Cardinales anteuerterunt, poſteà verò mutata ratio eſt, ac [tauta Cardinalibus facta eſt ſplendoris acceſſio, inquit non uemo, vt ſi abſolutè loquendum ſit, non modò in hac Eccleſiæ forma, quam nunc videmus, ſed à multis iam ſeculis magno intetuallo Epiſcopalem ſuperent dignitatem. Huius autem acceſſionis ea fuit cauſa, quoniam Cardinales ſoli tum ad Pontificum conſilia, tum etiam ad Pontificis electionem adhiberi cœpti, atque etiam ex ipſis ferè ſolis Pontifex eligi.

Platus de Cardin. off. c.3.

Sic enim Sigonius diligens hiſtoticus narrat anno iam tum 779. in Concilio, quod Stephanus Tertius Romæ habuit, hoc etiam conſtitutum, vt deinceps, niſi Presbyter, aut Diaconus Cardinalis nemo Pontifex fieret, quod etſi non ſempet omninò ſeruatum eſt, quoniam alios etiam plures factos videmus, tamen ſatis ex hoc appatet, quanta, vel eo tempore Cardinalium tatio haberetur. Atque idem Sigonius alibi ità ſcribit, cùm Romani Pontificis cteatio Cardinalibus præcipuè permiſſa eſt, quod fuit anno Domini 1059. eorum nomen cœpiſſe magis, ac magis in Eccleſia celebrari. Quam in ſententiam, Petri quoque Damiani, qui hoc tempore vixit, fuitque ipſe Cardinalis Oſtienſis, ex quodam eius libro dictum affert. Romani, inquit, Cardinales, Romanum Pontificem principaliter eligunt, & quibuſdam alijs prætogatiuis, non modò quorumlibet Epiſcoporum, ſed etiam Patriarcharum, atque Primatum iura tranſcendunt. Saluo quippè vniuerſalis Eccleſiæ Sacramento,iſti ſunt oculi vnius capitis, ipſi lucerna huius candelabri. Hæc ille.

Sed habemus etiam luculentum de hoc ipſo teſtimonium ipſius Pontificis Eugenij Quarti in literis quibuſdam, quas ille ad Henricum Cantuarienſem Archiepiſcopum eo ipſo tempore ſcripſit, cùm Florentiæ generale Concilium haberet: Scripſir autem ob hanc ipſam occaſionem, quòd ille de priore loco cum Ioanne Presbytero Cardinali litigaret. In his igitur literis, multas cauſas affert, cur eum iniuſtè agere dicat, multaque addit ad Catdinalatus dignitatèm omnibus dignitatibus præferendam, quia Archiepiſcopus ſuæ tantùm Diœceſis vtilitati ſeruiat, at Cardinalis publicæ totius populi Chriſtiani, ille vnam priuatam duntaxat tegat Eccleſiam: hic vnà cum Sede Apoſtolica vniuerſas; & cùm Cardinales à nemine, niſi à Summo Pontifice iudicentur: ipſi tamen ſimùl cum Pontifice omnes Eccleſiæ gradus dijudicent.]

Cùm igitur de Cardinalium dignitate agitur, ſpectanda ſunt, non illa priora tempora, quibus Cardinalatus, qualiſcumque tandem ille eſſet, quod rectè obſeruat Onuphrius, gradus erat ad Epiſcopatum; ſed poſteriora ſecula, quibus reuocata ad illuſtriſſimum ordinem Pontificis electione, ac ſolis Cardinalibus Pontificium Senatum componentibus Epiſcopis ſuperiores euaſerunt,adeò

vt

Google

vt cæperint honoris gratia ex Epiſcopis Cardinales fieri.

Spalat.n.27. Ad priora ergo illa tempora referenda omninò ſunt, quæ tota ſectione vigeſima ſeptima habet Aduerſarius. [Video, inquit, profectò Presbyteros Cardinales Romanos interdùm, relicta Romana reſidentia, etiam aſſumpſiſſe Abbatias Regularium, & factos Monachos Abbates, ad Monachorum regimen ſe contuliſſe; retento tamen ſolo nomine Presbyteri Romani Cardinalis, vt de Richardo, & de Deſiderio teſtatur regiſtrum Gregorij VII. altero Maſſilienſi Abbate, altero Caſſinenſi. Non igitur in tanto pretio erat iſte Romanus Cardinalatus; quandoquidem ei Monachorum Abbatiæ præferrentur: & in ſubſcriptionibus ſuprà citatis ſub Symmacho, & Gregorio, ne nominate quidem vllus ſe voluit hoc nomine Cardinalis; ſicut neque Hadrianus Secundus, ſuis Legatis ad Synodum octauam generalem dare curauit nomen Cardinalium; contentus ſolis titulis Eccleſiarum: Et dilectos, inquit ad Baſilium Auguſtum, fratres meos, Donatum ſanctę Eccleſiæ Oſtienſis; & Stephanum Eccleſiæ Nepeſinæ Reuerendos Epiſcopos, atque filium meum Marinum Apoſtolicæ Sedis Diaconum, conſiliarios noſtros tuæ commendamus pietati. Et perpetuò in actis dictæ Synodi, Stephanus Nepeſinus præcedit Marinum: Sicut in prædictis ſubſcriptionibus, omnes Epiſcopi, etiam illi, qui non erant Romani Cardinales, ante omnes Presbyteros Romanos Cardinales, & ſedent, & ſententiam dicunt, & ſubſcribunt. Immò & in Romanis Synodis, tertia, & quinta ſub Symmacho, ſoli Epiſcopi multi, & nulli Presbyteri, aut Diaconi Cardinales Romani ſubſcribunt; & inter Epiſcopos Epiſcopi, qui nihilominùs erant Epiſcopi Romani Cardinales, alijs non Cardinalibus Romanis, vt Oſtienſis, Prænestinus, Albanus poſponuntur.

Greg. VII. l7.ep.7.8 & lib.9. ep.29. & 60.

Apud Baro. to.6.an.449. num.36. Et Legati Leonis I. ad deſignatum Concilium Epheſinum, hoc ordine ponuntur; Iulianus Epiſcopus Puteolanus, Renatus Presbyter Cardinalis tit. ſancti Clementis, atque Hilarius S.R.E. Diaconus Cardinalis. Et in priuilegio, quod Synodaliter conceſſit Gregorius, Monaſterio ſancti Medardi Sueſſionenſis, ſubſcribuntur multi Epiſcopi, & ſanè eorum aliqui Cardinales poſt multos non Cardinales: Arelatenſis enim primus eſt; & Oſtienſis ante ſe plures habet.

Apud Baro. to.9.an.745. num.23. In Synodo quadam ſub Zacharia Epiſcopi omnes, tàm Cardinales, quàm non Cardinales, præponuntur Presbyteris omnibus Cardinalibus: & inter Epiſcopos Nomentanus non Cardinalis præponitur Prænestino, & Portuenſi Cardinalibus; & Gabienſis Oſtienſi. In alia ſub Leone IV. in qua ſuprà diximus num. 25. fuiſſe Anaſtaſium Cardinalem ſancti Marcelli depoſitum, priùs ſimiliter ſubſcribunt Epiſcopi omnes, etiam non Cardinales Romani; deindè poſt illos Presbyteri omnes Cardinales. Et ex Epiſcopis ante Oſtienſem, & Portuenſem, qui erant Romani Cardinales, ſubſcribunt multi, qui non erant Romani Cardinales; ſed quod maximè obſeruandum eſt in altera Synodo Romana ſub Silueſtro, ſanè ſi illis actis fides eſt adhibenda, quæ in Eccleſijs Romanis noſtris maxima adhibetur, ea prima fuit poſt Conſtantinum baptizatum, & facta eſt cum maxima ſolemnitate; in ea verò affuerunt Epiſcopi ex vrbe Roma, vel nō longè ab illa, 139. Et Presbyteri vrbis Romæ proculdubiò Cardinales 62. Epiſcopi quidem hi omnes ſedebant in Thermis Diocletiani (nondùm ergo Lateranum poſſidebat Silueſter) Presbyteri verò Romani, Cardinales profectò Illuſtriſſimi omnes; & Diaconi, Clerusque, vel gradus ſequentes, ad terga Epiſcoporum ſteterunt. Poſt terga Epiſcoporum maxima certè ex parte non Cardinalium, Presbyteri Cardinales abiecti, ne ſedere quidem audebant, ſed ſtandum ipſis erat.

In Concilio quoque quodam Ianu. XII. Pſeudo-papæ peſſimi per vim congregato, contra Leonem Papam optimum; eidem Ioanni meritò depoſito legitimè ſubrogatum, priùs ponuntur Epiſcopi omnes, etiam non Cardinales, deindè Presbyteri Cardinales, ac demùm aſtant duntaxat, non ſedent Diaconi Cardinales, & in recenſendis Epiſcopis, Epiſcopi non Cardinales præponuntur Cardinalibus, prout videlicet, vel ætas, vel tempus promotionis requirebat. Idem quoque apparet in alia Synodo ſub Ioanne XV. Apud Baro. tom.10.ano. 964 n.6.

Quod ergo vrget Baronius, addit Spalatenſis, in Concilio Oecumenico Epheſino priùs ſubſcripſiſſe Philippum Presbyterum Cardinalem Romanum Legatum, quàm duos reliquos Epiſcopos Legatos item, ſed non Romanos Cardinales, nihil eſt; nam in actis einſdem Concilij Epheſini ſæpiùs præcedunt illi Philippum: vt ergo paritatem inter ſe profiterentur, cum æquè eſſent Legati Romanæ Sedis, nulla habita ratione ſuorum proptiorum titulorum, indifferenter ſe habebant in hoc Concilio; prout commoditas, vel opportunitas ferebat: ſed in octaua Synodo, vt vidimus, Epiſcopus non Cardinalis Legatus Romanus voluit præcedere Diaconum Legatum, & Cardinalem, quia in Legatione erant pares; in titulo tamen Epiſcopus quicumque præcedere debuit Diaconum quemcumque. Qui igitur ſemper fuerint veri Cardinales in Eccleſia etiam Romana, iam habes ſatis explicatum: nunc Cardinalitiæ elationis occaſiones indagemus.] Spalat.n.28.

Scilicet quod monuimus, ſplendorem, ac fulgorem ſuum plenè non erat conſequutus nobiliſſimus ordo, & fateor, quod addit de Philippo Cardinali Romanæ Eccleſiæ Baronius, & impugnat Spalatenſis, nimirùm eum in Concilio Epheſino Oecumenico primo priùs ſubſcripſiſſe, quàm reliquos duos Epiſcopos Legatos, aliò referendum eſſe, quàm ad Cardinalatus dignitatem; nempè quòd in Legatione Epheſina potiores partes haberet Philippus, & quamquam ſolummodò presbyter eſſet hac parte Epiſcopis antiſtaret. Quod vt meliùs intelligatur; ſciendum eſt, duplicis generis Legatos olim à Pontifice ad Concilia Oecumenica mitti ſolitos; Alij enim erant, qui nomine Eccleſiæ Occidentalis, quà Patriarchalis ſpectatæ mitterentur, vt ſcilicet totius Occidentis fidem, Concilio Oecumenico teſtatam facerent, ac quæ eius eſſet ſententia, ſignificarent; hi ex ordine Epiſcoporum aſſumebantur: Alij erant, qui proprio Pontificis nomine lega-

ren-

rentur, quos Sardicenſes Patres Legatus *apo toy idioy pleyroy.* à proprio latere vocant. Hi ex Clero Romano aſſumebantur, cùmque proximè à Pontifice mitterentur, vt mentem eius Synodis aperirent, primo loco erant inter Legatos, ità vt etiam illis Epiſcopi Occidentalis Eccleſiæ Legati cederent, quòd Legati à latere Pontificis eſſent, & è ſinu Eccleſiæ Romanæ.

Cuius rei illuſtre exemplum ſuppeditat nobis illud Concilium, de quo nunc agimus, Epheſinum primum; namque non ſolùm Philippo illi Legato à Latere Pontificis primas tribuit, verùm etiam eum ſolùm Pontificis Legatum vocat, negato eo titulo Arcadio, quamquam Eccleſiæ Occidentalis, & Romanæ, quà Patriarchalis ſpectatæ Legato; [ſic enim in mandato, quod ſancta Synodus piiſſimis Epiſcopis iniunxit, qui ab ea Conſtantinopolim miſſi ſunt; vt cauſam contra Orientales dicerent. Philippo religioſiſſimo, Deoque dilectiſſimo presbytero, Cœleſtini ſanctiſſimi Epiſcopi Apoſtolicæ Sedis maximæ Romæ locum tenenti, ac eeligioſiſſimis Epiſcopis Arcadio, Iuuenali, Flauiano, &c.] Ceterùm faciunt hæc quoque ad purpuratorum Patrum commendationem, quandoquidem presbyter nullis inſulis clarus, Epiſcopis hoc nomine anteſertur, quòd à proprio Pontificis latere, allegatus, eius perſonam ſuſtineret Epiſcopis Eccleſiam Occidentalem eeferentibus: haudquaquàm igitur mirum eſſe debet, antepoſitos quoque Epiſcopis Cardinales, quòd Pontificis Electores, Conſiliarij, & Aſſeſſores eſſe cœpiſſent, quibus vnà cum eo totius terrarum Orbis cura incumberet. Sed alium iam callem inſiſtit Spalatenſis, vt Cardinales vexet, faſtum Romanorum Diaconorom à Patribus damnatum refert, & eiuſdem criminis purpuratos Patres arceſſit.

Spal. n. 29. Hier. ep. 85. Romanæ profectò, ait, vrbis excellentia maxima temporalis, ſicut Eccleſiæ ipſi Romanæ, ipſiuſque Epiſcopo, ità Clero quoque eiuſdem fuit ſemper occaſio ſe nimiùm efferendi. De nimia ſuperbia, nimioque faſtu Diaconorum Romanæ Eccleſiæ, adhuc temporibus Hieronymi, & Auguſtini, apud euſdem ſanctos Doctores habes inuectiuas iuſtiſſimas; Legimus in Eſaia, inquit Hieronymus, Fatuus fatua loquetur. Audio quemdam in tantam erupiſſe vecordiam, vt Diaconos Presbyteris, ideſt, Epiſcopis, anteferret. Et poſtquam probauit, Presbyteros ab Epiſcopis nihil penè differre, occurrens illius morbi cauſæ, dum videlicet Diaconi Romani ſpeciale priuilegium ex vrbis nobilitate prætenderent, ait; Nec altera Romanæ Vrbis Eccleſia; altera totius Orbis exiſtimanda eſt. Vbicumque fuerit Epiſcopus, Romæ, ſeu Engubij, eiuſdem meriti, eiuſdem eſt, & Sacerdotij. Potentia diuitiarum, & paupertatis humilitas, vel ſublimiorem, vel inferiorem Epiſcopum non facit. Hæc profert Hieronymus, vt oſtendat, ſicut Epiſcopus Romanus ex vrbis potentia, aut diuitijs, nihil habet ſupra alios Epiſcopos minorum vrbium, & tenuiorum Eccleſiarum præeminentiæ; ità neque Diaconos eiuſdem vrbis, poſſe prærogatiuas prætendere. Et quia Romæ ad teſtimonium Diaconi Presbyter ordinabatur reſpondet; Quid paucitatem, de qua ortum eſt ſupercilium in leges Eccleſiæ vindicas? Diaconos paucitas honorabiles; Presbyteros turba contemptibiles facit. Eo igitur tempore Diaconi Cardinales Romæ ſupra Presbyteros Cardinales ſe efferebant; ſed eorum faſtum conatur Hieronymus comprimere. Totius tamen Cleri Romani, tam Diaconum, quàm Presbyterorum faſtum, alibi acrioribus inſectatur verbis; cumque vocat ollam ardentem, ſenatum Phariſæorum, & imperitiæ factionem, in quo nullus ſit Scriba (hoc eſt Doctor) vel fictus. De quo plura infrà.

Hieron. in Procem. in lib. Didymi de Spiritu ſancto.

Auguſtinus verò, ſeu alius Auctor non ignobilis, eamdem Romanorum Diaconorum ſuperbiam, & arrogantiam reprehendit; & quòd illi ab vrbis potiſſimùm dignitate vanè criſtas attollerent, meritò ſtomachatur: Quidam, inquit, qui nomen habent Falcidij duce ſtultitia, & Ciuitatis Romanæ iactantia, Leuitas Sacerdotibus, & Diaconos Presbyteris æquare contendit, non dicam præferre: ſed quia Romanæ Eccleſiæ Miniſtri ſunt, idcircò honorabiliores putantur, quàm apud cæteras Eccleſias, propter magnificentiam Vrbis Romanæ, quæ caput videtur eſſe omnium Ciuitatum. Adhuc Bernardi tempore, hæc, quam Auguſtinus ſuggillarat, ſtultitia Diaconorum Romanorum perdurabat; ſeu fortaſsè innouabatur: contra quam Bernardus ad Eugenium ſcribens ſic inſurgit; Ridiculè Miniſtri veſtri, veſtris ſe Compresbyteris anteferre conantur. Non hoc ratio habet, non antiquitas habuit, non conſentit auctoritas. Etſi de ſua conſuetudine calumnia ſtruitur; meliùs profectò illa, quàm ſummus ordo contemnitur.

Spalat. n. 30. Aug. in qq. vet. & nou. teſt. q. 101.

Bernard. de conſid. l. 4 cap. 5.

Friuolum tamen ſatis, vnde maximè obtinere id volunt. Nos ſumus, inquiunt, qui in omni celebritate Domino Papæ coniunctiores aſſiſtimus, ſedenti propiores, priores ſequimur procedentem. Hoc totum non dignitatis priuilegium, ſed ſedulitatis debitum eſt, Diaconi nomen ſolemni ipſa adminiſtratione interpretans. Denique Presbyteris, ordinata confeſſione ambientibus Maieſtatem, vos ad pedes ſedetis. Propiores aſſiſtitis, vt habeat paratiores. In Euangelijs legimus, quia facta eſt contentio inter Diſcipulos, quis eorum videretur eſſe maior. Bratus eſſes, ſi ſic circa te cætera tenerentur. Hi profectò erant Diaconi, & Diaconi Cardinales, & tamen ad pedes Papæ ſedebant: tempore verò Hieronymi, & Auguſtini, ne ſedere quidem coram Presbyteris audebant: aſtabant verò, vt eſſent ad miniſteria paratiores. Et in his Bernardus aliud officium non agnoſcit, niſi vt Papæ in quibuſdam officijs eccleſiaſticis, iuxtà commune Diaconorum munus miniſtrarent. Vbi ergo illi magnificentiſſimi Conſiliarij, & Eccleſiæ vniuerſalis cum Papa gubernatores?] Romanæ Vrbis dignitatem lucem aliquam, & ſplendorem conciliaſſe Clero Romano ſupra admiſimus: ſed cauſam proximam fuiſſe dignitatis eccleſiaſticæ, & inficiari ſumus, & inficiamur.

Quæ autem ex Hieronymo, & auctore quæſtionum veteris, & noui Teſtamenti aduersùs Diaconos, ſeu Leuitas Romanos detonantibus afferuntur, ſunt à nobis explicata:

ra:

ra : neque verò purpuratorum Patrum ordinem lædunt, namque Hieronymus, & auctor ille, eos Diaconos inſectantur, qui quòd Theſauri Eccleſiæ illis eſſent commiſſi, quos in pauperes, potiſſimùm verò in viduas diſtribuerent, inſolentiùs ſe ſupra presbyteros efferebant, atque ſanctiſſimum ordinem, infrà quem longè eſſent, contemptui habebant. Hoc illa ad Euagrium indicant : [Legimus in Eſaia, Fatuus fatua loquetur: Audio quendam in tantam erupiſſe vecordiam, vt Diaconos Presbyteris, ideſt, Epiſcopis anteferret. Nam cùm Apoſtolus perſpicuè doceat, eoſdem eſſe Presbyteros, quos & Epiſcopos: quis patiatur menſarum, & viduarum miniſter, ve ſupra eos ſe tumidus efferat, ad quorum preces Chriſti corpus, ſanguiniſque conficitur ?] Propterea enim magnus vir Epiſcopis presbyteros æquat (qui tamen næuus eſt in candido pectore) vt acriùs hoſtem impugnet, ac veluti tantæ auctoritatis mole obruat. Auctor verò ille quæſtionum veteris, & noui Teſtamenti apud Auguſtinum, eos etiam Diaconos inceſſit, qui non modò ſe presbyteris æquarent, ſed etiam præferrent. Vanitatemque ex eo refellit, quòd vt concederetur, amplitudinem vrbis, quæ caput eſſet Mundi, aliquam dignitatem Clero conciliare, fatendum omninò eſſet, eam in presbyteris potiùs ſpectandam eſſe, quàm in Diaconis, cùm par ſit credere, nobiliori ordini maiorem fieri honoris acceſſionem; ſed vt dixi, iſta purpuratorum Patrum ordinem non lædunt, nec enim illi vna Diaconorum claſſe continentur; ſed inter illos ſunt Cardinales Epiſcopi, Cardinales Presbyteri, Cardinales Diaconi, è quorum numero Cardinales Epiſcopi Cardinalibus Presbyteris antiſtant: Cardinales Presbyteri Cardinalibus Diaconis. Immò penè omnes Epiſcopi ſunt, aut Archiepiſcopi.

Non igitur aut Hieronymus, aut Auctor ille quæſtionum in Cardinales, de quibus loquimur, detonuerunt : neque exiſtimandum eſt, Diaconos, in quos inuehuntur, Cardinales fuiſſe, quod tamen ſupponere videtur Spalatenſis. Præterea non omnium Diaconorum Romanorum hæc labes fuit; ſed aliquorum duntaxàt, qui nimio faſtu turgerent. Ac certè plures fuiſſe Diaconos Romanos inſigni ſanctitate, hiſtoriæ loquuntur, ac in primis Laurentium illum inuictum Chriſti athletam celebrant, qui poſtquam Xiſto Pontifici ſanctiſſimè miniſtraſſet, theſauros Eccleſiæ magna charitate in pauperes diſtribuiſſet, Leuita in martyrio Pontificem ſequutus eſt, hoſtiamque ſe obtulit Chriſto; immò verò quamquam ſeculo Bernardi, non dubitemus Romæ fuiſſe aliquos Diaconos Cardinales, non hos tamen ille inſectatur, ſed meros Diaconos nullo Cardinalatus titulo inſignes, atque hoc ſolùm nomine ſeſe efferentes, quòd Pontifici ſacris operanti adeſſent, eique miniſtrarent. Abſoluerat ſiquidem Bernardus, finemque impoſuerat inſtitutæ de Cardinalibus diſputationi; [Sed de his, inquit, hactenùs; ego palpaui, non fodi parietem, tibi licet fodere, & videre, vtpotè Prophetæ filio, mihi progredi non eſt fas.]

Demùm aliorum miniſtrorum Papæ ſuperbiam inſectatur, ac ea habet, quæ immeritò torquet in Cardinales Spalatenſis. Cæterùm magnificentiſſimè de Cardinalibus ſentire, docebimus infrà. Nunc reſpondendum inſolentiſſimæ expoſtulationi, aut potiùs inſultationi importuniſſimi aduerſarij, qua de illuſtriſſimo ordine triumphaſſe videri velit. Spalat. n. 30. in fine. [Vbi ergo, inquit ille, de temporibus Hieronymi, Auguſtini, & Bernardi loquens, vbi illi magnificentiſſimi Conſiliarij, & Eccleſiæ vniuerſalis cum Papa gubernatores ?] Reſpondemus igitur ſeculo Hieronymi, & Auguſtini, ac etiam ſuperioribus temporibus habuiſſe Pontificem ſuus Conſiliarios, quorum ſit poſteà tota dignitas ad Cardinales reuocata. Conſiliarij autem illi erant Presbyteri, & Diaconi, ac reliqui Clerici Romani; namque cùm numero pauci eſſent illis initijs, omnes promiſcuè ad Concilia vocabantur, ſuumque ſuffragium habebant; neque hoc in munere Cardinales à non Cardinalibus diſtinguebantur, ſed poſtmodùm creſcente Clero Romano cœpit fieri diſtinctio Cardinalium à non Cardinalibus, ità vt illi ſoli in concilijs à Pontifice coactis ſententiam dicerent, ac decretis ſubſcriberent, quod Bellarminus ex Synodo Gregorij colligit, cui ſolùm interfuerunt ex Presbyteris 34. & ij Titulares omnes, id eſt, vt ille interpretatur, Cardinales, cùm tamen proculdubiò plures, quàm 34. eſſent Romæ Presbyteri.

Verùm nec adhuc ipſo ſeculo Gregorij eximium ſuum ſplendorem conſecutus erat illuſtriſſimus ordo, ſed dumtaxàt eius, quæ poſteà ſecuta eſt amplitudinis, fundamenta iaciebantur : At de hoc munere Cardinalium rursùs infrà. Subit verò mirari, qua fronte ad tempora ipſa Bernardi ſuas etiam querelas protenderit. [Quæris, mi Antoni, vbinam illo æuo eſſent magnificentiſſimi illi Conſiliarij, & Eccleſiæ vniuerſalis cum Papa Gubernatores ?] Cur animo non recurrant, Spalat. n. 58. & ſeqq. quæ poſteà ex eodem Bernardo profers : ſic enim ille, quem tu citas, ad Eugenium : [Videamus ad collaterales, & coadiutores tuos, Bernard. de conſid. l. 4. cap. 4. inquit, hi ſeduli tibi, hi intimi ſunt. Quamobrem ſi boni ſunt, tibi potiſſimùm ſunt : ſi mali, æquè plus tibi. Ne te dixeris ſanum, dolentem latera : hoc eſt, ne te dixeris bonum, malis innitentem. Aut ſi bonus ſis, bonitas tua ſolius, quem fructum afferre poteſt ? Sicut in ſuperiore libro dixiſſe me memini. Quid, inquam, emolumenti affert Eccleſijs Dei vnius hominis iuſtitia, vbi ſententia præualet aliter affectorum ? Sed nec tuta tibi tua bonitas obſeſſa malis, non magis, quàm ſanitas vicino ſerpente. Non eſt, quo te ſubducas malo inteſtino. Et è regione bonum domeſticum eò ampliùs, quò ſæpiùs iuuat. Sed ſiue leuent, ſiue grauent, cui rectiùs imputandum, quàm tibi, qui tales, aut elegiſti, aut admiſiſti ? Non de omnibus dico, nam ſunt, quos non elegiſti, ſed ipſi te. At poteſtatem non habent, niſi quam tu eis, aut tribueris, aut permiſeris. Ad idem reuertimur. Tibi imputa quicquid pateris ab eo, qui ſine te poteſt facere nihil. His exceptis de cætero non inconſideratè (vt vides) eligendi quique, ſeu colligendi ſunt in opus miniſterij huius. Tuum eſt vndecumque euocare, & aſciſcere tibi (exemplo Moyſi) ſenes non iuuenes, ſed ſenes non tam ætate, quàm

moribus, quos tu noſti, quia ſenes populi ſunt. An non eligendi de toto Orbe Orbem iudicaturi? Sanè huic negotio non ſe ingerat rogatus. Conſilio, non prece agendum eſt.]

Bernard. epiſt. 188. Ac rursùs epiſtola ad Epiſcopos, & Cardinales Curiæ: [Nulli dubium, inquit, quin ad vos ſpecialiter ſpectet tollere ſcandala de Regno Dei, ſurgentes ſuccidere ſpinas, ſedare querelas. Sic enim præcepit Moyſes, cùm montem ſubijt: Habetis, inquiens, Aaron, & Hur vobiſcum: ſi quid natum fuerit quæſtionis, referetis ad ipſos. Illum loquor Moyſem, qui venit per aquam, & non in aqua ſolùm, ſed & in aqua, & ſanguine venit. Et ideò plus quàm Moyſes, quia & in ſanguine venit. Et quoniam pro Hur, & Aaron ſtat zelus, & auctoritas Romanæ Eccleſiæ per populum Dei, ad ipſam meritò referimus, non quæſtiones, ſed læſiones fidei, & iniurias Chriſti, probra Patrum, atque contemptus, præſentium ſcandala, pericula poſterorum.]

Ac rursùs: [Agite pro loco, quem tenetis, ait, pro dignitate, qua polletis, pro poteſtate, quam accepiſtis, quomodo qui aſcendit ad cœlos, deſcendat vſque ad inferos: & opera tenebrarum auſa prodire in lucem, vt dum qui publicè peccat, publicè arguetur, comprimant ſeſe etiam alij ponentes tenebras lucem, diſputantes in triuijs de diuinis, qui loquuntur mala in cordibus ſuis, & in codicibus ſuis ſcribunt: & ſic obſtruatur os loquentium iniqua.]

Neque verò clariſſimis verbis Bernardi Spalat. n. 32. lucem eripere, aut tenebras offundere poſſunt illæ tuæ cauillationes, de quibus ſuo loco. Perſequamur reliqua. Incaleſcit Spalatenſis, & maiores iras effundit in Cardinalium capita. [Iam verò, inquit, Romani noſtri ſoli per Antonomaſiam vocari volunt Cardinales; cùm tamen, vt vidimus, in omni Eccleſia proprij adſint miniſtri Cardinales. Immò verò adeò deflexerunt à vera ratione, & forma Cardinalium, vt iam nullo modo veri ſint ampliùs Cardinales, non modò illi, qui propriarum ſunt Epiſcopi Eccleſiarum, vt ſuprà monui; ſed ne reliqui quidem, etiam Romæ reſidentes: ſunt enim omnes illi Eccleſiæ aduentitij, & aſſuti, non propriè incardinati. Titulos quidem ad ſpeciem aſſumunt, ſed in titulis nullum prorsùs exercent officium, quod ſit proprium Chriſti miniſtrorum Cardinalium: & plurimi tituli ſunt priuatarum Eccleſiarum, ſiue oratoriorum, etiam Monachorum, & Regularium; in quibus publica nulla vigent, in plebe fideli regenda, & Eccleſiaſticis, ac ſpiritualibus fouenda, & nutrienda officijs exercitia: quæ Eccleſiæ proptereà nulla Matth. 20. ratione eſſe poſſunt, niſi æquiuocè Cardinales; etſi quæ ſunt veræ Cardinales, illæ proprios habent ordinarios Parochos ſubſtitutos, ſatis viles, & abiectos; reuera tamen veros Cardinales; qui pondus diei ferunt, & æſtus: titulum intereà alij poſſident, qui nihil minùs quàm munia Eccleſiaſtica curant.]

Nec verò tantùm propria, quæ hoc nomine Cardinalitio eis incumbunt, munera Parochialia deſerunt, ſed mira metamorphoſi in typhum ſecularem toti tranſeunt, Principum facti æmuli, immò ipſi potiùs Reguli, ità vt ſe ſummis audeant Regibus comparare; hoc eſt, galerum rubrum aureo diademati æquiparare. Prodijt è prælo recens quædam Bellarmini contra ſereniſſimi Britanniæ Regis præfationem Apologia: In qua dum lego quæ affert ad coæquandos Regibus Cardinales, eius certè prudentiam deſidero, mirorque, quòd non potiùs ex hac arena pedem retraxerit.

Certè prorsùs extrà oleas eius longiuſcula vagatur oratio laudatoria, dum ad dignitatem Cardinalitiam ſtabiliendam Presbyteralis, & Diaconalis poteſtatis munia communia in theatrum deducit, quæ quidem ſi quæſtionem propoſitam attingerent, ipſo Cardinali vix puto id concedente, triobolares quiuis Presbyteri, qui in foris quotidiè proſtant, vt miſſificent venales, maximis Regibus prorsùs æquarentur. Vbi verò Cardinalium exaltator Cardinalis ad propria ipſorum officia delabitur, electores Papæ, conſultoreſque vrbis oſtentat (de quibus iam à me dictum eſt) ac tandem de hac eorum cum Regibus æquiparatione diſtinguens, ſuæque concluſioni terminos figens, ait, eam intelligendam de externo cultu, & honore: quod vſus obtinuerit, vt quemadmodùm Principes omnes Regibus cedunt, ſic etiam cedant Cardinalibus.]

Et in hoc paritatem quamdam ponit. Quamdam; ſed quantulam? Reuera nullam: Primùm enim cultus ille, ſiue honor externus ſpontè delatus, ac voluntarius in honorante eſt, vt aiunt, non in honorato, nec dignitatem vllam veram, inhærentemque ponit in Cardinalibus. Quin etiam veri Principes non ſoliti ſunt ſe huic indignitati proſtituere, quòd ſi qui ſe adeò abiectè ſubmiſerint, vt Cardinalibus primas deferrent ſpontè, aliquo certè animi morbo laborarunt, vel leuitatis, vel adulationis, vel in anguſtias detruſi, ac opis indigi, Curiæ Romanæ abblandiri ſunt, vel demum ex quadam non admodùm prudenti reuerentia Romanis decretis cæremonialibus obtemperarunt. Sapientes intereà Principes non defuerunt, qui Cardinales in locum ſatis humilem, vereque ſuum detruſerunt, eoſque nimiùm inſoleſcentes ſubindè repreſſerunt.]

Excutiamus ordine ſingula, *cat exochin* ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales vocantur, qui ſunt hoc honore aucti, quòd in Principe Orbis terrarum Eccleſia eam ſint dignitatem conſecuti. Namque, quod initiò dicebamus, vt ſuperficies ad lationem corporum mouentur, ac feruntur, ſic ex dignitate Eccleſiæ Romanæ petenda eſt potiſſimùm præcipuorum, ac principalium miniſtrorum amplitudo. Cardinales verò ampliùs dici non poſſunt, *quòd ſint aduentitij, & adjcti*, vt dicit ille, *non propriè incardinati*. Ridiculum eſt Spalatenſis commentum ex ignoratione profectum; namque, vt teſtimonio Gregorij docuimus, *incardinari* illi olim dicebantur, qui in alterius Eccleſiæ, in qua ordinati non eſſent, Clerum cooptabantur.

Quod attinet ad titulorum rationem, ſunt iſta planè Pontificij iuris, vt proindè, quamquam reclamante Spalatenſi, de his ad arbitrium ſtatuere poſſit, nec credo, neceſſum fuit Spalatenſem in Concilium aduocaſſe, vt hæc legitimè ſancirentur. Quod attinet ad

ty-

Digitized by Google

typhum ſeculi, quem illuſtriſſimo ordini opprobrat, inuidentis, nec externum Eccleſiæ fulgorem ferre valentis querimonia eſt,& falſum omnes vident, quod ille dicit, *Cardinales Galerum rubrum aureo diademati æquiparare*; ſi modò de externo fulgore agatur.

Quare,iure optimo illuſtriſſimus Cardinalis Bellarminus, quem immeritò hìc traducit Spalatenſis, de dignitate Cardinalium ad ſereniſſimum Britanniæ Regem ſcribens, ad Sacerdotum, & Diaconorum, qua illi effulgent, eminentiorem dignitatem confugit; neque enim Galerus Cardinalitius, ritè cum diademate aureo confertur, ſed benè omninò Sacerdotalis dignitas cuicumque dignitati ſeculari anteponitur:Sic enim beatus Gregorius: *Quis dubitet*, inquit, *Sacerdotes Chriſti Regum, & Principum, omniumque fidelium Patres, & Magiſtros cenſeri?* Et alius Gregorius, Præfectum alloquens. Quid inter nos conuenit? An me liberè loquentem æquo animo feretis? Vos quoque imperio meo, & throno lex Chriſti ſubijcit. Imperium enim nos quoque gerimus, addo etiam præſtantiùs,ac perfectiùs: niſi verò æquum eſt ſpiritum carni faſces ſubmittere, & cœleſtia terrenis cedere. Habent quidem, inquit Chryſoſtomus, & terreſtres Principes vinculi poteſtatem,verùm corporum ſolùm. Id autem,quod dico Sacerdotum vinculum, ipſam etiam animam contingit, atque ad cœlos vſque peruadit: vſque adeò vt quæcumque infernè Sacerdotes confecerint,illa eadem Deus ſupernè rata habeat, ac ſeruorum ſententiam Dominus confirmet. Etenim quidnam hoc aliud eſſe dicas, niſi omnem rerum cœleſtium poteſtatem illis à Deo conceſſam? Quorumcumque, enim ait, peccata remiſeritis,remittuntur eis, quorumcumque retinueritis, retenta ſunt. Quænam, obſecro, poteſtas hac vna maior eſſe queat?] Et alibi: [Sacerdotium, inquit, principatus eſt, ipſo etiam regno venerabilius, ac maius. Ne mihi narres purpuram, neque diadema, neque veſtes aureas, vmbræ ſunt iſthæc omnia, vernique floſculis leuiora. Omnis, inquit,hominis gloria ſicut flos graminis,etiam ſi ipſam gloriam regalem dixeris. Ne inquam, mihi narres iſta, ſed ſi vis videre diſcrimen, quantum abſit rex à Sacerdote, expende modum poteſtatis vtrique traditæ, videbis Sacerdotem multò ſublimiùs Rege ſedentem. Honor, fratres, & ſublimitas Epiſcopalis,inquit Ambroſius, nullis poterit comparationibus adæquari.]

Si Regum fulgori compares, & Principum Diademati, longè erit inferiùs, quàm ſi plumbi metallum ad auri fulgorem compares: quippè cùm videas Regum colla, & Principum ſubmitti genibus Sacerdotum, & exoſculatis eorum dextris, orationibus eorum credant ſe communiri.]

Hinc Valentinianus Senior, cùm Mediolani deligendus eſſet Antiſtes, Epiſcopique precibus ab eo contenderent, vt Epiſcopum magnæ Vrbi daret, ſapientiſſimè Epiſcopos ſic adhortatus eſt: [Hominem ità inſtructum in Sede, & gradu Epiſcopali iam collocate, vtì & nos,à quibus hoc gubernatur Imperium, ei verè,& ex animo capita inclinemus,& illius reprehenſionem (nam cùm ſimus homines errore labi neceſſe eſt) velut medicinam animorum cupidè amplexemur.]

Gelaſius. [Duo ſunt, inquit, Imperator Auguſte,quibus principaliter hic mundus regitur, auctoritas ſacra Pontificum, & regalis poteſtas. In quibus tantò grauiùs eſt pondus Sacerdotum,quantò etiam pro ipſius Regibus hominum in diuino reddituri ſunt examine rationem. Noſti etenim fili clementiſſime, quòd licèt præſideas humano generi dignitate, rerum tamen Præſulibus diuinarum deuotus colla ſubmittis, atque ab eis cauſas tuæ ſalutis expetis, inquè ſumendis cœleſtibus Sacramentis, eiſque (vt competit) diſponendis ſubdi te debere cognoſcis,religionis ordine potiùs, quàm præeſſe noſti. Itàque inter hæc ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam velle redigi voluntatem.]

Extrà oleas igitur non eſt vagata oratio Illuſtriſſimi Cardinalis Bellarmini, qua vt Cardinalium aſſereret dignitatem; Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum ordines, vt loquitur Spalat. *in theatrum* deduxit, quippè & Diaconi, & Presbyteri, & Epiſcopi ſint,immò & Archiepiſcopi,ac proindè digni honore, qui tum Epiſcopis, tum Presbyteris, tum Diaconis defertur; nec enim credo, purpura hanc illis gloriam detrahit, aut adimit. At inſtat Spalatenſis: *Hæc ſi propoſitam quæſtionem attingerent, ipſo Cardinali vix puto*, inquit, *id concedente triobolares quiuis Presbyteri, qui in foris quotidiè proſtant, vt miſſificent venales maximis Regibus prorſùs æquarentur*. Eſt verò malè animati in ſacrum ordinem cauillus, quem facilè ſit abſtergere. Triobolares, ac in foris proſtantes venales Presbyteros, nec agnoſcimus, nec probamus, quòd ſi pauperiores quoſdam Sacerdotes inſectari illi eſt animus,quos cum Regibus, nonniſi indignè conferendos exiſtimet, meminerit,nec paupertatem, nec diuitias ad cumulum facere honorum, quibus ſacer ordo ornatur, quò ſpectat illud Hieronymi ab ipſo Spalatenſi ſuprà iactatum, *Vbicumque fuerit Epiſcopus Romæ, ſiue Eugubij, &c. eiuſdem meriti, eiuſdem eſt, & Sacerdotij, potentia diuitiarum, & paupertatis humilitas ſubliniorem,vel humiliorem non facit.* Sunt enim hæc à ſanctiſſimo viro, non modò in Epiſcoporum, ſed & in Presbyterorum, quorum ille patrocinium aduersùs inſolentiores Diaconos ſuſceperat, & verè, & piè dicta, vt proindè inter pauperes, & diuites Presbyteros diſtinguendum non ſit, ſed par omnibus honos haberi debeat.

Narrat Seuerus Sulpitius in vita beati Martini, contigiſſe aliquando, *vt cùm Maximus Imperator in conuiuio ſederet, aſſidente quoque beato Martino, pincerna primùm calicem Imperatori, vt omnium nobiliſſimo vellet offerre, ille verò ad Epiſcopum miſit, qui non recuſauit, ſed primùm bibit, & poſteà non Imperatori, ſed Presbytero ſuo calicem tradidit: nullum ſcilicet exiſtimans digniorem, qui poſt ſe biberet: nec integrum ſibi forè, ſi aut Regem, aut eos, qui à Rege erant proximi Presbytero prætuliſſet*. Spalatenſis beato Martino aliquantò vrbanior Antiſtes, hoc ſcio inciuilius factum, cum Sectarijs occlamabit; ſed ſanctam ruſticitatem potentiſſimi Principes mirati ſunt, ac vehementiſſimè probarunt, haudquaquam conqueſti Triobolarem ſibi præferri Presbyterum,

rum, quod ſcirent non homini, ſed Religioni deferri; Sed quid Presbyteros commemoro, ipſos etiam Diaconos Chryſoſtomus Principibus anteponere non veretur:Sic enim ad Diaconum ſuum loquitur: *Si Dux*,inquit, *quiſpiam, ſi Conſul ipſe, ſi is, qui Diademate ornatur, indignè adeat: cohibe, & coerce, maiorem tu illo habes poteſtatem.*

Chr. hom. 83. in Matt.

Quin & ipſe factum dicimus pater,nullo ſcrupulo inſtituta inter Monachum,& Regem comparatione, Monachum præfert. [Rex, inquit, Vrbium, Regionum, tum multarum gentium præfecturam gerit, Magiſtros militum, præfectos, exercitus, populos, ſenatus ſuo vnius nutu regens: At verò qui ſe ipſe totum Deo dedit, ſolitariamque vitam elegit, iræ, inuidiæ, auaritiæ, voluptati, cæteriſque animi morbis imperat,aſſiduè ſpeculans, ac meditans, quemnam in modum non committat, vt ſuum animum obſcœnis affectibus ſubijciat, neu amaræ tyrannidi ratio inſeruiat,ſed ſupra res humanas omnes cogitationem ſemper erectam habeat, Dei timorem animi morbis præficiens. Huiuſmodi igitur Imperium Rex, huiuſmodi item principatum Monachus adeptus eſt:vt iuſtiùs quidem hunc Regem voces, quàm eum, qui purpura indutus, ac corona ornatus ſplendeſcit throno in auro ſeſſitans.]Hæc os verè aureum in Monachorum gratiam,quos tamen Spalat.nō modò infrà presbyteros, ſed etiam infrà quoſcunq; alios Eccleſiæ miniſtros ponit, ac deijcit. Erat igitur, quod ab aulæ pompa oculos reuocaret, ac reflecteret, vt interiores ſacrorum miniſtrorum dotes contemplaretur.

Hom. 5. in illud vidi Dominum,

Certè vt alio loco docet idemChryſoſtomus; [Quamquam nobis mirandus videtur thronus regius ob gemmas ei affixas, & aurum,quo obcinctus eſt: tamen rerum terrenarum adminiſtrationem ſortitus eſt, nec vltrà poteſtatem hanc prætereà quicquam habet auctoritatis: Verùm Sacerdoti thonus in Cœlis collocatus eſt, & de cœleſtibus negotijs pronunciandi habet auctoritatem. Quis hæc dicit? addit eloquentiſſimus Antiſtes, Ipſe Cœlorum Rex: Quæcumque alligaueritis ſuper terram,erunt ligata & in Cœlis,&c. Quid cum hoc honore conferri poſſit?] Quod ergo magno Regi eſt à prophano homine inculcatum, aliud eſſe ſceptrum,aliud plectrum, Spalatenſis animo recurrere debuit, vt etiam ſtatueret aliud eſſe regnum, aliud Sacerdotium, & hoc quidem nobilius eſſe, iuſtumque omninò videri, vt cedat caro ſpiritui, vt terrena à cœleſtibus ſuperentur, & humanis præferantur diuina.

Quod ſi hoc valet in omni Eccleſiaſtica dignitate, quid de ea ſentiendum ſit, quæ faſtigium occupat, ac inter cæteras præcipuum locum obtinet? Vt igitur ſit omnis *gloria filia Regis ab intus*, eſt tamen aliquem fulgorem in ſuis præſtantiſſimis iſtis Miniſtris conſecuta Eccleſia, quos Reges ipſi, & ſummi Principes,cum quibus de ſuprema potentia,& mundano principatu minimè contendunt,colunt, & obſeruant, non illius,quam geſtant,purpuræ cauſa, ſed quòd ſummi Pontificis, omnium omninò fidelium capitis, ac Rectoris electores, aſſeſſores, adminiſtri, & conſiliarij, adeòque, vt loquitur Bernardus, totius Orbis ſint Iudices.

Sed excipit rursùs Spalatenſis: *Cultum illum, ſiue honorem ſpontè delatum, & voluntarium in honorante eſſe, vt aiunt, non in honorato, nec à veris Principibus Cardinalibus deferri, ſed ſolùm ab ijs, qui ſuam proſtituant dignitatem.* At enim haud quaquam bonus eſt Philoſophus, vt enim honos, quemadmodùm in Scholis loquuntur, *ſubiectiuè* ſit in eo, à quo impenditur, *obiectiuè*, tamen, vt quoque loquuntur, in eo eſt, cui defertur, & non procuLdubiò eminentior aliquis gradus, dignitas,aut excellentia illum cultum,& venerationem, qua aliquem proſequimus excitare, ac ciere ſolet. Quòd verò parùm ſecundæ famæ facit eos Principes, qui Cardinales coluerint, ac vecordię deputat,inter inſolētiora eius effata eſt reponendum: non enim abiecti animi iſtud fuit, ſed propenſi in Religionem indicium. Vident ſanè cordati Principes illa in ſacros miniſtros obſeruantia nihil dignitati ſuæ deperire, quippè cùm non homini, ſed numini honorem illum impendant, nec inter eos de mundana,ac ſeculari potentia contendatur.

Succurrit nobiliſſimi Regis factum, à nobiliſſimo hiſtorico memoriæ mandatum. incurrerat in odium, & offenſam Alexandri Magni Tyrum obſidentis Iaddus Pontifex Iudæorum, ob negata victori exercitui ſubſidia, expugnataque Tyro Hieroſolymam ducebat triumphator, vt omnes rebantur Gentem, & locum exterminaturus, potiſſimùm verò in Pontificem deſæuiturus.

Iaddus diuino oraculo monitus regis aduentum ſumma cum fiducia præſtolabatur. [Cùm renunciatum eſſet, eum iam non procul ab Vrbe abeſſe, progreſſus eſt cum Sacerdotibus, & Vrbana multitudine pompa quadam noua, & venerabili vſque ad locum, qui dicitur Sapha, quæ vox ſpeculam ſignificat, quod ibi & Vrbs, & templum in proſpectu ſit.]

Et cùm Phœnices,ac Chaldæi ſperarent ſibi licere,quicquid iratus Rex poſſet permittere, direptionem Vrbis, & Pontificis exquiſitum ſupplicium, planè contrarium euenit.

Alexander enim, vt vidit, è longinquo candidatum populum, & Sacerdotes ante agmen in amicto byſſino, Pontificemque in ſtola Hyacinthina auro diſtincta, tiaram in capite geſtantem, cum præfixa aurea lamina inſculpta Dei nomine: Solus ad eum accedens nomen illum adorauit, & ſalutauit Pontificem.]

Iudæis autem omnibus vno ore Alexandrum conſalutantibus, & in Orbem cingentibus, Syriæ Reges, & reliqui obſtupuerunt, vix credentes Regem mentis compotem: Solus Parmenius propiùs accedens rogauit familiariter, quid ità, cùm ipſe adoraretur ab omnibus, nunc adoraret Iudæorum Pontificem.]

At ille, non hunc ſe adoraſſe, reſpondit, ſed Deo, cuius Pontifex eſſet, honorem eum exhibuiſſe. Hunc enim, inquit, vidi, & anteà hoc ipſo habitu, cùm adhùc eſſem in Dio Macedoniæ, qui me deliberantem quomodò Aſiam poſſem ſubigere hortatus eſt, forti eſſe animo, & ſine mora exercitum traijcere: nam ſuo ductu poticurum me Perſarum imperio. Quapropter quia nunc primùm talem habitum

tum vidi agnoſcens hunc, & viſionis memor, quæ me ad hanc expeditionem impulit, puto me non ſine numine in Darium exercitum ducere, & breui fore victoriæ compotem, & ſublato Perſarũ imperio, ceſſura mihi omnia ex ſententia.] An igitur vecors Alexander, an dignitatis ſuæ oblitus dici poſſit? Pergamus.

Spalat.n.33. Quærit iam vnde inter omnes Eccleſiæ Miniſtros, & Rectores hanc eminentiam habeant Cardinales, eamque ſibi vendicent, atque Bellarminum ſibi reſpondentem inducit his verbis: Vnde verò, inquit, obſecro, iam tantam prætendunt præcellentiam inter omnes Eccleſiæ ſanctæ Miniſtros, & Rectores, vt iam Epiſcopi mutum ſponte facti pecus; & Presbyteris, & Diaconis etiam iſtis Cardinalibus, ſordidiſſimo penè ſubdunt famulitio? Et illi ſupra Epiſcopos, non Cardinales Romanos, & accipiant, & velint eminentiam? Immò etiam extrà Romanam Eccleſiam in toto Orbe Chriſtiano? Cùm tamen Miniſter Eccleſiaſticus, in ſua propria Eccleſia incardinatus, in aliena omninò ceſſet eſſe Cardinalis, quia illa ſuos habet proprios Cardinales, alienæ Eccleſiæ Cardinalibus, in ea aduentitijs ſuperiores.]

Spalat.n.34. Bellarm. de Cler. lib. 1. cap. 16. Tria ſunt officia, inquit Ballarminus, Cardinalium Romanorum: Primum eſt commune cum Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconis cæteris; omnes enim Cardinales, aut Epiſcopale, aut Presbyterale, aut Diaconale officium habent: Alterum officium eſt ſummum Pontificem eligendi: Poſtremum eidem Pontifici perpetuò aſſiſtere, eumque in regenda vniuerſa Eccleſia, conſilio, & induſtria adiuuare.]

Si conſideremus, inquit, ordinis poteſtatem, maior eſt Epiſcopus non Cardinalis, Presbytero, vel Diacono Cardinali; nam Epiſcopus ordinat Presbyteros, confirmat baptizatos, aliaque id genus facit, quæ Cardinales Presbyteri, vel Diaconi facere non poſſunt. Qua ratione etiam ſummus Pontifex Epiſcopum ſe vocat non Cardinalem; & Epiſcopos omnes appellat venerabiles fratres, Cardinales autem dilectos filios; quomodò vocat etiam Laicos. Pari ratione ſi conſideremus iuriſdictionem in propriam Eccleſiam, Epiſcopus habet ampliſſimam iuriſdictionem, tamquam proprius, & ordinarius Paſtor, ferendi leges, diſpenſandi, puniendi, indulgendi, &c. Ac Cardinalis Preſbyter, & Diaconus, cùm in ſuo titulo ſit veluti Parochus Epiſcopo ſubiectus, nihil poteſt, niſi quantum Epiſcopus ei permanſerit.]

Quid ad hæc Spalatenſis? [Hanc libenter, inquit, huius veritatis confeſſionem admittimus. Cur ergo Dominus Papa fratres ſuos Epiſcopos ad pedum oſcula abiectiſſimè proſternit; Cardinales verò filios erectos accipit? Cur ipſi Cardinales tam vili loco tenent Epiſcopos, vt eos in ſuorum famulorum numerum conijciant? Cur non Romæ modò, ſed etiam paſſim, vbicumque Epiſcopis preferri volunt?]

Spalat.n.35. Audiamus eundem: At ſi conſideremus, inquit, regimen Eccleſiæ vniuerſalis, maior eſt Cardinalis Presbyter, vel Diaconus Epiſcopo non Cardinali; nam Epiſcopi ſimplices numquam adhibentur ad regimen vniuerſalis Eccleſiæ, niſi rariſſimè; ideſt, cùm ad generale Concilium conuocantur; at Cardinales ferè quotidiè præſto ſunt Pontifici; neque vllum negotium maioris momenti, ſine eorum conſilio peragitur. Et quia hinc fit, vt Epiſcopi à Cardinalibus, vt ſummi Pontificis cooperatoribus, iudicentur, creentur, deponantur: non autem contra Cardinales ab Epiſcopis: propterea abſolutè Cardinalis Epiſcopum non Cardinalem præcedit.]

Quæro ego, addit Spalatenſis, an perpetuò Romanus Pontifex habuerit, etiam priſcis temporibus, conſilarios, & auditores in hoc regimine, quod prætendit Eccleſiæ vniuerſalis? Negare id non poteſt: ſemper enim Eccleſia omnis, ac præſertim Romana habuit ſuum Clerum proprium, hoc eſt, Cardinalem: & hic Clerus conſtituit collegium quoddam, ſeu cœtum Presbyterorum, quem Hieronymus vocat Senatum Eccleſiarum. Hieron. in Iſai. cap. 3. Quod collegium Ignatius facit Epiſcopi conſiliariorum, & ſanè iure diuino inſtitutorum, vt plenè habes ſuprà lib. 2. cap. 9. Nec potuit Pamelius non apertè fateri, Clerum Eccleſiæ Romanæ, quem Cornelius vocat ſuum Preſbyterium, tunc idem collegium fuiſſe eiuſdem officij, & auctoritatis, quod eſt nunc Cardinalium, & tamen Epiſcopos quoſcumque fuiſſe hoc Presbyterio ſuperiores. Cur igitur iſti, qui olim fuerunt veri Cardinales, veri Papæ conſiliarij, & in regimine adiutores, præcellentiam hanc ſupra Epiſcopos non prætenderunt? Immò, cur eam Diaconi Romani ſupra Romanos Presbyteros prætendentes à Patribus ſunt adeò reprehenſi, & correpti, vt tumori dumtaxat, & typho ſuperbiæ, fatuitatique, & ſtultitiæ, atque Phariſaico ſupercilio conatum illum, vt vidimus, tribuerint? Cur etiam omiſſis veris Cardinalibus, hoc eſt, vero, & proprio Romano Clero, nouum quendam ordinem Cardinalium externorum Papæ in ſuam Eccleſiam inuexerunt? Nonnè ipſius proprij Canonici, (re uera de Iure Cardinales) Eccleſiæ Lateranenſis, ſunt maximè proprij ipſius Conſiliarij?]

Nouitatem, addit, vrgemus, ac dolemus veros S.R.E. Cardinales ſua dignitate, & Spalat.n.36. auctoritate priuatos eſſe Canonicos Lateranenſes, & aliarum Eccleſiarum titulatos, ac proprios miniſtros, & in ipſorum locum aduentitios fuiſſe aſſumptos.] Sunt hæc valdè inuoluta, adeòque irarum, & veneni plena, ſed facilè ſit ſingula diſpungere.

Ad primum illud eius poſtulatum, vnde ſcilicet Cardinales nacti ſint tantam dignitatem, rectè omninò reſpondet illuſtriſſimus Cardinalis, indè eam conſecutos, quòd ſoli iam, & Electores, & Aſſeſſores, & Conſiliarij Pontificis habeantur.

Ad illud de pedum oſculis, reſpondemus omninò maiore cum faſtu à priuato Epiſcopo eum cultum negari Pontifici, quem ex recepta conſuetudine illi impendant reliqui Antiſtites, quàm à Pontifice exigatur. Et certum planè eſt ad typhum non eſſe eum cultum referendum, ſed ad Religionem, cuius intuitu, illo pedum oſculo cruci infixo ordinis ſui caput venerantur: Et quòd Cardinales diuerſo more obſequium præſtent omninò ad eam, de qua diximus, referendum eſt, Aug. ep. 18. dignitatem, qua Epiſcopos ſuperant, & *intimo-*

morum Pontificis, vt loquitur Bernardus, numero habentur. Cæterum inſolentiſſimæ inſaniæ eſſe contrà receptum in Eccleſia morem diſputare, diceret Auguſtinus. Ad quæſitum illud, vtrùm *Pontifex Romanus priſcis temporibus habuerit Conſiliarios, & Coadiutores in hoc regimine*.

Reſpondemus habuiſſe vtique, verùm promiſcuè in Senatum illum admiſſos omnis generis Eccleſiaſticos, non modò Cardinales, ſed & inferioris quoque ordinis miniſtros, quod cùm iam exciderit, & ad ſolos Cardinales reuocata ſit, ſenatoria illa dignitas; factum eſt, vt eximiùs illis honos haberi cæperit: quod pluribus perſequitur Bellarminus, de quo infrà.

Neque verò, quod ſuprà monuimus, Patres Faſtum Diaconorum Romanorum damnantes, Cardinales pungunt; illi enim cum nullo alio, quàm Diaconorum mero, ac ſimplici titulo effulgerent; propria auctoritate, adeòque citrà vllam Pontificis ſanctionem, inſolentiùs ſe ſuprà Presbyteros afferebant; quod non obſcurè innuit Hieronymus illa ad Euagrium Epiſtola aduerſario tantopere iactata, Cardinales verò lucem ſuam à luce Pontificis mutuantur, & hauriunt, eiuſque beneficio reliquis Eccleſiæ Miniſtris anteponuntur: Friuolum verò eſſe quod de Cardinalibus extrà propriam Eccleſiam rurſùm inculcat Spalatenſis, ſuprà oſtendimus, atque prioribus ſæculis propriè Cardinales habitos, qui in alienum Clerum cooptarentur oſtendimus. Quod vt locum non haberet, quemadmodùm Eccleſiæ Romanæ poteſtas quaquauerſum ſe fundit, ac Imperium illud ſpirituale terris æquat, ità quocumque loco agant celebriores illi eius miniſtri, (Cardinales intelligo) in ſummo precio haberi eos par eſt; quippè qui Pontificis, ac præcipuæ, & principaliores Eccleſiæ membra ſint. Habebunt intereà gratiam Spalatenſi Lateranenſes Canonici, quos ſubita hac, ac præpropera, ac imaginaria promotione Cardinales crearit, tantummodo curet reliqua præſtare, quæ ad fulciendam ſummam dignitatem planè ſint neceſſaria: hauquaquam tamen Eccleſiæ Principes tam facilè creantur, maioriſque ſit molis Romanam condere gentem. Vt autem Epiſcoporum vices dolenti ſatisfaciamus, etſi ſunt iam hæc ab alijs, potiſſimùm ab illuſtriſſimo Cardinali Bellarmino, quem immaniter vexat, atque à Hieronymo Plato pio, & eruditore Scriptore è Societate Ieſu, occupata, retexere non grauabimur tria illa officia, ac munera Cardinalium, quibus tota hæc diſputatio nititur. Sunt, inquit Platus, huius Magiſtratus triplicis generis officia. Primum quòd ſingulis Cardinalibus conuenit propter ordinem, in quo quiſque eſt: reliqua duo omnibus communia; alterum in Pontifice eligendo, alterum in eodem adiuuando. Nam cùm ſuprà dictum ſit, tres eſſe Cardinalium claſſes, quoniam alij Epiſcopi, alij Presbyteri, alij Diaconi, habent ſinguli ſua munera, eadem videlicet, quæ alij etiam Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi. Et quidem, quod attinet ad Epiſcopos, hoc etiam intelligendum eſt, morem olim fuiſſe in Eccleſia, eumque diutiſſimè ſeruatum, vt non alij eſſent Cardinales Epiſcopi, quàm illi ſeptem

Platus lib. de dign. & offic. Card. cap 4.

prius, poſteà verò ſex, qui ob locorum propinquitatem, ſimul, & Pontifici adeſſe, & ſuo tamen gregi non deeſſe poterant; alij verò aliarum ciuitatum Epiſcopi, numquam ad Cardinalatum promouerentur. Cuius ea cauſa erat, non ſolùm ne paſtoralem curam desererent, ſed etiam quia aliquamdiù, & quidem multo tempore, maior erat dignitas Epiſcoporum, quàm Cardinalium. Itaque potiùs ex Cardinalatu gradus erat ad Epiſcopatum, quàm contrà. Verùm adaucta deindè Cardinalium maieſtate, mutata ratio eſt, vt ex Epiſcopis, & quidem libenter, fierent Cardinales. Cuius quidem initium Iacobatius ad Clementem Quintum refert, ſcribens, Bonifacium Octauum ob hanc cauſam multos non feciſſe Cardinales; cùm id ipſe optaret, illique aptiſſimi eſſent; idque ipſum miratur, quo modo hoc illius hominis alioquin acutiſſimi ſolertiam fugerit. Quod ſanè nos miramur ab hoc auctore dici, cùm certum ſit, eum vſum aliquantò ante Clementem introductum, nimirùm circiter Alexandri Tertij tempora,

Lib. 1. de Concil. nu. 121.

Tunc enim Eccleſię temporalis dignitas, magnopere illuſtrata eſt, cum Federicus Ænobarbus Imperator fractus eſſet. Quare, quod quidem ſcriptis extet, primus omnium Conradus Archiepiſcopus Moguntinus Cardinalatu ornatus eſt, idque hac occaſione, vt quoniam à Federico ipſo ſua ſede eſſet exactus, compenſatione quadam fieret Epiſcopus Sabinus Cardinalis: qui deindè ſchiſmate ſublato ſuæ reſtitutus Eccleſiæ, nihilominùs Sabinam retinuit. Ex quo deindè cœpti ſunt, alij quoque Epiſcopi ad Cardinalatum euehi, verùm hactenùs quidem ad Epiſcopatus Cardinales tantummodò, id eſt, ad vnum, è ſex illis, qui fortè vacaret. Breui tamen illud etiam obrepſit, vt ex Epiſcopis non Cardinalibus, fierent Presbyteri Cardinales, quod à Clemente III. qui paulò poſt Alexandrum extitit, factum ſcimus in Epiſcopo Viterbienſi, itemque in Ariminenſi. In qua re vſque ad Clementem Quintum ſatis parcè progreſſi ſunt Romani Pontifices. Hic verò multò liberiùs id factitare cœpit, vt iam vix vllus Cardinalis crearetur, qui non vnum, interdùm etiam plures Epiſcopatus haberet. Sed hoc ſeruabant, vt Epiſcopi nomine depoſito, perpetuos ſe Eccleſiarum adminiſtratores appellarent, ſiue eas in commendam retinerent. Quæ vocabula eo tempore ſunt Auinioni introducta, vbi tum Pontificia ſedes hærebat. Atque hic ferè mos ad noſtra vſque tempora, vt videmus, durauit & ſi aliquantò parciùs, quàm illis temporibus fieret.

Quoniam igitur hoc iam paſſim receptum eſt, vt non modò, quia iam Epiſcopatum habent, Cardinales fiant, eius adminiſtratione retenta, ſed etiam Cardinalibus, qui non habent, eiuſmodi adminiſtratio committatur, vtriſque ſanè Epiſcopalia munera gerenda ſunt, non multò ſecùs, ac ſi Epiſcopi non Cardinales eſſent. Debent enim prouidere, vt ouium, quæ ſibi commiſſæ ſunt, ſaluti conſulatur, vt ſalubria eis pabula non deſint.

Itaque in Epiſcopis quidem, qui animarum curam gerant, nulla ferè, eſt facta mutatio. Maior facta in Presbyiteris Cardinalibus,

libus , & Diaconis , qui iam admodùm rarò propria exercent officia , niſi fortè in ſacrificando . At antiquitùs multa erant alia illorum propria . Nam Presbyteri Cardinales animarum , quæ in ſua parœcia eſſent , curam gerebant, miniſtrabant Sacramenta,habebant conciones , denique in ſuo quiſque titulo Paſtorum munus ſuſtinebant .

Diaconorum verò hoc in primis proprium erat , vt Pontifici aſſiſterent , Miſſam celebranti . Ex quo eſt illud Laurentij ad
1.Offic.c 41 Sixtum , quod narrat Sanctus Ambroſius; *Quò Sacerdos ſancte ſine Diacono properas ? Tu numquam ſine miniſtro ſacrificium offerre conſueueras .* Quo eodem loco alterum etiam Diaconi officium indicatur,diſtribuendę Eu-Euchariſtiæ populo , qui aderat . Sic enim ait ; *Cui commiſiſti conſummandorum conſortium ſacramentorum , huic conſortium ſanguinis tui negas?* Ad eoſdem etiam pertinebant intrà Miſſæ ſolemnia Euangelium pronunciare ,
Ep.48. quod apparet ex Hieronymi epiſtola ad Sabinianum . *Tu* , inquit, *exanguis , & pallidus Euangelium Chriſti quaſi Diaconus lectitabas .* Inſuper etiam Diaconorum partes erant baptizare, prædicare, reconciliare publicos pœnitentes: denique omnia præſtare , quæ Preſbyteri (excepta conſecratione, & Sacramento Confeſſionis) ſed abſentibus Sacerdotibus, vel eorum permiſſu . Nam quòd Diaconi Cardinales ad populum concionaren-
Lib.1.ep.41. tur, illud ſatis oſtendit , quod in vita B.Gregorij legitur, ipſum cùm adhuc in eo eſſet gradu , id aſſiduè , & diligenter factitaſſe. Illa tamen præcipua erat cura, vel vna ex præcipuis , vt fidelium eleemoſynas colligerent, & reliquas Eccleſiæ opes cuſtodirent , & adminiſtrarent, atque ex ijs viduas , & pupillos , & planè egenos omnes delectu, atque inquiſitione adhibita , ſubleuarent . Quod autem egregiè à Beato Laurentio pręſtitum eſſe, indicat Sanctus Leo , cum de illo ità
Serm. de S. Laurent. ſcribit; Qui,inquit, *non ſolùm miniſterio Sacramentorum , ſed etiam diſpenſatione Eccleſiaſticæ ſubſtantiæ præeminebat* . Et paulò poſt , *Quem ſi feciſſet ſacræ pecuniæ traditorem , itemque numeroſiſſimos Sanctorum pauperum obtulit greges, in quorum victu, atque inamiſſibiles condiderat facultates.* Atque hæc quidem adminiſtratio valdè erat eo tempore honorifica, & meritò; exigebat enim fidem , & integritatem,& prudentiam haud mediocrem. Quo factum eſt , vt hoc Diaconorum officium in Eccleſia Romana valdè eſſet illuſtre ; & honoratum . Accedebat etiam alia cauſa , quòd Pontifici ipſi propius aſſiſterent , ac miniſtrarent .

Itaq;eò etiam ventum eſt, vt nonnumquã ipſis quoq; Presbyteris ſeſe præferrent , quod apparet ex illoBernatdi loco ad Eugeniũ,vbi
S. Bern ard. ad Eugen. eos de hoc ipſo reprehendit.[Ridiculi,inquit, miniſtri veſtri (ſic enim Diaconos appellat) veſtris ſe compresbyteris anteferre conantur . Non hoc ratio habet, non antiquitas habuit, non conſentit auctoritas.Et ſi de ſua cõſuetudine calumnia ſtruitur , meliùs profectò illa , quàm ſummus ordo contemnitur. Friuolum tamen ſatis vndè id maximè obtinere volunt. Nos ſumus , inquiunt , qui in omni celebritate Domino Papæ coniunctiores aſſiſtimus, ſedenti propiores aſſidemus , priores ſequimur procedentem . Hoc totum non dignitatis priuilegium , ſed ſedulitatis debitum eſt, Diaconi nomen ſolemni ipſa adminiſtratione, interpretans . Denique Presbyteris ordinata proceſſione ambientibus , vos ad pedes ſedetis. Propiores aſſiſtitis , vt habeat paratiores .] Hæc S.Bernardus . Caue verò intelligas hæc officia ad Diaconos pertinuiſſe ex aduentitia Cardinalatus dignitate , cùm proculdubiò ex Diaconatu ipſo illa eis munera incumberet. Neque verò omnes Diaconi Cardinales erant , immò nec omnes Diaconi Papæ miniſtri , in Cardinalium numero cenſebantur. Sed quomodo etiamnum plures habet Pontifex miniſtros , & aſſeclas, qui tamen hac dignitate non effulgent, ità priſcis illis temporibus, haud dubium eſt multos habuiſſe , & Diaconos , & Presbyteros non Cardinales , qui ei adeſſent , ac ſacra operanti miniſtrarent.

Et ſuprà oſtendimus, Bernardum haudquaquam Diaconos Cardinales pugnere, ſed ſimplices , ac meros Diaconos , qui hoc vno nomine, quòd de familia eſſent Summi Pontificis, eique perpetuò aſteſſent , Presbyteris ſe anteferrent . Alterum eſt Cardinalium officium , quod diximus , ſummum totius Eccleſiæ Præſidem eligere; quæ quidem eſt actio omnium maxima , & præſtantiſſima, quæ à Cardinali obiri poſſint . Nam cùm in Eccleſia nulla maior altitudo cogitari poſſit ipſo Pontificatu , quod eſt ſublime , ac ſummum faſtigium inter Chriſtianos,profectò ſequitur, ne quidem maius eſſe poſſe negotium , quàm hunc ipſum Pontificatum alicui mandare , partemque aliquam habere in eo creando,qui cœlorum claues habeat , qui tot Chriſti Domini gregem eius loco , & cum eius poteſtate gubernet .

Hoc perpetuum , ac ſolemne fuit, vt Pontificem Cardinales, id eſt , ij quos nunc Cardinales vocamus,eligerent , ſed non ſoli, nam præter eos , reliquus etiam Clerus , atque adeò etiam Populus ipſe adhibeatur . Declarat hoc quidem Cypriani locus , vbi
de Cornelio ſcribens , qui anno 251. Pontificatum cœpit , expreſsè indicat, quæ tum eſſet formula horum comitiorum . Ait enim , [Cornelium factum eſſe Epiſcopum à plurimis Epiſcopis , qui tunc Romæ aderant , de Clericorum penè omnium teſtimonio, de plebis , quæ tunc affuit , ſuffragio , de Sacerdotum antiquorum , & bonorum virorum Collegio . Ex quibus Cypriani verbis , hoc intelligi licet, præter vrbanum Clerum , & populum , ſi qui fortè externi Epiſcopi adeſſent vt tum aderant ex Aphrica, eos quoque ad eligendum Pontificem admitti ſolitos . Atque hic quidem vſus viguit vſque ad annum circiter 530. quo tempore Iuſtinianus Imperator ad tollenda diſſidia , quæ ſæpè incidebant , hoc decreuit , vt Pontificis electio firma,& rata non eſſet, niſi Imperatoris etiam conſenſus accederet .

Lib.4.ep.2.

Itaque anno 590. cùm Romæ vna omnium ordinum voluntate Pontifex creatus eſſet, Magnus Gregorius, non tamen anteà conſecratus ſcribitur , quàm reſponſum à Mauritio Imperatore veniſſet , quod fuit poſt ſex menſes, etſi non interim Gregorius omitteret curam aliquam Eccleſiæ gerere , indictis aduersùs peſtilentiam Litanijs,& ſupplicationibus ,

nibus, alijſque eiuſmodi ſalutaribus decretis, pro loco & temporc. Sed hanc ſanè legem de Imperatoris aſſenſu expectando, etſi eum quem dixi, prætextum habebat; tamen Gregorius ipſe in cuiuſdam Pſalmi interpretatione iniuſtam, & iniquam, atque adeo tyrannicam appellat, & meritò, quoniam laicis Magiſtratibus nulla eiuſmodi poteſtas à Chriſto relicta eſt.

Pſal. 4. poenit.

Tenuit tamen per annos centum, & quinquaginta, id eſt, vſque ad annum Domini 684. quo tempore Cõſtantinus Quartus optimus Imperator, & Eccleſiæ defenſor acerrimus, antiquam reſtituit libertatem, Benedicto Secundo Pontifice, edicto miſſo, vt qui Romæ concordibus animis Pontifex eligeretur, ſtatim ſine Imperatoris auctoritate conſecrari poſſet, priore illo Iuſtiniani decreto abrogato, quod hactenùs fuerat ſemper ſeruatum, nec ſine ſumma neceſſitate prætermiſſum. Quæ quidem huius Principis ſanctio percommodè, perque opportunè accidit, ob eorum Imperatorum impietatem, qui poſtea ſequuti ſunt, vt Leonis, Copronymi, & aliorum, qui Eccleſiæ Catholicæ apertum bellum indixere. Poſtea verò cùm Romana Sedes Longobardorum armis premeretur, eaque à Gallis Regibus, quorum opem implorarat, ſtrenuè eſſet defenſa, primùm à Pipino, deindè etiam à Carolo Magno, ac præterea multis agris, & Vrbibus, & Prouincijs etiam integris ab iiſdem eſſet aucta, anno demùm 773. Hadrianus primus cum Concilio centum, & quinquaginta trium Epiſcoporum, præter cætera, hoc etiam iàm Carolo detuliſſe dicitur, vt Pontificis eligendi ius haberet, primùm vt eo honore gratiam tantis eius meritis, tum proprijs, tum etiam paternis, atque auitis rependeret. Deindè ad comprimendas populares contentiones, quæ in Pontificijs comitijs crebrò naſcebantur; cùm nemo Romæ eſſet tanta potentia, vt eas poſſet coercere Carolus tamen poteſtatem huiuſmodi numquam exercuiſſe legitur, ſiue quod in re, quam ad ſecularem Principem minimè pertinere nouerat, ſolita ſibi moderatione animi vtendum arbitraretur. Quare prior conſuetudo in creandis Pontificibus perſeuerauit. Itàque anno 867. cùm creatus eſſet Hadrianus ſecundus, ſtatimque conſecratus, ac de eo Ludouici ſecundi Imperatoris Legati, qui fortè aderant, expoſtulaſſent, reſponſum eſt eis, hoc ideò factum, ne ius aliquod Imperatori in Pontifice creando quæreretur; quod Ludouicus ipſe non ſolùm probauit, ſed etiam priuilegio antea conceſſo legitimè renunciauit, quæ renunciatio in ſacros Canones relata eſt. Nec ità multò poſt, ſeneſcentibus in Italia Gallicis viribus, hoc ipſum expreſſiùs ab Hadriano Tertio anno 884. conſtitutum eſt, cuius hoc decretum extat, vt Pontifex ſine Regis præſentia, vel Legatorum eius, conſecrari poſſit.

C. Hadr. d. 63.

C. Ego Ludouic. d. 63.

Deindè verò anno 963. cùm Ioannes XII. Pontificiam Sedem, quam Alberici patris potentia, & vi occuparat, vita peſſima, improbiſque moribus fœdare diceretur, Otho primus ex Germania Aduocatus, Concilio coacto curauit, vt eo depoſito, alter eligeretur. Electus Leo octauus, inter cætera, quæ ad Eccleſiam reformendam conſtituit, id etiam fuit, quo modo obſiſteret Romanis, qui aut minis, aut mercede Populum, Clerumque corrumpebant, vt ſeipſos, vel amicos, vel propinquos, ad Pontificatum proueherent, ex quo ſeditiones, & ſchiſmata, ac tetra ſcandala oriebantur. Viſum eſt autem non poſſe huic eorum inſolentiæ acriùs frænum inijci, quàm ſi ſuffragij ius, quo Populus Romanus in electione Pontificis vtebatur, in Imperatorem transferretur. Neque enim ea, quæ tum vigebant tempora, iàm ampliùs ferre poſſe videbantur Hadriani Tertij decretum, quo magna cum Eccleſiæ vtilitate, ac dignitate Pontificia comitia in priſtinam fuerant libertatem redacta. Quam ob cauſam idem Leo ius eligendi ſuum ſucceſſorem, ac ordinandi (ſic enim ait) ſummæ Sedis Apoſtolicæ Pontificem Othoni Imperatori, eiuſque in Regno Italiæ ſucceſſoribus tribuit. Atque hæc quoque facultas ſacris Canonibus inſerta eſt. Sed tamen non multò poſt, hoc eſt anno 972. rurſùs Pontifices creari cœpti ſunt, nulla Imperatoris ratione habita, eadem Romanorum vi, & ſeditione, quod cùm multorum malorum ſeges eſſet, anno 1047. Henrico II. Imperatore, ob eius item præſtantem pietatem, & merita, conceſſum eſt idem, quod Othoni, vt deinceps ſine ipſius auctoritate non crearetur Pontifex. Ex quo priuilegio is anno proximo, Clemente ſecundo mortuo, Popponem Brixienſem Epiſcopum Pontificem abs ſe factum, Romam miſit, qui Damaſus ſecundus dictus eſt. Cuius quidem celerrima mors opinionem in hominum animis ingenerauit, non placuiſſe Deo Pontificem electum ab Imperatore. Quare cùm hoc mortuo nihilominùs ille Brunonem Tullenſem Epiſcopum, qui Leo Nonus appellatus eſt, Pontificem feciſſet, hic quidem, & Damaſi exemplo, & Hildebrandi Monachi oratione deterritus, ne ſacroſanctam dignitatem prophani hominis arbitrio delatam iniret, in ipſo itinere purpuram, & Pontificia ornamenta ſtatim abiecit, ac peregrini habitu Romam ingreſſus, Cleri, Populique conſenſu, ad Petri Sedem euectus eſt.

C. In Synodo d. 63.

Quare, cùm Imperatores, nimiùm iàm ſibi ſumpſiſſent, Nicolaus II. anno 1059. omnem hanc eligendi rationem moderandam ratus, ità decreuit, vt electio præcipuè à Cardinalibus peragerctur. Deindè reliquus Clerus, ac Populus ad eam comprobandam accederet, ſaluo tamen, inquit, honore, & reuerentia Henrici. Quare, hoc primùm tempore, totum eligendi ius Cardinalibus conceſſum eſt, ſic tamen vt adhùc ratio aliqua haberetur, tum reliqui populi, tum Imperatoris. Et tamen biennio poſt, Nicolao mortuo, legimus Alexandrum II. nulla Henrici, qui tum erat Tertij auctoritate, tum electum, tum etiam conſecratum, quæ fuit cauſa, vt indignatus Henricus, habito Baſileæ conuentu, Carolum Parmenſem Epiſcopum Pontificem renuntiaret, ex quo turpe ſchiſma exortum eſt. Et cùm paulò poſt Legatum Romam miſiſſet, vt de hoc Pontificem accuſaret, ità eis ſatisfactum eſt, quoniam propter imminentem diſſenſionem non potuiſſet diutiùs expectare. Quare, de Gregorio ſeptimo, magno planè viro, qui huic Alexandro ſucceſſit, ità accepimus non priùs conſecrationem

Digitized by Google

nem admiſiſſe, quàm miſſis ad Henricum Legatis, illius quoque voluntatem exploratam habuerit. Cæterùm in huius Pontificis electione, cuius adhùc decretum extat, ſatis apparet, quæ tunc eſſet formula in eligendo. Sic enim habet: [Nos ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, Clerici, Acolythi, Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri, præſentibus venerabilibus Epiſcopis, Abbatibus, & Monachis, conſentientibus pluribus turbis vtriuſque Ordinis, eligimus nobis in Summum Pontificem Hildebrandum Archidiaconum,] & reliqua, quæ multa in eius laudem ſequuntur. Ex quo apparet, adhùc præter Cardinales hoc tempore alios etiam ad electionem admiſſos.

Lib. 9. de Reg. Ital.

Quod etiam apertiùs cognoſci poteſt ex eo, quod ſcriptum eſt, tum ab alijs, tum à Sigonio, cum Victor III. in Caſſinati cœnobio diem obijſſet, anno 1088. Epiſcopos, qui conuenerant, admonuiſſe Romanos Clericos, laicoſque; itemque Appulos, & Campanos Antiſtites, vt certò tempore Terracinæ adeſſent, ad nouum Pontificem creandum, qui verò adeſſe non poſſent, literis, aut nuncijs iudicium ſuum exponerent. Itàque aduenìſſe eò Cardinales, & Epiſcopos, & Abbates ex varijs Regionibus, at verò ex Romana Vrbe Ioannem Portuenſem Epiſcopum omnium Clericorum. Benedictum verò Vrbis Præfectum omnium laicorum ſententiam per literas attuliſſe: quibus quidem comitijs Vrbanus ſecundus Pontifex eſt renunciatus. Quare, hæc adhùc erat eligendi Pontificis ratio, fuitque vſque ad Alexandrum Tertium, qui Pontificatum inijt, anno 1159. geſſitque vno, & viginti annis tempore fœdi ſchiſmatis. Quare, vt primùm ex magno calamitatum concurſu, quibus Eccleſia laborabat, reſpi-

Cap. licet extra de elect.

tare potuit, his ipſis incommodis admonitus, Concilium Lateranenſe aduocauit, in quo trecenti Epiſcopi, alijque complures Prælati, affuerunt. In eo igitur Concilio decretum condidit, quo totum eligendi ius in Cardinales translatum eſt, Clero reliquo, & Populo, atque etiam Imperatore excluſo Neque hoc ſolùm, vt Cardinales ſoli, ſed etiam vt duæ tertiæ partes Cardinalium requirerentur. Ea qua formula primus omnium Lucius Tertius creatus, cuius electionis diploma vidiſſe ſe teſtatur Onuphrius.

C. Vbi periculum de elect. in 6.

Clem. Ne Rom. de elect.

Idemque deindè confirmatum eſt à Gregorio X. in Concilio Lugdunenſi anno 1284. itemque à Clemente V. magis corroboratum. Quæ quidem formula adhuc in vſu eſt, ſemperque his totis quingentis annis durauit, quod ſatis magnum poteſt eſſe argumentum, hunc eſſe optimum, & commodiſſimum modum, quando numquam ampliùs variatum videmus, ex quo ſemel eſt receptus, cùm priores omnes modi inſtabiles fuerint, nec diu in vllo perſeueratum. Quod etiam alio argumento confirmari poteſt; Nam cùm antè Alexandrum Tertium ſex, & viginti ſchiſmata inueniantur, his deindè iàm quinque ſeculis vix tria extitere, atque ex his tribus vnum tantùm Vrbani Sexti Cardinalium culpa. Nam alia duo, alterum, quod tempore Ioannis XII. extitit, ab Imperatore Ludouico excitatum eſt, alterum, quod tempore Eugenij Quarti à Concilio Baſilienſi. Quare, non ratio ſolùm, ſed ipſa quoque experientia ſatis demonſtrauit, nullam meliorem, commodioremue formam excogitari potuiſſe. Hæc igitur de eligendi poteſtate.

Reſtat tertium munus, quod conſiſtit in conſilijs Pontifici dandis, cuius etiam muneris explicanda eſt origo. Nam anteà quidem per annos circiter octingentos, hoc faciebant Pontifices, vt ad grauiora negotia conſultanda cogerent Concilia, quæ vocabant nationalia, ideſt Italicorum Epiſcoporum, quibus tamen Concilijs, etiam Presbyteri Cardinales intererant, vt apparet in Synodo Gregorij, quæ eſt inter eius epiſtolas. Lib. 4. c. 88. In ea enim poſt Epiſcoporum nomina, vrbanorum etiam Presbyterorum nomina leguntur. Sed cùm auctis Eccleſiæ opibus, & inſuper acceſſione temporalis Principatus, cœpiſſet Pontifex in ſingulos dies egere Conſiliarijs, & adiutoribus; nec poſſent tam ſæpè euocari Epiſcopi, Concilia illa paulatim omiſſa ſunt, reſque tota redacta ad Senatum Cardinalium. Atque hoc ſanè multò commodiùs. Primùm enim, hi magis in promptu, & ad manum, deindè etiam, vt neceſſe eſt, cùm in his negotiis aſſiduè verſentur, magis eorum ſtatum norunt, quod ad Conſilium dandum magnoperè confert, poſtrema illa Epiſcoporum euocatio non fieri poterat ſine magno, & crebrò ſuarum Diœceſum detrimento. Hæ igitur ſunt partes Cardinalium, hoc officium, vt quoniam vnius hominis mens, & conſilium, nullo modo tantæ moli ſuſtinendæ par eſſe poteſt, addantur aliqui, qui in tanto, tamque laborioſo, & difficili opere Pontificem adiuuent, & ſubleuent. Itàque non poteſt meliùs deſcribi hoc eorum C. Fund. de Elect. in 6. officium, quàm deſcriptum eſt in ſacro quodam Canone, vbi appellantur principales aſſeſſores, Conſiliarij, & in exequutione principales officij cooperatores. Quod etiam voluit S. Bernardus, cùm eos vocat Pontificis 4. de Confider. *collaterales, & coadiutores*. Quod ſi ità eſt, facilè apparet, illud ſequi, vt quàm latè patet Summi Pontificis cura, tam etiam latè patere oporteat Cardinalium pro ſua parte ſtudium, ac vigilantiam. Hactenùs Platus. Meritò autem horum munerum prærogatiuam ad Cardinales reuocatam, ſummam illis conciliaſſe dignitatem, ſolidiſſimis rationibus euincit Bellarminus, quas tamen impugnandas ſuſcepit. Audiamus primùm illuſtriſſimum Spal. n. 37. Cardinalem, demùm dabitur pſeudo-Epiſcopo diſputandi locus. Sic igitur Bellarminus. [Sed huius mutationis, duplex ratio aſſignari poteſt; vna quòd ad ſolos Cardinales deuoluta ſit electio Summi Pontificis; nam quo tempore Pontifices eligebant Imperatores, vel Clerus, vel Populus, non eſt mirùm, ſi non tanti fierent Cardinales. At poſteaquam cœperunt ſoli ipſi eligere, & etiam ſoli ipſi, vt plurimùm eligi; non ſine cauſa cœpit dignitas Cardinalitia pluris fieri, quàm anteà. Altera cauſa eſt, quòd ſoli Cardinales cœperint adeſſe Summo Pontifici in conſilijs; nam anteà Cardinales neque ſoli, neque Primarij Conſiliarij Pontificis erant: ſiquidem primis ſexcentis, vel octingentis annis, Summi Pontifices ad grauiora negotia Eccleſiæ dijudicanda, cogebant Concilia Nationalia Epiſcoporum Italiæ: quibus Concilijs inte-

rerant quidem Cardinales Presbyteri; ſed tum primus locus Epiſcoporum erat. Quoniam non erat ratio, cur eo tempore Cardinales Presbyteri Epiſcopis anteponerentur, cùm eo tempore non minùs, immò magis Pontificem iuuarent in Eccleſia vniuerſali regenda Epiſcopi, quàm Cardinales. At poſteà creuerunt negotia Eccleſię Romanæ, præſertim cùm acceſſiſſet Principatus temporalis tempore Pipini, & Caroli Magni, proindè egebat Summus Pontifex Conſiliariorum ope multò ſepiùs, quàm anteà. Neque poterat tam ſæpè conuocare Concilia Epiſcoporum, quàm neceſſe erat. Itàque vſu docente, & neceſſitate cogente his poſtremis annis ſexcentis, vel ſeptingentis cœperunt paulatim omitti Concilia Epiſcopalia; & res tota redigi ad Senatum Cardinalium. Potuiſſe autem hoc fieri, & rectè factum eſſe, in dubium reuocari non poteſt. Nam non tenetur Pontifex hos potiùs, quàm illos in conſilium adhibere. Deindè hac ratione multa commoda conſecuta ſunt. Primùm, quòd habeat nunc Summus Pontifex Senatum in promptu; ità vt poſsit etiam ſingulis diebus, ſi velit, de rebus grauiſſimis deliberare. Alterum, quòd hoc faciat ſine detrimento Eccleſiarum particularium; nec enim poſſent Concilia Epiſcoporum ſæpè cogi ſine detrimento Eccleſiarum, quibus abſentia paſtorum pernicioſa eſt. Tertium, quòd habeat Conſiliarios magis inſtructos, & exercitatos, cùm hæc ſola, & aſſiduè tractent. Facta autem legitimè hac mutatione conſilij Pontificij, ab Epiſcopis, & Cardinalibus, ad ſolos Cardinales, mirùm eſſe non debet, ſi etiam facta eſt mutatio dignitatum.]

Spalat. n. 38. Prodeat igitur Spalatenſis, & ſtraminea ſua argumenta ipſe explicet: [His tamen, inquit, omnibus nihil efficit Bellarminus, nihil obtinet; ſed potiùs ſuo ſe iugulat gladio. Indè, inquit, excreuit Cardinalitia dignitas, quòd iam pauciores ſint Papæ electores. Si iſte electoratus dat dignitatem, profectò eandem dabit, ſiue ſint pauci, ſiue plures; neque creſcit dignitas in ſe, vbi ad pauciores redigitur; neque in ſe minuitur, ſi in pluribus reperiatur; niſi in ſola hominum opinione, & æſtimatione. Idem itàque aſſerendum nunc eſt de dignitate Cardinalitia, quod aſſerebat Hieronymus de Diaconis Romanis, tunc pluris factis quàm fierent Presbyteri: Quia, inquit, omne, quod rarum eſt plus appetitur: Puegium apud Indos pipere, pretioſius eſt, Diaconos paucitas honorabiles, Presbyteros turba contemptibiles facit. Ità ſanè, fatente Bellarmino illuſtriſſimo Cardinali, & ſuum Cardinalatum, quem poſteà habuit, præclarè defendente; ex ſola paucitate, non ex ſe, aut ex proprio gradu, nunc Cardinalatus Epiſcopatui præfertur; cùm tamen reuera in ſe, & ex ſe Epiſcopatus longè Cardinalatui præferatur. Sicut reuera tempore Hieronymi Presbyteratus Romanus, ex ſe, & de ſe, longè dignior eſſet Diaconatu; quare, & tandem ſuam ſuprà Diaconos obtinuit dignitatem. Ego ſanè pluris meritò facio piper, quàm pulegium, tametſi in India ob paucitatem pluris fiat pulegium. Sed de electoribus Papæ agam inferiùs ſuo capite peculiari; oſtendamque contra ius, & contrà fas, toti reliquo Clero Romano ereptam eſſe ſuam propriam, quam radicatiſſimam habet facultatem ſui Epiſcopi eligendi, & ad paucos æquiuocè ſic dictos Cardinales redactam.

[Sunt, inquit, Papæ Conſiliarij Domini Cardinales. Certè de iure, vt monui, ipſius Conſiliarij ſunt Canonici, potiſſimùm Lateranenſes; Quorum iudicio (vt loquitur Benno Cardinalis) ex priuilegio ſanctæ Sedis, totus ſubiacet Mundus, & omnes titulati Presbyteri, qui ſint veri Miniſtri Eccleſiaſtici in Romana Vrbe; & non hi fictitij Cardinales. Sed ſint quantumuis Conſiliarij, non video, cur ad tantam dignitatem etiam ſuprà Epiſcopos ſint euehendi. Conſiliarius enim, cuius conſilio ſolo, & non ſuffragio, fiat deliberatio, nunquam tantam aſſequitur dignitatem, vt inde duntaxat præferri poſſit iis, qui aliqua dignitate cum poteſtate propria ordinaria emineant; præſertim verò, quòd Epiſcopus Romanus, vt Epiſcopus, extra propriam Eccleſiam, nihil habeat poteſtatis, aut iuriſdictionis; quare & ipſius Cardinales Conſiliarij ordinarij non ſunt, niſi in ſolo regimine particularis Eccleſiæ. Aut ſi loquamur de iure ipſius Metropolitico, vel Patriarchali, Cardinales, prout ipſius Conſiliarij, vel pro ſola Romana Prouincia, vel etiam ad Summum pro toto, ſed ſolo Romano Patriarchatu; & non niſi in ijs, quæ Metropoliticum, vel Patriarchale ius ſpectant: Ad vniuerſale verò regimen, neque Romanus Epiſcopus poteſt extendi, neque conſequenter eius Conſiliarij proprij, nimirùm ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales ſuis pertingunt conſilijs. Epiſcopi verò omnes, & ſinguli ſunt totius Eccleſiæ ordinarij Conſiliarij (quorum vnus, & ipſe Papa eſt) ad regimen vniuerſale totius Eccleſiæ vniuerſalis in Concilijs generalibus; cum ſuffragio deciſiuo etiam, vt oſtendam libro ſeptimo, non modo conſultiuo. Quo nomine neceſſe eſt, eos Cardinalibus Romanis, qui tali carent ſuffragio, longè antecellere. Et in veris officijs Cardinalium, ſuprà num. 22. & 24. non fuit aguitum hoc officium, vt ſint Conſiliarij in regimine Eccleſiæ vniuerſalis, quod regimen in Papa, vt diximus, nullum eſt.] Spalat. n. 39.

Sed ſunt iſta futilitatis pleniſſima: primùm enim liquidò conſtat, officia, ac munera, quæ in communitate reſiderent, ad certos aliquos miniſtros reuocata, eximiam aliquam illis ſolere conciliare dignitatem; non ob paucitatem modò, quam vnam vrget Spalatenſis; ſed ob gradus, ad quem, præeunte virtute, ac bonis artibus euecti ſint, eminentiam, ac præſtantiam; Neque enim exiguus is eſt honos, delectu, potiſſimùm eius, penès quem ſit rerum ſumma poteſtas, reliquas ante haberi, quare cùm alijs miniſtris repudiatis vnos Cardinales in Concilium adhibendos cenſuerit Summus Pontifex, ac ſolos ſuos Electores, ac Eccleſiæ vniuerſæ Rectores eſſe iuſſerit, quod vtique, vt rectè aduertit Bellarminus, facere potuit, haud mirum eſt ad hoc honoris faſtigium aſſurrexiſſe eos, à quo eos non deiecerit pſeudo-Antiſtes, cuius nulla ſit his in rebus auctoritas. Iniquiùs igitur eos cum Diaconis Romanis, quos ſuggillauit Hieronymus, componit:

nam

nam præter vnam paucitatem, quæ apud vulgus aliquam illis conciliaret gratiam, nullo loco, nullo ordine erant in Eccleſia, cuius intuitu Presbyteris anteferri deberent: proptereà illud de pulegio, & pipere in eos contorquet Hieronymus. At Cardinales, præterquamquòd numero pauci ſunt, ſi cum reliqua turba Miniſtrorum conferantur, dignitatis, adeòque auctoritatis in adminiſtranda vniuerſa Eccleſia fulgore clareſcunt. Neque erat, quòd de gradu eos deijceret Spalatenſis, vt Lateranenſes ſuos, quos vana oratione palpat, in eorum locum ſufficeret: neque enim, vt monui, tam facilè Cardinales creantur, & planè Pontificis eſt, aſſeſſores, & Conſiliarios, quos velit ſibi deligere. Demùm in eo hallucinatur Spalatenſis, quòd Cardinales Pontificis aſſeſſores ius ſuffragij habere negat, melius Bernardus non ſolùm Conſiliarios eos, ſed Iudices Orbis facit. Ac poſtremò, vt Illuſtriſſimum ordinem affligat, perperam cauillatur extra priuatam Eccleſiam Romanam, vel ſaltem extra Metropolim, aut Patriarchatum haudquaquam ſeſe fundere Pontificis poteſtatem, quam tamen totum terrarum Orbem complexam ſuprà oſtendimus, ac euicimus, profligatis, ac depulſis vaniſſimis argumentis, quibus orthodoxam ſententiam conuellere niſus ſit aduerſarius. Veriſſimè eſt à Philoſopho dictum, dato vno abſurdo, ſequi plurima. Sic enim, quòd Pontificem ſpectabilis Eccleſiæ capitis loco non habeat, in varios errores incurrit, qui ex impuro illo fonte profluant.

Spalat.n.40. Sed audiamus reliqua: [Eſt verò, inquit, illud maximè deplorandum, quòd trophæi loco commemorat Bellarminus, ſuppreſſa iam eſſe conſilia opera Romanorum Pontificum, & in eorum locum Cardinalium ſolùm inductum eſſe Romæ Conſiſtorium. In rebus ſanè ad ſolam Eccleſiam Romanam, vel Diœceſim pertinentibus, immò etiam publicis aliarum Eccleſiarum, ſed minoris momenti, vbi requireretur ipſius conſilium, vel aſſenſus, conſueuit olim Romanus Pontif. ſuum Clerum congregare, & ſimul cum illo deliberare; & hoc erat ipſum verum antiquum Conſiſtorium, cuius mutatio mala eſt, maximè reprehendenda, quia inſignem continet iniuriam veri Cleri Romani Cardinalis: In grauioribus autem negotijs fuit ſemper mos, vt Synodos maiores, vel minores cogeret ipſe Papa ſuorum Epiſcoporum; & ſimul cum ipſis ad ſuffragia ipſorum deciſiua rem definiret, & iudicia exerceret; in quibus, vt vidimus ſupra, & libro octauo declarabo, etiam Cardinales ipſos Romanos, Epiſcopi iudicabant. In quibus Synodis, vt fatetur Bellarminus, & nos ſuprà oſtendimus, intererant quidem Presbyteri Romani Cardinales, ſed tamen primus locus Epiſcoporum erat, & vbi ſuffragijs negotium eſſet decidendum, ſoli Epiſcopi ſuffragium ferebant, vt oſtendam libro ſeptimo. Et proptereà Innocentius II. in damnatione quadam hæreticorum: [Communicato, inquit, fratrum noſtrorum Epiſcoporum Cardinalium conſilio, damnauimus, &c. In talibus igitur negotijs Epiſcoporum tantùm Cardinalium conſilio vtendum fuit, & non totius Conſiſtorij. Et quæ ratio eſt, vt quando multi erant Conſiliarij,

Inter epiſt. Ber.ep.194.

& non ſoli Cardinales, ſed etiam Epiſcopi; tunc Cardinalitia dignitas eſſet inferioris ordinis: poſteà quando ſoli Cardinales facti ſunt Conſiliarij, illa creuerit, & Epiſcopos deiecerit? An paucitas? Sed paucitas, vt iam diximus, rem in ſe digniorem non facit. Synodorum tamen, & Epiſcopalium Conuentuum vſus Romæ abolitus eſt, & Cardinalium non Epiſcoporum Conſiſtorium à Papis eſt ſubſtitutum, vt iam ſoli omnia negotia, tamquam abſoluti Monarchæ peragerent: & ad ſpeciem tantùm, externamque ſolam Synodi formam, Conſiliarijs abſque vllo deciſiuo ſuffragio vterentur: & interim ipſi Pontifices, quod ipſis lubet, facerent; nam ſi Epiſcopos Synodaliter adhiberent, non quod voluntas, aut libido Papæ conatur, ſed quod plura ſuffragia Epiſcoporum ſtatuerent, id eſſet peragendum. Iam verò ſolus Papa cum Cardinalibus ipſius aſſentatoribus, non Conſiliarijs, ſi Deo placet, Catholica vocatur Eccleſia. O miſera tempora!]

Sed ò miſerum hominem, infœlicemque declamatorem, qui non aduertit leuiſſimis iſtis obiectionibus à Bellarmino occurſum, & ſatisfactum.

Repetamus ex ſuperioribus: [Hac ratione, inquit Bellarminus, multa commoda conſecuta ſunt. De Cleric. lib.1.cap.16

Primùm, quòd habeat nunc Summus Pontifex Senatum in promptu: ità vt poſſit etiam ſingulis diebus, ſi velit, de rebus grauiſſimis deliberare.

Alterum, quòd hoc faciat ſine detrimento Eccleſiarum particularium, nec enim poſſent Concilia Epiſcoporum ſæpè cogi ſine detrimento Eccleſiarum, quibus abſentia paſtorum perniciosa eſt.

Tertium, quòd habeat Conſiliarios magis inſtructos, & exercitatos, cùm hæc ſola, & aſſiduè tractent: facta autem legitimè hac mutatione conſilij Pontificij, ab Epiſcopis, & Cardinalibus ad ſolos Cardinales, mirum eſſe non debet, ſi etiam facta eſt mutatio dignitatum.] Non igitur Trophæi loco ducit Bellarm. ſuppreſſa Epiſcoporũ Concilia, quod Spalatenſis blaterat; ſed ad Cardinalium Collegium, quod etiam Epiſcopis conſtat, ea magno Eccleſiæ bono reuocata; optimis rationibus contendit.

Sed vellicat eas Spalatenſis. [Quid verò inquit, tibi videtur, Lector, de illa Bellarmini cauſa, cur Cardinales ſint maiores Epiſcopis: quia nimirùm creuerunt negotia Eccleſiæ Romanæ, præſertim cùm acceſſiſſet Principatus temporalis? Verè enim Cardinalitia dignitas, ex dominio temporali Papæ plurimùm aucta eſt, & Principatus tẽporalis Papæ allicit etiam Regum, & Principum magnorũ filios, vt fiant Cardinales, hoc eſt, vnius magni Principis temporalis fermè ſocij, & eiuſdem Principatus candidati. Cur ergo inter Eccleſiaſticos viros, in ordine Eccleſiaſtico, illos reponimus? Cur Epiſcopis Eccleſiaſtica vera poteſtate, & Primatu ſpirituali verò præcellentibus, propter Laicum; & temporalem Primatum, Cardinales præferimus? Non eſt profectò, cur hinc Eccleſiaſticæ Hierarchiæ Cardinales annumeremus. Si Papa, vt vult Bellarminus, Synodos debuit vitare, ob incommoda Epiſcoporum, & difficultates

Spalat.n.41.

eos congregandi, & ſolos nihilominùs voluit habere Conſiliarios ad eorum conſilia accipienda: habebat Canonicos Lateranenſes: habet præcipuos Romanarum Eccleſiarum titulatos. eos adhibeat in Conſiſtorium. Lateranenſis Eccleſiæ Clerici ſunt perpetui, antiquiſſimi, ac genuini ipſius Conſiliarij, ex ipſis conficiat ſuum Senatum, qui verè ſunt Senatus Eccleſiæ Romanæ;& licèt Clerus Romanus ſit copioſus, quis vetat præcipuos tantum interdùm aſſumere, & maiores ſui Cleri dignitates aduocare: putà Archipreſbyteros, Diaconos, & ipſa Collegiatarum Eccleſiarum capita, Archidiaconum, Primicerium, & ſimiles Eccleſiæ Romanæ dignitates, primoſque ſingularum Eccleſiarum Cardinalium titulatos; veros tamen, & reuera ſua officia exercentes? Sic enim non excederet numerum Cardinalium,& ex proprio Clero haberet in promptu, quos conſulat, & quibuſcum deliberet, quique vſu continuato, & idonei optimè fierent, & inſtructiſſimi. Nunc verò, bone Deus, quota pars Cardinalium Eccleſiaſtico proprio muneri apta eſt? De noſtris temporibus ego taceo: de ſuis temporibus loquatur Platina. *In Steph. 3.* Nunc verò, inquit, adeò refrixit pietas, & religio; non dico nudis pedibus, ſed caligati, & cothurnati vix ſupplicare dignantur,non flent inter eundem, vel dum ſacrificatur, vt illi ſancti Patres; ſed rident, & quidem impudenter: De ijs etiam loquor, quos purpura inſigniores facit; non hymnos canunt, id enim ſeruile videtur; ſed iocos, & fabulas ad riſum concitandum inter ſe narrant. Quid plura? Quò quis dicacior eſt, & petulantior, eò maiorem in tam corruptis moribus laudem meretur. Seueros, & graues viros reformidat hic noſter Clerus. *Idem in Gregor. 4.* Quid ità? Quia in tanta licentia malunt viuere, quàm benè monenti, aut cogenti obtemperare; & ob eam rem Christiana religio quotidie in peius labitur.]

Et rursùs idem; [Noſtris, inquit, temporibus in omnem luxum, & libidinem ſeſe effundit Eccleſiaſticus ordo. Coccinatos, & trabeatos nunc inſpiceres,non homines, quod leue fortaſsè videretur, ſed equos, & iumenta; præcedente, dum incedunt, magno adoleſcentum, & altero Presbyterorum agmine ſubſequente; non in aſinis, vt Chriſtus noſtri dogmatis auctor, & benè viuendi vnicum in terris exemplar; ſed in equis præferocibus, & phaleratis, ac ſi ex hoſte deuicto triumphum ducerent. De argenteis vaſis, & egregia eorum ſuppellectili, deque cibarijs, non attinet dicere, cùm & Siculæ dapes, & Attalica ornamenta, & vaſa Corinthia, ſi hæc inſpicias, nulli pretij dici poſſint. Quid verò ex hac intemperantia naſcatur, prætermittam; ne os, (vt ipſi aiunt) in cœlum ponam. Non opus eſt,me dicere de concinatis noſtris, qui, & quidem pauci, Eccleſiaſticos redditus tantos in ſuas delitias inſumunt ſoli, quantis mille credo, Epiſcopi, in Eccleſia Chriſti egregiè laborantes commodè alerentur. Quæ ſanè immenſa pecunia in Cardinalium inutilium luxus, ex Chriſti patrimonio inutiliter impenſa, tota alioquin poſſet in pauperes, vel in tyrannorum infidelium Chriſtiani nominis preſſorum debellationem, fideique noſtræ propagationem cum fructu incredibili & ſcandalorum maximorum amotione impendi; & nihilominùs interim Senatus verus Cleri Romani, iam in ſuis firmis redditibus prouiſi retineri. Quod verò ait Bellarminus, Epiſcopos iudicari à Cardinalibus: verum non eſt, niſi per abuſum, vt oſtendetur lib. 8. quod ait ſimiliter, Epiſcopos à Cardinalibus fieri, falſum eſt: vt lib. 3. iam eſt declaratum: niſi per ſummam Romanæ Curiæ vſurpationem.]

Diceres; nec Epiſcopos, nec Presbyteros, nec Diaconos eſſe Cardinales, ſed meros Laicos, qui in Eccleſiaſticorum Miniſtrorum iura inuolarint, quod quàm ſit à veritate alienum, nec ipſum Spalatenſem fugit: Namque ex omnibus illis ordinibus aſſumuntur, vt eſt ſuprà à nobis declaratum. Quòd ſi viris Eccleſiaſticis res temporales curare non licere exiſtimat, planè fallitur, & homo Græcis addictiſſimus meminiſſe debuit, perquam familiare ſemper extitiſſe, vt Epiſcopi ciuilia munera, & officia pertractarent, adeòque rempublicam ipſam adminiſtrarent, teſtis nobis Balſamon: *Balſam in can. 4. Chalcedonen.* [Iam verò, ait, ciuitatis Epiſcopum oportet, inquit, Canon Monaſteriorum curam gerere. Nota ergo, quòd Monachi illic perſeuerare, & permanere debent, vbi nuntium ſeculo remiſerunt, ſeu tonſi fuerunt, & quòd ex permiſſione Epiſcopi poſſunt Monachi, non ſolùm Eccleſiaſtica negotia adminiſtrare, ſed etiam, quæ ad vitam pertinent, hoc eſt, ciuilia. Si autem hoc poteſt facere Epiſcopalis permiſſio, id multò magis faciet poteſtas Imperialis, quæ etiam Epiſcopos promouet. Proptereà enim, vt eſt conſentaneum, ille etiam Metropolitanus Sides, abſque vllo impedimento Imperij negotia adminiſtrabat, in perſona Imperatoris Domini Michael Ducæ. Quin, & ille Neocæſareæ Metropolitanus, maritima ciuitatis iura conſcripſit: & alij etiam Antiſtites, & Monachi Imperatoria, & publica miniſteria ſimiliter exercuerunt.]

Quantò magis igitur licuit Pontifici patrimonium Petri, vt vocant, additas potiſſimùm beneficio Regum noſtrorum Eccleſiæ terras, prædia, & Vrbes Cardinalibus committere, ac cum dignitate procurandas tradere.

Cæterùm Bellarminus temporalem illum Principatum cauſam non facit præciſam attributæ Cardinalibus dignitatis; ſed occaſionem duntaxat fuiſſe innuit, qua permoti Pontifices, aliarum cauſarum, quæ præcipuæ eſſent, rationem habuerint. Addo etiam aliam longè maiorem fuiſſe occaſionem Pontifici deligendi, ac inſtituendi huius illuſtriſſimi Conſiſtorij, ac Senatus, namque cùm Photij Cathedræ Conſtantinopolitanæ vſurpatoris nefandiſſimi improbis artibus, dirum, ac fatale, vt ità dicam, ſchiſma inter Orientem, & Occidentem inualuiſſet, ac Eccleſiam Græcam à Latina, iniuſta ei hæreſeos labe omninò abalienaſſet, nec ſpes vlla ampliùs foret in Concilium cogendorum totius Orbis Epiſcoporum, cogitarunt Pontifices de colligendis huius naufragi reliquijs, ac vt Orbi minimè deeſſent, ex ſingulis Regnis, & Prouincijs ſummos viros ſibi deligendos duxerant, quos in ſuum Senatum adlegerent,

quo-

quorumque opera, & conſilio in tractandis, ac abſoluendis omnium Regnorum negotijs opera vterentur. Cœpit igitur circa illa tempora Photij illuſtriſſimus ordo, maiore in pretio haberi, quòd ad eum regiminis Eccleſiaſtici ſub Pontifice ſumma penè poteſtas eſſet reuocata. Propterea nugatur Spalatenſis, qui dignitatis Cardinalitiæ fulgorem vni poteſtati temporali, cuius occaſione nata ſit, aſcribit. Quòd verò conqueritur magna iniuria Epiſcoporum acceſſione illius dignitatis his antepoſitos eſſe, quibus anteà poſthaberentur, nimiùm friuolum eſt; licuiſſe enim Pontifici eam mutationem inducere, vident omnes, qui de iure Pontificio rectè ſentiunt. Equidem ſi quod mentitur Spalatenſis, meri Laici eſſent Cardinales, haud ægrè concederèmus; citra iniuriam non potuiſſe ſanctiſſimis ordinibus Diaconorum, Presbyterorum, & Epiſcoporum anteferri, ſed cùm de ſinu ipſo horum ordinum aſſumantur, vel ſaltem poſteà in eos initientur, tantum abeſt hac ratione dehoneſtari Epiſcopatum, Presbyteratum, aut Diaconatum, vt etiam illis aliquam honoris acceſſionem fieri perſpicuum ſit, ac manifeſtum, quando ex illis aſſumuntur, qui in apice, & faſtigio conſiſtant dignitatum Eccleſiaſticarum.

De Diac. c.4 in ſchol ad ca. 7. habitæ in Trullo. Adde verò nec nouum, nec inſolens eſſe, vt eximia aliqua, ac ſingulari dignitate, tùm in Eccleſia, tùm in aula ornati, ac inſigniti, quamquam nullo Epiſcopali titulo claris ipſis Epiſcopis ex priuilegio anteponantur.

Sic Chartophylaci, ſeu Chartulario magnæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, is olim delatus honos, vt antè Epiſcopos in exteris Concilijs ſederet; ſic enim de eo Hermænopelus: [Sciendum, ſoli maioris (*Conſtantinopoli ſcilicet, hoc eſt ſanctæ Dei ſapientiæ*) Eccleſiæ Chartulario conceſſum eſſe, tùm ex longa conſuetudine, tùm ex ſcripto iuſſu Imperatoris Domini Michaelis, vt in exteris Synodis etiam antè Pontifices ſedeat.]

In can. 18. Conc. Nic. Balſamon verò ad Alexij Comneni ſanctionem refert, cuius verba lubet aſcribere, quòd in his quædam habeantur, quæ ad hoc noſtrum inſtitutum faciant: [Is, inquit, qui nunc eſt ſanctiſſimæ Eccleſiæ Chartophylax, in congregationibus, quæ fiunt extrà Synodum, ſedet non ſolùm antè Sacerdotes, ſed etiam antè Pontifices, ex conſtitutione Inclyti Imperatoris Domini Alexij Comneni, quæ ſic habet: [Regia mea adminiſtratio, quæ Eccleſiaſticæ honeſtatis maximam curam gerit, & bonum quidem ordinem, cùm in omni ciuili ratione quærit, tùm autem multò magis in rebus Diuinis eum verſari ſtudet, quæ vnicuique gradui Eccleſiaſtico ſunt ab initio tributa priuilegia, & eam, quæ in his huc vſque obtinuit conſtitutionem, deinceps quoque eſſe immutabilem, & perſeuerare vult, & cenſet, ſanctiſſime Domine, vtpotè, quæ per tot annos ſuſcepta, & in vſu ciuili longo tempore verſata, & ab alio in aliud immutabilibus huc vſque tranſmiſſionibus vindicata, ac confirmata ſit. Sed quoniam Imperatoria mea ſublimitas didicit, quòd nonnulli Pontifices contentione quadam, & gloriæ ſtudio incitati, volunt Chartophylacis priuilegium minuere, & Canones in medium adducentes, per eos contendunt illum antè Pontifices ſedere non oportere, quando aliquo vſu exigente oportet eos conuenire, & conſidere antè acceſſum ad tuam ſanctitatem, non ferendum Regiæ meæ maieſtati viſum eſt, vt res, quæ tanto tempore approbata eſt, & à prioribus Patriarchis, & ab alijs Pontificibus; ſed & ab ijs, qui nunc ob rem non honeſtam contendunt, longiſſimi temporis ſilentio, nunc obiter aboleretur, & tamquam neglectum quippiam conuelleretur. Hanc ergo rem decernit eſſe valdè rationi conſentaneam, & iuſtam. Si enim, contra, vellent Pontifices immobilia nõ mouere, nec ea, quę ijs, qui priùs fuerunt patribus placuere; ſed & quæ in ijs ipſis longo ſilentio, & huc vſque patientia, probata fuere, rursùs in certamen non deducere, rectè ſe haberet, & eis magna gratia haberetur, quòd pugnandi ſtudio abiecto, pacem, & quietem prætuliſſent; ſi autem etiam adhuc nonnulli, verba canonis vſurpantes (à ſententia enim longè abſunt) voluntatem ſuam confirmare conantur, & non rectè ordinem ad id, quod eſt inordinatum, transferunt, permittit quidem Imperatoria mea ſerenitas canonis interpretari, & declarare contextum, qui facilè comprehendi poteſt, & pulchrè diſcerni ijs, qui exactè penetrant, & canonicum ſenſum attingunt. Hoc autem vtique ipſum Pontificibus probro eſt, quòd cùm canonem ſcirent, & eius verba perfectè intelligerent, ſuam ipſorum conſcientiam præter rationem conculcarunt, & dùm diſturbaretur canon, tolerauerunt, atque inferiorem ſeſſionem ſub memoria ſuperioris Chartularij amplexi fuerunt. Ideòque pro ſacrorum canonum contemptu mercedem hanc eis maieſtas mea tribuit, vt ſuas ad Eccleſias abigantur, Eccleſiaſtici canonis etiam hac in parte veſtigijs inſiſtens, & aduersùs canonum contemptores ipſos canones ſacros in ſubſidium producens. Nec enim Pontifices ij, qui Occidentalibus Eccleſijs præſunt, & à multo iam tempore fidei ſuę creditorum ouilium curam nullam geſſere, nec, vtì conueniebat, ijs præfuerunt, dicere poterunt, rabiem hoſtilem, quæ per Orientem graſſata fuit, ad ipſos pertigiſſe, atque hoc modo ſibi ouium ratione præditarum inſpectionem ademptam eſſe. Et hoc quidem in hunc modum à maieſtate mea diſpoſitum euentus eis iudicium relinquit. Quia verò & illud ad aures eius relatum eſt, quoſdam ſcilicet Eccleſiæ proceres eximios præteriri, cùm electiones fiunt, eiſque præferri nonnullos tam ætate, quàm conditione vitæ melioris inferiores, quique non magnos pro Eccleſia labores ſuſtinuerunt, ne illa quidem res ſacra Pontificum Synodo nobis digna viſa eſt. Quapropter omnibus religioſè pariter, & imperiali cum auctoritate mandat, ne ludant in minimè ludicris, nec affectui Diuinis in rebus indulgeant. Nam vbi anima verſatur in periculo, cuius quæſo rei potior habenda cura eſt? Illos autem præferant alijs, & honore ſuffragiorum dignentur, quos inculpata vita præter doctrinam ornat: aut in quibus ſi doctrina fortè vacillet, longi temporis vſus, & multi pro Eccleſia labores exantlati, quod deeſt, ſup-

ſupplent. Sic enim ſuffragijs ſuis rectè ſtatuent, & à Deo ſuæ ad animæ condemnationem ſuffragia tuliſſe non arguentur.]

Concilio etiam Trullano, cuius auctoritate maximè nituntur Græci, Diacono à ſuo Patriarcha, vel Metropolitano miſſo, id demùm honoris conceditur, vt perindè ac qui ipſum miſit, reputetur, eiuſque obtineat locum; ſed & à viris doctis eſt animaduerſum in Gallia noſtra Archicapellanum, hoc eſt Sacelli Regij Præfectum, magnum Franciæ Eleemoſynarium iam dicunt, cùm ipſe etiam Epiſcopus non eſſet, olim antè Epiſcopos ſediſſe, ſcilicet propter officium, & dignitatem.

Quorsùm igitur non potuerit Summus Pontifex Aſſeſſores ſuos, & Conſiliarios, Orbis Iudices; ad dignitatum Eccleſiaſticarum faſtigium euehere? An cùm ex Diaconis Archidiaconi creati ſunt, ex Presbyteris Archipresbyteri, ex Epiſcopis Archiepiſcopi, eſt propterea Eccleſiaſtica diſciplina deformata? An non potiùs his ordinibus veluti diuerſæ magnitudinis ſtellis diſtinguitur, ac ex ijs efflorefcit? Pertinent ſcilicet iſta ad Eccleſiæ decorem, & diſciplinam, quæ Pontificum auctoritate ſancitur, quibus propterea cùm non placuerit, Lateranenſes in anguſtius illud ſuum Conſilium aduocare, & allegere, fruſtrà eſt in ijs palpandis Spalatenſis.

Quod attinet ad Platinæ querelas, qui hominis hiſtoriam norunt, ijs eſt exploratum, quàm offenſo, & exulcerato fuerit in Pontificem, & Cardinales animo, vt propterea eius queſtus, & lamenta non magni facienda ſint, non quòd exiſtimemus nullos eſſe, qui ampliſſima dignitate abutantur; ſed quòd hominum non dignitatis illud vitium ſit, ac certè, quàm plurimos prior, & noſtra protulit ætas ſanctiſſimis moribus, ſingulari modeſtia, charitate eximia, ac prætereà incomparabili doctrina, quales nuper fuere Borromæi, Baronij, Bellarmini, Perronij, vt de viuis, ac ſuperſtitibus taceam, quorum numquam Eccleſiam pudebit. Miror verò Spalatenſem, cui exploratum ſit, quàm magnis, pijs, & doctis viris abundet ſacrum Conſiſtorium, tam multa in eius contemptum, & iniuriam effudiſſe.

Iam Eccleſiam vniuerſam ſibi præeuntem, ac Cardinales lacerantem inducit: [Vi-
Spalat n 42. dit Eccleſia, inquit, vidit Cardinalitij faſtus abuſum intolerabilem, vidit Conſiſtorium imperitis interdùm, & Eccleſiæ inutilibus, vtinam non vt plurimùm, repleri Cardinalibus, & non ſine conniuentia aliqua, vt in maxima corruptela fieri ſolet, decreta huiuſmodi, à Papis tamen poſteà reiecta; & peni-
Conc. Baſil. ſeſs. 23. tùs cum reliquis reformationis Eccleſiæ decretis, contempta promulgauit: cum Summo Pontifici ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, in dirigenda Chriſtiana Republica collaterales aſſiſtant, neceſsè eſt, vt tales inſtituantur, qui ſicut nomine, ità re ipſa cardines ſint; ſuper quos oſtia vniuerſalis verſentur, & ſuſtententur Eccleſiæ. Statuit igitur ſancta Synodus, vt deinceps eorum numerus adeò ſit moderatus, quòd nec ſit grauis Eccleſiæ (quæ nunc ob temporum malitiam, plerisque grauibus affligitur incommodis) neque ſuperflua numeroſitate vileſcat; qui de omnibus Chriſtianitatis regionibus, quantum commodè fieri poterit aſſumantur; vt notitia rerum in Eccleſia emergentium faciliùs haberi, & ſuper his maturiùs deliberari poſſit; ſic tamen quod numer. 24. inter hos, qui nunc ſunt, & aſſumendos non excedant; ità quòd de vna natione, vltrà tertiam partem, reſpectu Cardinalium pro tempore exiſtentium, ac de vna Ciuitate, & Diœceſi, vltrà vnum indè oriundum; & de ea natione, quæ nunc vltrà tertiam partem habet vſque ad ipſius tertiæ partis reductionem, eſſe nequeant. Sint viri in ſcientia, moribuſque, ac rerum experientia excellentes, non minores triginta annis, Magiſtri, Doctores, ſeu Licentiati, cum rigore examinis in iure Diuino, vel humano; ſit ſaltem tertia, vel quarta pars de Magiſtris, aut Licentiatis in ſacra Scriptura. Inter hos autem 24. eſſe aliqui poterunt, admodùm pauci, filij, fratres, aut nepotes Regum, ſeu magnorum Principum; in quibus cum circumſpectione, & maturitate morum competens literatura ſufficiat. Non fiant Cardinales nepotes ex fratre, vel ſorore Romani Pontificis, aut alicuius Cardinalis viuentis; non illegitimè nati, non corpore vitiati, nec alicuius criminis, aut infamiæ nota reſperſi. Prædicto autem numero 24. pro magna Eccleſiæ neceſſitate, vel vtilitate, duo alij, in quibus vitæ ſanctitas, vel eximiæ virtutes reſulgeant, quamquam memoratos gradus non habeant, ac de Græcis, cum Romanæ Eccleſiæ vniti fuerint; inſignes aliqui viri adijci poterunt. Non fiat Cardinalium electio ſolùm per auricularia vota, ſed illi ſolùm aſſumi poſſint, in quos facto vero ſcrutinio, ac publicato, maiorem partem Cardinalium per ſubſcriptionem manus propriæ, conſtiterit collegialiter conſenſiſſe. Deſuper etiam Apoſtolicæ literæ, cum ſubſcriptione Cardinalium conficiantur; decreto huius ſacri Concilij in quarta ſeſſione ſolemniter publicato, quod incipit: [Item cùm multiplicatio Cardinalium, &c.] in ſuo robore inuiolabiliter permanſuro. Ponitur ſtatim ibidem iuramentum, quod debent præſtare Cardinales noui; poſteà pergit Concilium Cardinales reformare; eiſque mores præſcribere, circa Eccleſiarum titulorum conſeruationem; circa viſitationes ſuorum titulorum, & Cleri, in ijſdem titulis ſeruientis; circa curam, & vigilantiam contra hæreſes, & ſuperſtitiones; & circa alia ſeruitia erga Summum Pontificem præſtanda; inter quæ illud habetur: [Si quando Papam, quod abſit, negligentem, aut remiſſum, ſeu agentem, quæ ſtatum illius non decent, ipſi Cardinales inſpexerint, filiali reuerentia, & charitate, tamquam patrem obſecrent; vt officio Paſtorali, honorique, ac debito ſuo ſatisfaciat: Et primò quidem aliquis, vel aliqui de per ſe; deindè, ſi ſic non corrigat, omnes collegialiter, accerſitis quibuſdam notabilibus Prælatis, prædicentes: quòd ſi non obſtinuerit, proximo generali Concilio deferent: nec pro ſalute ipſius Summi Pontificis, & bono publico eius odium, vel quicquam aliud timeant, dum tamen reuerenter, & charitatiuè id agant. Ità etiam præſcribit Papæ; vice verſa, modum corripiendi, & corrigen-

di

di Cardinales: Monet etiam Cardinales idem Concilium ibidem, vt Prælatos ad Curiam Romanam venientes benignè, & honorificè, tam publicè, quàm priuatim pertracteot: & apud Summum Pontificem eorum negotia gratis, ac liberaliter recommiſſa faciant. Vt affines ſuns non ità opum, aut beneficiorum multitudiue accumulent, vt alij indè ſcandalum patiantur; caueutque ne bona ab Eccleſijs profecta, vltrà quam neceſſitatis ratio poſtulat. io carnem, & ſanguinem effundant. Familia, inquit, menſa, ſupellex rerum, & equorum tam Papæ, quàm Cardinalium, nec numeroſitate, nec ſaſtu, aut pompis, neque aliquo exceſſu, reprehenſibilis eſt, &c.]

Spalat.n.43. [Et in Concilio Laterauenſi hæc babeutur: Cùm S. R. E. Cardinales cæteros om-

Concil. Lateranen ſub Leo X. ſeſ.9 nes in ipſa Eccleſia poſt Summum Pontificem honore, ac dignitate præcedant; conuenieus, ac debitum eſt, vt vitæ munditia, ac virtutum ſplendore cunctis præſulgeant. Quapropter non modò hortamur eos, ac monemus, verùm etiam ſtatuimus, & ordinamus, vt de cætero quilibet Cardinalium pro tempore exiſtens, iuxta doctrinam Apuſtoli ità ſobriè, caſtè, ac piè viuat: vt non ſolùm à malo, ſed ab omni ſpecie etiam mali abſtinens coram hominibus luceat, Deumque iu primis operibus honorificet. Sint omnes vigiles, ac diuinis officijs, Miſſarumque celebrationibus intenti, ſitque eorum domus, ſamilia, menſa, ſupellexque, non ſaſtu, aut pompa, neque aliquo modo reprehenſibilis, &c. Prælatos adRomanam Curiam venientes benignè, honorificèque, tam publicè, quàm priuatim tractent; & apud nos, & ſucceſſores noſtros gratioſè, liberaliterque eorum negotia commendata ſuſcipiant. Prætereà miniſterium Iudecorum Epiſcoporum, Prælatorumque in domibus non habeant, ne cæteris præeſſe inſtituti: & ſacro charactere inſigniti, in vilia deſcendant miniſteria; paſſimque Paſtoralis officij contemptum inducane. Eos itàque, quos vel nunc babent, vel in poſterum ſunt habituri honorificè, vt fratres, ac iuxta eorum ſtatus condecentiam tractent, &c. repetit curam titulorum, & Cleri in ijs conſtituti, prout in Concilio Baſileenſi, & de oon ditandis ſuis. Monet vt Eccleſias commendatas benè cultas teneant; io ſamilia impenſas moderentur: faſtum, luxum, & prodigalitatem fugiant: hoſpitalitatem ſectentur: veſtes quales eſſe debeant in Cardinalium ſamilia, & patafrænarijs præſcribit. Statuit vt Cardinales Legati à latere per ſe, & oon per officiales negotia peragant; & definiant, ac demùm ſtatuit, ne funebres expenſæ Cardinalium mille quingentorum florenorum ſummam eſcedant. Hæc ad oouos Cardinales iu officio aliquo modo continendos præſcripta ſunt; quos tamen à vera ratione antiquorum Cardinalium penitùs eſcludendos eſſe iam confirmaui. Sed quamuis per abuſum iam ſint iſti noui inſroducti; vtinam tamen non multò plus ſibi arrogarent, quàm ipſemet abuſus, qui eos induxit, videtur tolerare.]

Quod attinet primùm ad Concilium Baſileenſe, plura afferri poſſent, quibus eius auctoritas conuelleretur, & non dubitat Lateranenſe Concilium ſub Leone X. celebratum, illum Conuentum Baſileenſem, *Conciliabulum, ſchiſmaticum, ſeditioſum, & nullius prorsùs auctoritatis*, vocare.

Et ſanè, quæ à Baſileenſibus contra Eu- Seſs.12. genium IV. tentata ſunt, omne ei robur, & pondus detraxerunt: nam quo tempore de gradu Eugenium deijcere, ac abdicare moliti ſunt, Iulianus Cardinalis Pontiſ. Legatus moderando conceſſui præſes datus, ſacrilegæ audaciæ pertæſus Baſilea eſceſſerat, neq factam Pontifici iniuriam ſuſtinere valentes Epiſcopi, & ipſi quoque magna es parte abceſſerant; quare, Cardinalis Arelatenſis alieni iuris vſurpator, & qui reliqui erant factioſi Epiſcopi, de ſua paucitate erubeſcentes, ingeotem Presbyterorum multitudinem inuexerunt, vt iam violata antiquorum Conciliorum forma, non Epiſcopornm, ſed Preſbyterorum Synodus eſſet, quamquam ne ſiquidem obtinere potuerunt, vt omnes in ſcelerata decreta conſentirent, ac demùm Florentiæ agebatur Concilium Oecumenicum, in quo præſidebat Summus Pontifex, cui aſſidebant Epiſcopi tum Græci, tum Latini, & numero plures, & doctriua celebtiores his, qui Baſileæ turbas cierent; aderat verò & Imperator Græcorum Paleologus, & Orator Imperatoris Latini, vt nulla ratione dubitare poſſet, vtrùm ex duobus legitimum, ac verum eſſet Concilium. Hæc igitur aduerſùm Conuentum Baſileenſem proferri poſſent: ſed de hac recuſatione opus non eſt, & video Nicolaum Quintum pacis gratia Felice Quinto Pontifice ad ſaniorem mentem reuerſo, Frederici Tertij hortatu quædam probaſſe, quæ eſſent à Baſileenſibus ſancita, ac decreta; nec dubito, quæ commodum ſenſum habere poſſint.

Igitur dico, ne in ſpeciem quidem Spalatenſi fauere Baſilienſes, ſed potiùs ſeditioſum eius dogma euertere, namque & magnificè de Illuſtriſſimo ordiue ſentiunt, & Cardinalis etymum à Leone Nono, aut inuectum, aut vſurpatum probant; quod tamen magno ſaſtu eſt ab eo initio huius capitis reiectum: *Cùm Summo Pontifici*, inquit, *S.R.E. Cardina-* Seſs.23. *les, in dirigenda Chriſtiana Republica collaterales aſſiſtant neceſsè eſt, vt tales inſtituantur, qui ſicut nomine, ità re ipſa Cardines ſint, ſuper quos oſtia vniuerſalis verſentur, & ſuſtententur Eccleſia*. Hæcne ad tuum guſtum ſunt, mi Antoni, certè longè à tua ſententia abeunt. Quòd attinet ad eas leges, quas ſacro Conſiſtorio ponit, illud Spalatenſi ſpectandum ſuit, turbulentiſſimis temporibus, eas quod Concilium ipſum aduertit conſtitutas. Quare, quemadmodùm alicubi exiſtimat ſummus Philoſophus, ſtultum planè eſſe, depulſa peſte, ijs remedijs vti velle, quæ graſſante lue, ad præſentem perniciem arciendam, à prudentiſſimis medicis eſſeot excogitata, ità proculdubiò dementiæ aliqua ſpecies eſſet, pacatis rebus ea decreta vrgere, oec ab ijs latum quidem vnguem diſcedere, quę turbatis pro temporum conditione ſint ſancita, ac edita.

Cæterùm pia eorum hortamenta, ac ſalutaria monita laudamus, & probamus; rectè Plat. de off. enim eſt à viro pio animaduerſum, ſtatum Card. cap.7. Cardinalis obligationem inducere perfectionis. Quod & pluribus confirmat, quæ præſentis non ſint inſtituti; ac certè, ſi teſte Hierony-

Digitized by Google

ronymo, non ſolùm Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi debent magnoperè prouidere, vt cunctum populum, cui præſident, conuerſatione, feruore, ac excellentia præcedant; verùm & inferior gradus, ſcilicet Exorciſtæ, Lectores, Æditui, & omnes omninò, qui Domui Dei ſeruiunt, facilè eſt hinc argumentari, quid à Cardinalibus, qui, vt verbis Scripturæ vtar, Orbem portant, & Noe Arcam in vndis, ideſt, ſanctam Eccleſiam in tentationum fluctibus regunt, quod de omnibus omninò Prælatis cenſuit Gregorius, exigatur.

In ep. ad Tit. cap. 2.

Gregor. l. Moral. c. 7.

Summam ſcilicet probitatem, innocentiam, rerumque peritiam deſiderat ſummus dignitatis gradus, ad quem Eccleſiæ beneficio euecti ſunt; ſiquidem cùm Pontifici aſſiſtere Cardinales, eumque aſſiduè iuuare debeant, tum conſilio, tum opera, qui iſtud præſtare poſſint, pro rei ſcilicet amplitudine, ac dignitate, ſi vitijs ſe mancipent, & voluptatum ſordibus ſe implicent, & immergant? Si humanis affectibus tranſuerſos ſe agi ſinant, ac denique ſi non omnibus virtutibus animum excolant? Hoc & Baſileenſes Patres, & Lateranenſes inculcant, quibus accedit ipſius Tridentini Concilij auctoritas maxima, in quo cùm de Cardinalium reformatione ageretur, ſic eſt pronuntiatum: *Quorum conſilio apud ſanctiſſimum Romanum Pontificem, cùm vniuerſalis Eccleſiæ adminiſtratio nitatur, nefas videri poteſt, non ijs etiam virtutum inſignibus, ac viuendi diſciplina eos fulgere, quæ meritò in ſe omnium oculos conuertant.*

Spalat. n. 44.

Pergit verò Spalatenſis, illuſtriſſimum ordinem inſectari: [Sunt tamen, inquit, qui vt Cardinalitiam hanc tueantur dignitatem, non verentur eos ad Iuris Diuini reducere inſtitutionem; faciuntque Cardinales eſſe Apoſtolorum ſucceſſores. Ità ſanè Petrus de Alliaco Cameracenſis; & Ioannes de Turrecrematà Cardinales ampliſſimi. De Apoſtolis enim triplicem comminiſcuntur conſiderationem.

Luc. 22.

Primùm, vt ſint Chriſti aſſiſtentes ante eius in Cœlum Aſcenſionem: Vos eſtis, qui permanſiſtis mecum, &c.

Secundò, vt ante eorum diuiſionem, & diſperſionem Petri ſint aſſeſſores, qui Chriſti Vicarius eſſet; illi verò ei in adminiſtratione Papalis officij aſſiſtentes.

Tertiò, vt poſtea, auctoritate Petri ſuffulti ad prædicandum, quiſque in ſuam regionem Orbis ſit profectus.

Quantum ergo ad primum, & ſecundum ſtatum, Cardinales ſolos faciunt Apoſtolorum ſucceſſores; quantum verò ad tertium, Epiſcopos. Sed ſi hoc commentum alicuius eſſet momenti, aut probabilitatis, id Bellarminus non prætermiſiſſet, cùm tamen eo vti noluerit, liquet, magnam hoc in ſe continere vanitatem.

Ego ſanè iam in libris præcedentibus plenè docui, Apoſtolorum officium fuiſſe ſolùm miniſteriale; & omnes Apoſtolos fuiſſe cum Petro collegas, & comminiſtros, eidemque in toto Apoſtolatu æquales; & Epiſcopos plenè Apoſtolis in toto Apoſtolico munere ſucceſſiſſe. Ac profectò otioſi hominis eſt, & valdè parùm in rebus diuinis, ſacriſq; Euangelijs verſati, Apoſtolis dare ſeſſiones; non enim ad ſedendum, aut aſſidendum ſunt vocati, ſed ad laborandum; & ſicut Chriſtus non venit miniſtrari, ſed miniſtrare; nec venit vt ſederet, tamquam Rex, & Princeps; & aſſeſſores haberet pro tempore Eccleſiæ militantis; ſed vt pro Eccleſia multùm laboraret, & pateretur; ità neque pro præſente vita, aut Petro, aut Apoſtolis aliquem reliquit Principatum, ad ſedendum, & aſſidendum; ſed omnes fecit miniſtros, & in vinea operarios, ac laboratores, vt pleniùs tradam lib. 5. Pro alio quidem ſtatu, & tempore; & ipſe Chriſtus conſtitutus eſt Iudex viuorum, & mortuorum: & Apoſtolis promiſſæ ſunt ſedes ad iudicandum, & ſeſſiones, atque aſſeſſiones. Et quando quæſo Petrus in throno aliquo ſedit, vt Princeps, & Apoſtolos reliquos habuit aſſeſſores?

Matth. 20.

Act. 10. Luc. 21.

Iſtæ ſunt meræ ineptiæ, quas tamen propter Cardinalis Cameracenſis auctoritatem, ſequutus eſt tunc etiam Ioannes Gerſonius; qui in Hierarchia Eccleſiaſtica à Chriſto inſtituta, cum ipſo Alliacenſi poſuit Cardinales cum Papa, quaſi vnum corpus efficere, ſicut vnum corpus faciebant Apoſtoli cum Chriſto; ideòque ſic ſcripſit: Status Summi Pontificis, ac ſacri Collegij Dominorum Cardinalium ſibi collateralium fundatus eſt in Eccleſiaſtica Hierarchia ſub cœleſti immediatè à Chriſto, nec humana inſtitutione, ſeu præſumptione poteſt deſtitui. Cui ſtatui, qui pertinaciter derogat, cenſendus eſt iuxtà ſacros Canones hæreticus, atque ſacrilegus. Hoc tamen loco bonus dormitauit Homerus; quod enim ad Clerum Eccleſiaſticum iure diuino, & Chriſti inſtitutione pertinet, id ad ſolos coarctatur Cardinales;] in quo ego, vel imperitiam videor mihi obſeruare, vel adulationem.]

Reſpondeo, Cameracenſis ſententiam eſſe etiam iuniores Scriptores, qui propugnent; ſic enim de ea re Hieronymus Platus: [Sed illud verè maximum, ac ſummum in hoc genere dignitatis, quòd Cardinales Apoſtolorum locum in Dei Eccleſia tenent. Non enim dubitari poteſt, quin in ſancta Eccleſia Primus, & Princeps locus Apoſtolis ſit tribuendus, de quibus dictum eſt in Pſalmis: *Conſtitues eos Principes ſuper omnem terram*, & qui etiam à Paulo fundamentum huius domus, & à Ioanne ſupernæ Ciuitatis illius portæ appellantur. Quare, nihil magis inſigne, aut honorificum vlli homini contingere poteſt, quàm hunc tam honoratum locum, quaſi hæreditario iure conſequi.

Pſalm. 18. Epheſ. 2. Apoc. 21.

Sic enim duo præcipui, tum doctrina, tum ſanctitate auctores, Diuus Antoninus, & Turrecremata iiſdem penè verbis. Duplicem enim faciunt Apoſtolorum ſtatum, duplicemque reſpectum ad Chriſtum Dominum, ac Saluatorem: Alterum, cùm adhùc viuenti, & in terris verſanti aſſiſtebant, & præſto erant ad omnia, quod idem etiam poſt eius ad cœlos aſcenſum, aliquandiù fecerunt erga Petrum, qui Chriſti gerebat vices. Sic enim in Actis legimus conſilio, & opera ei aſſuiſſe, dum adhùc coniuncti Hieroſolymis degerent.

Alterum verò ſtatum perhibent, cùm poſt Spiritum ſanctum receptum, profecti ſunt in omnes terras, ad Euangelium diſſeminandum, ad populos fide imbuendos, atque inſtituen-

ſtituendos; neque id temerè, aut ſine ordine, ſed Prouincijs ſortitis, atque inter ſe diſtributis. Sic igitur cùm Romanus Pontifex Petri ſucceſſor ſit, & Chriſti Domini perſonam ſuſtineat, nimirùm conſequi aiunt, vt ipſi quoque Cardinales Apoſtolos referant, priore illo modo, Epiſcopi verò, qui ſinguli ſingulis præſunt, vel ciuitatibus, vel Prouincijs, poſteriore.

1. Reg.2. Quare, de Cardinalibus illud dici poſſe, quod eſt in ſacris literis, Domini ſunt Cardines terræ, & poſuit ſuper eos Orbem. Hanc enim terram tam latè patentem, ità firmam, & fixam, & quæ homines omnes, & ſuſtineat, & alat, eſſe Eccleſiam, eius autem Cardines, vt nomen ipſum admonet eſſe Cardinales. quare, ipſos quoque Principes eſſe mundi.]

De Apoſtol. cap.1.diſp.1. Sed reclamat, ac vehementiùs reluctatur ex eadem ſocietate Benedictus Iuſtinianus, quamquam,& ipſe præſtantiſſimi ordinis ſummus cultor; ſic enim poſtquam oſtendiſſet, duo fuiſſe Apoſtolorum munera, primùm Chriſto adeſſe tamquam laborum ſocios, & vitæ, ac miraculorum teſtes, cum illo denique tamquam domeſticos, & familiares viuere: Alterum, Euangelicam doctrinam tradere, & Chriſti Aduentum populo promulgare, in huius ſententiæ patronum, quem tamen non exprimit, inuehitur; [Ex priori munere, inquit, colligit nonnemo, fuiſſe illos, non modò ſimiles Cardinalibus, qui Summo Pontifici à conſilijs ſunt, eique ſacris operanti, reliquaſque Eccleſiaſticas functiones obeunti miniſtrant; ſed etiam ipſo Cardinalatus honore inſignitos, quod (vt temerè dicitur) ità noſtra confutatione non eget. Nam Cardinalatum (quæ præclara quædam dignitas eſt, & honoris titulus cum iure ſuffragij Summum Pontificem eligendi) Romanorum Pontificum ad commodiorem Romanæ Eccleſiæ adminiſtrationem eſſe inuentum, ipſa Cardinalium inſtitutio, atque origo planè oſtendit: minimèque ad Eccleſiaſticam Hierarchiam per ſe, ſuæque inſtitutionis vi pertinere, alibi à nobis probatum eſt, cùm tres in ordines diſtribuatur; alijque ſint Epiſcopi, alij Presbyteri, alij denique Diaconi Cardinales, quorum ordinum reſpectu ad Eccleſiaſticam Hierarchiam referuntur cum prerogatiua ſupremæ dignitatis, ob ius ſuffragij in Summi Pontificis electione; vt ob id primùm poſt Pontificem in Eccleſia obtineant locum, cunctiſque Præſulibus meritò præferantur. Apoſtolos verò, ſiue cum Chriſto ante mortem, ſiue cum Petro poſt Chriſti in Cœlum aſcenſum, conferantur, nulla poſſe cum Cardinalibus ratione comparari, ità certum eſt, vt pudeat in re perſpicua otio abuti. Niſi quis putet alieno conſilio eguiſſe Chriſtum, qui erat æterna ſapientia Patris, aut Petro miniſtraſſe Apoſtolos, qui ſe, non Petri, ſed Chriſti miniſtros eſſe perpetuò gloriabantur.] Vides igitur etiam orthodoxis non planè probari Cameracenſis, & ſequacium opinionem,vt de ea re non ſit nobis cum Spalatenſi contendendum.

Spalat.n.45. Sed iam ad ſcholas nos reuocat, & antiquo nos iubet includere ludo: [Schiſmata profectò horrenda, inquit, quæ vniuerſalem Eccleſiam primùm turbabant, dum Romanum Epiſcopatum, & diuitijs opulentiſſimum, & Principatu terreno ſpecioſiſſimum ambirent multi, & potentes; permouerunt aliquando Scholam Theologicam Pariſienſem, vt cùm non poſſet tam altum Papatum deprimere (cuius depreſſio in temporalibus Procos auerteret, & ſchiſmata euitaret) illum ſaltem aliquo pacto moderaretur; noua quædam excogitauit remedia; vt Cardinales eueheret, & illos tamquam fræna Papis adijceret.

Gerſ.lib. de vit.ſpir. ani. Alliac. de Eccl.auctor. par.1.c.3. Almain. de auct. Eccleſ. cap.9.

Theologi itàque Pariſienſes, Gerſone magno eorum exiſtente Cancellario, & Concilij Conſtantienſis, in quo grauiſſimum trium Paparum ſchiſma eſt compreſſum, præcipuo moderatore; communiſſimum ſequentes errorem, Papam eſſe de iure diuino totius Chriſti Eccleſiæ vniuerſalem Monarcham; Cardinalibus illud noui, & ante illa tempora vix auditi muneris tribuerunt, vt eſſent non tam Romanæ Eccleſiæ Clerici, & Miniſtri; quàm totius vniuerſalis Eccleſiæ, quaſi Procuratores, & Commiſſarij, qui nomine totius Eccleſiæ vniuerſalis, Romani Pontificis, quatenùs Papa eſt, & caput Eccleſiæ, eſſent Electores: æquum eſſe cenſentes, vt qui totius Eccleſiæ vniuerſalis caput eſt, non ab vna Eccleſia particulari, qualis eſt Romana, ſed à tota, & vniuerſali eligatur; cuius Eccleſiæ vniuerſalis locum tenere aſſerunt ipſos Cardinales, ne in omni Papatus vacatione Concilium cogatur generale.]

[Conſequenter verò de Cardinalium creatione legitima ſoliciti, nolunt in libertate ſolius Papę eſſe, vt pro ſui libito,quos ipſe velit,faciat Cardinales; ſed in ipſo Concilio Conſtantienſi decerni fecerunt, Cardinalium nouorum promotionem illam forè legitimam, ad quam etiam Cardinales pro maiori parte concurrant expreſſo ſuffragio; & ſubſcriptione. Quod Decretum in Concilio Conſtantienſi factum eſſe, & à Martino Quinto confirmatum; teſtatur Dominicus Venetus Epiſcopus Torcellanus, in ſuo tractatu de Cardinalibus. Propoſ.11.quem ſub Caliſto Tertio ſcripſit; & illum ego habeo manuſcriptum, numquam typis cuſum: quamuis in Actis Concilij Conſtantienſis,quę nunc eduntur, id Decretum ego reperire non potuerim: Vnde ſuſpicor fraude ſublatum. Certè Concilium poſteà Baſileenſe idem Decretum, vt ſup.vidimus num.42. ſatis amplum edidit. Exindè concludit Torcellanus. Propoſ. 12. (cuius tractatum de Cardinalibus ad finem huius libri nunc primùm typis cudendum curabo) Cardinalem legitimum non eſſe, qui de conſenſu expreſſo, aut ſaltem tacito aliorum Cardinalium non ſit creatus, ac præſertim ſi reclamantibus ipſis, & expreſſè renitentibus aliquis à Papa fieret Cardinalis, ac propterea talem Cardinalem nullum habere in Papę electione legitimum ſuffragium;quod ſi feratur, nullum ſit, ac penitùs contemnendum, in nulloque pretio habendum: ipſius verò ratiocinatio eſt huiuſmodi; Papa, vt Papa priùs eſt quàm Epiſcopus Romanus;ſicut Petrus priùs fuit Papa vniuerſalis, quàm Romanus Epiſcopus; prior igitur eſt electio Papæ, quàm ſit electio Epiſcopi Romani. Electio verò Papæ, vt Papa eſt, ſpectat ad totam Eccleſiam vniuerſalem, quæ ſibi ſuum caput eligere debet; illa verò ſui loco ponit Car- Spalat.n.46.

Cardinales electores: neque poteſt eſſe elector vice ipſius Eccleſiæ, quem ipſa Eccleſia nolit. Eccleſia verò in Concilio Conſtantienſi modum præſcripſit, quo debeant fieri Cardinales, qui ipſius vices gerant in Papæ electione, declaratque ſe in alios Cardinales non conſentire, niſi in eos, qui facti fuerint Cardinales à Papa ſimul etiam ab alijs Cardinalibus. Quando ergo Cardinales in creatione Cardinalis non conſentiunt, ſaltem tacitè, ſed apertè repugnant, certè tunc in illum Cardinalem Eccleſia non conſentit. Et ità non erit legitimus Cardinalis, neque poterit vice Eccleſiæ vniuerſalis Papam eligere.]

Spalat. n. 47. [Fatetur hic auctor, ſemper, etiam ante Concilium Conſtantienſe, Electores Papæ quicumque fuerint, ſiue Imperatores, ſiue totus Clerus, & populus Romanus, ſemper nomine totius Eccleſiæ, quæ tacitè in eos conſentiret ſummorum Pontificum feciſſe electiones. Sed poſtquam Eccleſia vniuerſalis ſe declarauit, & ſuam voluntatem expreſſit; durante hac ipſius declaratione, quam ſemper mutare poteſt, electiones legitimas non eſſe, niſi per Cardinales eo modo factos, quo ipſa præſcribit. Cardinalis autem Cameracenſis, iam, & ipſe conceſſerat, Cardinales quatenùs ſunt Clerus Romanus Papam eligere; ſed tamen nomine vniuerſalis Eccleſiæ illum eligere, quatenùs eſt Papa vniuerſalis, & conſequenter Papam iam factum Papam eſſe etiam Epiſcopum Romanum (de quo Papatu vniuerſali annexo Romano Epiſcopatui, agā exactiùs capite ſequenti.) Conſenſit igitur, Eccleſiam vniuerſalem tacitè, & vſu iam confirmato, atque præſcripto, aſſentiri generaliter, vt Clerus Romanus, dum eligit ſuum Epiſcopum Romanum, ſimul etiam elector ſit, nomine totius Eccleſiæ, Papæ vniuerſalis: Quare, optimè Torcellanus colligit, electores Papæ eos tantùm legitimos eſſe, in quos ipſa, vel tacitè, vel expreſsè conſenſit. Et quia iam ſe declarauit, ſequitur neceſſariò, Cardinales non eſſe legitimos, hoc eſt, legitimos Papæ electores, vt Papa eſt, niſi eos qui facti ſint ex preſcripto ipſius Eccleſiæ. Immò vlteriùs ſequitur, vt idem Torcellanus colligit, Propoſ. 9. Papam non poſſe auferre Eccleſiæ vniuerſali poteſtatem Papam eligendi; quia ipſius Eccleſiæ eſt ſibi caput conſtituere, vt probauit propoſ. 4. & 5.

Alliac. de aucto. Eccl. part. 1. ca. 2. ad fin. & cap. 3.

Spalat. n. 48. Hæc ſanè, ſuppoſito Papatu tamquam vero, Auctor hic demonſtratiuè meo iudicio concludit; & neceſſariò ſequitur, Cardinalatum, quatenùs dicit officium, & poteſtatem eligendi Papam (hinc enim dumtaxat tota eminet dignitas Cardinalitia, vt paſſim fatentur Monarchici) totum eſſe ab Eccleſia, & ſolius iuris poſitiui; poſſeque hoc officium, & hanc dignitatem dari etiam Regi, Principibus, & alijs laicis; & conſequenter in Hierarchia Eccleſiaſtica locum non habere; neque numerandum eſſe hunc Cardinalatum inter Eccleſiaſticas proprias dignitates. Eligere enim Epiſcopum, ſeu quemcumque Eccleſiaſticum miniſtrum, non eſt actus Hierarchicus ſpiritualis, ſed eſt aliquid merè temporale; non item ordinare, vt probaui libro tertio capite tertio. Poterit profectò Papa, vt Epiſcopus Romanus in ſuis titulis conſtituere Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos

Bellar. de Cler. lib. 1. cap. 16.

Cardinales; & tales, qui de iure communi habeant etiam poteſtatem electiuam ſui Epiſcopi Romani, ſine vllo concurſu Eccleſiæ vniuerſalis; ſed vt ſint Cardinales Papæ, & conſequenter electores Papæ, vt Papa eſt vniuerſalis, & hi ſunt veri moderni Cardinales) Papa efficere non poteſt, niſi de conſenſu Eccleſiæ vniuerſalis, tacito, vel expreſſo. Et poſtquam Eccleſia expreſſit ſe non conſentire, niſi fiant Cardinales modo ab ea præſcripto, quis non videt ſi maior pars Cardinalium expreſsè repugnet in creatione alicuius Cardinalis veri, hoc eſt, electoris Papæ, hunc Cardinalem non eſſe, neque habere poteſtatem electiuam? Et huc tota Schola Pariſienſis tempore Concilij Conſtantienſis collimauit. Atque hinc Cardinales habuerunt iam totam dignitatem, totamque præcedentiam ſuprà omnes Epiſcopos; quia totam Eccleſiam vniuerſalem repræſentant: Suntque peculiares totius Eccleſiæ vniuerſalis Legati, & Procuratores.] Verùm ſunt in his multa animaduerſione digna; nam vt taceam primùm, Academias non ſolere leges Eccleſiæ ponere, aut decreta figere, ſed ſolùm conſilia impertiri, alma vniuerſitas Pariſienſis zelo Eccleſiæ, quo ſemper inter cæteras orbis terrarum Academias exarſit, inflammata, ac pertæſa tot ſchiſmatum, quibus vnitas Eccleſiaſtica ſcinderetur, totuſque orbis laceraretur, ſopiendis tumultibus, & ambitui comprimendo, ea excogitauit, ac propoſuit remedia, quæ pro temporum conditione commodiſſima viderentur, quale illud fuit de Cardinalibus auctoritate, & poteſtate augendis, quo Pontificem in ordinem cogere poſſent, ſed quorum pacatis rebus Eccleſiæ, tranquillitate reſtituta vſus, vel quàm minimus foret; Namque vt ſuprà monebamus, quæ tempore peſtis proſunt remedia, depulſo veneno vſurpari non ſolent: Ac prætereà neſcio, qua ratione Scholam Pariſienſem inducat honoribus Cardinales augentem, cùm eos de gradu deijcere, ſit ei conſtitutum, ac eò vires omnes intendant, & contraria planè nobiliſſimæ Academiæ ſentiat. Nam ipſo fatente, Pontificem pro Rectore vniuerſalis Eccleſiæ habet, ac veneratur doctiſſima Schola, cuius tamen poteſtatem ipſe intrà fines Imperij Romani cogere, ac cohibere impudentiſſimè conatur, ac prætereà illa Cardinales ipſos non modò Clericos Eccleſiæ Romanæ, quod ille blaterat, ſed totius Eccleſiaſticæ ditionis ſub Pontifice principes facit, & moderatores, vt ſi iam florentiſſimæ Academiæ iudicio ſtandum ſit, omninò cauſa cecidiſſe videatur aduerſarius. Quod attinet ad Concilium Conſtantienſe, quamquam eius maior eſt auctoritas, ſpectanda tamen ſunt etiam in eius decretis tempora, & fatendum multa addita, quæ ſchiſmatis pernicies extorſiſſet.

Cæterùm nec Concilijs ipſis fas ſit leges Eccleſiæ figere citrà Pontificis Romani ſententiam, vt ſuprà pluribus oſtendimus, auctoritate veteris Canonis, quo id eſt ſancitum: quare, Concilij Conſtantienſis ea decreta in Eccleſia vigent, quibus calculum ſuum Pontifex adiecit, roburque, & pondus addidit: Reliqua, & refixa, & obliterata manent. Cæterùm tanta non eſt apud nos auctoritate

Spa-

Spalatenſis, vt his,quæ de craſſo quodam decreto Conſtantienſi ex Dominico Veneto Torcellano Epiſcopo refert, fidem habeamus, melioribus indicijs,ac firmioribus argumentis ſunt iſta probanda: & vt extiterit aliquando illud Decretum, in Pontificis fuit poteſtate illud refixiſſe, ac pondus detraxiſſe; ſed vt dixi,nutat apud nos deſertoris fides, & Torcellani de Cardinalibus tractatum cuperemus ſincerioris editoris opera in lucem eſſe datum. Neq;verò tanti momenti ſunt eius rationes, vt Pontificiæ auctoritatis præiudicium facere poſſint, ac præterea ſe ipſe Eccleſiæ ſubijcit iudicio, quam videmus in receptum morem apertè conſentire, nec Pontifici Cardinales pro ſua auctoritate creanti refragari.

Spalat.n.49. Expendamus ſequentia. [Hinc verò, inquit, ipſi Cardinales ſe plurimùm extulerunt; adeò,vt tanti Papatus omnipotentatui, non mediocriter derogare ſint conati. Sanè ſub Eugenio tertio Cardinales,facto ipſo, exercebant eam auctoritatem, quam eis poſteà Schola Pariſienſis prima verbis explicauit. Cùm enim Epiſcopi Gallicani Bernardum Claræuallenſem ſequuti, aliqua in rebus fidei definijſſent, Eccleſiæ Gallicanæ factum (inquit Ottho Friſingenſis) tam grauiter ſacer Cardinalium Senatus accepit, vt cum magnamentis indignatione curiam intraret, ac tamquam vnum corpus effecti, vna omnes voce Pontifici ſuo dicerent: Scire debes,quòd à nobis, per quos tamquam per cardines vniuerſalis Eccleſiæ voluitur axis; ad regimen totius Eccleſiæ promotus, à priuato vniuerſalis Pater effectus, iam deinceps te non tuũ, ſed noſtrum potiùs eſſe oportere: nec priuatas,& modernas amicitias antiquis, & communibus præponere, ſed omnium vtilitati conſulere, Romanæque Curiæ culmen ex officij tui neceſſitudine curare, & obſeruare debere. Sed quid fecit Abbas tuus, & cum eo Gallicana Eccleſia? Qua fronte,quo auſu ceruicem contrà Romanæ Sedis primatum, & Apicem erexit? Hæc eſt enim ſola, quæ claudit, & nemo aperit: aperit, & nemo claudit. Ipſa ſola de fide Catholica diſcutere habens, à nullo,etiam abſens, in hoc ſingulari honore præiudicium pati poteſt. Sed ecce Galli iſti, etiam faciem noſtram contemnentes ſuper capitulis, quæ his diebus nobis aſſidentibus agitata ſunt, tamquam finitimæ ſententiæ vltimam manum apponendo, nobis inconſultis,fidem ſuam ſcribere præſumpſerunt. Certè ſi in Oriente,vtpotè Alexandriæ, vel Antiochiæ coràm omnibus Patriarchis huiuſmodi tractaretur negotium, nil firma ſtabilitate ſolidum, ſine noſtra definiri valeret auctoritate. Quinimmò iuxtà antiquorum Patrum inſtituta, vel exempla Romano ſeruaretur examini terminandum; Quomodo ergo iſti in noſtra præſentia vſurpare audent,quod etiam remotioribus, & maioribus nobis non licet? Volumus igitur huic tam temerariæ nouitati celeriter aſſurgas, ipſorumque contumaciam punire non differas. Hic vides Cardinales, ſe ſimul cum Papa vnum efficere corpus, ad regimen Eccleſiæ vniuerſalis compactum, quod poſteà ſuis commentationibus Cameracenſis, & Turrecremata Cardinales, vt iam vidimus, confirmare ſunt conati.]

Friſing. de geſt. Frid. lib.1.c.57.

Solemne eſt deſertori ea aduersũ Orthodoxos proferre, quæ ſententiam eius planè euertant; quid enim eſt in hoc Cardinalium facto, quod eius opinioni faueat, quod non ab Orthodoxis pro Catholico dogmate arripi poſſit; primùm enim apparet, etiam ſęculo Bernardi, Cardinales, ad quos reuocata eſſet Pontificis electio, tanta fuiſſe dignitate, & auctoritate, vt per eos,tamquam per Cardines (ſunt enim iſta eorum apud Otthonem Friſingenſem verba) vniuerſalis Eccleſiæ axis volueretur.

Apparet ſecundò, ſummum de rebus fidei iudicium ad Eccleſiam Romanam pertinere. Ac poſtremò,eo loco eſſe Cardinales in Eccleſia Romana, vt & ipſi Orientis Patriarchæ faſces ſubmittere teneantur, nimirùm,quod poſteà Cameracenſis defendit, & ipſi Eugenio inculcant, quia vnum cum Pontifice, & Eccleſia Romana corpus componunt:ne verò vel Gallicanis noſtris Epiſcopis, vel innocentiſſimo Abbati Bernardo ambitus vlla nota inuratur,lubet,quis huius controuerſiæ finis fuerit ex Friſingenſi recenſere: [Quos, inquit, ſupple Cardinales, Romanus Pontifex blando mitigans eloquio, Abbate ad ſe vocato, de hoc facto, qualitateue facti ſolerter inquirit. Cui ille humiliter ei cum reuerentia reſpondit: ſe vel Dominos Epiſcopos nihil de præfatis capitulis definiuiſſe: ſed quia ab Epiſcopo Pictauino (Gilbertum Porretanum Pictauienſem Epiſcopũ hæreſeos in materia Trinitatis à Bernardo poſtulatum intelligit) audierat, vt fides ſua ſcriberetur: idcircò, quia ſolus nollet, illorum auctoritate, ac teſtimonio ſimpliciter ſe, quod ſentiret, expoſuiſſe. Hocque tam humili, quàm modeſto ipſius reſponſo prædicta Cardinalium indignatio conquieuit.] Ibid.

Pergit Spalatenſis: [Priùs tamen Henricus, inquit, & ipſe Cardinalis Oſtienſis, qui Spalat.n.50. profertur à Torcellano obiectione 2. negat Papam poſſe priuare Cardinalem ſine conſilio, & aſſenſu Concilij generalis, quia Cardinalis loco Eccleſiæ vniuerſalis ſuum habet officium, quod officium ille ſolus ei auferre poteſt, à quo, ſeu cuius nomine illud ille obtinuit. Et hanc Oſtienſis opinionem Cardinales, vt ſibi valdè propitiam libenter ſunt ſecuti, quamuis eam Torcellanus non ſequatur; qui Papam implicitè vult habere ab Eccleſia vniuerſali poteſtatem, priuandi ex cauſa legitima Cardinales, in quo,ait, Papam exequi Eccleſiæ voluntatem; & nomine totius Eccleſiæ tales facere priuationes. Cameracenſis verò iam dictus, vt oſtenderet Eccleſiam debere de communibus bonis Cardinalibus abundanter prouidere; quædam præmittit de Cardinalium officio, dignitate, & poteſtate, & quidem in titulo vnius capituli, ſic habet: Concilium generale nihil habet iuris in dignitatem Pontificiam, quæ iuris eſt diuini, ſed in abuſum dignitatis Pontificiæ; & idcircò ſtatus Monarchicus Eccleſiæ regimine Ariſtocratico,& Democratico temperatur. Deindè capitulum ipſum tale ſubdit. Pro cuius declaratione vlterius dicendum eſt, quod licèt Papalis dignitas à Deo ſit, vndè ab homine nec maior, nec minor fieri poteſt, tamen vſus plenitudinis poteſtatis, ad excludendum abuſum poteſt Concilij generalis auctoritate re,

reſtringi. Ideò antiquo iure inſtitutum eſt, quod Papa profeſſionem faceret, &c. Et huiuſmodi profeſſio per lapſum temporis ampliata eſt, vt patet ex profeſſione Bonifacij Octaui, quæ incipit: Ego Benedictus Caietanus, &c. Similis quoque profeſſio iuxta rerum exigentiam in ſacro Conſtantienſi Concilio rationabiliter poterit ampliari. Sed ad regulandum vſum plenitudinis poteſtatis, & excludendum abuſum eiuſdem, conſiderare conuenit, quòd non expedit Eccleſiæ (quæ habere dicitur Regale Sacerdotium) quòd ipſa regatur regimine regio puro, ſed commixto Ariſtocratia generaliter pro Principatu populi, & non ſtrictè, prout contrariatur politiæ, quæ eſt ſpecies quædam regiminis, vel Principatus ſecundum virtutem, vt habet Ariſtoteles in Politicis; Pro cuius declaratione ſciendum eſt, quòd licèt regimen Regium, in quo vnus ſingulariter principatur multitudini ſecundùm virtutem, ſic meliùs quolibet alio regimine ſimplici, vt oſtendit Philoſophus 3. Polit. tamen ſi fiat mixtum cum Ariſtocratia, in qua plures dominantur ſecundùm virtutem, & cum Democratia, in qua populus principatur: tale regimen meliùs eſt, in quantum in regimine mixto omnes aliquam partem habent in Principatu: & etiam quia licèt regimen Regale ſit optimum in ſe, ſi non corrumpatur, tamen propter magnam poteſtatem, quæ Regi conceditur, de facili regimen degenerat in tyrannidem; niſi ſit in Rege perfecta virtus, quæ ratò, & in paucis reperitur. In cuius rei ſignum in populo Iſrael, cui ſuccedit populus Chriſtianus, Deus inſtituit quodammodò Regem; licèt non cum plena poteſtate, vt patet in Moyſe, & Ioſue. Sic etiam manifeſtè videtur, quòd eſſet optimum regimen Eccleſiæ, ſi ſub vno Papa eligerentur plures de omni, & ab omni Prouincia, & tales deberent eſſe Cardinales, qui cum Papa, & ſub eo Eccleſiam regerent; & vſum plenitudinis poteſtatis temperarent, & hoc notari videtur in cap. Per venerabilem; extra, Qui filij ſint legitimi. Ad idem facit, quòd Cardinales ſunt pars corporis Papæ, & eius coadiutores, de elect. cap. Fundamenta lib. 6. Ex quo clarè patet, quòd ſtatus Cardinalium eſt in Eccleſia valdè vtilis, & neceſſarius, ſi debitè ſuo fungantur officio, ad quod generale Concilium debet ſummoperè laborare, &c. Huc vſque Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracenſis, qui, vt audiuimus, regimen Eccleſiæ vniuerſalis in vſu negat eſſe Monarchicum purum, ſed ipſum Ariſtocratia aliqua temperandum eſſe, & reipſa temperari aſſerit, vt nimirùm Papa, non ſine Cardinalibus, qui in vſu ſuæ poteſtatis eum moderentur, Eccleſiam regat vniuerſalem. Atque ità Cardinalis iſte non facit meros, & puros Conſiliarios, aut Electores Papæ ipſos Cardinales, ſed etiam ſuam in vniuerſalis regimine Eccleſiæ partem eos habere contendit. Quem Turrecremata ſequens ait; Cardinales ità nominantur, quia ſicut cardine oſtium regitur, vndè dicitur Prouerb. 26. oſtium vertitur in cardine, ità Dominorum Cardinalium conſilio, & aſſenſu ſummus Pontifex regit, diſponit atque gubernat vniuerſalem Eccleſiam. Audis Cardinalium aſſenſum requiri in vniuerſalis Eccleſiæ regimine, & non ſolùm conſilium? & Eccleſiam Ariſtocraticè, non Monarchicè eſſe regendam?] Sed hæc omnia inconſtantiſſimè dicuntur, & *diruit, ædificat, ac mutat quadrata rotundis* Aduerſarius, ſuprà, Torcellanum commendabat, ac eius de Cardinalibus tractatum laudibus in Cœlum ferebat, nunc eum deſerit, ac pro Pontificis auctoritate contendentem, eique tacitum Eccleſiæ conſenſum aſcribentem ablegat, ac reijcit, ſuprà quoque Cardinales meros Conſiliarios citrà ius ſtatuendi de rebus Eccleſiæ faciebat, nunc verò Cameracenſem venditat, eos Eccleſiæ vniuerſalis Iudices, conſtituentem: quid poſſit inconſtantiùs fingi? Quod ſpectat ad Cameracenſis doctinam de Monarchia Eccleſiæ, Ariſtocratia, ac Democratia temperando, diximus de ea re ſuprà. Sed ſunt reliqua etiam libranda. [Hæc tamen tanta, inquit Spalatenſis, Cardinalium poteſtas, & excellentia magnum Monarchiæ præiudicium faciens, ab ipſis Papis tolerari non potuit; ſed eam ſtatim penè, atque exorta eſt, compreſſerunt. Nam & Decretum Concilij Conſtantienſis, huic doctrinæ innixum, ex actis dicti Concilij eradendum, vt ſuſpicor, curarunt, & doctrinam hanc Pariſienſem Monarchici moderniores artificioſo ſilentio, nec commemorantes quidem, illam ſupprimere, & obliuioni tradere ſunt conati; ne aditus apertus cerneretur ad Papam ipſum, etiam per ſuum conſiſtorium coercendum. Atque vt hoc periculum adhuc longiùs à ſe propulſarent Romani Pontifices, Cardinalium creationem ſibi liberam eſſe voluerunt, vt eam in conſiſtorio quidem faciant, ſed non cum Conſiſtorio; & quamuis Baſileenſe quoque Concilium Decretum illud habeat; id tamen contemnendum eſſe putarunt, quia eius Concilij acta omnia, negata eis Papali confirmatione, nullius momenti reputat Sedes Apoſtolica. Conſtatienſe verò decretum, quia illud fuerat à Martino V. legitimo, & vero Papa admiſſum, & confirmatum (vt teſtatur Torcellanus propoſ. 2.) cùm id reijcere non poſſent, expunxerunt. Nihilominùs tamen, ſi verum eſſet, Papatum dari in Eccleſia, & illum à Chriſto fuiſſe in Petro inſtitutum, cum ſucceſſione in Papas transfundendum, tractatus Torcellani conuincit, Cardinales illam habere auctoritatem, quam conſiſtorium ſub Eugenio III. quam Oſtienſis; quam Alliacenſis, & Turrecremata; immò & tota Schola Pariſienſis tribuunt veris Cardinalibus. Etſi illam agnoſcerent, poſſent, ſi vellent, Papis fræna inijcere. Facta enim ſuppoſitione, quæ nunc in Romana doctrina eſt certiſſima, imò de fide; videlicèt Papatum eſſe in Eccleſia, Cardinales, vt legitimi Eccleſiæ vniuerſalis Miniſtri, & Legati vſum Papalis poteſtatis; immò abuſum, ſicut poſſent, ità & deberent moderari; ne cum tanto Eccleſiæ ſcandalo ſuam abſolutam Monarchiam, cum tanta Cleri iniuria Papæ exerceant; & in hoc totam Eccleſiam vniuerſalem ipſi Cardinales propitiam haberent.] Doctrinam Scholæ Pariſienſis repudiare, vt liberum fuit Pontifici, aut eius rationem habere, quandoquidem, vt dixi, non leges ponere, ſed conſilia impertiri ſolent Academiæ, ita eius auctoritatis fuit, & Synodi Conſtantienſis, & Baſileenſis decreta, in quibus, vt etiam monui, tempora ſpectanda ſint,

Turrecr. de Eccl. lib. 1, cap. 80.

Ad cap. 12. 1. lib.

Spalat. n. 51.

ſint, vel probare, vel reſcindere; Sed quòd eraſum, ac expunctum è Concilio Conſtantienſi decretum, quo in Pontificem Cardinalium ordo armaretur, comminiſcitur Spalatenſis; ac ex ſuo Torcellano probare contendit, ſuſpicioſi hominis, & malè in Pontifices animati coniectura eſt, cui vix eſt, vt fidem habeamus, cùm fraudis veſtigia nulla ſubſint, atque quidem cum ipſo adnitente fidei dogma ſit, Pontificem eſſe Rectorem Eccleſiæ vniuerſæ, vt poſſint Cardinales conſilijs cum iuuare, leges tamen dare nequeunt, quas potiùs accipere ſolent.

Quare, ſi quid eſt à Pontifice in hac re immutatum, eius decretis ſtandum ſit, in quibus commodi Eccleſiæ, & dignitatis ſuæ rationem habuiſſe par eſt credere, ſecùs, eius nutaret auctoritas, quam tamen Spalatenſis, firmas radices ieciſſe, ac planè in Eccleſia obtinuiſſe, agnoſcit: Neque verò dubitamus, etiam Cardinalium monita, hac in parte ab eo plurimi fieri, quamquam his teneri, vt ne latum quidem vnguem vnquam ab ijs recedere poſſit, minimè credamus, eius ſcilicet eſt rationum momenta librare, ac quid è re ſit Eccleſiæ diiudicare, ac ſi quid aliquando humani in his rebus patiatur, procul dubiò hominem non exuit, ſed eſt in manu Dei cor eius, nec deeſſe Spiritum ſanctum gubernacula Eccleſiæ tractanti, ac de ſummis rebus ſtatuenti, vt credamus, promiſſa Chriſti planè inducunt, ac iubent.

Spal. n. 52. Sed iam molliora, & mitiora monita habet Spalatenſis. Quòd ſi non audent, inquit, totam hanc auctoritatem exercere Cardinales, vtinam ſaltem debita cum charitate, & libertate nimios Papæ abuſus, pia & religioſa admonitione compeſcerent, illumque in deuia ruentem fraterna correptione retraherent, & non potiùs illum ſilentio, conniuentia, & quod peius eſt, peſtifera aſſentatione in peiora impellerent. Fuerunt aliquando Cardinales in hoc genere laudatiſſimi, atque ex multis exemplis proferam vnum noſtris Cardinalibus apprimè imitandum, quod diligens, piuſque Monachus veridicus olim hiſtoricos literis conſignauit. Scripſerat literas Innocentius IV. ad Robertum Lincolnienſem in Anglia, de more imperioſas ſuper prouiſionibus tunc ſolitis, vt exteris, etiam indigniſſimis, pinguia primò vacatura beneficia

Infrà cap. 8. num. 66. darentur. Ad hæc mandata vir ſanctus Robertus iniuſtiſſimarum prouiſionum oſor acerrimus, reſpondet liberè Pontifici, redarguit iniquas prouiſiones, negat abſolutè ſe contrà Euangelicam, & Apoſtolicam doctrinam pariturum. Hæc cùm ad Domini Papæ audientiam perueniſſent, non ſe capiens præ ira, & indignatione, toruo aſpectu, & ſuperbo animo ait: Quis eſt iſte ſenex delirus, ſurdus, & abſurdus, qui facta audax, immò temerarius iudicat? Per Petrum, & Paulum, niſi moueret nos innata ingenuitas, ipſum in tantam confuſionem præcipitarem, vt toti mundo fabula foret, ſtupor, & exemplum, & prodigium. Nonne Rex Anglorum noſter eſt vaſallus? vt plùs dicam, mancipium, qui poteſt eum nutu noſtro incarcerare, & ignominiæ mancipare? Et cùm hæc inter fratres Cardinales recitarentur, vix compeſcentes impetum Papæ, dixerunt ei; Non expediret, Domine, vt aliquid durum contrà ipſum Epiſcopum ſtatueremus: vt enim vera fateamur, vera ſunt, quæ dicit: Non poſſumus eum condemnare: Catholicus eſt, immò & ſanctiſſimus, nobis religioſior, nobis & ſanctior, excellentior, & excellentioris vitæ, ità vt non credatur inter omnes Prælatos maiorem, imò nec parem habere. Nouit hoc Gallicana, & Anglicana Cleri vniuerſitas, noſtra non præualeret contradictio. Huiuſmodi epiſtolæ veritas, quæ iam fortè multis innotuit, multos contrà nos poterit commouere: Magnus enim habetur Philoſophus Latinis, & Græcis literis ad plenum eruditus, zelator iuſtitiæ, Lector in Theologiæ Scholis, prædicator in populo, caſtitatis amator, perſecutor Simonialium. Hæc dixerunt Dominus Ægidius Hiſpanus Cardinalis, & alij, quos propria tangebat conſcientia: Conſilium dederunt Domino Papæ, vt omnia hæc conniuentibus oculis ſub diſſimulatione tranſire permitteret, ne ſuper hoc tumultus excitaretur: Maximè propter hoc, quia ſcitur, quòd quandoque diſceſſio eſt ventura. Hæc Paris, Dicerem, hanc eſſe illorum bonorum Cardinalium prophetiam; dum diſceſſionem Eccleſiæ Anglicanæ à Romana manifeſtè prædicunt; niſi cognoſcerem, illos non ſecùs, atque Anſelmum, acri iudicio præditos; ex Romanæ Sedis nimijs iniquitatibus meritò diſceſſionem hanc probabili ratione conieciſſe. Admiſit tantiſ- Suprà c. 3. huius n. 31.

per Innocentius ſuorum Cardinalium conſilium: vlcus tamen nimiæ ſuperbiæ, non multò poſt recruduit, ità vt mortuum quoque Robertum perſequi ſtatuerit; de oſſibus enim ipſius ex Eccleſia proijciendis cogitabat; Sed eum Robertus in nocturno ſomnio acri obiurgatione terruit, cuſpideque ſui baculi paſto- Paris vbi ſuprà an. 1254

ralis in latere percuſſit, indèque dolore concepto, non multò poſt animam Pontifex exhalauit. Diſcant, & timeant noſtri; diſcant Cardinales, quid ſuadeant; diſcant, quid audiant Papæ; à pijs Epiſcopis perſequendis ſedulò caueant: ſe corrigere, non alios perdere ſatagant, niſi ipſis cordi ſit mortuorum pedo paſtorali, etiam viuentium calamo Theologico excitari, immò ſauciari.

Quandoquidem Cardinales Pontificis Conſiliarios, & adminiſtros diximus, non dubitamus, ſummam dignitatem ab eis repoſcere, vt magna libertate Pontificem adhortentur ad ea præſtanda, quibus Eccleſiæ conſulatur, ac commune eius bonum promoueatur, neque verò deeſſe officio ſuo exiſtimamus & quid hac in re præſtiterint, etiam hoc noſtro ſeculo Boromæi, Baronij, Bellarmini, Perronij ſacri conſiſtorij lumina, eſt, vt de ſuperſtitibus taceamus, penè toti Orbi exploratum; neque verò eo eſt faſtu, aut tyrannide Pontifex, vt prudentiſſimorum virorum, quos ſancta Sedes in publicum conſilium delegit, temerè repudiet, ac tumidus reijciat; ſed vt dixi, eius momenta rationum librare, ac de rebus ad Eccleſiam pertinentibus pro auctoritate ſtatuere.

Non eos fugit Petrum à Paulo, quamquam minore, aut inferiore Apoſtolo reprehenſum, ac vt Paulum charitatis, ità Petrum humilitatis magna ſui commendatione ſpecimen dediſſe, ſed Spalatenſis eò monita ſua confert, vt Cardinales poſita reuerentia, quæ

Ca-

Digitized by Google

Capiti Eccleſiæ debeatnt, inſolentiùs ſe aduersùs Pontificem inferant, nec conceſſa ſibi à Chriſto poteſtate vti patiantur, hic tot mordacium conuiciorum, totque calumniarum ſcopus eſt, quibus Pootificem onetat, ac præſtantiſſimo ordini iouiſum, & exoſum reddere conatur.

Propterea ſcilicet mirè illi placene ſabnlæ, quas fecie Matthæus Patis: ſabulas dico verè ſannionis, ac irriſoris Monachi commenta, qnibus maledicam hiſtoriam ferè totam fœdanit odio Pontificum, penès quos eſſe pioguiorum quorumcumque beneficiorum io Anglia diſpoſitionem homini illi doleret; Verùm vt hæc acriùs Anglos vrgerent, moleſtiaſque faceſſerent, ſannis, irriſionibus, & probris agendum non fuit, multò minùs calumnijs oneranda ſumma poreſtas, cùm tamen id vnum conſtitutum fuiſſet Matthæo illi, vt Pontificem dehoneſtaret, ac eius miniſtros illi inuiſos redderet; quod illis perſpectum eſt, qui illum triuerunt, quod etiam monuimus.

Certè ipſi Angli Pontificiæ auctoriratis hoſtes, multa in annalibus illis eſſe contendunt, quæ videntur ad ſpecieoi compoſita, vt quæ de Roberto illo Lincolnienſi ſanctiſſimo Antiſtite inducuntur: his ſe oblectet Spalatenſis, his ſuam defenſionem & proteroiam rueatur, non eſt, quòd eum aut ſpirantem, aut buſto conditum vereatur Pontifex, aue à pedo eius ſibi caueat; nam ea ſanctieate non eſt, aue innocentia, vt expectanda ſint miracula, quibus eius auctoritas cœlo inuiſa aſſeratur.

Spalat. n. 53. Sed pergit conuiciati, certè Augiæ ſtabulum eſt hoc ſcriptum, coi repurgando, vel Hercules par eſſet. [Totius Eccleſiæ vniuerſalis, inquie, Procuratores magnos, & Legatos faciebant aliqui Domioos Cardinales, ſuppoſito tamen ſummo Papatu iu Eccleſia: Sed quia reuera Papatus hic io Eccleſia oullus eſt vniuerſalis, vt ſatis iam conſtat, & conſtabit, cùm Papa noſter bono iure non ſit, niſi Romanus Epiſcopus Metropolitanus, & vnus, ſed primus Patriarcha; hæc Cardinalitia dignitas, quæ dicitur, Eccleſiam vniuerſalem repræſentate, tota concidit.]

Adhuc tamen etiam data eis, & non conceſſa hac vniuerſalis Eccleſiæ legatione, non poſſunt, neque debent Epiſcopis præcedere, in ſolo enim actu electionis eorum fulgeret dignitas, extrà actom verò electioois, qui totus eſt Iuris poſitiui, maneret ſuus cuique locus clericalis: in gradibus porrò Eccleſiaſticis, vt libro ſecundo pleniſſimè docui, Epiſcopi ponuntur primi, tum Presbyteri, tum verò Diaconi, & poſt hos alij inferiores adminiſtri.]

Et Eccleſiaſtica Hierarchia Patriarchas ſummos habet; indè Primates, ac Metropolitanos, & poſt hos reliquos Epiſcopos, Cardinalium nulla vſquam mentio, vtì gradus ab his diſtincti; quinimò Epiſcopi etiam, & Presbyteri omnes ſunt de iure diuino totius Eccleſiæ vniuerſalis, & in officijs, ac muneribus grauiſſimis prædicationis verbi, & Sacramentorum mioiſtrationis, vt docui libro ſecundo capit. 7. Miniſtri proprij, & ordinarij.]

Eſtque accidentarium quippiam Epiſcopo, & Presbytero, quòd ſit certæ alligatus Eccleſiæ, qui de ſe, & eſt totaliter eſt in habitu totius Eccleſiæ Miniſter, in actu verò ibi, vbi ſuum actu exercet officium: Non ergo poteſt miniſtrum vniuerſalis Eccleſię ordioarium, & in maximè præcipois Mioiſterijs præcedere alius vniuerſalis Eccleſiæ Miniſter extraordinarius, & ad vnicum ſatis leuis momenti, & breuiculo tempore præſtaodom miniſterium aſſumptus, nimirùm ad ſolam vnius Miniſtri, licèt principalis, electiouem; ſiquidem hoc mioiſterium poteſt etiam laicis, etiam viliſſimæ plebi committi: Sed tamen electionem hanc Cardinalibus ab Eccleſia vniuerſali non committi, patebit inferiùs, vbi de electione Papæ agam cap. 11.]

Ità dato etiam, & non conceſſo, Cardinales ſuccedere Apoſtolis in officio aſſidendi, cùm hoc officium ſit longè inferius officio prædicandi, & conuertendi mundum, ac ſacris imbuendi, & animas expiandi; in quo officio Epiſcopi ijdem ſuccedunt Apoſtolis, neque id negant Cardinalium clarores, cur ergo Cardinales præcedant Epiſcopis? Ideò tandem fortaſsè ad præſcriptionem confugient: Sed præſcriptio io rebus diuinis, vt in humanis, locum non habet, vbi præſertim vis iuuat præſcriptionem.] Spalat. o. 54.

Et ſi præſcriptione ſola procedunt, ius verum non habent; quia vbi iura non ſuppetunt, præſcriptionibus vtimur, & contra præſcriptionem rurſùs præſcribi poteſt. Sic olim Hieronymi tempore, immò etiam Bernardi, Diaconi Romani præcedebant Presbyteros Romanos, idque iam præſcripſerant; nunc verò contrarium fit: igitur contra præſcriptionem alia iovaluit præſcriptio, immò ius, & veritas.]

Sed & hoc mirabile eſt, ſi ius hoc eligendi Papam, eique aſſidendi, & eum conſilijs, & opera iuuandi, tantam tribuit dignitatem, & excellentiam, vt vel Epiſcopos ſuperet, vel etiam magnos Principes, cur excellentia hæc ignota fuit per tot ſecula in Eccleſia; in qua tamen poteſtas hæc, quæ Cardinalium iam propria vſurpatur, ſemper fuit? Tempore ſanè Benedicti octaui poſt milleſimum Chriſti annum, cœpit eſſe in pretio, inquit Genebrardus, non in vſu Cardinalatus. Vt verò pileo roſeo vterentur, & equo veherentur Cardinales, conceſſit Innocentius IV. ait Volaterranus; qui & illud addit: ſicut enim Vrbis Romæ Epiſcopus cæteris præſtabat; ſic etiam Clerus Romanus, cui titulos Euariſtus primus omnium diſtribuit, ijdemque Pontifici de communibus fidelium rebus adſiſtebant: Cardinales deindè, ideſt, præcipui, aut principales poſteris appellati. Pompa his, ſplendorque comitum, & ornatus defuere; quos Innocentius addit; vtì diximus. Noſtra quoque ætate Paulus ſecundus, etiam capitis tegmenta tuſſata. Hæc ille.] Genebr. in Chron. ann. 1030. Volat, l. 21,

Sunt hæ omnes Sycophaotarum calumniæ, ac impoſturæ, negat Pontificem Rectorem eſſe Eccleſiæ vniuerſæ, cum intrà fines Epiſcopatùs Romani cogit, vno, eodemque conatu Cardinaliom poteſtatem impetit, ac labefactat, & quaſi ſua ſomnia nobis probarit, exultat, triumphat, oobiſque inſultat, & reuera Crotalum diceres, qui ſolutiore illa ſua loquacitate neminem non obtundat; ſed hominis nugas, ac deliramenta profligauimus, ac diſpunximus, & quæ hic de coarctanda Cardi-

dinalium ad vnam electionem auctoritate rurſùs inculcat, ſunt ſuprà refutata, adeòque eſt demonſtratum ex Bellarmino, vt in regendis priuatis Eccleſijs primus locus ſit Epiſcoporum, in adminiſtranda tamen vniuerſali Eccleſia primas habere Cardinales Orbis terrarum Iudices, & Pontificis Aſſeſſores, & Conſiliarios, qui & ipſi, vt plurimùm Epiſcopali, adeòque principali dignitate effulgeant; ſed hæc ſatis ſunt in ſuperioribus explicata, neque hìc aliud quàm probra retexit Aduerſarius. Feramus illum genio indulgentem, vomitione corpora leuantur; non eſt igitur quòd illam ſiſtamus, valetudini hominis ità ſperamus profuturam.

Sed de purpura differentem audiamus. Spalat. n 55. Hieron. in procem. l. 8. in Ezech. Idem in Iſa. cap. 61. Proh dolor! inquit, vile palliolum flagrante iam clericali auaritia, adhuc tamen erat proprium Clericorum, hoc eſt Eccleſiaſticorum virorum indumentum; nunc verò tandem ad purpuram deuentum eſt, quæ Regij decoris eſt inſigne, vt ait Hieronymus, & Ambroſius Theodoſium pœnitentem increpans, & à Presbyterio Eccleſiæ, arcens, ait illi, Purpura Regem, non Sacerdotem facit.]

Ideòque meritò in Narbonenſi quodam Concilio primum Decretum huiuſmodi poſitum eſt, vt nullus clericorum veſtimenta purpurea induat; quæ ad iactantiam pertinent mundialem; non ad religioſam dignitatem, vt ſicut eſt deuotio in mente, ità & oſtendatur in corpore, quæ purpura maximè laicorum poteſtate præpeditis debetur, non religioſis. Momordit hoc Decretum Cardinalem purpuratum Baronium; eique hæc ſubdidit: vſus quidem purpuræ fuiſſe, ſcitur præcepto Dei in ornatu veſtium ſummi Pontificis Chriſtianorum; qua carere non debuit: cùm maiorem forè gloriam Chriſti Sacerdotij, quam Aaronici, pariter Prophetæ prædixerint: Porrò quæ peculiaris vſus Romanæ Eccleſiæ eſſent, alijs vti illis vetitum erat, &c. Debuit profectò Cardinalis hic, non minùs in vultu, quàm in veſtimentis erubeſcere, quando iſta ſcripſit, grauem enim irrogat iniuriam Euangelio Chriſti; & ſacræ Scripturæ turpem vim inijcit, dum gloriam totam ſpiritualem Chriſti Sacerdotij à Prophetis prædictam trahit ad inanem, & faſtuoſam gloriam mundanam, & temporalem, etiam in indumentis.]

Tunc ſanè, & purpura, & aurum (vt loquar cum Hieronymo) probabantur à Domino, quando Sacerdotes hoſtias immolabant, & ſanguis pecudum erat redemptio peccatorum, quamquam hæc omnia præceſſerint in
1.Corin. 10. figura: Scripta ſunt autem propter nos, in quos fines ſæculorum deuenerunt. Nunc verò cùm paupertatem domus ſuæ pauper Dominus dedicarit, cogitemus crucem eius, & diuitias lutum putabimus, &c.]

Vide quæ in hoc genere ſcribimus, infrà libro 9. cap. 5. num. 34. 40. 41.

Et Concilium Narbonenſe reprehendit vſum purpuræ in quocumque Sacerdote, etiam Romano, quamuis prohibitio illius Concilij extrà illam Prouinciam non ſe extendat. Ludouicus Imperator pijſſimus, egregius Cleri reformator, in quadam Synodo, & ipſe Narbonenſe Decretum ſecutus, conſtitui voluit; ne Epiſcopi, & Clerici cuiuſuis gradus pretioſas veſtes coccinei coloris ferrent.]

Atqui ſi aſſiduis conuicijs deprodere non didiciſſet Spalatenſis, ac duritia oris non laboraſſet, magnum Cardinalem immerentem tam acerbè non vexaſſet.

Annon igitur verum eſt, quod ille ſcripſit. *vſum purpuræ fuiſſe Dei præcepto in ornatu veſtium ſummi Sacerdotis veteris legis*: quo inferior non ſit Eccleſiæ Catholicæ Pontifex, & Rector? Sed propius ad rem. Purpuram Regum, & Imperatorum inſigne fuiſſe, vel ipſi pueri norunt.

Vnde apud Herodianum Commodus, vt ſe Imperatore Patre natum ſignificaret inter cætera exercitum his verbis affatus eſt: *Priuatu intactum cunabulis ſtatim, vt ex alio prodieram, Imperatoria purpura ſuſcepit, ſimulque Sol me vidit hominem, & Principem.* Quare & Horatio, & Claudiano tyranni, ac Reges *purpurei*, ideſt, purpurati vocantur: Verùm non modò Regum, ſed etiam honoratiorum quoque Magiſtratuum ornamentum fuiſſe, etiam omnes docti norunt, vnde aliquando purpura pro ipſis Magiſtratibus ponitur.

Purpura te fœlix, te colit omnis honos,

Ait Martialis: & Plinius *Romanam purpuram*, Romanos vocat Magiſtratus. Cæterùm apud Principes, qui dignitate anteirent, à purpurea veſte, qua vterentur, purpurati etiam dicebantur, vnde eſt illud conſtantiſſimi viri ad immanem tyrannum; *Iſtis quæſo*, inquit, *iſta horribilia minitare purpuratis tuis*. Nec ſolùm prophanorum Magiſtratuum vſibus illa ceſſit, ſed & Pontifices ornauit, namque prætextatas Sacerdotes deſcribit Liuius. Erat verò prætexta toga veſtimenti genus oblongum, ac talare, quod ſupra tunicas honoratiſſimi quique ſumebant, ità dicta, quòd ei purpura prætexeretur *perirporphyros* quam etiam vnà cum bulla ingenui pueri vtebantur vſque ad decimum ſeptimum annum.

Quid ergo prohibeat purpuram tum à Pontifice Chriſtianorum, tum ab honoratioribus miniſtris, Cardinalibus ſcilicet, vſurpari? *At inquit Concilium Narbonenſe*, ait Spalatenſis, *ad iactantiam pertinent mundialem purpurea veſtimenta, non ad religioſam dignitatem*. Spalat. n. 55.

Reſpondeo, ſi in vniuerſum hæc ratio obtineat, & aurum, & argentum è templis Chriſtianorum eſſe eliminandum, nec etiam Spalatenſi permiſſum, vt lino, ſeu byſſo vtatur, quandoquidem, & hæc ad faſtum mundanum pertinere videntur, nec verò latiùs ſeſe fundit Ludouici pij decretum.

Eſt ergo Concilij ſenſus ex eorum conditione, in quos lex ferretur, rimandus, priuata erat Synodus vnius Narbonenſis Prouinciæ, quæ propterea non niſi priuatos ſuos Clericos hoc decreto teneri voluerit, & verè omninò Cardinalis Baronius aduertit, quæ peculiaris vſus Romanæ Curiæ eſſent, alijs vti illis vetitum fuiſſe, vt ex Gregorio conſtat, qui calceorum compaginatorum, dalmaticarum mapularum, vſum aliarum Eccleſiarum Clericis interdictum ſcribit.

Propterea ſcilicet ſummis Eccleſiæ Miniſtris ſola purpura eſt relicta, cuius ornatum ne ad Apocalypticum ſcortum referat Aduerſarius, aduertendum eſt, & nobiliſſimum

pau-

pannum, & fulgentiſſimum colorem in adiaphoris, & indifferentibus poni, cuius vſus & bonus, & malus eſſe poſſit; malus ſi ad pompam, & laſciuiam referatur, bonus ſi dumtaxat tamquam ius legitimæ dignitatis inſigne citrà omnem faſtum retineatur; neque verò ſolùm meretrix illa Apocalyptica purpurata deſcribitur, ſed & in mulieris illius fortis, quam depingit Salomon, quamque typũ eſſe Eccleſiæ contendit Auguſtinus, laudibus iſtud ponitur, *byſſus, & purpura veſtimentum eius*. Prou. 30.

Neque verò ſi ad faſtum ſolùm pertinuiſſet purpura, ſummo ſacrorum ſuorum miniſtro, Pontifici antiquæ legis eius vſum conceſſiſſet Deus, aut etiam in tabernaculi, aut templi ornamentis locum habere voluiſſet. Non dubito verò Boromæos, Bellarminos, Baronios, ac ſimiles purpura fulgentes demiſſiùs de ſe ſenſiſſe, quàm viliori etiam Pallio amictus ſentiat Spalatenſis, neque enim protinùs nobilior amictus ſuperbiam inducit, & notum eſt illud Reginæ Eſtheris ad Deum: *Tu ſcis, quòd abominer ſignum ſuperbiæ, & gloriæ meæ, quod eſt ſuper caput meum, in diebus oſtentationis meæ, & deteſter illud quaſi pannum menſtruatæ*. Eſther. 14.

Quibus verbis ſuam humilitatem prodit quæ Regio ornatu nullatenùs corrumperetur, aut labefactaretur, cuius exemplo non dubito ſanctiſſimos viros, cum nobiliorem illum amictum geſtarent, omnem faſtum ac arrogantiam abieciſſe, ac hoc vnum ſibi propoſuiſſe purpuram Cardinalibus additam, non ad faſtum, aut excitandum, aut alendum, ſed ad hoc, vt ex eo amictu diſcerent, quid ab eis ſumma dignitas repoſceret.

Certè Innocentium IV. cùm Eccleſia grauiſſimè à Friderico II. vexaretur, ſtatuiſſe, vt Cardinales omnes rubro galero vterentur, quo videlicet ſcirent, ſua capita pro Eccleſiæ libertate tuenda, etiam mortis periculo obijcienda, præſertim illo tempore, quo Fridericus aduersùs Eccleſiaſticos omnes ſæuiret, hiſtoriæ tradunt.

Quemadmodùm igitur olim, ideò ingenuis pueris attributam prætextam togam exiſtimant, vt ex purpuræ rubore ingenui pudoris admonerentur: ità Pontifex purpurei coloris galerum voluit eſſe Cardinalitium, vt rubri coloris ſpecie obiecta edocerentur ſanguinem pro Eccleſia vltrò ſundere, vbi eſſent profuturi.

Ad illud Hieronymi, quod opponit aduersùs purpuram Spalatenſis, Reſpondeo, Hieronymum hoc tantùm ſibi velle, quod alio loco inculcat ipſe Cardinalis Baronius Gregorij paupertatem laudibus in cœlum tollens, ac egentiſſimum eum deſcribens: [Hæc autem, inquit, ſpectanda proponimus aduersùs eos, qui Pontificium decus totum collocant in regio apparatu; quo ſi vel minimùm careat, imminui penitùs putant Pontificiam maieſtatem.]

Sed cùm & hoc non negligendum putemus, Apoſtolicum tamen ſplendorem cœleſtibus magis intelligant micare radijs, & diuinæ præſentiæ, quæ ei aſſiſtens inuigilat, coruſcare fulgoribus, illuſtrati inſuper addito nitore virtutum: cùm ſciamus pauperrimos ſæpè Pontifices extorres Regibus imperaſſe, & Imperatores potentiſſimos infrænaſſe, atque ad pœnitentiam humi quoque proſtraſſe.] Sanè, Hieronymus ipſe, quæ de futura Eccleſiæ gloria vaticinati ſunt Prophetæ, non modò ſpiritaliter, verùm etiam carnaliter, vt ille loquitur, aliquando impleta eſſe, ſuis ad Eſaiam commentarijs contendit.

Sed dicamus de Hieronymo ipſo, num Cardinalis fuerit, & rubrum galerum geſtarit: [Scias verò, inquit Spalatenſis, Hieronymo viro ſanctiſſimo iniuriam non leuem fieri; dum ille, qui vili palliolo fuit ſemper contentus, & veſtimentorum faſtum in Clericis tantoperè reprehendit; purpura fulgens, ad modum noſtrorum Cardinalium pingitur; qui ne Cardinalis quidem vnquam Romanus fuit; immò neque abſolutè fuit in vlla Eccleſia Presbyter Cardinalis; quia in nulla vnquam Eccleſia fuit incardinatus, aut fixus in ea miniſter ordinarius, & ſub certo titulo collocatus: Ordinatus quidem Presbyter eſt Antiochiæ; ſed miniſterijs presbyteralibus illius Eccleſiæ non eſt deputatus, & maluit abſtinere ab officio presbyterali exercendo, quàm in vlla Eccleſia incardinari Monachali profeſſione, hoc eſt, à clericali remotiſſima, contentus, perpetuò clericalem vitam fugit; vt docui libro ſecundo capit. 52. num. 52. 53. & quamdiù Damaſo in ſcribendis literis inſeruiuit, nullum titulum eccleſiaſticum habuit, cuius miniſterio eſſet fixè deputatus. Qui igitur illum Cardinalem Romanum faciunt, errant plurimùm: & quædam, quæ dicitur Auguſtini epiſtola, eſt mera impoſtura: ſicut & ſerm. 24. ad fratres in eremo, in quibus Hieronymus ſatis inſulsè vocatur Presbyter Cardinalis. Spalat. n. 56.

Obijciet fortaſsè aliquis mihi priuilegium à magno Conſtantino datum Papæ Silueſtro, & eius Clero, quem dicimus eſſe Cardinales, in quo hæc habentur. Et viros religioſiſſimos diuerſorum ordinum Clericos, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſeruientes, ornari decernimus, & illam habere amplitudinem, & maieſtatem, qua ornatus erat magnus noſter Senatus, ſeu Patritij, & Conſules, & reliquæ dignitates. Et ſicut Imperialis exornata eſt militia; Ità etiam S. R. E. Clerum exornari decernimus. Et quemadmodùm imperatoria poteſtas multis officijs exornata eſt, Cubiculariorum, Oſtiariorum, Excubitorum, ità etiam Sanctam Romanam Eccleſiam exornari volumus; & vt lumen Epiſcopale, quam ampliſſimè præfulgeat. Hoc quoque decernimus, vt Clerici ſancti Romanæ Eccleſiæ equitent equos albis linteis ornatos: & ſicut noſter Senatus fert calceos, ſeu ſandalia cum linteis albis; ità etiam cœleſtia, ſicut terreſtria ad Dei laudem, &c. Spalat. n. 57.

Hoc tamen priuilegium, ſeu hanc Conſtantini donationem totam eſſe fictitiam, etiam noſtri fatentur, Monarchici præcipui, vt conſiderabo lib. 6. cap. 55. num. 52. 53. ſed ſi etiam velint Domini Cardinales, ſuam dignitatem, ſuaque priuilegia, Imperiali conceſſioni accepta ferre; non reſiſto: ſint Patritij, ſint Conſulares, vt lubet; Fulgeant laica purpura, & ſeculari poteſtate, quàm maxima velint, non repugno: In Eccleſiaſticam tamen ſe non intrudant Hierarchiam: Epiſcopos ſi ſub ſe tenent, ſicut Reges, & Principes mun-

mundani, & temporales, ſuadeo & mihi, & omnibus Epiſcopis, vt hiſce Principibus laicis humile obſequinm exhibeamus; ſed ſi Eccleſiæ miniſtri id faciunt; & illi errant, dum nos ſubijciunt, & nos adhuc magis erramus, qui indebitè obſequimur.] Non eſt, quòd profligatæ de Cardinalatu Hieronymi fabulæ gloriam ſibi aſſerat Spalatenſis, impudens commentum pluribus refellit in Annalibus magnus Baronius, oſtenditque licèt Romæ aliquando fuerit, Damaſumque iuuerit in conſcribendis epiſtolis, non tamen Romanæ Eccleſiæ Presbyterum fuiſſe, ſed Antiochenæ.

Quod ipſe Hieronymus in epiſtola quadam de ſe profitetur. Sic igitur Baronius: [Placuit, inquit, Paulino Epiſcopo Antiocheno, eumdem ſanctum Hieronymum ordinate Presbyterum: cui tamen ſic ipſe aſſenſit, vt non pateretur alicui aſcribi Eccleſię, quippè qui ſic conſentiret in Clerum adſciri, vt tamen nollet deſerere eſſe monachus, ſed pro animi arbitrio liber, quò vellet, pergeret. Teſtatur id ipſe Hieronymus, cùm à Ioanne Epiſcopo Hieroſolymitano ipſius Eccleſiæ ſubijci tentaretur, ad Pammachium ſcribens, ipſum Ioannem ità compellens: Porrò quod dicis, te perijſſe, vt ſubijcerentur Eccleſiæ Dei, & non ſcinderent eam, neque proprium ſibi facerent principatum: de quibus dicas, non ſatis intelligo.

Si de me, & presbytero Vincentio: Satis multo dormiſti tempore, qui poſt annos tredecim nunc excitatus hæc loqueris, Ob id enim, & ego Antiochiam, & ille Conſtantinopolim vrbes celeberrimas deſeruimus, non vt te in populis prædicantem laudaremus, ſed vt in agris, & in ſolitudine adoleſcentiæ peccata deflentes, Chriſti in nos miſericordiam deflecteremus. Sin autem de Pauliniano tibi ſermo eſt: Vides eum Epiſcopo ſuo eſſe ſubiectum, verſari Cypri, ad viſitationem noſtram interdùm venire, non vt tuum, ſed vt alienum, eius videlicet, à quo ordinatus eſt. Quòd ſi hìc etiam eſſe voluerit, & in exilio noſtro quietus in ſolitudine viuere; quid tibi debet, niſi honorem, quem omnibus debemus Epiſcopis? Fac à te ordinatum: Idem ab eo audies, quod à me miſello homine ſanctæ memoriæ Epiſcopus Paulinus audiuit: Num rogaui te, vt ordinarer? Si ſic presbyterium tribuis, vt monachum nobis non auferas: tu videris de iudicio tuo. Sin autem ſub nomine Presbyteri tollis mihi, propter quod ſeculum reliqui: ego habeo, quod ſemper habui, nullum diſpendium in ordinatione paſſus eſt. Hæc ipſe.]

Ex his vides, nequaquam ſuſtinuiſſe Hieronymum alicui, cùm ordinatus eſt, adſcribi titulo, nec poſteà in aliquam referri Eccleſiam toleraſſe: immò de ambobus, nempè de Hieronymo, & Vincentio, Epiphanius ad Ioannem ſcribens teſtatur, nec precibus adduci vnquam potuiſſe, vt vel ſaltem in monaſterio Sacerdotis munere fungerentur. At ſi quod plerique dicunt, idem Hieronymus à Damaſo Papa factus eſt Cardinalis tituli ſanctæ Anaſtaſiæ; cur cùm redigi vellet à Ioanne ſub Eccleſia Hieroſolymitana, non æquè excepit, ſicut de ordinatione à Paulino facta, ità de Cardinalatu, quo dicunt à Damaſo Romæ donatum? Vel cur ex illa facta conteſtatione Paulino, ſe omninò liberum eſſe declarat, ſi poſteà à Damaſo in titulum Cardinalis cooptatus eſt? Sed cùm omninò ſe liberum fateatur, nec vnquam tituli vinculo voluiſſe aſtringi teſtetur: vide quo modo ſubſiſtat, vt fuerit ipſe creatus à Damaſo presbyter Cardinalis.

Da igitur Presbyterum Cardinalem ſine titulo, & acquieſcent, qui de his dubitant dicentibus Hieronymum ordinatum à Damaſo Presbyterum Cardinalem; ſunt enim correlatiua, & ad aliquid ſignificantia antiquo more Presbyter Cardinalis, & titulus, vt alterum ſine altero eſſe non valeat. Nec eſt quod fingere quis poſſit, Hieronymum, poſtquam recuſauit adſcribi Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, venientem rursùs Romam, paſſum à Damaſo in titulum Cardinalis adſcribi: nam illa epiſtola (vt vbi teſtatur) decimo tertio anno ſcripta eſt, poſtquam Hieronymus Hieroſolymis commoratus eſt, totidemque, & ampliùs poſt obitum Damaſi.]

Rursùs expendens illa verba Hieronymi ad Aſellam: [Antequam domum ſanctæ Paulæ noſſem, totius in me Vrbis ſtudia conſonabant, omnium penè iudicio dignus ſummo Sacerdotio decernebar. Beatæ memoriæ Damaſus meus ſermo erat, dicebar ſanctus, dicebar humilis, & diſertus &c. Ex his autem quòd dicat dignum Sacerdotio æſtimatum, opinati ſunt, puto, nonnuli, eundem Hieronymum creatum fuiſſe à Damaſo Papa Presbyterum Cardinalem, non intelligentes, per ſummum Sacerdotium, quemlibet Epiſcopatum deſignari, vt pluribus in noſtris ad Romanum Martyrologium notis palàm fecimus. Sed & quod intimè Damaſo inhæreret, eam dignitatem exiſtimant conſecutum: quaſi neceſſe fuerit, omnem, qui ab epiſtolis eſſet ſummo Pontifici, fuiſſe Cardinalem; cùm de ſancto Proſpero, auctore Gennadio, certum ſit in eodem miniſterio vſui fuiſſe S. Leoni Pontifici, nec tamen Cardinalem extitiſſe: vel ex eo alij deduxerunt argumentum, quòd S. Auguſtinus ad ipſum Hieronymum ſcribens hæc dicat. Quamquam ſecundùm honorum vocabula, quæ iam Eccleſiæ vſus obtinuit, Epiſcopatus Presbyterio maior ſit, tamen in multis rebus Auguſtinus Hieronymo minor eſt. Ità ipſe. Sed quæ hæc multa? Accipe: quòd ætate grandior, cui plurimùm deferendum erat, quòdque Chriſtianus à puero, quòd inſuper peritia linguarum excellebat, quòd nulla aliquando hæreſi fuerit infamatus, vel ſpuria ſobole auctus; quibus omnibus Auguſtinum Hieronymo fuiſſe minorem, liquidò conſtat, ſed & quod ſuperiùs à nobis pluribus dictum ſit, Hieronymum ità creatum eſſe Presbyterum Antiochiæ à Paulino, vt numquam paſſus fuerit alicui aſcribi titulo: haud adeò liberè poſſumus, ipſo contradicente eius Cardinalatui ſuffragari.]

Sed nec diſpuncti huius alterius commenti gloria Spalat. manet, quod etiam à maguo Annalium parente in Annalibus videre ſit: *Sic Græci donant*, inquit, *vt ſurripiant potiora. de quibus poeticum illud modò ſit nobis meritò vſurpandum.*

Quicquid id eſt: timro Danaos, & dona ferentes.

V u Non

Digitized by Google

Non enim eo erga Eccleſiam Romanam ſtudio tenebantur, vt quæ eius gloriæ eſſe viderent, & honoris, ſollicitè curarent: cuius excellentiam ſuperbè admodùm æmulati notam eidem inurere potiùs ſemper ſtuduerint, quàm gloriam comparare: eſt enim eius rei (vt de reliquis taceam) locuples teſtis Theodorus Balſamon, atque reliqua ſchiſmaticorum colluuies. Quis non credat, ab ipſis ex eodem edicto maieſtatem Romanæ Eccleſiæ prædicari, cùm ex eo hæc, quæ ſequuntur proferant, à Conſtantino verbis illis fuiſſe ſtatuta? Decernentes ſtatuimus, vt Romana Eccleſia habeat principalem poteſtatem, & ſit caput quatuor Sedium, Sedis Alexandrinæ, Antiochenæ, Hieroſolymitanæ, & Conſtantinopolitanæ, & (vt ſemel dicam) omnium totius Orbis Eccleſiarum.]

Abſit à Romanæ Eccleſiæ amplitudine, & dignitate, vt ab homine eiuſmodi ſibi vendicet poteſtatem, & non potiùs à Chriſto per Petrum? An non ſæpiùs demonſtratum eſt ſecundo Annalium tomo, Romani Pontificis ſuper omnes vbique Eccleſias, earumque Præſules fuiſſe auctoritatem, etiam cum ipſa Regina Prouinciarum eſſet ſub tributo, cùm ſcilicet Tyrannorum perſecutionibus Eccleſia vexaretur? Turpe planè eſt, atque admodùm indignum, acceptum ferre mortali, quod ab ipſo Deo, & Domino noſtro Ieſu Chriſto conſtat eidem in Petro eſſe collatum:]

Sed nec illud ipſum eidem à Conſtantino gratis donatum volunt, verùm vt id totum in Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ conuertatur emolumentum, nempè vt hac techna inter ſedes antiquas Patriarchales enumeretur Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Sedes. Teſtis Græcus (vetus hæc parœmia) ſatis eſt.]

Appello clariſſimum oratorem de his pro Flacco diſſerentem: qui tamen excipit ab eiuſmodi iniuſta antiquitùs nota bonos, doctos, atque prudentes, ac multò magis nos Chriſtianæ Religionis præclariſſimos, atque ſanctiſs. viros, Catholicæ pietatis, & vnitatis cultores, ab ea contumelia, cenſemus ab ſoluendos, ac penitùs liberandos: cæterùm quos ſemel hæreſis labefactauit, vel ſchiſma diuiſit, Ethnicis deteriores effectos eſſe, ſemper agnouimus.] Non igitur flaccido illo argumento nituntur Cardinalium prærogatiuæ, adeòque operam, & oleum perdidit Spalatenſis in his refellendis, quæ pridem ab alijs exploſa, immoratus.

Sed inſolentiſſimi hominis vide faſtum, Spalat.n.58. & arrogantiam. *Reduximus igitur*, inquit, *illuſtriſſimos Dominos Cardinales ad ſuum verum ſtatum, & officium, illoſque ab illa eximia ſublimitate deiecimus*. Itane verò potiſſimi numinis inſtar valet ima ſummis mutare, & inſignem attenuat? Annon & hoc quoque Thraſyleæ dementiæ, & vanitatis ſpecimen? Pergit verò: [Quoniam Bernardus, inquit, vir ſanctus, in numero defenſorum præſentis Cardinalatus reponitur à noſtris, id reſtat meritò excutiendum. Veniamus, inquit, ad collaterales, & coadiutores tuos, hi ſeduli tui, hi intimi tui. Hæc ad Eugenium: & infrà; Bernard. de conſid. l.4. cap.4. Annon eligendi de toto Orbe iudicaturi? Item: Nulli dubium quin ad vos (ait ad Cardinales) ſpecialiter ſpectet tollere ſcandalum de Regno Dei, ſurgentes ſuccidere ſpinas, ſedare querelas. Agite pro loco, quem tenetis, pro dignitate, qua polletis, pro poteſtate, quam accepiſtis, &c. Subdit Bellarminus hæc verba: Vbi apertiſſime agnoſcit ſanctus Bernardus maiorem in Cardinalibus, quàm in Epiſcopis poteſtatem.]

Si Bernardus in aliqua parte Monarchiæ Romanæ, & Curiæ condeſcenderet; id illis Spalat.n.59. temporibus tribuendum eſſet, quibus iam Monarchia illa non parùm ſeſe extulerat: quare, neque nimiùm nos in hoc mouere debet Bernardi auctoritas. Sed ne Bernardus quidem reuera in Cardinalibus tantam agnoſcit Eccleſiaſticam dignitatem, vt eos adæquet, nedùm anteferat Epiſcopis. In tribus ille officijs videbat Cardinales occupari, videlicet in Papa eligendo, in eodem conſilijs iuuando, & in legationibus peragendis; quæ tamen in ſe nullam neceſſariò includunt Eccleſiaſticam propriam dignitatem; poſſunt enim in his omnibus officijs egregiè Laici quoque ſupplere: & benè dicit Torcellanus; Cardinalatum nunc potiùs eſſe poteſtatem iuriſdictionis, quàm ordinis.]

Cùm ergo Papæ horum tamquam ſuorum Miniſtrorum, vtendum ſit opera; vt eorum delectum habeat, monet pluribus Bernardus, vt non quoslibet obuios, & ei ſeſe intrudentes, ſed ſapientiores quoſque ex vniuerſis mundi partibus aſſumat; vt ab ijs inſtrui poſſit in negotijs Eccleſiaſticis, quæ ex toto Orbe ad eam ſedem, conſilij gratia de- Bernard. de conſid. l.4 cap.4. ferri ſolebant definiendis. Et ſanè Cardinalatum à Bernardo non fuiſſe reputatum Eccleſiaſticam propriam dignitatem, vt nunc reputatur, ſed officium, & miſterium quoddam amouibile, ad placitum Domini Papæ; indè collige, quod ait ipſe Bernardus Eugenio: Curæ tibi maximè ſit, introducere tales, quos poſtmodùm introduxiſſe non pœniteat. Turpè eſt tibi ſæpiùs retractare quod feceris; & iudicium tuum frequenter periclitari non decet. Diligenter proindè omne, quod faciendum erit, tracta apud te, & cum ijs, qui te diligunt.]

Tracta antè factum, quia poſt factum ſera retractatio eſt: ſapientis conſilium eſt; omnia fac cum conſilio, & poſt factum non pœnitebis. Et hoc tibi perſuade, qui admittendi ſunt, difficilè in curia poſſe probari; & ideò ſi fieri poteſt, viros probatos oportere deligi, non probandos.]

Nos in Monaſterijs omnes recipimus ſpe meliorandi: At curia bonos faciliùs recipere, quàm facere conſueuit. Quòd ſi plures in ea defeciſſe bonos, quàm malos profeciſſe probauimus quærendi, ſanè quibus, nec defectus timeatur, nec profectus optetur; vtpotè iam perfectis. Itàque non volentes, neque currentes aſſumito, ſed cunctantes, ſed renuentes etiam coge illos, & compelle intrare.]

Hæ probationes, vt vides apud Bernardum ſupponunt libertatem in Papa, vt poſſit, ſi velit, quamuis non deceat, Cardinales ſubindè mutare, ſi ad ea munera, ad quæ eos aſſumit idoneos non repererit; eo modo, quo Princeps quicumque liber eſt in ſuis ſibi eligendis, & dimittendis conſiliarijs. Itàque Cardinales Bernardus ne titulatos quidem ordinarios Eccleſiarum ſuarum Rectores agnoſcit, ſed externos conſiliarios, qui Cleri Roma-

mani pars nulla ſint, quales reuera hodie quoque ſunt. Quid verò quòd Diaconos Cardinales ad pedes Papæ idem Bernardus facit ſedere, vt ſuprà vidimus num. 30. quos non dignitatis priuilegio, ſed ſedulitatis debito Diaconos vocari aſſerit; qui Papæ aſſiſtant propiores, vt habeat paratiores?]

Spalat. n. 60. Quia ergo Cardinalibus vtitur in conſilio Papa, & in Miniſterijs, ideò Bernardus Cardinales vocat Papæ collaterales, coadiutores, & ſedulos, & intimos, & Orbem iudicaturos; hoc eſt, Papæ Orbis negotia Eccleſiaſtica agitanti, & ſuum iudicium interponenti (de quo agam lib. 7. & 8.) ſuo conſilio aſſuturos; & ſi Legati mittantur, etiam executuros.]

Atque in hoc eorum conſiſtit dignitas, & poteſtas, vt Papæ adiutores, & miniſtri, non propria, ſed ipſius auctoritate multa peragant, quæ ad generalem ſuperintendentiam omnium Eccleſiarum Papæ ſpectant, vt infrà docebo. Immò ex hoc ipſo quòd Cardinales ſunt meri Papæ adiutores, Vicarij, & Miniſtri, optimè colligimus, eos eſſe Epiſcopis longè inferiores, qui propriam habent de iure diuino poteſtatem; & non ſunt vllius adiutores, Vicarij, aut locum tenentes, niſi Chriſti, vt plenè docui lib. 2. cap. 5.] Cardinales beneficio Pontificum, à quibus propterea pendeant, in ſacrum ſenatum cooptatos, atque ad hoc faſtigium honoris euectos, quod ex Bernardo colligit Spalatenſis, vltrò admittimus, eam poteſtatem ſic iuriſdictionis eſſe Torcellano concedimus, vt Diaconatui, Presbyteratui, atque etiam Epiſcopatui additam in culmine rerum Eccleſiaſticarum ponamus, quippè quæ tota in adminiſtranda Eccleſia occupata ſit: functiones verò, quibus nititur, Laicis quoque attribui potuiſſe, circà cleri, ac ordinis Eccleſiaſtici iniuriam, negamus his ſummam illis conciliari dignitatem, præcipuum quendam, & principalem honorem comparari contendimus: namque ex epiſtolæ inſcriptione diſcere potuit Aduerſarius, ſanctæ Eccleſiæ Romanæ Cardinales Epiſcopis anteponit, vt autem ob grauiora facinora exauctorari poſſint, nec ipſi Epiſcopi, aut Archiepiſcopi, vbi deliquerint, cenſuram effugere poſſint, adeòque Patriarchas ob enormia quædam facinora à Pontifice de gradu deiectos, habent Eccleſiaſtici annales, vt proindè hæc, quæ ex Bernardo contra Bernardi mentem inculcat, præſtantiſſimi ordinis dignitati nihil officiant, tantique Patres, quem Caluino aliquanto impudentior aſſentationis immeritò poſtulat, Cardinalibus eximius ſuus conſtet honos nullis ſycophantijs labefactandos.

Sed harum nondùm finis: [Antè Bernardum, inquit, vno, aut altero ſeculo veri
Spalat. n. 61. collaterales, & intimi Papæ, non erant omnes Cardinales, ſed ſoli Epiſcopi Cardinales.]

Audi Petrum Damianum Cadaloum Antipapam ſic alloquentem: Quid tibi de Cardinalibus videtur Epiſcopis? Qui videlicet, & Romanum Pontificem principaliter eligunt; & quibuſdam alijs prærogatiuis, non modò quorumlibet Epiſcoporum, ſed & Patriarcharum, atque Primatum iura tranſcendunt? Saluo quippè vniuerſalis Eccleſiæ Sacramento, iſti ſunt oculi vnius lapidis, idest, Romanæ Eccleſiæ, de quibus per Zachariam Zachar. 3.
dicitur: Ecce, inquit, lapis, quem dedi coram Ieſu, ſuper lapidem vnum ſeptem oculi ſunt ipſi lucernæ vnius candelabri, de quibus ipſe poſtmodùm loquitur dicens: Vidi, & ecce candelabrum aureum totum, & lampas eius ſuper caput ipſius: & ſeptem lucernas ſuper illud. Ipſi ſunt, & candelabra, in quorum medio Ieſus, iuxtà beati Ioannis verba, diſcurrit, & hunc ſermonem, qui illic præſtò ſubiungitur, in te quodammodò ſpecialiter dirigit: Apoc. 2.
Memor eſt, inquit, vnde excideris, & age pœnitentiam.]

Planè ſi pœnitentia iure plectendus eſt, quiſquis cuilibet iniuriam irrogat Sacerdoti, qua tu ſententia dignus es, qui illud præiudicium Sacerdotibus intuliſti, quorum conſilio, & iudicio, ſtatus, & diſciplina dignus es, debet totius Eccleſiæ gubernari? Et cùm canonica decernat auctoritas, vt vel humilis cuiuſque Eccleſiæ clero liceat, liberum de illo, qui ſibi præferendus eſt, habere iudicium, qua tumoris audacia tu præſumpſiſti, te violenter illis ingerere, qui præter communem Eccleſiæ regulã, ſuper ipſos quoq; Pontifices, authenticam præualent ſeruare cenſuram?Hæc de ſolis Epiſcopis Cardinalibus exaggerat Petrus Card. Romanæ Monarchiæ aſſertor, & defenſor acerrimus, quos ſeptenario includit numero. Erant enim circà eadem tempora Cardinales omnes Romani ad numerum 57. ſuis claſſibus diuiſi, hoc pacto; vt in Bibliotheca vaticana annotatum reperitur.]

Reſpondeo, Petrum Damianum vſurpatorem Apoſtolicæ Sedis Cadaloum, auctoritate Eccleſiaſtica obruere volentem, præcipuos, ac primarios Eccleſiæ Romanæ miniſtros in medium adduxiſſe, ſcilicet Cardinales Epiſcopos, *Qui*, inquit, *Romanum Pontificum principaliter eligunt*, ſed proculdubiò etiam alios fuiſſe ſeculo Damiani Andabatarum more pugnans, ac ſua ipſe vinæta cedens, probat Spalatenſis, *circà eadem tempora*, ad 57. Cardinales Romanos enumerans ſuis claſſibus diuiſos, quod in Bibliotheca Vaticana annotatum reperiri concedit.

Sunt autem, inquit, in Eccleſia Romana quinque Sedes Patriarchales.] Spalat. n. 62.

Prima eſt Eccleſia Lateranenſis; quæ & Conſtantiniana, & Baſilica Saluatoris, diuerſo nomine nuncupatur.]

Hæc habet ſeptem Cardinales Epiſcopos, hoſque dictos Epiſcopos collaterales, itemque & hebdomadarios, eò quòd ſingulis hebdomadibus per vices expleant munus Pontificis.]

Epiſcopi Cardinales erant hi Oſtienſis; Portuenſis; S. Ruffinæ, ſiue Syluæ candidæ: Albanenſis, Sabinenſis, Tuſculanus, Præneſtinus.]

Alia Patriarchalis eſt ſanctæ Mariæ, Maior dicta; in qua habet ſeptem Cardinales Presbyteros, ſcilicet Cardinalem ſanctorum Apoſtolorum Philippi, & Iacobi; S. Syriaci in Thermis; S. Euſebij; S. Pudentianæ; ſancti Vitalis; SS. Petri, & Marcellini; & ſanctis Clementis.]

Alia Patriarchalis Eccleſia ſancti Petri,

in qua item ſeprem ſunt Presbyteri Cardinales, ſcilicer ſanctæ Mariæ rrans Tyberim; ſancti Chryſogoni; ſanctæ Cœciliæ; ſanctæ Anaſtaſiæ; ſancti Laurentij in Damaſo; S. Marci; SS. Martini, & Sylueſtri.]

Alia Eccleſia Patriarchalis eſt Baſilica S. Pauli; in qua ſunr Cardinales ſanctæ Sabinæ; ſanctæ Priſcæ; ſanctæ Balbinæ SS. Nečci, & Archilei; S. Sixti; S. Marcellini; ſanctæ Suſannæ.]

Quinta Patriarchalis erat S. Laurentius extra mutos; in qua ſunt hi Cardinales, S. Praxedis; S. Petri ad vincula; S. Laurenrij in Lucina; SS. Ioannis, & Pauli; SS. quatuor Coronarotum; S. Stephani in Monte Cœlio; S. Quirici.]

His autem Patriarchalibus Eccleſijs præfecti erant hi, Lateranenſi primus Epiſcopus collateralis; S. Mariæ Maiori, Archipresbyter Cardinalis; S. Petro, Arrhipresbyrer Cardinalis; Eccleſiæ S. Pauli, Abbas Cardinalis, Eccleſiæ S. Laerentij Abbas Cardinalis. Sunt præter titulos, Diaconiæ, iiſque præfecti Diaconi Cardinales dicti Regionarij, iidemque num. 12. Diaconijs Regionijs præfecti.]

Item Diaconi Palatini 6. Hi præſunt Diaconijs, quæ ſunt; S. Maria in Dominica, cui præeſt Archidiaconus; S. Lucia ad 7. ſolia; S. Maria noua; SS. Coſma, & Damianus; S. Hadrianus; SS. Sergius, & Bacchus; ſanctus Theodorus; S. Georgius; S. Maria in ſchola Græca; S. Maria in porticu; S. Nicolaus in carcere, S. Angelus in foro piſcario, S. Euſtachius, S. Maria in Aquito, S. Maria in via lara, S. Agatha in eqno marmoreo, S. Lucia in capitæ Suburræ, S. Viti in Macello. Eſt munus Diaconorum Regionariorum cantare Euangelium in ſtationibus: Palatiui canrant Euangelium in Eccleſia Lateranenſi.]

Veri ergo Cardinales collatetales erant ſeptem illi Epiſcopi, in Lateranenſis Patriarchio contenri: quibus ſi addas Presbyreros Cardinales in 4. alijs Patriarchijs ſeptenos, erunr 35. Inſuper duo ſunr Archipresbyteri Cardinales, alrer S. Mariæ Maioris, alter ſancti Petri; duo irem Abbares Cardinales, altee S. Pauli, alter S. Laurentij extra muros. Diaconi Regionarij ſunt 12. Palatini verò, hoc eſt, Eccleſiæ in Palario Lateranenſi conſtructę ſex.] Itàque completur omnium Cardinalium numetum 57. Et obſerua Diaconos Cardinales illud potiſſimùm tunc officium habuiſſe, vt Enangelia canrarent. Sed & Subdiaconi ſunt, inquir, omnes num. 21. Et indè numerat Abbarias 22. Ad extremum numerat etiam Epiſcopos ſuffraganeos Romanæ Metropolis, vltrà illos 7. collaterales ad numerum 62. vt ſuprà poſuimus cap. 2. n. 17. Quod verò vrget, *ſolos Epiſcopos collaterales* dici, ad ſenſum Bernardi non eſt, namque propterea collaterales vocat Cardinales, & coadiutores Pontificis, ad participationem couſiliorum

Bernard. de couſid. lib. 4. cap 4.

omninò teferendum eſt. [Veniamus, inquit, ad collatetales, & coadiurores tuos. Hi ſeduli tibi, hi intimi ſunt. Quamobrem ſi boni ſunt, tibi potiſſimùm ſunt: ſi mali æquè plus tibi. Ne te dixeris ſanum, dolentem latera: hoc eſt, ne te dixeris bonum, malis innitentem. Aut ſi bonus ſis, bonitas tua ſolius, quem fructum afferre poteſt? Sicut in ſuperiore libro dixiſſe me memini. Quid, inquam, emolumenti affert Eccleſijs Dei tua vnius hominis iuſtitia, vbi ſententia præualet aliter affectorũ? Sed nec tuta tibi tua bonitas obſeſſa malis, non magis quàm ſanitas vicino ſerpente. Non eſt, quò te ſubducas malo inteſtino. Et è regione bonum domeſticum eò ampliùs, quò ſæpiùs iuuat. Sed ſiue lenent, ſiue grauent, cui rectiùs imputandum, quàm tibi, qui tales, aut elegiſti, aut admiſiſti?] At verò in Bibliotheca Vaticana collaterales Epiſcopi dicuntur, qui in Eccleſia Lateranenſi, vbi Pontificia Sedes fuit, vſque ad Gregorij XI. reditum Auenione, ſinguli ſuis diebus per vices in ara maxima celebrare Miſſas ſoliti eſſent, modò præſente, modò abſente Pontifice. Quod apparet ex Anaſtaſio Bibliothecario, qui in vita Stephani Papæ, quē creatum conſtat anno 768. expreſſam facit mentionem de Epiſcopis Cardinalibus hebdomadaris. Sic enim eos appellat. Quare, hunc etiam ordinem fuiſſe accepimus, vt Dominicus dies Oſtienſi tributus eſſet, proximus Epiſcopo Cardinali Syluæ candidæ, tertius Portuenſi, reliqui deinceps Sabino, Præneſtino, Tuſculano, Albano.

Nec dubium eſt, quin id ad Pontificis dignitatem inſtitutum eſſet, vt ſicuti alijs Eccleſijs Presbyteri Cardinales, ità huic vni Epiſcopi Cardinales deſeruirent. Atque hi quidem Epiſcopi, etiamſi Pontifici proximi, & Cardinales dicti, tamen multo tempore nihil præcipui præ alijs Epiſcopis habuere, neque eos vel dignitate, vel ſeſſionis ordine præibant, niſi fortè antiquiores ordinatione eſſent, quod alijs quoque commune eſt.

Hac igitur ratione collaterales dicebantur, non quòd ſoli Senatum Pontificium componerent, in quem etiam alij Cardinales, cùm de publicis negotijs ageretur, admitti conſueuiſſent.

Sed quando in Damiani mentionem incidimus, lubet ea ſcribere, quibus Lateranenſi Eccleſiæ alias Patriarchales Eccleſiæ, quæ ſuos quoque habent Cardinales, adiungit: [Inter hæc, inquit, tam profunda periclitantis mundi naufragoſa diſcrimina, inter tot immane patentes perditionis humanæ voragines, vnicus, & ſingularis portus Romana pater Eccleſia; & vt ità fatear, pauperculi Piſcatoris eſt parata ſagena, quæ omnes ad ſe ſincerè confugientes, de procellarum intumeſcentium fluctibus eripit, & in littore ſaluti feræ quietis exponit. Hinc eſt, quòd ipſa Eccleſia excellentioribus præ cæteris totius Orbis Eccleſijs nititur priuilegijs, ſed & myſticis etiam inſtituta, atque diſpoſita non ambigitur Sacramentis; nam vt de pluribus pauca perſtringam, Lateranenſis Eccleſia, ſicut Saluatoris eſt inſignita vocabulo, qui nimirùm omnium caput eſt electorum, ità mater, & quidam apex, & vertex eſt omnium per Orbem Eccleſiarum.]

Hæc ſeptem Cardinales habet Epiſcopos, quibus ſolis poſt Apoſtolicum, ſacroſanctum illud altare licet accedere, ac diuini cultus myſteria celebrare. In quo nimirùm illud Zachariæ continetur euidenter oraculum: Ecce, inquit, lapis, quem dedi coram Ieſu:

ſu-

ſuper lapidem vnum ſeptem oculi ſunt. Lapis autem iſte illa proculdubia Petra eſt, de qua verus Ieſus Petro pollicetur, dicens: Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. Septem igitur oculos habet hæc Petra, quia totidem ſancti Spiritus donis ſancta præfulget Eccleſia, quibus nimirùm velut candelabrum aureum inextinguibiliter rutilans ignorantię tenebras effugat, & ad contemplandum Iuſtitiæ ſolem hominum mentes illuſtrat, de quo idem Propheta, Vidi, ait, & ecce candelabrum aureum totum, & lampas eius ſuper caput ipſius, & ſeptem lucernæ eius ſuper illud.]

Quod vtique Sacramentum,& beatus Ioannes in Apocalypſi ſe didiciſſe non tacuit, cui dictum eſt: Myſterium ſeptem ſtellarum, quas vidiſti in dextera mea, & ſeptem candelabra aurea, ſeptem ſtellæ Angeli ſunt ſeptem Eccleſiarum; & candelabra ſeptem, ſeptem Eccleſiæ ſunt.]

Hæc igitur ad honorem condita S. Saluatoris Eccleſia, culmen, ac ſummitas totius Chriſtianæ religionis effecta, vt ità dixerim, Eccleſia eſt Eccleſiarum,& ſancta ſanctorum. Habet autem altrinſecus beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli diuerſis quidem locis conſtitutas Eccleſias, ſed ſui compage Sacramenti, quia videlicet in quodam meditullio poſita, quaſi caput membris ſupereminet, indiffereuter vnitas.]

His itàque tamquam expanſis diuinæ miſericordiæ brachijs, ſumma illa, & vniuerſalis Eccleſia omnem ambitum totius Orbis complectitur. Omnes, qui ſaluari appetunt, in maternæ pietatis gremio confouet, & tuetur.]

Hac Ieſus ſummus videlicet Pontifex, arce ſubnixus,totam in Orbe terrarum Eccleſiam ſuam in Sacramenti vnitate confœderat, vt vnus Sacerdos, vna meritò credatur Eccleſia: vnde per Prophetam dicitur: Ecce vir Oriens nomen eius, & ſubter eum orietur, & ædificabit templum Domino, & ipſe extruet templum, & portabit gloriam, & ſedebit, & dominabitur ſuper ſolium ſuum,& erit Sacerdos ſuper ſolio ſuo.]

Sed ne quid eorum, quæ ad Cardinales illuſtriſſimos in officio continendos facere poſſint, prætermiſiſſe videamur, age etiam, quæ de his habet Bernardus, cum Spalatenſi retexamus. [In talibus, inquit Bernardus, referente Spalatenſi, vt opinor, requieſcet ſpiritus tuus, qui non ſint attritæ frontis, ſed verecundi,ſed timorati, qui præter Dominum timeant nihil, nihil ſperent niſi à Deo. Qui aduentantium non manus attendant, ſed neceſſitates. Qui ſtent viriliter pro afflictis, & iudicent in æquitate pro manſuetis terræ.Qui ſint compoſiti ad mores, probati ad ſanctimoniam, parati ad obedientiam, manſueti ad patientiam, ſubiecti ad diſciplinam,rigidi ad cenſuram, Catholici ad fidem, fideles ad diſpenſationem, concordes ad pacem, conformes ad vnitatem.

Spalat.n.63.

Qui ſint in iudicio recti,in conſilio prouidi, in iubendo diſcreti, in diſponendo induſtrij, in agendo ſtrenui, in loquendo modeſti, in aduerſitate ſecuri, in proſperitate deuoti, in zelo ſobrij, in miſericordia non remiſſi, in otio non otioſi, in hoſpitio non diſſoluti, in conuiuio non effuſi, in cura rei familiaris non anxij, alienæ non cupidi, ſuæ non prodigi, vbique,& in omnibus circumſpecti. Qui legatione pro Chriſto fungi,quotiens opus erit, nec iuſſi renuant, nec non iuſſi affectent. Qui quod verecundè excuſant, obſtinatiùs non recuſent. Qui miſſi poſt aurum non eant, ſed Chriſtum ſequantur. Qui quæſtum legationem non æſtiment,nec requirant datum, ſed fructum.

Qui Regibus Ioannem exhibeant, Ægyptijs Moyſem,fornicantibus Phinees, Heliam Idololatris, Heliſæum auaris, Petrum mentientibus, Paulum blaſphemantibus, negotiantibus Chriſtum. Qui vulgus non ſpernant, ſed doceant, diuites non palpent, ſed terreant; pauperes non grauent, ſed foueant; minas Principum non paueant, ſed contemnant; qui non cum turba intrent, nec cum ira exeant: qui Eccleſias non ſpolient, ſed emendent; qui marſupia non exhauriant, ſed corda reficiant, & crimina corrigant, famæ prouideant ſuæ, nec inuideant alienæ: qui orandi ſtudium gerant, & vſum habeant; ac de omni re orationi plus fidant, quàm ſuæ induſtriæ, vel labori.

Quorum ingreſſus pacificus, non moleſtus exitus ſit: quorum ſermo, ædificatio, quorum vita, iuſtitia, quorum præſentia, gratia, quorum memoria in benedictione. Qui ſe amabiles præbeant non verbo, ſed opere: reuerendos exhibeant, ſed actu, non faſtu: qui humiles cum humilibus, & cum innocentibus innocentes; duros durè redarguant, malignantes coerceant, reddant retributiones ſuperbis.

Qui non de dote viduæ, & patrimonio crucifixi, ſe, vel ſuos ditare feſtinent, gratis dantes,quod gratis acceperunt, gratis facientes iudicium iniuriam patientibus,vindictam in nationibus, increpationes in populis. Qui de tuo denique ſpiritu illorum inſtar ſeptuaginta Moyſi, accepiſſe cernantur; per quem ſiue abſentes, ſiue præſentes,contendant placere tibi, placere Deo.

Qui ad te redeant, fatigati quidem, ſed non ſuffarcinati; ſimul & glorantes,non quòd curioſa, ſeu pretioſa quæque terrarum attulerint; ſed quòd reliquerint pacem Regnis, legem barbaris, quietem Monaſterijs, Eccleſijs ordinem, Clericis diſciplinam, Deo populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum. Hæc omnia præclarè, vt ſolet Bernardus. Digniſſima quæ hodie ab illuſtriſſimis D.D. Cardinalibus ſæpiùs, & ſæpiùs perlegantur.]

[Quinam verò his temporibus Cardinales plerumque eligantur, magis lugendum eſt quàm deſcribendum. Quot Prælati de Eccleſia Romana optimè meriti in doctrina, & rebus agendis conſummatiſſimi contemnuntur, poſtergantur, abijciuntur? Et vel benè nummati, qui ingenti pretio vaniſſimum illum rubrum galerum coemunt, etiam alioquin ad regimina Eccleſiaſtica ineptiſſimi, illiterati, diſſoluti, ſcandaloſi (ſaluo ſuo bonis, quos ipſe aliquos noui, & obſeruo, honore) qui Cardinalatum, vt terrenum quendam Principatum, & ambiunt, & retinent, & tractant, ſola vanitate temporali; vel viliſſimi, & nullius pretij homines de ſtercore

Spalat.n.64.

eri-

eriguntur; vt Papæ nepotes de eorum perpetuo famulitio ſecuri, ſua conſilia humana in occaſione Conclauis firmiora faciant: neque illi poſſint, neque audeant, immò neque ſciant ab eorum ſe factione ſeparare; vel Principum filij, aut fratres Cardinalatu decorantur, qui ſub Diaconorum nomine, ac titulo, vt plurimùm inter Cardinales reponuntur reuera meri Laici: & nullo ſacro ordine initiati, & fortaſſe numquam initiandi, & hi quoque meri Laici volunt Epiſcopis anteferri; nec erubeſcimus illos quoque inter Eccleſiæ Prælatos numerare. Iam Eccleſia Romana in Curiam verſa eſt ſecularem.]

Spalat. n. 65. Et quia per ſummam iniuriam, & vim omnia iam fermè negotia Eccleſiarum, etiam ad Epiſcopos ipſos in ſuo ordinario regimine, aut ad Metropolitanos pertinentia, vt vidimus lib. 3. præcedenti, ad Romanam ſunt attrecta Curiam, Papa verò, aut à moleſtijs liber, Papatu ſuo vult quiete frui, aut in temporalibus totus occupatus, Cardinalium congregationibus illa committit.]

Cardinales verò plurimi nihil minùs genio indulgere volentes, negotiorumque Eccleſiaſticorum vt plurimùm ignari, ad ipſorum Secretarios, & Auditores, viliſſimas vt plurimùm perſonas, & lucri auidiſſimas, negotia ipſa deferunt, eorumque relatione decidunt: & vbi aurum non fluit, negotium hæret, neque vllum finem habere poteſt, atque ex ea parte iuſtitia, ex qua maius auri pondus, propondet. Et tamen nos Epiſcopi Metropolitani, non ſine magna ſtultitia, nihilominùs ſponte etiam, noſtra propria, & ordinaria negotia ad Romanam Curiam tranſmittimus, in qua non Papa, non Cardinales, ſed Harpyiæ Secretarij mercenarij gubernant Eccleſiam vniuerſalem: Papam enim cum Cardinalibus in rebus temporalibus, tamquam longè maioris momenti, occupantur; diuina, & Eccleſiaſtica parui pendunt. Sed puto tractatum hunc de Cardinalibus, ſicut & ipſos magna ex parte Cardinales, iam tædio eſſe omnibus, & faſtidio, propterea de eo, ac de ijs ſatis.]

Coronidis vice ad probra ſe conuertit Spalatenſis, & vt Pontificem inuidia oneret, nullo delectu Cardinales ab eo creari clamat, ac neceſſitudinis, & gratiæ potiùs, quàm eruditionis, aut probitatis rationem haberi indignè conqueritur. Vt autem fateamur, in his humanum quid paſſos non ſemel Pontifices, nihil enim ex omni parte beatum, negari tamen non poteſt, etiam noſtro ſeculo eminentiſſimos quoſque ex diuerſis Orbis terrarum partibus delectos à Pontificibus Eccleſiæ Miniſtros, quos ad hoc honoris faſtigium eueherent, teſtes nobis, vt de viuis taceamus, Borromæi, Toleti, Oſſati, Baronij, Bellarmini, Perronij, quibus nihil, aut doctiùs, aut innocentiùs noſtra vidit ętas. Sed procliue eſt malè feriatis hominibus, ſummis poteſtatibus obtrectare, ac earum iudicia carpere:

Cælum ipſum petimus ſtultitia: neque
Per noſtrum patimur ſcelus,
Iracunda Iouem ponere fulmina. Horat. l. 1. Carm. ode 2.

Cæterùm, & Imperatoris eſt milites deligere, & Principis Senatores creare atque renunciare, quamquam Pontificum gloriam valdè illuſtrent, ac maximè commendent, cooptationes eorum, quos ornant doctrina, ac pietate potiùſquam vllis neceſſitudinibus nixæ. Iàm relictis, & Pontifice, & Cardinalibus, inferioris ordinis Eccleſiæ Romanæ miniſtros lacerat, quòd aliquando malè à Curiæ Romanæ iudicibus habitus ſit propter eius cauſæ, quam defenderet, iniuſtitiam, illos lacerat, ac miſerè proſcindit, ac veluti effrænus in eos irruit. Verùm ſunt irati hominis hæc conuicia Antiſtite parùm digna; quare, etiam ab ijs refellendis abſtinemus, operam meliùs collocaturi in tuenda noſtrorum Pontificum legitima ſucceſſione.

DISCVSSIO
SEXTI CAPITIS
LIBRI QVARTI.

CONSPECTVS CAPITIS.

Eccleſiæ auctoritas perpetua Romanorum Pontificum ſucceſsione propugnatur: Veterum Patrum teſtimonijs Irenæi, Tertulliani, Cypriani, Optati, & Auguſtini ſolidiſsimè firmatur: Malè Spalatenſis exiſtimat, Pontificem Romanum non eſſe peculiarem Petri ſucceſſorem: Commenta deſertoris de ſede Petri depulſa, & profligata: Obiectiones Aduerſarij diluuntur: Baronius, & Bellarminus defenſi, quos expugnaſſe inaniter gloriatur: Auguſtinus fusè explicatus: Pontificem Romanum ſuccedere Petro omnes Orthodoxi agnoſcunt: Hieronymus, Optatus, Cyprianus citati: Petrum Romæ fixiſſe ſedem ab omnibus Hiſtoricis, & alijs Eccleſiaſticis Scriptoribus oſtenditur.

Spalat. n. 1.

DE prærogatiuis Eccleſiæ Romanæ, tum in ſe, aut prætenſis, aut veris, tum in ſuo Clero prætenſis, iàm vidimus capitibus quinque præcedentibus: ſupereſt, vt eas diſcutiamus; quas in ſuo Epiſcopo illa, vel falſas iactat, vel veras habet; & hoc capite quidem eam ſolam prærogatiuam, qua de ſuo Epiſcopo, tamquam Petri ſucceſsore gloriatur, paucis conſiderabo: In ſequentibus verò aliàs.

OLim cùm Alexandriæ inter Iudæos, & Samaritanos, qui ſub Alexandro Magno Garizitani Religionem inducentes templũ extruxerant, ſeditio eſset exorta de ſacris ipſorum, contendentibus Iudęis iuxtà Moyſi præſcripta Hieroſolymitanum templum eſse legitimum, Samaritis verò Garizitanum pręferentibus, prouocatum eſt ad Ptolomæum Philometorem Ægypti Regem, ac amicorum eius conſeſſum, vt ab eis cauſa audiretur, & vtrius partis cauſidici ſuccumberent, morte mulctarentur; cùmque Andronico Iudæorum patrono conceſſum eſſet, vt prior diceret, orſus ex lege approbare templi Hieroſolymitani ſanctitatem, & Religionem, oſtendens per continuas Pontificum ſucceſſiones Sacerdotij, vſque ad ſua tempora propagationem, & ab omnibus Aſiæ Regibus maieſtatem eius loci honoratam donarijs; Garizitani verò, ac ſi omninò nullum eſſet, numquam ab his habitam rationem; his, & talibus rationibus perſuaſit Regi, vt decerneret Hieroſolymitanum eſſe ex ſententia Moyſis conditum; Sabbam verò, & Theodoſium, Samaritarum cauſidicos, addiceret ſupplicio. Ad eundem omninò modum vetuſtiores quippè Patres Orthodoxi vexata ab hęreticis Eccleſia, quæ Templum Dei eſt, ad eius auctoritatem propugnandam, & maieſtatem aſſerendam, ad Pontificum Romanorum, penès quos ſit Imperij Eccleſiaſtici ſumma, perpetuam ſucceſſionem confugerunt, atque ab ea præſidium aduersùs nouas molitiones duxerunt. His ſcilicet armis Orthodoxam fidem tuetur, ac hæreſes reuincit magnus Irenæus, atque prætermiſſis totius Orientis, & Meridiei, immò vniuerſi Orbis, clariſſimarum Eccleſiarum, quas alij Apoſtoli, Diſcipulique Domini doctrina plantauerant, ſanguine rigauerant, & ſtupendis miraculis firmatant, Epiſcoporum Catalogis, vnius Romanæ tamquam cæterarum præcellentiſſimæ ab Apoſtolorum Principibus Petro, & Paulo ad ſuam ætatem vſq; continentem, & numquam intermiſſam ſucceſſionem contexit: [Quoniam valdè longum eſt, inquit, in hoc tali volumine om-

Ioſeph. l. 13. antiqu. Iud. c. 6.

nium

Digitized by Google

Iren. adu. hær. l. 3. c. 3. de Apoſtol. tradit.

nium Eccleſiarum enumerare ſucceſſiones, maximæ, & antiquiſſimæ, & omnibus cognitæ à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ, & conſtitutæ Eccleſiæ, eam, quam habet ab Apoſtolis traditionem, & annunciatam hominibus fidem, per ſucceſſiones Epiſcoporum peruenientem vſque ad nos, indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per ſui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam ſententiam, præterquàm oportet, colligunt. Ad hanc enim Eccleſiam propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnem conuenire Eccleſiam, hoc eſt, eos, qui ſunt vndique fideles, in qua ſemper ab his, qui ſunt vndique, conſeruata eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis traditio.]

Eodem argumento vſi ſunt aduersùs ſui ſeculi hæreticos Tertullianus, Cyprianus, Optatus, & Auguſtinus, & vt de reliquis taceam, ſic Optatus Donariſtas compellat. [Cathedra vnica, inquit, quæ eſt prima de dotibus, ſedit prior Petrus: Cui ſucceſſit Linus, Lino ſucceſſit Clemens, Clementi Anacletus, &c. Iulio Liberius, Liberio Damaſus, Damaſo Siricius hodie, qui noſter eſt ſocius, cum quo nobis totus Orbis commercio formatarum, in vna communionis ſocietate concordat. Veſtræ Cathedræ vos originem reddite, qui vobis vultis ſanctam Ecclaſiam vindicare.]

Auguſtinus verò eoſdem Donatiſtas inclamans, & ab hæreſi reuocans: [Numerate, inquit, Sacerdores, vel ab ipſa Petri ſede: & in ordine illo Patrum, quis cui ſucceſſit videte. Ipſa eſt Petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ.]

Alibi verò Catalogum contexit. [Si ordo, inquit, Epiſcoporum ſibi ſuccedentium conſiderandus eſt, quantò certiùs, & verè ſalubriter ab ipſo Petro numeramus, cui totius Eccleſiæ figuram gerenti Dominus ait: Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ Inferorum non vincent eam: Petro enim ſucceſſit Linus, Lino Clemens, Clementi, Anacletus, &c. Damaſo Siricius, Siricio Anaſtaſius. In hoc ordine ſucceſſionis, nullus Donatiſta Epiſcopus inuenitur, &c. In illum autem ordinem Epiſcoporum, qui ducitur ab ipſo Petro vſque ad Anaſtaſium, qui nunc eandem Cathedram ſedet, etiamſi quiſquam traditor per illa tempora ſubrepſiſſet, nihil præiudicaret Eccleſiæ, & innocentibus Chriſtianis, quibus Dominus prouidens, ait de propoſitis malis; Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite; dicunt enim, & non faciunt. Vt certa ſit ſpes fidelis, quæ non in homine, ſed in Domino collocata, numquam tempeſtate ſacrilegi ſchiſmatis diſſipetur.

Quanti verò ponderis, ac roboris eſſe hoc argumentum duceret, accipe ex libro de vtilitate credendi ad Honoratum: [Dubitabimus, inquit, nos eius Eccleſiæ condere gremio, quæ vſque ad confeſſionem generis humani ab Apoſtolica ſede per ſucceſſiones Epiſcoporum fruſtrà hæreticis circumlatrantibus, & partim plebis ipſius iudicio, partim Conciliorum grauitate, partim etiam miraculorum maieſtate damnatis, culmen auctoritatis obtinuit? Cui nolle primas dare, vel

Idem lib. de vtilit. cred. ad Honor. c. 17.

ſummæ profectò impietatis eſt, vel præcipitis arrogantiæ.] Fuit igitur ſemper hoc Catholicæ fidei firmamentum, & præſidium, de quo nos iàm hoc capite deijcere conatur Spalatenſis, & vt perficiat, Pontificem Romanum non eſſe peculiarem Petri ſucceſſorem, contra omnium veterum ſententiam obſtinatiſſimè contendit; ſed ijs rationibus vtitur, quæ cùm ſint ſuprà à nobis profligatæ, tale totum ædificium tam flaccidis fundamentis innixum. Hoc namque vt probet, aſſumit primùm Eccleſiam Romanam non fuiſſe propriam, neque peculiarem Petri ſedem, quod ſe primo capite huius libri demonſtraſſe gloriatur. Atqui nos ad illud caput oſtendimus eſſe hoc eius commentum abſurdiſſimum, atque à Catholicis ſtare Patres omnes, qui Romam Petri Cathedram vno ore pronunciant: addit, nulli Apoſtolo datam pro ſua ſingularitate ſucceſſionem, atque exploſas à nobis ineptiſſimas nugas retexit, ac iactare non deſinit. Oſtendimus enim Apoſtolos quidem, qui Eccleſias peculiares adminiſtrarent, ſucceſſores in priuato Epiſcopatu habuiſſe: ſic enim Iacobo Iuſto in Cathedra Hieroſolymitana Simon Iuſtus, vt eſt apud Euſebium, ſucceſſit, in Apoſtolatu non item, quòd ſcilicèt ampliſſima illa in vniuerſam Eccleſiam poteſtas extraordinaria eſſet, atque idcircò ſucceſſione caruerit; quemadmodùm enim in Hebræorum Republica Moſes extrà ordinem Summum Pontificatum geſſit, vnde eſt illud, Moyſes, & Aaron in Sacerdotibus eius, nullum tamen in eo munere habuit ſucceſſorem, ſed in Aaronis ordinarij Pontificis filijs ratio ſucceſſionis perſeuerauit. Ità de Apoſtolica, atque extraordinaria poteſtate ſentiendum eſt, nimirùm intereuntibus alijs Apoſtolis deſijſſe, qui eis ſuccederent in Apoſtolatu, ac vni Petro, qui ſummus Eccleſiæ Pontifex ordinarius eſſet à Chriſto renunciatus, datos ſucceſſores, ad quos illa poteſtas Apoſtolica reuocaretur. Subijcit, omnes Epiſcopos omnium Apoſtolorum etiam Petri, in ſolidum eſſe ſucceſſores; cùm tamen euicerimus, vt poteſtatis Petri ſuo modo hæredes ſint, propter partem ſollicitudinis, in quam ſint vocati, plenitudinem tamen poteſtatis in vnum tranſijſſe Petrum, quod non vno loco probat Leo Magnus, cuius teſtimonio abutitur.

Certè eo ipſo loco, quem profert Spalatenſis hæc habet: [Vnus, inquit, de toto mundo Petrus eligitur, qui, & vniuerſarum gentium vocationi, & omnibus Apoſtolis, cunctiſque Eccleſiæ Patribus præponatur: vt quamuis in Populo Dei multi Sacerdotes ſint, multique Paſtores, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit, & Chriſtus.]

Leo ſerm. 3. de ſua aſſumpt.

Et rursùs: [Propter quod dicitur beatiſſimo Petro, inquit, Tibi dabo claues, &c. Tranſiuit quidem etiam in alios Apoſtolos vis poteſtatis iſtius, & ad omnes Eccleſiæ Principes decreti huius conſtitutio commeauit; ſed non fruſtrà vni commendatur, quod omnibus intimatur.]

Haud quaquam igitur aſſerit Leo, quod ei imponit Spalatenſis. [Poteſtatem Eccleſiaſticam à Petro in omnes Apoſtolos in ſolidum commitaſſe, aut omnes Epiſcopos in ſoli-

ſolidum eſſe ſucceſſores Petri,] aliàs ipſe ſua vineta cederet. Nam, eius verba ſunt: [Vnus Petrus eligitur, qui omnibus Apoſtolis, cunctiſque Eccleſiæ Patribus preponatur.] An igitur fieri poſſit, vt omnes, & ſinguli Epiſcopi, omnibus alijs Epiſcopis præponantur? Nugæ. Ac poſtremò vrget, ſeculo Apoſtolorum nullam Eccleſiam habuiſſe vnum ſolum proprium, & ſpecialem defixum Epiſcopum,]: quod portentoſum eſſe mendacium, vel ex vna Apocalypſi demonſtrauimus: namque in ſingulis Aſiæ Eccleſijs proprios, ac peculiares fuiſſe Epiſcopos, quorum virtutes, & vitia ibi deſcribantur, fidem nobis facit; hoc enim nomine Angelorum Epheſi, Tyatiræ, Laodiceæ, &c. intelligit.

Iàm verò Spalatenſis in ſe quædam argumenta inſtruit, quę à noſtris fieri poſſent, (Spalat. n. 3.) ac ad ea diſſoluenda aggreditur, ac infirmare tentat. [Sed iàm, inquit, fecimus, dicet aliquis, in primo huius libri capite Petrum Romæ Epiſcopum; cur ergo Romani reliqui Epiſcopi non erunt Petri ſucceſſores? Eo ſanè modo, quo Petrus fuit Romanus Epiſcopus, fuit etiam Antiochenus; & infinitarum Eccleſiarum, quas ipſe fundauit, & in quibus ipſe actu ſuum exercuit Apoſtolatum, ſiue Epiſcopatum: non minùs igitur erunt Petri ſucceſſores Antiochenus, & alij, quàm Romanus; (Greg. l. 6. in ep. 37.) Ideòque Gregorius Antiochenum, & Alexandrinum æquè facit Petri ſucceſſores, ità ſcribens ad Eulogium Alexandrinum: Itàque cùm ſint Apoſtoli, pro ipſo tamen Principatu ſola Apoſtolorum Principis ſedes in auctoritatem conualuit, quæ in tribus locis vnius eſt. Ipſe enim ſublimauit ſedem, in qua etiam quieſcere, & præſentem vitam finire dignatus eſt. Ipſe decorauit ſedem, in qua Euangeliſtam Diſcipulum miſit. Ipſe firmauit ſedem, in qua ſeptem annis, quamuis diſceſſurus ſedit. Cùm ergo vnius, atque vna ſit ſedes, cui ex auctoritate diuina tres nunc Epiſcopi præſident, quicquid ego de vobis boni audio, hoc mihi imputo; ſi quid de me boni creditis, hoc veſtris meritis imputate. (Nicol. ep. 8.) Et Nicolaus; per has tres, inquit, præcipuas Eccleſias, omnium Eccleſiarum ſollicitudo, Beatorum Apoſtolorum Principum Petri, ac Pauli moderamen expectat.]

(Spalat. n. 4.) [Si quid ergo gloriolæ accreſcit Romano Epiſcopo, ex eo quòd ſedeat in ea ſede, in qua initio naſcentis Eccleſiæ Petrus ſedit, de eodem prorſùs gloriari etiam poteſt Antiochenus, qui ſedit in ſimili ſede; & alij omnes earum Eccleſiarum Epiſcopi, in quibus Petrus dum viueret ſedit, & prædicauit. Sunt autem penè innumerabiles; vt habes ſuprà libro 3. cap. 10. n. 4. Neque ad eripiendam his Eccleſijs, à Petro fundatis gloriam, & totam in ſe transferendam, dicat Romanus cum Innocentio, & Nicolao, Petrum in (Inno. ep. 21. Nicol. ep. 8.) tranſitu in illis fuiſſe; Romæ verò tamquam in propria, & perpetua, vſque ad mortem ſede conſediſſe: id enim non facit, quominus illi quoque, eodem modo ſint Petri ſucceſſores, ſicut, & Romanus, quia æquè Petri laboribus ſunt initio honorati, ſicut, & Romani: cùm preſertim Petrus in ſe nihil habuerit, quod non æquè omnibus Eccleſijs, in quibus ille fuit, ſucceſſoribus communicauerit, & reliquerit; Apoſtolicam nimirùm, hoc eſt, Epiſcopalem poteſtatem: Papatum enim vniuerſalem, & Monarchicum nullum habuit: vt probaui libro primo, & ſequentibus capitulis vlteriùs confirmabo. Nihil ergo plùs Romæ inibi moriendo Eccleſiaſticæ poteſtatis Romano tribuit Epiſcopo, quàm Antiochiæ Antiocheno, & alibi alijs viuus, & incolumis iàm tribuiſſet: qui nihil proprium, & ſingulare tribuebat, ſed commune, quod, & ipſe, & reliqui Apoſtoli, æquè à Chriſto acceperant, Epiſcopis omnibus ſucceſſoribus tribuendum.] Reſpondeo, Petrum quidem fuiſſe, & Antiochenum, & Romanum Epiſcopum, vt ex Hieronymo, Euſebio, & alijs ſuprà probauimus, & vtroque loco habuiſſe ſucceſſores, ſed longè diuerſa ratione: Antiochiæ ſiquidem ſucceſſores habuit in illius ſolùm Eccleſiæ, quam ad Patriarchatum euexit, adminiſtratione; Romæ verò in gubernatione Eccleſiæ vniuerſæ. Ratio diſcriminis eſt, quòd cùm à Chriſto vniuerſæ Eccleſiæ renunciatus eſſet Paſtor his verbis: Paſce oues meas, vt eſt à nobis ſolidiſſimè probatum: hanc Prouinciam per loci mutationem non depoſuit, ſed per mortem ei ceſſit, qui in demortui locum eſt ſuffectus, atque Romæ, non Antiochiæ, vt quoque fuſiſſimè probauimus, diem clauſit extremum; proindè itàque Pontifex Romanus, quem propterea Hieronymus piſcatoris ſucceſſorem vocat, & Petri fidem, ac ſedem tenere aſſeuerat Ruffinus; iure quodam hæreditario eam eſt conſecutus poteſtatem, quod Gregorius, Innocentius, & Nicolaus Pontifices probè aduerterunt: [Cùm multi ſint Apoſtoli, inquit Gregorius ad Eulogium Alexandrinum ſcribens, pro ipſo tamen Principatu ſola Apoſtolorum Principis ſedes in auctoritate conualuit, quæ tribus in locis vnius eſt. Ipſe enim ſublimauit ſedem, in qua etiam quieſcere, & præſentem vitam finire dignatus eſt. Ipſe decorauit ſedem, in qua Euangeliſtarum diſcipulum miſit. Ipſe firmauit ſedem, in qua ſeptem annis, quamuis diſceſſurus, ſedit. Cùm ergo vnius, atque vna ſit ſedes, cui ex auctoritate diuina tres nunc Epiſcopi præſident, quicquid de vobis boni audio, hoc mihi imputo. Reuoluentes inquit Innocentius, auctoritatem Nicœnæ Synodi, quæ vna omnium per orbem terrarum explicat mentem Sacerdotum, quæ cenſuit de Antiochena Eccleſia, cunctis fidelibus, ne dixerim Sacerdotibus, eſſe neceſſarium cuſtodire, qua ſuper diœceſim ſuam prædictam Eccleſiam, non ſuper aliquam prouinciam, recognoſcimus conſtitutam. Vnde aduertimus, non tam pro ciuitatis magnificentia, hoc eidem attributum, quàm quòd prima primi Apoſtoli ſedes eſſe monſtretur, vbi & nomen accepit, & Religio Chriſtiana, & quæ conuentum Apoſtolorum apud ſe fieri celeberrimum meruit, quæque vrbis Romæ ſedi non cederet, niſi quòd illa in tranſitu meruit, iſta ſuſceptum apud ſe, conſummatumque gaudet. Fecerat Beatiſſimus Petrus præſentia corporali, & Eccleſiam Antiochenam iam ſuam, inquit Nicolaus, quæ (ſicut beatus Papa dicit Innocentius) vrbis Romæ ſedi non cederet, niſi quòd illa in tranſitu meruit, iſta ſuſceptum quippè beatum Petrum apud ſe, conſummatumque gauderet.]

Iudicio itaque tantorũ Patrum Petrus ad tempus Antiochiæ ſedit, vt olim tabernaculum fœderis in Silo, ſed Dei voluntate Romam migrauit, ac commeauit, in eoque orbis terrarum ampliſſimo theatro ſedem fixit, quod diuino oraculo monitum feciſſe lib. 1. tradidimus. Falſum igitur falſiſſimum quod aſſumuit Spalatenſis, nihil plus Romæ inibi moriendo Eccleſiaſticæ poteſtatis Romano tribuiſſe Epiſcopo Petrum, quàm Antiochię Antiocheno, & alibi alijs viuus iã tribuiſſet. Sed nos alio argumento premit. Videant, inquit, Romani Pontifices, nedum ex ſucceſſione à Petro ſuum Primatum Monarchicum conantur confirmare, ipſum Petrum ab vniuerſali Apoſtolatu deijciant, & vnum priuatum Epiſcopum faciant. Non enim poſſunt Petro ſuccedere, niſi Petrum, vt eſſet Romanus ſpecialis Epiſcopus, ſuo Apoſtolatui vniuerſali renuntiaſſe; & Sedi Romanæ ſe perpetuò alligaſſe; voluiſſeque, vt illa ſedes eſſet ipſius ſedes propria, & peculiaris, & vſque ad mortem perpetua. Hoc tamen ſtultum eſt aſſerere, tum quia vt dixi, in Eccleſijs non ſtatim erat inſtitutus Epiſcopatus, vt vnicus dumtaxat defixus eſſet in ſingulis Eccleſijs Epiſcopus, qui ſolus ſuæ Eccleſiæ præſideret, in communi enim ſuam Eccleſijs nauabant operam Apoſtoli, etiam cum ſuis adiutoribus: tum quia, etiamſi id iam fuiſſet inſtitutum, vt vnus vni Eccleſiæ fixus præeſſet Epiſcopus, Apoſtolus tamen nullus, multò minus Petrus, vlli vnquam ſe loco certo fixè alligauit; aut vſque ad mortem obligare debuit; cuius eſſet per orbem excurrere, & Euangelium diſſeminare; & fundata vna Eccleſia, ad alias fundandas properare, relictis interim in ijs, quas fundabant, ſuis Epiſcopis, & Presbyteris, aut ſi vis, etiam vno ſuprà omnes Presbyteros ab ipſis Apoſtolis Epiſcopo conſtituto. Spalat. n. 5.

Reſpondeo, non vnam ſacri miniſterij perſonam ſuſtinuiſſe Petrum, aut iam ſuſtinere Pontificem; nam Petrus, quod etiam in Pontifice ſpectandum eſſe probauimus, non ſolùm Epiſcopum egit priuatæ Eccleſiæ Romanæ, ſed auctoritate ſibi à Chriſto conceſſa, Epiſcopatum vrbis ad orbis Pontificatum euexit; & ſuprà oſtendimus, quanam ratione Eccleſia Romana vniuerſalis nomen ſortiatur, ac diuerſa munera Pontifex obire poſſit.

Spalat. n. 6. Sed rursùm obijcit, [Paulum non minus fundaſſe Eccleſiam Romanam, nec minus quàm Petrum Eccleſiæ Romanæ Epiſcopum fuiſſe. Glorientur itaque, inquit, Epiſcopi Romani, quòd illius Eccleſiæ ſint Epiſcopi, in qua Petrus, & prædicauit, & ſanguinem fudit, & ſuas reliquias, ſuaſque depoſuit memorias; ſed augeant adhuc hanc gloriationem, ex eo quòd in eadem Eccleſia Paulus quoque prædicarit, immò eam fundarit, & ſimiliter ſanguine, & reliquijs ſuis decorarit: quòdque prætereà Ioannes Chriſti dilectus in eadem laborarit, & pro fide feruens oleum ſit perpeſſus incolumis, ſed ſpecialem ſucceſſionem à Petro, non eſt cur iactent: immò ſuadeo ab hac iactantia plurimùm caueant; quia ſchiſmata in Eccleſiam Chriſti à Paulo adeò reprehenſa indueunt; ſi enim Romani dicunt ſe eſſe Cephæ, & habere Epiſcopum, qui ſolus propriam Petri perſonam gerat; Petrique ſpecialem Epiſcopatum teneat, alij quoque dicent ſe eſſe eadem ratione Pauli, alij Ioannis, alij Thomæ, alij aliorum. Et 1. Cor. 1. hæc ſchiſmata, vt vitarentur, Sancti Apoſtoli, ſicut vnam, & eandem, & in ſolidum curam fundandæ Chriſti Eccleſiæ vniuerſalis gerebant; ità; & collegas, & ſucceſſores habere voluerunt, qui ipſis non ſingulis, ſed vniuerſis ſuccederent in ſolidum, vt lib. ſecundo explicaui, vbi probaui, omnes Epiſcopos, non minus Petri, quàm reliquorum Apoſtolorum, & eſſe, & dici ſucceſſores; etiam illos qui eas regunt Eccleſias, in quibus Petrus nihil ſui contulit laboris.]

Has nugas ſuprà diſpunximus, oſtendimuſque ineluctabilibus argumentis, vt Petrus, & Paulus Romæ Euangelium proſeminarint, ac nobiliſſimam Eccleſiam erexerint, adeòque ſanguine ſuo aſperſerint, Petrum tamen Paulo anteponendum eſſe, quòd ille Romanis longè prius annuntiaſſet, quàm iſte ad eos, vel ſcriberet, vel accederet. Enimverò ipſemet Paulus, vt monuimus, ad Romanos, quos nondùm viderat, aut docuerat, ſcribens, teſtatur, *Fidem illorum annuntiari in vniuerſo mundo*; ſeque ingenti deſiderio eos inuiſendi, & in eadem fide confirmandi, teneri. Proculdubiò igitur Petri laboribus coaluerat, ampliſſimæ, ac florentiſſimæ Eccleſiæ Chriſtianæ, & Catholicę facies, quod diſertis verbis tradit Euſebius: *Salutaris prædicationis verbo*, inquit, Petrus Primus *in vrbe Roma Euangelij ſui clauibus ianuam regni Cœleſtis aperuit*. Conſentiunt Patres omnes. quorum teſtimonia ſuprà retulimus. Sed aduersùm Pontificum ſucceſionem rursùs obiectat. [Adhuc inter Orthodoxos diſputari, an Pontifex, vt Pontifex debeat eligi à Clero tantùm Romano, an verò ab vniuerſali Eccleſia, vel à generali Concilio Eccleſiam vniuerſam repræſentante.] Verba eius ſunt. [Si Petrus, inquit, ſolus fuiſſet à Chriſto, Papa, hoc eſt, caput, & Monarcha totius Eccleſiæ; vt noſtri ſomniant, inſtitutus; de ſucceſſione ſpeciali Petri eſſet diligentiùs inquirendum, ſed hunc profectò, tametſi hoc verum eſſet nullus vllius particularis Eccleſiæ Epiſcopus poſſet hanc prętendere ſucceſſionem: de qua agam poſteà in ſequentibus. Immò quia de hac ſucceſſione nihil prouiſum eſt à Chriſto, ſed ea in incertum eſt relicta, & facta magnarum in Eccleſia diſſenſionum, ac ſchiſmatum occaſio, planum eſt, Papatum hunc eſſe totum fictitium, commentum hominum, à Chriſti inſtitutione remotiſſimum. Sanè, tempore Concilij Conſtantienſis in ſchiſmate trium Papatum grauiſſimo, acerrima eſt controuerſia inſtituta, num Cardinales Papam eligerent tamquam Clerus Romanus ſpecialis; an verò tamquam Eccleſiæ vniuerſalis Procuratores, & miniſtri. Et abſolutè loquendo num Papa, vt Papa, ab ijs fieret, qui Epiſcopum Romanum de iure faciunt; an ab Eccleſia vniuerſa, hoc eſt, ab vniuerſali Concilio illam repreſentante; ſiue ab ijs, quos vniuerſale Concilium ad id deputaret; & adhuc apud nos ſub iudice lis eſt. Certè ſi Papæ electio ad totam ſpectar Eccleſiam, vt tenet ſchola Pariſienſis, de qua ſuprà cap. 5. & infrà cap. 11. poſſet illa Papam facere, etiam alium Epiſcopum,

Rom. 1.

Hiſt. Eccl. lib. 2. ca 14. Edit. Baſil. per Henr. Petri cap. 1.

Spalat. n. 7.

pum, qui non ſit Rumanus Epiſcopus; immò aliquem; qui, vt par eſt, nullius eſſet particularis ſedis Epiſcopus; ſed tantùm vniuerſalis totius Eccleſiæ Papa; & tunc ſucceſſio Petri, vt Papæ (ſi Petrus fuit Papa) eſſet longè magis propria, & legitima, quàm ſucceſſio eiuſdem in Romana ſede; quia Romanæ Sedis Epiſcopus proprius; Petrus non fuit, vt eſt oſtenſum.] Quòd Pontificem negat vniuerſæ Eccleſiæ Rectorem eſſe à Chriſto impoſitum, inter eius deliramenta eſt reponendum, & nos ſuprà contrarium euicimus, ac demonſtrauimus.

Quod attinet ad ius electionis, Reſpondeo, eligendi Pontificis ius penès Illuſtriſſimos eſſe Cardinales, ſed Cardinales duobus modis ſpectari poſſe.

Primò, qua Eccleſiæ Romanæ particularis Clericos. Secundò qua procuratores, & Miniſtros totius Eccleſiæ, quæ rem magnam, difficilèmque eorum fidei mandarit, viceſque ſuas commiſerit.

Hoc igitur modo Pontificis eligendi ius habent, ac nomine vniuerſæ Eccleſiæ Chriſtianę plebis Rectorem renunciant. Quod addit de alterius vrbis Epiſcopo ad hunc gradum promouendo, nouitate ipſa turbat, nec mouendos eſſe terminos, quos poſuerunt patres noſtri, exiſtimamus. Quare, de ea re ſtatuere ſuperfluum ducimus; fauent tamen Romæ nobiliſſimi quique Scriptores, & in eius Epiſcopum inclinant. Quamquam non dubitemus, vbicumque vel Petrus, vel Pontifex eius ſucceſſor ſedem figat, vel conſtituat; ibi eſſe legitimum Eccleſiæ Gubernatorem, ac ipſius Pontificatus apicem. Sic namque cum Auenione commoraretur Pontifex non minùs caput Eccleſiæ erat, quàm cùm Romam incolit. Etſi verò potentiſſimis rationibus efficiãt noſtri, ac probent, Petri auctoritatem eius Interitu haudquaquam euanuiſſe, ſed in Pontifices Romanos tranſijſſe: obluctatur tamen Spalatenſis, eaſq; conuellere, ac funditùs euertere nititur, potiſſimùm verò diem dicit magnis illis Eccleſiæ luminibus Baronio, & Bellarmino, ac eorum rationes totis viribus, atque conatu impugnat.

Spalat. n. 8. Baronium primùm aggreditur. [Faciunt, inquit, Petrum noſtri Monarchici, quantum volunt, Papam vnicum totius Eccleſiæ (quod tamen non eſſe verum, docet totus noſter primus huius operis liber) inducant etiam, vt lubet, neceſſitatem (quę tamen nulla eſt) ſucceſſionis in Papatu Petri, adhuc tamen Romanum Pontificem Petro in Papatu ſuccedere, numquam demonſtrabunt; laborat enim quiſque ipſorum, ſaxum voluit, & ſudat, nec proficit hilum. Baronius ſanè, poſtquam viſus eſt ſibi, Petri Primatum egregiè confirmaſſe, (contrà quem Primatum, & cum ipſo Baronio, & Bellarmino, & alijs pugnauimus; eoſque ni fallor, expugnauimus) vt hunc Primatum in Romanos Põtifices tranſmittat, hoc pacto conatur: Eſt

Baron. to. 1. ann. 34. num. 208. igitur Chriſti ouile vnum, eiuſdemque paſtor vnus, idemque Petrus electus à Domino, ac maxima omnium præfectura nobilitatus; quam ne extinctam eſſe cum Petro, & vnius tantùm hominis vita ſuperſtite, Chriſti Eccleſiam perduraſſe; ac ſubindè gregem, ſine paſtore, corpus ſine capite, fundamentum ſine ſtructura, ſeu ſine fundamento ſtructuram, penitùs remanſiſſe; Stultè nimis, æquè ac impiè, dicere cum Ethnicis cæteriſq; Chriſtianæ fidei hoſtibus compellamur, fateri neceſſe eſt, eandem collatam à Domino in Petrum ſummam omnium poteſtatem, in poſteros eius Cathedræ ſucceſſores eſſe deriuatam.

Iſtud ipſum denique eſt, quod Auguſtinus ſæpè teſtatur; Dei Eccleſiam in Petro claues accepiſſe; & in ſe Petrum totius Eccleſiæ figuram repræſentaſſe; ne videlicet tantum munus videretur in Petri perſonam ſolummodò eſſe collatum; ac cum illo pariter extinctum, ſed potiùs in ipſum, tamquam in totius corporis caput myſticum, quod non extingueretur, ſed ſemper viueret in ſucceſſoribus. August. in Ioann. tract. 50. & 124.

Vndè idem ipſe Auguſtinus ad Cathedram Petri ſæpè prouocat Donatiſtas, vt cùm ſcribit ad Generoſum his verbis: Si, inquit, ordo Epiſcoporum ſibi ſuccedentium conſiderandus eſt: quantò certiùs, & verè ſalubriter ab ipſo Petro numeramus; cui totius Eccleſiæ figuram gerenti Dominus ait: Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, &c. Petra enim ſucceſſit Linus, &c. Poſt recenſitos ſingulos Romanos Epiſcopos Petri ſucceſſores vſque ad Anaſtaſium, qui tunc ſedebat, hæc ſubdit; In illum autem ordinem Epiſcoporum, qui ducitur ab ipſo Petro, vſque ad Anaſtaſium, qui nunc eandem Cathedram ſedet, etiamſi quiſpiam traditor per illa tempora ſubrepſiſſet, nihil præiudicaret Eccleſiæ, & innocentibus Chriſtianis, quibus Dominus prouidens, ait, de Præpoſitis malis: Quæ dicunt facite; quæ autem faciunt facere nolite. Ex quibus liquet priuilegia ſic à Chriſto fuiſſe Petro conceſſa, vt idem ipſe velut perſona propria, exprimeretur in ſingulis ſucceſſoribus, atque in Eccleſia viueret ſemper; nec eiuſmodi veritatis ſignum poſſe, ſucceſſoris alicuius criminibus vmquam, vel leuiter labefactari. Hæc Baronius. Cui nunc ego, ſicut, & infrà Bellarmino tantiſper donabo, neceſſarium eſſe, vt Petro in Papatu detur ſucceſſio. Probet tamen hanc ſucceſſionem in Romanis Pontificibus conſeruari. Auguſtinum ille ad hoc protulit. Id ep. 165.

Sed Auguſtinus, dùm Eccleſiam in Petro claues accepiſſe aſſerit, non dicit eas per ſucceſſionem à Petro ad Eccleſiam Romanam tranſijſſe, vt docui lib. 1. cap. 7. Sed intellexit, tunc quando Petro dabantur claues; Petrum illas non proprio, ſed Eccleſiæ nomine excepiſſe; & Petrum tunc totam Eccleſiam repræſentaſſe, cuius ille geſtaret figuram, non ſolam Romanam: quia tamquam Eccleſiæ totius procurator, nomine totius Eccleſiæ illas non ſibi, ſed Eccleſiæ toti accipiebat. Alioquin ſi ſenſus eſſet, quem intendit Baronius, non tota Eccleſia vniuerſalis claues haberet, ſed ſola Romana; quia ſucceſſio iam à Monarchicis non datur Petro in vlla alia Eccleſia, niſi in ſola Romana. Neque dicant, Romanum deindè Pontificem claues etiam reliquis Eccleſijs communicare; quia hoc pacto Eccleſia vniuerſa non haberet claues per ſucceſſionem à Petro, quod inten- Spalat. n. 9.

dic Baronius; ſed per commnnicationem, & aliud eſt ſucceſſio, aliud communicatio: & nos quærimus nunc ſucceſſionem Petri in Papatu. non clauium communicationem.

Quod etiam addit Baron. ex Auguſtino, ordinem ſucceſſionum à Petro commemorante, nihil ad rem facit, neque enim Auguſtinus quicquam dicit de ſucceſſione Romanorum Pontificum in Papatu, ſeu vniuerſali regimine Eccleſiarum; ſed de doctrina Apoſtolica, eam enim per ſucceſſionem à Petro in Eccleſia Romana perſeuerare aſſerit, quia Petrus doctrinam Apoſtolicam tradidie Romanæ Eccleſiæ, ac potiſſimùm Lino, quem Romæ conſtituit Epiſcopum, Linns Cleto, Cletus Clementi, & ſic deinceps, quemadmodùm eadem doctrina Apoſtolica in alijs Eccleſijs Apoſtolicis, per ſucceſſionem à Paulo, Ioanne, Iacobo, & alijs Apoſtolis tradita, per ſuceeſſinnes Epiſcoporum illarum ſedium eſt tranſmiſſa, & conſeruara.

Er in hoc ego magnam obſeruo æquiuocationem noſtrorum paſſim Monarchicorum, qui ſucceſſionem doctrinæ, & fidei pro ſucceſſione Principatus, & poteſtatis accipiunt: de qua doctrinæ per ſucceſſionem propagatione agam lib. 7. & verba ipſa Auguſtini hìc à Baronio producta, exprefsè de doctrina ſunt, & de fide, non de vllo Primatu, aut poteſtate, vt patet legenti. Et nos concedimus à quocnmque Apoſtolorum per ſucceſſionem Epiſcoporum, ab illorum inſtructione incipientium fidem, & doctrinam eſſe propagatam.

Concedimns etiam, ipſam Epiſcopalem poteſtatem, pari ratione ab iiſdem Apoſtolis, per Epiſeopos ſucceſſores, ad noſtra vſque tempora peruenisse, quia omnes Epiſcopi in Epiſcopatu ſunt Apoſtolorum, modis iam libro 2. explicatis, ſucceſſores. Quare, etiam Romanum Epiſcopum libenter admittimus, in Epiſcopali poteſtate, Petri, & Pauli, immò & omnium Apoſtolorum in ſolidum ſuceeſſorem, peculiarem tamen Petro, aut vlli Apoſtolo, vt ſingularis eſt, non damus ſucceſſionem. Adde vetò non ſolos Epiſcopos Romanos per ſuas ſucceſſiones reduci ad Petrum, ſed etiam Antiochenos, & omnium aliarum Eccleſiarum, quarum Petrus fundator fuit, Epiſcopos.]

Solidiſſima ratione niti Baronium, fruſtràque in eo oppugnando laboraſſe Spalatenſem, quamquam hìc ſibi triumphos canat, expugnaſſeque & ipſum, ac Bellarminum, pro more ſuo inaniter glorietur, priore libro oſtendimus, in quo omnes eius nugas diſpunximus.

Et quod attinet ad præſentem diſputationem, rectè omninò Baronius contendit, Primatum Petri, in ipſius ſucceſſores tranſijſſe, ex eo, quòd Petrus à Chriſto Paſtor ouium ſuarum conſtitutns ſit; ſiquidem Paſtor ordinarium ouium Rectorem ſignificat, ſine quo ouile nuſquam conſiſtat, cum alia mnnerum Eccleſiaſticorum nomina, vtpotè Apoſtolorum, Peophetarum, Euangeliſtarum extraordinarium quendam Magiſtratum notent, pro tatione temporum, & perſonarum, vel neceſſarium, vel congruentem, non autem pro omni tempore; namque v. gr. in prima illa Euangelij promulgatione, ac proſeminatione Apoſtolis opus fuit, à Deo proximè miſſis, tum quòd nondùm conſtituta eſſet ordinaria miniſtrorum Eccleſiæ ſeries, tum quòd totum terrarum Orbem luſtraturi cum ſumma poteſtate vbique mittendi eſſent.

Euangeliſtis quoque opus fuit, partim deſcribendæ hiſtoriæ Euangelicæ, partim concionibus, omnibus omninò locis, ac citrà reſtrictionem vbiuis habendis, nàm de his loquitur Apoſtolus, cùm ad Timotheum ait: *Opus fac Euangeliſtæ*; & tales in Eccleſia diù extitiſſe aduertit Euſebius.

2. Timot. 4. Euſ. Hiſtor. Eccl. lib. 5. cap. 10.

Prophetis poſtremò opus fuit, qui ſiue futura reuelarent, vel myſtica interpretarentur, & quæ obſcuriùs beneficio linguarum in Eccleſia dicebantur, explicarent, hiſque lucem afferrent, alijſque donis, ſeu miraculis ad commendationem verbi corruſcarent. Sed continentem, aut perpetuam horum eſſe ſeriem, neceſsè non fuit. Solus Paſtor, quia Eccleſia ouile eſt, perpetui officij nomen eſt, quo numquam, nuſquamque carere Eccleſia poſſit. Quare Chriſtus & ſeipſum bonum Paſtorem dicit, & boni Paſtoris officia diligenter exequitur, ac deſcribit, illum à mercenario, & latrone diſtinguens; denique futurum dicit, vt ſit vnum ouile, vnus Paſtor, vna ſcilicet Eccleſia, vnus Rector: at verò certum omninò eſt, quæ ordinaria ſunt, perpetua ſucceſſione propagari, ac conſeruari, manente ſcilicet, vt loquuntur in Scholis, huius poteſtatis obiecto.

Cùm itaque ſolus Petrus omnium ouium Chriſti Paſtor ſupremns fuerit à Chriſto conſtitutus, nec vmquam deſinant eſſe oues Chriſti, debet quoque neceſſariò aliquis ſemper eſſe illarum ouium Paſtor Petri ſucceſſor.

Quemadmodùm enim alij Paſtores, quia certam in ſcripturis habent vocationem, & poteſtatem, cet tos quoque propterea ſucceſſores habent: ſummus, ac ſupremus Paſtor tam claris, tamque expreſſis verbis in Euangelio deſignatus, omninò ſucceſſorem habere debet prima illa, ac præcipua dignitate ornatum, quod diſertis verbis innuit Chryſoſtomus, aſſerens Chriſtum ouium ſuarum curam tum Petro, tum Petri ſucceſſoribus commiſiſſe. Et omnium Patrum ea vox eſt, Primatum Petro datum, in Romanos Pontifices tranſijſſe perpetua ſerie, ac continenti ſucceſſione, namque illud Matthæi *Super hanc Petram*, in Romana ſede locum habere mille locis vrgent, ac, vt cæteros omittamus, atque ad ſeculum Auguſtini, de quo controuertitur veniamus. Et Optatus poſtquàm Romanorum Pontificum ſucceſſionem paulò antè contexuit, eadem auctoritate Donatiſtas premit: [Contra inferi portas, inquit, claues ſalutares accepiſſe legimus Petrum Principem ſcilicet noſtrum. Vndè eſt ergo, quòd claues Regni vobis vſurpare contenditis? qui contra Cathedram Petri veſtris præſumptionibus, & audacijs ſacrilegio militatis.]

Opt. lib. 2. cont. Parm.

Et eodem ſenſu Auguſtinus: [Si ordo Epiſcoporum, inquit, ſibi ſuccedentium conſideraudus eſt, quantò certiùs, & verè ſalubriter ab ipſo Petro numeramus, cui totius Eccleſiæ figuram gerenti Dominus ait: Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; & portæ inferorum non vincent eam. Petro

Auguſtin. epiſt. 165.

enim

enim ſucceſſit Linus, Lino Clemens,&c. Sed in hoc ordine ſucceſſionis nullus Donatiſta Epiſcopus inuenitur.]

Sed excipit Spalatenſis: [Auguſtinus, inquit, dùm in Eccleſiam in Petro claues accepiſſe aſſerit, non dicit eas per ſucceſſionem à Petro ad Eccleſiam Romanam tranſiſſe; vt docui lib. 1. cap. 7. Sed intellexit, tunc quando Petro dabantur claues, Petrum illas non proprio, ſed Eccleſiæ nomine accepiſſe, & Petrum tunc totam Eccleſiam repræſentaſſe, cuius ille geſtaret figuram non ſolam Romanam: quia tamquàm Eccleſiæ totius procurator, nomine totius Eccleſiæ illas non ſibi, ſed Eccleſiæ toti accipiebat.] Spalat. n 9.

Reſpondeo, vtique Auguſtinum exiſtimare Petrum figuram geſſiſſe Eccleſiæ, perſonamque eius ſuſtinuiſſe, cùm claues acciperet, ſed, vt ipſe addit, *propter Primatum, quem gerebat in Diſcipulis*. Et hoc quidem ſenſu nomine Eccleſiæ ſuas prærogatiuas conſecutum fuiſſe, vt eas in Eccleſiæ commodum, & vtilitatem referret, quod nos priore libro pluribus oſtendimus.

Adde verò, planè cenſere Auguſtinum, ſic in figura totius Eccleſiæ ei dictum eſſe à Chriſto, *ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*, quòd in Petri ſucceſſores, Rectores Eccleſiæ in eius locum futuros, eſſet tota Pontificatus auctoritas tranſitura, & quidem loco à Baronio citato, tam clarum eſt, illum ſucceſſionem vrgere, vt mirer inuentum eſſe, qui refragaretur, hæc enim eius ſunt non tam verba, quàm fulmina: [Si ordo, inquit, Epiſcoporum ſibi ſuccedentium conſiderandus eſt, quantò certiùs, & verè ſalubriter ab ipſo Petro numeramus?] Cauſam verò ſubijcit: [Cui ſanè, Petto totius Eccleſiæ figuram gerenti, nempè propter Primatum,quem habuit iu Diſcipulis, vt ex eodem Auguſtino oſtendebamus, Dominus ait: Supet hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; moxque ſubijcit Pontificum Romanorum Cathalogum: [Petro, inquit, ſucceſſit Linus,&c.]

Quàm igitur hebeti, ac ſtupido ſit ingenio, qui non videat omninò ſucceſſionem Pontificum, qui Petrum ordinis ſui Principem ſint conſecuti, vrgere, atque hac auctoritate premere Donatiſtas. Quod & locus ex Pſalmo contra Donatiſtas à nobis ſupra citatus planè euincit.

Nàm quod obijcit Spalatenſis hac ratione: [Futurum fuiſſe, vt ſola Romana Eccleſia claues haberet, cùm extra Eccleſiam Romanam nullam Petro ſucceſſionem aſſignent Orthodoxi,] friuolum eſt; vt enim in Eccleſia Romana ſolùm fit ſucceſſio, vt loquuntur in Scholis, *directa*, ſcilicet cum totius poteſtatis, quæ in Petro inerat, plenitudine; *collateralis*, tamen, vt etiam loquuntur,in aliarum Eccleſiarum Antiſtitibus effulget, ac conſpicitur.

Nàm quemadmodùm à radice non vnus caudex enaſcitur, ſed & rami quoque pullulant; ſic haudquaquam ſolus Romanus Pontifex ſuccedit Petro, verùm etiam aliarum Eccleſiarum Antiſtites, *ſucceſſione*, ſcilicet, vt diximus, *collaterali*.

Quod demùm addit Spalatenſis, *ſucceſſionem fidei, non verò poteſtatis ſpectaſſe Auguſtinum*, ità rurſùs ineptum eſt, & à mente Auguſtini alienum, vt ſuſpicio ſit non legiſſe Spalatenſem. Expreſsè enim de fide excipit, in hoc ordine ſucceſſionis Pontificum, nullum Donatiſtam inueniri, & vt traditor aliquis ſubrepſiſſet, nihil illum præiudicare Eccleſiæ, & innocentibus Chriſtianis.

Quare, certò certiùs eſt de ſucceſſione poteſtatis locutum eum fuiſſe, & locum affert ex Matthæo, qui omninò pro poteſtate facit; *ſupra Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ,& Phariſæi*.

Non dubito tamen Auguſtinum, ſucceſſionem fidei cum ſucceſſione auctoritatis, & poteſtatis in Pontificibus Romanis coniunxiſſe; quòd ſcilicet, vt ille quidem loquitur; doctrinam veritatis poſuerit Deus, in Cathedra vnitatis. Veniamus iam ad Bellarminum.

Sic de eo Spalatenſis: [Plùs, inquit, in hac Papatus ſucceſſione laborat Bellarminus, cui, licèt & ipſe breuitatis, & expeditionis cauſa, tantiſper conceſſerim (quod ſanæ mentis Theologus abſolutè, & liberè numquam ei concedet, & nos ſatis in præcedentibus impugnauimus) ex Diuino iure, & ratione ſucceſſionis, debere aliquem Petro in Papatu ſuccedere; adhùc tamen nego, Romanum Pontificem hunc fore ſucceſſorē. Et antequam ad ipſius accedam probationes; moneo mihi illa verba Bellarmini non probari, in quibus ait: [Atqui Eccleſia non minus eget nunc vno Paſtore, quàm tempore Apoſtolorum; immò verò etiam magis, cùm nunc ſint Chriſtiani, & plures, & peiores. Quaſi verò aut multitudo maior, vel minor Chriſtianorum, aut eorumdem bonitas, aut malitia vnitatem Paſtoris determinet, & non potiùs ipſamet Chriſti inſtitutio, & natura ipſa Eccleſiaſtici regiminis. Sicut enim verum eſt,totam Eccleſiam non habere niſi vnicum verum Caput, qui eſt Chriſtus; ſi ità verum eſſet,eumdem Chriſtum noluiſſe niſi vnicum Vicarium ſui loco in terris ad Eccleſiæ regimen vniuerſale ſubſtituere, proculdubiò ſiue pauci, ſiue multi ſint Fideles, ſiue boni, ſiue mali nihil intereſt, ſemper vnicus eſſe debebit, qui toti Eccleſiæ præſit. Quia enim Chriſtus ſemel iudicauit, & ſtatuit vnum ſuum Vicarium dare toti Eccleſiæ,ſi is Petrus fuit, quandoquidem in gratiam Eccleſiæ vſque ad finem Mundi in terris duraturæ, ſummum vnum Pontificem, præficiebat Petrum, is debet, cùm ſit mortalis, perpetuos habere ſucceſſores. Malè ergo, conceſſo Petro ſupremo Pontificatu, negatur eidem perpetua ſucceſſio à Caluino, vt eſt apud Bellarminum: qoia non propter paucitatem Apoſtolorum, & fidelium factus fuiſſet Petrus vnus omnium caput, ſed ex Chriſti inſtitutione, ſi voluit Eccleſiam Monarchico regimine in terris adminiſtrari.] Spalat. n. 10.

Pontificem Romanum ſuccedere Petro, cui totius Eccleſiæ gubernacula tractanda Chriſtus tradiderit, omnes pij; & Orthodoxi agnoſcunt: atque hanc ſententiam de fide eſſe, ſoli Hæretici, quibus ſe annumerat Spalatenſis, reclamant.

Sed ineptus eſt in refellendo Bellarmino. Negat ſibi probari eius ſententiam, qua aſſerit *Eccleſiam nunc non minùs egere vno Paſtore, quàm tempore Apoſtolorum, immò verò*

nunc

nunc magis tàm ſint Chriſtiani, & plures, & peiores.

Repudiandi igitur huius dogmatis, hanc cauſam dicit; [Quod nec multitudo maior, nec minor Chriſtianorum, nec eorum bonitas, vel malitia vnitatem Paſtoris determinet, ſed ſola Chriſti inſtitutio, & natura ipſa Eccleſiaſtici regiminis.]

Sed hæc ſtultitiæ plena, vt à Chriſti inſtitutione petenda eſt ratio regiminis, certum eſt ſapientiſſimo Seruatori cauſam fuiſſe, & rationem huius potiùs, quàm illius formæ regiminis deligendæ, cuius legibus teneretur Eccleſia. Quando igitur ratio, propter quam factus eſt Petrus caput Apoſtolorum, etiam multò magis vrget, vt ſemper in Eccleſia ſerie ſucceſſionis tale caput exiſtat; proculdubiò perpetuam, ac continentem eſſe voluit hanc Pontificum ſucceſſionem.

Cauſa ſiquidem tum primùm conſtituendi capitis fuit, vt eius auctoritate Schiſmata auerterentur, & ſarta, tectaque vnitas Eccleſiarum ſeruaretur. [Propterea, ait Hieronymus, inter duodecim vnus eligitur, vt capite conſtituto, ſchiſmatis tollatur occaſio.]

Vna eſt, ait Optatus, ſingularis Cathedra; in qua primus ſedit Petrus, vt in illa vnitas ab omnibus ſeruaretur.]

Tantundem, & Cyprianus: [Hoc fuerint cæteri Apoſtoli, quod Petrus, &c. ſed exordium ab vnitate proficiſcitur.]

Quod alijs verbis expreſſit idem Cyprianus, cùm [Petri Cathedram principalem vocatet, vndè vnitas Sacerdotalis orta ſit.]

Itàque ſi ad muniendam vnitatem tempore Apoſtolorum, qui tamen *primitias Spiritus, & gratiæ* à Chriſto conſecuti, à præſtituto ſibi ordine deſciſcere non potuerunt, neceſſe fuit, caput illis imponi, multò magis in reliqua tota Eccleſia per vniuerſum terrarum Orbem diffuſa ad vnitatem ſeruandam vno ſit opus capite. Immò verò, conſtitutum eſſe debet, Apoſtolos in fide confirmatos hoc præſidio pro ſe opus non habuiſſe cùm errori obnoxij eſſe non poſſent, ſed duntaxat, vt futuræ Eccleſiæ exemplar, ac forma eſſent ſingulari Chriſti prouidentia, id factum & obſeruatum.

Spalat. n. 11. De Caluino viderit Spalatenſis, nos Chriſto auſcultamus; *Sinite mortuos ſepelire mortuos ſuos*. Sed hac proluſione præmiſſa, maioribus viribus Bellarminum infeſtat, ac pro Primatu Pontificis pugnantem toto conatu aggreditur. [Quomodo, inquit, Bellarminus Papalem Romæ ſucceſſionem probet, audiamus. Iam verò, inquit, quòd iſte Petri ſucceſſor ſit Romanus Pontifex, facilè probari poteſt: Nullus enim eſt, nec fuit vmquam, qui ſe Petri ſucceſſorem vllo modo aſſeruerit, vel pro tali ſit habitus; præter Romanum, & Antiochenum Epiſcopum: Atqui Antiochenus non ſucceſſit Petro in Pontificatu Eccleſiæ totius, nam non ſucceditur, niſi cedenti locum, vel per mortem naturalem, vel per mortem legitimam, ideſt, depoſitionem; vel renunciationem: Petrus autem adhuc viuens, & Pontificatum gerens, Antiochenam Eccleſiam reliquit; & Romæ Sedem ſuam fixit. Reſtat igitur, vt Romanus Epiſcopus, qui Petro in Vrbe Roma morienti ſucceſſit; eidem in tota ipſius dignitate & poteſtate ſucceſſerit. Præterea ſi Antiochenus Epiſcopus Petro in Summo Pontificatu ſucceſſiſſet, primus Epiſcoporum fuiſſet. At Nicænum Concilium can. 6. Antiochenum Epiſcopum tertium Patriarcham, non primum, nec ſecundum eſſe declarauit, ſicut fuerat ſemper, nec vnquam Antiocheni Epiſcopi altiorem locum quæſierunt. Vt autem res hæc tota intelligatur, obſeruanda ſunt quædam, inquit.]

[Primò: Aliud eſſe ſucceſſionem, aliud rationem ſucceſſionis: nam ſucceſſio Romani Pontificis in Pontificatum Petri, ex inſtituto Chriſti eſt; ratio autem ſucceſſionis, qua Romanus Pontifex potiùs, quàm Antiochenus, vel aliquis alius ſuccedat ex facto Petri initium habuit. Succeſſio, inquam, ipſa ex Chriſti inſtituto, & iure diuino eſt; quia Chriſtus ipſe inſtituit in Petro Pontificatum duraturum vſque ad finem Mundi; & & proindè quicumque Petro ſuccedit, à Chriſto accipit Pontificatum. At verò, quòd Epiſcopus Romanus, quia Epiſcopus Romanus eſt, ſit Petri ſucceſſor; ex facto Petri ortum habuit, non ex prima Chriſti inſtitutione. Nam potuiſſet Petrus nullam Sedem peculiarem ſibi vnquam eligere, ſicut fecit quinque primis annis, & tunc moriente Petro non Epiſcopus Romanus, neque Antiochenus ſucceſſiſſet, ſed is, quem Eccleſia ſibi elegiſſet. Potuiſſet quoque ſemper manere Antiochiæ, & tunc Antiochenus ſine dubio ſucceſſiſſet; quia verò Romæ ſibi Sedem fixit, & tenuit vſque ad mortem, inde factum eſt vt Romanus Pontifex ei ſuccedat.] Spalat. n. 12.

[Et quoniam ſanctus Marcellus Papa in epiſtola ad Antiochenos ſcribit, Petrum Domino iubente veniſſe Romam, & ſanctus Ambroſius in oratione contra Auxentium, & Athanaſius in Apologia pro fuga ſua dicunt, Petrum Chriſti iuſſu Romæ martyrium pertuliſſe; non eſt improbabile Dominum etiam apertè iuſſiſſe, vt Sedem ſuam Petrus ità figeret Romæ, vt Romanus Epiſcopus abſolutè ei ſuccederet. Sed quicquid de hoc ſit: ſaltem iſta ratio ſucceſſionis non eſt ex prima inſtitutione Pontificatus; quæ in Euangelio legitur.]

[Obſeruandum eſt ſecundò, inquit, tametſi fortè non ſit de iure diuino Romanum Pontificem, quia Romanus Pontifex eſt, Petro ſuccedere in præfecturam totius Eccleſiæ, tamen ſi quis abſolutè petat, an iure diuino Romanus Pontifex Paſtor ſit, & Caput totius Eccleſiæ, omninò eſſe id aſſerendum. Nam ad hoc nihil aliud requiritur, quàm vt ipſa ſucceſſio ſit de iure Diuino, hoc eſt, vt ordinarium officium Eccleſiam vniuerſam cum ſumma poteſtate gubernandi, non ſit ab hominibus, ſed à Deo immediatè inſtitutum, id autem eſſe, ſuprà demonſtrauimus.] Spalat. n. 13.

[Obſeruandum eſt tertiò, inquit, licèt fortè non ſit de iure Diuino Romanum Pontificem, vt Romanum Pontificem Petro ſuccedere; tamen id ad fidem Catholicam pertinere: Non enim eſt idem, aliquid eſſe de fide, & eſſe de iure Diuino, nec enim de iure Diuino fuit, vt Paulus haberet penulam; eſt tamen hoc ipſum de fide, Paulum habuiſſe penulam. Etſi autem Rom. Pontif. ſuccedere Petro, non habeatur expreſsè in ſcripturis; tamen

men

men ſuccedere aliquem Petto deducirur euidenter ex ſcripturis; : illum autem eſſe Romanum Pontificem habetur ex traditione Apoſtolica Petri: quam traditionem Concilia generalia, Pontificum Decreta, & Patrum conſenſus declarauit : vt poſteà demonſtrabitur.]

Spalat.n.14. [Obſeruandum eſt, ait, poſtremò Epiſcopatum Romanum, & Eccleſiæ vniuerſæ præfecturam, non eſſe duos Epiſcopatus, neque duas Sedes, niſi iu potenria Nam Pettus Pontifex totius Eccleſiæ à Chriſto inſtitutus, non adiunxit ſibi Epiſcopatum Vrbis Romæ, quomodo Epiſcopus alicuis loci adiungit ſibi alium Epiſcopatum, vel Canonicatum, aut Abbatiam, ſed Romanæ Vrbis Epiſcopatum euexit ad Summum Orbis terræ Pontificatum: quemadmodùm cum Epiſcopatus ſimplex erigitur in Archiepiſcopatum, vel Patriarchatum. Non enim Archiepiſcopus, vel Patriaccha eſt bis, aut ter Epiſcopus; ſed ſemel tantùm, & in huius tei ſignum,non datur Pontifici Summo,niſi vnum pallium: etiamſi Epiſcopus, Atchiepiſcopus, Patriarcha, & Summus Pontifex ſit. Hæc enim omnia ſunt vnum actu, & tantùm in potentia multa. Ex quo ſequitur, vt qui eligitut Romanus Epiſcopus eo ipſo ſit Pontifex Summus Eccleſiæ totius, etiamſi fortè id non exptimant electores.]

Spalat.n.15. Has igitur doctiſſimi Cardinalis obſeruationes vellicandas ſumit Spalatenſis. [Hæc omnia Bellarminus, inquit, quæ ſunt à me iam excutienda. Perri ſanè ſucceſſores, addit, alios etiam præter Romanum, agnouerunt Cytillus Alexandrinus, Ephræm Syrus, Ioannes Chryſoſtomus, Gaudentius Brixienſis, Gildas Sapiens, Concilium Pariſienſe, & Pertus Bleſenſis, vt habes ſuprà lib.2. c.1. num.12. non quidem in Primatu, aut Papatu, quem nullum habebat, ſed in poteſtate Apoſtolica; hoc eſt Epiſcopali: quam ſolam in alios transfudendam, cum omnibus Apoſtolis habebat Petrus. Et falſum eſt, Petrum vſquam propriam fixiſſe Sedem, nuſquam enim ſuo vniuerſali Apoſtolatui, aut ipſe aut vllus alius Apoſtolus derogauit, derogaſſet autem, ſi ex vniuerſali Apoſtolo ad vnicum ſe Epiſcopatum ſingularem reſtrinxiſſet. Et Sedem ſibi figere, eſt vni ſe alligare Eccleſiæ particulari. Non enim ea ambitione peſtifera vrgebantur Apoſtoli, vt multas ſibi Sedes ſubiugarent, & Epiſcopos in propriam dumtaxat clientelam multiplicarent, Chriſto non ſibi laborabant, & Eccleſias fundabanr, & vna plenè ſundata, eique proprio Epiſcopo in diſceſſu remoriori aſſignato,cum pleniſſima Apoſtolica, hoc eſt, Epiſcopali in illa Eccleſia poteſtate ad illam ſundandam properabant, nulla ſibi in iam fundatas reſeruata vera iuriſdictione, aut poteſtate: niſi tantùm charitatis, & ſuperintendentiæ, vt ſi opus eſſet melinri inſtructione, eam libentet per viſitationem impertirent. Cùm itàque Petrus nullam propriam; & fixam habuerit Sedem, nullus Epiſcopus poteſt ipſius prætendere ſucceſſionem, aut æquè omnes illarum omnium Eccleſiarum Epiſcopi, quæ Perrum habuerunt Doctorem, & fundatorem, quæ ſunt plurimæ, non ſolæ duæ, Romana, & Antiochena, inter quas præcedentia non ex Perro fundatore, ſed ex Eccleſiaſtica conſnetudine, & lege, inſpecta ipſarum Vrbium rempotali poteſtate, tota peritur; vr libro tertio capite ſecundo, & decimo explicaui.]

Petrum præter Pontificem alios habere ſucceſſores, Epiſcopos ſcilicer, in quos pars Apoſtolicæ auctoriratis rranſierit, ac commearit, quo ſenſu dixerint Cyrillus Alexandrinus; Ephræm Syrus, & Ioannes Chryſoſtomus, Gaudentius Brixienſis, Gildas Sapiens, Concilium Pariſienſe, & Petrus Bleſenſis,diximus ad caput illud primum ſecundi libri, ineptientemque Spalatenſem correximus.

Qund addit *Petrum nullibi vmquam Sedem fixiſſe*, ab omnibus omninò, & hiſtoricis, & alijs Scriptoribus Eccleſiaſticis refellitur: Euſebius in Chronicon, [Pettus Apoſtolus, inquit, cum primus Antiochenam Eccleſiam fundaſſet, Romam mittitur, vbi Euangelium prædicans 25. annis eiuſdem Vrbis Epiſcopus perſeuerat.

Primùm Epiſcopum Antiochenæ Eccleſiæ, inquit Hieronymus, Pettum fuiſſe accepimus, & Romam deindè translatum, quod Lucas penitùs omiſit.]

Et alibi. [Simon Petrus, inquit, Prouinciæ Galileæ, vico Bethſaida, frater Andreæ Apoſtoli, & Princeps Apoſtolorum, poſt Epiſcopatum Antiochenſis Eccleſiæ, & prædicationem diſperſionis eorum, qui de circumciſione crediderant, in Ponto, Galatia, Cappadocia, Aſia, & Bithynia, ſecundo Claudij anno ad expugnandum Simonem Magum Romam pergit, ibique viginri quinque annis Cathedram Sacerdotalem renuit, vſque ad vltimum Neronis annum, ideſt, decimum quartum. A quo affixus, martyrio eſt coronatus, capite ad terram verſo, & in ſublime pedibus eleuatis, aſſerens ſe indignum, qui ſic crucifigeretur, vr Dominus ſuus.

Eccleſia Antiochena, inquit Innocentius, quam, priùſquam ad Vrbem perueniret Romam,beatus Apoſtolus Petrus ſua præſentia illuſtrauit, velut germana Eccleſiæ Romanæ, diù ab eadem alienam ſe eſſe non paſſa eſt. Et ideò, frater chariſſimè, inquit Leo in epiſtola ad Maximum Antiochenum Epiſcopum, oporter dilectionem tuam toto Orbe perſpicere, cuius Eccleſiæ gubernaculis voluerit te Dominus præſidere, & eius meminiſſe doctrinæ, quam præcipuus Apoſtolorum omnium beatiſſimus Petrus per totum Mundum quidem vniformi prædicatione, ſed ſpeciali magiſterio in Antiochena, & Romana Vrbr fundauit.]

Neque verò, vt de Roma dicamus, conſtituta Sede in Vrbe rerum Domina, quicquam Apoſtolicæ dignitati derogauit. Neque enim vt otio torperet, aut vt à munere Apoſtolico feriaretur; quod crebræ eius per Orbem peregrinationes ab inito Pontificatu oſtendunt, hanc ſibi Sedem delegit, ſed vt caput Mundi, expurgatis erroribus, tandem caput religionis faceret. Expreſſit iſtud elegantiſſimè magnus Leo: [Cùm duodecim Apoſtoli, inquir, accepta per Spiritum ſanctum omnium locutione linguarum, imbuendum Euangelio Mundum, diſtribuit ſibi ter-

ratum

rarum partibos; ſuſcepiſſent: beatiſſimus, Petrus, princeps Apoſtolici ordinis, ad arcem Romani deſtinatur Impetij: vt lux veritatis, quæ in omnium gentium reuelabatur ſalutem, efficaciùs ſe ab ipſo capite per totum Mundi corpus effunderet. Cuius autem nationis homines in hac tunc Vrbe non eſſent? aut quæ vſquam gentes ignorarent, quod Roma didiciſſet? Hìc conculcandæ Philoſophiæ opiniones, hìc diſſoluendæ erant terrenæ ſapientiæ vanitates, hìc confutandi dæmonum cultus, hic omnium ſacrilegiorum impietas deſtruenda, vbi diligentiſſima ſuperſtitione habebatur collectum, quicquid vſquam fuerat vanis erroribus inſtitutum. Ad hanc ergo Vrbem, inquit ſequenti capite, tu beatiſſime Petre Apoſtole, venire non metuis, & (conſorte gloriæ tuæ Apoſtolo Paulo aliarum adhuc Eccleſiarum ordinationibus occupato) Syluam iſtam frementium beſtiarum, & turbulentiſſimæ profunditatis Oceanum; conſtantior, quàm cum ſupra mare graderetis, ingrederis: nec Mundi Dominam times Romam, qui in Cayphæ domo expaueras Sacerdotis ancillam.] Non igitur otioſè fixa Sede Romæ egit Petrus, niſi fortè Gubernatorem otioſum credas, quòd clauum tenens quietus ſedeat in puppi, vt nauim regat.

Sed quærit à Bellarmino, vnde ille didicerit Petro tandem veniſſe in mentem Romæ ſe penitùs addicere?

Reſpondent verò Patres omnes, facto id teſtatum Petrum, quippè, qui ex deſtinato Romam petierit, vt Eccleſiam prædicatione ſua fundaret, inſtitueret, regeret, ac ad ſucceſſores tranſmitteret. Nos ſuprà, eorum teſtimenia recenſuimus, oſtendimuſque, haudquaquam fortuito mortem Romæ apperijſſe Petrum, ſed iuſſu Chriſti, quod etiam Athanaſius, & Ambroſius produnt, vt proinde appareat inſediſſe Deo, ac ſtatuiſſe eum, vt primi, & præcipui ſui Apoſtoli opera ad totius Eccleſiæ Principatum Roma eueh retur. Vt igitur *potuerit Petrus in pago aliquo mori*, ſi rerum communem ſpectes ordinem, haud tamen illi placuit pro particulari prouidentia alibi, quàm in Orbis Theatro, diem claudere extremum. Quo ſcilicet nobiliſſimo ſanguine aſperſa Roma ad ſupremum Eccleſiaſticæ dignitatis faſtigium aſſurgeret. Nec eſt in verboſiſſima oratione Spalatenſis aliquid, quod Romam hac honoris prærogatiua ſpoliare poſſit. Hoc igitur nomine plùs eſt Romanæ, quàm Antiochenæ Sedi datum, quod Innocentius, & Gregorius à nobis ſuprà citati oſtendunt. Cùmque de Primatu numquam litem mouerit Antiſtes Antiochenus Pontifici Romano, ſemperque ei loco ceſſerit, adeòque vt eſt in Concilio Epheſino, à Ioanne Epiſcopo Hieroſolymitano obſeruatum, Romana Eccleſia ſemper Antiochenam rexerit, miror ea dementia fuiſſe Spalatenſem, vt Antiochenſis Eccleſiæ iura, non iura ſibi propugnanda duceret. Potiſſimùm verò Synodo Nicena Antiochenam Sedem non ſolùm primò loco excludente, verùm etiam ſecundum negante, ac in tertio conſiſtere iubente, quod quamquam eſt ex more maiorum deſumptum, mos tamen ille à Petro exordium ſumpſit, & inualuit, vt ſuo loco diximus.

Secunda Bellarmini obſeruatio eſt; [Obſeruandum eſt ſecundò, inquit, tametſi fortè non ſit de iure Diuino, Romanum Pontificem, quia Romanus Pontifex eſt, Petro ſuccedere in præfecturam totius Eccleſiæ; tamen ſi quis abſolutè petat, an iure Diuino Romanus Pontifex Paſtor ſit, & Caput totius Eccleſiæ, omninò eſſe id aſſerendum. Nam ad hoc nihil aliud requiritur, quàm vt ipſa ſucceſſio ſit de iure Diuino; hoc eſt, vt ordinatium officium Eccleſiam vniuerſam, cum ſumma poteſtate gubernandi, non ſit ab hominibus, ſed à Deo immediatè inſtitutum, id autem eſſe, ſuprà demonſtrauimus.] Hanc ſic impugnat Spalatenſis. Spalat. n. 7.

Secunda obſeruatio Bellarmini, inquit, continet, meo quidem iudicio, manifeſtam contradictionem, aut ſaltem falſitatem. Nam poſito etiam, & admiſſo Papatu in Petro; cùm incertum ſit, an de iure Diuino Romanus Epiſcopus, quia Romanus Epiſcopus eſt, ſuccedat Petro in Papatu vniuerſali, immò cùm fortaſſe certum ſit, nec renuit Bellarminus, de iure Diuino Romanum Epiſcopum, vt talem; in dicto Papatu Petro non ſuccedere, & aliundè nulla habeatur euidens certitudo Petri Papatum in Romanos Pontifices vllo modo tranſijſſe; immò rationes ex Scriptura deductæ oppoſitum euincant, quomodo poteſt diuina fide aſſeri abſolutè, Romanum Pontificem eſſe Caput, & Paſtorem vniuerſalem totius Eccleſiæ? Concedam enim nunc liberaliter de iure Diuino ſuccedi debere Petro in Papatu, ſed negabo Romanum Epiſcopum vllo modo eſſe hunc ſucceſſorem: hoc enim erat probandum Bellarmino; ſed numquam probauit, & eius probationes demolimur, & à nobis probatum eſt contrarium.] Spalat. n. 18.

Pontificis Romani auctoritatem, quæ ſucceſſione Petri nititur, ex iure promanare diuino, magnus agnoſcit Auguſtinus, ac cum Auguſtino Concilij Mileuitani Patres. Scribentes ſiquidem ad Innocentium Papam, vt quamuis Pelagiani à Concilijs Carthaginenſibus damnati, tum à ſancto Hieronymo pleniſſimè confutati eſſent, cùm tamen ipſe eos lata ſententia etiam condemnere vellet, hanc rationem ſubijciunt. [Arbitramur, enim, inquiunt, auctoritati ſanctitatis tuæ de ſanctarum Scripturarum auctoritate depromptæ, faciliùs eos, qui tam peruerſa, & pernicioſa ſentiunt eſſe ceſſuros:] In quibus verbis, & auctoritatem eximiam, ac ſingularem ad comprimendos hæreticos in Romano Pontifice; illamque, & Synodorum decretis, & doctiſſimorum virorum ſcriptis maiorem agnoſcunt, & prætereà illam auctoritatem ex Scripturis depromptam eſſe, ideſt, eſſe iuris diuini, aſſeuerant, quare, etiam Gregorius prolatis in hanc rem Scripturæ locis hoc addit: [Ergo, inquit, cum multi ſint Apoſtoli, pro ipſo tamen Principatu ſola Apoſtolorum Principis ſedes in auctoritate conualuit,] Inter epiſt. Aug. ep. 92. Li 6. ep. 37.

Itaque nec anxius, nec ſcrupuloſius de loco nobis quærendum arbitramur. Satis ſcilicet nobis eſt, quod inculcat doctiſſimus Cardinalis, de fide eſſe, Pontificem Romanum quippè, qui ſucceſſione Petri nitatur, eiuſque ſit hæres, ſummum eſſe Eccleſiæ Paſtorem.

Ex

Ex quo etiam abundè refelluntur, quæ in tertiam obſeruationem Bellarmini ab aduerſario inducuntur, vt propterea ſuperfluum ſit in ijs refellendis diutiùs immorari; ſiquidem ſuâ principia falſitatis, & abſurditatis pleniſſima retexit, & meris nugis Lectorem paſcit.

Quare de quarta dicendum nobis ſit. [Obſeruandum eſt, ait, poſtremò, Romanum Epiſcopatum, & Eccleſiæ vniuerſæ Præfecturam, non eſſe duos Epiſcopatus, neque duas Sedes, niſi in potentia. Nàm Petrus Pontifex totius Eccleſiæ à Chriſto inſtitutus, non adiunxit ſibi Epiſcopatum Vrbis Romæ: quomodò Epiſcopus alicuius loci adiungit ſibi alium Epiſcopatum, vel Canonicatum, aut Abbatiam, ſed Romanæ Vrbis Epiſcopatum euexit ad ſummum Orbis terræ Pontificatum; quemadmodùm cùm Epiſcopatus ſimplex erigitur in Archiepiſcopatum, vel Patriarchatum. Non enim Archiepiſcopus, vel Patriarcha eſt bis, aut ter Epiſcopus; ſed ſemel tantùm, & in huius rei ſignum non datur Pontifici Summo, niſi vnum Pallium; etiamſi Epiſcopus, Archiepiſcopus, Patriarcha, & Summus Pontifex ſit. Hæc enim omnia ſunt vnum actu, & tantùm in potentia multa. Ex quo ſequitur, vt qui eligitur Romanus Epiſcopus, eo ipſo ſit Pontifex Summus Eccleſiæ totius, etiamſi fortè id non exprimant Electores.]

Spalat. n. 10. Aduersùm hanc ſic pugnat Spalatenſis; [De quarta obſeruatione Bellarmini, inquit, & de Papatu Epiſcopatui Romano coniuncto diſſeram capite proximè ſequenti. Satis nunc mihi ſit, Epiſcopum Romanum non eſſe verum, & peculiarem Petri ſucceſſorem; neque vllam haberi probationem, qua contrarium euincatur; niſi mihi iàm dicant, Eccleſiam ità de fide tenere. Ego verò nego id Eccleſiam Catholicam de fide tenere; totus enim Oriens id perpetuò, & conſtanter negauit; in Occidente verò adnitentibus id Romanis Pontificibus, & eorum aſſeclis, & paraſitis; tantiſper error in aliquibus inualuerat; ſed non dormitante, neque dormiente, Pſal. 10. qui cuſtodit Iſrael; iamdiù Occidens quoque errorem hunc excutere eſt aggreſſus. Arianus aliquando error totam penè peruaſerat Eccleſiam; teſtis ſit Concilium Ariminenſe, ſed paulò poſt orto veritatis Sole, erroris nubes ſunt diſiectæ. Non ergo argumentum veritatis eſt erroris dilatatio; ſed conſtans Eccleſiæ totius, & firma adhæſio; quæ in præſenti errore non habetur, ſed hunc eſſe errorem expreſſum ex ſacris etiam literis; vt docui, conſtat manifeſtè. Neque Papatum ad fidem poſſe reduci fatetur penè Gerſonius infrà cap. 7. num. 8.]

Hæc præterquamquod ſunt abſurdiſſima, etiam contumelioſa ſunt, & Orienti, & Occidenti; ac oſtendimus ſuo loco prioris æui Patres Græcos, Pontificem Romanum tamquam Petri ſucceſſorem, & totius Eccleſiæ Principem coluiſſe. De Occidente verò, qui dubitare poſſit, cùm ipſi Hæretici, quorum patrocinium hic ſuſcipit Spalatenſis, inficiari non audeant, ſubiectum ab initijs ſurgentis Eccleſiæ Pontificis Patriarchatui totum Occidentem. Certè ſereniſſimus magnæ Britanniæ Rex, non grauatè totum Occidentem, ſi intra eius fines cohibere ſe velit, conceſſurum ſe ei profitetur, Sed imperium Eccleſiæ humanis etiam potentiſſimorum Regum diuiſione non nititur, nullis terrarum limitibus dedit Chriſtus, & ex Orbe migrandum iudicat Bernardus ei, qui in Petri, aut etiam Pontificis diſciplina eſſe nolit.

Reliqua ſequenti capite, ad quod nos remittit Spalatenſis, perſequemur. Quodque contra Patres Pontifici Romano Primatum Apoſtolicum aſſerentes, excipit, diſſoluemus, ac diſpungemus.

DISCVSSIO
SEPTIMI CAPITIS
LIBRI QVARTI.

CONSPECTVS CAPITIS.

Spalatenſis ad eundem lapidem iterum offendit, & fruſtrà probare nititur, Chriſtum; qui eſt primarium Eccleſiæ Caput; noluiſſe in ſua Eccleſia alium eſſe Monarcham, niſi ſeipſum ſolum. Cauſarum cauſa ſecundas cauſas non excludit: Adducti in hanc rem Ambroſius, Cyprianus, & Bernardus. Superiori capite oſtenſum, Pontificem Romanum Petro legitimo ordine ſuccedere. Locus Torcellani explicatus. Schola Pariſienſis toto Orbe celeberrima, quam in ſuas partes pertrahere conatur importunus ſenex Spalatenſis, defenſa, & ab eius contumelia, & impoſtura vindicata. Pelagius II. & Gregorius I. ab aduerſario non intellecti, aut peſſimè expoſiti, vt à ſe ſtare oſtendat. Oecumenici; ſeu Epiſcopi vniuerſalis diuerſa acceptio, & quo ſenſu hoc nomen auerſati ſint Pelagius, Gregorius, & Adrianus I. Baronius, & Bellarminus defenſi. Vnum eſſe in tota Eccleſia caput, fusè oſtenditur. Robuſtiſsimum Gregorij argumentum addersùs Conſtantinopolitanum Antiſtitem, non item contra Romanum Pontificem. Refelluntur, quæ ſunt à Spalatenſi in innocentes Pontifices iactata. De pedum oſculis. Auctoris obitus.

Spalat. n. 1. VEriſſimum eſſe, quod propouimus, ſatis ſupetqne probat in ptimis totus noſter primus hnius operis libet; in quo abundè oſtenſum eſt inter Eeeleſiaſticos miniſtros, in terris Chriſtum Dominum Monarchiam non inſtituiſſe; ſed eam modis omnibus à ſua Eecleſia amouiſſe; ſi ergo Chriſtus nolnit in ſua Eecleſia alium eſſe Monarcham, niſi ſeipſum ſolum, & ſuos miniſtros omninò voluit omnes penitùs ſeruos eſſe bonos, & fideles, qui ſimùl, & in ſolidum ſuæ Eceleſiæ inſeruirent, & nullus eorum in ſuos conſeruos dominium vſurparee, & tyrannidem; quis non videt Primatum hune Romani Pontifieis totum eſſe vſurpatum, & Chriſti inſtitutioni, ſanctiſque Euangelijs, & Diuinis Seripturis repugnantem.

Spalat. n. 2. Probauimus itidem lib. 2. cap. 1. omnes Epiſcopos æquè omnibus Apoſtolis ſuccedere; & capite 5. & 6. necnou libro 3. eapite 1. omnes Epiſcopos à Deo æquè inſtitui; & eos inter ſe iure Diuino eſſe penitùs æquales. Probauimus quoque libro 3. ſola Eccleſiaſtica conſuetudine, & lege, ad aliquos actus Epiſeopales, Epiſcopos aliquos alijs Epiſeopis eſſe Prælatos, & Hierarehiam hanc Eeeleſiaſticam, dicto iure eccleſiaſtieo, ad vnicum ſolùm non reduei; ſed ad tres primùm; deindè ad quinque Patriarehas inter ſe æquales, & æquè vnumquemque in ſua regione ſupremum: Optimè ergò ex his conſtat, Papatum illum Romanum eſſe meram vanitatem in Chriſti eatholica Eeeleſia intolerabiſem. In præeedentibus quoque huius quarti libri capitibus demonſtratum eſt, nullo pacto poſſe Eeeleſiæ Romanæ ſingulare vllum tribui huius primatus priuilegium, quantumuis Petrum faciamus Eceleſiæ Monarcham fuiſſe, qni reuera non fuit: & Romam non eſſe peeuliarem Petri Sedem, neque Eecleſiam Romanam eſſe ſupra alias, ſed vnam inter alias, & particularem; neque ipſius Epiſeopum poſſe vllo modo Petro ſingulari ratione ſueeedere. Quare, indè etiam adhùc magis confirmatum relinquitur, Monarchiam hanc Romanam in Eeeleſiam vniuerſalem, eſſe totam vſurpatam, & confictam,

Quam-

QVamquam, quod ipſi etiam Ethnici agnouerunt, cauſarum cauſa Deus eſt cuſtodiens, & regens omnia, nullaque natura ad ſalutem ſatis inſtructa eſſe poſſit, quæ citra Dei præſidium, ſuæ ipſa demùm tutelæ permiſſa ſit. Cauſas tamen ſecundas otioſas eſſe non patitur; ſed earum interuentu, vniuerſam Mundi molem adminiſtrat, ac iudicio Philoſophorum errant omninò, qui cauſis ſecundis actiones adimunt, quos præterea propter dogmatis abſurditatem, vel pœna, vel ſenſu indigere

Topic. 1. c. 9 pronunciat Ariſtoteles. Sic ſcilicet adminiculo Solis lucem fundit, terraſque colluſtrat, ſic opera ignis calorem profert: ſic interuentu animæ vim agendi, & ſenſibus, & reliquis facultatibus impertitur, qua ratione anima caput hominis Auguſtino dicitur. Hunc prouidentiæ ſuæ ordinem in Eccleſiæ corpore regendo locum habere voluit, vt ſcilicet cauſæ quædam eſſent, quarum interuentu influxum ſuum in multitudinem fidelium demitteret, &

Ephes. 4. vt loquitur Apoſtolus, *Ipſe dedit quoſdam Apoſtolos, &c.* Non quòd vt artifices inſtrumentis, ità his cauſis indigeat, citrà quarum opem opus ſuum moliri nequeat: ſed hoc exuberantem naturæ diuinæ bonitatem decuit, fuitque id ipſarum rerum dignitati maximè congruens, vt omnes partim agendo, partim patiendo, quodam quaſi vinculo colligatæ eſſent, atque ità vnitatis ordinem ſer-

12. Metaph. c. 10. tex. 52. uarent, in quo non immeritò Ariſtoteles vniuerſi bonum, & perfectionem magna ex parte conſiſtere docet.

Quamquam igitur caput Eccleſiæ Chriſtus eſt, atque qua Deus, rerum omnium principium, cauſa eſt, quod tamen proximas cauſas non excludat ſuæ poteſtatis iura vnius ſpectabilis capitis à ſe vniuerſæ Eccleſiæ ſpectabili corpori impoſiti, interuentu, & adminiculo exercet, ac exequitur. Quamuis igi-

Coloſs. 2. tur ipſe caput ſit Eccleſiæ *primarium, & vitale*, vt vocant, de quo Apoſtolus, *Omnia ſubiecit ſub pedibus eius, & ipſum dedit, Deus, caput ſuper omnem Eccleſiam, quod eſt corpus ipſius, & plenitudo eius.* Caput miniſteriale, vt loquuntur, non tollit, ſed eius opera vniuerſam Eccleſiam regit, ac adminiſtrat, traditis ſcilicet Petro gubernaculis, his verbis, *Paſce oues meas, paſce agnos meos.* Quorum vis, ac energia ad eius ſucceſſores ſeſe fundat.

Fruſtrà igitur eſt Spalatenſis in hoc capite oppugnando, fruſtrà perniciem ei molitur, opus ſuum agnoſcit Chriſtus, & à Chriſto edocta Paſtorem, ac Pontificem ſuum Eccleſia veneratur; quæ autem ſunt ab Aduerſario inducta ad labefactandam, ac tollendam illam à Chriſto conſtitutam poteſtatem depulimus ſuperioribus libris, ac in ordine à Chriſto præſtituto omninò manendum eſſe docuimus, qui Petrum, Petrique ſucceſſores magna ornatos dignitate, & auctoritate vniuerſæ Eccleſiæ moderatores præfecerit. Quare, quæ hic retexit, nec nouis præſidijs fulcit, facilè repudiamus, nec in his refellendis immorari operæ pretium ducimus. Equidem, & Pontificem ipſum in numero ſeruorum Chriſti ponimus, ipſe verò ſe ſeruum ſeruorum Dei pronunciat, ſed ſeruorum ſummus eſt, familiæ Chriſti perpetuus œconomus, & vt vno verbo dicam, *Fidelis eſt ille ſeruus quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam.* Hunc enim locum de Petro, ac de Pontifice eius ſucceſſore, Patres intelligunt, ac interpretantur.

Pulchrè Ambroſius: [Quiſnam, inquit, Procem. l. 5. de fide. fidelis ſeruus, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, vt det illis in tempore cibum? Beatus ille ſeruus, quem veniens Dominus eius inuenerit ſic facientem. Non vilis hic ſeruus eſt, magnus aliquis eſſe debet. Quis ſit iſte conſideremus. Eſt Petrus, ipſius Domini ad paſcendum gregem electus iudicio, qui tertiò meretur audire: Paſce agniculos meos, paſce agnos meos, paſce ouiculas meas.]

In eandem ſententiam Cyprianus de Epiſt. 55. aut l. 1. ep. 3. Cornelio loquens, cum Nouatiani, & aſſeclæ Pontificem faſtidirent, ac planè repudiarent; [Nec, inquit, præpoſitum ſeruum deſeri à quibuſdam miretur aliquis; quando ipſum Dominum magnalia, & mirabilia ſumma facientem, & virtutes Dei Patris factorum ſuorum teſtimonio comprobantem, Diſcipuli ſui reliquerint.]

Ac rursùs in eandem ſententiam Bernardus de Eugenio loquens: [Sic te exiſtimet Lib. 2. de cõſid. c. 7. homo, inquit, vt miniſtrum Chriſti: & quod abſque præiudicio ſanctitatis cuiuſpiam dixerim, ſummum planè inter miniſtros. Aliàs niſi te ad ſummum velim, non putare ſummum, aut velle putari, antequam ſis.]

Ac rursùs eundem compellans; [Ità, inquit, & tu præſis, vt prouideas, vt conſulas, vt procures, vt ſerues, præſis, vt proſis, præſis, vt fidelis ſeruus, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam. Ad quid? Vt des illi eſcam in tempore. Hoc eſt, vt diſpenſes, non imperes. Hoc fac, & dominari ne affectes, hominum homo, vt non dominetur tui omnis iniuſtitia.

Quanam, inquit, de cauſa idem ille Chryſoſt. l. 2 de Sacerd. ſanguinem effudit ſuum? Certè, vt oues eas acquireret, quarum curam tum Petro, tum Petri ſucceſſoribus committebat. Iure igitur, ac meritò ſic loquebatur Chriſtus. Quiſnam fidelis ſeruus, & prudens, quem Dominus ſuper familiam ſuam conſtituit? Rursùs verba quidem iſta hæſitantis eſſe videntur, cum tamen ab eo prolata ſint, qui minimè hæſitaret. Nam quemadmodùm Petrum dum interrogaret, num ab eo amaretur: interrogabat profectò, non ex eo, quòd vellet amorem huiuſmodi ex Diſcipuli verbis intelligere, ſed quòd declarare cuperet quænam cenſeri deberet, noſtræ erga ſe charitatis, dilectioniſque magnitudo: ità, & hic dum ait; Quiſnam fidelis ſeruus, & prudens? Non hoc ait, quòd ei ignotus ſit fidelis ſeruus, ac prudens: ſed quod exprimere velit, tum hoc opus, quàm rarum ſit, tum quæ ſit functionis huius amplitudo.] Vt ergo in ordine miniſtrorum Chriſti reponendus ſit Pontifex, eius tamen dignitatem, ac in conſeruos imperium is titulus non infringit, aut imminuit: vt propterea rursùs fruſtrà ſit Spalatenſis in æqualitate Epiſcoporum nullo diſcrimine Pontificis, & aliorum aſſerenda, ac in Eccleſiam inducenda.

Spalat.n.3. Sed iam noſtrorum rationes verſat: [Caput tamen vnum, inquit, vniuerſale in terris totius Eccleſiæ vniuerſalis, cùm plenitudine Eccleſiaſticæ poteſtatis neceſſarium eſſe, & neceſſariò ponendum; & conſequenter Eccleſiam ex diuina ordinatione, Monarchicè gubernari, qui contendunt Hieromonarchici, id vel ex ſacris diuinis Scripturis ſe colligere profitentur, vel ex rationibus, & argumentis. Fatentur enim, hanc de Primatu vniuerſali, & Eccleſiaſtica Monarchia materiam, totam eſſe in ſe abſolutè Theologicam; neque eam poſſe, aut debere aliundè inquiri, & declarari, aut definiri, niſi ex diuina reuelatione, ſacraque Scriptura Theologicè.

Opuſc.1.c.1. Hæc eſt expreſſa Caietani proteſtatio, qui & negotium totum à duobus præcipuis Euangelij locis pendere aſſerit; in quibus totam ſuam fundat diſputationem. Nimirùm Matth.16. *Tu es Petrus, &c.* &, *Tibi dabo, &c.* Et Ioann. vlt. *Paſce oues*. Ex his enim, & ipſe, & reliqui paſſim Monarchici omnes Petrum à Chriſto vniuerſalem Paſtorem ſolùm primarium, & proprium, ac ordinarium faciunt inſtitutum. Indè argumentantur neceſſitatem, vt in Eccleſia adſit perpetuò talis Paſtor vniuerſalis; qui propriè ſuccedat Petro in hac cura paſturæ vniuerſalis. Et quia Petrum faciunt ſibi Romam, vt fixam, & perpetuam Sedem delegiſſe; indè Romanum Epiſcopum, vt vidimus, faciunt hunc Paſtorem vniuerſalem. Sed hæc omnia ſunt à me iam plenè in præcedentibus tractatibus confutata.

Placet tamen Torcellani acerrimi Monarchiæ huius propugnatoris confeſſionem hìc apponere. Is enim cùm tandem vidiſſet ſe ex ſacra Scriptura, ſacraque Theologia primatum Romani Pontificis probare non poſſe; eò ſe recipit, vt diceret: Si igitur in Euangelio non omnia, quæ prædictam poteſtatem declarant; in Romano Pontifice, & ſucceſſore Petri, ſicut in Petro declarata inueniuntur, ſeu vt omiſſa, vel obſcuriùs tradita; tamen quia generalis Eccleſiæ fides, & conſuetudo ità tenet, & interpretatur; ab Apoſtolis ipſis cæpta, & immediatè eos ſuccedentibus, & Diſcipulis, hoc ſufficeret, præſertim propter irrefragabiles rationes, quæ de ſucceſſore hoc probarunt. Sed hæc verba ſunt tantùm, vt ſuprà etiam opponebam Bellarmino, & clarè patebit ex ſequentibus. Interim verò dat manus abiecta ſpe, ſe quicquam ſolidi poſſe ex ſacris literis pro Papatu Romano colligere.

Quoniam tamen cum ſchola Pariſienſi adhùc aliquid nobis reliquum eſt diſſidij, quę & ipſa Monarchiæ huic ſe ſubdit, ſed longè diuerſa doctrina ab ea, quæ cæterorum communis eſt Monarchicorum: propterea cum Pariſienſibus mihi diſputanti, hoc pariter ſit fundamentum; Nos non debere, niſi Theologicè de hac re agere, potiſſimùm ex Scripturis.

Non erant vllo modo mihi eximij Theologi, ob eorum ſummam auctoritatem in re tanti momenti prætermittendi, aut contemnendi; præſertim, quòd cùm ipſi ad veritatis ſplendorem proximè acceſſerint, mihi ſiut, vt ſpero, ad Hieromonarchiæ huius omnimodam ſubuerſionem tandem manus porrecturi. A communibus enim Monarchicorum commentis, cùm plurimùm diſceſſerint; nouiſque ſint vſi proprijs in hac Monarchia retinenda placitis, facilè mihi erit ea ad eiuſdem Monarchiæ conuertere deſtructionem.] Quo iure Pontifex Romanus Petro legitimo ordine ſuccedens, habenas Eccleſiæ moderetur, diximus ſuperiori capite, ac eius auctoritatem ex auctoritate Scripturarum eſſe depromptam ex Auguſtino oſtendimus. Nec Caietani illa eſt priuata ſententia, vt ſuo loco oſtendimus, ſed communis.

Quod attinet ad Torcellanum, quem non vidiſſe nos fatemur, ſiquidem intelligit rationem ſucceſſionis, hoc eſt, cur Pontifex Romanus, potiùs quàm Antiochenus ſucceſſerit Petro, ex Scriptura clarè non colligi, aſſentiuntur omnes orthodoxi, qui huius rei rationem à Petri facto petunt; Si verò ſucceſſionem ipſam intelligat, non aliundè, quàm ex Scriptura colligi debet, vt ſuprà diſſerentem Bellarminum audiebamus, neque enim gubernationem Eccleſiæ cum Petro interituram ei commiſit, ſed quam ad ſucceſſores tranſmitteret; iure itàque diuino, ſeu ex inſtitutione Chriſti Romanus Pontifex potiùs ſuccedit, quàm quiuis alius Epiſcopus; nam quia Chriſtus fixum, ac ratum eſſe voluit, vt vnius ſpectabilis Capitis, & Paſtoris auctoritate regeretur Eccleſia, planè conſequens eſt, vt vi illius ſanctionis, vt intereunte vno Paſtore, ſuccedat alius in eius locum, atque vno auulſo, non deficiat alter, quod ex vi primùm inſtituti Pontificatus Aaronici in veteri Lege factitatum obſeruamus. Secùs enim concideret ordo à Chriſto præſtitutus, illis verbis, *Paſce oues meas*. Vnde autem conſtet Pontificem debere eſſe hunc ſucceſſorem, ſi quærat Aduerſarius, illud Tertulliani vſurpabimus: *Traditio tibi prætenditur oculis, conſuetudo confirmatrix, fides obſeruatrix*.

Itàque expreſsè habet Scriptura, Chriſtum, cùm in terris ageret, etiam Eccleſiæ caput viſibile fuiſſe, ac recipiendum in Cœlum antè, Petrum Vicarium ſuum conſtituiſſe, ac totius Eccleſiæ procurationem ei tradidiſſe illis verbis: *Paſce oues meas, paſce agnos meos*: Traditio verò Patrum nos docuit, in vnum Romanum Pontificem tranſijſſe hanc auctoritatis prærogatiuam.

Traditioni verò non ſecùs, ac Scripturæ fidem habendam docent Chryſoſtomus, Baſilius, Epiphanius, & cæteri, & Auguſtinus clariſſimè omnium. Itàque cùm totus Orbis, conſentientibus, ac conſpirantibus votis, Orientis, ac Occidentis, ſtatim à morte Petri, loco habuerit, ac veneratus ſit, vt ſuo loco oſtendimus, non niſi ſtultiſſimè de ea re ambigi poſſit, & hoc etiam meo iudicio ſibi voluit Torcellanus, quem tamen in ſuas partes pertrahere conatur Spalatenſis.

Sed iam relicto Torcellano, Scholam Pariſienſem vexat, eique ferè hæreſim aſſingit, vt illam à ſe ſtare oſtendat. [Volunt, inquit, Doctores Pariſienſes Chriſtum in Eccleſia ſupremam poteſtatem inſtituiſſe, & reliquiſſe; & Papatum de iure diuino admittunt: priùs tamen volunt hanc ſupremam iuriſdictionis in regenda Eccleſia vniuerſali poteſtatem, ipſimet toti Eccleſiæ vniuerſali à Chriſto datam, (in ordine enim Epiſcopali omnes Epiſco- Spalat.n.4.

ſcopos, etiam cum Papa cum communi, faciunt pares) cum ea tamen ipſo diuino iure obligatione, vt quoniam tota Eccleſia non ſemper poteſt facilè congregari, illa vnum ponat ſuo loco caput, qui ipſius nomine, tamquam vniuerſalis Eccleſiæ, vniuerſalis magiſter ipſam regat Eccleſiam vniuerſalem, & hunc eſſe Papam. Chriſtum verò ſupremam hanc poteſtatem priùs dediſſe Eccleſiæ, quàm Petro, probant ex Matth.18. Dic Eccleſiæ, & ſtatim; Quæcumque alligaueritis, &c. Quibus verbis, aiunt, dari Eccleſiæ poteſtatem excommunicandi, & conſequenter alia iuriſdictionalia exercendi. Poſteà verò ipſum Chriſtum Petrum elegiſſe; vt nomine totius Eccleſiæ illam exerceret poteſtatem, quando
Ioann.21. dixit ei; Paſce oues, Eccleſiæque electionem præoccupaſſe; eique ſic præſcripſiſſe; vt ipſa deinceps loco Petri ſibi Papam præponeret; ſicut ipſe Petrum toti Eccleſiæ, ſed nomine ipſius Eccleſiæ præpoſuerat. Quòd ſi Chriſtus Petro illam curam non dediſſet, tunc, inquiunt, potuiſſet Eccleſia, vel Petrum, vel alium quemcumque, prout ei placuiſſet, Pa-
Sup. cap. 6. num. 12. pam conſtituere, (quod etiam concedit Bellarminus) quia Chriſtus, electo Petro, illam præuenit: Poſt mortem verò Petri illa perpetuò deinceps ſibi Papam conſtituit. Dicunt ergo iure diuino, ſupremam poteſtatem Eccleſiaſticam eſſe totam in Eccleſia primariò, & ſupremam item iure diuino eſſe in Papa ſecundariò, & in Eccleſia eſſe maiorem, quàm in Papa: & Papam eſſe miniſtrum Eccleſiæ; & proindè Eccleſiam vniuerſalem, Conciliaque generalia ipſam repræſentantia eſſe ſupra Papam; Papam verò eſſe quidem ſupra ſingulos Epiſcopos, ſingulaſque Eccleſias; non tamen ſuprà vniuerſas, ſed vniuerſitatem Epiſcoporum eſſe ſuprà Papam, & Papam poſſe ab Eccleſia eligi, quicumque ei placuerit; etiamſi non ſit Epiſcopus Romanus. Tunc enim ſemper verificabitur, inquiunt, illud: Vbi Papa, ibi Roma: & ſic non tenent, ipſam localem Romanam Sedem eſſe neceſſariò Papalem, quod etiam Eckius affirmat: Concedit enim Papatum eſſe transferibilem, & poſſe eum à Romana Sede auferri, & in alia collocari. Volunt prætereà Papam eſſe ſubiectum correptioni fraternæ, eique Euangelico di-
Matth.18. cto: Si peccauerit, &c. ac conſequenter eum correctioni Conciliorum ſubiacere, poſſeque ob quæcumque grauia delicta, & iudicari à Concilijs, & puniri, ac etiam deponi: & ab ipſo ad Concilium poſſe appellari: & vnionem Chriſtianorum cum Chriſto vero capite primario Eccleſiæ, eſſe eſſentialē, atque ad ſalutem ſimpliciter neceſſariam: vnionem verò cum capite ſecundariò Papa, eſſe accidentalem, & ad ſalutem non ſimpliciter neceſſariam: Et Papam eſſe fallibilem, ac errare in rebus quoque fidei poſſe, non ità Eccleſiam. Hæc, & ſimilia conſtanter tenent, & docent, Gerſonius, qui & Carlerius, in ſuo tractatu de poteſtate Eccleſiaſtica; & de auferibilitate Papæ; & de ſtatibus Eccleſiaſticis; & de pace, conſideratione 2. & 4. & in Articulis contrà Petrum de Luca art.1. & 11. & de vita ſpirituali animæ, lect. 2. & 3. alijſque locis. Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracenſis tractatu de Eccleſiæ auctoritate; Iacobus Almainus tractatu de Dominio naturali, ciuili, & Eccleſiaſtico; & de auctoritate Eccleſiæ; & de poteſtate Eccleſiaſtica, & Laica; Ioannes Maior, diſputatione de auctoritate Concilij ſuprà Pontificem in Commentarijs in Matth. cap.18. ſuper illa verba: Si peccauerit in te, &c. & in 4. diſt.24. q.3. & alij.

Hæc ſanè doctrina, verbo tantùm tribuit Spalat. n. 5.
Papæ ſupremam iuriſdictionis Eccleſiaſticæ poteſtatem iure diuino; re tamen illam eidem totam aufert. Si enim per priùs eſt illa poteſtas in Eccleſia, quàm in Papa; & in Papa non eſt, niſi quatenùs ei illa ab Eccleſia tribuitur; vndè & purus ſit miniſter Eccleſiæ; minoremque dicatur habere poteſtatem, quam tota habeat Eccleſia; ſi quoque ſuprà totam Eccleſiam vniuerſalem abſolutè ei negatur omnis poteſtas; ſed ſola conceditur ſuprà ſingulas Eccleſias; ſi idem vniuerſali Eccleſiæ abſolutè ſubijcitur; omninò profectò Eccleſiaſticæ Reipublicæ forma Democratica hinc apparebit; non Monarchica. Et dum cum Auguſtino hi Doctores planè fatentur, Petro datas fuiſſe à Chriſto claues, tamquam procuratori totius Eccleſiæ; vt illas nomine totius Eccleſiæ, tamquam vniuerſalis Eccleſiæ typus, & figura, & non in ſua ſpecialitate acciperet; certè idem prorſùs, & dicunt in re, & ſentiunt, quod ego pluribus in meo lib.1. declaraui. Quòd ſi Petrus in acceptione clauium perſonam Eccleſiæ ſuſtinuit; & in ſua ſpecialitate nihil accepit; id profectò fuit pro illa vice ſola, quippiam merùm perſonale, quod cùm perſona ſimul extinctum eſt, neque in hoc data eſt ei vlla ſucceſſio: neque Eccleſia ampliùs indiguit tali figura, tali typo, & tali procuratore; quia ſemel à Chriſto datæ claues Eccleſiæ in Petro, non ſunt ampliùs ab Eccleſia ablatæ; quia illas Petrus, non pro ſe ſolo accepit, ſed pro omnibus ſimul, & ſemel prælatis, præſentibus, & futuris; qui omnes erant in Petro, quando ei Chriſtus dabat claues. Cùm itaque Eccleſia tunc claues illas pleniſſimè habuerit in Petro, quid opus ampliùs eſt, vt poſt Petrum alius, & alius, & alius, perpetua ſucceſſione adſit Eccleſiæ procurator? Vndè ergo habent neceſſitatem Papatus in Eccleſia, cuius etiam inſtitutionem nullam viderint?

Accepit ergo Eccleſia vniuerſa, non à Spalat. n. 6.
Petro, ſed in Petro, ſeu cum Petro tunc omnem poteſtatem Eccleſiaſticam, quam Chriſtus eidem ſuæ Eccleſiæ tribuebat; & hæc poteſtatis plenitudo, vt optimè docent Pariſienſes, data eſt Eccleſiæ vniuerſæ, hoc eſt, omnibus, & ſingulis Epiſcopis in ſolidum; quam poteſtatem pleniſſimè, iure diuino, quilibet Epiſcopus exerceat in ſuam gregis Dominici portionem: quia Epiſcopatus vnus
eſt, vt dicebat Cyprianus, cuius à ſingulis in Cyprian. de ſimpl. Præl. Id.l. 1. ep.3.
ſolidum pars tenetur: Et ſingulis Paſtoribus portio gregis eſt adſcripta, quam regat vnuſquiſque, & gubernet. Ad quid igitur Eccleſia indiget Papa? Quid præſtare debet vniuerſali Eccleſiæ Papa, quod non præſtent ipſi Epiſcopi; vel ſinguli in ſuis Epiſcopatibus; vel quando opus eſt, etiam vniuerſi in Concilijs? Vnumquemque enim Epiſcopum, quamtumuis iure humano ligatus ſit vni ſedi particulari, iure tamen diuino, curam vniuerſalem totius Eccleſiæ vniuerſalis gerere debere, vbi opus ſit, & neceſſitas, aut opportunitas exi-

exigat, ſatis oſtendi lib.2. cap.6. & 7. & inferiùs cap.9. confirmabo. Vbinam verò obſecto, iſtum Papatum inueniunt à Chriſto inſtitutum? An in Petro? Sed nihil poteſtatis Petrum habuiſſe, iam conuicimus, quod non æquè quiuis alius Apoſtolus habuerit, & conſequenter omnes Epiſcopi Apoſtolorum in ſolidum ſucceſſores. Si verò eos aliquod confuſionis periculum turbat, ſi omnes Epiſcopi potiantur in poteſtate æquales; ſciant Eccleſiam ſatis proſpexiſſe Prouinciarum diuiſione, & Primatum, Metropolitanorum, ac Patriarcharum inſtitutione, vt iam eſt oſtenſum. Sciant etiam de iure diuino, veram iuriſdictionem in Eccleſia nullam eſſe, vt probabo lib.5. Sed totam charitate regi, regulis voluntarijs, ac documentis, ſuaſione, hortatu, increpationibus, & obſecrationibus, pœnas verò alias non habere, niſi ad ſummum, excluſionem hominis à reliqua fidelium ſocietate; quæ eſt pœna dumtaxat priuatiua, non poſitiua. Quare, propter iuriſdictiones falſas, & nullas Papatum ponere, eſt maximæ leuitatis.

Gerſon. de poteſt. Eccl. conſid. 9. & in fin. concluſ.2. Cùm verò hi Doctores, verbo quidem Papatum de iure diuino dicant eſſe inſtitutum, re tamen ipſa illum totum in eſſe, in fieri, & in conſeruari Eccleſiæ ſubijciant, & conſequenter cogantur ipſum Papatum totum ad ius poſitiuum Eccleſiaſticum reducere: cur aſſerunt id, quod probare non poſſunt; nec vllo, aut ſtatuto, aut vſu Eccleſiæ confirmare: Et non potiùs viſis tot Eccleſiaſticis Decretis, & perpetua Eccleſiæ conſuetudine, nobiſcum affirment, Eccleſiam perpetuò, antequam monſtrum hoc Papatus inſurrexiſſet, per multa ſecula iuxtà Euangelicam doctrinam, & Apoſtolicas traditiones, & Patrum, ac Conciliorum Decreta, Ariſtocraticè, & non Monarchicè, gubernatam fuiſſe: ac proindè nunc etiam debere gubernari? Et ſi qua debet inæqualitas inter Epiſcopos ab Eccleſia poni, eam debere poni, quàm per tot ſecula iam poſuit, & non nouam inſtitui, Chriſto, Euangelijs, Concilijs, & Patribus omninò aduerſantem, & Eccleſiam ipſam ſæua tyrannide captiuantem.

Mouebantur Pariſienſes luce veritatis,
Spalat.n.7. monebantur neceſſitate pacis, & vnitatis: mouebantur turpitudine ſchiſmatum, ex concurſu ambitioſo ad Papatum: tot malis occurrere non poterant, niſi Papam ſuum, vt par eſt, ſubderent Eccleſiæ, quo per Concilia generalia ſchiſmata extinguerentur, alioquin de remedio efficaci actum erat. Conati ergo ſunt, veram Eccleſiæ poteſtatem aperire, & Pontificis Romani indebitam ſupremitatem deprimere. Sed ſi Papatum ipſum penitùs extinxiſſent, & nullum eſſe declaraſſent, vt reuera nullus eſt, & ipſi eum nullum eſſe optimè ſubolfecerant, Romanumque Pontificem in ſolo Patriarchali gradu reliquiſſent; ſic penitùs omnes ſchiſmatum occaſiones amputaſſent, nec vllum ampliùs periculum ſchiſmatum ſuperfuiſſet. Sed quia Papatus iſte iam nimiùm inualuerat, neque ſpes erat in Concilio Conſtantienſi illum extinguendi; ſoli enim tunc Theologi Pariſienſes veritatem per timulas inſpiciebant, & verum remedium ſubodorari poterant, non penitùs adhibere, ne contrà torrentem fruſtrà niterentur, & incaſſum laborarent, Papatum retinere coacti ſunt in verbo, quem, vt dixi, reipſa demoliebantur. Ideòque Monarchicis noſtris nihil obijci poteſt durius, nihil ingratius, nihil ipſo Conſtantienſi Concilio odibilius, in quo Pariſienſis doctrina, moderata tamen, obtinuerat, vt Papatus nomine quidem relinqueretur, re penè aboleretur, & Eccleſiaſticum regimen ſupremum in ipſa tota Eccleſia, ipſiuſque Concilijs (prout ſemper obtinuit, vel obtinere debuit) retineretur. Ac propterea Roma Concilium hoc Conſtantienſe iam totum conculcauit; & ipſum igni tradendum proclamauit aliquando Thomas de Vio frater Dominicanus, Cardinalis Caietanus. Dum Caietan. opuſc.1. c.8.
itaque audimus Gerſonium, & ſocios, viros doctiſſimos, Papatum retinere, & tueri; ſciamus profectò id ab eis verbis tantùm dici, non ex animi ſententia, & ad vitanda ſcandala, ac ne maiores adhuc turbæ in Eccleſia excitarentur, iuxtà illud eiuſdem Gerſonij documentum; Poterit ſiquidem, inquit, fieri, vt abſque peccato mortali, immò cum merito magno ſit aliquis Theologus, vel alius prudens, qui diſſentiat corde ab humanis determinationibus, aut traditionibus; qui tamen obligabitur, propter euitationem ſcandali, vel aliter, non repugnare exteriùs; nam poteſt aliquarum publicatio veritatum prohiberi, & aliquarum falſitatum dogmatizatio permitti. Hoc documento vſum fuiſſe ipſum Gerſonium, & ſocios, non dubito; dum in Concilio Conſtantienſi Papatum ore tantùm defendunt, & retinent.

Quinimmò idem Gerſonius hanc ipſam Spalat.n.8.
ſententiam de Papatus vnitate in forma, & magiſtraliter, timidè tamen, & ſub humana cautela ibidem explicarat; dum in lege purè diuina quatuor gradus aſſignauit; vt primus ſit legum in ſacra Scriptura expreſsè poſitarum pro tota Eccleſia; Secundus earum, quæ ex his euidenti conſequentia deducuntur: Tertius earum, quæ ſola traditione legitima habentur: Quartus earum, quæ ſpecialiter à Id. ib.lect.2.
Deo priuatis inſpirantur. In tertio gradu poſuit articulum de Romano Papatu, qui ſit in vniuerſalem Eccleſiam, his verbis; In tertio gradu reponentur leges diuinæ immediatè à Chriſto traditæ, aut ab eis dicto modo deductæ, quæ per ſucceſſiuam relationem Apoſtolorum, & aliorum ad nos æquiualentum Scripturæ Canonicæ notificatæ ſunt, vt fortè eſt illa lex, vniuerſalis Eccleſia Pontifici Romano ſubiecta ſit. Non enim poſſet euidenter, aut per conſequentiam purè de fide, ex legibus primi generis humana deductione fulciri. Quod tamen ſit lex purè diuina, patet; quia niſi ſic, poſſet humana traditione primatus iſte caſſari. Papatus ergo Romanus, neque eſt in Euangelio expreſſus; neque ex Euangelio poteſt euidenti conſequentia deduci; ſed à traditione, neſcio, qua ipſum pendere aſſerit Gerſonius. Quam etiam ipſam traditionem cum nullam habeat, immò contrarium ex Patribus, & Concilijs patet, argumentum leuiſſimum (puto, ſciens, & prudens) appoſuit: alioquin videlicèt ſequi, humana traditione poſſe Papatum caſſari. Hanc ergo ſequelam vt neceſſariam concedo; ſicut enim ſola vſurpatione ſe erexit, ità poteſt, ſublata vſurpatione aboleri; quod non modò abſurdum non eſt; ſed etiam in Eccleſia omninò neceſſarium.

Pari-

Spalat n. 9. [Pariensium itàque doctrina enucleatè intellecta, nihil diſcrepat à mea his libris tradita doctrina, & ab ipſa veritate; vt legenti illos tractatus cum animi ſinceritate, facilè conſtabit; & ego in ſequentibus ſubindè ex ipſis Pariſienſibus, multas decerpam veritates, tamquam ex ijs, quorum doctrina valdè ſolida, vt plurimùm eſt, & ab ordinarijs Monarchicorum ambagibus, ac nugis ſatis remota. Schola itàque Pariſienſis, & noſtra eſt, & reipſa poteſtati ſtudet Ariſtocratiæ, non Monarchicæ: quare ex eius quoque doctrinaPapatus nullo poteſt ſolido ſubſiſtere fundamento: Quod vlteriùs ſumo confirmandum.] Parum abeſt quin noſtros Pariſienſes ſchiſmaticos, & hæreticos faciat importunus ſenex, ſed doctiſſima, & toto Orbe celeberrima Schola, hac mendaciorum portenta, quibus totus hic liber deformatur, profligauit, & hanc labem grauiſſima cenſura abſterſit. Audiamus illos loquentes, & impium dogma obeliſco confodientes; Dixerat primo capite Spalatenſis, [ſupremum Eccleſiæ Romanæ Primatum, ipſiuſque ſuprà cæteras omnes Eccleſias Imperium reuera nullis ſolidis inniti fundamentis.]Quid igitur ad hæc Pariſienſes? Hæc propoſitio, inquiunt, falſa eſt, & viam ad ſchiſmata, & hæreſes ſternens. Dixerat, [neque Antiochiæ, neque Romæ Petrum propriè ſediſſe, ſed vt excurreret Apoſtolatum accepiſſe, & quòcumque pergeret, ſemper ſuam Cathedram, hoc eſt, Epiſcopalem poteſtatem ſecum detuliſſe, quam nulli certò loco alligatam haberet.] Hanc verò, vt tulerunt Pariſienſes? Hæc propoſitio,inquiunt,eſt falſa, & quæ ignorantiam auctoris prodit. [Dixerat, Totam antiquitatem, vniuerſalitatem Ramani Epiſcopatus penitùs ignoraſſe;] An ſiluerunt? Hæc propoſitio, inquiunt, vt ſuperior, eſt falſa, & ignorantiam auctoris oſtendit. Addiderat, [Conſtare Romanam Eccleſiam eſſe perfectiſſimè ſchiſmaticam, quæ ſe à corpore Eccleſiæ vniuerſalis tunc abſcidiſſet, quando ipſius membrum eſſe recuſauit, & quod peius eſt, & ſchiſmati addidiſſe tyrannidem verè antichriſtianam.] An non igitur ad impias has voces exhorruerunt? Hæc propoſitio, inquiunt, eſt ſchiſmata, & hæretica. Addiderat ampliùs, [Omnes Epiſcopos eſſe omnium Apoſtolorum, etiam Petri in ſolidum ſucceſſores, neque Petrum habuiſſe quicquam peculiare, in quo ei dari debeat magis,quàm cæteris ſimul omnibus ſucceſſio.] An non igitur ſuſtinuerunt viri tam Orthodoxi, tam Docti, tam Catholici? Prior propoſitio, inquiunt, qua parte ſtatuit ſingulos Epiſcopos eſſe Petri ſucceſſores, eſt captioſa; quia Petrus vltrà poteſtatem ordinis, in qua ei ſuccedunt Epiſcopi, aliam habuit iuriſdictionis Apoſtolicæ, cui ſolus Romanus Pontifex ſuccedit. Poſterior, eſt hæretica, ſchiſmatica, & Hierarchici ordinis perturbatiua. Hæc prætereà effuderat, [Planum eſt hunc Papatum eſſe totum fictitium, commentum hominum.] Quid igitur, & de hoc dogmate cenſent? Hæc propoſitio, aiunt, eſt hæretica,vt ſuprà notatum eſt. Rursùm abſolutè negarat, [Pontificem Romanum eſſe Petri peculiarem quocumque iure ſucceſſorem, aut ex diuino iure colligi poſſe vlla ratione peculiari eum Petro ſuccedere.] An igitur placuit impium dogma? Hæc propoſitio, inquiunt, eſt ſchiſmatica, & hæretica, atque Romano Pontifici contumelioſa.Ac vt iam ad hoc caput ſeptimum veniamus verſantes, ac expendentes illa verba Spalatenſis: [poteſtatis plenitudo, vt optimè docent Pariſienſes, data eſt Eccleſiæ vniuerſæ, hoc eſt, omnibus, & ſingulis Epiſcopis in ſolidum.] Hæc propoſitio, inquiunt, eſt contumelioſa in facultatem Pariſienſem, in particula ſingulis Epiſcopis. An erat igitur, quòd ad Pariſienſes prouocaret, & eximiam Scholam appellaret, aut potiùs traduceret Aduerſarius? Itàque alia reſponſione opus non ſit; prætereunda tamen nobis non eſt cenſura alterius impij dogmatis, quod reliquis aſſuere, veritus non eſt Spalatenſis. [Sciant, inquit, etiam de iure diuino iuriſdictionem in Eccleſia nullam eſſe, ſed totam charitate regi, &c.] Hæc propoſitio, clamant Pariſienſes, eſt hæretica, & Ordinis Hierarchici ſubuerſiua.

Nos etiam, qui ſub ſignis almæ parentis militamus, eam priore libro refutamus, atque meo quidem iudicio, de ea re inconſtantiſſimè ſcribit Spalatenſis: Annon illius pura, putaque oratio, [Chriſtus immediatè conceſſit Apoſtolis poteſtatem ordinis, & iuriſdictionem pleniſſimam? Sed annon hoc ipſo loco admittit in Eccleſia eſſe poteſtatem excommunicandi, ac excludendi homines à reliqua hominum ſocietate? Qui verò hæc conſiſtere poſſint, ſi veram iuriſdictionem à Chriſto Eccleſia conſecuta non ſit, poſſitne anathematis pœna, quamquam,quod vrget Spalatenſis, *priuatiua* ſit, ab eo decerni, aut legitimè infligi,qui plectendi *poſitiua* poteſtate non polleat? An poſſent pœna exilij quamquam in priuatione poſita, Regia auctoritate mulctari latrones, aut etiam communi ciuium ſocietate excludi? Si penès Regem nulla eſſet iuriſdictionis poteſtas? Addo verò, quòd etiam ſuprà monui, reclamare ſcripturam,quæ in Eccleſiæ miniſtris reos plectendi, ac mulctandi poteſtatem agnoſcat;[Quia vultis,inquit Apoſtolus Corinthios compellans, in virga veniam ad vos, an in ſpiritu manſuetudinis?

Ac rursùs: [Hæc abſens ſcribo, vt non præſens duriùs agam, ſecundùm poteſtatem.] 1.Cor. 4. v. 21. & 2.Cor. 13. v.10. Audiſne Marce Antoni,*quam Domini mihi dedit.*His rationibus adducti Pariſienſes,librum Spalatenſis, inter improbatæ lectionis libros repoſuerunt, ac reiecerunt: ſed quia ad vetuſtiores illos Theologos Pariſienſes Gerſonem, Almainum, & Alliacenſem prouocat Spalatenſis, de his quoque nobis eſt agendum. Et quidem de Gerſone accuratiùs, quòd Scholæ Pariſienſis Cancellarius, ac veluti huius agminis Dux in hanc ſcenam inducatur, quamquam Alliacenſi Præceptore ſuo iunior.

Qui igitur Gerſonem Typis mandari curauit, (caue autem exiſtimes pariſitatum eum, aut adulatum Pontifici) vt eum ſchiſmatis opinione purgaret, ac verè Orthodoxum fuiſſe oſtenderet, hæc de eo præfatus eſt: [Hic mihi, inquit ille poſt celebratum Gerſonem) aliquos videor ſubaudire,& obijcere, libros de poteſtate Eccleſiaſtica, non leuem maculam Gerſonij pietati in iure: bona ver- In vita Gerſonij.

verba obſecro, certè qui auctoris inſtitutum non malignè detorſerit, & oſcitanter perpenderit, contrarium facilè reputabit. An rogo, Pontificiæ auctoritati infeſtus eſt, qui Sanctam S. A. Monarchicam, & ità Monarchicam eſſe aſſerit, vt neque ab Eccleſia vnquam tolli, neque in puram Ariſtocratiam, Oligarchiam, aut Democratiam mutari poſſit? Atque inſuper Pontificem maximum, tamquam doctrinæ, & vnitatis fidei ſymbolum, ſic à Chriſto Domino inſtitutum probat, vt Eccleſiam, ſolo Principatu Monarchico, ab hæreticorum conuenticulis, & ſynagogis Sathanæ dignoſci, & ſecerni, atque ſolum Pontificem, Conciliorum generalium conuocandorum, & comprobandorum auctoritatem habere demonſtret?

[At inquies, librum de auferibilitate Papæ edidit; verum id quidem eſt, ſed attende ad ſchiſma, quo bacchante lucubratum fuit, tum omnia benè concordabis. Enimuerò Pariſienſis Academia, cùm duos Antipapas de Eccleſiæ auctoritate ſic inter ſeſe colludentes cerneret, vt neque actu, neque habitu vniendæ, & concordandæ Eccleſiæ rationem retinerent; poſtquam ex vſitata ſcholæ conſuetudine, multas ſupplicationes, & ſacra de Spiritu Sancto, pro Eccleſiæ pace, & ſchiſmatum extirpatione, ſolemniter habuit, Duce Gerſonio, frequentia coegit comitia, quibus primò diſputatum fuit.]

[Omnem politiam rebus neceſſarijs ad ſui conſeruationem fuiſſe à Deo inſtructam; & Chriſtum Dominum Eccleſiæ ſponſæ chariſſimæ, non minùs benè, quàm ciuili politiæ conſultum, diuumque Petrum quamquam Eccleſiæ Principem, Concilio Oecumenico, & fraternæ correctioni, propterea ſubijci voluiſſe (Matth. 18.) quod iuri diuino, & naturali repugnet, aliquem propria in cauſa, teſtem eſſe, aut Iudicem. Vndè Galat. 2. Petrus à Paulo redarguitur, eò quòd ad veritatem Euangelij non ambulet, hoc eſt, decretum Concilij Hieroſolymitani ſuper legalium abrogatione, minimè obſeruet.]

[Secundò concluſum fuit, auctoritatem, ſanctitatem, & vnitatem Eccleſiæ Catholicæ, iſthoc ſymboli articulo obſignatam, Credo vnam ſanctam Eccleſiam Catholicam, &c. non penès Antipapas (qui manibus, atque pedibus Eccleſiæ vnitatem, & concordiam impedire conabantur) ſed tantùm penes eos, qui conſilio, re, opera, pacem, atque vnionem procurarent, reſidere: & proindè iſtis inuitis, atque reclamantibus, Concilium vnius obedientiæ, vt Gerſonius appellat, indici, & cogi poſſe (vt reuera habitum fuit) quo, & vnitas farciretur, & Eccleſiæ Catholicæ auctoritas in priſtinam libertatem aſſereretur: quia alioquin, Chriſtum Eccleſiæ defuiſſe in neceſſarijs, & Antipapas, ſtatum Monarchicum Eccleſiæ à Chriſto inſtitutum poſſe deſtruere oporteret, quod impoſſibile eſt.]

[Cæterùm, qui libellum, de auferibilitate, cum titulo compararit, omniaque benignè examinarit, animaduertet tractatum hunc eruditiſſimum, non id velle, quod hæretici cauillantur, aut inuidioſum illud lemma præ ſe fert: quoniam Eccleſiæ auctoritatem, non abſolutè, & formaliter, ſed caſualiter tantùm, quòad abuſum, & exercitium, auctoritati Pontificiæ antecellere demonſtrat Gerſonius.] Ex his duo colligere fas ſit: primum ſpectanda eſſe tempora, quibus ſcripſit Gerſon, ac duos Antipapas vexaſſe, qui diro ſchiſmate Eccleſiam infeſtarent, ſuſque deque omnia miſcerent, quo imperium ſcelere partum retinerent, non verò legitimos Pontifices vexaſſe, quorum auctoritatem à Chriſto eſſe pijſſimus vir non dubitaret.

[Quare, hìc animo recurrere debet, quod ſuprà monuimus, excogitata etiam à prudentiſſimis medicis graſſante lue remedia, veneno depulſo, vſui iam non eſſe; Alterum handquaquam, quod blaterat Spalatenſis, nomine tenùs Pontificatum agnouiſſe, & propugnaſſe Gerſonem, ſed reipſa, ac omninò ex animo ſacram poteſtatem veneratum fuiſſe, ac obſeruaſſe. Certè illo ipſo tractatu, cui barbarum titulum de auferibilitate Papæ præpoſuit, ea de Pontifice habet, quibus nihil magis orthodoxum proferri poſſit, multò enim de Chriſto capite Eccleſiæ præfatus, ſic de Pontifice ſtatuit: [Auferibilis eſt, inquit, aut mutabilis, lege ſtante, quælibet politia ciuilis Monarchica, ſeu Regalis, vt fiat Ariſtocratica. Et non ſic de Eccleſia, quæ in vno Monarcha ſupremo per vniuerſum fundata eſt à Chriſto. Poſſet deduci conſideratio, tàm à priori, quàm à poſteriori, deducendo varietates, quæ fuerunt in alijs politijs, quia nullam aliam politiam inſtituit Chriſtus immutabiliter Monarchicam, & quodammodò Regalem, niſi Eccleſiam.

Et oppoſitum ſentientes de Eccleſia; quòd ſecundùm fas eſt eſſe plures Papas, aut quòd quilibet Epiſcopus eſt in ſua Diœceſi Papa, vel Paſtor ſupremus, æqualis Papæ Romano, errant in fide, & vnitate Eccleſiæ, contra articulum illum, Et in vnam ſanctam Eccleſiam, &c. & ſi pertinaces maneant, iudicandi ſunt Hæretici, ſicut Marſilius de Padua, & quidam aliorum. Conſonat ratio, quia ſicut ad vnam fidem, & ad eadem Sacramenta obligantur omnes viatores, ſic oportuit, vt non eſſet ſchiſma, reductionem finalem fieri ad vnum ſupremum.

Secùs vbi communitas regitur legibus ſolis naturalibus, & traditionibus humanis, quæ pro varietate temporum, & locorum laudabiliùs, & vtiliùs variantur, quàm vt vno tenore ligent omnes, quemadmodùm Ariſtoteles exemplificans de regula Lesbiæ.]

Ac tandem vltima conſideratione: [Auferibilis non eſt, inquit, vſque ad conſummationem ſeculi Vicarius Sponſus Eccleſiæ, quin aliquis certus, & vnicus præficiatur, & hoc, lege ſtante, & præſuppoſita Mundi duratione longiſſima. Detur oppoſitum, tunc Eccleſia maneret imperfecta, vſque ad conſummationem ſeculi, nec ſuorum gauderet integritate membrorum, & præſertim membri principalis.

Quocircà concludamus ſub quadrupulici corollario morali conformiter ad prædicta, & ad alias conſiderationes alibi notatas ſupra eadem materia: Et dicamus primò quòd hi repugnant ordinationi Chriſti, & Spiritui ſancto rebelles ſunt, qui præſentis ſchiſmatis

ter-

Digitized by Google

terminationem impediunt modis talibus, quos ſciunt, aut ſcire debent ad pacem protinùs reducendam eſſe, vel inutiles, vel nociuos, vt ſi quæratur fieri pax per reductionem vnius obedientiæ ad alteram, vel per vim armatam, vel per diſpoſitionem iuris, quæ non ſunt probabiliter, & ſalubriter expectanda.

Nec ſufficit dicere habemus Papam Chriſtum, ſufficit, vt credamus in eum, nam talis vnio ad Chriſtum, & ſi ſit neceſſaria, non tamen vſquequaque ſufficit, vt in ea ſtemus, non procurando, quantum in nobis eſt, vnionem alteram ad vnum Vicarium ſuum in terris, de quo conſtat Eccleſiæ.]

Improbè itàque Spalatenſis, & Gerſonem, & Scholam Pariſienſem traducit, quaſi Pontificatum de medio ſublatum voluerint, ac citrà eius opem, ac operam Eccleſiam conſiſtere docuerint. Duriora fateor quędam remedia excogitare eos temporum iniuria, ac lues coegit, ſed ſchiſma non impegerunt, nec eò delapſi ſunt, vt præſtitutum à Chriſto ordine conuellerent, aut etiam tollere conarentur. Quare, etiam noſtri Pariſienſes verba Spalatenſis diligentiori trutina examinantes, nigrum eis theta appingunt.

Spalat. n. 9. Dixerat [Pariſienſium doctrinam enucleatè intellectam nihil diſcrepare à ſua his libris tradita doctrina, & ab ipſa veritate.] Subiecerat, & hæc impudentiſſima, verba, [Schola Pariſienſis, & noſtra eſt, & reipſa poteſtati ſtudet Ariſtocraticæ, non Monarchicæ: quare, ex eius quoque doctrina, Papatus nullo poteſt ſolido ſubſiſtere fundamento.] Excipiunt illa Theologiæ lumina: Mera contra facultatem Pariſienſem impoſtura. Itàque ſuperfluum ſit in his diutiùs immorari.

Iàm claſſicis Doctoribus relictis, præſidium ducere conatur ab ipſis Pontificibus, Pelagio II. maximè, & Gregorio I. Quamquam verò prolixior ſit, & verboſior, ne quid diſſimulaſſe videamur ſua nos loquacitate obtundentem feramus, ac patienter audiamus.

Spalat. n. 10. Sic igitur habet vaniſſima hominis oratio: [Caput hoc vnicum totius Eccleſiæ vniuerſalis, inquit, quis acriùs, quis frequentiùs, quis vehementiùs impugnat, quàm ipſe magnus Gregorius Pont. Rom. Qui ſanè dum Oecumenici Patriarchæ titulum, in Conſtantinopolitano Epiſcopo impugnat, Papatum penitùs deſtruit, & in Eccleſia Chriſti nullum penitùs caput vniuerſale reperiri demonſtrat. Si enim rationes ipſius, & conatus ad impugnandum, & debellandum Oecumenici titulum, quatenùs Papam vniuerſalem ille ſignificaret, in Conſtantinopolitano quicquam valent (valent autem in hoc ſenſu plurimùm) valent certè nihil minùs ad eundem titulum, etiam in Romano, & abſolutè in quocumque alio opprimendum; illæ enim rationes planè conuincunt, in Eccleſia Chriſti nullum poſſe eſſe Epiſcopum, qui ſit actu ipſo, & iuriſdictionis, regiminiſque exercitatione vniuerſalis.

Spalat. n. 11. De prærogatiuis, ſeu priuilegijs Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ, ſatis multa quarto huius libri capite diximus, oſtendimuſque eam ad paria cum Romana Eccleſia priuilegia fuiſſe, partim conſuetudine, partim Conciliorum Decretis, & partim ac maximè Imperatorum ibi iam reſidentium voluntate, & reſcriptis euectam.

Sicut igitur videbant Conſtantinopolitani Patriarchæ Romanos Pontifices, ad quoddam regimen totius vniuerſalis Ecleſiæ, iure ſolo poſitiuo humano ſe extendere; ità eodem iure ad eadem priuilegia, & ipſi eleuati, idem vniuerſale in quibuſdam rebus, de quibus nos infrà cap. 9. regimen exercentes, priuilegium hoc voluerunt etiam peculiari titulo explicare; cœpitque vt videtur, primus Ioannes Conſtantinopolitanus Pelagij II. tempore ſe vocare, & inſcribere Patriarcham Oecumenicum; hoc eſt, totius Orbis terræ vniuerſalem; cui nimirùm, in certis caſibus ſubeſſent omnes aliæ totius Mundi Eccleſiæ, etiam Patriarchales. ſola excepta Romana; quam ſibi ſubigere numquam prætendit Conſtantinopolitana, ſicut & ſemper Patriarcha Conſtantinopolitanus Romanum agnouit, ſimiliter eſſe Patriarcham Oecumenicum; cui etiam pari modo omnes Eccleſiæ Patriarchales quoque in certis, ac eijſdem caſibus ſubeſſent, ſola excepta Conſtantinopolitana. Vt quemadmodùm Roma vetus, & Roma noua, in ſolidum, vnicum ſupremum regimen in ſe habebant in temporalibus, ità vnum, & idem eſſet earum regimen in ſolidum in ſpiritualibus, hoc enim expreſsè profitetur alter Ioannes, item Conſtantinopolitanus ad Hormiſdam ſcribens; ait enim: Sanctiſſimas Dei Eccleſias, ideſt, ſuperioris veſtræ, & nouellæ iſtius Romæ, vnam eſſe accipio, illam Sedem Apoſtoli Petri, & iſtius Auguſtæ Ciuitatis, Conſtantinopolis, vnam eſſe definitio, & ſicut oportet dicere, & olim ſcripſi, vtraſque Eccleſias, tàm Senioris, quàm nouæ Romæ, vnam eſſe euidenter intelligens, & vtriuſque earum vnam ſedem eſſe rectè definiens, indiuiſibilem adunationem, & vtriuſque noſtrum conſonam conformationem, cum iudicij integritate cognoſco.

Quod Hormiſda libenter accepit, neque vlla ratione repugnauit, immò etiam in vniuerſalem curam ipſius Patriarchæ Conſtantinopolitani, erga totam Eccleſiam, præſertim Orientalem, expreſsè, & ipſe conſenſit: dum ad eundem reſcribens ait, De Antiochenæ quoque, atque Alexandrinæ Eccleſiarum ſtatu, non ſuper ſedeas eſſe ſollicitus, & elementiſſimo ſubindè Principe, Iuſtino, ſupplicato, vt in his quoque pacem religioſa ordinatione reſtituat: Hæc enim fuit, vt ſuperiùs monui, & infrà cap. 9. repetam, præcipua primùm Romani, deindè Conſtantinopolitani Primatus occaſio, commoditas agendi cum Principe, pro bono ſtatu totius Eccleſiæ vniuerſalis, in Romano Imperio longè, latèque diffuſæ.

Spalat. n. 12. Hunc tamen Oecumenici titulum ferre non potuit, primùm Pelagius II. deindè poſt ipſum multò minùs Gregorius: ſicut, & priùs Leo ipſum Primatum Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ ferre non potuit, vt vidimus cap. 4. Neque negare poſſumus, hos ſanctos Pontifices, propria etiam Romanæ Eccleſiæ iniuria plurimùm fuiſſe commotos, quàm priuilegijs hiſce, & titulis, aut Conſtantinopolitanæ ſubijci, aut ſaltem non præferri cernebant.

Hinc Pelagius ait, vnde fratres, reiecta penitùs audacia, quæ contra Apoſtolicam

Digitized by Google

Sedem, & contra ipſam Domini Saluatoris vocem, qua dictum eſt: Tu es Petrus, &c. Sumpta eſt diſputandi contra Domini pręcepta, vana errantium corda conquieſcant: non liceat defendi, quod non licet agere.

Statimque ipſum Oecumenici titulum aggreditur. Et poſteà: Prædeceſſores verò, inquit, Ioannis, & ipſe Ioannes, non ſemel, ſed ſæpiſſimè epiſtolas, atque libellos, propria manu ſubſcriptos, ſanctis Antecesſoribus noſtris miſerunt, quibus coram Deo proteſtati ſunt, nihil vnquam proteruè contra Apoſtolicam Sedem agere, nec de illius, aut aliorum priuilegijs quicquam vſurpare.

Item: Orate fratres, vt honor Eccleſiaſticus noſtris diebus non euacuetur, nec vnquam Romana Sedes, quæ, inſtituente Domino, Caput eſt omnium Eccleſiarum, priuilegijs ſuis vſquam careat, aut expolietur. In his ergo titulis Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, ſe, vt ipſi putabant, ità extollentis, vt vel ipſam quoque ſibi Romanam Eccleſiam ſubijceret, vel ſaltem vt ſe à prælatione Romanæ Eccleſiæ ſubraheret, cui tamen priùs ſubiecta eſſet, iniuriam propriam conſiderabant, & eam repellere conabantur, ſed multò magis, vt ex ſequentibus ipſorum rationibus mox cognoſcemus, ex publica totius Eccclesiæ cauſa mouebantur: cuius Eccleſiæ vniuerſalis iniuriam tractant pluribus.

Spalat.n.13. Nullus, inquit Pelagius, Patriarcharum hoc tam profano vocabulo vnquam vtatur: quia ſi ſummus Patriarcha vniuerſalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur. Exaggeratque hìc magnam adeſſe ſuperbiam in ipſo Ioanne, homine alioquin magnæ ſanctitatis gloria fulgente, eleemoſynis, atque ieiunijs, & orationibus inſigni, & ex eo, inquit, quo fœtebat cinere, ex ea, quam prætendebat, humilitate, iactantiam tantùm ſumpſit, ità vt vniuerſa ſibi tentet adſcribere: & omnia, quæ ſoli vni capiti cohærent, videlicet Chriſto, per elationem pompatici ſermonis eiuſdem Chriſti, ſibi ſtudeant membra ſubiugare. Et poſteà: Si enim dici hoc licentia permittitur, honor Patriarcharum omnium negatur: & fortaſſe is in errore perit, qui vniuerſalis dicitur, & nullus iam Epiſcopus remanſiſſe in ſtatu veritatis inuenitur. Hæc Pelagius, immò verò potiùs Gregorius Pelagij conſiliarius, Diaconus, Legatus, & adiutor præcipuus, epiſtolarumque ſcriptor, & dictator.

Spalat.n.14. Greg. lib.4. ind. 13. ep. 32. Gregorius verò ipſe, Pelagij proximus ſucceſſor ad Mauritium, non ſine pungentiſſimis aculeis contra Ioannem ſcribens: Vbi ipſius ieiunia, aſperrimamque viuendi rationem ad hypocriſim totam reduxit, ait, Quia verò non cauſa mea, ſed Dei eſt, & quia non ſolus ego, ſed tota turbatur Eccleſia, quia piæ leges, quia venerandæ Synodi, quia ipſa Domini noſtri Ieſu Chriſti mandata, ſuperbi atque pompatici cuiuſdam ſermonis inuentione turbantur; pijſſimus Dominus locum ſecet vulneris, atque reſiſtentem ægrum, auguſtæ auctoritatis vinculis conſtringat. Statimque ingreditur in Eccleſiæ Romanæ, Romanique Pontificis diuinis, vt ipſe cenſet, priuilegijs recenſendis; Petri curam, & claues afferens: & poſt varias exclamationes à priuata Romanæ Eccleſiæ iniuria, ad publicam totius Eccleſiæ tranſitum facit, & ait, Numquid ego hac in re, pijſſime Domine, propriam cauſam defendo? Numquid ſpecialem iniuriam vendico? & non magis cauſam omnipotentis Dei, & cauſam vniuerſalis Eccleſiæ? Quis eſt, qui contra ſtatuta Euangelica, contra canonum Decreta, nouum ſibi vſurpare nomen præſumit? vtinam vel ſine aliorum imminutione vnus ſit, qui vocari appetat vniuerſalis.

Et certè multos Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ in hæreſeos voraginem incidiſſe nouimus Sacerdotes, & non ſolùm hæreticos, ſed etiam hæreſiarchas factos.

Indè quippè Neſtorius, qui Mediatorem Dei, & hominum Ieſum Chriſtum, duas eſſe perſonas exiſtimans, quia Deum fieri hominem potuiſſe non credidit, vſque ad Iudaicam perfidiam erupit; Indè Macedonius, qui conſubſtantialem Patri, & Filio Spiritum ſanctum, Deum eſſe denegauit.

Si igitur illud nomen in ea Eccleſia ſibi quiſquam arripuit, quod apud bonorum omnium fuit, vniuerſa ergo Eccleſia, quod abſit, à ſtatu ſuo corruit; quando is, qui appellatur vniuerſalis cadit. Sed abſit à cordibus Chriſtianorum nomen iſtud blaſphemiæ, in quo omnium Sacerdotum honor adimitur, dum ab vno ſibi dementer arrogatur.

Certò pro beati Petri Apoſtolorum Principis honore per venerandam Chalcedonenſem Synodum Romano Pontifici oblatum eſt: ſed nullus eorum vnquam hoc ſingularitatis vocabulum aſſumpſit; nec vti conſenſit; ne dum priuatum aliquid daretur vni, honore debito Sacerdotes priuarentur vniuerſi. Quid eſt ergo, quòd nos huius vocabuli gloriam, & oblatam non quærimus, & alter hanc ſibi arripere, etiam non oblatam, pręſumit? Ille ergo magis eſt pijſſimorum Dominorum præceptione flectendus, qui præceptis Canonicis obedientiam præbere contemnit. Ille coercendus eſt, qui Sanctæ vniuerſali Eccleſię iniuriam facit: qui corde tumet; qui gaudere de nomine ſingularitatis appetit, qui honore quoque Imperij veſtri ſe per priuatum vocabulum ſuperponit. Ecce omnes hac de re ſcandalum patimur.

Et ad Conſtantiam Auguſtam: Triſte valde eſt, vt patienter feratur; quatenùs deſpectis omnibus, prædictus frater, & Coepiſcopus meus ſolus conetur appellari Epiſcopus. Spalat.n.15. Ibid. ep. 34. Sed in hac eius ſuperbia, quid aliud niſi propinqua iam Antichriſti eſſe tempora deſignatur? Quia illum videlicet imitatur, qui ſpretis in ſociali gaudio Angelorum legionibus ad culmen conatus eſt ſingularitatis erumpere; dicens: Super aſtra cœli exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis, & Aſcendam ſuper altitudinem nubium, & ero ſimilis Altiſſimo. Iſai.14.

Vndè per omnipotentem Dominum rogo, ne pietatis veſtræ tempora permittatis vnius hominis elatione maculari, neque tam peruerſo vocabulo, vllum quoquo modo præbeatis aſſenſum, atque hac in cauſa nequaquam me pietas veſtra deſpiciat, quia etſi peccata Gregorij tanta ſunt, vt pati talia debeat, Petri tamen Apoſtoli peccata nulla ſunt, vt veſtris temporibus pati iſta mereatur.

Spalat.n.16. Ibid.ep.36. tur. Et ad Patriarchas Alexandrinum, & Antiochenum: Sicut enim, inquit, veneranda veſtra ſanctitas nouit, mihi, per ſanctam Chalcedonenſem Synodum, Pontifici ſedis Apoſtolicæ, cui, Deo diſponente, deſeruio, hoc vniuerſitatis nomen oblatum eſt. Sed nullus vmquam deceſſorum meorum hoc tam prophano vocabulo vti conſenſit, quia videlicet, ſi vnus Patriarcha vniuerſalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur, ſed abſit hoc, abſit à Chriſtiana mente id ſibi velle quempiam arripere, vndè fratrum ſuorum honorem imminuere, ex quantulacumq; parte videatur.

Cùm ergo nos hunc honorem nolumus oblatum ſuſcipere, penſate quàm ignominioſum ſit, hunc ſibi quempiam violenter vſurpare voluiſſe. Propterea ſanctitas veſtra in ſuis Epiſtolis neminem vmquam vniuerſalem nominet; ne ſibi debitum detrahat, cùm alteri honorem offert indebitum.

Spalat.n.17. Ibid.ep.38. Et ad ipſum Ioannem: Certè Paulus Apoſtolus, cùm audiret quoſdam dicere: Ego ſum Pauli, ego Apollo, ego verò Cephæ, hanc dilacerationem corporis Dominici, per quam membra eius alijs ſe quodammodo capitibus ſociabant, vehementiſſimè perhorreſcens, exclamauit dicens: Numquid Paulus pro vobis crucifixus eſt, aut in nomine Pauli baptizati eſtis? Sic ergo ille membra Dominici corporis, certis extrà Chriſtum, quaſi capitibus, & ipſis quidem Apoſtolis, ſubijci particulariter euitauit, tu quid Chriſto vniuerſalis ſcilicet Eccleſiæ capiti, in extremi iudicij es dicturus examine: qui cuncta eius membra tibimet conaris vniuerſalis appellatione ſupponere? Quis, rogo, in hoc tam peruerſo vocabulo, niſi ille, ad imitandum, proponitur, qui deſpectis Angelorum legionibus ſecum ſocialiter conſtitutis, ad culmen conatus eſt ſingularitatis erumpere, vt & nulli ſubeſſe, & ſolus omnibus præeſſe videtur? Qui etiam dixit, in cœlum conſcendam, &c.

Quid enim fratres tui, omnes vniuerſalis Eccleſiæ Epiſcopi, niſi aſtra cœli ſunt? quorum vita ſimul, & lingua inter peccata erroreſque hominum, quaſi inter noctis tenebras lucent, quibus dum cupis temetipſum vocabulo elationis præponere, eorumque nomen tui comparatione calcare, quid aliud dicis, niſi, in cœlum conſcendam, ſuper celi aſtra exaltabo ſolium meum? An non vniuerſi Epiſcopi nubes ſunt, qui & verbis prædicationis pluunt, & bonorum operum luce coruſcant? Quos dum veſtra fraternitas deſpiciens ſub ſe premere conatur; quid aliud dicit niſi hoc, quod ab antiquo hoſte dicitur: Aſcendam ſuper altitudinem nubium? Quæ cuncta ego, cum flens conſpicio, & occulta Dei iudicia pertimeſco, augentur lachrymæ gemitus ſe in meo corde non capiunt, quòd ille vir ſanctiſſimus, Dominus Ioannes tantę abſtinentiæ, atque humilitatis, ſuorum familiarium ſeductione linguarum ad tantam ſuperbiam erupit, vt in appetitu peruerſi nominis, illi conetur eſſe ſimilis, qui dum ſuperbè eſſe ſimilis Deo voluit, etiam donatæ ſimilitudinis gratiam amiſit, & ideò veram beatitudinem perdidit; quia falſam gloriam quæſiuit.

Certè Petrus Apoſtolus, primum membrum ſanctæ, & vniuerſalis Eccleſiæ eſt, Paulus, Andreas, Ioannes, quid aliud, quàm ſingularium ſunt Plebium capita? Et tamen ſub vno capite, omnes membra ſunt Eccleſiæ, Atque, vt cuncta breui cingulo locutionis aſtringam, Sancti ante legem, ſancti ſub lege, ſancti ſub gratia, omnes hi perficientes corpus Domini in membris ſunt Eccleſię conſtituti, & nemo vmquam ſe vniuerſalem vocare voluit. Veſtra autem ſanctitas agnoſcat, quantum apud ſe tumeat, quæ illo nomine vocari appetit, quo vocari nullus præſumpſit, qui veraciter ſanctus fuit. Numquidnam, ſicut veſtra ſanctitas nouit, per venerandum Chalcedonenſe Concilium, huius Apoſtolicæ Sedis Antiſtites, cui Deo diſponente deſeruio, vniuerſales oblato honore vocati ſunt? Sed tamen nullus vmquam tali vocabulo appellari voluit, nullus ſibi hoc temerarium nomen arripuit, ne ſi ſibi in Pontificatus gradu gloriam ſingularitatis arriperet, hanc omnibus fratribus denegaſſe videretur. Quod ait, Paulum, Andream, & Ioann em ſingularium plebium capita fuiſſe, ſuprà lib.1.cap.3. num.35. conſideraui, id ſtare non poſſe. Et quod ait, ſub vno capite omnes illos Apoſtolos membra eſſe Eccleſiæ, includit etiam Petrum, & de Chriſto capite eſt intelligendus.

Eulogius ſanè Alexandrinus à Gregorio monitus, ne Conſtantinopolitano Patriarchę daret titulum Oecumenici, optimè intelligens eam Primatus competitionem non nihil Gregorium ad excandeſcentiam commouiſſe; ad ipſum Gregorium reſcripſit, ſe omninò abſtenturum, & iuſſis ipſius pariturum: titulum tamen Oecumenici his ipſis literis, quas ad Gregorium ſcribebat, præfixit; vt hoc pacto innueret ſe ipſi Gregorio in eo obſequi, in quo ſocium habere nolle videbatur, aut parem. Ideòque non abſque aliqua verecundia, iterum ad ipſum Eulogium ſic ſcribit Gregorius; Non tamen inuenio veſtram beatitudinem hoc ipſum, quod memoriæ veſtræ intuli, perfectè retinere voluiſse. Nam dixi, nec mihi vos, nec cuiquam alteri tale aliquid ſcribere debere: & ecce in Præfatione Epiſtolæ, quam ad me ipſum, qui prohibui, direxiſtis; ſuperbæ appellationis verbum, vniuerſalem me Papam dicentes, imprimere curaſtis. Quod peto, dulciſſima mihi ſanctitas veſtra vltrà non faciat, quia vobis ſubtrahitur, quod alteri pluſquam ratio exigit, præbetur. Spalat.n.18. Greg.l.7. ind.1.ep.30.

Ego enim non verbis quæro proſperari, ſed moribus: Nec honorem eſſe deputo, in quo fratres meos honorem ſuum perdere cognoſco. Meus namque honor eſt honor vniuerſalis Eccleſiæ; meus honor eſt fratrum meorum ſolidus vigor. Tunc ergo verè honoratus ſum, cùm ſingulis quibuſque honor debitus non negatur; Si enim vniuerſalem me Papam veſtra Sanctitas dicit, negat ſe hoc eſſe, quod me fatetur vniuerſum. Sed abſit hoc: recedant verba, quæ vanitatem inflant, charitatem vulnerant. Et quidem in Sancta Chalcedonenſi Synodo, atque poſt à ſubſequentibus Patribus hoc deceſſoribus meis oblatum veſtra ſanctitas nouit. Sed tamen nullus eorum vti hoc vmquam vocabulo voluit;

vt dum in hoc mundo honorem Sacerdotum diligerent omnium, apud omnipotentem Deum cuſtodirent ſuum.

Spalat.n.19. Cyriacus Ioannis huius in Conſtantinopolitana ſede ſucceſſor, nihilominùs in Oecumenici titulo perſeuerauit; & quia indè ſuſpicabatur, ne Gregorius ipſius communicatorias literas, Oecumenici adeò Gregorio exoſo titulo fulgentes, accipere recuſaret, auctor fuit, vt ad Gregorium, & Anaſtaſius Antiochenus, & Imperator Mauritius ſcriberent, eumque monerent, ne pro leui re ſcandala ſuſcitaret. Siquidem Patriarchæ ipſi Orientales, quemadmodùm in Primarum illius ſedis ſpontè, & libenter, vt vidimus capite quarto, conſenſerunt; itâ etiam titulum ei negare noluerunt. Et Imperator ſimiliter, ſicut Primatum Conſtantinopolitanum, ſic etiam titulum libenter approbabat. Ideoque Gregorius cùm non poſſet ampliùs omninò reluctari, fremebat tamen, & ad Anaſtaſium itâ reſcribit, Nec miratus ſum, vos in veſtris Epiſtolis Imperialia verba poſuiſſe, quia habent inter ſe maximam cognationem, amor & poteſtas: Nam vtraque principaliter præſumunt; vtràque per auctoritatem ſemper loquuntur. Et quidem in ſuſcipienda fratris, & conſacerdotis noſtri Cyriaci Synodica Epiſtola, Greg.l.6. Ind. 15 ep. 24. dignum non fuit, vt pro cauſa prophani vocabuli moras facerem; ne vnitatem Sanctæ Eccleſiæ perturbarem; ſed tamen de eodem ſuperſtitioſo, & ſuperbo vocabulo eum admonere ſtudui, dicens; quia pacem nobiſcum habere non poſſet, niſi elationem prędicti verbi corrigeret, quam primus Apoſtata inuenit. Vos tamen, eandem cauſam nullam eſſe dicere non debetis; quia ſi hanc æquanimiter portamus, vniuerſæ Eccleſię fidem corrumpimus. Scitis enim quanti, non ſolùm hęretici, ſed etiam hæreſiarchę, de Conſtantinopolitana Eccleſia ſint egreſſi. Et vt de honoris veſtri iniuria taceam, Si vnus Epiſcopus vocatur vniuerſalis, vniuerſa Eccleſia Luc.14.& 18. corruit, ſi vnus vniuerſus cadit. Sed abſit hæc ſtultitia, abſit hæc leuitas ab auribus meis. In Omnipotente autem Domino confido, quia quod promiſit, citiùs adimpleturus eſt; Omnis, qui ſe exaltat, humiliabitur.

Spalat. n.20. Greg. vbi ſup. ep.30. Ad Mauritium verò; Dominorum, inquit, pietas prouida, ne quid fortaſsè ſcandali in vnitate Sanctę Eccleſię, ex Sacerdotum diſſenſione generari potuiſset, ſemel, ac bis me admonere dignata eſt, vt reſponſales fratris, & Conſacerdotis mei Cyriaci benignè ſuſciperem, eoſque ad remeandum citiùs relaxarem. Et licet pijſſime Domne, aptè, & prouidè cuncta pręcipiatis: ego tamen inuenio, quia eorum iudicio indiſcretus eſse, & ex hac tali admonitione reprehendor. Numquidnam ſi ex ſuperbo, & prophano vocabulo, meus nô in modico eſt animus vulneratus tantæ indiſcretionis eſse potuit; vt neſcirem quid vnitati fidei, quid concordię Eccleſiaſticę deberem, & fratris mei reſponſales, & Synodicam Epiſtolam ſuſcipere, cuiuslibet cauſæ amaritudine interueniente recuſarem? Abſit hoc: Nimis mihi fuerat deſipuiſſe ſic ſapere. Aliud namque eſt, quod conſeruandę vnitati fidei; atque aliud, quod debemus comprimendæ elationi. Et poſt pauca. Eundem verò fratrem, & Conſacerdotem meum ſtudioſè admonere curaui; vt ſi habere pacem omnium, concordiamque deſiderat, ab ſtulti vocabuli ſe appellatione compeſcat. De qua re mihi in ſuis iuſſionibus Dominorum pietas præcipit, dicens: vt pro appellatione friuoli nominis inter nos ſcandalum generari non debeat: ſed rogo, vt Imperialis pietas penſet, quia alia ſunt friuola valdè innoxia; atque alia vehementer nociua.

Numquid non, cùm ſe Antichriſtus veniens Deum dixerit, friuolum valdè erit, ſed tamen nimis pernicioſum? Si quantitatem ſermonis attendimus, duæ ſunt ſyllabæ; Si verò pondus iniquitatis, vniuerſa pernicies. Ego autem fidenter dico, quia quiſquis ſe vniuerſalem Sacerdotem vocat, vel vocari deſiderat, in elatione ſua Antichriſtum precurrit, quia ſuperbiendo ſe cæteris pręponit: nec diſpari ſuperbia ad errorem ducitur, quia ſicut peruerſus ille, Deus videri vult ſuper omnes homines, itâ quiſquis iſte eſt, qui ſolus Sacerdos appellari appetit, ſuprà cæteros Sacerdotes ſe extollit: Sed quoniam veritas dicit: Omnis, qui ſe exaltat, humiliabitur, ſcio, quia quęlibet elatio tantò citiùs rumpitur, quantò ampliùs inflatur.

Et ad Alexandrinum, ac Antiochenum Ibid. ep.31. rursùs ait: Reſponſales ſiquidem fratris, & Coepiſcopi noſtri Cyriaci venientes, eius ad me Synodicam detulerunt Epiſtolam. Et quidem inter nos, & ipſum, ſicut veſtra beatitudo nouit; propter appellationem prophani nominis eſt grauis diſcordia; ſed in cauſa fidei tranſmiſſos reſponſales eius exiſtimaui eſse ſuſcipiendos, ne culpa elationis, quę in Conſtantinopolitana Eccleſia penè cõtrà omnes Sacerdotes exorta eſt, diſsenſionem fidei, & rixam Eccleſiaſticæ faceret vnitati. Et ad Theſſalonicenſem, præcurſores Anti- Greg. l.7. ind.2 ep.69. chriſti facit Ioannem, & Cyriacum, hortaturque, vt abſtineant à vocabulo Oecumenici: Nam ſi vnus, inquit, vt putat, vniuerſalis eſt, reſtat, vt vos Epiſcopi non ſitis. Hæc omnia Gregorius, quæ ſanè prolixiùs deſcribere non ſum grauatus.

Hac igitur verboſiſſima oratione contendit duos eximios Pontifices, Pelagium, ac Gregorium, Primatum ipſum Pontificis Romani ſuſtuliſſe, quòd Oecumenici, ſeu vniuerſalis Patriarchæ titulum, quo ſe venditaret Ioannes Conſtantinopolitanus Epiſcopus, acerrimè oppugnarint, ac ex Eccleſiæ ordinibus eliminandum duxerint: Ratus ſcilicet planè idem eſſe vniuerſalem, ſeu Oecumenicum Patriarcham dici, atque caput Eccleſiæ vniuerſalis inſcribi, vt propterea qui priùs oppugnauerint, à poſteriori quoque abhorruerint: Sed hæc primùm inconſtantiſſimè dicuntur, ac ſua dogmata ipſe Spalatenſis euertit: Sic enim libro tertio de quouis Epiſcopo cenſet. [Docuimus, inquit, vnumquemque Epiſcopum iure diuino eſſe vniuerſalem.] Si quiuis Epiſcopus vniuerſalis cenſeri poſſit, quorsùm eo titulo priuabitur Pontifex? Sed propiùs ad rem. Pelagium, & Gregorium non intellexit Spalatenſis, aut omninò improba mente, deterioreque ſenſu eos protulit.

Aduertendum enim omninò eſt, Oecumeni-

menici, ſeu vniuerſalis Epiſcopi nomen bifariàm vſurpari poſſe. Primùm, vt ſit vnicus, & ſolus Epiſcopus, qui reliquos ſua ſpoliatos dignitate Vicarios habeat, omnis poteſtatis expertes, niſi eius, quam ab ipſo mutuentur, & accipiant. Hoc ſenſu in neminem mortalium conuenire poteſt. Sed vnius Chriſti proprium eſt, qui ſolus caput eſt ſuper omnem Eccleſiam, tum militantem, tum triumphantem, tum, quæ ab initio Mundi fuit, tum, quæ vſque ad finem ſeculi perſeuerabit, vt ſuo loco ex ſancto Thoma docuimus. Qua ratione elegantiſſimè Tertullianus eum Catholicum Patris Sacerdotem vocat, hic ſenſus ex intimis grammaticæ viſceribus eruitur. Alius huius vocabuli ſenſus eſt, vt Oecumenicus, & vniuerſalis dicatur Epiſcopus, qui auctoritate capitis vniuerſæ Eccleſiæ præſit, non cæteros ſua dignitate nudans, ſed Eccleſiaſticam Hierarchiam ſuprema auctoritate, ac externa iuriſdictione fouens. Priorem igitur ſenſum auerſati ſunt Pelagius, & Gregorius in Ioanne Conſtantinopolitano Epiſcopo, qui, ſi illis fides habeatur, Oecumenicus, & vniuerſalis dici appeteret cum aliorum Epiſcoporum iniuria, & depreſſione.

3. par. qu. 9. art 8.

lib. 4. ad Marcion.

Sic enim Pelagius Ioannem vexans, ac inſolentioris ambitus notans, [Nullus Patriarcharum hoc tam prophano vocabulo vnquam vtatur, quia ſi vnus Patriarcha vniuerſalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur.] Vides, vt vniuerſalem, ac Oecumicum Patriarcham dici intelligat, qui cæteros dignitate nudet. Quod clariſſimè expreſſit Gregorius priore loco à Spalatenſi citato: [Abſit, inquit, à cordibus Chriſtianorum nomen iſtud blaſphemiæ, in quo omnium Sacerdotum honor adimitur, dum ab vno dementer ſibi arrogatur.] Nec minùs apertè alijs locis; [Triſtè, inquit ad Conſtantiam Auguſtam, valdè eſt, vt patienter feratur, quatenùs deſpectis omnibus prædictus frater, & Coepiſcopus meus ſolus appellari conetur Epiſcopus.]

Spalat. n. 13.

Greg. lib. 4. ep. 34.

Et ad Patriarchas Alexandrinum, & Antiochenum. [Si, inquit, vnus Patriarcha vniuerſalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur. Sed abſit hoc, abſit à Chriſtiana mente, id ſibi velle quempiam arripere, vnde fratrum ſuorum honorem imminuere ex quantulacumque parte videatur.] Et ad ipſum Ioannem Conſtantinopolitanum. [Quid Chriſto, inquit, vniuerſalis ſcilicet Eccleſiæ Capiti in extremi Iudicij es dicturus examine, qui cuncta eius membra tibimet conaris vniuerſalis appellatione ſupponere, &c. An non vniuerſi Epiſcopi nubes ſunt, qui & verbis prædicationis pluunt; & bonorum operum luce coruſcant? Quos, dum veſtra fraternitas deſpiciens, ſub ſe premere conatur, quid aliud dicit, niſi hoc, quod ab antiquo hoſte dicitur: Aſcendam ſuper altitudinem nubium?]

Hoc eodem ſenſu Hadrianus Primus, vt ipſe aduertit Spalatenſis, hunc titulum aduerſùs Conſtantinopolitanos exagitauit: [Hadrianus Primus, inquit, & ipſe ex propria tantùm cauſa hunc titulum aduersùm Conſtantinopolitanos exagitauit, ſic enim ſcribit ad Imperatores Conſtantinum, & Irenem. Valdè mirati ſumus, quòd in veſtris Imperialibus iuſſis, pro Patriarcha Regiæ vrbis, ſcilicet Taraſio directis, vniuerſalem ibidem reperimus exaratum, ſed vtrùm per imperitiam, aut ſchiſma, vel hæreſim iniquorum ſcriptum eſt ignoramus: Sed deinceps ſuademus veſtræ Clementiſſimæ, Imperialique potentiæ, vt minimè in ſuarum exarationum ſerie vniuerſalis deſcribatur, quia contra ſanctorum Canonum inſtituta, ſeu ſanctorum Patrum traditionum Decreta eſſe videtur. In ſecundo enim ordine, ſi non per Sanctæ noſtræ Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ auctoritatem, ſicut in omnibus patet, numquam valuit nomen habere, quod nimirùm, ſi vniuerſalis ſuper prælatam ſibi Romanam Eccleſiam, quæ eſt caput omnium Dei Eccleſiarum deſcribatur; tamquam ſanctarum Synodorum rebellem, atque hæreticum, manifeſtare ſe certum eſt.

Spalat. n. 21.

Quia ſi vniuerſalis eſt, etiam Eccleſiæ noſtræ Sedis primatum habere dignoſcitur; quod ridiculum omnibus fidelibus Chriſtianis apparet; quia in toto Orbe terrarum, ab ipſo Redemptore Mundi beato Petro Apoſtolo, principatus, & poteſtas data eſt, & per eumdem Apoſtolum, cuius vel immeriti vices gerimus, Sancta Catholica, & Apoſtolica Romana Eccleſia vſque hactenùs, & in æuum tenet principatum, ac poteſtatis auctoritatem, quatenùs, quod non credimus, ſi quiſpiam eum vniuerſalem nuncupauerit, vel aſſenſum tribuerit; ſciat ſe Orthodoxæ fidei eſſe alienum, & noſtræ ſanctæ Catholicæ, atque Apoſtolicæ rebellem.] Hæc tam clara ſunt, vt bardus meritò cenſeatur, qui non videat priori acceptione Hadrianum auerſatum vniuerſalis, ac Oecumenici titulum, quem exiſtimaret citrà reliquorum Epiſcoporum depreſſionem, vni certo hoc ſenſu tribui non poſſe.

Eſt igitur, quòd Spalatenſis eò referat tum Pelagij, tum Gregorij argumenta: Quæ non abnuimus ſic compingi poſſe, vt obijcit primò: [Qui ſe dicit, & facit Epiſcopum vniuerſalem, inquit, reliquis omnibus Epiſcopis, & nomen, & honorem aufert, & dignitatem, eamque totam in ſe ſolùm conuertit. Spalat. n. 22.

Secundò: Luciferianum eſt, velle vnum Epiſcopum ſe ſupra alios Epiſcopos, qui ſunt aſtra Cœli, & nubes Eccleſiæ, efferre.

Tertiò: Schiſma aperit, & inducit, quod olim Corinthi inducebatur, & à Paulo repellebatur.

Quartò: Solus Chriſtus eſt Eccleſiæ caput vniuerſale, & omnes Epiſcopi Chriſti membra: quod ergo Chriſti proprium eſt, hoc ſibi vſurpat, qui ſe dicit, & facit vniuerſalem.

Quintò: Neque Petrus, neque vllus Apoſtolus, aut ſanctus Epiſcopus ſe fecit, aut vocauit vnquam vniuerſalem.

Sextò: Id proprium eſt præcurſoris Antichriſti ſuperbiendo ſe cæteris anteponere.

Septimò: Si eſt in Eccleſia aliquis Epiſcopus vniuerſalis, eo ſanè in hæreſim lapſo, tota caderet, aut macularetur Eccleſia.]

Sed hæc argumenta tantùm probant etiam Romanum Pontificem hunc vniuerſalis, & Oecumenici titulum dedecere, cùm vnicum, & ſolum ſonat Epiſcopum, cuius com-

pa-

paratione cæteri Vicariam tantam habeant poteſtatem, ac proculdubiò de nomine tantùm ſint Epiſcopi: Quo ſenſu dici citrà calumniam non poſſit, Pontificem ſibi Oecumenici titulum vendicare, ac vſurpare. Etſi enim ex præſcripto Chriſti, qui Monarchia Eccleſiam ſuam contineri, ac gubernari voluerit, vniuerſæ Eccleſiæ auctoritate Capitis moderetur, ſartam tamen, rectamque alijs Epiſcopis relinquit ſuam poteſtatem, ac iuriſdictionem, qua priuatis ſuis Eccleſijs ius dicant, leges ponant, ac in officio pro ſuæ auctoritatis dignitate contineant. Hæc infrà fuſiùs explicabuntur.

Sed Baronius à Spalatenſi vexatus manus nobis tendit, opemque aduersùs importunum aduerſarium expoſcit. Audaciam Leguleij cuiuſdam repreſſerat Baronius, eumque in ordinem coegerat; Sed Leguleij patrocinium contra Magnum Cardinalem ille ſuſcipit: [Applicat ſanè, inquit, nec immeritò Spalat.n.23. aliquis Iuriſconſultus argumentum hoc ex Pelagio deſumptum, ad Papalis ſupremæ Monarchiæ depreſſionem, contra eum inſurgit Baronius his verbis: Sed hìc amabo te, ſiſte gradum, Lector, ſpectaculum tuis oculis ingeram, vnde rideas. Ecce progreditur è Cathedra Iuris profeſſor factus vno momento Theologus; atque velut in ſcena mimus mutatis veſtibus, & ſuperinducta perſona, licentia hiſtrionica ſtatim vociferari incipit aduersùs Romanos Pontifices, quòd ſuper vniuerſalem Eccleſiam ſibi auctoritatem arrogent, ac nomen; ità raucè inclamans, & obſtrepens turba Nouantium, vt dormientes in cunis abſterrere poſſet infantes. Ex recitatis enim modò Pelagij Papæ verbis, quibus ait, neminem Patriarcharum vti debere nomine vniuerſalis; ipſe mox infert, Primatum eſſe in Eccleſia non debere; ac proindè contra Pelagij aſſertam ſanctiſſimi Papæ ſententiam, Romanos Epiſcopos ſibi ſuper omnes Eccleſias vendicare primatum. O Cimmerijs tenebris offuſam mentem! Sed ignoſcendum miſello, nonniſi ex illatis in Gratiani arcam fragmentis ſtipem mendicanti. Si enim ipſam hanc Pelagij integram epiſtolam perlegiſſet, in qua tot robuſtis ſententijs elucet Primatus Romani Pontificis; erubuiſſet certè, ſenſiſſetque damnum ſuum; nimirùm ex ſuo egeſto ſtercore, inſtar turdi ſibi viſcum paraſſe. Sed accipe, quot valida Pelagij Papæ in hac epiſtola ſint, de primatu Romani Pontificis, prodita argumenta, atque firmatæ ſententiæ.

Primò quidem dum habet; Romanum Pontificem verum, legitimumque Petri Apoſtoli eſſe ſucceſſorem; cumque addit, à Chriſto in eum collata priuilegia eadem, in ipſius ſucceſſorem redundare præſtantiam.

Secundò, dum firmiter aſſeuerat ius generalis Synodi conuocandæ, eiuſque firmandæ, vnius eſſe tantùm Romani Pontificis.

Tertiò, dum quæ acta ab ipſis eſſent in eadem Synodo vniuerſali, re ipſa Pelagius ipſe nullius eſſe præcipit auctoritatis.

Quartò, dum iudicium in Orientis omnes Patriarchas exercet, ſententiamque excommunicationis comminatur; ſi quid eiuſmodi inconceſſum præſumant.

Quintò, dum diſertis verbis affirmat, prædeceſſores eiuſdem Ioannis Conſtantinopolitanos Epiſcopos, ſæpiſſimè, vt ait, epiſtolis ſcriptis, datiſque libellis, propria manu conſignatis eſſe profeſſos, Romanorum Pontificum Primatum; quem & nunquam in poſterùm ſub obteſtatione diuinæ ſententiæ labefactare polliciti ſunt.

Sextò, dum in eundem ipſum Ioannem Conſtantinopolitanum Patriarcham, fulmen excommunicationis interminatur; niſi citò emendaret, quod deliquiſſet.

Septimò, dum inferiùs, vt audies, totidem verbis, Romanam Eccleſiam à Domino eſſe inſtitutam caput omnium Eccleſiarum affirmat.

Octauò, dum praxis oſtenditur de Orientalibus Patriarchis conſulere conſuetis Apoſtolicam Sedem; atque ab ipſa de ambiguis expectare ſententiam.

Nonò, dum veteri conſuetudine ſeruatum, & ſynodali decreto firmatum tradit, vt ex vniuerſo Orbe maiores, & difficiliores cauſæ ad Sedem Apoſtolicam deferrentur.

Decimò, dum eminentiori ſolio conſtitutus, lata ſententia infames eſſe decernit, quicumque aduersùs Patres armantur; velut eorumdem inuaſores, & occiſores.

Vndecimò, dum ad calcem ait, ipſos Romanos Pontifices in Eccleſia Catholica vindices Canonum præſidere, eoſdemque inſtaurare, ac renouare, quæ prauorum hominum eſſent labefactata conatu.

Hæc ex Pelagij Papæ epiſtola; ex cuius fragmento abrogationem Primatus Romanæ Eccleſiæ ſe eliciuiſſe, ſtultè vaniloquus exiſtimauit. Sit modò ſatis tot virgis verberatum, è ſcena fugaſſe miſerum Leguleium, in Theologum ex improuiſo conflatum; vanè exiſtimantem, ex animi libitu, atque libidine, maiore facilitate quempiam poſſe profiteri Theologum, quàm euadere Iuriſperitum, cùm ad hoc perficiendum triduum ſibi ſatis eſſe putarit orator.

Quòd verò eadem leuitate, atque etiam procacitate, qua Pelagium, Gregorium quoque Papam conatus eſt hæreſis conſtituere aſſertorem, Cicero pro Murena. nos, quæ ex Gregorio citat, cùm res Gregorij proſequemur, in ipſum pariter retorquebimus. Cùm igitur tot firmiſſimis aſſertionibus Pelagius Papa in hac epiſtola ſit promulgator, atque aſſertor Primatus Romanorum Pontificum; quis ingenio adeò obtuſus non videat, ipſum, dum ait, nullum Patriarcharum dici debere vniuerſalem, ad illos Orientales, ad quos ſcribit, habuiſſe reſpectum? Huc vſque Baronius.

Spalat.n.24. Hoc tamen eſt, inquit Spalatenſis, garrulè, vt eſt mos fœminarum, obloqui, & conuitijs agere; ſeu Thraſonis more cum vmbris pugnare; non diſputare. Quid reſpondes ad argumentum illius Leguleij ex verbis, & aſſertione Pelagij eductum? Pelagij dictum eſt; Nullus Patriarcharum hoc prophano vocabulo vtatur, quia ſi ſummus Patriarcha vniuerſalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur; & abſit, hoc ſibi velle quempiam arripere; vnde honorem fratrum ſuorum imminuere ex qualicunque parte videatur. Ad hæc Baronius ſic; Pelagius ad eos Orientales, ad quos ſcribit, reſpectum habuit. Hoc eſt neminem ex Orientalibus Patriar-

chis

chis poſſe, aut debere, Oecumenici nomen vſurpare; ſiquidem id ſoli competat Romano, ſcilicet: ſed Pelagius vniuersè loquitur; Abſit, inquit, à fidelis cuiuſque mente hoc ſibi velle arripere.]

Sed argumentatur Spalatenſis: [Eſtne Spalat. end. num. 24. Romanus Pontifex, inquit, etiam ipſe fidelis? ergo etiam ab ipſius mente debet hoc abeſſe. Et ratio, quam ſubdit Pelagius, nonne eſt ratio generalis, quæ contra quemcumque militet, qui ſe faciat vniuerſalem? Is enim, inquit, alijs honorem aufert, & qui ſe Patriarcham vocat vniuerſalem, ille derogat nomen Patriarchæ cæteris Patriarchis. Iniuria ergo ſit Patriarchis, ſi ipſis nomen auferatur Patriarchale, aufertur verò, quotiès vnus ſit in Mundo Patriarcha vniuerſalis, quicumque ille ſit. Nam Patriarcha eſt ſupremus: & ſi quis Patriarcha habet ſupra ſe alium Patriarcham, cuius iuriſdictioni ille ſit ſubiectus, certè ille Patriarcha non erit. Qui autem ſe totius Mundi Patriarcham facit, ille Patriarchas omnes ſibi ſubijcit, & conſequenter aufert eis ne ſint Patriarchæ. Quia nullum alium, præter ſe agnoſcit ſupremum. Qui autem ſupremus non eſt, ille Patriarcha non eſt. Dum igitur ait Pelagius; Si ſummus Patriarcha vniuerſalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur? Certè Romanum etiam includit. Hunc nos ſemper fecimus ſummum Patriarcham; neque poteſt Baronius non aſſentiri. At ſi hic ipſe ſummus Patriarcha velit eſſe vniuerſalis, derogabit reliquis hoc nomen Patriarchæ; ergo etiam ipſum ſummum Romanum Pontificem argumentum includit.

Immò expreſsè Gregorius, idem argumentum tractans, & non ſine ſermonis emphaſi repetens, ſibi quoque id applicat; vbi Eulogium Alexandrinum reprehendit, qui ipſi Gregorio titulum Oecumenici appoſuerat, ſic enim loquitur Gregorius. Quod peto, dulciſſima mihi Sanctitas veſtra vltrà non faciat; quia vobis ſubtrahitur, quod alteri, pluſquam ratio exigit, præbetur. Cui verò alteri? Nempè ei, qui dixit, Mihi non faciat? Vbi etiam, vt vides, fatetur contra rationem eſſe, ſi Romanus quoque Pontifex ab aliquo fiat, vel vocetur vniuerſalis. Eſt & illud Gregorij argumentum ſupra num. 17. Omnes vniuerſalis Eccleſiæ Epiſcopi aſtra Cœli ſunt. Qui ergo ſe vniuerſalem facit, iſte veluti Lucifer ſuper aſtra Cęli exaltat Solium ſuum, & omnes Epiſcopi nubes ſunt. Qui verò ſe vniuerſalem facit, iſte cum Lucifero dicit: Aſcendam ſuper altitudinem nubium. Quomodo igitur, ſi aliquis Orientalium id dicat, erit alter Lucifer, ſi verò Romanus idem dicat, & ſe vniuerſalem faciat, non erit Lucifer? Aut ſi Romanus poteſt licitè, ſuper hæc aſtra Cœli exaltare ſolium, & ſuper harum nubium altitudinem aſcendere, citrà Luciferianam infamiam; cur Lucifer erit alius, qui hoc fecerit? An Lucifer iſte in ſolo Oriente lucebit, non item in Occidente? Quid verò dicet Baronius de illis Gregorij verbis; Ego autem fideliter dico, quia quiſquis ſe vniuerſalem Sacerdotem vocat, vel vocari deſiderat, in elatione ſua Antichriſtum præcurrit, quia ſuperbiendo ſe cæteris præponit. Poteſtne hoc dictum vniuerſaliùs proponi? Quis illud ad ſolos reſtringat Orientales? Et ſi Gregorij mens fuit, ad ſolos Orientales ſuas dirigere inuectiuas.

Cęterùm in ſe, hoc eſt, in Romano Pontifice, nullum crimen agnoſceret, ſi ſe vniuerſalem eſſe, & oſtenderet, & vocaret, cur, dum vniuerſali propoſitione Antichriſtos eſſe affirmat, ſeu Antichriſti præcurſores, eos omnes, quicumque ſe vellent facere Epiſcopos vniuerſales, & vocare; non excepit expreſsè Romanum Pontificem, ac declarauit ſibi ſoli id competere? Sed profectò Gregorius, eamerſi propriam iniuriam paucis attigerit, quòd Romanus quoque Primatus, quicumque ille ſit, eo Conſtantinopolitani Patriarchæ vocabulo deprimeretur.

Dum videtur ipſe Conſtantinopolitanus, vel eo vocabulo Romanam quoque Eccleſiam ſibi auctoritatiuè ſubijcere; vel ſe in generali enumeratione, ne ordine quidem poſt Romanam haberi ſecundam Eccleſiam Patriarchalem dignari: nihilominùs vbi iam publicam cauſam totius Eccleſiæ tractat, & in hac publica cauſa argumenta multiplicat, numquam loquitur comparatiuè, vt ſuum defendat Primatum, ſed loquitur ſemper in ſenſu abſoluto, vt vniuerſalitatem hanc in quocumque oppugnet, & huc ipſius omnia diriguntur argumenta, vt in his paucis, quæ exempli gratia nunc conſideraui, eſt manifeſtum. Sed certè omnes inuectiuæ vniuerſaliſſimè oppugnant illum titulum Oecumenici in quocunque. Tu igitur, bone Theologe Baroni, ſi non vis eſſe purus Leguleius, ad hæc meliùs, ſi potes, reſponde.]

Sed decipit ambiguitate vocabuli, & explosum, in priore ſenſu, quem explicauimus, Oecumenici, ac vniuerſalis titulum cum eodem, alio ſenſu accepto, imperitè conſundit. Eſt quidem vox eadem, ſed ſignificatio planè diuerſa.

Itàque non facilè moleſtiſſimis argumentis expediemus, ac extricabimus, repetita vocabuli diuerſa acceptione, & priori quidem, ad quam Conſtantinopolitanorum ſuperbiam, ac inſolentiam exegerint Pelagius, & Gregorius, non modò in Orientales Patriarchas conuenire poſſe negamus, ſed & Pontifici citrà ſacrilegium tribui non poſſe conſtantiſſimè aſſeuerauimus.

Hoc namque ſenſu ſi ei deferretur Patriarchatum nomen, cæteris detraheretur, ac, vt loquuntur Gregorius, & Pelagius, derogaretur. Eſt igitur Pontifex etiam ipſe fidelis, immò fidelium caput Vicarium, nihil Epiſcopis ſubtractum cupit, ſuper altitudinem nubium non aſcendit, nec vlla elatione ſua Antichriſtum præcurrit, aut ſuperbiendo ſe cæteris præponit, vno verbo, Antichriſtianum titulum horret, ac execratur.

Immò nec poſteriore ſenſu, quamquam illo haud improbo. vniuerſalis, aut Oecumenicus audire flagrat, ſed ſeruum ſe ſeruorum dicit, quamquam Eccleſiæ vniuerſalis Epiſcopum.

Non erat igitur tam acerbè, tamque inſolenter excipiendus Baronius, quem tamen ad Leguleiorum ſubſellia impudentiſſimè amandat Aduerſarius.

1 Sed vt eius argumenta ex epiſtola Pelagij deprompta, depellat, his omnibus

erro-

Digitized by Google

erroribus ſe implicat: 1. Succeſſionem Pontificis, cuius iure Petri priuilegia cõſequitur, ſolius imitationis, & exempli eſſe, non vllius ſuprè Epiſcopos poteſtatis.

2 Romanum Epiſcopum iure Eccleſiaſtico tantùm, & ex accidenti primas habuiſſe in Concilijs,

3 Præcepiſse, ſed citra effectum,

4 Non alio iure, quàm alios Epiſcopos ius ſuæ communionis negaſse,

5 Inter Patriarchas ſolùm primum dignitatis locum obtinuiſse.

6 Iure fulmina eius à Conſtantinopolitanis contempta.

7 Romanam Eccleſiam iure ſolùm poſitiuo dignitatis caput habitam fuiſse,

8 Solius fidei doctrina, non etiam poteſtate, antecellniſse vniuerſis Eccleſijs Romanam,

9 Concilijs Conſtantinopolitano, & Chalcedonenſi aſsertam Oecumenici dignitatem Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ.

10 Iure ſolo Eccleſiaſtico Pontificem in reliquos Patriarchas animaduertiſſe.

11 Eam poteſtatem omnium Patriarcharum communem fuiſse, & charitatem magis, quàm poteſtatem arguere. Hæc errorum portenta, ac monſtra partim ſuprà debellauimus, partim verò inſtà confodiemus, ac conficiemus.

Vellicat tamen rursùs Baronium Spalatenſis, ac indignis modis exagitat, ſeròque deguſtatam Theologicam exprobrat, harum rerum non optimus Cenſor, aut Iudex. [Quamuis, inquit, etiam Pelagius, & Gregorius expreſsè negent ſuprà num. 14. 15. 17. & 18. vllum vmquam ex eorum prædeceſsoribus, pompatico illo vſum nomine; id tamen violentiſſimè interpretatur Baronius: vt nemo Romanus Pontifex eo titulo ex ſolemni ritu ſemper, & in omnibus vſus ſit inſcriptionibus, vel ſubſcriptionibus: & Leonem inter alios adducit ſe Epiſcopum vniuerſalem inſcribentem. Sed plurimùm fallitur, ſeu potiùs fallere nos conatur Baronius.

Spalat. n. 26.

Baron. to. 6. anno 451. n. 143.

Leo enim ad Martianum ſic: Leo Epiſcopus Romanæ, & vniuerſalis Eccleſiæ, Martianò Auguſto, hoc eſt, Catholicæ Eccleſiæ: Omnis autem Eccleſia Orthodoxa Catholica dicitur; quia eſt vna ex illis, quæ Catholicam conſtituunt Eccleſiam, & Catholicam fidem, atque doctrinam tuentur. Ac longè diuerſum eſt, eſse Epiſcopum Eccleſiæ vniuerſalis, hoc eſt, Catholicæ, & eſse Epiſcopum vniuerſalem, hoc eſt, Oecumenicum: Et plurimùm fallitur Bellarminus, dum in vtroque eundem ſenſum ponit. Nam Epiſcopus illius, vel illius Eccleſiæ Catholicæ; ſiue abſolutè, etiam Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ, aut, quod idem eſt, vniuerſalis, ſemper bonum ſenſum facit: nimirùm illum eſse Epiſcopum illius, vel illius Eccleſiæ, quæ ſimul cum alijs Catholicam tenent fidem, & Catholicam conſtituunt Eccleſiam: Seu illum eſse Epiſcopum vnum ex illis, qui ſunt in Eccleſia Catholica, ad excludendos Epiſcopos hæreticos, & ſchiſmaticos; At verò Epiſcopus Oecumenicus, poteſt etiam in malo ſenſu ſumi, immò de ſe ordinarium malum ſenſum importat, videlicet, vt ille ſolus Epiſcopus ſit toti per Orbem Eccleſiæ vniuerſali præfectus. Quia igitur titulus hic Oecumenici, in hoc malo ſenſu ſumptus, pro Epiſcopo, qui ſe ſolùm in vniuerſam Eccleſiam plenum ius habere profitetur, erat abominandus, ideò Gregor. illam & à ſe, & à prædeceſſoribus ſuis amouere contendit, qui tamen reliquos omnes Epiſcopos vniuerſalis Eccleſiæ Epiſcopos ſuprà num. 17. vocauit. Quare, fruſtrà etiam Baronius conatur defendere titulum epiſtolæ Apocryphæ Sixti I. quo ſe vniuerſalis Eccleſiæ ille Epiſcopum inſcribit. Quilibet enim Epiſcopus, eſt Epiſcopus Eccleſiæ vniuerſalis, ſed vniuerſalis Epiſcopus nullus eſt. Dicit quoque, titulum hunc Oecumenici oblatum fuiſſe Leoni à Concilio Chalcedonenſi, illumque eum reſpuiſſe, quod quamuis in Concilijs illius actis non extet: ego tamen id facilè conceſſerim, tum Baronio, tum Bellarmino, tum etiam Decreti Gratiani reformatoribus: Quia ad confirmationem Primatus Conſtantinopolitani, plurimùm proderat Primatus Romanus, quò enim maior fuiſſet in priuilegijs humanis Eccleſia Romana, cò maior etiam futura erat Conſtantinopolitana, quæ ad Romanæ Eccleſiæ priuilegia, & æqualitatem iam fuerat euecta: ideòque huius tituli Orientales liberales fuerunt Romano Pontifici, cui æquari quidem, non tamen ſuperponi, aut ſupponi Conſtantinopolitanum volebant. Solo dignitatis, ſiue præeminentiæ loco Conſtantinopolitana Eccleſia Romana deferebat, ſicut Roma noua, Romæ veteri, honoris locum, non auctoritatis, & poteſtatis Imperium cedebat.

Epiſt. 57.

Et quando Iuſtinianus ſuprà capit. 4. num. 10. Romanum Epiſcopum faciebat primum, Conſtantinopolitanum 2. non ſubiciebat Romano Conſtantinopolitanum in poteſtate, & iuriſdictione, ſed dignitate ſola, & honore, ſolàque loci præcedentia: in quo Gregorium fefellit opinio, dum hinc aſſerit, Conſtantinopolitanam Eccleſiam Apoſtolicæ Sedi ſemper fuiſſe ſubiectam, ſi veram ſubiectionem intelligit: ſed fortaſsè ſubiectam intellexit inferiorem, & ſecundam.]

Lib. 7. ind. 1. epiſt. 63.

Quod attinet primum ad Leonem, vniuerſalis Eccleſiæ Epiſcopum ſe dixit, non modò illo ſenſu, quo quiuis Antiſtes in Eccleſiæ Catholicæ communione perſeuerans, Eccleſiæ vniuerſalis Epiſcopus iure cenſetur, ſed planè auctoritate capitis, quæ ad vniuerſam Eccleſiam ſe fundat: illo ſcilicet ſenſu, quo de Dioſcori damnatione agens Paſchaſinus in Concilio Chalcedonenſi Legatus Pontificis Leonis pronuntiauit: [Vndè, inquit, & beatiſſimus Papa, Caput vniuerſalis Eccleſiæ Leo, per nos, vt Legatos ſuos, ſancta Synodo conſentiente, Petri Apoſtoli prædictus dignitate, qui Eccleſiæ fundamantum, & petra fidei, & cœleſtis Regni ianitor nuncupatur, Epiſcopali eum dignitate nudauit.] Quo etiam ſenſu Chalcedonenſes Patres de ſuo conſeſſu ad Leonem ſcribentes. Quibus ſcilicet Epiſcopis in Concilij congregatis: [Tu quidem, inquiunt, cæteris ſicut caput præeras, qui tuum tenebant ordinem, hoc eſt, in Legatis tuis beneuolentiam præferens.]

To. 2. Conc. in fin. Conc. Chalcedon.

In relat. Concil.

Quo item ſenſu ijdem Patres, eundem

Leo-

Leonem agnoſcunt, cui vineæ cuſtodia à Saluatore commiſſa ſit. Quo item Ambroſius, Baſſianus, cum Collegis epiſtola ad Syricium Papam, Paſtorem eum, & cuſtodem ouilis Chriſti vocant.

Ep.81.&84. Quo item ipſe Leo aſſerit ad vnam Petri Sedem vniuerſalis Eccleſiæ curam confluere, vt nihil vſquam à ſuo capite diſſideat. Ac rursùs Vrbem Romam per beati Petri Sedem caput effectam, latiùs præſidere religione diuina, quàm dominatione terrena. Quod attinet verò ad ipſum vniuerſalis Epiſcopi titulum, Pontifici delatum in Concilio Chalcedonenſi, ac à Pontifice repudiatum, benè eſt quod Gregorio fidem habet Spalatenſis, nec factum negat, hinc enim contra illum ineuitabile argumentum teximus, niſi vniuerſalis Epiſcopi titulus bono ſenſu accipi poſſet, neutiquam in triumphis deceſſorum ſuorum poneret delatum illis à Chalcedonenſibus hunc honorem. Neque credo, cùm Leonem vniuerſalem Epiſcopum inſcriberent pijſſimi viri, Antichriſtianum titulum, qui Luciferi ſuperbiam ſpiraret, attingere volebant. Quare proculdubiò ea Oecumenici, ac vniuerſalis Epiſcopi diſtinctio omninò admitti debet.

Sed inſtat Spalatenſis, etiam hoc ſenſu eum repudiaſſe Pontifices, quod ex Gregorij epiſtolis facilè deprehenditur.

Itàque reſpondeo, & hac acceptione non placuiſſe Pontificibus propter alium prophanum ſenſum, qui in verbis lateret; & ne quis homonymia vocis abuteretur. Quod ad calcem ſectionis, vt Conſtantinopolitanos palpet, ſcribit, Iuſtinianum Imperatorem, Conſtantinopolitanum Antiſtitem, non ſubieciſſe Romano in poteſtate, & iuriſdictione, ſed in dignitate ſola, & bonore, ab ipſo Iuſtiniano refellitur.

Sic enim ille epiſtola ad Ioannem Papam. [Reddentes, inquit, honorem Apo-

Codice de ſummaTrin. & fide cath. ſtolicæ Sedi, & veſtræ ſanctitati, (quod ſemper nobis in voto, & fuie, & eſt,) & vt decet patrem, honorantes veſtram beatitudinem, omnia, quæ ad Eccleſiarum ſtatum pertinent feſtinauimus adnotitiam deferre veſtræ Sanctitatis: quoniam ſemper nobis fuit magnum ſtudium, vnitatem veſtræ Apoſtolicæ Sedis, & ſtatum ſanctarum Dei Eccleſiarum cuſtodire, qui hactenùs obtinet, & incommotè permanet, nulla intercedente contrarietate. Ideòque omnes Sacedotes vniuerſi Orientalis tractus, & ſubijcere, & vnire Sedi veſtræ Sanctitatis properauimus. In præſenti ergo, quæ commota ſunt (quamuis manifeſta, & indubitata ſunt, & ſecundùm Apoſtolicæ veſtræ Sedis doctrinam ab omnibus ſemper Sacerdotibus firmè cuſtodita, & prædicata) neceſſarium duximus, ad notitiam veſtræ Sanctitatis peruenianc. Nec enim patimur quicquam, quod ad Eccleſiarum ſtatum pertinet, quamuis manifeſtum, & indubitatum ſit, quod mouetur, vt non etiam veſtræ innoteſcat Sanctitati, quæ caput eſt omnium ſanctarum Eccleſiarum. Per omnia enim (vt dictum eſt) properamus honorem, & auctoritatem creſcere veſtræ Sedis.]

Et ad Ioannem Papam in principio Authenticæ, vt Eccleſia Romana centum annorum gaudeat præſcriptione: [Vt, inquit, legum originem anterior Roma ſortita eſt: ità & Summi Pontificatus apicem, apud eam eſſe, nemo eſt, qui dubitet. Vndè & nos neceſſarium duximus patriam legum, fontem Sacerdotij ſpeciali noſtri numinis lege illuſtrare, vt ex hoc in vniuerſas Eccleſias Catholicas, quæ vſque ad Oceanum poſitæ ſunt, ſaluberrimæ legis vigor extendatur, & ſit totius Occidentis, nec non & Orientis, vbi poſſeſſiones ſitæ inueniuntur, ad Eccleſias noſtras, ſiue nunc pertinentes, ſeu poſteà eis acquirendæ, lex propria ad honorem Dei conſecrata, &c. Sanctitas itàque tua præſentem noſtræ manſuetudinis legem pijſſimam, ſiue ſacroſanctam oblationem, quam Deo dedicamus, accipiens, intrà ſacrariſſima vaſa reponat, & à nobis ſeruandam, & omnes Eccleſiaſticas poſſeſſiones ſeruaturam.]

Et in Authentica de Eccleſiaſticis titulis & priuilegijs. [Ideòque ſancimus, ait, ſecundùm ſanctarum Synodorum definitiones, ſanctiſſimum ſenioris Romæ Papam primum eſſe omnium Sacerdotum; beatiſſimum autem Archiepiſcopum Conſtantinopolitanum nouæ Romæ ſecundum habere locum poſt ſanctam Apoſtolicam ſenioris Romæ Sedem: alijs autem omnibus ſedibus præponatur.]

Et ad Bonifacium Papam: [Prima ſalus, inquit, eſt rectæ fidei regulam cuſtodire, & à conſtitutis Patrum nullatenùs deuiare. Et quia non poteſt Domini noſtri Ieſu Chriſti prætermitti ſententia, dicentis: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: & hæc, quæ dicta ſunt, rerum probantur effectibus, quia in Sede Apoſtolica extra maculam ſemper eſt Catholica religio reſeruata. De qua ſpe, & fide minimè ſeparari cupientes, & Patrum ſequentes conſtituta, anathematizamus omnes, qui contra ſanctam Romanam, & Apoſtolicam Eccleſiam ſuperbiendo ſuas erigunt ceruices: ſequentes in omnibus Apoſtolicam Sedem, & prædicantes eius omnia conſtituta. Et per omnia ſpero, vt in vna communione vobiſcnm; quam Sedes Apoſtolica prædicat, eſſe merear in qua eſt integra: & vera Chriſtianæ religionis, & perfecta ſoliditas, promittens, ſequeſtratos à communione Eccleſiæ Catholicæ, ideſt, non conſentientes Sedi Apoſtolicæ, eorum nomina inter ſacra non eſſe recitanda myſteria. Hanc autem profeſſionem meam manu ſubſcripſi, & Bonifacio ſancto, & venerabili Papæ Vrbis Romæ direxi, damnans anteceſſores, & ſucceſſores meos, & omnes, qui ſanctæ Romanæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ priuilegia caſſare nituntur.]

Sed rursùs Baronium, ac Bellarminum impetit, propugnatamque à nobis diuerſa acceptione tituli Oecumenici, ſiue vniuerſalis Epiſcopi, doctrinam vellicat, aut potiùs ſic obſcurè, vt difficile ſit, quid ſibi velit, peruidere. Sic autem habet tenebricoſi hominis oratio.

[Adhuc, inquit, tamen Baronius, vbi Spalat.n.27.
ad Gregorium accedit, & Bellarminus non quieſcunt, omninòque volunt Romanum Papam eſſe Oecumenicum; non autem Conſtantinopolitanum, nec alium quemcumque, & iam Gregorij dicta cum Pelagij dictis conſentientia excutientes, diſtingunt ſignificationem huius nominis Oecumenici. Vt primum

Digitized by Google

mùm ſignificet vnum ſolum ſingularem, præter quem nemo ſit, & ità Patriarcha Oecumenicus, ſeu vniuerſalis, in hoc malo ſenſu ſit Pater totius Mundi; cui reliqui omnes Epiſcopi ſubſint vt filij, non vt fratres, & in adminiſtratione collegæ: & ſic fatentur Chriſtum ſolum à Gregorio dici caput vniuerſale totius Eccleſiæ. Et in hoc ſenſu fatentur nomen Oecumenici eſſe verè prophanum, ſacrilegum, & Antichriſtianum. Alia verò ſit ſignificatio, qua dicitur vniuerſale, hoc eſt, quòd remanentibus partibus integris, ipſum cæteris ſupereminet, & curam gerat totius Eccleſiæ, ſed generalem, ità vt particulares Epiſcopos non excludat. Qua ratione, inquiunt, vetuit Gregorius inter Patriarchas dici aliquem Oecumenicum, de Orientalibus intelligens; quòd nequaquam alterum alteri voluit eſſe ſubiectum. Quo ſenſu ſæpè reperiri, certum eſt, aiunt, Romanum Pontificem eſſe dictum vniuerſalem Epiſcopum, abſque aliquo faſtu, cum eo nomine id, quod eſt, exprimatur; nempè, quòd ipſe, cura Paſtorali vniuerſi gregis totius Orbis ſupereminèat. Sic illi. Qui deindè ex varijs actis Gregorij ipſius curam vniuerſalem probant.

Profectò; inquit Spalatenſis, Gregorius
Spalat.n.28. Oecumenici titulum ſimpliciter, & abſolutè reijcit, & reprehendit, & inſectatur, cuius, nonniſi malum ſenſum agnoſcebat; priorem nempè illum, quem etiam Baronius, & Bellarminus, vt malum, & importunum reijciebant, Epiſcopus enim, qui ſit actu Epiſcopus, & ſolus vniuerſalis, qui nimirùm Epiſcopali propria auctoritate actu regat totam Eccleſiam vniuerſalem, omnes profectò alios excludit Epiſcopos, quia nullam eis relinquit Eccleſiam partialem, quam regant, vt propriam; ſiquidem tota vniuerſalis, & totalis Eccleſia, illius vnius, qui ſit Epiſcopus vniuerſalis, proprius eſt Epiſcopatus, & ſic Epiſcopi alij cùm nullam propriam habeant Eccleſiam, ſed in aliena laborent, illius vnius Epiſcopi vniuerſalis meri erunt Vicarij, Coadiutores, & Miniſtri; non cum plenitudine poteſtatis, qui propriam non habent Eccleſiam, ſed cum parte ſollicitudinis alienæ, quia loco Epiſcopi proprij, & vniuerſalis in ea parte ſupplent, in qua ſunt ab eo poſiti, & applicati, vt probabam etiam lib. 2. cap. 5. num. 27. & ſeqq.

Vertant ſe igitur quòcumque volunt noſtri Monarchici, aut Papatum ſui Romani Hieromonarchæ abijciant, aut ipſum ſolum Epiſcopum verum, & proprium totius Eccleſiæ, cum omnium aliorum Epiſcoporum excluſione totali, qui ei ſubſint vt filij, ſeu potiùs vt famuli, & Coadiutores, & Miniſtri, non vt fratres, & collegæ, faciant neceſsè eſt. Illud enim ipſorum vniuerſale, quod, remanentibus partibus integris, ſupereminèat omnibus, & curam gerat generalem, applicemus Romano Papæ: & tunc quæro non de Patriarcha, ſed de Epiſcopo, nùm Epiſcopus Romanus ſit Epiſcopus vniuerſalis totius Eccleſiæ vniuerſalis, remanentibus partibus integris; hoc eſt, Epiſcopis cum poteſtate Epiſcopali ipſarum propria, & non aliena: primaria, & non delegata? verbis aiunt, rebus negant: Quòd ſi & verbis, & reipſa id concedunt, actum eſt de Papatu. Quid enim tandem erit illa ſupereminentia, & cura generalis? Erit ne ſupereminentia, & cura in ipſamet poteſtate Epiſcopali? Hoc eſt, vt hic Epiſcopus vniuerſalis, hac poteſtate ſupereminèat omnibus, & curam habeat omnium Eccleſiarum generalem, ideò, quia illa ſit ipſius propria, & illi ſoli tradita, alij verò eam ab ipſo participent, & tantam habeant, quantam ille communicet. Et hoc re vera volunt noſtri Monarchici, & apertiſſimè, & mordicùs tueri conantur, & contendunt, vt vidimus ſuprà lib. 2. cap. 5.

Sed hoc pacto illud ipſorum vniuerſale non relinquit partes integras. Quòd ſi poteſtas hæc Epiſcopalis, tota, & integra eſt in vnoquoque Epiſcopo propria, & principalis (vt re vera eſt, & probaui loco citato, rurſùſque pluribus lib. 5. confirmabo) & illud manere partes integras, ſignificet hoc ipſum, nimirùm Epiſcopos eſſe cum plena, propria, & primaria poteſtate, vnumquemque in ſua Eccleſia; quid quæſo, erit illa ſupereminentia, & cura generalis, per quam vnus Epiſcopus poſſit meritò appellari Epiſcopus vniuerſalis? Si ſupereminentiam hanc, & curam ponunt in poteſtate ipſa propria Eccleſiaſtica, quæ eſt Epiſcopalis, quæro ponuntne illam in habitu, & in actu? Si in habitu iàm probaui libro 2. cap. 7. num. 5. & ſeqq. & infrà cap. 9. huius, nu. 12. & ſeqq. curam talem in habitu cuilibet Epiſcopo conuenire. Si verò eam conſiderant in actu (quod certè, vel maximè volunt) tunc illa ità erit propria in hoc vno, vt in alijs non ſit propria; & ſic partes non erunt integræ: aut ſi in illis eſt propria, & partes ſint integræ, in hoc vno illa non erit vniuerſalis; neque ille habebit ſupereminentiam, curamve in hac poteſtate, quia hanc poteſtatem non habet, niſi pro ſua ſola Eccleſia particulari in actu. Hic enim Epiſcopus vniuerſalis, putà Romanus, vel eſt Epiſcopus etiam proprius actu, exempli gratia Eccleſiæ Toletanæ, vel non. Si non eſt Epiſcopus Toletanus, profectò neque erit vniuerſalis, ſi eſt, ergo Toletanus Epiſcopus particularis, non eſt Toletanus Epiſcopus, ſed Vice-epiſcopus, & miniſter Epiſcopi huius vniuerſalis, in Eccleſia tamen ſola Toletana: niſi dicamus ex æquo vtrumque eſſe Epiſcopum Toletanum; & tunc quæram, nùm Toletanus particularis, ſiue hoc ſocio Epiſcopo vniuerſali, habeat totam Epiſcopalem poteſtatem integram, vt propriam; aut non, ſed partem? Si habet totam, quid facit ei vniuerſalis? Et in quo is habebit ſupereminentiam, & curam ſuper illum? Si non habet totam, id erit profectò, quia vniuerſalis ei non communicauit, niſi partem, ergo non eſt propria ipſius Toletani illa Epiſcopalis poteſtas, ſed delegata ab Epiſcopo vniuerſali; & ſic Toletanus verè non eſt Epiſcopus proprius illius Eccleſiæ, ſed miniſter Epiſcopi vniuerſalis; & ita partes non manent integræ. Idem dicam de cæteris omnibus Epiſcopis, qui, ſi manent integri, hoc eſt, cum plena poteſtate Epiſcopali propria, quid relinquent Epiſcopo vniuerſali? Aut in quo conſiſtet ipſius ſuper illos in poteſtate Epiſcopali cura, & ſupereminentia? Quomodò ille erit Epiſcopus vniuerſalis totius Eccleſiæ, ſi ei ſub ipſius propria poteſtate Epiſcopali nihil Eccleſiæ totalis relin-

qui-

quirur; niſi ſua tantùm particula, cuins eſt Epiſcopus particularis, nempè Romana Diœceſis? Qund ſi illa ſupereminentia, & cura generalis non eſt in poteſtare propria Epiſcopali, ſed vel in Metropolitana, vel in Patriarchali, ſciant Hieromonarchici, dùm in pnteſtate Epiſcopali relinquunt partes integras, vt certè eas coguntur relinqnere, ideſt, Epiſcopns proprios, cum propria plena Epiſcopali poteſtate, quemque In ſua Eccleſia, ſe Papatui vale dixiſſe. Iam enim ſequitur neceſſariò, Papam ipſum non eſſe Epiſcopum vniuerſalem.

Et hoc conteudimus cum Gregorio in hac noſtra diſputatinne. Ablata verò Papæ omni poteſtate Epiſcopali, quæ eſt propria Eccleſiaſtica, erga vniuerſalem Eccleſiam, & ea ipſi relicta, pro ſua ſola particulari Eccleſia Romana; manentibus ſimillter omnibus, & ſingulis Epiſcopis iutegris, (quod concedunt) hoc eſt, neceſſariò cum plena, & propria Epiſcopali poteſtate, in ſua Eccleſia, quid erit Papa comparatus alijs Epiſcopis, quod ſpectat ad regimen ſpirituale animarum, niſi purus, & ſimplex Epiſcopus, vnus ex illis penitùs in poteſtate Epiſcopali cuicumque Epiſcopo æqualis? Cur ergo ſe ingerit in excommuuicandis homiuibus extrà Romanam Diœceſim conſtitutis, in beneficiorum alienæ Diœceſis collatione, in caſuum reſeruatione, in cenſurarum abſolutione, in indulgentiarum conceſſinne, in primarijs iudicijs, in vororum, ordinnm, matrimoniorum, & ſimilibus diſpenſationibus; ac in multis alijs, quæ ad ordinarium ſpectant regimen Epiſcoporum? In his verò iam conſiſtit totus neruus Papatus Romani. Ingerit ſe profectò in iſta, quia vult eſſe id, quod eum eſſe nnn poſſe, mihi concedunt cum Gregorio nunc Bellarminus, & Baronius, & velint nolint, cogentur concedere omnes, nempè vule eſſe Epiſcopus vniuerſalis in illo malo, & peruerſo ſenſu, quo ſolus intelligatur eſſe Epiſcopus tntius Mundi verus, prnprius, proximus, & ordinarius, nulla parte alia integra manente; atque in hoc ſuam ille agnoſcit ſupereminentiam, & curam; qua ille ſit caput vniuerſale vniuerſalis Eccleſiæ, hoc eſt Lucifer (vt eſt Gregorij ſententia, apertaque aſſertio) & oræcurſor Antichriſti ſacrilegus, & prophanus.

De vniuerſalitate verò Metropolitica, ſeu Patriarchali, licèt ad præſens huius capitis inſtitutum nihil faciat, patet tamen, ne in his quidem vllum pnſſe dari in Eccleſia aut Metropolitanum, aut Patriarcham vniuerſalem. De Metropolitano non eſt dubium. De Patriarcha verò ijſdem Gregorij, & Pelagij argumentis, ſuperiorique noſtra ratiocinatione res conuincetur. Quia ſi vnns eſt Patriarcha vniuerſalis; alij nulli erunt Patriarchæ, ſed ille ſolus: nam vel partes integræ manent, vel non; ſi non, ergo nulli Patriarchæ præter illum; ſi manent, ergo ille vniuerſalis non eſt, ſiquidem alij quoque quiſque per ſe propria ſua Patriarchali poteſtate, in ſuo Patriarchatu eſt independens, ac ſupremus. Et hæc iam clarè patent. Quare, ne in his quidem vlla poteſt dari, vllius ſupra alios Patriarchas iuriſdictionalis, & auctoritatina ſupereminentia, quò ad ius ipſum Patriarchale, & ſic neque Patriarcha vniuerſalis in hoc ſenſu poteſt vllus eſſe in Eccleſia.]

At verò his omnibus nugis refellendis vnus ſufficit Gregorius, qui magna teſtimoniorum luce oſtendit, vnum eſſe in tota Eccleſia Caput, quod ſuprema auctoritate non modò Fideles omnes, ſed & Epiſcoporum chorum moderetur, *partibus* tamen, vt Spalatenſis verbis vtar, *integris remanentibus*. Qun ſenſu in exercitu Imperator & Tribunus, & Centuriones haud ſecùs, ac milites regit, & gubernat; cùm tamen integram illis relinquat ſuam auctoritatem, ſartamque, ac tectam ſeruet, ſed in priuatas centurias, ac cohortes, cùm ad eum totius exercitus cura referatur.

Hnc igitur ſenſu exiſtimaſſe Gregorium vnum eſſe ſummum Ducem, ac Imperatorem in Eccleſia, qui Epiſcopis, Metropolitanis, Primatibus, ac Patriarchis præſit, tamquam priuatis ſacræ Militiæ præfectis, qui negat, planè depuduit. Et primùm quidem, vt ei nnſtram diſtinctionem & agnitam, & probatam fuiſſe conſtet, indè oſtendimus, quòd ipſe inter Principatum, & vniuerſalitatem longum, latumque diſcrimen ſtatuat, adeòque Petrum Principem Eccleſiæ vniuerſalis faciat, Apoſtolum tamen vniuerſalem infieietur: [Cunctis, inquit, Euangelium ſcientibus liquer, quòd voce Dominica ſancto, & omnium Apoſtolorum Petro Principi Apoſtolo totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt, &c. Eccleſia claues Regni Cœleſti accipit, poteſtas ei ligandi, ac ſoluendi tribuitur, cura ei totius Eccleſiæ, & Principatus committitur, & tamen vniuerſalis Apoſtolus non vocatur.]

Lib. 4. Ind. 13. epiſt. 32.

Accedit, & illud, quod Pontificem Romanum, tamquam Eccleſiarum caput ſpectet, eique det poteſtatem, ac iuriſdictionem in Epiſcopos, Archiepiſcnpos, & Patriarchas: [Quis dubitet, inquit, Eccleſiam Conſtantinopolitanam Sedi Apoſtolicæ eſse ſubiectam? Quod, & pijſſimus Dominus Imperator: & frater noſter Euſebius, eiuſdem Ciuitatis Epiſcopus aſſiduè profitentur.]

Et epiſtola ſequenti: [Si qua, inquit, culpa in Epiſcopis inuenitur, neſcio, quis Apnſtolicæ Sedi Epiſcopus ſubiectus non ſit. Cùm verò culpa non exigit, omnes ſecundùm rationem humilitatis æquales ſunt.]

Sic verò Ioanni deſenſori ſcripſit: [Contrà hæc, inquit, ſi dictum fuerit, quia nec Metropolitam habuit, nec Patriarcham: Dicendum eſt, quia à Sede Apoſtolica, (quæ omnium Eccleſiarum Caput eſt) cauſa audienda, & dirimenda fuerat.]

Et in epiſtola, quam Ioanni Panormitano Epiſcopo ſcribit: [Illud, inquit, admonemus; vt Apoſtolicæ Sedis reuerentia nullius præſumptione turbetur. Tunc enim ſtatus membrorum integer manet; ſi caput fidei nulla pulſet iniuria, & canonum manet incolumis intemerata ſemper auctoritas.]

Et epiſtola ad Natalem Salonitanum Epiſcopum: [Si, inquit, quilibet ex quatuor Patriarchis fecisset, ſine grauiſſimo ſcandalo tanta contumacia tranſire nullo modo potuiſset.]

Scribit Ioanni Epiſcopo Conſtantinopolitano de Ioanne Presbytero iniuſtè dam-

nac... ...um pronunciat. [Reprobantes, inquit, eorum (ſupradictorum iudicum) ſententiam, noſtra cum definitione Catholicum, & ab omni heretico crimine liberum eſse, Chriſti Dei redemptoris noſtri miſericordia, & gratia reuelante, denunciauimus.]

Et de diſceptatione inter Eccleſiam Rauennatem, & Claudium Abbatem, commemorans dubias cauſas Romæ terminandas. [Numquid, inquit, non ipſe noſti, quia in cauſa, quæ à Ioanne Presbytero contrà Ioannem Conſtantinopolitanum fratrem, & Coepiſcopum noſtrum orta eſt, ſecundùm Canones ad ſedem Apoſtolicam recurrit, & noſtra ſententia eſt definita?

Ac Anaſtaſio Presbytero de Iſauria reſcribens eum abſoluit de hæreſi ſuſpectum, & in priſtinum ſtatum reſtituit: [Poſtquam, inquit, exprobrata à te libelli pagina, fides tua nobis Catholica, Deo cuſtodiente, perclaruit, ab omni te hæreticæ peruerſitatis macula iuxta profeſſionem tuam liberum eſſe decernimus, atque Catholicum, & ſinceræ fidei in omnibus profeſſorem, atque ſequacem Chriſti Ieſu Saluatoris gratia claruiſſe pronunciamus: liberam quoque tribuimus licentiam ad tuum Monaſterium in tuo te loco, vel ordine nihilominùs remeare.]

Atque epiſtola, quam Ioanni Epiſcopo Lariſſæo de iniuſta Hadriani condemnatione ſcribit: [Decernimus, ait, vt fraternitas tua ab eo, Eccleſiaque eius omnem antè habitæ ſuæ poteſtatem iuriſdictionis abſtineat, & ſecundùm ſcripta deceſſoris noſtri, ſi qua cauſa, vel fidei, vel criminis, vel pecuniaria, aduersùs præfatum Hadrianum Conſacerdotem noſtrum potuerit euenire, vel per eos, qui noſtri ſunt, vel fuerint in Vrbe Regia (Conſtantinopoli) reſponſales, ſi mediocris eſt quæſtio, cognoſcatur: vel huc ad Apoſtolicam Sedem, ſi ardua eſt, deducatur: quatenùs noſtræ audientiæ ſententia decidatur. Quòd ſi contra hæc, quæ ſtatuimus, quolibet tempore, ſeu qualibet occaſione, vel ſurreptione venire tentaueris, ſacra ſcias te communione priuatum: nec eam te, excepto vltimo vitæ tuæ tempore, niſi conceſſa Romani Pontificis decernimus iuſſione percipere.]

Gregorius communione priuat Ioannem Epiſcopum, quòd iniuſtam in Hadrianum latam ſententiam confirmarat. [Caſſaris, inquit, priùs, & ad nihilum redactis prædictæ ſententiæ Decretis: ex Beati Petri Apoſtolorum Principis auctoritate decernimus, triginta dierum ſpatio te ſacra communione priuatum.] An non igitur hæc clariſſimè oſtendunt, Gregorium, vtcumque aduerſatus ſit Oecumenici, ac vniuerſalis ambiguum titulum, propter improbum ſenſum, quo ad faſtum, & arrogantiam à Conſtantinopolitanis flecteretur, Principatum tamen vniuerſalis Eccleſiæ vni Petro, ac Petri ſucceſſoribus Pontificibus aſſeruiſſe, adeòque ſibi ipſi vindicaſſe, ac toto conatu, totiſque viribus propugnaſſe? Vt argumento ſit, refugiſſe quidem illum, ac execratum fuiſſe, vocabulum, cuius eſſet dubia, anceps, & incerta poteſtas, ne eo ſemel admiſſo, etiam bono ſenſu, in alium tandem partem à ſuperbis hominibus ageretur, ac magno dignitatis Eccleſiaſticæ præiudicio inflecteretur. Principatum autem intelligit Gregorius, vt ex locis citatis apparet, non qui ſola charitate, quod blateterat Spalatenſis, nitatur, ſed qui auctoritate valeat, ac poteſtate emineat. Sed retexamus eius verba.

Spalat. n. 19. [Cura verò aliqua generalis, inquit, ex charitate, immò etiam ex officio; vt dicam capite 9. non facit hunc exorbitantem Papatum vniuerſalem; neque conſtituit vllum Epiſcopum in gradu Epiſcopi vniuerſalis cum plenitudine poteſtatis in vnico ſolo homine exiſtentis. Si igitur in miti illa ſignificatione ſumatur nomen Oecumenici, partibus integris remanentibus; facilè eſt oſtendere id non ſoli Romano competere; ſed etiã alijs Patriarchis omnibus, ac potiſſimùm Conſtantinopolitano; cuius cura vniuerſalis in multis apparet, vt vidimus cap. 4. & reuera in alio ſenſu ſe Oecumenicos numquam vocarunt Patriarchæ Conſtantinopolitani; niſi in hoc ſecundo, miti, & modeſto; vt ratione priuilegiorum aliquot, à conſuetudine, à Principibus, & ab Eccleſia conceſſorum, in vniuerſam aliquid poſſint Eccleſiam illi duo; Romanus, & Conſtantinopolitanus; quod alij nõ poſſint Patriarchæ. Ac proptereà (quod diligenter obſeruandum) ſe non Epiſcopos vocarũt Oecumenicos; ſed Patriarchas Oecumenicos: quia in Patriarchali, nõ Epiſcopali poteſtate, non nihil præminerent; Patriarchalis verò poteſtas tota eſt iuris poſitiui; non ità Epiſcopalis; quæ tota eſt iuris Diuini, & quia Patriarchalia quædam, hi duo Romanus, & Conſtantinopolitanus poterant; quæ non poterant alij tres Patriarchæ, ideò Oecumenici Patriarchæ titulo in modeſto ſenſu illi duo ſunt inſigniti; ad diſtinctionem reliquorum trium Patriarcharum, qui in iure illo pleniori Patriarchali, erant illis inferiores, immò etiam illis aliquo modo ſubiecti, quamuis in communi iure Patriarchali, & ipſi ſint ſupremi; vt traditum eſt à me libro tertio capite decimo.

Sit ergo noſter Papa Patriarcha vniuerſalis totius Eccleſiæ vniuerſalis; hoc ſenſu non repugno; ſed Epiſcopus vniuerſalis Eccleſiæ vniuerſalis proprius, nullo modo poteſt eſſe; vt iàm probaui. Ius porrò Patriarchale totum poſitiuum, ac limitatum nihil repugnat Eccleſiaſticæ Ariſtocratiæ iure Diuino inſtitutæ; & conſequenter immenſo Papatui nihil fauet. Ac interim moneo, Patriarchas omnes quamdam vniuerſalitatem prætendiſſe, propter ingentes regiones, quæ vnicuique Patriarchatui ſuberant. Et quia vnuſquiſque eorum primus erat, & ſupremus; nec de iure ordinario alteri ſubiectus; vt declaratum eſt libro tertio capite decimo. Ideò Paulus Conſtantinopolitanus Patriarcha, pœnitens ait; vt tradit Theophanes; vtinam ne vmquam in Sacerdotis throno ſediſſem; Eccleſia Dei (Conſtantinopolitana) tyrannidem patiente, præſertim cùm ſciſſa ſit à reliquis vniuerſalibus ſedibus, & anathematizata.]

Côcil. Flor. ſeſſ. 1. Ferrar. Et in Concilio Florentinò omnes Patriarchæ etiam Alexandrinus, Antiochenus, & Hieroſolymitanus vocantur Oecumenici. Ideòque Græci, tempore ſeptimæ Synodi generalis, reprehenſi ab Anaſtaſio Bibliothe-

ca-

cario, quòd ſuum Patriarcham Oecumenicum vocarent, & ſic eum totius Orbis Patriarcham viderentur facere, reſpondebant; Se illum vocare vniuerſalem, non quòd vniuerſi Orbis teneret Præſulatum, ſed quòd cuidam parti præſit Orbis. Neque profectò ſimpliciter hanc reſpuerim expoſitionem illius tituli. Nempè vt omnis Patriarcha dicatur *oicoymenicos*, quia præeminentiam quandam, & præſidentiam obtinet ſuprà partem benè magnam *tis oicoymenis*; adeòque cum paucis alijs *ti oicoymeni*; toti nempè Orbi Chriſtiano præſideat. Quo mihi videtur alludere Nilus ille Theſſalonicenſis, ſiue quis alius, qui de cauſis diſſenſionum, & Primatu Papæ ſcripſit; cùm Canonem ſextum Nicænum explicans dicit; Decretum fuiſſe, vt parti *tis oicoymenis* præeſſet Alexandrinum, parti Romanus, parti verò Antiochenus, nec liceret alteri aliena inuadere.

Nihilominùs tamen, præter hanc communem omnium Patriarcharum vniuerſalitatem, quæ vera vniuerſalitas non eſt, niſi valdè impropriè; nec verum nomen Ocumenici meretur; Romanus, & Conſtantinopolitanus adhuc maiorem habuerunt vniuerſalitatem; & prætenderunt verè in toto Orbe Chriſtiano, vt oſtendam cap. 9. & ſuprà ipſos, etiam reliquos Patriarchas; ad quorum diſtinctionem hi duo vocabantur Oecumenici Patriarchæ. Et quidem Conſtantinopolitanus, vt dixi, non ſe Epiſcopum Oecumenicum, ſed Patriarcham Oecumenicum vocauit; noſter verò Papa Romanus ſe Epiſcopum vniuerſalem facit totius Eccleſiæ vniuerſalis; qui eſt ille à Græcis tantoperè abominatus ſenſus; quo Epiſcoporum omnium dignitas, & poteſtas in vnum ſolùm confertur. Et hoc meritò viſum eſt Pelagio, & Gregorio intolerabile. Qui ſanè, ſicut Primatum illum modeſtiorem, alicuius ſuprà totam Eccleſiam præeminentiæ, ſoli Romano conuenire putarunt, & in eo ſocium habere Conſtantinopolitanum ægrè tulerunt; ità exorbitantem hunc Primatum Papalem, à quo adeò abhorruerunt; numquam ſunt auſi prætendere.

Et eſt mera vanitas Baronij, dum mordicus tenet Romanum ſolùm Epiſcopum verè eſſe vniuerſalis Eccleſiæ Epiſcopum vniuerſalem; ſed ex ſola humilitate nomen hoc reſpuiſſe Gregoriũ: ille enim in hoc nomine iniuriam grauiſſimam omnium Epiſcoporum contineri generali ratione profitebatur; & ridiculum eſt rem ipſam, quæ iniuſta eſt, indebitè, & cum aliorum iniuria retinere, nomen autem reſpuere: ſed qui nomen iniuriam continens reſpuebat, multò magis rem ipſam iniuriam facientem à ſe remouebat. Illam tamen humilitatem, & modeſtiam, immò, & iuſtitiam vniuerſam exuit paulò poſt Bonifacius tertius; dum à Phoca Imperatore impetrauit, vt ſolus Romanus Oecumenicus vocaretur; quod ei Phocas in odium Cyriaci Conſtantinopolitani libenter, ſed incaſſum conceſſit. A parricida ergo Phoca, non à Chriſto habet Epiſcopus Romanus, vt ſit Epiſcopus vniuerſalis. Qui tamen huiuſmodi Papatum ſibi aſſumit, Gregorio Magno teſte, fidem perdit; vt explico infrà capite decimo.]

Quod ad curam quandam generalem Principatum Pontificis reuocat, alia refutatione non indiget, cùm meridiana luce clariùs euicerimus, Gregorium verum, ac legitimum Primatum auctoritate præditum, ac ornatum intellexiſſe, ac Pontificibus aſſeruiſſe. Quod verò, vt Conſtantinopolitanos omni ambitu purget, addit, eos Oecumenici titulo vſos, *modeſto*, vt loquitur, *ſenſu*, quique in reliquos etiam Patriarchas conueniat, tam eſt à veritate alienum, vt pudeat eius inuerecundiæ. Nam præterquam quòd hunc Oecumenici titulum numquam cum reliquis Orientis Patriarchis participauit Conſtantinopolitanus, ſed eum ſemper vni aſſeruit; Annon conſtat, in eam inſolentiam tandem abreptum fuiſſe, vt ſibi ſumpſerit Orientis Concilia indicere, conuocare, regere, ac auctoritate Oecumenici Epiſcopi; ius etiam reliquis Patriarchis dicere, ac iudicata ab eis reſcindere, ac irritare, ad ſe vnum reuocata totius Orientis ſumma procuratione, ac gubernatione, quæ optimis Pontificibus Pelagio, & Gregorio, & antè hos Leoni Magno, bilem mouerit, & in Conſtantinopolitanum armauerit, quem proptereà tamquam nominis Epiſcopalis afflictorem, ac perditorem, inſolentiſſimumque vaſtatorem traduxerint, & eum in ordinem cogere ſtuduerint? Qua de re grauiſſimè in primis conqueritur Pelagius epiſtola, vt habet inſcriptio, ad dilectiſſimos fratres vniuerſos Epiſcopos, qui illicita vocatione Ioannis Conſtantinopolitani Epiſcopi ad Synodum Conſtantinopolim conuenerant, Miſſa.

[Relatum eſt, inquit, ad Apoſtolicam ſedem, Ioannem Conſtantinopolitanum Epiſcopum, vniuerſalem ſe ſcribere, voſque ex hac ſua præſumptione ad Synodum conuocare generalem, cùm generalium Synodorum conuocandi auctoritas, Apoſtolicæ ſedi B. Petri ſingulari priuilegio ſit tradita, & nulla vmquam Synodus rata legatur, quæ Apoſtolica auctoritate non fuerit fulta. Quapropter quicquid in prædicto veſtro conuenticulo, (qui Synodus taliter præſumpta, eſſe non potuit) ſtatuiſtis, ex auctoritate S. Petri Apoſtolorum Principis, & Domini Saluatoris voce, qua B. Petro poteſtatem ligandi, atque ſoluendi ipſe Saluator dedit, quæ etiam poteſtas in ſucceſſoribus eius indubitanter tranſiuit, præcipio, omnia, quæ ibi ſtatuiſtis, & vana, & caſſata eſſe, ità vt deinceps quàm appareant, nec ventilentur. Etenim ipſe Saluator B. Apoſtolo Petro, tamquam ipſa per ſe veritas loquitur, dicens: Quæcumque ligaueris ſuper terram, erunt ligata, & in Cœlo: & quæcumque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta & in Cœlo. Multis denuò Apoſtolicis, & Canonicis, atque Eccleſiaſticis inſtruimur regulis, non debere abſque ſententia Romani Pontificis Concilia celebrari: quapropter (vt iam dictum eſt) rectè non Concilium, ſed veſtrum conuenticulum, vel conciliabulum caſſatum: & quicquid in eo actum eſt, irritum habetur, & vacuum. Vos quoque deinceps, vt nullius hortatu talia præſumatis, ſi Apoſtolicæ Sedis communione carere non vultis.]

Pelag. Pap. 2. ep. 8.

Scilicet occaſione cauſæ Gregorij Antiocheni Epiſcopi, qui inuidia Præfectorum, & totius populi Antiocheni, grauiſſimi crimi-

nis

nis inſimulabatur, ac eius purgandi ſpecie, ac prætextu, Ioannes Conſtantinopolitanus Epiſcopus, ad quem ſe contulerat, hanc Synodum habuit, atque in ea per ſummam inſolentiam Oecumenici titulum ſibi vſurpauit, quod meritò Pelagio diſplicuit. Qua de re etiam Gregorius ad Eulogium: [Ante annos octo, inquit, ſanctæ memoriæ Pelagij prædeceſſoris mei tempore frater, & Coepiſcopus noſter Ioannes in Conſtantinopolitana Vrbe, ex cauſa alia occaſionem quærens, Synodum fecit, in qua ſe vniuerſalem appellare conatus eſt. Quod mox idem deceſſor meus, vt agnouit, directis literis ex auctoritate ſancti Petri Apoſtoli eiuſdem Synodi acta caſſauit: quarum videlicèt Epiſtolarum Sanctitati veſtræ exemplaria ſtudui deſtinare. Et alibi: Cognoſcat, inquit, fraternitas veſtra Ioannem Conſtantinopolitanum in Synodo ſuperbum, & peſtiferum Oecumenicum, hoc eſt, vniuerſalis ſibi vocabulum vſurpaſſe.] Haud igitur miti, ac modeſto ſenſu, quod habet Spalatenſis, ſed planè ſuperbo, ac furioſo, Oecumenici titulum ſibi vendicauit Conſtantinopolitanus, immò verò Imperatorum reſcriptis hunc ſuum ambitum firmari curauit. Extat ſcilicèt Leonis, & Conſtantini de ea re reſcriptum, quo non modò grandis, & alta, verùm immodica, ac enormis ei poteſtas tribuitur magno aliorum Patriarcharum præiudicio. [Omniū Metropoleon, inquiunt, & Epiſcopatuum, Monaſteriorumque, & Eccleſiarum cura, & iudicium ad proprium Patriarcham ſpectat, Conſtantinopolitano verò, licèt etiam in aliarum ſedium territorijs, in quibus hæc prerogatiua non eſt, crucium fixiones in templis concedere: neque hoc ſolùm, ſed & controuerſias in alijs ſedibus exortas dirimere, ac diiudicare poteſt.] Quo etiam recentiores Græci Canonem Chalcedonenſem inflectunt, ac torquent, vt Conſtantinopolitano ius appellationum aſſerant, ac ab alijs Patriarchis ad eum prouocari poſſe demonſtrent. Sic Nilus: [Vigeſimus octauus Canon, inquit, eiuſdem Synodi quartæ, & trigeſimus ſextus ſextæ, iiſdem prærogatiuis dignantes vtramque ſedem, manifeſtè etiam prouocationem Conſtantinopolitanæ Sedi tribuunt. Balſamon: Diximus, inquit, non eſſe, quæ de Papa conſtituta ſunt ſpecialia eius, & ſolius priuilegia, vt neceſſe habeat quiuis condemnatus Epiſcopus ad Sedem Romanam accedere, ſed etiam ſubaudiri ad ſedem Conſtantinopolitanam, eadem quoque rurſus dicimus.] Certè ipſe Anatolius, cùm Canone Conſtantinopolitano fretus ſecundum à Pontifice Romano locum vſurpandum ſibi duxiſſet, Oecumenicumque ſeſe oſtentare ſtatuiſſet, etiam ante Concilij Chalcedonenſis vllum decretum, ius ſibi ſumpſit in reliquos Orientis Patriarchas, ac ad ſe illorum ordinationes reuocare tentauit, qua de re vehementiſſimè conqueritur Leo Epiſtola ad Martianum Imperatorem: [Quia conuenit fidei veſtræ, inquit, vel gloriæ, vt ſicut hæreſis, Deo per vos agente, deſtructa eſt, ità etiam omnis ambitus retundatur: agite, quod & Chriſtianæ eſt probitatis, & regiæ, vt prædictus Epiſcopus pareat patribus, conſulat paci, neque ſibi æſtimet licuiſſe, quòd Antiochenæ Eccleſiæ ſine vllo exemplo, contrà ſtatuta Canonum, Epiſcopum ordinare præſumpſit, quod nos amore reparandæ fidei, & pacis ſtudio retractare ceſſauimus. Abſtineat ergo ab Eccleſiaſticarum iniuria regularum, & illicitos declinet exceſſus, ne ſe ab vniuerſali Eccleſia, dum inimica paci tentat, abſcindat.] Sed & ad Anatolium ſcribens, inſolentiſſimum hunc eius ambitum notat, atque iniuriæ Alexandrino, & Antiocheno Patriarchis factæ poſtulat, & arceſſit, quos ſcilicet ſibi ſubijcere tentaret. [Poſt illa itaque ordinationis tuæ, inquit, non inculpata principia, poſt conſecrationem Antiocheni Epiſcopi, quam tibimet contra Canonicam regulam vindicaſti, doleo etiam in hoc, dilectionem tuam eſſe prolapſam: vt ſacratiſſimas Nicænorum Canonum Conſtitutiones conareris infringere, tamquam opportunè ſe tibi hoc tempus obtulerit, quo ſecundi honoris priuilegium Sedes Alexandrina perdiderit, & Antiochena Eccleſia proprietatem tertiæ dignitatis amiſerit, vt his locis iuri tuo ſubditis, omnes Metropolitani Epiſcopi proprio honore priuentur.] Haud igitur modeſtiore illo, ac ſaniore ſenſu, ſe Oecumenicos, ac vniuerſales Epiſcopos venditare voluerunt Conſtantinopolitani Antiſtites, quos propterea pro viribus repreſſit Leo, ac eum ſequuti magni Pontifices Gelaſius, Pelagius, Gregorius.

Vaticinatur igitur Spalatenſis etiam ſequenti ſectione, qua modeſtiam Antiſtitum Conſtantinopolitanorum rurſùs venditat. [Et tantùm abeſt, inquit, Græcos vmquam in ſuo illo Oecumenico titulo Papatum abſolutum prætendiſſe, & eo ſenſu, quo adeò malè apud Pelagium, & Gregorium audijt, titulum hunc vſurpaſſe, ad ſignificandum videlicèt ſe habere in vniuerſam Eccleſiam ſupremum Præſulatum, vt etiam id prætendentem noſtrum Romanum ſemper plurimùm ſint ſtomachati, & interdùm etiam verbis obiurgarint. Ad Imperatorem Conſtantinopolitanum ſcripſerat literas Innocentius Tertius, vt eum ad opem ferendam Chriſtianis pro recuperatione terræ ſanctæ permoueret. Scripſerat etiam in eandem ſententiam ad Ioannem Patriarcham Conſtantinopolitanum: In vtriſque obiter attigit etiam aliquid de ſchiſmate Græcorum, monens, vt vnicam agnoſcerent Eccleſiam Romanam, matrem cæterarum, & totius Eccleſiæ vnicum caput, & vniuerſale. His reſpondens Patriarcha Ioannes, ſic ait; Quod autem mihi in tuæ Sanctitatis ſcripto non modicam ſuperinduxit ambiguitatem, non abſcondam; nam & pro miro habeo, quomodò vnam, & vniuerſalem Romanorum vocaſti Eccleſiam; vt quaſi diuiſam in ſpecies quaſdam ſpecialiſſimas; & hoc vno exiſtente grege ouilium Chriſti, nobis quodammodò Paſtoribus ſub eo conſtitutis, Paſtorum Principe, communique doctore? Quid ad hæc Innocentius? Audi.

Spalat. n.30. Innoc. III. l. 1. ep. 353. Id. ep. 354. Ibid lib. 1. ep. 199.

Spalat. n. 31. Ibid. lib. 2. ep. 200.

Nos autem inquiſitioni tuæ aliter reſpondemus, quòd Eccleſia duabus de cauſis vniuerſalis vocatur; intelligentia namque dictorum ex cauſis eſt aſſumenda dicendi, cùm non res ſermoni, ſed rei ſit ſermo ſubiectus. Dicitur enim vniuerſalis Eccleſia, quæ de vniuerſis conſtat Eccleſijs, quæ Græco vocabulo Catholica nominatur; & ſecundùm hanc acceptionem vocabuli, Eccleſia Romana non eſt

vni-

vniuerſalis Eccleſia, ſed pars vniuerſalis Eccleſiæ; prima videlicèt,& præcipua; veluti caput in corpore; quoniam in ea plenitudo poteſtatis exiſtit, ad cæteras autem pars aliqua plenitudinis deriuatur. Et dicitur vniuerſalis Eccleſia illa vna, quæ ſub ſe continet Eccleſias vniuerſas. Et ſecundùm hanc nominis rationem, Romana tantùm Eccleſia vniuerſalis nuncupatur; quoniam ipſa ſola ſingularis priuilegio dignitatis cæteris eſt prælata: ſicut & Deus vniuerſalis Dominus appellatur; non quaſi iam diuiſus in ſpecies, aut ſpecialiſſimas, aut etiam ſubalternas; ſed quoniam vniuerſa ſub eius dominio continentur. Eſt
Matth.16. enim vna generalis Eccleſia, de qua Veritas inquit ad Petrum; Tu es Petrus,& ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam: Et ſunt multæ particulares Eccleſiæ; de quibus Apo-
2. Cor. 11. ſtolus ait, Inſtantia mea, quotidiana ſollicitudo omnium Eccleſiarum; ex omnibus vna conſiſtit, tamquam ex particularibus generalis; & vna præeminet omnibus; quoniam cùm vnum ſit corpus Eccleſiæ, de quo dicit Apo-
Epheſ. 4. ſtolus: Omnes vnum corpus ſumus in Chriſto; illa velut caput cæteris membris excellit. Sic Innocentius.

Spalat. n.32. Hęc tamen mihi videntur,dubium Ioannis potiùs inuoluere, quàm ſoluere. Dubium eius erat, ſi Eccleſia Romana eſt vniuerſalis, ergo cæteræ Eccleſiæ ſunt ſpecies ipſius ſpecialiſſimæ; ſicut animal vniuerſale diuiditur per multas differentias,& diffunditur per omnes ſpecies tandem atomas, & ſpecialiſſimas; vt ſit iam totum animal in omnibus indiuiduis Hominis, Leonis, Equi, Bouis, & ſimilium. Aliam enim vniuerſalitatem non poterat reperire Ioannes in Eccleſia Romana: niſi quis dixiſſet, eam eſſe vniuerſalem, ideſt, totam; & in ipſa totam Chriſti Eccleſiam eſſe concluſam; ſed hoc aſſerere erat ſummæ ſtultitiæ. Siquidem extrà Romanam Eccleſiam ſint adhuc plurimæ aliæ; & fatetur Innocentius, eam, hoc ſenſu, non eſſe vniuerſalem; ſed partem totius Chriſti Eccleſiæ. Vniuerſalem tamen dicit eſſe; quia ſub ſe continet vniuerſas; quia prima pars eſt, & præcipua,velut caput in corpore. Quomodò verò hinc dicitur vniuerſalis? Certè ſi exiſtens ipſa vniuerſalis, continet ſub ſe omnes alias, eas continebit,vt vniuerſale genus ſuas ſpecies, & ſingula omnium ſpecierum indiuidua: & quod ait de capite,ſciat,caput non eſſe vniuerſale membrum ſui corporis; immò caput, quatenùs & ipſum membrum eſt, ac pars corporis, ſiue commembrum, nihil habet ſuprà reliquum corpus iuris, aut poteſtatis; vt ſuprà attigimus lib.1. cap.1. num. 4. Pars enim alicuius totius materialis, nihil aliud præſtat illi toti, niſi integritatem: & cuiuſque partis officium, vt pars eſt, aliud non eſt, niſi integrare, & ſolo ſitu inter ſe partes totius materialis diſtinguntur; aut etiam quantitate ſola; vt vna ſit maior, alia minor; quando omnes non ſunt inter ſe magnitudine æquales. Quòd ſi caput dicitur regere totum corpus; hac ratione non eſt membrum; neque pars corporis; ſed à membro contrà diſtinguitur, & tunc aliud eſt eſſe caput; aliud eſſe membrum; tunc enim caput conſideratur propter influxum, virtutes, & potentias, quæ in capite animalis reſident, & operantur. Quæ virtutes, & potentiæ, atque influxus, non integrant ampliùs corpus animalis; ſed fouent, regunt, & gubernant; & ſunt ab omnibus membris, & partibus integrantibus corpus animalis omninò diuerſæ. Pars enim, vt pars, numquam ſuum totum gubernat,ſed ſimul cum ſuo toto gubernatur, & quod gubernat aliquod totum, ab eo toto diuerſum conſideratur, & ſeparatum. Ità Eccleſia tota Chriſti, dicebat Ioannes, eſt totus magnus grex; Eccleſia verò Romana eſt pars huius gregis; pars verò gregis numquam regit reliquum gregem; ſed Paſtores, qui ſunt extrà gregem, gregem gubernant: Grex verò Chriſti, vt dicebat Cyprianus, vnus eſt magnus; ideſt, fidelium vniuerſitas; quæ eſt ipſa Eccleſia vniuerſalis; ſed in partes diuiſus, & ſingulis partibus ſunt ſui aſſignati ſinguli Paſtores, ſub vnico Paſtore, & Doctore Chriſto omnes conſtituti.

Romana ergo Eccleſia, cum pars ſit gregis; & pars in partem non dominetur, vt pars; ideò illa non regit alias Eccleſias, ſed ipſa quoque,vt vna ex Eccleſijs, à ſuo proprio Paſtore regitur, & gubernatur; qui ipſius Paſtor, ſimul cum reliquis omnibus paſtoribus, & eius Compaſtoribus, ſub vnico Paſtore Chriſto Domino eſt conſtitutus, qui ſolus Chriſtus eſt Rector, & Paſtor vniuerſalis totius Eccleſiæ; qui ſub ſe habet Paſtores omnes,tamquam ipſius ſeruos, & operarios; quibus non dominium, quod ipſe ſolus habet in totum hunc magnum gregem, ſed opus,& paſturam ſolam commiſit, ſibi dominium reſeruauit: ſicut ſi alicuius magni gregis verus Dominus proprietarius, ſed ſimul etiam profeſſione ſua Paſtor, qui plures ſub ſe haberet alios Paſtores ab ipſo conductos, & operarios, qui illum gregem, non vt proprium, ſed vt alienum, nimirùm huius Paſtoris, qui eſt etiam gregis Dominus, paſcerent, à grege tantiſper recederet, gregemque ſuum illis Paſtoribus ſuis famulis paſcendum commendaret; profectò nullum in eos transferret ſuper gregem dominium, nullam proprietatem,ſed ſolam curam paſcendi, & illi non ſuccederent huic gregis Domino in dominio, ſed in ſola cura Paſtorali;Ità Epiſcopi omnes,tamquam meri operarij Chriſti ſuccedunt Chriſto in ſola cura paſcendi, & ſinguli quidem pro ſua portione; dominium enim in totum gregem ſibi reſeruat Chriſtus, & ipſe ſolus eſt vniuerſalis, & Paſtor, & Dominus huius gregis: verumq; caput, in ratione capitis, non membri: quia ille ſolus virtute ſua gregem ipſum totũ, & ſimul Paſtores, viuificat, dirigit, & gubernat: Epiſcopus verò quiſque ſuam partem paſcit,& ſolius paſturæ curam gerit, nec inter Epiſcopos vllus eſt, qui non ſit ſeruus, & Paſtor, ad paſcendum tantùm, & non ad dominandum aſſumptus. Cura enim vnicuique Paſtori à Chriſto commiſſa eſt in gregem, & non in Paſtores; nam ipſe ſolus Paſtorum curam gerit; neque vllus eſt, qui Chriſti in dominio illo vniuerſali, totius gregis ſolus vices gerat, ſed omnes ſimul Epiſcopi in ſola cura Paſtorali, pro Chriſto ſupplent, & ſunt in ea ſola Chriſti Vicarij, & adminiſtri.

Quare, ſi etiam Innocentius ab Eccleſia Romana, quam caput fecit, & nihilominùs partem totius Eccleſiæ vniuerſalis,ſe ad ipſius Eccleſiæ Paſtorem reducat; & hunc velit eſſe

Spalat n 33.

caput

caput miniſteriale vniuerſale totius Eccleſiæ vniuerſalis, ſimiliter falletur, quia vniuerſalis Eccleſia magnus grex, cum ab vnico ſolo Paſtore puro homine paſci non poſſit, diuiſa eſt in partes; & per partes, pluribus aſſignata Paſtoribus, non diuiſim, ſed ſimul, & in ſolidum; vt eſt toties à me explicatum. Et hoc Ioannes obijciebat Innocentio; quod tamen ab eo nequaquam ſoluitur, ſed implicatur: vni enim ſoli Paſtori gregem hunc vniuerſum fuiſſe commiſſum à Chriſto, numquam probabit, immò & Euangelium, & fides, & Patres, & Eccleſia docent, eam pluribus fuiſſe ex æquo commendatam.

Et Deus quidem meritò dicitur Dominus vniuerſalis; ſed tamen non eſt diuiſus in ſpecies; neque dominium illud vniuerſale in quemquam tranſtulit, ſed ſibi ſoli perpetuò reſeruat. Quare, mera vanitas eſt, & præſumptio, ac vſurpatio, ſibi dominium in vniuerſalem Eccleſiam arrogare. Tu quæſo, ſtudioſe Lector, has Innocentij pro ſe adductas aſſertiones, & declarationes attentiùs conſidera, & planè perſpicies ab eo ipſum, immò ipſiſſimum Primatum, & illam ipſiſſimam vniuerſalitatem arrogari, quam Pelagius, & Gregorius tam acriter ſunt inſectati, ac proptereà eius conatum meritò abominaberis.] Quàm magno conatu magnas nugas dicit.

Primùm quidem veriſſimum eſt, Conſtantinopolitanos Antiſtites, quòd eos vires deficerent, numquam id molitos, vt vniuerſam Eccleſiam ſuæ Sedi ſubijcerent: Sed conſtat, totum Orientem ſibi aſſerere voluiſſe, vt ſcilicet, in illo Orbis terrarum tractu Oecumenici Epiſcopi audirent, non ſecùs ac Pontifex in vniuerſa Eccleſia. Hoc omninò colligitur ex bis, quæ Euſtachius Patriarcha Conſtantinopolitanus, ac reliqui Antiſtites Græci, Baſilio Imperatore, à Latinis ſibi concedi poſtularunt, vt pax ſanciretur.

Qua de re ſic Glaber: *Circa annum*, inquit, *Domini milleſimum vigeſimum quartum*
Glab. l. 4. cap. 1. *Conſtantinopolitanus Præſul cum ſuo Principe Baſilio, aliique nonnulli Græcorum conſilium iniere, quatenùs cum conſenſu Romani Pontificis liceret. Eccleſiam Conſtantinopolitanam in ſuo Orbe, ſicut Romana in vniuerſo, vniuerſalem dici, & haberi.*

Hæc ſcilicet Græcorum modeſtia fuit. Demùm inſulſiſſimè à ſchiſmaticis præſidium ducit, maximè verò à Ioanne illo, in cuius gratiam Innocentium tertium flagellat: ſed nos doctrinam optimi Pontificis ſuprà propugnauimus, quoque ſenſu Eccleſia Romana Oecumenica, & vniuerſalis dicatur, explicauimus.

Eò recurrito, ac noſtra expendito, facilèque euaneſcent illæ argutiarum nebulæ, quibus ſinceriſſimæ Innocentij diſputationi tenebras offundere conatur, Chriſtum vnum, ſummum Eccleſiæ Monarcham agnoſcimus, & prædicamus, à quo Pontifices gloriæ ſuæ radios ducant, quippè qui eius miniſtri ſint, ſed vera, ac legitima præditi in Eccleſiam auctoritate, quæ eos pro ſuis Principibus colat, quamquam Chriſti, cui omne genu flectitur, ſeruis: Sed ſunt hæc à nobis vberrimè in ſuperioribus explicata; & à nobis oſtenſum Vicarium caput dignitati Chriſti nihil quidquam detrahere.

Verùm iam palmare, vt ipſe putat, ex Gregorio verſat argumentum, cui tamen neruos ſuccidere facilè omninò ſit. [Argumen- Spalat. n. 34.
tum, inquit, illud Gregorij, quod nos ſuprà num. 22. vltimum, hoc eſt, ſeptimum in ordine recenſuimus, iam dignum eſt, quod ſeorſim à nobis conſideretur, vbi contendit, ſi in Eccleſia aliquis ſit Epiſcopus vniuerſalis, eo in hæreſim lapſo, totam Eccleſiam eiuſdem lapſus macula inficiendam, totamque hæreticam vocandam, quamdiù ſcilicet Epiſcopum ſuum proprium habet hæreticum. Ex Epiſcopi enim fide, totius Eccleſiæ, cui talis Epiſcopus præſit, pendet fides: oues enim ſuum paſtorem ſequuntur, ac niſi expellatur, oues etiam cum ipſo corruptę cenſentur. Propterrà Eccleſiæ particulares interdùm corruptæ, & hæreticæ, & fuerunt, & vocatæ ſunt plurimę; Eccleſia verò vniuerſalis, & tota numquam tanta infamia laborauit, neque laborare poteſt, quia illam totam numquam Chriſtus deſerit.

Ideòque ipſius fides, & bona æſtimatio non eſt in vnico homine erroribus obnoxio collocanda. O quàm præclarè cum tota Eccleſia actum eſſet; eique egregiè prouiſum; ſi illa vni ſoli tota homini in terris niteretur, vnicumque haberet Epiſcopum vniuerſalem, cum tota plenitudine poteſtatis; alij verò poteſtate iſta diminuti, illius tantummodò eſſent Vicarij, & adminiſtri.

Quid ſi iſte Eccleſiæ totius verus, & proprius Epiſcopus oſcitanter ageret, geniòque indulgeret, aut temporalia tantùm curaret, vt ſæpè fecerunt multi, (quid verò hodie faciant, ego neſcio) ſpiritualibus eorum proprijs miniſterijs penitùs contemptis? Quomodo ſe habebat Eccleſia, quando pueri penè infantes, quando ſceleſti homines, quando monſtra quædam in illam ſedem, vel irrepſerunt, vel intruſi ſunt?]

Reſpondeo igitur, equidem vim, & robur habere argumentum Gregorij, cùm vnus vniuerſalis, ac Oecumenicus celebratur Eccleſię Epiſcopus, penès quem ſit tota Epiſcopalis poteſtas, nec vlli alij, niſi Vicariorum titulo Epiſcopi cenſeantur, ſcilicet, cùm extrà totum nihil ſit ſumere, vt aiunt Philoſophi, ſi totus Epiſcopatus ad eum reuocetur, eo de gradu per hæreſim deiecto, nullum iam habet Epiſcopum Eccleſia, proindèque Eccleſiæ nomine excidit, quippè quæ ſine Epiſcopis exiſtere nequeat, at cùm ſolummodò Oecumenicus cenſetur Epiſcopus, qui principatum inter Epiſcopos gerit, ſarta, & integra permanente eorum auctoritate, vtcumque labatur, & corruat, tota non labitur, nec concidit Eccleſia, ſed reliquorum, qui in ordine ſtant, opera ſuſtentatur.

Addo verò, robuſtiſſimum eſſe Gregorij Argumentum aduersùs Conſtantinopolitanum, non item aduersùm Romanum Pontificem. Ratio diſcriminis eſt, quia pro Petro, cuius ſucceſſor eſt Pontifex, rogatum à Chriſto nouimus, ne eius fides labaſceret; *Ego*, inquit, *rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Quod nulla ratione in Conſtantinopolitanum Antiſtitem conuenit.

Sanè, Gregorius agnoſcit, Pontifici Ro- Lib. 4. ep. 32.
mano dictum, quod eſt Petro dictum. [Cunctis, inquit, Euangelium ſcientibus liquet,

quod

quòd voce Dominica Sancto, & omnium Apoſtolorum Petro Principi Apoſtolo totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt, Ipſi quippè dicitur, Petre amas me? Paſce oues meas. Ipſi dicitur: Ecce Satanas expetijt cribrare vos ſicut triticum, &c. Cura ei totius Eccleſiæ, & Principatus committitur, & tamen vniuerſalis Apoſtolus non vocatur: & vir ſanctiſſimus Conſacerdos meus Ioannes vocari vniuerſalis Epiſcopus conatur.]

Preterea Romanus Pontifex ſe vniuerſalem Epiſcopum non aſſerit, qui ſolus Epiſcopus ſit, & alios nomine, dignitate ac auctoritate ſpoliet, ac nudet: Vnde etiam, [Ex hac parte, inquit appoſitiſſimè Becanus, poſito, ſed non conceſſo, quòd poſſit fieri Hæreticus, non ſequeretur, labente Pontifice, totam Eccleſiam periclitari: nam illo labente, adhuc ſupereſſent multi Epiſcopi, & Sacerdotes, qui Eccleſiæ proſpicerent, vt temporibus Ioannis illius, de quo infrà, factum ſcimus, donec nouus eligeretur Pontifex.] Hæc duo igitur in argumento aduersùs Conſtantinopolitanos aſſumit Gregorius, multos Epiſcopos Conſtantinopolitanos in hæreſim lapſos fuiſſe, vt de Neſtorio, & Macedonio conſtat, ac eum, qui ſe vocat Epiſcopum, & Sacerdotem vniuerſalem eo ſenſu, quem ad ſe rapere velle Ioannes videretur, ſignificare ſe ſolum eſſe Epiſcopum, & Sacerdotem, ac reliquis omnibus nomen, honorem & poteſtatem Epiſcopalem detrahere. Quibus poſitis validiſſimum inſtruit aduersùs Conſtantinopolitanos argumentum.

Si, verbi gratia, Neſtorius, aut Macedonius fuiſſet Epiſcopus, & Sacerdos vniuerſalis, hoc eſt, ſolus Epiſcopus, ſequeretur totam Eccleſiam fuiſſe lapſam quando ipſe lapſus eſt, tunc enim cenſetur labi, ac concidere Eccleſia, quando nullus in ea perſeuerat Epiſcopus, hoc verò in Pontificem, vt oſtendimus, non conuenit.

Verùm exemplis è Pontificum hiſtoria depromptis nos premit aduerſarius. [Ioannes XII. inquit, puer, nondùm pubertate expleta, factus eſt Romanus Pontifex; cuius adoleſcentia ità vniuerſalem gubernauit Eccleſiam, vt Miſſam celebraret, ſed non communicaret; Diaconos in equorum ſtabulo ordinaret, Epiſcopos pretio crearet, & eos, quidem interdum pueros, decem annorum, ſacrilegia, inceſtus, ſtupra, & adulteria plurima impunè committeret. Confeſſarium ſuum oculis, & vita priuaret, Cardinaleſque virilibus eis amputatis, occideret; alios manu, lingua, digitis, naribus mutilaret; incendijs ſæuiret; enſe accinctus, galeatus, loricatus, & pharetratus incederet; Diabolique vinum ſortilegus in amorem biberet, ſeditiones, & arma in Imperatorem commoueret, Romanique ſanguinis magnæ effuſionis auctor eſſet; Epiſcopos flagellaret, & demùm in ſinu adulteræ, à Diabolo percuſſus, interierit. Benedictus IX. puer decennis, in Sede Romana Papa, intercedente theſaurorum pecunia, collocatus: turpitudine vitæ infamis, Sedem illam deturpauit. Vertat ſe, quo vult Baronius, ſiue hos faciat veros, & legitimos Pontifices; ſiue intruſos, & pſeudo-Papas, æquè vtrimque luit, & perit Eccleſia vniuerſalis, ſi volumus, Pontificem Romanum eſſe proprium Epiſcopum totius Eccleſiæ vniuerſalis.

Spalat. n. 34.

Illa enim nec *acephalos* eſſe poteſt; neque certè ab Epiſcopo puero, eoque ſceleſtiſſimo regi, ac dirigi, ſed fœdari; æquè ringitur, Mater Eccleſia, ſi Epiſcopus hic vniuerſalis verus ſit, atque ſi intruſus; illud malum; hoc peſſimus.

Quid ergo dicimus, Eccleſiam vniuerſam vnico vniuerſali ſubdi Epiſcopo; in quo huiuſmodi, nec infrequentia ſubeat pericula? Quis credat, æternam Chriſti ſapientiam voluiſſe gregem ſuum vniuerſum, quem ſanguine ſuo acquiſiuit, contra quem inferorum portæ non præualebunt, tantæ confuſioni, tamque apertis ſubdere periculis, vt ab vnico homine, immò etiam puero, & tot iniquitatibus obnoxio, pleniſſimè gubernetur, immò fœdiſſimè diſſipetur? Conſuluit Chriſtus meliùs, conſuluit Eccleſiæ ſuæ; dum illam, non ab vnico homine fragili, & imbecillo pendere; ſed à cætu magno plurimorum ſubpaſtorum in nomine Magni ouium Paſtoris congregatorum in ſolidum, coli voluit, & gubernari; vt vbi vnus deficit, ſtatim alius, alijue occurrant; etſi vnus degeneret, fiatque ex paſtore lupus; non indè tota quicquam patiatur Eccleſia vniuerſalis; ſed ſola illa particularis; cui reliquæ ſtatim opem ferant; ac præſertim circumuicinæ, vt eſt iam à me libro 3. præcedenti explicatum.] Hebr. 13.

[Quid dicam de Sergio tertio, qui Chriſtophorum Papam, ſic de Sede Romana deturbauit, vinculis aſtrinxit, & carcere macerauit, ac demùm in Monaſterium detruſit? Sicut idem Chriſtophorus, Leonem quintum è Sede illa expulerat, & ſe intruſerat. Plena ſunt illa tempora ordinationibus Paparum, exordinationibus, & ſuperordinationibus. Sergius porrò & inuaſione Papatus, & vitæ turpitudine infamis, & ſceleſtiſſimus vndequaque fuit. Audi Luitprandum: Theodora ſcortum impudens, huius Alberici, qui nuper hominem exuit, auia; quod dictu etiam nefandiſſimum eſt, Romanæ ciuitatis non inuiriliter Monarchiam obtinebat; quæ duas habuit natas, Maroziam, atque Theodoram, ſibi non ſolùm æquales, verùm etiam Veneris exortiuo promptiores. Spalàt. n. 35

Harum vna, Marozia, è Papa Sergio, cuius ſupra fecimus mentionem, Ioannem, qui poſt Ioannis Rauennatis obitum S.R.E. obtinuit dignitatem, nefario genuit adulterio. Ex Alberto autem Marchione, Albericum; qui noſtro poſt tempore Romanæ vrbis Principatum vſurpauit, &c.

His poſteà ſubdit Baronius iſta: quæ tunc facies Eccleſiæ Romanæ? Quàm fœdiſſima; cùm Romæ dominarentur potentiſſimæ æquè, ac ſordidiſſimæ meretrices? Quarum arbitrio mutarentur Sedes; darentur Epiſcopi, & quod auditu horrendum, & infandum eſt, intruderentur in ſedem Petri earum Amaſij, pſeudo-Pontifices, qui non ſint, niſi ad conſignanda tantùm tempora, in Catalogo Romanorum Pontificum ſcripti. Quis enim à ſcortis huiuſmodi intruſos, ſine lege, legitimos dicere poſſet Romanos fuiſſe Pontifices? Eadem ſanè Theodora ſcortum impudentiſſimum, effecerat, vt Lando Papa, Ioannem, quem illa turpiſſimè deperibat, & Rauennate Presbytero faceret primum Epiſco-

pum Bononienſem,tum verò Archiepiſcopum Rauennatem: Et illa eadem hunc ipſum Ioannem Amaſium ſuum, in Sede etiam Romana, mortuo Lando, collocauit: fuitque is Ioannes X. Eo igitur tempore infames meretriculæ vniuerſalem dicendæ ſunt rexiſſe Eccleſiam? Abſit hoc; regebant quidem Romanam, ſed non alias; quarum ſponſi Romanæ meretricis poculum fornicarium non bibebant.

Ibid an 897. num.6. Platina in vtroque. Stephanus VI. aliàs VII. & Sergius III. præclari ſcilicet Eccleſiæ vniuerſalis gubernatores, acta Formoſi Papæ omnia, ex ſolo odio reſciderunt; omneſque ad ſacros ordines à Formoſo promotos reordinari voluerunt; cadauerque Formoſi è ſepulchro tractum ille digitis priuauit; hic capitali ſupplicio, ac ſi viueret, affecit; corpuſque ipſius in Tiberim proiecit. Et talibus monſtris Chriſtus vniuerſalem Eccleſiam committeret?] Luctuoſiſſima Eccleſiæ tempora profert Spalatenſis, quibus ſub iugum tyrannorum miſſa Roma, Pontifices ſuos creare interdicta, portentis à ſæuis tyrannis ſibi Rectoribus impoſitis per ſummum ſcelus parere iuſſa ſit.

Cæterùm, vt hic Ioannes immanitatis, ſæuitiæ, nefandarum cupidinum, ac omnis generis ſcelerum à fideliſſimis hiſtoricis poſtuletur, ac damnetur, non eſt tamen, qui eum hæreſeos inſimulet; vt etiam propterea Eccleſia eum ferendum duxerit, ne ſcilicet ſchiſma, quo nihil deteriùs fingi poſſit, induceret. Qua de re ſic Baronius poſt recenſitos infamis monſtri natales. [Abortiuum iſtum, inquit, tunc parturijt Romæ tyrannis, vi pollens, armis omnia miſcens, omnia audens, atque ſubuertens, vt nullo pacto dicendus tunc fuerit legitimus iſte Pontifex, in cuius electione lex nulla ſit ſuffragata, ſed omnia vis, & metus impleuerint, cùm qui nec ætate Diaconus eſſe potuit, oſtenſus ſit, tamquam in ſcena mimus Pontificem agens. Attamen accedens conſenſus, hunc tolerandum,vtcumque perditiſſima illa tempora ſuaſerunt magis,quàm Eccleſiam ſchiſmate ſcindere, cuius vitandi cauſa, vrpotè mali omnium peſſimi, vniuerſa Catholica Eccleſia eum eſt venerata Pontificem, minoris ſciens eſſe mali monſtruoſum quantumlibet caput ferre, quàm duobus capitibus infamari, & ſecari corpus vnum in duo.]

Baron. tom. 10. an. 955.

Cùm autem ſcelera ſceleribus cumularet, ac in dies Eccleſiæ perniciosior euaderet, Epiſcopi Cardinales, totuſque Clerus abigendam hanc beſtiam curarunt, adeòque Otthonis Imperatoris, qui ex Germania Romam aduolaſſet, opera,de gradu deijciendum ſategerunt, propoſitis atrocioribus criminibus, quibus Pontificatus dignitatem polluiſſet,ac contaminaſſet. Quod his verbis expreſſit Luitprandus. [Poſt triduum, inquit, rogantibus tam Romanis Epiſcopis, quàm plebe,magnus in Sancti Petri Eccleſia fit conuentus: ſederuntque cum Imperatore Archiepiſcopi, &c.

Apud. Bar. to.10.an.963 Luitprand. l.6.c 7.

His ità reſidentibus, ſilentiumque ſummum tenentibus, ità eſt Sanctus Imperator exorſus: Quoniam decorum eſſet, tam claro, ſanctoque Papam Ioannem intereſſe Concilio: cur tantum declinauerit cœtum, vos ò Sancti Patres, conſulimus; quibus communis labor Eccleſiaſticus, ac commune negotium exiſtit. Tunc Romani Pontifices, Epiſcopi ſcilicet ſuffraganei, & Cardinales Presbyteri, ac Diaconi cum vniuerſa plebe dixerunt: Miramur ſanctiſſimam prudentiam veſtram,nos hoc velle percontari, quod nec Babylonicos, nec Ibericos, nec Indicos incolas latet; ità apertè diabolica pertractat negotia, vt nihil circuitionis vtatur. Imperator reſpondit. Iuſtum nobis videtur, vt accuſationes nominatim exprimantur. Deindè quod agendum eſt, communi conſilio pertractetur.

Tunc conſurgens Petrus Cardinalis Presbyter, ſe vidiſſe illum Miſſam celebraſſe, & non communicaſſe, teſtatus eſt. Ioannes Epiſcopus Narnienſis,& Ioannes Cardinalis Diaconus. ſe vidiſſe illum, Diaconum ordinaſſe in equorum ſtabulo non certis temporibus, ſunt profeſſi.

Benedictus cum cæteris Condiaconis, & Presbyteris dixit, ſe ſcire quòd ordinationes Epiſcoporum faceret pretio,& quòd annorum decem Epiſcopum in Tuderrina ciuitate ordinarit. De ſacrilegio non eſt neceſſe percontari, quia plus videndo, quàm audiendo ſcire potuiſſemus. De adulterio dixerunt,quòd oculis non viderant, ſed pro certo ſcirent, viduam Rainarij, & Stephanam Patris concubinam, & Annam viduam cum nepte ſua abuſum eſſe; & Sanctum Palatium lupanar,& proſtribulum feciſſe: Verationem dixerunt publicè exercuiſſe. Benedictum ſpiritualem Patrem ſuum lumine priuaſſe, & mox mortuum eſſe. Ioannem Cardinalem Subdiaconum virilibus amputatis occidiſſe, incendia feciſſe, enſe accinctum, galea, & lorica indutum fuiſſe, reſtati ſunt. Diaboli in amorem vinum bibiſse, omnes tam clerici, quàm laici acclamarunt. In ludo aleæ, iouis, Veneris, cæterorumque Dæmonum auxilium popoſciſſe dixerunt. Matutinas, & Canonicas horas eum non celebraſſe, nec ſigno Crucis ſe muniſſe profeſſi ſunt.

Hactenùs accuſationes. Sed mirum, quòd de eius intruſione in Sedem Apoſtolicam cùm adoleſcens eſset decem, & octo annorum, nullum ſit factum illi negotium. At ſcias id illi non humanitatis gratia eſse donatum, & indultum miſerationis ergò; ſed magno artificio prætermiſſum: etenim ſi fuiſſet Ioannis electio oſtenſa nulla: æquè Otthonis Imperium, quod acceperat à Ioanne,fuiſſet illegitimum declaratum, vtpotè collatum ab eo, qui Pontifex non fuiſſet. Sic igitur abſtinuit ab his Ottho, ne ſui abrogationem Imperij, eius damnatione procuraret. Pergunt Acta.

His auditis Imperator, quia Romani eius loquelam propriam, id eſt,Saxonicam, intelligere nequibant: Luitprando Cremonenſi Epiſcopo præcepit, vt Latino ſermone hæc Romanis omnibus, quæ ſequuntur, exprimeret. Surgens itaque ſic cœpit: Perſæpè contingit, & nobis expertis credimus, vt in dignitatibus conſtituti inuidorum infamia maculentur:diſplicet bonus malis,quemadmodùm, & malus bonis. Atque hoc rei eſt, quòd hanc in Papam accuſationem, quam modo Benedictus Cardinalis Diaconus Luitpr. l.6. cap.8.

legit,

legit, & vobiſcum fecit, amphibolam retinemus, incerti vtrum è zelo iuſtitiæ, ac impietatis liuore proruperit. Vnde mihi indigno ſecundùm conceſſæ dignitatis auctoritatem omnes obteſtor per Deum, quem fallere, & ſi vult, nemo poteſt, ſanctamque eius Genetricem intemeratam Virginem Mariam, perque pretioſiſſimum Apoſtolorum Principis corpus, in cuius hæc recitantur Eccleſia, vt nulla in Dominum Papã iaculentur conuitia, quæ non ſint ab ipſo patrata, atque à viris probatiſſimis viſa.

Tunc Epiſcopi, Diaconi, Clerus, & cunctus Romanorum populus, quaſi vir vnus dixerunt, ſi non, & quæ per Benedictum Diaconum lecta ſunt, hiſque turpiora, & ampliora, Ioannes Papa indigna commiſit facinora; non nos à peccatorum vinculis abſoluat Apoſtolorum Princeps beatus Petrus, qui verbo cœlum indignis claudit, iuſtis aperit: Simus anathematis vinculo innodati, atque in die nouiſſima in ſiniſtra parte poſiti cum eis, qui dixerunt Domino Deo; Recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus. Quod ſi fidem nobis non adhibetis, exercitui Domini Imperatoris ſaltem debetis credere, cui ante quinque dies enſe accinctus clypeo, galea. lorica indutus occurrit. Solus Tiberis, qui interfluxit, ne ſic ornatus ab exercitu caperetur, impediuit.

Mox ſanctus Imperator dixit: Tot ſunt huius rei teſte s, quot ſunt in noſtro exercitu bellatores. Sancta Synodus dixit: Si placet Domino Imperatori: Mittantur literæ Domino Papæ, vt adueniat, ſeque ex his omnibus purget. Tunc eidem ſunt literæ deſtinatę, quæ ſic ſe habent.

Summo Pontifici, & vniuerſali Papæ Domino Ianni, Ottho diuinæ reſpectu clementiæ Imperator Auguſtus, cum Archiepiſcopis Liguriæ, Tuſciæ, Saxoniæ, Franciæ in Domino ſalutem.

Romam ob ſeruitium Dei venientes, dum filios veſtros, Romanos ſcilicet Epiſcopos Cardinales, Presbyteros, Diaconos, & vniuerſam plebem de veſtra abſentia percontaremur, & quid cauſa eſſet, quòd nos Eccleſiæ veſtræ, veſtrique defenſores videre noluiſſetis: talia de vobis, tamque obſcœna protulerunt, vt ſi de hiſtrionibus dicerentur, nobis verecundiam ingererent. Quæ ne magnitudinem veſtram lateant omnia, quædam vobis ſub breuitate deſcribimus, quoniam ſi cuncta nominatim exprimere cuperemus, dies nobis non ſufficeret vnus. Noueritis itaque non à paucis, ſed ab omnibus tam veſtri, quàm alteriùs ordinis vos homicidij, periurij, ſacrilegij, & ex propria cognatione, atq; ex duabus ſororibus inceſti crimine eſſe accuſatos. Dicunt, & aliud auditu ipſo horridum, diaboli vos in amorem vinum bibiſſe: In ludo aleæ, Iouis, Veneris, cæterorumque Dæmonum auxilium popoſciſſe. Oramus itaque Paternitatem veſtram obnixè, venire, atque ex his vos omnibus purgare, non diſſimuletis: Si fortè vim temerariæ multitudinis formidatis, iuramento vobis affirmamus, nihil fieri præter Sanctorum Canonum ſanctionem. Dat. 8. Idus Nouembris. Pergit auctor.

Hanc Epiſtolam cùm legiſſet, huiuſmodi apologeticum ſcripſit. Ioannes Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei omnibus Epiſcopis. Nos audiuimus dicere, quòd vultis alium Papam facere, ſi hæc feceritis: Excommunico vos de Deo omnipotenti, vt non habeatis licentiam vllum ordinare, & Miſſam celebrare, Cùm hæc Epiſtola à Sancta Synodo legeretur, aduenerunt, qui priùs defuerant religioſi à Lotharingia, Henricus Treuirenſis Archiepiſcopus, ab Æmilia, & Liguria Wido Mutinenſis, Gezo Tortonenſis, Singulphus Placentinus. Quorum conſilio Domino Papæ: ità reſcribunt. Summo Pontifici, & vniuerſali Papæ Domino Ioanni, Ottho diuinæ reſpectu clementiæ Imperator Auguſtus, ſed, & Sancta Synodus Romæ ob ſeruitium Dei congregata in Domino ſalutem: Præterita Synodo, quæ celebrata eſt octauo Idus Nouembris, literas vobis direximus, in quibus accuſatorum verba, atque accuſationis cauſæ continebantur.

Rogauimus etiam ijſdem literis magnitudinem veſtram, quemadmodùm iuſtum eſt. A vobis non quales temporis qualitas; ſed inconſultorum vanitas expoſcit hominum, literas accepimus. Non veniendi ad Synodum rationabilis eſſe excuſatio debuit: ſed, & præſentes magnitudinis veſtræ debuerunt nuncij intereſſe, qui aut ęgritudinis, aut certè difficultatis cauſa ſatisfacerent ſanctam vos Synodum declinaſſe. Eſt, & aliud veſtris in literis ſcriptum, quod non Epiſcopum, ſed puerilem ineptiam ſcribere diceret: Excommunicaſtis enim omnes, vt non habeamus licentiam canendi Miſſam, ordinandi Eccleſiaſticas diſpoſitiones, ſi alium Romanæ Sedi conſtitueremus Epiſcopum. Ità enim ſcriptum erat: Non habeatis licentiam vllum ordinare. Nunc vſque putauimus, immò credimus, duo negatiua vnum facere dedicatiuum, niſi veſtra auctoritas priſcorum ſententias infirmaret auctorum.

Nos verò intentioni veſtræ, non verbis reſpondeamus. Si ad Synodum venire, & obiecta purgare non differtis: auctoritati veſtræ proculdubiò obediemus. Sed ſi (quod abſit) venire, & obiecta vobis capitalia crimina purgare diſſimulatis, cùm præſertim vos venire nihil impediat, non maris nauigatio, non corporis ægritudo, non itineris longitudo; tunc excommunicationem veſtrã paruipendemus, eam potiùs in vos retorquebimus, quoniam quidem iuſtè facere poſſumus. Iudas Domini noſtri Ieſu Chriſti proditor, immò venditor cum cæteris priùs ligandi, atque ſoluendi poteſtatem à Magiſtro in hæc verba accepit: Amen dico vobis, quæcumque alligaueritis ſuper terram, &c. Quamdiù enim bonus inter Diſcipulos fuit, ligare, atque ſoluere valuit: poſtquam verò cupiditatis veneno homicida factus, vitam occidere voluit: quem poſteà ligatum ſoluere, ſolutum ligare potuit, niſi ſeipſum, quem infœliciſſimo laqueo ſtrangulauit? Data decimo Kalend. Decembris, & miſſa per Hadrianum Cardinalem Presbyterum, & Benedictum Cardinalem Diaconum. Qui cùm ad Tyberim perueniſſent, eum non inuenerunt, pharetratus enim in Campeſtria iam abierat, nec quiſquam erat, qui vbi ipſe erat, indicare poſſet; Cumque eum inuenire non poſſent, cum

cum ijſdem literis ad ſanctam Synodum, quæ tunc tertiò eſt habita, ſunt reuerſi, Mox Imperator ait; Expectauimus aduentum eius, vt præſente eo, quod nobis egerit, quereremur. Verùm quoniam eum non affururum certò ſcimus: quàm perfidè nobiſcum egerit, vt diligenter agnoſcatis, etiam, atque etiam flagitamus.

Notum itàque vobis facimus Archiepiſcopis, Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, reliquoque Clero, necnon, & Comitibus, & Iudicibus, omnique plebi, quòd idem Ioannes Papa oppreſſus à Berengario, atque Adelberto rebellibus noſtris, miſit in Saxoniam Nuntios, rogans, vt pro amore Dei in Italiam veniremus, & Eccleſiam ſancti Petri, & ſeipſum ex faucibus eorum liberaremus.

Nos verò, Deo adiuuante, quantum fecerimus, non eſt neceſsè dicere, vt in præſentiarum videtis, Ereptus verò mea opera ex eorum manibus, & honori debito reſtitutus, oblitus iuramenti, & fidelitatis, quam mihi ſuprà corpus ſancti Petri promiſit, eundem Adelbertum Romam venire fecit, & contra me defendit, ſeditiones fecit, & videntibus noſtris militibus dux belli factus, lorica, & galea eſt indutus. Quid ſuper hoc ſancta Synodus decernat, edicat. Ad hæc Romani Pontifices, Suffraganei ſcilicet Epiſcopi, reliquuſque Clerus, & cunctus populus dixerunt. Inauditum vulnus, inaudito eſt cauterio exurendum. Si corruptis moribus ſibi ſoli, & non cunctis obeſſet; quoquo modo tolerandus eſſet; Quot priùs caſti huius facti ſunt imitatione inceſti? quot probi huius exemplo conuerſationis ſunt reprobi? petimus itàque magnitudinem imperij, monſtrum illud nulla virtute redemptum à vitijs, à ſancta Romana Eccleſia pelli, aliumque loco eius conſtitui, qui nobis exemplo bonæ conuerſationis præeſſe valeat, & prodeſſe ſibi: rectè viuat, & benè viuendi nobis exemplum præbeat.

Tunc Imperator: Placet, inquit, quod dicitis; nihilque gratiùs nobis, quàm vt talis, qui huic ſanctæ, & vniuerſali Sedi præponatur, inueniri poſſit. His dictis omnes vna voce dixerunt: Leonem venerabilem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Protoſcriniarium virum approbatum ad ſummum Sacerdotij gradum, nobis in Paſtorem eligimus, vt ſit ſummus, & vniuerſalis Papa Romanæ Eccleſiæ, reprobato ob mores improbos Ioanne Apoſtata.

Cùm hoc omnes tertiò dixiſſent, annuente Imperatore, nominatim Leonem ad Lateranenſe Palatium, ſecundùm conſuetudinem cum Cardinalibus ducunt, & certo tempore in Eccleſia ſancti Petri ad ſummum Sacerdotium ſancta conſecratione attollunt, & fideles ſe ei affuturos iureiurando promittunt.]

Quamquam verò, quod rectè aduertit Baronius, plùs ſibi, & Imperator, & Epiſcopi vſurparint, quàm leges Eccleſiæ paterentur, adeòque, vt ipſi loquuntur, inauditum vulnus inaudito cauterio ſanare tentarint; apparet tamen portentoſiſſimi Pontificis horrendo lapſu reliquam minimè concidiſſe Eccleſiam; quamquam, & hic lapſus, vt monebamus, morum, non fidei vitium fuit, vt propterea ab eo præſidium ducere non potuerit Spalatenſis. Nec enim vitæ improbitas Pontificem confeſtim auctoritate nudat.

De Benedicto IX. iſta ex Baronio accipe: [In Ioannis locum, inquit, hoc eodem anno ſubrogatum fuiſſe eius ſucceſſorem Benedictum, habet Hermannus, Sigebertus, & alij. Cùm (proh nefas) tyrannide Alberici Comitis Tuſculani, eius filius puer in ſacroſanctam Petri Sedem intruditur, monſtrum erigitur, ſtatuiturque portentum. Cùm enim morte duorum germanorum Pontificum Benedicti, atque Ioannis, è domo ſua Pontificatum diù retentum egredi, ægro animo ferret: ne id fieret, cùm alium non haberet, filium, quem habebat ætate puerum, malis artibus in Petri Cathedram Angelis reuerendam idem Albericus intruſit.

Baron. to. 11 ann. 1033.

En vides, quæ ſint à Principibus tolerando, cùm immiſcent ſe quacumque via in electione Romanorum Pontificum, ob idque declamaui ſæpiùs, & exclamare non deſinam, & commouere præſentes, & pòſt futuros fratres meos S. R. E. Cardinales, vt pro viribus ad ſanguinem vſque certare laborent, quò omnem Principibus aditum ad electionem Romanorum Pontificum obſtruant, cùm nihil hoc funeſtiùs pati Romana Eccleſia conſueuerit, & pluribus ſummo ipſius damno contigerit demonſtrari, cùm eos non Principes adiutores, ſed tyrannos perſecutores, in electione Pontificum eſt experta. Quid potuit Romanæ Eccleſiæ duriùs, ac luctuoſiùs contigiſſe, quàm, vt qui tyrannide lupi ſunt, de Paſtore creando decernant, & curent? Quorum illud vnum ſtudium ſit, vt præficiatur ouibus Paſtor ignauus, quo ipſis liberum ſit, cùm velint, in oues irrumpere? Numquam audiatur ampliùs tyrannis iſta in Eccleſia Dei, vt Pontificem cogatur accipere à Principibus.

Iſta cùm legunt facta perditiſſimi Nouatores, Eccleſiæ Romanæ infeſtiſſimi perduelles, vociferantur in eam, exclamantque apparere ex ijs in ea ſtigmata Antichriſti, ità quos furor armat; & diabolicus ſpiritus agitat, in blaſphemias concitati prorumpunt. Quos miſeros ità animo pacato compello: Facit ne iſta Eccleſia ipſa Romana, an patitur, cùm in eam indignus intruditur, & monſtrum aliquod ſeculari potentia in ſacroſanctam illam Sedem prouehitur, & exaltatur? Sed quòd pati iſta coacta ſit, iam ipſa facta ſuperiùs enarrata declarant, & quæ ſunt dicenda monſtrabunt. Quæ ratio patitur, quæ charitas perſuadet, quæ iudicij recti diſcretio imperat, vt præter omne ius, faſque ità inſurgatis in eam? Veluti cùm quis in hominem incidat à latronibus ſpoliatum, vulneribus confoſſum, ſauciatum, in luto ex ſuo ſanguine volutatum, ſemiuiuum relictum, in foueamque præcipitatum: non in graſſatores ipſos ſæuiſſimos, ac ſceleſtiſſimos inuehatur, deteſtetúrque eos, contumelijs, atque maledictis vltricibus imperat; ſed ea conuertat probra cuncta in ærumnoſum illum, ac miſerum miſeriarum planè omnium ſcopum, eiuſque non alliget vulnera compaſſione, ſed confricans detractione, ſcalpenſque blaſphemijs, maiore crudelitate faciat recrudeſcere?

Ità

Ità planè, qui deteriora paſſam temporibus iſtis Romanam Eccleſiam conſpicantes, nihil patientes ſuper contritione Ioſeph, neque condolentes ſuffocatæ iuſtitiæ, ſed concitati furore, perciti amaro zelo, acti liuore, nou in auctores malnrum iacula probrorum intorquent, ſed in eam arcu ferreo obduratæ perfidiæ ſagittas venenatas immittunt, vnde magis dolens ipſa illud exclamare cogatur; Et ſuper dnlorem vulnerum meorum addiderunt. Cùm potiùs: Si qua conſolatio in Chriſto, ſi qno ſolatium charitatis, ſi qua ſocietas ſpiritus, ſi qua viſcera miſerationis in eis eſſent, vtique exemplo Samaritani compatientes, nou blaſphemantes, aliquod exhibere ſolatium eidem Eccleſiæ afflictæ nimiùm, atque adeò immaniter lancinatæ curaſſent. Quæ etſi interdùm ad tempus depreſſa, ſed non deſtituta, ſibi benè conſcia à Deo factæ promiſſionis (nempè, quod etſi affligi poſſit, perdi non poſſit) illnd Dauidicum repetitum ſæpiùs meditetur ſumma conſtantia: Sæpè expugnauerunt me à iuuentute mea, etenim non potuerunt mihi, ſuprà dorſum meum fabricauerunt peccatores, prolongauerunt iniquitatem ſuam: Dominus iuſtus, concidet ceruices peccatorum: confundantur, & conuertantur retrorsùm omnes, qui oderunt Sion.] Hæc quoque in ſe contorta agnoſcat Spalatenſis, memineritque, neque huoc Benedictum hæreſeos arceſſitum.

Quod ad Sergium attinet Chriſtophori vexatorem, etiam huius facinora, & clades ab Eccleſia à tyrannis acceptas explicat poſt alios Conditor Annalium. [Subrogatus eſt, Baron. to.10 ann. 907. inquit, in locum ipſius Leo eius nominis quintus, patria Ardeatinus, quem breuitas temporis, qno ſedit, reddit obſcurum: nam tantùm dies quadraginta Eccleſiam gubernaſſe tradunt veteres, res Romanorum Pontificum proſequuti; pulſum verò, atque detruſum in carcerem à Chriſtophoro, quem ſediſſe poſt eum affirmant; ſed nec Chriſtophori Sedem ſteriſſe immotam, ſed poſt menſes ſeptem deturbatum à Sergio inuaſore ęquè confirmant, quod contigit anno ſequenti. Sunt hæc planè tempora, inopia Scriptorum obſcura, & tyrannide Sedem Apoſtolicam inuadentium tetra.

Chriſti anno 908. indictione vndecima inchoato, rursùm prauorum turbis, & factionibus, inuaſionibus, & graſſationibus tyrannorum Romana vehementer perturbatur Eccleſia: ſiquidem Chriſtophorus violenter è Sede pellitur, vinculis ſtringitur, in carcerem truditur, atque vitam monaſticam amplecti cogitur: vbi autem mortuus eſt, ſepultus fuit in Baſilica ſancti Petri, cuius ſepulchro hanc vnico verſu appoſitam inſcriptionem, Manlius, qui exſcripſit ſic recitat:

Hic pia Chriſtophori requieſcunt membra ſepulti.

Exurgit rursùs hoc eiecto Sergius ille nefandus, quem audiſti in Formoſum Papam, ità ſæuiſſe.

Potens iſte armis Marchionis Tuſciæ Adelberti, homo vitiorum omnium ſeruus, facinoroſiſſimus omnium, quæ intentata reliquit? Inuaſit iſte Sedem Chriſtophori, non Formoſi (vt memoria lapſus aſſeruit Luitprandus) quem quidem conſtat poſt malum ingreſſum, deterioremque progreſſum, peſſimum denique eſſe conſecutum egreſſum.

De quo Sigebertus hæc, anno ſuperiori, habet in ſua Chronographia: Sergius Romanæ Eccleſiæ centeſimus vigeſimus præſidet. Iſte eſt Sergius Diaconus propter Formoſum à Papatu reprobatus, qui ab eodem Formoſo Epiſcopus factus, ad Francos ſe contulit, & eorum auxilio Chriſtophorum inuaſorem capiens, & in carcerem trudens, latenter Romam ingreſſus, Papatum inuaſit, & Romanos minis, & terroribus perpulit, vt omnes ordinationes Formoſi irritas haberent, &c.

Sed hæc ſuperiùs, ſuo loco ſunt dicta de ſacrilegio ab ipſo in Formoſum poſt eius obitum perpetrato. In quibus corrigendus Sigebertus, dum ordinatum à Formoſo Epiſcopum Sergium dicit, quem Acta Synodalia ſuperiùs recitata, non niſi Presbyterum nominent, Luitprandus verò eum ex Diacono arripuiſſe ſibi nomen Pontificis tradit. Cæterùm ab omnibus non legitimus Pontifex, ſed conclamatur inuaſor, vt non mireris, ſi (quod audiſti ex Sigeberto) ordinationes Formoſi repulit, ſed parùm iſtud, niſi alias ſuperinduxiſſet ordinationes.

Sunt hæc infęliciſſima illa tempora, cùm alter alterius res geſtas, intruſus quiſque Pontifex aboleret, quæ damnans, & execrans huius temporis Auctor Auxilius nomine, ſuo proſecutus eſt ſtylo, de qno hæc Sigebertus, cùm agit de Scriptoribus Eccleſiaſticis, viris illuſtribus; Auxilius, inquit, ſcripſit Dialogum ſub perſona Inſenſoris, & Defenſoris: Diuinis, & Canonicis exemplis munitum, contra inteſtinam diſcordiam Romanæ Eccleſiæ, ſcilicet de ordinationibus, & ſuperordinationibus Romanorum Pontificum, & ordinatorum ab eis exordinationibus, & ſuperordinationibus. Hæc de argumento, in quo Auxilius ſuo verſatus commentario.

Perpetrata ſunt iſta ab inuaſoribus, & intruſis Apoſtolicam Sedem Pontificis nomen vſurpantibus, & illegitimè thronum Apoſtolicum inuadentibus. Verùm legitimè creati Romani Pontifices (vt Ioannes Nonus, de qno nuper) iſta vehementer ſunt execrati. Cæterùm cùm huiuſmodi inuaſores Sedis Apoſtolicæ inualuere, quid adeò mirandum ſit, ſi inconceſſa ſacris legibus ab illis tentata fuerint, & vſurpata? Quid minùs habet alienorum inuaſor à graſſatore? At ab iſtis quis iuſta, legitimaque requirat.]

Præterquam quòd igitur, nec iſte Sergius hæreſeos inſimulatur, inuaſor fuit, non legitimus Cathedræ Petri ſucceſſor, vt proindè præſidium ab eo ducere etiam non poſſit Spalatenſis: [Quid de Liberio, & Vigilio dicemus? inquit, Audiamus Petrum Damianũ; Hinc eſt enim, ait, quòd omnes ordinationes, quæ à Liberio (hæretico videlicet, ac ſeditioſo) factæ ſunt, in ſui ſtatus noſcuntur immobilitate ſeruatæ. Porrò Liberius perfidiæ deceptus errore, Arianæ hæreſi ſubſcripſiſſe dignoſcitur, ac per eius tranſgreſſionem nefandiſſima ſcelera ſunt commiſſa. Multi quoque Sacerdotes, & Clerici per eius malitiam ſunt perempti, reſeruati verò Catholici, non ſolùm ab Eccleſijs, ſed etiam à locis ſunt prohi- Spalat.n.3

prohibiti. Liberius itàque factus Apoſtata ſex annorum ſpatia ſuperuixit.

Quid de Papa Vigilio dicam, qui nimirùm ſceleratus, & impius; Iſtum denique noueris eſſe Vigilium, qui primus Bonifacio Papæ molitus eſt inſidias; quatenùs eo viuente Apoſtolicam Sedem ſacrilegus obtineret, ſed reſiſtente ſenatu, conatus illicitos, & nefarios implere non potuit. Poſtmodùm verò ſolitis machinationibus Siluerium Papam aggreſſus eſt Apoſtolica dignitate priuare; quod ille mox animaduertens, Synodale Concilium congregauit, vbi auctoritate Spiritus ſancti, & Apoſtolica poteſtate, eum, vt re vera Simoniacum, & inuaſorem Eccleſiæ, anathematis vinculis obligauit.

Vigilius tamen, vt ſacrilega mente conceperat, per imperialem potentiam, datamque pecuniam, & falſorum teſtium adminiculo prędictum Papam Siluerium nequiter condemnauit, monachicisque veſtibus induit, & ad Pontias in exilium deſtinauit, ſuſtentans eum pane tribulationis, & aqua anguſtiæ; ibique Felix Papa ille Confeſſor factus, defunctus, ac ſepultus eſt; ad cuius tumulum nonnulli ſanabantur infirmi. Vigilius autem dignis anathematis nexibus irretitus reus inſuper homicidij nefarijs auſibus ſe Papam inſtituit. Hucuſque Petrus Damianus: Hilarius verò in Liberium anathema, tanquam in hæreticum Arianum vibrat.

Hilar. in fragm. in ep. Liber.

Siricij oſcitantiam dicat Hieronymus; vt pro ipſo fidei defenſionem in Romana Eccleſia mulierem vnam, ideſt Marcellam, ſuſcipere fuerit neceſsè. Honorij hæreſim hic prætermitto, & aliorum ſcelera grauiſſima, ſeu intolerabilem negligentiam, ne videar in detegendis Patrum, vtcunque paterno nomine indigniſſimorum, verendis nimiùm curioſus. Hæc tamen pauca propterea retulerim, vt pateat, diuinam prouidentiam non eſſe talem, vt voluerit ſuam Eccleſiam vniuerſalem totam vni homini fragili, & erroribus pluribus obnoxio committere; & conſequenter eam, & infamiæ maculis, & tot aliorum damnorum periculis exponere.

Spalat. n. 37. Hier. ep. 16.

Et hoc optimè conſiderauit etiam Gerbertus Rhemenſis, vt videbimus capite ſequenti. Meritò ergo Gregorius vehementer abhorruit, ne quis aſſereret in Eccleſia Chriſti eſſe vnicum Epiſcopum vniuerſalem: & qui Epiſcopi Oecumenici titulum eſt tantoperè inſectatus, multò magis rem tali titulo ſignificatam ab Eccleſia exterminandam eſſe, & cenſebat, & docebat. Ac iam de Gregorio, & Pelagio ſatis. Nunc quæ fuerint Romanis Pontificibus huius vniuerſalitatis vſurpandæ occaſiones, inquiramus.]

Agamus primùm de Liberio. Sectarij omnes hæreſeos poſtulant, ſed reclamat Bellarminus, in quem propterea inſurgunt Witakerus, Sutliuius, Sibrandus, Danæus, Chamierus, Iunius; Sed ſuccurrit, ac fert opem fortiſſimus Athleta Gretſerus. [Bellarminus, inquit, dicit, Liberium, nec hæreſim docuiſſe, nec hæreticum fuiſſe; ſed ſolùm peccaſſe actu externo, quando metu coactus, & tædio diuturni exilij impulſus, damnationem Athanaſij ſuo ſuffragio confirmauit, & cum hæreticis communicauit. Agglomerant Caluiniſtæ multos auctores; qui Liberium hæreſi, & ſectæ Arianæ ſubſcripſiſſe dicant. In his ponit Sibrandus Contractum, Rhegionem, Marianum Scotum, Faſciculum temporum, compilationem Chronologicam, Platinam,] Adde Petrum Damianũ, cuius teſtimonio vtitur Spalatenſis, [quibus addit Chamierus Sabellicum Ennead. 7. lib. 8. Witakerus, Martinum Polonum, Vincentium in ſpeculo; Aquinatem, Turrecrematam, Cuſanum, Alphonſum de Caſtro, qui omnes ſunt recentiores, & aliquot ſeculis, à ſeculo Liberij diſtantes, ac proindè minùs idonei rei priſcæ teſtes. Adde, nullum ex dictis affirmare, Liberium corde, & animo Arianum fuiſſe: omnia eorum dicta, de ſolo actu externo, vi tormentorum, & fortitudine mortis, & diuturnioris exilij extorto. Quod etiam de antiquis tectè aſſeritur.

Gretſ. in def. Bellar. tom. 2. ca. 9. lib. 3.

Verba ſancti Athanaſij in epiſtola ad ſolitarios ſunt iſta. Liberius deindè poſt exactum in exilio biennium, inflexus eſt, minisque mortis ad ſubſcriptionem inductus eſt, verùm illud ipſum quoque, & eorum violentiam, & Liberij in hæreſim odium, & ſuum pro Athanaſio ſuffragium, cum liberos affectus habebat, ſatis coarguit. Quæ enim per tormenta contra priorem eius ſententiam extorta ſunt, ea iam non metuentium, ſed ità cogentium voluntates habendæ ſunt. Vbi apertè vides, Athanaſium Liberij ſubſcriptionem coactioni adſcribere; & palàm dicere; non tam fuiſſe à voluntate Liberij, quàm eorum, à quibus Liberius cogebatur. Nec quidquam ſcribit Athanaſius, quod nos compellat credere, Liberium, verè, etiam actu interno, hęreſim Arianam complexum eſſe.

Quid, quòd ſanctus Athanaſius non agit directè de ſubſcriptione hæreſeos, ſed tantùm de ſubſcriptione in damnationem Athanaſij: quod longè aliud eſt. Nàm potuit quis abſque approbatione hæreſeos in damnationem Athanaſij conſentire: Quamuis enim Conſtantius Imp. dictitare ſoleret, teſte ſancto Athanaſio: Obſequere, & ſcribere contra Athanaſium, qui enim contra eum ſcribit, ille planè nobiſcum Arianas ſententias amplectitur, tamen id ſimpliciter non erat neceſſarium, poterat enim quis animo deteſtari hæreſim Arianam, & in damnationem Athanaſij ſubſcribere, non propter fidem eius, ſed ob crimina, quæ ei obijciebantur, vel vt redimeret hæreticorum vexationem, vel alias ob cauſas. Quod quidem factum nequaquam decebat Liberium, ſed tamen ſine vllo hæreſeos crimine ab eo fieri potuit. Nec ſanctus Athanaſius de hoc piaculo Liberium accuſat, immò ſubſcriptionem ipſam, vt vidimus, valdè excuſat, culpam potiùs in coactores, quàm in ipſum Liberium referens. Nec etiam neceſſe fuit, vt animo ipſam damnationem Athanaſij comprobaret, nam metu maioris mali poteſt Catholicus impelli, vt Catholicum, ſolo actu externo, mente prorſùs inuita, ac fragante condemnet, vt non ſemel accidit.

Quoniam verò, qui condemnationem Athanaſij, Catholicæ fidei, & probitatis laude ſpectantiſſimi, calculo ſuo comprobant, hoc ipſo cenſebantur ad Arianos tranſire, (licèt reuera animo Arianam perfidiam deteſtarentur) præſertim ſi etiam communicatio

cum

cum Arianis interueniret, vt hic interuenit; hinc factum eſt, vt veterum nonnulli Liberium hæreſi ſubſcripſiſſe ſcriberent.

Subſcripſit enim, vt Bellarminus ait, interpretatiuè, quia tum ſubſcriptiones contra Athanaſium moris erat ità interpretari.

Ex quibus lux allucet his D. Hieronymus lib. de viris illuſt. in Fortunatiano. In hoc habetur deteſtabilis, (Fortunatianus) quòd Liberium, Romanæ Vrbis Epiſcopum, pro fide ad exilium pergentem primus ſollicitauit ac fregit, & ad ſubſcriptionem contra Athanaſium, quæ tunc cenſebatur ſubſcriptio hæreſeos.

Idem ſanctus Hieronymus in Chronico, Liberius tædio victus exilij, in hæreticam prauitatem ſubſcribens, Romam quaſi victor intrauit, nimirùm in hæreticam prauitatem exiſtimatus eſt ſubſcripſiſſe, quia ſubſcripſerat contra Athanaſium. Nec plus euincitur ex libro Pontificali in vita Liberij, nec ex epiſtolis ipſius Liberij, quas manuſcriptas legit Bellarminus in Vaticana Bibliotheca, & quæ extant in noua editione operum S. Hilarij, quam dedit Lutetia anno Chr. 1605. quas etiam Annalibus ſuis intexuit Card. Baronius anno Redemptoris 357.

Et tamen Sibrandus, & Chamierus multùm præſidij cauſæ ſuæ contra Liberium ſubſcripſiſſe contra Athanaſium: Quod vltrò fatemur, nec excuſamus à crimine, ſed ab hæreſi. Illud item indè euincent, Liberium ſubſcripſiſſe non Arianæ, ſed Sirmienſi Confeſſioni contra Photinum, vt copiosè, & accuratè probat Baronius anno cit. num. 46. & ſeqq. in qua nihil erat ſanæ, & Orthodoxæ fidei aduerſùm, cùm eam, vt Catholicam acceptet, & explanet S. Hilarius.

Addit Bellarminus, Liberium etiam ſubſcripſiſſe confeſſioni factæ per Encænia Eccleſiæ Antiochenæ, quam ſimiliter S. Hilarius lib. de Synodis, tamquam Catholicam exponit. Calumniatur Iunius. Bellarminum per imprudentiam *arianizein*: non enim Hilarium expoſuiſſe duas illas fidei expoſitiones, niſi quatenùs eum Orthodoxa fide congruũt. Quis de hoc dubitat? At congruunt omninò, nam quòd ſubſtantialis vox omiſſa eſt, nihil Orthodoxiæ detrahit, quandoquidem nihil in Symbolis illis apparet, quod rei vocabulo huic ſubiectæ aduerſetur. Nec verum eſt eius loco *tò omoioyſion* in illis profeſſionibus apud Hilarium ſuffectum eſſe. Et quamuis *toy omoyſioy* vox aliquamdiù prauo ſenſu ab Hæreticis eſſet vſurpata, non ſequitur tamen eam notione maligna à Liberio ſua in confeſſione poſitam, qua antequam Sirmio excederet, excommunicabat omnes *toys mi cat oyſian cai catá panta omoion to patri ton yon apophainontas*, qui non ſecundùm omnia filium Patri ſimilem eſſe dicerent, quod, vt rectè monet Baronius, nihil eſt, quàm dicere, filium eſſe Patri conſubſtantialem: Et ſi planiùs id per vocabulum *toy omoyſioy* ſignificaſſet Liberius, quo tamen tunc, propter Arianos, conſultò abſtinuit.

Hinc Ariani, & Semiariani in conuenticulo Sirmienſi æquè abdicarunt, & reiecerunt vocabulum *toy omeyſioy*, ac *toy omoyſiioy*, vt docet S. Hilarius lib. de Synod., & ſimiliter S. Athanaſius lib. de Synod.]

Hactenùs Gretſerus, cui ſimilia tradidimus in examine iniquitatis Pleſſæi. Cæterùm & hoc addendum ſit, ex quo Liberius in Athanaſij damnationem conſenſit, vnde vix fuit, vt hæreſeos notam effugeret, ampliùs pro legitimo Pontifice Eccleſiam Romanam non coluiſſe, ſed detractam illi hanc dignitatem in Felicem contuliſſe, qui cùm initio vſurpatæ Sedis Arianus audiret, nuntio hæreſi remiſſo, aut ſaltem hoc rumore purgato, ſe ad Orthodoxos receperat, fidemque Catholicam erat profeſſus. Liberius tandem, mortuo Felice, ac omni hæreſeos ſuſpicione depulſa, Sedem ſuam recepit.

Veniamus ad Vigilium improbè in Sedem Petri inuolaſſe, ac opera Theodoræ impiæ Imperatricis depulſo ſanctiſſimo Pontifice Silnerio per neſandum ſcelus Pontificios faſces ſibi aſſeruiſſe hominem etiam hæreſi pollutum agnoſcunt Baronius, Bellarminus, & reliqui Orthodoxi. Sed illis initijs pro Pontifice non habent, cum enim vniuerſus Clerus Romanus tamquam peſtem, & flammam Eccleſiæ tunc ſit auerſatus, & execratus.

Sed tandem mortuo Silnerio, è cuius tumulo, & oſſibus miraculorum flores erumperent, ac enaſcerentur, religione adductus à ſcelerato propoſito reſilijt, Orthodoxumque ſe ſe profeſſus, non modò aſſentiente Clero legitimum Pontificatum obtinuit, verùm etiam auitorum inſtitutorum defenſorem ſe egregium præbuit.

Quod totum aurea oratione explicauit Baronius. [Cæterùm, inquit, qui vocat ea, quæ non ſunt, tamquam ea quæ ſunt, & de tenebris facit lucem ſplendeſcere, non alium, quàm ſeipſum eſſe, qui regit Iſrael, & deducit velut ouem Ioſeph., vult à cunctis intelligi, dum ſinit aliquando Res Romanæ Eccleſiæ titubare, in ſummumque diſcrimen adduci, atque penè periclitari: vt cùm omnis fermè ſpes videri poſſit eſſe conſumpta, & animo concidant, deficiantque ipſi, qui contra vehementes ventorum flatus nituntur, & laborant in remigando, tunc ipſe ex improuiſo appareat, atque dicat: Confidite, ego ſum, nolite timere. Sum ego, qui eidem Cœli claues tradidi, & inferorum, quò ſcirent omnes, cœlicolas ipſum habere ſocios, & inferis damnari. Ego ipſe ſum, qui ne aliquis eius ſucceſſor poſſet diffidere de meritis, poſt triplicis reatum negationis eidem Petro vniverſalis gregis credidi præfecturam. Ego inſuper ille ipſe ſum, qui eidem aliquando dixi: Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Baron to 7. ann. 540.

Ne videlicet, quilibet ſucceſſor eius clauium tenens, ad impetum tumentium fluctuum timeret quaſſari nauiculam, vel in ſcopulos illiſam frangi, diſſoluique ſi impingat in Syrtes, cui magis ſit metuenda infida ſecuritas, ne in littore otioſa conſiſtens cœno putreſcat, & alga ſepeliatur, quàm à ſæuo flante Aquilone tempeſtas.

Sic igitur ex inſperato tandem poſt diras, quibus agitata eſt Eccleſia Romana, procellas, imperante Deo ventis, & mari, facta eſt tranquillitas magna, cùm hactenùs ad malum Vigilius vigilaſſet, cœpit pro vniuer-

ſo grege agere vigil excubias, vbi legitimus eſſe cœpit Epiſcopus. Quomodò autem hęc facta ſint, audiamus.

His igitur, quæ dicta ſunt, à Vigilio legitimè de Sedis abdicatione completis: mox ſtudia Beliſarij, vt idem eligeretur Pontifex, ſuffragantur, populum ad id petendum impellentis, atque Senatum. Tunc Clerus in maximas coniectus anguſtias, quid ageret, agitabat diù, multùmque mutuis conſultationibus: primùmque longè abhorrens, vt hominem tot criminibus implicatum in ſedem eueheret Pontificiam, id præſertim ſacris Eccleſiæ legibus prohibentibus: Sed quòd immineret periculum, ne obſequens Vigilius votis Auguſtæ, eandem Sedem Apoſtolicam (quod numquam acciderat) ſi non hæreſi, ſaltem communicatione cum hæreticis inita macularet, ab eius electione ſe magis, magiſque exhibuit alienum.

Magna quidem erant iſta: adeò vt ad eligendum Vigilium nullis adduci rationibus poſſent, qui eſſent optimi; ſed omnes vt ab execrando facinore, ab eius electione longè longiùs abhorrere, ſuadebat ipſa recti amans ratio. Contrà verò accuratiùs rem expendentes, manifeſtè cernebant, ſi quemcumque alium eligerent ſummum Pontificem, ſcindendam mox fore Eccleſiam diro ſchiſmate, quòd potentia ſeculari ex ſententia, iuſſiſque Theodoræ Auguſtæ rurſùs euehendus in Pontificiam Sedem Vigilius eſſet, rurſùs idolum collocandum in templo, conſpiciendamque abominationem deſolationis ſtantem in loco ſancto; per quem timerent ſimul cum ſciſmate etiam hæreſim inducendam, vt potè indigentem Vigilium auxilijs Theodoræ, vt in ſede ſemel adepta contineri, firmarique poſſet, in gratiam ipſius cuncta facturum contra illum, quem Clerus elegiſſet Romanum Pontificem, foreque, vt alius numquam ſeſſurus eſſet, quouſque viueret Theodora.

His inſuper addebatur, quòd cùm Vigilij perſona, quam diù ob oculos habuiſſent, ſatis perſpectam haberent, nempè eſſe hominem revera Catholicum, honoris tamen cupiditate flagrantem, cuius rei cauſa ſeſe turpiſſimè Theodoræ Auguſtæ inſtar mancipij vendidiſſet: ſalubre illud conſilium inierunt, vt ipſum quoque modo poſſent, ab Imperatrice redimerent, impenſo illi honore, quem cuperet, ſibique ità hominem vendicarent, atque hoc modo arctioribus nexibus obligarent: duplicem indè ſe conſecuturos eſſe vtilitatem videntes, nempè, & ab imminente ſchiſmate, & ab irrepente hæreſi Eccleſiam Romanam reddendam forè ſecuram. Sic igitur diuinitùs inſpirato conſilio (vt exitus declarauit) communi ſententiæ inhærentes, more maiorum ſolemnibus ritibus rem agentes, accipienteſque ab ipſo Vigilio Catholicæ fidei promiſſionem vnà cum hæreſum, & hæreticorum omnium exercitatione, euehunt ipſum in Pontificium thronum, creantque Romanum Pontificem ſexto (vt dictum eſt) die à morte Siluerij, quarto Kalendas Iulij.]

[Hæc quidem cuncta Dei nutu eſſe facta probauit euentus: ſiquidem nouo exemplo accidit, vt qui ad maledicendum populo Dei Propheta antea fuiſſet inductus, idem ad benedicendum eidem conuerteretur, & qui miſſus fuerat homicida, in Prophetam Deum laudantem continuò mutaretur. Fuit iſta planè mutatio dexteræ excelſi, & inſigne miraculum, quo perſpicuum factum eſt, Dei prouidentia Romanam Eccleſiam ſolicitiùs gubernari, vt in quouis diſcrimine conſtituta, ſit penitùs liberanda; quod diuina ſit promiſſione ſecura, vt à portis inferi ſemper illæſa permaneat; & mirifica quadam transformatione, quos iniquos accepit, ſoleat mox reddere ſanctos, vt eidem fixè mox ipſi inhærentes ſacræ Petræ, ſuper quam Chriſtus ſuam fundauit Eccleſiam, inſtar polypi ipſius colorem accipiant, & quod maius eſt, eiuſdem quoque conſequantur robur, & firmitatem. Siquidem probarunt euenta (quod apparuit tanquam oſtentum) ipſum, qui hactenùs ſterilis arundo fuit, & mobilis in diuerſa agitata pro diuerſitate ventorum, in firmam, ſtabilemque Petram eſſe conuerſum, ſolido inhęrentem in Eccleſia poſito fundamento. Hęc de electione Vigilij, ſeculari quoque nobilitate clariſſimi, filij nimirùm (vt Anaſtaſius habet (Ioannis Conſulis.

Horum gratia ſcitò non ob aliam, quòd Clero non adeò liberum eſſet, quicquid vellet liberè agere, dictum à ſancto Gregorio, ab Hormiſdæ tempore vſque ad Vigilium fuiſſe Romanorum Pontificum ordinationes expoſitas: ſunt enim hæc eius verba. De ordinationibus verò Apoſtolicæ Sedis Pontificum, vtrùm poſt beatiſſimum virum Hormiſdam aliqua ſint addita, charitas veſtra requirit: ſed vſque ad Vigilij Papæ tempora expoſitas ordinationes Præſulum eſſe cognoſcas. Hęc ipſe. Haud tamen ob id Deus ipſam ſuam dereliquit Eccleſiam; ſed cùm ipſe eidem præſideret Antiſtes, mala cuncta obuiantia conuertere ſciuit in bonum, ipſoſque lupos in gregem irruentes in optimos mutare Paſtores, vt omnes intelligerent, eſſe Deum, qui regat Iſrael.

Quis enim non intelligat, iſta de electione Vigilij improbi hominis diuino conſilio eſſe permiſſa, ne quis contemnendum putet, ſi quem viderit non meritis, ſed nomine tantùm referentem Petrum, ſedere ſuprà Apoſtolicam Sedem Pontificem? Memor, & vmbræ Petri immenſam à Deo præſtitam eſſe virtutem: nam etſi quid inane eſſe vmbra prorſùs appareat, corpus tamen ipſum ſole illuſtratum oſtendit; ſicque ex diuina facta Petro promiſſione, qui vmbra tantùm eius corporis ſua imbecillitate videri poſſent creati Pontifices, eoſdem tamen non eſſe Apoſtolicæ virtutis expertes; prout euentu rerum in Vigilio factum intelliges, nec quidem aliquo temporis interuallo; ſed (quod magna admiratione dignum eſt) ſtatim, vbi legitima electione Petri thronum conſcendit, Sacerdotale robur accepit, & conſtantiam induit Pontificiam: vt planè ad confutandas hæreſes, atque hæreticos viſus ſit accepiſſe à Domino Apoſtolatum, omnem ſpem penitùs adimens aliter de ſe ſperandi ijs, qui eum, vt vidimus, ad praua quæque perpetranda perlexerant. Quo enim tempore expectabatur, vt poſt Siluerij obitum reuocaret (quod fuerat ipſe antea Theodoræ Auguſtæ pollicitus) Anthimum Epiſcopum ab Agapeto damnatum Conſtantino-

tino-

tinopoli; tunc aduersùs eum, atque collegas, ipſius hæreticos irrogatum in ipſos anathema, illud iterans, confirmauit.]

[Sciendum eſt, inquit Bellarminus, Anthemium hæreticum depoſitum fuiſſe ab Agapeto Romano Pontifice de Epiſcopatu Conſtantinopolitano: Deindè Imperatricem petiuiſſe à Siluerio Agapeti ſucceſſore, vt Anthemium reſtitueret. Quo recuſante, Vigilium tunc Archidiaconum, promiſiſſe Imperatrici, ſe Authemium reuocaturum, ſi poſſet Romanus Pontifex fieri, continuò autem iuſſu Imperatricis, opera Beliſarij fuiſſe ſanctum Siluerium expulſum de ſua ſede in exilium, & Vigilium creatum Papam, ſeu potiùs Antipapam.

Bellarm. de Rom. Pont. lib. 4. c. 10.

Quo tempore non eſſet mirum, ſi errare in fide, & etiam hæreticus planè eſſe potuiſſet. Quamquam ne tunc quidem definiuit aliquid contra fidem tamquam Pontifex, neque animo hæreticus fuit. Siquidem epiſtolam ſcripſit nefariam quidem, & Chriſtiano homine indignam, tamen in ea Catholicam fidem non damnauit palàm, neque hæretico animo; ſed occultè propter cupiditatem præſidendi, vt Liberatus dicit, & ex epiſtola ipſa Vigilij apparet: ſcribit enim, vt caueant ne epiſtolam illam vllus videat, & vt omnia ſint occulta vſque ad tempus. Erat enim tunc Vigilius in anguſtijs ſummis, in quas eum ambitio ſua coniecerat.

Nam ſi palàm ſe hæreticum profiteretur, metuebat Romanos, qui hæreticum ſedere in Petri Cathedra numquam paſſuri videbantur, ſi è contrario Catholicum profiteretur, metuebat Imperatricem hæreticam, cuius opera Pontificatum adeptus fuerat. Itàque rationem illam excogitauit, vt Romæ Catholicum ageret, & interim per literas apud Imperatricem hæreticum ſimularet.]

[Contigit autem paulò pòſt, vt Siluerius moreretur, & Vigilius, qui eo vſque in ſchiſmate ſederat, inciperet iam ſolus, & legitimus Pontifex eſſe, nimirùm confirmante, & accipiente eum Clero, & populo Romano. Ab hoc verò tempore nullus inuentus eſt in Vigilio, aut error, aut erroris ſimulatio: ſed ſumma conſtantia in fide vſque ad mortem, vt appareat cum ipſo Pontificatu firmitatem fidei eum accepiſſe, & de leui palea in ſolidiſſimam Petram commutatum fuiſſe.

Nam cùm Imperatrix Theodora hæretica freta occultis literis, & promiſſione Vigilij, peteret ab eo vt Anthemium Patriarcham prædictum, ſicut promiſerat, reſtitueret, ille reſcripſit ſe temerè promiſiſſe, grauiterque ea promiſſione peccaſſe, & ideò non poſſe, nec velle implere, quæ promiſerat, ne peccata peccatis adderet.

Quocirca ab irata Imperatrice in exilium miſſus fuit, & miſerè vexatus vſque ad mortem. Id quod non ſolùm ſcribitur in Pontificali, ſed etiam annotarunt Paulus Diaconus in vita Iuſtiniani, & Aimonius libro 2. capite 32. de geſtis Francorum, & ipſi etiam Magdeburgenſes Centuria ſexta, capite 10. in vita Vigilij, idem etiam indicat breuiſſimè Liberatus in fine capitis 22. vbi dicit: Vigilium ab illa ipſa hæreſi, quam initio occultè fouerat, miſerè poſteà afflictum fuiſſe.]

[Denique Vigilium, poſt mortem Siluerij verum, & ſanctum Pontificem fuiſſe, teſtantur omnes illi, qui illo ipſo tempore viuentes ſcripſerunt aliquid de Vigilio. Gregorius I. lib. 2. epiſt. 36. ad Epiſcopos Hiberniæ: Recordandæ, inquit, memoriæ Vigilius Papæ in Vrbe regia conſtitutus, contra Theodoram tunc Auguſtam, vel Acephalos, damnationis promulgauit ſententiam. Caſſiodorus libro de diuinis lectionibus cap. 1. Origenem, inquit, præſenti tempore à Vigilio Papa viro beatiſſimo conſtat eſſe damnatum. Arator præfationem Actorum Apoſtolicorum, quę ipſe carmine ſcripſit, & Vigilio Papę dedicauit, ſic incipit: Domino ſancto beatiſſimo Apoſtolico, & in toto Orbe primo omnium Sacerdotum Papæ Vigilio. Denique cònſtat ex Euagrio libro 4. capite 37. à Vigilio confirmatam fuiſſe 5. Synodum generalem, in qua damnata eſt hæreſis illa, quam Theodora fouebat, & de qua ipſe Vigilius ab aduerſarijs accuſatur.] Siricium ſuprà purgauimus.

Sed nec Hieronymus aliud in eo notat, quàm quòd homo candidi pectoris Ruffinum, qui ſe in eius familiaritatem inſinuarat, ratus Orthodoxum & Catholicum, ei non reſtiterit, nec eius conatus initio repreſſerit. Verba Hieronymi ſunt: [Sancta Marcella, inquit, quæ diù ſe cohibuerat, ne per æmulationem quippiam facere videretur, poſtquam ſenſit fidem Apoſtolico ore laudatam in pleriſque violari, ità vt Sacerdotes quoque, & nonnullos Monachorum, maximèque ſeculi homines, in aſſenſum ſui traheret, ac ſimplicitati illuderet Epiſcopi, qui de ſuo ingenio cæteros æſtimabat, publicè reſtitit.] Heir. ep. 16.

Cæterùm qualis, quantuſque fuerit Siricius, accipe ex Ambroſio, ac collegis Epiſcopis. *Recognouimus*, inquiunt, *literis Sanctitatis tuæ boni Paſtoris excubias, qui fideliter commiſſam tibi ianuam ſerues, & pia ſollicitudine Chriſti ouile cuſtodias, dignus, quem oues Domini audiant, & ſequantur: & ideò quia noſti ouiculas Chriſti, lupos facilè deprehendes, & occurres, quaſi prouidus Paſtor, ne iſti morſibus perfidiæ ſuæ, feralique vlulatu Dominicum ouile diſpergant*. Honorium omnes ſectarij hæreſeos poſtulant.

Ambr. ep. 7. Siric. Pap.

Sed reclamant Orthodoxi, Baronius, Bellarminus, Gretſerus, & reliqui apud quos extant prolixæ diſputationes, à quibus recitandis ſuperſedemus, quòd aduerſarius eum accuſaſſe contentus, nullus rationibus crimen probauerit. Quis igitur innocens eſſe poterit, quod aiebat ille, ſi accuſare ſufficiat? Abeunt igitur in fumos, quæ ſunt à deſortore in innocentes Pontifices iactata. Neque inſtructum aduersùs Patriarchas Conſtantinopolitanos argumentum horum exemplorum robore in noſtros Pontifices inflecti poſſit, quicquid blateret aduerſarius: vt enim homines ſint Pontifices, peccato, & vitio obnoxij, tamen de Cathedra differentes, aut pronuntiantes errare non ſinit Spiritus ille veritatis, quem, vt fidem Petri fulciret, oratione ſua Eccleſiæ ſuæ ſummis Eccleſiæ Paſtoribus conciliauit Chriſtus; *Ego*, inquit, *rogaui pro te, Petre, vt non deficiat fides tua*. Luc. 22.

Iam Gregorium relinquit, & Pelagium, & aliò properat. [Vniuerſalis Eccleſiæ Caput, hoc ingens toti corpori graue ambitio po- Spalat n. 38.

potiſſimùm Romana genuit. Qui quidem Papatus monſtruoſus non ſtatim totus in lucem eſt editus: ſed paulatim diuerſis ſe occaſionibus offerentibus, & per partes acceptis ſubindè incrementis, ex informi, imbecilloque embrione in validum & maturum fœtum adoleuit: tandemque exactis temporibus partus ille infœlix, totique Eccleſiæ infeſtus, ex vtero prodijt. Immenſum eſſet, formationes huius monſtri hìc omnes numerare; multas iam vſurpationes poſuimus in præcedentibus; plurimas in ſubſequentibus ſuis quaſque locis reponemus; hìc tamen inſignes quaſdam, ſiue occaſiones extruendi, erigendique Papatus, ſiue Monarchiæ vſurpationes, partim artificioſas, partim violentas, commemorabo.]

Spalat. n. 39. Romanæ profectò vrbis excellentia, Curiæ Imperialis commoditas, Imperatorum præſentia, & cum ipſis frequens familiaritas, ſine quibus nullum vnquam graue Eccleſiaſticum negotium potuit ad optatum exitum perduci, occaſio ampla fuerunt Epiſcopis Romanis intumeſcendi; ſeſeque nimiùm efferendi. Erat porrò natiuum Romanum vitium ſuperbia, vt obſeruat Hieronymus ex illis verbis Pauli, Romanam ſuperbiam ſugillantibus; Noli altum ſapere, ſed time. Vt non ſitis vobis ſapientes. Non plus ſapere, quàm oportet ſapere. Non alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes. Nolite eſſe prudentes apud voſmetipſos, &c.

Hieron. in prooem. l. 2. in epiſt. ad Galat.

Rom. 12.

Sed de Eccleſiaſticorum Romanorum ſuperbia Phariſaica quantum conqueratur idem Hieronymus; ſupra vidimus. Grauiùs Baſilius; Quale nobis, inquit, auxilium ab Occidentalium ſupercilio, & faſtu aderit? In vniuerſum hoc literis volebam (Romano Papæ) ſignificare; non per afflictiones oppreſſis, humiliatiſque pœnam eſſe irrogandam, neque dignitatem æſtimandam ſuperbiam; quod etiam ſolum peccatum Deum inimicum reddere ſufficit.]

Et alibi: [Odi, inquit, faſtum illius Eccleſiæ. Paulinus quoque de ſuperba Vrbici Papæ (Siricij) diſcretione queritur. Eandem ſuperbiam obiecerunt poſteà rursùm Orientales Romano Pontifici; dum nimio rigore ſchiſma faciebat; abrumpens communionem cum ipſo Oriente propter Acacium; qui hæreticus non fuit, ſed iuſtis de cauſis, vt ipſi Orientales cenſuerunt, cum hæretico Petro Alexandrino communicarat, (de quo aliàs.) Superbiæ nimiæ, & arrogantiæ Gelaſium inſimularant; vt ex ipſis Gelaſij epiſtolis ſit manifeſtum; ſic enim ille ſcribit ad Anaſtaſium Auguſtum: ſed adhuc Apoſtolicam Sedem ſibi medicinalia ſuggerentem, ſuperbam vocare, arrogantemq; contendunt. Habet hoc qualitas ſæpè languentium, vt accuſent magis medicos, congruis obſeruationibus ad ſalubria reuocantes; quàm vt ipſi ſuos noxios appetitus deponere, vel reprobare conſentiant, &c.

Spalat. n. 40. Mirum igitur eſſe non debet, ſi, vbi faſtus, & ſuperbia dominatur, ibi etiam ſupra alios dominium, & imperium, vbi non licet, per fas, per nefas conquiratur, & data quacumque occaſione dominatum prætendendi, illa non prætermittatur, ſed alienæ poteſtatis vſurpatione ad dominandum inſurgatur. Id in noſtro Domino Papa contigiſſe eſt manifeſtum; occaſione enim aliquorum priuilegiorum, quæ ei partim ex Apoſtolica fundatione, partim ex conſuetudine eccleſiaſtica, & Patrum decretis, partim ex vrbis dignitate, & Imperatorum præſentia, ac conceſſionibus (vt vidimus ſupra capite 3. & infrà capite 9. meliùs explicabitur) negari non debent, intrà limites priuilegiorum nolens ſe continere, paulatim ità exundauit, vt Monarchiam ad ſe ſolùm, compreſſis omnibus, & Patriarchis, & Primatibus, & Epiſcopis (quemadmodùm ex parte oſtendi lib. 3. capite 12. & ſuis alijs locis adhuc clariùs oſtendetur) plenam attraxerit, & indebitè occupauerit.

In quo ei primùm Imperatorum ſtudia, vt aliàs monui, plurimùm fauerunt; ſed nihilominùs etiam in officio illum continebant; Nam ſi aliquid contra Canones ad aliorum Primatum, & Epiſcoporum depreſſionem conabatur, ijs reclamantibus, & ab ipſis Imperatoribus, ab indebitis abſtinere cogebatur. Caſus itàque Imperij fuit prima, & præcipua Romanæ Eccleſiaſticæ Monarchiæ erectio; ſublato enim correctore, laxatis frænis, in tyrannidem facilè præceps ruit: ad quod Reguli ex cineribus Imperij ſuſcitati, & ipſius ope indigentes, in hoc illum plurimùm iuuarunt.]

Carolum, ille, magnum, Regem potentiſſimum, qui Imperium penè totius Occidentis Imperatori erectum ſibi ſubiugarat; Imperiali titulo, & dignitate ſua, non Eccleſiaſtica vlla, & Epiſcopali, ſed Laica decorauit poteſtate, quàm vel vt Reipubl. membrum præcipuum, & Romanæ ciuitatis pars ſingularis; nimirùm vnus & præcipuus ex ipſius proceribus, vt oſtendam libro ſexto, obtinebat: vel vſurpatione etiam, & in Imperatores iam in Italia debiles rebellationibus excitatis, & promotis ſibi comparabat. Carolus verò, vicibus repenſis, ei terrenum non exiguum conceſſit in Italia Principatum, & ex Epiſcopo fecit Regem. Terreno itàque, nec contemnendo auctus Principatu, tantò faciliùs Eccleſiam opprimere eique libertatem, quam à Chriſto illa habuit, eripere potuit; & eam ſibi totam in Occidente ſubiugare. Quis enim ei ex Prælatis Eccleſiaſticis reſiſteret, quos Imperator nouus, alijque Reges, & Principes Papæ addictiſſimi ne mutire quidem contra Papam permittebant? Immò verò Papatu eximio iam erecto, vt fieri ſolet, poſteà inter ipſos viros Eccleſiaſticos adulatores ſunt exorti; qui vſurpatam Monarchiam ſcriptis ſtabilire, & vanis commentis, & figmentis defendere ſunt conati, & quem Primatum iam pridem nonnulli Romani Pontifices in Petro fundari excogitarant; Euangelica verba detorto ſenſu, vt eſt à me lib. 1. oſtenſum, peruertentes, & à Petro ad ſe ſolos trahentes; illum omninò voluerunt noſtri Eccleſiaſtici adulatores confirmare. Atque hinc in noſtro Occidente in vulgi opinione Primatus, ſic plurimùm inualuit. Ità enim natura comparatum eſt, diuino ad hoc hominibus inſtinctu dato; vt vnum Deum, & numen ſupremum agnoſcamus; cùm verò longè extrà ſenſum ſit Deus, facilè nos ad ſenſata conuertimus; Vbi ergo audimus de

Spalat. n. 41.

vno

vno quodam homine, maximam celebrari in rebus ſpiritualibus poteſtatem ad ſupernaturalia pertinentem; & illum eſſe ſolùm, ac proprium Vicarium Chriſti, ac Vice-Deum in terris, diuina quadam omnipotentia inſtructum; cùm in Deum verum non feramur, tam facilè à ſenſibus remotum, hunc nobis hominem viſibilem, & palpabilem, nobiſque in terris præſentem Deum eſſe facilè nobis perſuademus. Et hæc eſt in vulgo paſſim iam formata Idololatria; cui Idiotæ, qui ſunt innumerabiles, iam plenè aſſenſerunt, qui reuera Papam pro altero Deo tenent, & colunt internè populi diſſiti ab eo longiùs, externè verò etiam qui Romæ adſunt. Huc adorationes, huc pedum oſcula, huc genibus flexis cum eo, etiam Epiſcoporum, allocutiones, huc eminentes illæ in ambone prælato deportationes, huc anni Iubilæi, huc indulgentiæ, huc cerei agni, huc grana, & globuli; numiſmata, & imagunculæ, ad expiationem animorum ab eo diſpartita; huc claues Cœli, & inferni in ipſius ſolius manibus poſitæ, huc denique innumerabilia alia inſeruiunt inuenta, atque artificia, & deducunt. Sed illas pedum exoſculationes nunc quæſo paululùm conſideremus.] Sunt hæc non modò in maximos Pontifices, ac ſummos Imperatores, verùm etiam in totam Eccleſiam, ne dicam in vniuerſum genus humanum, cui ſit deſertoris iudicio illuſum, contumelioſa. Potentiam vrbis, ac Imperatorum præſentiam aliquid externi ſplendoris Pontificiæ dignitati conciliaſſe, nulli dubitamus. Sed illi ipſi Imperatores, qui Pontifices coluerunt, lege Chriſti ad id præſtandum obligatos ſe agnouerunt, & prædicarunt, eorum teſtimonia, quibus non ſemel in ſuperioribus vſi ſumus, hic non retexeremus, niſi vaniſſimæ importuni aduerſarij oratione ad hunc laborem ſuſcipiendum adigeremur. Prodeant igitur rerum Domini Imperatores, & Reges, ſuæque obſeruantiæ in Pontificem ipſi rationes explicent, ac aperiant.

Euſeb. Cæſ. lib. 6. c. 27. Nice. Cal. l. 5. c. 25.

[Philippus Imperator, inquit Euſebius Cæſarienſis, cùm in die poſtremæ vigiliæ Paſchatis vnà cum multitudine in Eccleſia precationum particeps fieri vellet, non priùs ab Epiſcopo Fabiano, qui tum Romanæ Eccleſiæ præerat, permiſſus eſt intrare, quàm ſe confeſſus fuiſſet, & inter eos, qui peccatorum vinculis adhuc tenebantur adſtricti, locumque pœnitentiam agentibus præſtitutum occupabant, ſe ſua ſponte collocauiſſet: Epiſcopuſque dixit, eum non alia conditione, niſi iſtud faceret, propter multa delicta, quæ ab illo ferebantur admiſſa, aliquando ab ipſo in Eccleſiam receptum fore, Imperator alacri animo, & lubenti Epiſcopo moram geſſit, & religioſam, puramque affectionem Dei timore incitatam reipſa declarauit.]

Sic Conſtantinus primus ad Syluestrum Papam. [Imperator Cæſar Flauius Conſtantinus in Chriſto Ieſu ex ſancta Trinitate Saluatore Domino noſtro victor, ac triumphator, ſemperque Auguſtus ſanctiſſimo, ac beatiſſimo Patri Patrum Sylueſtro Vrbis Romanæ Epiſcopo, & Papæ, atque omnibus eius ſucceſſoribus, qui in Sede beati Petri vſque in finem ſeculi ſeſſuri ſunt Pontificibus, necnon & omnibus reuerendiſſimis, & Deo amabilibus Catholicis Epiſcopis; eidem ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, per hanc noſtram Imperialem conſtitutionem ſubiectis in vniuerſo Orbe terrarum, nunc, & in poſterum cunctis retrò temporibus conſtitutis gratia, & pax à Deo. &c. Ea, quæ Saluator, & Redemptor noſter Ieſus Chriſtus, per ſuos ſanctos Apoſtolos Petrum, & Paulum interueniente Patre noſtro Sylueſtro, ſummo Pontifice, & vniuerſali Papa, mirabiliter dignatus eſt operari, liquida enarratione ſtuduit propalare noſtra Serenitas.

Primùm quidem noſtram fidem, quam à prælibato beatiſſimo Patre, & oratore noſtro Sylueſtro agnoſcerem, & beneficijs ipſius beati Petri integerrimè ſanitati comperi me reſtitutum, vnà cum omnibus noſtris Satrapis, & vniuerſo Senatu, Optimatibuſque meis, & cuncto populo Romanæ gloriæ Imperij ſubiacenti, vt ſicut in terris ſanctus Petrus Vicarius Filij Dei videtur eſſe conſtitutus, etiam & Pontifices, qui ſucceſſores ſunt ipſius Principis Apoſtolorum, principatus poteſtatem, ampliùs, quàm terrena Imperialis noſtræ Serenitatis manſuetudo habere videtur, conceſſam à nobis, noſtroque Imperio, obtineant, eligentes nobis ipſum Principem Apoſtolorum, & eius ſucceſſores firmos apud Deum eſſe patronos, &c.

Lib. de ſum. Trin. & fide Catholica.

Et Gratianus, Valentinianus, & Theodoſius: Cunctos populos, inquiunt, quos clementiæ noſtræ regit Imperium, in tali volumus religione verſari, quam D. Petrum Apoſtolum tradidiſſe Romanis religio vſque adhuc ab ipſo inſinuata declarat, quamque Pontificem Damaſum ſequi claret. Sic Honorius Auguſtus ad Bonifacium Papam; Victor Honorius, inquit, inclytus triumphator, ſemper Auguſtus, ſancto, & venerabili Bonifacio Papæ vrbis æternæ. Scripta beatitudinis tuæ debita reuerentiæ gratulatione ſuſcepimus, quibus recenſitis, egimus omnipotenti Deo maximas gratias, quòd ſanctimoniam tuam, poſt longum incommodum, optatæ redditam didicimus ſanitati: & ideò reuertentibus venerabilibus viris, gaudium noſtrum ſacrorum apicum atteſtatione ſignamus, ac petimus, vti quotidianis orationibus Apoſtolatus tuus ſtudium, ac votum ſuum circà ſalutem, ac Imperium noſtrum dignetur impendere. Id autem pietati noſtræ ſatis placitum eſſe cognoſce, quòd ſanctimonia tua de Eccleſiarum, ac populi perturbatione ſolicita eſt: quæ, vt ne aliqua ratione poſſit euenire, ſatis clementia noſtra credidit eſſe prouiſum. Denique beatitudine tua prædicante, id ad cunctorum Clericorum notitiam volumus peruenire, vt ſi quid fortè religioni tuæ (quod non optamus) humana ſorte contigerit, ſciant omnes ab ambitionibus eſſe ceſſandum. Ac ſi duo contrà fas temeritate certantes fuerint ordinati, nullum ex his futurum penitùs Sacerdotem; ſed illum ſolùm in Sede Apoſtolica permanſurum, quem ex numero Clericorum noua ordinatione diuinum iudicium, & vniuerſitatis conſenſus elegerit.

Epiſtol. ad Theod. Imper. quæ extat in Conc. Chalced.

Et Valentinianus tertius in Epiſtola ad Theodoſium Imperatorem. Cùm veniſſem, inquit, ad Vrbem Romam, rogatus ſum à Romano Epiſcopo, & alijs, ſcribere veſtræ

manſuetudini de fide, quæ cùm ſit conſernatrix omnium fidelium animarum dicitur perturbata, quam nos à noſtris maioribus traditam debemus cum omni competenti deuotione defendere, & dignitatem propriæ venerationis beato Petro Apoſtolo intemeratam in noſtris temporibus conſeruare, quatenùs beatiſſimus Romanæ Ciuitatis Epiſcopus, cui principatum Sacerdotij ſuper omnes antiquitas contulit, locum habeat, & facultatem de fide, & Sacerdotibus iudicare, Domine Sanctiſſime Pater, & venerabilis Imperator. Hac enim gratia ſecundùm ſolemnitatem Conciliorum, & Conſtantinopolitanus Epiſcopus eum per libellos appellauit, propter contentionem, quæ orta eſt de fide. Huic itaque poſtulanti, & coniuranti ſalutem noſtram commouem, annuere non negaui, quatenùs ad tuam manſuetudinem meam petitionem ingererem, vt prædictus Sacerdos, congregatis ex omni orbe etiam reliquis Sacerdoribus, intrà Italiam, omni præiudicio ſubmoto, à principio omnem cauſam, quæ vertitur, ſollicita probatione cognoſcens, ſententiam ferat, quam fides, & ratio veræ diuinitatis expoſtulat. Et Valentinianus, & Martianus ad Leonem Papam. Ad hoc, aiunt, maximum Imperium venimus Dei prouidentia, & electione Senatus excellentiſſimi, cunctæque militiæ, vndè pro reuerenda, & Catholica religione Chriſtianæ fidei, cuius auxilijs virtutem noſtræ potentiæ confidimus gubernari, tuam ſanctitatem, principatum in Epiſcopatu diuinæ fidei poſſidentem, ſacris literis in principio iuſtum credimus alloquendam: inuitantes, atque rogantes, vt pro firmitate, & ſtatu noſtri Imperij æternam diuinitatem tua ſanctitas deprecetur, vt & tale propoſitum, atque deſiderium habeamus, quatenùs omni impio errore ſublato, per celebrandam Synodum te auctore maxima pax circa omnes Epiſcopos fidei Catholicæ fiat. Sic Marcianus Imperator ad Leonem Papam. Supereſt, inquit, vt ſi placuerit tuæ beatitudini in has partes aduenire, & Synodum celebrare, hoc facere religionis affectu dignetur, noſtris vtique deſiderijs ſanctitas veſtra ſatisfaciet, & ſacræ religionis, quæ vtilia ſunt decernet: ſi verò hoc onerosum eſt, vt tu ad has partes aduenias; hoc ipſum nobis proprijs literis tua ſanctitas manifeſtet, quatenùs in omnem Orientem, & in ipſam Thraciam, & Illyricum ſacræ noſtræ literæ dirigantur, vt ad quendam definitum locum, vbi nobis placuerit, omnes ſanctiſſimi Epiſcopi debeant conuenire, & quæ Chriſtianorum religioni, atque Catholicæ fidei proſint, ſicut ſanctitas tua ſecundùm Eccleſiaſticas regulas definiuerit, ſua diſpoſitione declarent. Galla Placidia Imperatrix Epiſtola ad Pulcheriam Auguſtam ſic loquitur. Igitur tua clementia ſecundùm Catholicam fidem, quod ſemper nobiſcum fecit, & nunc ſimiliter conſpirare dignetur, vt quicquid in illo tumultuoſo apud Epheſum Concilio conſtitutum eſt, omni virtute remoueatur, vt omnibus integris permanentibus, ad Apoſtolicæ Sedis, in qua primus Apoſtolorum B. Petrus, qui etiam claues regni Cœleſtis accipiens, Sacerdotij principatum tenuit, Epiſcopatus cauſa mittatur. Debemus enim primatum in omnibus immortali conuerſationi tribuere, quæ totum mundum propriæ virtutis dominatione compleuit, & noſtro Imperio orbem gubernandum ſeruandumque commiſit. Pulcheria Auguſta Epiſtola ad Leonem Papam. Propterea, inquit, tua reuerentia quocumque modo proſpexerit, ſignificare dignetur, vt omnes, etiam totius Orientis Epiſcopi, Thraciæ, & Illyrici, in vnam ciuitatem velociter valeant conuenire, & illic facto Concilio, & de Catholica confeſſione, & de his Epiſcopis, qui ante hoc ſegregati ſunt, ſicut fides, & Chriſtiana pietas exigit, te auctore decernant. Anaſtaſius Imperator ad Hormiſdam Papam: His igitur, inquit, præfatis initijs hortamur, vt ad ea, quæ de Scythiæ partibus mota, vndè & Concilium fieri, conuenire perſpeximus, mediatorem ſe Apoſtolatus veſter faciat, vt contentionibus amputatis, vnitas ſanctæ reſtituatur Eccleſiæ. Nobis autem omnia optata præſtantur, ſi orationibus veſtris, & frequenti paganorum allocutione noſtri memores fueritis. Iuſtinus Imperator Epiſtola ad Hormiſdam Papam: Scias, inquit, Pater religioſiſſime, &c. Oret veſtræ religionis ſanctitas, vt quod peruigili ſtudio pro concordia Eccleſiarum Catholicæ fidei procuratur, diuini muneris opitulatio iugi perpetuitate ſeruari annuat. Athalaricus Rex Epiſtola ad Clerum Eccleſiæ Romanæ; Si quiſpiam, inquit, ad Romanum Clerum aliquem pertinentem in qualibet cauſa probabili crediderit actione pulſandum, ad beatiſſimi Papæ iudicium priùs conueniat audiendus, vt aut ipſe inter vtroſque more ſuæ ſanctitatis agnoſcat, aut cauſam deleget æquitatis ſtudio terminandam. Et ſi fortè, quod credi nefas eſt, competens deſiderium fuerit petitoris eluſum, tunc ad ſecularia fora iurgaturus accurrat, quando ſuas petitiones probauerit à ſupradictæ Sedis Præſule fuiſſe contemptas. Quòd ſi quis extiterit tam improbus litigator, atque omnium iudicio fuerit, ſacrilega mente damnatus, qui reuerentiam tantæ ſedi exhibere contemnat, & aliquid de noſtris affatibus crediderit promerendum, ante alicuius conuentionis effectum, decem librarum auri diſpendio feriatur, quæ pauperibus erogentur, careatque impetratis, negotij quoque ſui amiſſione mulctetur. Dignus enim eſt duplici pœna percelli, qui & diuinam reuerentiam, & noſtra iuſſa temerarit.

Iuſtinianus Imperator epiſtola ad Ioannem Papam. [Reddentes, inquit, honorem Apoſtolicæ Sedi, & veſtræ ſanctitati, (quod ſemper nobis in voto, & fuit, & eſt,) & vt decet patrem, honorantes veſtram beatitudinem, omnia, quæ ad Eccleſiarum ſtatum pertinent, feſtinauimus ad notitiam deferre veſtræ ſanctitatis: quoniam nobis ſemper fuit magnum ſtudium vnitatem veſtræ Apoſtolicæ Sedis, & ſtatum ſanctarum Dei Eccleſiarum cuſtodire, qui hactenùs obtinet, & incommotè permanet, nulla intercedente contrarietate. Ideòque omnes Sacerdotes vniuerſi Orientalis tractus, & ſubijcere, & vnire Sedi veſtræ ſanctitatis properauimus. In præſenti ergo, quæ commota ſunt, quamuis manifeſta, & indubitata ſunt, & ſecundum Apoſtolicæ veſtræ Sedis doctrinam ab omnibus ſemper Sacerdotibus firmè cuſtodita, &

præ-

Epiſtol. ad Leon. Pap.

Marc. Imp. ad Leo. Pap.

Ep. ad Hor. miſd. Pap.

C. de ſumm. Trin. & fide cathol.

Digitized by Google

prædicata, neceſſarium duximus ad notitiam veſtræ ſanctitatis perueniant. Nec enim patimur quicquam, quod ad Eccleſiarum ſtatum pertinet, quamuis manifeſtum, & indubitatum ſit, quod mouetur, vt non etiam veſtræ innoteſcat ſanctitati, quæ eſt caput omnium ſanctarum Eccleſiarum. Per omnia enim (vt dictum eſt) properamus honorem, & auctoritatem creſcere veſtræ Sedis.]

Idem ad Ioannem Papam: [Vt legum, inquit, originem anterior Roma ſortita eſt: ità & Summi Pontificatus apicem apud eam nemo eſt, qui dubitet. Vnde & nos neceſſarium duximus, patriam legum, fontem Sacerdotij ſpeciali noſtri numinis lege illuſtrate, vt ex hoc in vniuerſas Eccleſias Catholicas, quæ vſque ad Oceanum poſitæ ſunt, ſaluberrimę legis vigor extendatur, & ſit totius Occidentis, nec non & Orientis, vbi poſſeſſiones ſitæ inueniuntur ad Eccleſias noſtras, ſiue nunc pertinentes, ſeu poſteà eis acquirendæ, lex propria ad honorem Dei conſecrata. Sanctitas itàque tua præſentem noſtræ manſuetudinis legem pijſſimum, ſiue ſacroſanctam oblationem, quam Deo dedicamus; accipiens, intra ſacratiſſima vaſa reponat, & à nobis ſeruandam, & in omnes Eccleſiaſticas poſſeſſiones ſeruituram.]

Et alibi: [Ideòque, inquit, ſancimus ſecundùm ſanctarum Synodorum definitiones, ſanctiſſimum ſenioris Romæ Papam primum eſſe omnium Sacerdotum: beatiſſimum autem Archiepiſcopum Conſtantinopolitanum nouæ Romæ ſecundum habere locum poſt ſanctam Apoſtolicam ſenioris Romæ Sedem: alijs autem omnibus Sedibus præponatur.]

Et ad Bonifacium Papam: [Prima ſalus eſt rectæ fidei regulam cuſtodire, & à conſtitutis Patrum nullatenùs deuiare. Et quia non poteſt Domini noſtri Ieſu Chriſti prætermitti ſententia dicentis: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; & hæc, quæ dicta ſunt, rerum probantur effectibus: quia in Sede Apoſtolica extra maculam ſemper eſt Catholica religio ſeruata. De qua ſpe, & fide minimè ſeparari cupientes, & patrum ſequentes conſtituta, & per omnia ſpero, vt in vna communione vobiſcum, quam Sedes Apoſtolica prædicat, eſſe merear, in qua eſt integra, & vera Chriſtianæ religionis, & perfecta ſoliditas, promittens ſequeſtratos à communione Eccleſiæ Catholicæ, ideſt, non conſentientes Sedi Apoſtolicæ, eorum nomina inter ſacra non eſſe recitanda myſteria. Hanc autem profeſſionem mea manu ſubſcripſi, & Bonifacio S., & venerabili Papæ Vrbis Romæ direxi, damnans & anteceſſores, & ſucceſſores meos, & omnes, qui ſanctæ Romanæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ priuilegia caſſare nituntur.]

Sic Conſtantinus Quartus Imperator epiſtola ad Domnum Papam. [Conſtantinus Imperator ſanctiſſimo, ac beatiſſimo Archiepiſcopo antiquæ noſtræ Romæ, & vniuerſali Papæ, &c. Poſtquam tempus recipit perfectam congregationem fieri, adhortamur veſtram beatitudinem per præſentem noſtram piam, ſacram, dirigere viros vtiles, modeſtos, notitiam habentes totius à Deo inſpiratæ doctrinæ, & peritiam irreprehenſibilem habentes dogmatum, indutos perſonam veſtræ Apoſtolicæ Sedis, eiuſque Concilij, deferentes, & libros, quos oportet proferri, & omnem auctoritatem habentes, quatenùs conuenientes cum hic poſito ſanctiſſimo Patriarcha, & Macario ſanctiſſimo Patriarcha Theopolitanæ Ciuitatis perſcrutentur cum omni manſuetudine, & modeſtia, & per gratiam ſancti Spiritus veritati inſiſtere, & conſentire, munitionem habentibus ijs, qui huc aduenerunt ex parte Sedis veſtræ per præſentem noſtram piam ſacram. Per Deum enim Omnipotentem non eſt apud nos partis cuiuslibet fauor, ſed æqualitatem vtriſque partibus conſeruabimus, nullatenùs neceſſitatem facientes in quocunque capitulo eis, qui à vobis diriguntur, quoquomodo: ſed in omni honore, cum competenti munificentia, & ſuſceptione dignos eos habebimus.

Iuſtinianus Secundus, inquit Beda, in Imperium reſtitutus Conſtantinum Papam, ad ſe venire iubens honorificè ſuſcepit, ac remiſit, vt cùm die Dominica Miſſas ſibi facere iubens cõmunionem de eius manu acceperit: quę proſtratus in terra pro ſuis peccatis intercedere rogans, cuncta Eccl. priuil. renouauit. De ſex ætatibus Mundi an. 4665

Papa, inquit Luitprandus Rex Longobardorum, Vrbis Romæ in omni Mundo Caput eſt Eccleſiarum Dei, & Sacerdotum.]

Carolus Magnus epiſtola ad Elipandum Toletanum: [Nec veſtræ, inquit, me paucitati in conſenſione huius nouæ aſſertionis ſocium admitto: ſed Apoſtolicæ Sedi, & antiquis ab initio naſcentis Eccleſiæ, & Catholicis traditionibus tota mentis intentione, tota cordis alacritate coniungi.]

Et in priuilegio Eccleſiæ Bremenſis apud Crantzium in Metropol. [Summi Pontificis, inquit, & vniuerſalis Papæ Hadriani præcepto; nec non, & Moguntinenſis Epiſcopi, omniumque, qui adfuere Pontificum conſilio, eandem Bremenſem Eccleſiam cum omnibus ſuis appendicis Willehado commiſimus.]

Et alibi: [Principaliter totius ſanctæ Dei Eccleſiæ corpus in duas eximias perſonas, in Sacerdotalem videlicet, & regalem, diuiſum eſſe nouimus.

De qua re Gelaſius Romanæ Sedis venerabilis Epiſcopus ad Anaſtaſium Imperatorem ità ſcribit: Duæ ſunt Imperatrices Auguſtæ, quibus principaliter Mundus hic regitur, auctoritas ſacrata Pontificum, & Regalis poteſtas. In quibus tantò grauiùs pondus eſt Sacerdotibus, quantò etiam pro ipſis Regibus, hominibuſque in diuino reddituri ſunt examine rationem.

Fulgentius quoque in libro de veritate prędeſtinationis ità ſcribit: Quantum pertinet, inquit, ad huius temporis vitam, in Eccleſia nemo Pontifice potior, & in ſeculo Chriſtiano Imperatore nemo celſior inuenitur.] Et libro ſeptimo: [Placuit, & ſi Epiſcopus accuſatus appellauerit ad Romanum Pontificem, id ſtatuendum, quod ipſe cenſuerit.]

Quod attinet ad faſtum Romanorum, quem à Paulo, & Hieronymo ſuggillatum vrget Spalatenſis, equidem fateor, vnicuique genti ferè eſſe ſua ingenita vitia, quod elegan-

tiſſi-

ſſimis verbis expreſſit Hieronymus in epi-ſtolam ad Galatas. [Vnaquæque, inquit, Prouincia ſuas habeat proprietates, Cretenſes ſemper mendaces, malas beſtias, ventres pigros, verè ab Epimenide Poeta dictos, Apoſtolus comprobat. Vanos Mauros, & feroces Dalmatas, Latinus pulſat hiſtoricus. Timidos Phrygas, omnes Poetæ lacerant. Athenis expeditiora naſci ingenia, Philoſophi gloriantur. Græcos leues apud C. Cæſarem ſuggillat Tullius, dicens: Aut leuium Græcorum, aut immanium barbarorum: & pro Flacco ingenita, inquit, leuitas, & erudita vanitas. Ipſum Iſrael, graui corde, & dura ceruice, omnes ſcripturæ arguunt.]

Faſtu etiam igitur intumuerint Romani proprio gentis vitio: ſed hanc labem facilè abſtergit Religio, quæ magnos illos ſpiritus ponere iubet, adeòque à Paulo monitos Romanos deſiſſe altum ſapere in procliui eſt, vt credamus, ac quidem Hieronymus magnis laudibus Romanam gentem cumulat, ac ornat, licèt vitia eorum etiam cum Apoſtolo perſtringat: [Romanæ plebis, inquit, laudatur fides. Vbi alibi tanto ſtudio, & frequentia ad Eccleſias, & ad Martyrum ſepulcra concurritur? Vbi ſic ad ſimilitudinem cœleſtis tonitrui amen reboat, & vacua idolorum templa quatiuntur? Non quòd aliam habebant Romani fidem, niſi hanc, quam omnes Chriſti Eccleſiæ, ſed quòd deuotio in eis maior ſit, & ſimplicitas ad credendum.]

Facile ergo fuit ſic inſtitutis omnem ſuperbiam, & faſtum depoſuiſſe, nec video, qui huius inſaniæ priores Pontifices inſimulari poſſint, quos conſtet penè omnes Martyres fuiſſe, addo verò, plures Pontifices, nec Romanos, nec Italos fuiſſe, ſed vel Afros, vel Græcos, adeòque Romam Rhriſtianam plura ſuæ humilitatis indicia dediſſe, quàm dederit Græcia, aut ipſe Oriens.

Sed & ſuprà ſimplicitatem Siricij carpebat Spalatenſis. Non igitur è vitijs Gentis efficax aduersùs Pontifices ducitur argumentum. Quod attinet ad Baſilium infaſtum Eccleſiæ Romanæ detonantem reſponſum parauit in Annalibus Baronius, atque ſanctiſſimum virum vltrò dolori indulſiſſe, nec iram in poteſtate habuiſſe, cùm ſe Romæ, tamquam hæreticum traduci intellexiſſet, quamquam haudquaquam Romani, ſed ipſi Baſilij contribules ea labe eum conſperſiſſent. Cernens igitur vir pijſſimus, & in primis orthodoxis ſe odio impoſiti erroris à Pontifice veluti deſpectum, quippè qui cum toties rogaſſet; ne quidem reſcripſiſſet, in illam duriorem vocem erupit; [Odi faſtum illius Eccleſiæ Romanæ ſcilicet, ſic itáq; hac de re Baronius: At quid (dicet aliquis) inquit, cùm idem ſanctus Baſilius erecti ſupercilij æquè inſimulet Occidentales? To. 4. ann. 372.

Et alibi de Romana Eccleſia dicat: Odi faſtum illius Eccleſiæ: vtpotè quæ ex dictis ſuperiùs cauſis detrectaret Legatos in Orientem mittere, ſuppetias ferre, atque demùm pacificas literas reddere? Condonandum quidem eſſe etiam ſanctiſſimis viris afflictis animo, ærumnis preſſis, oppreſſiſque denſa anguſtiarum caligine, ſi aliquod interdùm verbum erumpant exorbitans, facilè iudicabunt, qui præſtantiſſimos illos Iob, atque Hieremiam conſiderant, veniamque, puto, concedent. Abſit tamen omninò: vt in Baſilium, dum faſtum Romanæ exprobrat Eccleſiæ, in ipſum, inquam, maximè pium, maximè ſanctum, illud Platonis in Cynicum calcantem ipſius faſtum ſcomma retorqueam: ſed maiori faſtu.

Quamuis, addit Baronius, Gregorius Nazianzenus de eodem Baſilio teſtetur, ipſum faſtus, atque ſupercilij nomine ab alijs reprehenſum: cùm tamen ipſe eum excuſans hæc dicat: Quid ad hæc nobis dicturi ſunt, qui homini faſtum, ſuperciliumque objiciunt? Iniqui ſanè, & acerbi rerum huiuſmodi iudices, &c.

At quod mireris, idem ipſe Gregorius, qui non modò Baſilium, ait, faſtus expertem, eumque excuſat, atque defendit; alibi tamen, cùm ab eo inuitus Saſimis præficeretur Epiſcopus, non ſine ſtomacho illum faſtus inſimulat, cùm de eo ſic ait:]

Ante, ſumme vir, potiùs notem,
Tuumque faſtum, quem tibi inuexit thronus?

Ex quibus euidenter, Lector, intelligis, quod nuper diximus, ſanctorum quoque virorum animos interdùm ex perturbatione, inſtar ſolis alioqui ſemper effulgentis, ad breue temporis ſpatium pati deliquium. At de his hactenùs.]

Improbè verò Carolum Magnum, Galliarum decus, tot infidelium domitorem, Eccleſiæque numquam ſatis laudatum defenſorem adoritur, ac inceſſit. Certè conſtat pijſſimum Principem antequam quicquam in eius gratiam moliti eſſent Pontifices, ſola Religione, & reuerentia Petri adductum, aduerſùm tyrannos, qui eos vexarent, opem Chriſtiano Rege dignam eis tuliſſe, ac eos in libertatem oppreſſis vſurpatoribus vendicaſſe, ac aſſeruiſſe. Quòd verò indulgentias ſacras, ac Dei imagines, aliaque etiam minutiora pietatis ſubſidia ſuggillat, facit ne Sectariorum petulantiæ aliquid ceſſiſſe, videri poſſit, ſed non ſunt iſta huius inſtituti.

Dicamus de pedum oſculis, in quæ iam inuehitur Spalatenſis. [Pedum oſcula, inquit, ſimileſque humiles actiones ſolere interdùm quibuſdam, & à quibuſdam exhiberi; & hoc ex varijs affectibus, non eſt dubium. Spalat. 41.

In primis ſolent homines ex humilitate, & reuerentia, magnæ perſonæ præſertim, vt tali actu humili magis moueant illam ad id, quod ab eo petitur, concedendum, pedum oſcula, vel offerre, vel adhibere.

Ità mulier peccatrix lacrymis rigabat pedes Chriſti, eoſque oſculabatur. Luc. 7.

Ità Epiphanius, per literas, aduolutus pedibus Ioannis Epiſcopi Hieroſolymitani, ab eo petit, vt errores Origenis relinquat.

Ità Epiſcopi Orientales opem à Papa Symmacho implorantes, offerunt ſanctorum veſtigiorum adorationem. Deindè ex opinione ſanctitatis mouentur homines ad hos actus humilitatis, ac in ſpecie, vt alicuius pedes oſculentur.

Ità ſanctæ mulieres Chriſtum à mortuis

iam

iam excitatum videntes, tenuerunt pedes eius, & adorauerunt; & Dauid ait, adorandum eſſe ſcabellum pedum eius, quoniam, inquit, ſanctum eſt.

Itá turba Hieroſolymitana Epiphanij, & Anſelmi Cantuarienſis Romana, vidente Papa, pedes oſculabatur,

Et Plato Monachus, ac Theodorus Studita ad Simeonem Monachum ſcribentes, aiunt;

Cæterùm oramus bonitatem tuam, & tamquam ſacris veſtigijs tuis aduoluti, obſecramus, &c.

Qui Leonis quoque Papæ III. ob ipſius reuerentiam, ſacris veſtigijs aduoluuntur. In recipiendis etiam Sacramentalibus à miniſtris Eccleſiæ donis, corporis humilitatem, oſcula, & inclinationem adhibitam, à Regibus quoque, & Principibus cerno: vndè illud Ambroſij; Vides Regum colla, & Principum ſummitti genibus Sacerdotum, & exoſculatis eorum dextris, orationibus eorum credunt ſe communiri.

Itá ad pedes Stephani Papæ primi procidit Olympius cum vxore, flagitans baptiſmi Sacramentum.

Itá ad Dionyſij Papæ pedes, alius pœnitentiam poſtulans ſe deiecit. Sic quoque Epiſcopi Orientales, ex deuotione ipſorum, & reuerentia primi Patriarchæ, verbis officioſis adorationem Papæ Symmacho offerunt ipſius veſtigiorum. Sed hi actus omnes, hæc oſcula, hæ humiliationes, ex voluntate pia, piaque affectione, & deuotione procedunt oſculantis; neque poſſunt à quoquam homine puro, quamuis ſanctiſſimo, & eminentiſſimo, ex debito peti, & qui hæc pedum oſcula, vt debita ſibi prætenderet; hic plenus ſuperbia ſtomachum faceret omnibus, & riſum excitaret.

Certè Petrus, quem primum, & maximum Papam faciunt noſtri, ne adorationem quidem purè humanam, ad eius pedes à Centurione factam, voluit admittere: Qui Centurio optimè ſciebat, Petrum non eſſe Deum; ſed purum hominem: orationes enim, & eleemoſynas faciebat propter Deum, vt optimè fide inſtructus circa verum Deum; & de hoc teſtimonium habebat ab vniuerſa gente Iudæorum.

Act 10. Et Petrus ipſe negauit ſibi deberi illam adorationem, licèt non eſſet diuina: Quia inquit, & ego ipſe homo ſum; Etſi fuit Papa vniuerſalis, Chriſtique ſupremus Vicarius; hanc tamen adorationem, & multò plùs pedum oſcula deuitauit. Immò, & Angelus Ioannem prohibuit, ne ipſum adoraret, quem tamen cultu latriæ non erat adoraturus.

At verò Antoninus paraſitus ſtrenuus Papam honore ponit Angelis verbo quidem parem, ex ipſius autem argumento ſuperiorem. Non minor, inquit, honor debetur Papæ, quàm Angelis. Vndè Papa recipit à fidelibus adorationes, proſtrationes, & oſcula pedum, quod non permiſit Angelus à Ioanne Euangeliſta ſibi fieri. Miram certè adulatoris audaciam! Quæ riſu, aut faſtidio potiùs, quàm argumentatione retundenda eſt, Quòd ſi à ſuperbo huiuſmodi facto ad ius valeat ratio, quidni colligat, & Nabuchodonoſoris ſtatuam, & ipſum Antichriſtum, Angelis honore digniores?

Anton. ſum. par. 3. t. 22. c. 3. §. 4.

Auguſtinus profectò magnam in eo ſuperbiam agnoſcit, qui pedibus ſuis Chriſtianos velit ſubijcere; explicans enim illud Pſalmi: ſubiecit populos nobis, & gentes ſub pedibus noſtris, inter alia ait: Mirùm, ſi Apoſtoli tam ſuperbè loquerentur, vt gauderent, gentes eſſe poſitas ſub pedibus Apoſtolorum. Etenim gaudent, nos ſecum eſſe ſub pedibus illius, qui mortuus eſt pro nobis; Nam ſub pedibus Pauli currebant, qui volebant eſſe Pauli, & dicebat eis: Numquid Paulus pro vobis crucifixus eſt? Quid ergo hìc? Quid accepturi ſumus? Subiecit plebes nobis, & gentes ſub pedibus noſtris. Omnes pertinentes ad hæreditatem Chriſti in omnibus gentibus ſunt, & omnes non pertinentes ad hæreditatem Chriſti in omnibus gentibus ſunt, &c. Schiſmaticumque eſſe agnoſcit, velle, vt Chriſtiani ſint ſub pedibus vnius; ſicut illos ſchiſmaticos fuiſſe ſcimus, qui ſub Pauli pedibus, in ſua ſpecialitate eſſe volebant: Itá, dum noſter Papa non ſolùm lætatur, vt eius pedes, & populi, & gentes, immò & Epiſcopi, & magni Principes, ac Reges, & Imperatores deoſculentur; Sed etiam id ſuo iure poſtulat, ac requirit, ſuperbiæ magnæ notam, ſecundùm Auguſtinum, quomodo refugiat, ipſe videat: Certè ſchiſmati fauet, & illud procurat; dum ſibi, & non Chriſto fideles ſubijcit: ſi enim Chriſti pedibus, & non ſuis proprijs homines ſubijceret; non ipſe ſolus, non modò à populis, ſed etiam ab ipſiſmet alijs Chriſti miniſtris, & ſuis comminiſtris, pedum oſcula requireret. Sicut Alexander ſecundus ea expreſsè voluit; & ſibi dari iuſſit à Lanfranco Viro ſancto Archiepiſcopo Cantuarienſi.

Spalat. n. 43.

In Pſal. 46.

1. Corinth. 1

Et initio quidem noluerunt Papæ, vt Epiſcopi ad pedes ſe ipſorum primùm proſternerent, ſed ſtatim ad oſculum oris ſurgerent; vt factum habes in Paſchali II. poſteà tamen ijs ab ore repulſis, voluerunt, & modò volunt, vt ipſorum crepidis tantummodò oſcula Prælati quique magni, & Chriſti Vicarij infigant: immò etiam à Cardinalibus ſuis interdùm id popoſcerunt; vt habemus in ceremonijs Papalis ingreſſus à Cencio deſcriptis. Meritò Græci Antiſtites noluerunt in Concilio Florentino tantæ indignitati obſequi; ſed Dominum Papam oſculo primùm manus; deindè genæ honorificè tractarunt. Quòd ſi ob reuerentiam Chriſti, oſculum pedum eius miniſtro (dicamus etiam Vicario) Epiſcopo Romano à Principibus quoque exhibetur; eadem ratione debet Epiſcopo cuique exhiberi. Cùm Epiſcopus quiſque nihil minùs ſit Vicarius Chriſti, quàm Romanus, vt iàm in præcedentibus demonſtraui. Immò & Presbyterorum Chriſti miniſtrorum pedibus ex deuotione in pijs Chriſti-fidelibus, præbita ſunt oſcula; ſicut enim Caio Papæ (ſi veræ ſunt tales legendæ.) Præpedigna exoſculata eſt pedes, itá Claudius Gabinij Sacerdotis pedes eſt oſculatus, in eadem hiſtoria. Sed ſicut in exhibentibus tale obſequium propter Chriſti reuerentiam laudabile eſt, & approbandum; itá & in admittentibus, & acceptantibus id obſequij ordinariè eſt omninò reprehenſibile, & reprobandum. Non

enim

enim decet ſeruum, ea, quæ Domini propria ſunt, ſibi vſurpare; & Auguſtinus meritò non exiguam ſuperbiam in depreſſione ſub pedibus deprehendit: quam depreſſionem ego, & non minorem agnoſco, vbi quis ad ſuorum pedum oſcula aliquem protrudit.]

Sunt iſta *antilogias*, & contradictionis plena; vult ſubeſſe his idololatriæ crimen, & tamen agnoſcit hunc deoſculandorum pedum honorem, nedùm Pontifici, quem hoc obſequij genere non modò Reges, ſed & Orientis Epiſcopi colendum duxerint, delatum, verùm etiam ſanctis Antiſtitibus tributum, & vt neget, in promptu ſunt exempla quibus id euincatur, & demonſtretur. Tantum verò abeſt, vt inficietur, vt etiam illa nobis vltrò largiatur, qui hæc conſtare poſſint?

De Epiphanio res eſt clariſſima apud Hieronymum: [Nonne, inquit, cùm de *Anaſtaſei* pergeretis ad crucem, & ad eum Epiphanium omnis ætatis, & ſexus turba conflueret offerens paruulos, pedes deoſculans, fimbrias vellens, cumque non poſſet promouere gradum, ſed in vno loco vix fluctus vndantis populi ſuſtineret, tu tortus inuidia aduersùs glorioſum ſenem clamitabas.]

Sed & Valentinianum eum honorem habuiſſe ſancto Martino Turonenſi Epiſcopo, teſtis nobis Venantius Fortunatus:

Hinc Celer exilijt rapiens ſe Cæſar, & ardens:
Martini genua amplectens, pedibuſque volutans.

Seuer. Sulp. dial.2.cap.7. Sed & de Imperatrice Maximi coniuge, hæc habet Sulpitius Seuerus: [Diebus, inquit, de noctibus de ore Martini Regina pendebat, Euangelico illo non inferior exemplo pedes ſancti fletu rigabat, crine tergebat. Martinus, quem nulla vnquam fœmina contigiſſet, iſtius aſſiduitatem, immò potiùs ſeruitutem, non poterat euadere: non illa opes Regni, non Imperij dignitatem, non diadema, non purpuram cogitabat, diuelli à Martini pedibus ſolo ſtrata non poterat.]

Et quidem ex Tertulliano conſtat, vſu olim receptum in Eccleſia, vt pœnitentes reconciliandi Eccleſiæ, non modò Presbyterorum, ſed & reliquorum veſtigia lamberent, quem morem Zepherinum impetens ſuggillat Tertullianus deſertor, & hoſtis Eccleſiæ factus: [Et tu quidem, inquit, pœnitentiam mœchi ad exornandam fraternitatem in Eccleſiam inducens conciliatum, & concineratum, cum dedecore, & horrore compoſitum, proſternes in medium antè viduas, antè Presbyteros, omnium lachrymas ſuadentem, omnium veſtigia lambentem, omnium genua detinentem, inquè eum hominis exitum, quantis potes miſericordiæ illecebris bonus Paſtor, & Benedictus Papa concionaris, & in parabola ouis capras tuas quæris, tua ouis ne rursùs de grege exiliat, quaſi non exindè iàm liceat, quod nec ſemel licuit: cæteras etiam metu comples, cùm maximè indulges.]

Quid quòd Chryſoſtomus eo honoris genere etiam colendos Monachos docet? [Ad eos abi, inquit, hoſpitare, accede, ſanctos tange pedes. Multò namque honeſtiùs eſt, illorum pedes tangere, quàm aliorum caput. Dic enim mihi, ſi quidam ſtatuarum pedes apprehendunt, quoniam regiam tantùm habent figuram; tu ipſam habentem in ſeipſo Chriſtum non pedibus tenebis, & ſaluus eris? Sancti ſunt pedes, licèt viles: inquinatorum verò neque caput venerandum eſt. Sanctorum certè pedes magna potuerunt, quamobrem & vleiſcuntur, cum pedibus puluerem excuſſerint.]

Videamus iàm de Pontificibus. Exploratiſſimum eſt, nec ab hoc cultus genere abhorruiſſe ſummos Principes, qui Vicarium Chriſti tamquam parentem optimum venerati ſint, demiſſis in terram vultibus. Teſtes nobis Iuſtinus ſenior, Iuſtinianus II. Federicus I. & poſteriores deinceps omnes, vt omittantur Reges Pipinus, Carolus Magnus, & tam multi alij. Ipſi Epiſcopi nullo faſtu turgentes, quamquam in Oriente poſiti ordinis ſui caput hoc honore proſequi non ſunt dedignati. Qua de re extat luculentum teſtimonium in epiſtolis Orientalium Epiſcoporum ad Symmachum. Et plura alia exempla ſuppeditat ipſe Spalatenſis.

Anaſtaſius Bibliothecarius deſcribens creationem Leonis IV. Pontificis, quæ fuit anno Chriſti 847. tradit, in Lateranenſi Patiarchio, pedes ei, morem obſeruando antiquum, omnes oſculatos eſſe.

Tergiuerſatur tamen Spalatenſis, & vana diſtinctiuncula nobis illudere parat: [Hi Spalat.n.42.
actus omnes, inquit, hæc oſcula, hæ humiliationes ex voluntate pia, piaque affectione, & deuotione procedunt oſculantis; neque poſſunt à quoquam homine puro, quamvis ſanctiſſimo, & eminentiſſimo, ex debito peti, & qui hæc pedum oſcula, vt debita ſibi prætendere, hic plenus ſuperbia ſtomachum faceret omnibus, & riſum excitaret.]

Sed rursùs hæc inconſtantiſſimè dicuntur; ſi enim in illo obſequij genere, quod aſſumit, idololatriæ ratio ineſt, ſiue expetatur, ac depoſcatur, ſiue vltrò delatus admittatur, crimen ſemper habet: & apparet, Cornelium non à Petro permotum, aut perſuaſum, ſed priuato errore abductum, ad Petri ſeſe deieciſſe pedes; quod tamen ille non ſuſtinuit, ſed oblatum honorem repudiauit, errantemque eum in viam reduxit: *Nàm*, inquit, *& ego homo ſum*.

Ex quo etiam apparet contra Spalatenſem, aliquid homine maius in Petro ſuſpexiſſe, quod etiam optimi Theologi tradunt.

Cæterùm obiter aduerte, quàm ſit verum illud, *mundis omnia munda, coinquinatis autem nihil mundum*, quibus pietas cordi eſt, hi pia accommodatione ad Vicarij Chriſti honores, etiam illud Prophetæ inflectunt: *Et venient ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te, & adorabunt veſtigia pedum tuorum omnes, qui detrahebant tibi*.

Spalatenſi verò dolet à ſanctiſſimo viro Antonino comparationem inſtitutam inter Pontificem, & Angelum, cùm tamen ipſe Synagogæ Pontifex, hoc longè inferior, Angelus Domini exercituum dicatur.

Locus Auguſtini, quem vrget ad rem non eſt, loquitur enim de ea ſubiectione, qua

Regnum

Regnum Chriſti imminuitur, alijs parere iuſſis Chriſtianis, cùm tamen penès eum vnum ſit ſummum Imperium.

Aug. qu. 61. in Geneſ. & lib. 20 cõtra Fauſt. c. 21. Hanc vſurpati Chriſti honoris notam, vt effugiat Pontifex, pedes ſanctiſſimos deoſculaturis, non ſua inſignia oſtendit, ſed crucis venerabile ſignum profert, cui Chriſtiani oſcula figant, ac hoc honore Chriſtum in ſuo Vicario colant.

Quod autem vrgebat Spalatenſis, *non magis Pontificem eſſe Vicarium Chriſti, quàm reliquos Antiſtites*, eſt centies à nobis profligatum.

Reſtat eximendus de Angelo à ſui adoratione Ioannem arcente, ac depellente ſcrupulus. Ioannem ipſum adoratorem Angeli, Angelus adoratus correxit, prohibuitque, quia talis apparuerat, vt pro Deo poſſet adorari, cui ſententiæ alij ſubſcribunt.

In his Gregorius innuit, licèt eam præterea cauſam reddat, quia naturam humanam Angelus per filij Dei incarnationem, Gregor. 21. moral. c. 10. vel 11.
antequàm ſe ab homine adorari ſinebat, redemptam, & erectam, ac ſibi ipſi quoque prælatam veneratur, nec in membris ſubiectam deſpicit, quàm in ipſo, inquit, membrorum capite prælatam vidit. De facto Petri diximus ſupra, Cornelium nimirùm altiora de ipſo ſenſiſſe, quàm pateretur Religio Chriſtiana. Cæterùm quicumque ille honos fuerit, quem ei deferre cogitarit Cornelius, Petrus præ modeſtia non eſt paſſus tantam demiſſionem, aut vt corrigeret nimiam Cornelij opinionem de ipſo, aut vt aliorum vel errori, vel offenſioni occurreret, vt hoc etiam quaſi præmium honoris, illis præſertim teneræ Eccleſiæ principijs, reijceret. Expendamus alia Spalatenſis commenta.



M O N I T I O

A D L E C T O R E M.

CVm vita noſtra non manſio, ſed via, & tranſitus ſit ad alteram vitam, Candide, & Catholice Lector, errat, qui te inſtabili quærit firmitatem. Quandiù enim æquor hoc vitæ nauigauimus, tandiù iactamur inter vndas, & noui ſemper aliqui fluctus. O nos miſeros, ò incertos, & infœlices! Nuper grande vulnus accepi, magnamque iacturam feci in morte optimi fratris, cuius hæret fortiter in animo memoria. Sed quid me ſoletur, niſi communis lex Næuio expreſſa?

Pati neceſſe eſt multa mortalem mala.

Leuiùs ſiquidem fit patientia, quicquid corrigere eſt nefas. Doleo equidem ex animo (neque hominem exui) at vulnera ferenda ſunt; qua infliguntur à diuina manu. Quis enim ſe Deo ſe opponat? Init, quò imus omnes, nec meta, ſed tempus nos ſecernit: quod vult Deus, velimus: quò ducit, eamus. Optima illa profectò pietas, ſiue gratitudo in defunctos, laudare, meminiſſe, & quæ mandarint exequi, non inani queſtu proſequi: nam queri mollitia eſt, reluctari inſania: lugere vix viri eſt, certè Chriſtiani non eſt. Viuit amor in mortuum, virum à ſe, & virtutibus clarum, quem ſine ſuperbia dico, à multis amatum, & video, & lætor. Amicitia, quæ deſinere poteſt, vera numquam fuit. Turbida hæc noſtra fractus morbis, fractus, & laboribus deſeruit, & ad lætos illos locos, ſedeſque beatas abijt, fruiturus illic æterna quiete, & beatitudine. Reliquit opus eruditum, ſpeculum animi (procul atra recedat inuidia: ſuum cuique decus poſteritas rependet) quod in lucem dare deſtinabat: Verùm pertinax inualetudo, & mors, quæ nihil egregium ſinit eſſe diu, obſtitit quò minùs deſtinatum adimpleret, ac vltimam manum imponeret. Illa enim viro ad maxima quæque eunti in illo ingenij flore, addam etiam fama, & ſpe honorum, vitæ filum præcidit. Ingeniorum ille auctor; & alter alium excitabit, qui impleat, vel augeat omiſſa; hæc eſt lex vniuerſi, naſci, mori. Pleraque fortaſsè reperies languida, at

Non ſemper idem floribus eſt honos
Vernis, neque vno Luna rubens nitet vultu.

Vt nauis in malacia hæret: ſic ingenium in hoc languore, cui melior aura non adſpirat. Imbecillum corpus ægrè, niſi in animo ſuſtentabat. Si hoc opus perlegis, beneficium eſt; ſi cenſes, voti ſumma. Hæc ſcire te volui Lector, & ſaluere.

NICO-

N I C O L A I
S A N D E R I
A N G L I

Sacræ Theologiæ Profeſſoris

D E C L A V E D A V I D,
ſeu Regno Chriſti.

L I B R I S E X

Contra calumnias Accleri pro viſibili Eccleſiæ Monarchia.

Nicolaus Sanderus Anglus vir optimi ingenij,& profundæ eruditionis,Philoſophiæ, & Theologiæ non pænirendam operam impendir, & aſſiduus in Sanctis Patribus, & hiſtorijs Eccleſiaſticis euoluendis maximum eruditionis Eccleſiaſticæ theſaurum ſibi comparauit. Quo factus diues venit tempus, & occaſio, quo in omnes Chriſti fideles copioſiſſimè effunderer, & præcipuè in propria regione. Ibi notiſſima eſt Henrici Octaui Apoſtaſia à Catholica Religione, & è defenſore offenſor, ex amico hoſtis coronam è capite Romani Pontificis auferre conatus eſt, & ſuo imponere, conſtituens ſe inaudita metamorphoſi è Principe ſæculari Principem Eccleſiaſticum, & è Monarcha corporum, Monarcham etiam animarum. Nicolaus magis Cęli, quàm Patriæ amator,magis Chriſti, quàm Regis mali aſſecla impugnauit in eo libro, quem de viſibili Eccleſiæ Monarchia inſcripſit, oſtendens ſummam Eccleſiaſticarum rerum poteſtatem penès Epiſcopos Apoſtolorum ſucceſſores, penès Romanum Pontificem,non Chriſtianos Reges, & præcipnè Anglum. Scripſerunt plures Angli contrà proprium Regem cęleſti verè audacia, & debito Chriſtianæ fidei, at multi occulto vultu, & cooperta fronte ſine nomine, at Sanderus detecta fronte Chriſti nomen tutatus eſt,& fortiſſimus, Eccleſiæ miles aperto pectore Regem inuaſit. Quapropter hæreticorum odium acerbiſſimum incurrit, ità vt cogeretur relinquere patrium ſolum, & peregrè proficiſci. In Hiſpania autem præcipuè verſatus eſt, vbi doctrinæ flumina ſparſit, & de eo illud militat Poetæ, fluuios ſuperabat Iberos aurea dona ferens. Tandem laboribus plenus, & ſcriptis præclariſſimus obijt anno MDLXXX. Eum Theologi paſſim citant tanquam præcipuum Romani Pontificis defenſorem, & aſſiduum hæreticorum omnium malleum; & ad ipſum ſæpè remittunt Lectorem plenè de hac re apud ipſum inſtruendum. Scripſit de typica, & honoraria ſacrarum Imaginum adoratione libros duos Louanij anno 1569. Tractatum, quod Dominus in ſexto capite Ioannis de Sacramento Euchariſtiæ propriè ſit locutus Antuerpiæ, contrà hæreticos noſtri temporis, qui illis quatuor conſecrationis verbis pluſquam trecentas explicationes omninò diuerſas, & à literali, veraque longè alienas, tradidere. Item Sacrificij Miſsæ, ac eius partium explicationem

Louanij 1569. duodecimo. Eiuſdē fidelis ſerui ſubdito infideli reſponſionem vna cum errorum, & calamitatum quarumdam examine, quæ continentur in ſeptimo libro de viſibili Eccleſiæ Monarchia 4. Londini. Item demonſtrationes de Papa Romano, & Papiſſa Romana. Item de viſibili Monarchia Eccleſiæ libros octo, quibus inſtituitur diſputatio, tum de perpetua Chriſti Eccleſiæ ſucceſſione incipiendo ab Angelis, & Adam vſque ad noſtra tempora, tum è gubernatione Monarchica demonſtrando eam eſſe optimam, cæteris anteponendam, & à Chriſto in ſua Eccleſia inſtitutam. Præter hoc opus Eccleſiæ vtiliſſimum, vt in vno libro omnes hæreſes confutaret oppoſuit Eccleſiæ Chriſti Eccleſiam deformem diaboli, continuationi veræ Eccleſiæ opponit interruptam progreſſionem perſæpè diaboli, ibique ſectæ omnes hæreticorum, & exponuntur, & ſimul confutantur, opus ſanè aureum, & antidotum vnicum contrà omnes hæreſes. Denique agit de Antichriſto ipſo, & membris eius, deque vera Dei, & adulterina diaboli Eccleſia tractatur, Louanij 1571. folio. Tandem ſcripſit librum, quem modo reimprimendum poſuimus de Claue Dauid, & Regno Chriſti. Inſcripſit autem librum hunc de Claue Dauid, & Regno Chriſti, & contrà Magdeburgenſes, & contrà Modernos hæreticos, qui negant temporalem poteſtatem Romani Pontificis, etiam indirectam erga Reges, & Principes in hæreſim lapſos: & non contenti negare in Vicario Chriſti, hanc poteſtatem negant in ipſo Chriſto, dicunt enim Chriſtum veniſſe in hunc mundum, non vt regna inſtitueret, aut regeret, ſed vt abijceret, & recuſaret, & nullam poteſtatem in Reges habuiſſe. Quod ſi hoc conuincant in Chriſto multò magis in Romano Pontifice, cum iuxtà Euangelium, non ſit maior ſeruus Domino ſuo. Cùm igitur, ait Sanderus, hoc redundet in ignominiam non tantùm Romani Pontificis, ſed & ipſius Chriſti, ſcribo de Claue Dauid, & Regno Chriſti librum vnicum, quem ſolum ponimus relicto partim alio exactiſſimo de viſibili Eccleſiæ Monarchia, cum ibi cōfundat omnes hæreſes, quod non facit directè pro noſtro inſtituto: diuiditur autem liber in ſex exiguos libros. In 1. agitur de miniſterio, poteſtate Romani Pontificis, Claue Dauid, & Regno Chriſti, & de Cathedra Petri, in 2. de Clauibus, in 3. & 4. de Poteſtate Romani Pontificis, in quinto de Gubernatione rerum Eccleſiaſticarum à Regibus iniuſtè occupata, in 6. ab Eliſabetha Regina multas iniuſtitias exerceri demonſtrat. Si quis vlteriorem notitiam Nicolai Sanderi omnibus alioquin notiſſimi cupiat, videat Valerium Andream in faſtis Louanienſibus pagina 86. Meminerunt illius Conradus Geſnerus in ſua bibliotheca, & Georgius Matthias Koningius in bibliotheca vetere, & noua alijque permulti omniū tamen clariùs Poſſeuinus, & Aubertus Miræus, qui ait Nicolaus Sanderus Anglus in Academia Oxonienſi, vt Profeſſor Regius ius Canonicū docuit, rebuſque ob ſchiſma in Anglia turbatis Romam ſeceſſit, vbi Doctor creatus Theologus, mox Tridentino in Patrum conſeſſu magnum ingenij, ac doctrinæ ſuæ ſpecimen, qua diſputando, qua declarando edidit. Staniſlai Cardinalis Hoſij ibidem, & per Poloniam, Pruſſiam, ac Lithuaniam Comes indiuiduus ab eo itinere Louaniū ſe contulit. Denique à Gregorio XIII. in Hiberniam Nuntius Apoſtolicus miſſus ſub annum 1582. obijt. Laudatur, & eius liber de ſchiſmata Anglicano. Nec tangit Hiſpaniam, quod tamen conſtat ex Nuntio Apoſtolico teſtante in præfatione, & variat circa annum mortis.

VISIBILIS MONARCHIÆ

Nomen, ac titulum ei Libro,

Qui de viſibili Eccleſia Primatum agit, rectè præfixum eſt.

SI Regnum, & poteſtas, & magnitudo Regni, quæ eſt ſubter omne Cælum,
iuxtà Danielis prædictionem, datur populo ſanctorum altiſſimi, cuius Re- Dan.7.
gnum, Regnum ſempiternum eſt, & omnes Reges ſeruient ei, & obedient: Dan.2.
Si hoc Regnum ſuſcitatum eſt in diebus Regnorum huius mundi, tunc vide- Luc. 1.
licet, quando ſub initio Regni quarti, quod Daniel proponit, lapis ſine ma-
nibus de monte abſciſſus, ideſt, Chriſtus ſine virili ſemine de Maria natus Iſaia 11.
creuit in montem magnum, & impleuit vniuerſam terram: nihil autem aliud
ſit viſibilis Monarchia, quam Regni magnitudo, cui multi Reges ſeruiunt, & obediunt; Monarchia.
quàm indocta, & inſulſa eius viri oratio habebitur, qui duobus libris contrà viſibilem Ec-
cleſiæ Monarchiam ſine certi auctoris nomine editis, iactat ſe alium mihi quæſtionis ſtatum, Monarchiæ.
quàm ego expectabam, commouiſſe, eò quòd dicat, monarchiæ titulum ità eſſe alienum, lib.1.c.15.
& diſiunctum ab Eccleſia Chriſtiana, vt in eam nullo modo conuenire poſſit? quid enim?
Vtrum Chriſtus, qui conſtitutus eſt à Deo Rex ſuper Sion montem ſanctum Domini, quique Pſal.2. Apocal.19.
in femore ſuo, hoc eſt, in natura humana, ſcriptum habet, Rex Regum, & Dominus do- Pſal. 2.
minantium: Regeſque, ac Iudices terræ iubentur ei tamquam Domino ſuo ſeruire in timore, Matth.10.
& exultare cum tremore; vtrum ille dum Apoſtolos elegit, Euangelium annunciauit, Sacra- Luc. 22.
menta inſtituit, ſacrificium in Cruce pro nobis obtulit, atque à mortuis reſurgens diſcipu- Ioan. 17. &
los ad Orbem terræ legauit, viſibilem Eccleſiæ monarcham non egit? aut non ne vbi viſibi- 19.
lis monarcha præeſt, ibi viſibilis monarchia reperitur? aut ſi viſibilis quædam monarchia Matth.28.
Eccleſiæ ſemel fuit, iàm ne illa perdita eſt, & extincta? Quod nam igitur eſt illud Regnum
Cœlorum, in quo Dominus ait, vſque ad ſeculi conſummationem à Patre familias ſeminari Matth.13.
verbum Dei, & dum homines dormiunt, ab inimico ſuperſeminari zizania, itemque ini-
quitatem fieri, & ſcandala colligi; præterquàm viſibilis, & militans Chriſti Eccleſia? Et
quomodo negas viſibilis monarchiæ titulum in Eccleſiam Chriſti, quæ viſibile quoddam
Regnum Cœlorum eſt, vllo modo conuenire poſſe? An hoc non eſt Chriſto ipſi monarchiam
viſibilem, dum in terris ageret, auferre?

Ac cum viſibilem Eccleſiæ monarchiam ponis (inquit iſte) ſimul, & viſibilem monar- Proteſtantis
cham Eccleſiæ ſtatuis; eum autem Papam eſſe vis. verba.

Ego viſibilem Eccleſiæ cum monarchiam, tum monarcham pono. Sed monarcham viſi- Reſp.
bilem antè omnia Chriſtum in terris agentem fuiſſe, Papam verò viſibilis monarchiæ Chriſti,
non niſi vicem tenere volo. Nec enim Papam dico, aut deitatem Chriſti omnia implentem,
aut carnis veritatem in Euchariſtia exhibitam ſupplere; ſed tantùm viſibilem eius conditio-
nem, quam terris egit, miniſterio ſuo referre, atque exprimere. Cur ergo tu omittis Chri-
ſtum monarcham verum, quem ego in primis poſui, & adhùc pono; ac ſolum Papam mihi
opponis? cur etiam Patriarchas, & ſummos veteris Teſtamenti Pontifices, quos ego in hac
monarchia mea velut miniſteriales, & Vicarios ſub Chriſto monarchas ordine recenſui, tu præ-
teris, & diſſimulas, niſi quia inuidiam, & mihi, & Papæ conflare velles, tamquam illum ſolum
ego monarcham eſſe affirmarem?

Ego inter miniſteriales monarchas primum collocaui Adamum Patrem Orbis terrarum, Sap. 10.
qui vnus per naturam caput erat omnium: nam, & ipſa Eua cæterorum viuentium mater, ta- Gen. 4.
men in poteſtate Adami per ius naturæ ab initio fuit: Caput enim mulieris vir, vtpotè, quæ 1.Cor.11.
cum poſt virum, tum ex viro, tum propter virum, vt Apoſtolus annotauit, facta eſt.

Deus, inquit Chryſoſtomus, nouit inter æquales emulationem eſſe. Itàque Adamum In 1.ad Cor.
caput vnum omnibus dedit, nolens democratiam, ſed Regnum. Ac ſanè quis mortalium homil. 34.
originem ex ſemine Adami trahens, monarcha vmquam fuit, ſi Pater Orbis terrarum monar-
cha etiam non fuit? Adam verò ex delicto ſuo per Dei ſapientiam Chriſtum Ieſum eductus, & Sap.10.
ritum colendi Deum primus à Deo accepit, & filios ſuos eundem primus docuit. Si ergo
Adam, & monarcha, & vir fidelis fuit; ſine controuerſia ſub hoc viſibili monarcha fuit ali- Gen. 4.
qua viſibilis Monarchia Eccleſiæ Chriſti: immò tam vniuerſalis monarcha, præter ipſum
Chriſtum (qui ſecundus Adam dici voluit, & primi Adæ typum accuratiſſimè impleuit) quia 1. Cor. 15.
alius vmquam fuit? Rom 5.

Deindè iuſtus Noe, vtrum in Eccleſia Dei adminiſtranda, vel in diluuio ipſo, vel poſtea
quemquam potuit habere ſibi æqualem, qui & præco iuſtitiæ per gratiam, & Pater aliorum 2.Pet.2.
omnium fuit per naturam?

Melchiſedech Rex Salem, quantus in Populo Dei monarcha fuit, qui, & benedixit Gen.14.
Abrahæ, & decimas omnium à tanto Patriarcha, etiam cum de hoſtibus iam triumpharet,
accepit?

Iàm verò Abraham ipſe, quem Deus vocauit vnum, & Patrem multarum gentium con- Iſaiæ 51.
ſtituit, an eo ipſo monarcha factus non eſt? Nam ſi, & Rex debet Pater eſſe Patriæ, & mul- Gen. 17.
tarum gentium Rex ſit monarcha; profectò multarum gentium Pater tantò maior monarcha

eſt,

eſt, quantò naturale ius Patris politico Regis iure maius eſt, & potentius; quid multis? non ne quilibet ſummus in lege Moſaica ſacerdos (quantò magis Moyſes?) verè monarcha dici poterat? multi enim fuerunt in lege Sacerdotes, multi Leuitæ; multi etiam Principes tri-
Num. 3. buum, & familiarum, quibus omnibus in Dei cauſis præerat Summus Pontifex. Vndè, & Princeps Principum dicebatur, ſicut ſcriptum eſt, Princeps Principum Leuitarum Eleazar filius Aron Sacerdotis. Et quid eſt aliud Princeps Principum, quàm in ſuo genere quidam monarcha? fateris Ninum, Cyrum, Alexandrum Magnum, & Octauium Auguſtum monarchas fuiſſe. At quid nam poterant illi ſuis in Regnis agere, aut præſcribere, quod idem alius, etiam Rex illis minimè ſubiectus, (nempè Dauid, aut Salomon) in ſuo Regno agere, aut præcipere eadem auctoritate non poterat? Cæterum Deus vni Pontifici legali mandauit, quod vniuerſo præterà mundo prohibuit; & mandauit in re grauiſſima, quæ ad cultum
Heb. 9. Dei pertinebat, nempè, vt in Sancta Sanctorum cum ſanguine ſacrificij ſolus intraret, idque faceret in figuram Chriſti longè maximi, atque adeò æterni monarchæ. Verius igitur ob hoc diuinum miniſterium legalis Pontifex monarcha viſibilis fuit, quàm quiuis Rex, aut Imperator.

Pſal. 44. Poſtremò Apoſtoli omnes non ne Principes fuerunt? ſicut ſcriptum eſt, pro Patribus
Matth. 10. tuis nati ſunt tibi filij, conſtitues eos Principes ſuper omnem terram. Apoſtolorum verò primus fuit Petrus; fuit ergo Principum Princeps, & ideò etiam in ſuo genere Monarcha. Nam
1. Petr. 2. ſi regale ſacerdotium omnes Chriſtiani ſumus; ſi ex omni Tribu, & lingua, & Populo, &
Apoc. 5.
Matth. 16. natione facti ſumus, Deo noſtro Regnum, & Sacerdotes; vtrum qui claues huius Regni
Luc. 22. primus accepit, quiquè fratrum confirmator, & ouium, agnorumque Paſtor præ cæteris fa-
Ioan. 21. ctus eſt, & ob ipſum ſuo modo Rex Regum, & Sacerdos Sacerdotum haberi non debet? Quid autem eſt Rex Regum, niſi Monarcha? Sunt igitur ſub Chriſto monarcha æterno, etiam alij temporales, & viſibiles Eccleſiæ Chriſti monarchæ; quorum monarchia tantò eſt verior, quantò magis res æternas, & ſpiritales tractat.

Dan. 3. Quis enim perindè monarcha, ac ipſe Deus, qui ſolus omnia regit, & moderatur; nec eſt alius præter illum, cui cura ſit de omnibus? Quòd ſi Deus veriſsimè, atque etiam per
1. Cor. 4. naturam ſolus eſt monarcha; cæteri autem omnes, vt quoquomodo monarchæ ſint, à Deo
Rom. 13.
Ioan. 4. habeant (quid enim habent, quod non acceperunt? nec eſt poteſtas niſi à Deo) monarchia verò Dei tota ſit ſpiritalis, quia Deus eſt ſpiritus, omninò efficitur, ità quemque Principatum ad veram monarchiæ naturam propiùs accedere, quò magis eſt ſpiritalis. Cæterum Principatus tam olim Aronis, quàm nunc Petri, & ſucceſſorum eius, magis eſt ſpiritalis, quàm Nini, aut Alexandri Magni Principatus; quia, & in ſacrorum adminiſtratione, hominumq; ad vitam æternam directione totus conſiſtit, & ad myſterium Chriſti exprimendum, atq; imitandum totus refertur: veriùs igitur monarcha eſt coràm Deo Petrus, aut ſucceſſor Petri, quàm Nabuchodonoſor, aut quiuis alius Rex, & Imperator.

Apud Ioſeph. Alexander Magnus, quem nec Proteſtantes monarcham fuiſſe negant, adorauit Iaddum Dei Pontificem, velut ſe ipſo in rebus diuinis maiorem, & auguſtiorem. Et quem tantus monarcha idolorum cultor, velut ſe ipſo digniorem adorat, ex eoque maiorem in ſuo genere, atque ordine monarcham eſſe confitetur: hunc nos Chriſtiani (ſi tamen Chriſtiani) monarcham vllo modo eſſe negabimus? Surget ergo Alexander in die iudicij, & Proteſtantes (niſi pœnitentiam egerint) ob hanc impudentem blaſphemiam æterna damnatione digniſſimos
2. Cor. 3. eſſe atteſtabitur. Si verò Leuitici Pontifices, qui præ Apoſtolorum ſacratiſſima functione mortem, & damnationem miniſtrabant, tamen re vera ſpiritales quidam monarchæ extiterunt, quantò magis Petri ſucceſſores, qui ſpiritum, & iuſtitiam adminiſtrant, ſuper omnes alios Reges, & Imperatores monarchiam viſibilem, & ſpiritalem exercent? Cæterum Proteſtantes cum filij huius ſeculi ſint, nec aliud in oculis, quàm inanem huius ſeculi pompam ferant, eò amentiæ venerunt, vt vbi nomen terreni Regis non occurrit, ibi monarchiam nullam eſſe poſſe exiſtiment, quaſi verò Deus, quia Rex terrenus non eſt, propterea non ſit monarcha. An ignorant, qui nunc Reges dicuntur, eoſdem olim dictos eſſe Paſtores? non-
In Ilia. nè, & Homerus Regem Agamemnonem vocauit *Poimena laon*, ideſt Paſtorem populorum, &
Iſai. 44.
2. Reg. 5. Deus Cyrum monarcham vocauit Paſtorem ſuum? & de Rege Dauide ſcriptum eſt, Tu pa-
Pſal. 77. ſces populum meum Iſrael, & tu eris Dux ſuper Iſrael? & pauit eos in innocentia cordis ſui. Quid quòd Chriſtus ipſe ex æquo tam Rex, quàm Paſtor dicitur, quia videlicet vtrumque
Ier. 30. nomen rem eandem ſignificat. Seruient (inquit Ieremias) Dauid Regi ſuo, quem ſuſcitabo
Ezech. 34. eis. Ezechiel verò id ipſum ità exprimit, Suſcitabo ſuper eas Paſtorem vnum, qui paſcat eas, ſeruum meum Dauid ipſe paſcet eas. Seruus meus Dauid Princeps, in medio eorum. Quapropter cum idem ſit paſcere, quod regere, idemque Paſtor, qui, & Rex; conſtet verò Chriſtum
1 Petr. 5.
Ioan. 21. Regem Regum, & Paſtorum Principem, conſtituiſſe Petrum plùs alijs diligentem, Paſtorem ouium ſuarum; nemini mirum videri debet, ſi dicimus, Chriſtum etiam conſtituiſſe Petrum populi Chriſtiani Regem, & miniſterialem quendam monarcham. Miniſterium enim Paſtoris Eccleſiæ Chriſti propiùs ad ſpiritalem, & æternam Dei monarchiam accedit, quàm omnes omnium Regnorum in mundo ſeculares monarchiæ. Sed nunc perpende obſecro ſtupendam cæcitatem, qua hic homo, qui viſibilem Eccleſiæ monarchiam oppugnat, percuſſus fuit. Nam quem paulò ante dicentem audiuimus, titulum monarchiæ in Eccleſiam Chriſtianam
Romanar. lib. 2. c. 4. nullo modo conuenire poſſe; idem ipſe in eodem opere modum adinuenit, quo titulus monarchiæ in Eccleſiam Chriſtianam conueniat. Ait enim, Conſtantinum Magnum fuiſſe omnium Eccleſiarum caput, atque Principem, & Eccleſiæ Chriſtianæ ſumma tenuiſſe gubernacula. Quid autem hoc aliud eſt, quàm Conſtantinum fuiſſe viſibilem Eccleſiæ monarcham? Quam ergo viſibilem Eccleſiæ monarchiam ſemel ſuſtulit, & ità ſuſtulit, vt diceret, eum titulum nullo modo in Eccleſiam Chriſtianam poſſe conuenire: eandem viſibilem monarchiam

in

in Eccleſiam Chriſtianam ſub Conſtantino Magno re ipſa conueniſſe, nec ſemel, nec paucis dicit; ſed plurimis verbis affirmat, plurimiſque argumentis concludere nititur, & confirmare. Quomodo ſperari poterat, vt hic homo cum alijs Dei ſeruis, & fratribus quondam ſuis conſentiret, qui ne ſecum quidem ipſe conſentit? Viſibilis monarchiæ titulum Pontifici aufert; Imperatori donat: Paſtori aufert; oui donat: Doctori aufert; diſcipulo donat: Patri aufert, qui Chriſtianos Imperatores per Chriſti Euangelium gignit; filio donat, qui per Chriſti Euangelium ab Epiſcopo genitus, multò magis Patri ſuo ſpirituali in cauſis ſpiritalibus, quàm ſeculari, in ſeculis cauſis deberet obedire. Aufert ſucceſſori Principis Apoſtolorum; donat ſucceſſori Cæſarum Romanorum: aufert Cathedræ Petri, donat ſolio Neronis. Ei aufert, cui credita eſt æternorum Chriſti myſteriorum à ſeculo abſconditorum prorsùs diuina, & omnem naturalem hominum vim, ac poteſtatem in infinitum excedens diſpenſatio: ei donat, cui credita eſt figurę huius mundi, quæ præterit, ac perit, humana, & temporalis adminiſtratio. Poſtremò viſibilis monarchiæ titulum, immò, & omnem eius tituli modum, facultatemque toti Eccleſiæ Chriſtianæ in vniuerſum aufert; ac mox eundem titulum vni homini, & ei necdùm Chriſtiano donat. Cum enim Conſtantinum Magnum ob Donati, & Cæciliani cauſam Melchiadi Romano Pontifici, & alijs Epiſcopis vtrumque delegatam, omnium Eccleſiarum caput, ac Principem vocet, Eccleſięque Chriſtianæ ſumma gubernacula tenuiſſe contendat: Conſtantinus autem, viuente adhùc Pontifice Melciade (quod tam ex Euſebij, quàm omnium Patrum teſtimonijs locupletiſſimis conſtat) Chriſti baptiſmo initiatus non fuerit. Chriſtianus verò eſſe non poſſit, qui Chriſtum, quando poteſt, per baptiſmum non induit: neceſſe eſt, dicamus, hunc hominem viſibilis monarchiæ titulum non Eccleſiæ Chriſtianæ abſtuliſſe; eundemque vni homini, & ei nondùm Chriſtiano donaſſe, vt ſcilicet, qui necdùm eſt alicuius Eccleſiæ pes, aut infimum membrum, ab iſto conſtituatur etiam in fidei cauſis omnium Eccleſiarum caput, & Princeps. Tales ego homines quandiù omnis fidei, doctrinæ, & ingenij expertes agunt, mallem hoſtes, & aduerſarios, quàm ſocios, & fratres: qui tamen ſi ad Eccleſiam redirent, etiam multis alijs ſapientiores in Chriſto eſſe poſſent. Verùm extrà Eccleſiam, nec eſt ſalus, nec veritas, nec ſapientia, nec ſana doctrina, nec ſincera mens, & intelligentia. Nam ſi Caluinus, à quo iſte hoc argumentum hauſit, tam ſtupidè, atque inſenſate in rebus Dei verſatus eſt, vt monarchiam toti Eccleſiæ ablatam, Conſtantino needùm Chriſtiano donaret; quid aliud à diſcipulis eius in Dei cauſis expectari poſſumus, quàm nugas, ineptias, deliria?

DE CLAVE DAVID
LIBER PRIMVS.

CAPVT PRIMVM.

Domus in ſcripturis Eccleſiam, Clauis verò ſummam poteſtatem Eccleſiaſticam ſignificat, cuius vt ius penès Chriſtum, ità, & miniſterium penès Petrum, & ſucceſſores Petri eſt.

Eccleſia in ſcipturis ſacris cum inſigni quapiam domo aptiſſimè confertur: Nã omnis domus fabricatur ab aliquo. Qui autem Eccleſiam fabricauit, Deus eſt. Hebr. 3.

Domus ex multis lapidibus, calce, pice, bitumine, aut alio cęmenti genere interſtrato: Eccleſia ex multis hominibus, fidei, charitatiſque vinculo connexis, colligatis, in vnum, quaſi corpus conflatur. 1. Petr. 2.

Vir ſapiens fundamenta domus ſuæ iacit ſuprà petram, vt nec ventorum, nec pluuiarum tempeſtate de loco ſuo deturbetur. Matth. 7.

Sapientia Dei Eccleſiam conſtruxit ſuprà Chriſtum, qui eſt petra, & fundamentum, præter quod nemo poteſt aliud ponere. Nec alium Chriſtus voluit ſuæ viſibilis præſentiæ vicem hoc in genere ſuſtinere, niſi quem priùs petram factum ſua potentiſſima prece ad fratres etiam confirmandos muniuiſſet. 1. Cor. 10. 1. Cor. 3. Matth. 16. Luc. 22.

Domus ab vno domino, ſeu patrefamilias regitur, ne alioqui contrà ſe diuiſa non ſtet, ſed cadat: Eccleſiæ verò vnus eſt Deus pater, ex quo omnia, & nos in illum, & vnus, quo omnia, & nos in illum, & vnus Dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum. Dominus domus peregrè proficiſcens, non multos ſeruos, ſed vnum fidelem, & prudentem ſuprà familiam ſuam conſtituit, qui det illis in tempore tritici menſuram. Math. 12. 1. Cor. 8. Matth. 24.

Chriſtus in cœlum profecturus, vt acciperet ſibi Regnum, & reuerteretur, ſuprà Eccleſiam conſtituit, non multos ex ęquo, ſed vnum Simonem Petrum, adeò fidelem ſeruum, vt Eccleſiam de fide illius ſecuram fecerit, dum eidem diceret, Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos. Porrò eundem Petrum adeò prudentem futurum, & præuidit, & prouidit, vt ad eum ante omnes alios diceret, Quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum in cœlis: & quodcumq; ſolueris ſuper terram, erit ſolutum, & in cęlis. Quod perindè eſt, ac ſi dixiſſet; faciam, ne aliquid liges, aut ſoluas aliter, quàm vera, atque æterna prudentia poſtulat: alioqui non quicquid in terris ligaret, aut ſolueret, in cęlis ratum haberetur. Luc. 22. Math. 16.

Moriente ſeruo, quem ſapiens Dominus ſuprà familiam ſuam conſtituit, non proptereà euertitur domus, aut alia deinceps forma, & ratione gubernatur. Nam domus in ſcripturis familiæ poſteritatem, & florentem in eodem ſtatu ſucceſſionem ſignificat, ſicut ſcriptum eſt, Quia timuerunt obſtetrices Deũ, ædificauit eis domos. Et Nathan ad Dauidem ait, Annuntio tibi, quòd ædificaturus ſit Dominus domum. Suſcitabo ſemen tuum poſt te, quod erit de filijs tuis, & ſtabiliam regnum eius. Et fidelis erit domus tua, & regnum tuum vſque in æternum ante faciem meam. Et thronus tuus erit firmus iugiter. Denique quod dicitur, Niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam, Intelligitur de ſtabili, & florente alicuius familiæ ſucceſſione, & perpetua duratione. Chriſtus autem, licèt perſona Petri ex hoc mundo tranſitura eſſet, poteſtatem eius in Eccleſia permanſuram, & poſteris eius, qui non ſecundùm carnis corruptionem, ſed ſecundùm vocationem gratiæ cœleſtis in ſingulari Cathedra ei ſuccederent, relinquendam promiſit, ad eum dicens, Tu es Petrus [Ideſt, rupes, ſeu petra quædam temporalis,] & ſuper hanc petram, [quæ videlicet tu per meam deuotionem es] ædificabo [de generatione in generationem] Eccleſiam meam, ideſt, domum meam ſpiritalem, quæ conſtat ex lapidibus viuis, quorum lapidum tu es viſibile robur, & ſuſtentaculum. Et portæ inferi non præualebunt aduerſùs eam petram, & ex conſequente, nec aduerſùs Eccleſiam, quæ ſuprà eam petram ædificatur. Stat ergo ſemper, vt domus ipſa, quam Chriſtus tum inuiſibili modo ſuprà ſe, tum viſibili ſuprà Petrum ſtabiliuit; ſic, & miniſterialis illa poteſtas, quam peregrè proficiſcens Petro contulit, cum ad eum diceret, Amas me plùs Exod. 1. 1. Paralip. 17. & 22. 2. Reg. 7. Pſalm. 116. Ioann. 21. Math. 16.

his

Ioann 21. his? paſce agnos, & oues meas. Præterea
tam Petri, quàm fratrum eius, quos ille
confirmare iubebatur, poteſtatem in æternum
Matth. 28. manſuram Chriſtus prædixit his verbis: Ite,
docete omnes gentes baptizantes eos. Ecce
ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad
conſummationem ſæculi. Si Chriſtus cum il-
lis vſque ad finem ſæculi; eunt, docent, &
baptizant omnes gentes, non vtique in ſe
Matth. 10 ipſis, verùm in ſucceſſoribus ipſorum. Iam
verò cum Matthæus, & ipſe Apoſtolus teſte-
tur Petrum fuiſſe primum Apoſtolorum; pro-
fectò, vt inter Apoſtolos vnus fuit primus,
Luc. 22. quem etiam Chriſtus alibi, Maximum inter
illos, & prædeceſſorem vocat; ſic inter Apo-
ſtolorum ſucceſſores, illos, quibuſcum Chri-
ſtus eſt vſque ad conſummationem ſæculi,
ſemper neceſſariò vnus eſt aliquis paſtor pri-
mus, idemque maximus inter paſtores, &
1. Cor. 10. præceſſores. Aduersùs ergo talem Chriſti do-
mum non modò ſuprà inuiſibilem petram
Chriſtum; ſed etiam ſuprà viſibilem petram
Simonem Petrum, & Petri ſucceſſores ædifi-
Matth. 16. catam, portæ inferi non præualebunt. Hæc
1. Timoth. 3. enim eſt domus Dei, Eccleſia Dei viui, co-
lumna, & firmamentum veritatis.

Domus quælibet domeſticis, & amicis
patet, hoſtibus verò, & alienis clauditur.
Oſtium etiam Eccleſię aperitur fidelibus, vt
qui ingrediuntur lumen videant, clauditur
verò filijs tenebrarum: quoniam eos, qui fo-
Luc. 8. ris ſunt, non Eccleſia, ſed Deus iudicabit.
1. Cor. 5. Eos autem, qui ſunt intus, Eccleſia iudi-
cat.

Ad oſtium domus ianitor conſtituitur,
cui Dominus domus præcipit, vt vigilet. Ia-
Marc. 13. nitor Eccleſiæ Petrus eſt, & Petri ſucceſſor,
cui Dominus Eccleſiæ ait, Et tibi dabo cla-
Matt. 16. ues Regni Cœlorum, ideſt, tu ſummam mi-
niſterij Eccleſiaſtici poteſtatem accipies, ita
vt te aperiente oſtium Eccleſiæ, aut ſoluente
ſeram, ſeu legem aliquam Eccleſiaſticam,
dum ea, quæ Dei ſunt, diſpenſas: nullus in
terris poſſit idem oſtium claudere, aut can-
dem ſeram ligare. Te verò claudente oſtium
Eccleſiæ, aut ligante ſeram, ſeu legem ali-
quam Eccleſiaſticam; nullus in terris poſſit
idem oſtium aperire, aut legem illam reſera-
re, & diſſoluere.

Hanc enim eſſe veram interpretatio-
nem verborum Chriſti, vt videlicet clauis
poteſtatem in eo rerum genere, de quo agitur,
ſummam, & à nemine retractandā ſignificet,
tam Iſaias quàm Ioannes Euangeliſta conte-
ſtatur. Dominus enim Sobna de miniſterio
templi depoſito, ad Eliacim, quem in locum
Iſaiæ 22. Sobnæ ſubſtituebat, apud Iſaiam dixit, Dabo
poteſtatem Sobnæ in manu tua, & dabo cla-
uem domus Dauid ſuper humerum tuum.
Aperies, & non erit, qui claudat: claudes, &
non erit, qui aperiat. Et alibi, hæc dicit San-
Apocal. 3. ctus, & verus, qui habet clauem Dauid, qui ape-
rit, & nemo claudit, claudit & nemo aperit:
quinimò ipſe Chriſtus cum ad Petrum dixiſ-
ſet, Dabo tibi Claues Regni Cœlorum, ſta-
tim ſe ipſum interpretatus eſt, dicens, Quod-
cumque ligaueris, aut ſolueris ſuper terram,
erit ligatum, & ſolutum in cœlis; quod vtiq;
non dixiſſet, ſi vlla in terris poteſtas Petri
poteſtate maior, aut etiam penitùs æqualis
fuiſſet, aut vmquam futura eſſet.

Clauis ergo ſignificat ſummam, & maxi- Matth. 16.
mam poteſtatem Eccleſiaſticam, cuius in Apoc. 1. & 3
Chriſto ius æternum eſt, & Dominium libe-
rum, atque abſolutum: in Petro autem, & ſuc-
ceſſoribus Petri miniſterium ſummum; & id
vſque ad conſummationem ſęculi duraturū: Rom. 11.
ſine pœnitentia enim ſunt dona Dei, & voca-
tio.

CAP. II.

Quantò præclarius poteſtas Eccleſiæ per Clauis, quàm per Gladij vocem exprimatur.

CVm ſæcularis, & terrena poteſtas non
potiſſimùm in laudando, & præmijs ef-
ficiendo (nam hoc ei cum priuatis commu- Exo. 20.
ne reperiretur,) ſed in occidendo, & vitam
auferendo, (quod priuatis eodem iure face-
re non licet) vim ſuam exerat, & oſtentet;
Gladius autem ab inferenda clade nomen
ſuum adeptus, auferendæ vitæ celerrimum,
& maximè vſitatum inſtrumentum habeatur; Rom. 13.
non temerè comparatum eſt, vt ſæcularis po-
teſtas diceretur poteſtas gladij. Neque verò
miniſter Dei ſine cauſa gladium portat, vin- 2. Cor. 10.
dex in iram ei, qui malum agit.

Cæterùm, quia ſpiritalis, & Eccleſiaſtica
poteſtas non in deſtructionem, verùm in ędi-
ficationem datur: poteſtas verò domum ędi-
ficandi penès eum eſt, qui clauem domus ha-
bet, vtique Eccleſiaſtica poteſtas multò aptiùs
clauis, quàm gladij voce deſignatur. Eſaiæ 22.

Clauis nomen ad Domum, ideſt, ad ſo-
cietatem quādam in vnum collectam, & con-
iunctam neceſſariò refertur. At gladij vox
nihil tale ſignificat.

Duplex eſt vſus clauis, vt vel aperiat, Apocal. 3.
vel claudat, vnicus gladij, vt vleiſcatur tan-
tùm, & vindicet.

Cum nulla domus rectè gubernetur prę- Matth. 12. & 24.
terquam ab vno patrefamilias, clauis verò
ad domum neceſſariò ſpectet; efficitur, vt
clauis poteſtas non niſi vnitatem rectoris,
& monarchiam gubernandi rationem ſignifi-
cet. At gladius ex æquo eſt monarcharum,
optimatum, & reipublicæ. Vndè gladij po-
teſtas, ſeu merum imperium aliquando penès
totum populum Romanum fuit.

Clauis indicat mitem, & paternam gu-
bernationem, qualis in domo exercetur; Gla-
dius cruentam, & ſeueram, qualis in regno,
aut republica exercitur.

Poteſtas clauis ad ius naturæ, quod Gen. 1. 2. 3. 4
etiam in ſtatu innocentiæ primas tenuiſſet,
proximè accedit. Nam etiam tunc vni pri-
mo parenti omnes obedituri eramus, qui ve-
lut claue quadam paterna vniuerſam huma-
ni generis familiam, rexiſſet. Cæterùm po-
teſtas gladij non niſi ex iure gentium eſt, ſicut
bellum, & ſeruitus.

Clauis poſteritati conſulit: Gladius,
quod in ſe eſt, eandem perdit; vndè qui ob
grauiora quædam crimina gladio feriuntur,
eorum poſteri exhæredantur, & domus, ſeu
familia extinguitur. Itaque clauis hoc agit,
vt domus ſtet, ac viuat in ęternum. Gladius
verò cum vitam tollat, & mortem inferat,

maximè contrarius eſt vitæ, ac immortalitati.

Poſtremò, non tam gladius clauem, quàm clauis gladium ſub ſe comprehendit, de quo nunc agam pluribus.

CAP. III.

Clauis poteſtatem, & antiquiorem, & ſublimiorem eſſe, ac gladium materialem ſub ſe comprehendere.

ET ſi nulla ſit domus, quæ aut claui, aut gladio iam ferè caueat; tamen clariſſimum eſt, gladium in qualibet domo clauis auctoritati, & cuſtodiæ ſubeſſe.

Gladius enim vnum eſt ex vulgaribus inſtrumentis, quæ in domo inſtructa neceſſariò habentur. Clauis verò non vulgare inſtrumentum, ſed præcipuum totius Domus moderamen, & columen eſt.

Cum Salomonis lectulum ſexaginta viri
Cantie 3. ex fortiſſimis Iſrael ambirent, omnes tenebant gladios, vtpotè ad bella doctiſſimi, & vniuſcuiuſq; enſis propter timores nocturnos erat ſuper femur ſuum. Sed cum iſte lectulus in domo Salomonis fuerit, domus verò claui regeretur; non ne liquidò apparet, in domo qualibet inſigni maiorem eſſe clauis, quàm gladij poteſtatem? Eccleſia verò Chriſti eſt domus Dei, & illa quidem inſtructiſſima, quæ videlicet Salomonis etiam lectulum in ſe continet. Ex quo fit, vt nec in Eccleſia deſint gladij, & illi omnes ſub poteſtate clauium Eccleſiæ comprehendantur. Noe præco iuſtitiæ, quid erat aliud, quàm pater familias, qui liberos ſuos non gladio, ſed claui regeret? Nam, & arca ipſa, in qua
Gen. 6. totius humani generis reliquiæ, ac ſemen comprehendebatur, fuit domus quædam ex lignis fabricata, cuius oſtium in latere ponebatur. Oſtium verò aperitur claue. Iam
Gen 9. huic ipſi patrifamilias data eſt poſteà etiam
Gen. 4. 5 6. gladij poteſtas, his verbis, quicumque effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius. Res enim ipſa docuerat malè humano generi ceſſiſſe, quòd Cain poſt effuſum fratris ſanguinem viuere permiſſus, omnes filios ſuos à via Dei abductos, nihil niſi negotia ſæcularia docuiſſet; ob eamque cauſam data eſt Noe poteſtas gladij, vt homicidas non tantùm ex domo ſua, vt & Adã fecerat,) ſed etiam ex hoc mundo exterminaret.

Sed cum gladij huius poteſtas non niſi, & patriſamilias, & poſt diluuium conceſſa ſit; certiſſimum eſt, poteſtatem clauis, & multò antiquiorem fuiſſe, & gladij poteſtatem ſemel inſtitutam ſub ſe complecti. Neque verò Noe iam accepta poteſtate gladij, vel abiecit, vel ſubmiſit nouo huic gladio prio-
Gen. 9. rem clauem ſuam, ſed ad cętera domus ſuæ inſtrumenta etiam gladium adiecit, cum interim illa omnia claui ſuæ ſubeſſent, eiuſque miniſterio, vel ſoluerentur ad opus faciendum, vel etiam ſub ſeræ cuſtodia ligarentur, ne vel cuiquam temerè nocerent, vel per negligentiam perirent.

Abraham cum vxore, & familia velut Gen. 12.
paterſamilias de patria ſua egreſſus, cum Gen. 14.
audiſſet Lot filium fratris ſui ab hoſtibus captum, familiam ſuam armauit, percuſſitque hoſtes, & Lot fratrem ſuum reduxit. An clauis gladio iam non imperauit? Cum enim opportunum videbatur, tunc Abrahæ clauis gladios; quos ſub ſua poteſtate habebat, toti familiæ diſtribuit. Quid multis? vt quàm potens, & regia ſit Eccleſiæ Dei clauis, intelligeremus, Spiritus Sanctus iam nominauit non priuati cuiuſpiam, ſed clauem Dauid, quem conſtat fuiſſe Paſtorem, Prophetam, & Apoc 3.
Regem.

CAP. IV.

Quid ſit Clauis Dauid, & vndè nomen hoc deſumptum videatur.

SI clauis eſt ſumma poteſtas gubernandi aliquam domum, aut ciuitatem; vtique clauis Dauid eſt ſumma illa poteſtas, quam in Dei populo gubernando Rex Dauid in figuram Chriſti, prudenter, iuſtè, fortiterque exercuit. Clauis enim Dauid in ſcripturis ſacris definitur, Summam, & irretractabilem po- Apoc. 3.
teſtatem eſſe, quæ aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit. Ratio autem nominis videtur indè ſumpta, quòd Dauid primùm in monte Sion, domum, ſeu turrim erexit, qua fretus, Iebuſæos, arcem munitiſſimam in eiuſdem montis colliculo poſſidentes, oppugnaret. Deindè Iebuſæorum arce expugnata, 2. Reg. 5.
eandem præſidio muniuit, & ciuitatem Dauid appellauit. Et quoniam in ſcripturis ſa- Hebr. 12.
cris mons Sion, & ciuitas Dauid ſignificat Chriſti Eccleſiam, quæ (velut olim ciuitas Dauid) tum ſpiritualibus Iebuſæis in forti Matt. 5. 16.
brachio erepta, tum in monte munitiſſimo poſita, nec ciuium oculis abſcondi, nec hoſtium telis poteſt expugnari; Portæ verò ciuitatis Dauid claue illius aperiebantur, & claudebantur eaque claue ſumma rerum omnium adminiſtrabatur: propterea factum eſt, vt per clauem Dauid, Chriſti primùm libera, & abſoluta deindè miniſtrorum Chriſti miniſterialis quidem illa, ſed tamen ad omnia ſoluenda, & liganda efficax, fortis, & valida poteſtas deſignaretur.

Scio apud Eſaiam reperiri non modò Eſaia 22.
clauem Dauid, ſed etiam clauem domus Dauid, quod aut de templo Salomonis, aut de regia domo, quam Dauid in monte Sion ædificauit, aut de populo fideli, (quem velut familiam, & domum Chriſti ſpiritualem Dauid rexit) accipi poteſt. Nàm & templum Salomonis potuit appellari domus Dauid, tum quia Dauid primus id vouerat, materiamque Pſal. 131.
omnem in eius ædificationem præparauerat: 1. Paralip. 22.
tum quia filio Salomoni, vt templum exædificaret, iam moriens præparat.

Sed abſurdum eſt, vt per clauem Dauid nihil aliud intelligamus, quàm illius templi typici adminiſtrandi poteſtatem; præſertim cum Dauid, neque Sacerdos ſecundùm ordi- Hebr 7.
nem Aaron fuerit, ſed de alia tribu: & tàm ipſe, quàm cæteri Prophetæ, & Apoſtoli arcem

Sion

Digitized by Google

Sion templo Salomonis anteponete num-
Pſal. 2. quam dubitauetint. Chriſtus enim conſtitu-
Pſal. 47. rus cſt tex ſuper Sion montem ſanctum Dei.
Et mons Sion Ciuiras regis magni ſundatur
Pſal. 86. exultatione vniuetſæ terræ. Diligit Dominus
Eſaiæ 2. pottas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob;
Pſal. 109. ex Sion exibir lex, & indè virgam virtutis ſuę
Hebr. 12. Dominus emittet: vnde & Apoſtolus ait, Ac-
Niceph. l. 1. cap. 28. ceſſiſtis ad Sion montem, & Ciuitatem Dei
Ioann. 31. viuentis. Denique in monte Sion Dominus
2. Cor. 3. Heb. 8. Ieſus, & Euchatiſtiam inſtieuit (veterem
Ioann. 14. agnnm Paſchalem in verum Dei agnum, ac
& 16. viui veteris libamen in noui Teſtamenti ſan-
guinem transferens) & Spititum ſanctum in
diſcipulos demiſit, quæ eſt noua noui Teſta-
menti lex, non in tabulis lapideis, ſed in ta-
bulis cordium carneis conſctipta, cuius vi
Eccleſia Chriſti poriſſimùm gubernatut.

Cæterùm, quod ad templum Salomonis
Ierem. 7. attinet, Ietemias non eſſe in loco illo confi-
Michææ 3. dendum, Michæas verò in excelſa ſiluarum
Aggæi 2. futurum eſſe, Aggæus domum alterius nouiſ-
ſimæ domus maiorem fore glotiam prædixit.
Math. 24. Denique Chriſtus de eodem templo ait, Non
telinquetur lapis ſupet lapidem, qui non de-
ſtruatur.

Poteſtas igitue Chriſti, quæ templum
Salomonis, & Iudaici populi regnum deſtru-
xit, nouamque ſibi Eccleſiam in gentibus
conuocanit, multò meliùs per clauem Dauid,
qua Ciuiratem ſuam in monte Sion extruxit,
cotumque Dei populum texit, intelligirut,
quàm per illam dumtaxat clauem, qua tem-
plum Salomonis adminiſtrabarur. Multo
enim latiùs patec clauis Dauid, quàm clauis
templi Salomonis. Sin per domum Dauid
intelligamus, vel ipſam domum, & arcem
Dauid, vel fidelem Dei populum; iam ea-
dem eſt clauis Dauid, & clauis domus Da-
uid.

Vtcunque ſit, Dauid non fuie miniſter
Apocal. 3. hominis alicuius, qui, quod Danid clauſiſſer,
Ioann. 10. aperiendi; aue quod aperuiſſee, claudeudi
1. Reg. 17. maiocem haberet puteſtatem: verùm ſuit Do-
minus arcis, & Ciuitatis ſuæ, qui clauſit, &
nemo aperuit; qui aperuie, & nemo clauſir,
ab ineunte ætate ſua non fur, aut latro, qui
oues furatut, & mactat; ſed legitimus paſtor,
Hebr. 5. qui & per oſtium intrauit, & ob cuſtodiam
gregis Leonem, & Vrſum interfecit: non ſe
ipsũ ingerens, nec antèquam mitteretur cur-
1. Reg. 16. eens, ſed vocatus, & electus à Deo tanquam
Aaron; non proſanis manibus ſacrum mini-
2. Reg. 2. ſterium ſuſcipiens, ſed vnctus primùm à Sa-
& 5. muele in medio ſratrum: Deindè in Hebron
1. Reg. 17. ſuper viros iuda, & demùm ſupee decem reli-
2. Reg. 25. quas tribus Iſrael: non tantùm in ijs, quæ
Matth. 1. geſſit, verùm, & in ijs, quæ à proprio etiam fi-
lio paſſus eſt, præfigurans Chriſtum; nec id
Rom. 1. velue vnus quilibee de populo, ſed velut pater
Pſal. 118. Chriſti ſecundùm carnem: nec vt huius my-
2. Reg. 23. ſterij rudis, aut ignarus, verùm vt ſapientiſſi-
Prophera, qui ea, quæ ad Chriſtum ſpectabant,
ſupra omnes ſenes intellexit: nec ſibi ſoli hęc
ſciuit, aut intus tantùm cecinit, ſed pſaltes
1. Paral. 27. egregius Iſrael, qui etiam iniquos viam Dei
docuit, non otioſus aut piger, ſed domi pru-
dentiſſimi patrisfamilias, militiæ fortiſſimi
Ducis munera obiens, ſæpiſſimè cum hoſte
1. Reg. 17. dimicans, nunquam victus, aut fugatus, nec
tamen in brachio carnis ſuæ cunfidens, verùm
in nomine Domini exetcituum, Dei agmi-
num Iſrael ſemper prælians, non circà Dei 1. Paral. 15.
cultum negligens; ſed tum deducens arcam 1. Paral. 23.
Dei, & coram ea ſaltans, tùm vices Leuita- & 24.
cum diſtribuens, tùm Sacerdotum ſottes vi- Pſal. 131.
ginti quatuor conſtituens, rùm Deo firmam. 1. Paral. 21.
& 29.
ac ſtabilem domum mox ædificandam pri- Pſal. 131.
mus mortalium vouens; materiam prępatans,
& altare in loco futuri templi extrueus, vbi
cum immolaſſet holocauſtum, Dominus eum
per ignem cælitùs demiſſum exaudiuit. Atque
in his omnibus nihil ſupetbi ſibi arrogans, ſed
paſcens, & regens Dei populum innocentia
cordis ſuis, & intellectu manuum ſuarum de-
ducens eum, vit ſecundùm cot Dei. Nec vit Pſal. 77.
priuatus, ſed potentiſſimus Rex: nec Iudęo- Pſal. 59.
rum modò Rex, ſed & gentium, cui, & Moa-
bitæ, & alienigenæ ſubditi fuerunt, qui poſuit 1 Paral. 18.
milites in Damaſco, & præſidium in Edom,
vt & Syria, & Idumæa ſeruiret ſibi; nec ad
breue tempus regnauit, ſed regnum ad poſte-
ros ſuos in omnes generationes tranſmiſit. Ierem. 33.
Quia ſicut pactum Dei cum die, ac nocte, vt
ſint in tempore ſuo; ſic pactum eius cum
Dauide, vt ſit ex eo filius, qui regnet in thro-
no eius; nec in obſcuro regnet, ſed thronus
Dauidis, ſicut Sol in conſpectu Dei, & ſicut
Luna perfecta in æternum. Huius ergo Da- Pſal. 88.
uidis, huius electi viri, huius vigilantiſſimi
Paſtoris, prudentiſſimi patrisfamilias, peri-
tiſſimi Regis; ſapientiſſimi Ductoris, & Pro-
phetæ, affictiſſimi hominis, manſuetiſſimi
pectoris, glorioſiſſimi victoris, pientiſſimi Pſal. 109.
ordinatotis miniſteriorum domus Dei, inſti-
tutoris noui templi: condirotis nouæ Ciui-
tatis, qui ſecundùm carnem pater, ſecundùm
ſpiritum filius, immò, & ſeruus Meſſiæ fuit:
huius inquam paſtoralem, Oeconomicam, Apoc. 3.
militarem, Regiam, Propheticam, Hierar-
chiam ſtabilem, & in omni cauſa victricem
poteſtatem, & clauem Chriſtus habere dici-
tur.

Quamquam enim Dauid ſecundùm or-
dinem Aaron Sacerdos non fuerit, (quia ne-
que Chriſtus tali Sacerdorio fungi dignatus
eſt) tamen & ea, quæ ad miniſterium Sacerdo-
tij Aaron ſpectabant, diſpoſuit, & de tribu Paralip. 23. & 24.
ſanctiore ſuit, ex qua Chriſtus eſt ortus, &
conuenticula Leuiticorum Sacerdotum, quæ Pſal. 15.
de ſanguinibus congregabantur, Deo minùs Pſal. 98.
placere oſteudit, & verum propitiatorium;
quod & ſcabellum pedum Domini voca-
uit, nempè humanam in filio Dauid natu- Pſal. 107.
eam adotare nos iuſſit; & Sacerdotium, Pſal. 83.
quod eſt ſecundùm ordinem Melchiſedech, in
æternum duraturum prædixit, amans qui- Hebr. 10.
dem vetus tabernaculum, vt vmbram futuro-
rum; ſed Chriſtum colens vt ipſam rei veri-
tatem.

Hæc igitur clauis Dauid: qua, ſi quis
dicat, omnem ſacram, ſummam, vtilem, &
ſemper duraturam Chriſti Dei & hominis po-
teſtatem ſignificari, non errauerit.

CAP. V.

*Gladium Dauidis eiuſdem claui ſubie-
ctum fuiſſe.*

2.Reg. 1. & 4 GLadius Dauidis, quo Amaleciten, qui
ſe dixerat Saulem occidiſſe, quo etiam
2.Paral. 22. interſectores Isboſeth occidi iuſſit, quo de-
nique multum ſanguinem ſudit, & plurima
bella bellauit, minor fuit eiuſdem Dauidis
Rom. 13. claue, & ſub eadem comprehendebatur. Cùm
Matth. 16. enim ſecularis poteſtas per gladium, ſpirita-
Pſal. 15. lis per clauem ſignificetur; nec dubium ſit,
4. Reg. 11. quin Dauid, qui Dominum propoſuit in
conſpectu ſuo ſemper, & in toto corde quæſi-
uit illum, terrenam poteſtatem ſuam ſpiritua-
li haud ſeüs, quàm ſenſum, aut concupiſcen-
tiam rationis imperio ſubiecerit; neceſſe eſt
gladium Dauidis claui eiuſdem ſubiectam
2.Reg. 21. fuiſſe. In cuius rei ſignum, & gigantis Go-
liath gladium iure belli acquiſitum Domino
conſecrauit (erat enim pallio inuolutus poſt
Ephod) & haſtas, armaque ſua repoſuit in
domo Domini, quæ Ioiadas Pontifex illis
poſteà militibus, & Centurionibus diſtri-
4 Reg. 11. buit, quia Ioa rege creato, Athaliam occi-
derunt.

Præterea cum Dauid turrim illam in
monte Sion feciſſet, eam ædificauit cum pro-
Cant. 4. pugnaculis: mille clypei pendebant ex ea
omnis armatura fortium. Turris Dauid in-
ſtrumento clauis Dauid, aperiebatur, & clau-
Hebr. 12. debatur. Principatus igitur illius domus pe-
nès clauem Dauid fuit. Porrò mons Sion
Eccleſiam ſignificabat. Cùm ergo non gla-
dius turrim, ſed turris Dauid gladium, om-
nemque armaturam Dauid comprehenderit,
ea re declaratum eſt, maiorem eſſe illam Da-
uidis poteſtatem, quæ claue ipſius, quàm quæ
gladio adminiſtrabatur.

Poſtremò, Dauid etiam in eo quòd rex
Oſee 3. erat, typus Chriſti fuit. Poſt hæc, inquit
Oſee, reuertentur filij Iſrael, & quærent Do-
minum Deum ſuum, id eſt Chriſtum, quem
Rex Dauid præfigurauit. Nàm alioqui Dauid
ipſe iam olim defunctus fruſtrà ab illis quære-
Ier. 30. retur: Et ſeruiens, inquit Ieremias, Domino
Deo ſuo, & Dauid Regi ſuo, quem ſuſcitabo
eis: poteſtatis autem Regiæ proprium inſi-
gne gladius eſt. Cum ergo Regius Dauidis
Rom. 3. gladius Chriſti figuram geſſerit, Chriſtus ve-
rò, vt eam figuram impleret, non ſecularem
Ioann. 18. Dauidis gladium (quia Regnum Chriſti de
hoc Mundo non eſt, vt gladius Dauidis fuit)
Apoc. 3. ſed clauem tantùm habuerit; vtique in Daui-
dis claue, quam Chriſtus habet, continetur
Matth. 28. etiam regia Dauidis poteſtas, qua Chriſtus,
cui omnis poteſtas data eſt, nullo modo ca-
ret. Maior igitur ſine controuerſia fuit cla-
uis, quàm gladius Dauid, & ideò illa hunc
intra ſe complexa eſt. Chriſtus clauem Daui-
dis habens, in ea quoque habet gladium Da-
uidis, quia per poteſtatem ſuam cœleſtem.
quæ clauis nomine ſignificatur, ius habet im-
perandi, tàm Dauidis, quàm aliorum Prin-
cipum gladijs, licèt ipſos eorum gladios, qui
Ioann. 18. de hoc Mundo ſunt, eo iure nunquam volue-
rit accipere: quia nihil de hoc Mundo natum,
& profectum accepit, ſed Pater cœleſtis de-
dit illi, quod toto Mundo in finitis partibus
maius eſt. Itàque vt primogenitus Regis, cui
Regnum hæreditario iure debetur, non ſolet
eques, non comes, non marchio, aut dux
creari; ſed cum accipit regni poſſeſſionem,
hæc omnia iura velut intra iuris regij ambi-
tum comprehenſa, præclariore modo acci-
pit.

Sic & Chriſtus non eſt creatus Rex poli-
ticus, vt alij Reges de hoc Mundo ſolent, ſed
cum Verbum caro factum eſt, quicquid pote- Ioann. 1.
ſtatis vlla caro in Mundo habuit, hoc totum
vi ſuæ Incarnationis Chriſtus habuit, non
quaſi de Mundo, aut hominum donatione ac-
ceptum, ſed iure ſuo hæreditario, quod Deus
Pater ei contulit. Sed quoniam Proteſtantes
apertè negant Chriſtum habuiſſe poteſtatem
in gladios regum, aut ad politias conſtituen-
das; inſtituetur iam de hac re accuratior
quædam diſputatio, in qua totius controuer-
ſiæ caput explicabitur.

CAP. VI.

*Blaſphema illa Magdeburgenſium
doctrina confutatur, qua negant
Chriſto demandatum eſſe, vt
regna tunc conſtituat,
cum id electo-
rum ſaluti
expedit.*

CErto certius eſt, inquiunt Magdeburgen-
ſes, Chriſtum non miſſum à Patre, vt Centur. 1. lib. 2. cap. 7. pag. 526.
conſtituat regna, ac politias, nec habuiſſe
gladium politicum. Negat enim ſuum Re-
gnum eſſe de hoc Mundo, aut ſe hic conſtitu-
tum iudicem. Igitur nec vllus Apoſtolorum,
aut Chriſti Vicarius debet ſibi quicquam ta-
le vſurpare, quod ipſi Chriſto à Patre deman-
datum non fuit. Hæc illi.

Poſſent quidem hæc omnia, quæ Mag-
deburgenſes dicunt, ſi rectè acciperentur,
illis concedi. Nàm neque Chriſtus, neque Explicatio mentis Magdeburgenſium.
Vicarius Chriſti miſſus eſt ad regna profana
conſtituenda, quæ longè antè Aduentum
Chriſti ſecundùm ius gentium, & ciuile con-
ſtituta in hoc Mundo fuerunt. Sed cum per-
ſpicuè conſtet, hæc ab illis ea mente dici, vt
probent nec Chriſtus, nec in Chriſti nomine
Pontificem Romanum poſſe Principes etiam
Chriſtianos ob hæreſim, aut vllum aliud cri-
men, imperij ſui gradu priuare; hæc hæreſis
vtcumque ambiguis verbis proferatur, ſecun-
dùm impiam iſtorum ſententiam confutanda
eſt. Cũ enim Vicarius Chriſti non Ethnica, ſed
tantùm Chriſtiana regna certis de cauſis in-
terdùm conſtituat, aut transferat; iſti autem,
quod à Pontifice fieri vident, hoc tàm Pon-
tifici, quàm Chriſto ipſi demandatum à Deo
negent; rectè nos illorum verba in eam par-
tem refellimus, qua Pontificis Romani ſan-
ctiſſimam conſuetudinem oppugnant, vt-
cumque ab illis ſub implicita, & perplexa
politiarum, & politici gladij ſpecie inuol-
uantur.

Cum

Confutatio hęreſis Magdeburgenſ. Ioan. 3. Ioan. 17. Cum ergo Chriſtus in mundum miſſus fuit, vt ſaluetur mundus per ipſum; rectè dicimus, tunc demùm, & Chriſtum à Patre, & Pontificem Romanum à Chriſto ad regna, & politias conſtituendas miſſum eſſe, quando id ſaluti animarum conducit.

Ipſe enim ad Patrem ſuum ait: Dediſti Filio poteſtatem omnis carnis, vt omne, quod
Deuter. 17. dediſti ei, det eis vitam æternam. Niſi au-
1. Reg. 15. tem certi regis, vel conſtitutio, vel deiectio
1. Reg. 13.
Pſalm. 77. ſalutem populorum fidelium proueheret, Deus per Moyſem non præcepiſſet, vt, ſi quando Iſraelitæ regem ſibi vellent conſtituere, non poſſent alterius gentis hominem, quàm qui eſſet frater ipſorum, regem facere. Hinc cum Saul inobediens factus eſſet, Deus quæſiuit Dauidem, virum iuxtà cor ſuum, qui populum Dei paſceret in innocentia cordis ſui, & in intellectu manuum ſuarum deduceret eum.

Iam cum politici regni, tam destructio in perſona Saulis conſecuta, quàm ædificatio in perſona Dauidis ad paſcendum Dei populum procurata fuerit: quicquid autem ad æternam fidelium ſalutem vnquam pertinuit,
aut adhuc pertinet, id per vnum mediatorem
Act. 4. Dei & hominum, hominem Ieſum Chriſtum ſine omni controuerſia geſtum fuerit; atque in huius regni viſibile ſignum, tam Samuel mi-
Heb. 3. niſter Tabernaculi Dei Saulem, & Dauidem, quàm Sadoc Sacerdos Salomonis Dauidis filium in regem vnxerint; certiſſimum eſt, Chriſtum (cuius famuli domeſtici Samuel, & Sadoc erant) à Patre miſſum eſſe ad regna, & politias pro bono æternæ ſalutis intrà Eccleſiam ſuam conſtituendas, atque etiam euertendas.

Nihil enim fecit Chriſtus, ad quod faciendum miſſus non eſſet: nihil fecerunt Leuitæ, ac Sacerdotes miniſtri Chriſti ſecundùm Dei mandatum, & præceptum, quod non propriè ad Chriſti poteſtatem pertineret. Moyſes enim, & cæteri omnes Prophetæ, ac Sacerdotes miniſtri, & famuli erant in domo Chriſti, hoc eſt, in Eccleſia. Chriſtus verò fuit in domo non aliena, ſed ſua; & ibi non tamquam famulus, ſed tamquam filius, cui Deus Pater omnem poteſtatem in cœlo, & in terra dedit.

Quicquid ergo legitimè fecerunt Samuel, Sadoc, & Moyſes in domo Chriſti, fe-
Ioan. 5. cerunt non ex ſua, verùm ex Chriſti poteſtate. Chriſtus autem non venit à ſe ipſo, ſed à Patre miſſus, & cuſtodiuit voluntatem eius in omnibus. Miſſus ergo eſt Chriſtus ad politicum regnum Saulis iam inobedientis diſſipandum, itemque ad fidele, idemque politicum regnum Dauidis conſtituendum, & confirmandum; quod idem de cæteris omnibus
Ierem. 1. Eccleſiæ Chriſti regnis accipiendum eſt, ſicut ad Ieremiam in figura Chriſti dictum eſt, Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes, & ſuper regna, vt euellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes.

Aut potuit facere aliquid Propheta, & miniſter Chriſti, quod Chriſtus Eccleſiæ Dominus, & caput facere non potuit? Quis regnum ſcidit de manu Salomonis, niſi Chri-
1. Reg. 12. ſtus, qui per Ahiam Silonitem Prophetam ſuum, decem tribus dedit Ieroboam? aut cur priuatus eſt Roboam filius Salomonis tanta regni paterni parte; niſi quia Salomon dereliquit Deum, & adorauit Aſtarthem deam Sidoniorum, & Chamos Deum Moab, & Moloch Deum filiorum Ammon, nec ambulauit in vijs Domini, vt faceret iuſtitiam coram Deo, & præcepta eius, ſicut Dauid Pater eius? Quòd ſi ob veram Dei religionem contemptam, & falſum cultum vſurpatum magna parte regni ſui priuatus eſt Salomon, eiuſque rei nuntius, & miniſter Propheta Chriſti fuit; certè Chriſtus habet ius, & poteſtatem priuandi reges impios iure ſuorum regnorum. Ex altera verò parte, vna tribus remanſit filio Salomonis propter Dauid ſeruum Dei, & Hieruſalem ciuitatem, quam elegit Deus ex omnibus tribubus Iſrael, vt eſſet nomen ſuum ibi; ex quo apparet, regnum in ſemine Dauidis ob fidem Chriſti conſeruandam præcipuè ſtabilitum fuiſſe. Deus enim promiſit Daui-
di, quòd fidelis foret domus, ſeu poſteritas 2. Reg. 7.
ſua; & regnum eius æternum; quod profectò non fuit impletum aliàs, quàm per Chriſtum
Dauidis filium, qui regnat in domo Iacob in Lucæ 1.
æternum.

Si autem promiſſio Dauidi facta in ſolo Chriſto perfectè impleta fuit; cum promiſſio ſecundùm hiſtoriam ad regnum pertinuerit (& tale regnum, quod omnem politiam, quæ in terra exerceri poteſt, in ſe comprehenderet) dubitari non poteſt, quin Chriſti regnum ſuo ambitu, etiam politicum gladium Dauidis non ſecùs complectatur, quàm numerus ſeptenarium binarium, intrà ſe continet Chriſti regnum, & habuit intrà ſuum ambitum id totum, quod in regno Dauidis extitit; (quod certè politico gladio non caruit) & multò plus habuit, ſicut vmbram corpus, & figuram veritas tum inter ſe complectitur, tum
longo interuallo ſuperat. Suſcitabo, inquit 2. Reg. 7.
Deus ad Dauidem) ſemen tuum poſt te, quod egredietur de vtero tuo, & firmabo regnum eius. Ipſe ædificabit domum nomini meo, & ſtabiliam thronum regni eius vſque in ſempiternum.

Hæc ſecundùm hiſtoriam de Salomone dicta ſunt, quatenus is erat figura Chriſti. Cum ergo neceſſe fuerit, vt Chriſtus ea imple-
ret, quæ in ſcripturis de illo prædicta ſunt; Lucæ 24.
neceſſe eſt, vt Chriſtus rex fuerit veriùs, quàm Salomon. Sed intelligi regnum Salomonis, quod politici gladij iure, ac poteſtate caruerit, nullo modo poteſt, ergo & Chriſti regnum,
quod politici gladij iure careat, multò minùs
intelligi poteſt. Scio Proteſtantes cauillari Obiectio.
ſolere, & quærere; Ergo ne Chriſtus ſeculi cauſas cognouit, tribunal conſcendit, carceres
ædificauit, vitam homicidis, & adulteris ab-
ſtulit, bella geſſit, tribunos, & centuriones ſibi 1. Reg. 8.
conſtituit; agros, vineas, oliueta ſeruis ſuis dedit? quibus ego reſpondeo.

Si hæc omnia, quæ ſeculi negotia ſunt, Solutio.
quæque faciunt, vt eò minùs Domino adhæ- 1. Cor. 7.
reatur, gerere, & adminiſtrare indignum Chriſto fuit: tamen his omnibus imperare, eaque per miniſtrorum ſuorum manus ritè, atque ordine diſponere indignum Chriſto non eſt, immò illius auctoritate digniſſimum: quia
etiam Deus Pater, cuius poteſtatem Chriſtus Ioan. 5.
homo imitatur, & exprimit, his omnibus ſe-
culi negotijs præſidet, eaque omnia per ſuos Rom. 13.
miniſtros conſtituit, & diſponit.

Si-

Sicut ergo Dei æterna poteſtas omnem politicum gladium ſibi ſubiectum habet, & ita ſubiectum, vt poteſtas gladij ſæcularis ab æterna Dei poteſtate profluxerit; ſic & humanæ in Chriſto naturæ poteſtas, adeò intrà ſe omnem Eccleſiæ poteſtatem, licèt ea ſæcularis, & politica ſit, complectitur; vt quatenus in Eccleſia Dei rectè adminiſtratur, ab æterna Chriſti poteſtate neceſſariò promanauerit. Deus enim dedit Chriſtum caput Eccleſiæ, vt ſit in omnibus ipſe primatum tenens. Eccleſia verò eſt corpus Chriſti, & plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur. (Coloſſ. 1. Epheſ. 1.)

Si ergo reges per fidem, & Sacramenta ſiunt Chriſti membra, iam & ipſum regis officium; ità per Chriſti donationem gerunt, vt non tam ipſi ex ſe ipſis, quàm Chriſtus in illis regium munus perficiat, & adimpleat. Politici ergo gladij vim, & poteſtatem magis in regibus Chriſtianis perficit, & adimplet Chriſtus, quàm ipſi reges, qui eum in Chriſti corpore, quod eſt Eccleſia, portant; & tamen ius politici gladij Chriſtus non habet? aut ſi ius politici gladij habet, vtrum negari poteſt, & ipſum politicum gladium habere? Neque verò is eſt Chriſtus, cui ius ſuum auferre quiſquam poſſit.

Nam ipſe negat, quemquam rapturum oues ſuas de manu ſua, quia nemo poteſt eas rapere de manu patris ſui, præſertim cum ipſe, & Pater vnum ſint. Cum igitur non ſit minor filij, quàm Patris poteſtas: quemadmodùm Dei Patris ius nemo lædit, nemo imminuit; ſic neque filij ius tollere, aut imminuere quiſquam poteſt, vt iam licèt apud homines aliud interdùm ſit rei ius, & rem ipſam habere; tamen apud Deum prorsùs idem ſit ius gladij, & ipſum gladium politicum habere. Chriſtus autem quamquam Deus, & homo exiſtat; tamen cum non duo, ſed vnus ſit, & is non adoptiuus, ſed proprius Dei filius, omnem humanæ ſuæ naturæ poteſtatem ità perſonæ filij Dei coniunxit, vt ea iam non hominis, ſed Dei poteſtas (quod ad perſonam attinet) dicenda ſit. (Ioan. 10. Ioan. 1. Rom. 8.)

Quare, vt cœpi dicere, aut ius politici gladij Chriſtus non habet (& quomodo ei data eſt omnis poteſtas, cum vtique aliqua ſit politici gladij poteſtas) aut cum iure politici gladij etiam ipſum politicum gladium, & ſemper habuiſſe, & in æternum habere cenſendus eſt. (Matt. 28.)

Dicent fortè Magdeburgenſes, Chriſtum non geſtaſſe politicum gladium, nec ſuis manibus illum exercuiſſe. Quaſi verò Chriſti Vicarius, aut hoc ſibi atroget, aut non è contrario doceat, indecorum eſſe vt id faciat. Nam neque rex terrenus, qui corporis occidendi poteſtatem habet, decere iudicat, vt ipſe Carnificis officium exequatur. Notum eſt illud Bernardi ad Eugenium Chriſti Vicarium: Quid tu vſurpare gladium tentes, quem ſemel iuſſus exponere in vaginam? quem tamen, qui tuum negat, non ſatis mihi videtur attendere verbum Domini dicentis ſic: Conuerte gladium tuum in vaginam. Tuus ergo & ipſe, tuo forſitan nutu, etſi non tua manu euaginandus. (Lucæ 2. Bernardus de conſider. ad Eug. l. 4.)

Hæc Bernardus. Aliud eſt ergo Chriſtum habere gladium, quo per alterius manum vtatur, & aliud ipſum ſua manu geſtare gladium, aut aliquem manu ſua ferire; quod non tam iniuſtum eſt, quàm indecorum. At Chriſtus, inquies, neminem vnquam imperio ſuo priuauit, voce quidem carnis ſuæ neminem, quod ſciam, priuauit; voce autem miniſtorum ſuorum, quæ & ſua eſt, (nam & in Paulo Chriſtus loquitur) multos regnis ſuis priuauit. Saulem, per Samuelis; Roboam, per Ahiæ; Athaliam, per Ioiadæ ſacerdotis vocem. Chriſtus verò non dubitauit dicere, Apoſtolos ſuos, etiam maiora, quàm ipſe feciſſet, facturos eſſe. (2. Cor. 13. 3. Reg. 12. 4. Reg. 11. Ioan. 14.)

Neque mirum: Ædificat enim Eccleſiam ſuam vſque ad finem ſeculi, eò maiorem potentiam ſuam declarans, quò infirmioribus inſtrumentis ad illam exequendam vtitur. Quid multis? Nonne Chriſtus omnium terrenorum regum potentiſſimum ſpiritu oris ſui interficiet? & ità interficiet, vt niſi breuiati fuiſſent dies illi, non fieret ſalua omnis caro? Perſecutio enim illa maxima in fine mundi excitanda, per politicum Antichriſti gladium excitabitur: nam Deus propter peccata populi regnare faciet hypocritam. Rex enim erit Antichriſtus, ſicuti Daniel ſignificauit his verbis: Decem cornua ipſius regni, decem reges erunt: & alius conſurget poſt eos, & ipſe potentior erit prioribus, & tres reges humiliabit, & ſermones contra excelſum loquetur, & ſanctos altiſſimi conteret: & putabit, quòd poſſit mutare tempora, & leges: & tradentur in manu eius vſque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis; hoc eſt, vſque ad annos tres, & ſex menſes. Et iterum eundem Antichriſtum Daniel appellat regem impudentem facie, qui, ſupra quam credi poteſt, vniuerſa vaſtabit. (Matth. 24. Dan. 7. Dan. 8.)

Cum igitur illa regis Antichriſti perſecutio talis futura ſit, vt niſi dies illi breuiarentur, non fieret ſalua omnis caro; propter electos breuiandi ſint dies illi, ſaluare autem electos proprium Chriſti ſit; certè niſi Chriſtus haberet poteſtatem conſtituendi, & euertendi regna, & breuiandi eos dies, in quibus rex terrenus tale bellum ſanctis indicet, non poſſet (ſtante hoc ipſius Euangelio) vitam æternam electis ſuis dare, ob quod præcipuè miſſus eſt. (Epheſ. 5.)

Illi enim dies alio modo non breuiabuntur, quàm quòd Chriſtus celeriter auferet regiam poteſtatem ab Antichriſto, & regnum ipſius euertet. Chriſtus enim, vt Eſaias prædixit, arguet in æquitate pro manſuetis terræ, & percutiet terram virga oris ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium, cui Paulus quoque aſſentiens, tunc, inquit, reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris, & deſtruet illuſtratione aduentus ſui. (Eſaiæ 11. 2. Theſſalon. 2.)

Et cum Ioannes de regibus decem, qui membra ſunt Antichriſti, ageret. Hi, inquit, cum agno pugnabunt, & Agnus vincet illos: quoniam Dominus Dominorum eſt, & rex regum; & qui cum illo ſunt vocati, & electi, & fideles. (Apocal. 17. Apocal. 11.)

Et ſeptimus Angelus tuba cecinit, & factæ ſunt voces magnæ in cœlo dicentes: Factum eſt regnum huius mundi, Domini noſtri, & Chriſti eius, & regnabit in ſecula ſeculorum, Amen.

Cum ergo Chriſtus breuiores faciat Anti-

ti-

tichriſti dies, idque faciat propter electos, vt illi ſalui fiant; neceſſe eſt, Chriſtum ob ſalutem electorum habere ius auferendi regna, cumque eiuſdem ſit poteſtatis regna conſtituere, cuius & auferre; neceſſe etiam eſt, vt habeat ius conſtituendi regna, Quando enim
3. Reg. 12. decem tribus à Roboam filio Salomonis receſſerunt, eadem poteſtate, & illum voluerunt ſuum regem eſſe, & Ieroboam ſuper ſe regem conſtituerunt, vtraque in re miniſterio Dei fungentes, qui per illum populum hoc egit, quod ipſi videbatur.

Nec refert, qua ratione Chriſtus Antichriſtum perdat, cùm gladij poteſtas in auferenda vita conſiſtat, quocumque illa modo auferatur. Itaque etiam ſi ſolo verbo Anti-
Act. 5. chriſtum occiderit (vt olim Petrus Ananiam) nec hoc quidem abſque politici gladij poteſtate factum cenſebitur,

Vt autem ad vſum, & forum hanc diſputationem deducam, percupio, vt Proteſtantes ad hoc, quod nunc proponam, mihi reſpondeant. Quando Imperarores, & Reges fiunt Chriſtiani; verùm Chriſtus in eorum gladios nihil iuris, an aliquid habet? ſi nihil habet, profectò quatenùs ſunt Reges, ne membra quidem Chriſti ſunt: nam neceſſe eſt, vt caput in omnia membra plurimùm iuris habeat; cùm mens, quæ in capite præſidet, ex Dei inſtitutione omnibus membris imperare debeat. Deindè, quomodo fieri poteſt, vt quod iuris in quacumque re habet Chriſtianus; id ipſum multò excellentiùs non habeat Chriſtus, à quo Chriſtiani omnes id omne, quod debent, acceperunt? Chriſtus
Ioan. 15. enim vitis eſt: illi autem palmites: Sine vite autem palmes nihil poteſt facere,

Poſtremò, ſi Chriſtus in gladios Regum nihil iuris habet, ne ſubiecti quidem Chriſto ſunt, quatenùs Reges: nam impoſſibile eſt,
Rom. 13. vt quælibet ſublimior poteſtas in ſubditos ſuos iuris per multum non habeat, cùm neceſſe ſit eos ſuperiori poteſtati ſubditos eſſe, non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam. Quod autem fit propter conſcientiam, adeò iuſtè ſit, vt niſi fiat, peccetur: quia quod non eſt ea fide, peccatum eſt. Reges autem Domino noſtro Ieſu Chriſto ſerui-
1. Cor. 12. re iubentur in timore, & filium oſculari, ſeu
Pſal. 2. colere, non ſolùm qua homines, verùm etiam qua ſunt Reges.

Epiſt. 50. Vnde Auguſtinus dixit; In his ſeruiunt Domino Reges, in quantum ſunt Reges, cùm ea faciunt ad ſeruiendum illi, quæ non poſſunt facere niſi Reges: nempè leges in vtilitatem Eccleſiæ iuſta præcipientes conuenienti rigore ſanciendo. Cùm ergo Reges, in quantum ſunt Reges, Domino ſeruiant; gladium etiam, in quantum ſunt Reges, portent, neceſſe eſt, vt Chriſtus non ſolùm in regnum perſonas, verùm etiam in gladios ipſorum politicos iuris aliquid habeat.

Hoc iuris vnde accepit Chriſtus? verùm ab ipſis Regibus gladios ſuos Chriſto ſponte offerentibus? Hoc ſi dicis, neceſſe eſt, vt Chriſtus illud iuris in eorum gladios non habuerit, antequam Reges id ei obtuliſſent. Ergone filius Dei aliquid iuris ab hominibus, idque non ſolùm in tempore, ſed etiam poſt Incarnationem ſuam, immò & poſt ſeſſionem ad dexteram Patris accepit? Ergone miſeri homunciones, Chriſtum, in quo omnes theſauri ſapientiæ, & bonitatis Dei ſunt abſcon- Coloſ. 2.
diti, noua poteſtate in fine ſeculorum locupletarunt? Poteſtne aliquid abſurdius, aut altiſſima Chriſti poteſtate magis indignum dici, aut cogitari? Porrò ſi iuris illud, quod in Regum Chriſtianorum gladios Chriſtus habet, à Regibus non accepit, vnde id habuit præterquàm à Patre ſuo? Ab illo autem, quando id habuit, niſi ab æterno, vt Deus, & ab Incarnationis tempore, vt homo? Chriſtus ergo ſemper habuit politicum gladium iure ſuo, ac non primùm per ſpontaneam Regum oblationem,

Sin autem, in illa pleniſſima poteſtate,
quam Chriſtus in Cœlo, & in terra ſibi da- Matth. 28.
tam affirmat, adeò vt eam appellet omnem poteſtatem; ſola politici gladij poteſtas minimè contineatur; id euenire oportet, vel quia gladij politici poteſtas nulla eſt omninò, vel quia maior, quàm ſit omnis illa Chriſti poteſtas, vel quia tantò minor, vt ſit Chriſto indigna, vel ſaltem eòuſque diuerſa, vt ſit contraria. Poteſtas autem gladij non eſt nulla, cùm ſit poteſtas vitæ, & necis. Non eſt Chriſti poteſtate maior, quia Chriſtus,
poſtquam corpus ab anima ſeparauerit, po- Luc. 12.
teſt animam, & corpus in gehennam mittere,

Non eſt indigna Chriſto, quoties ad finem ſpiritalem refertur; quoniam cùm ſit poteſtas à Deo conſtituta, Chriſtus Dei creaturas non reſpuit, non dedignatur, non ſpernit; ſed illis vbique vtitur, adeò vt lauacro aquæ
in verbo mundet Eccleſiam ſuam, Non eſt Epheſ. 5.
etiam adeò diuerſa poteſtas, vt ſit Chriſto contraria (niſi fortè interdùm per tyrannorum abuſum, non etiam per ipſius rei natu- Gen. 1.
ram) quia Dei creaturæ omnes bonæ ſunt. Prætereà ſi poteſtas gladij eſſet Chriſto contraria, nulli Chriſtiani Reges, aut perſonæ politico gladio vti poſſent, cùm nihil, quod ſit Chriſto contrarium, illis permittatur: At-
quì Ioannes Baptiſta cum ab illo quærerent Luc. 3.
milites, quid ipſos oporteret facere; non iuſſit eos abijcere arma, ſed ſuis ſtipendijs contentos eſſe: eo ipſo indicans licere Chriſtianos bellum gerere, & gladijs legitimè vti.

Quamquam ergo Chriſtus habeat aliam poteſtatem præter gladium politicum (habet enim omnem poteſtatem, & non ſolùm politicam) tamen & gladium politicum ab alijs poteſtatum ſuarum formis, vtpotè à patientia Martyrum, eiectione dæmoniorum, & infirmitatum curatione diſtinctum habet, non item verò diuerſum ab illa omni poteſtate ſua. Quæ cùm ità ſint, neceſſe eſt, vt gladij poteſtas infrà maximè illius poteſtatis vim, quæ Chriſto data eſt, contineatur tamquam pars in ſuo toto, & membrum in corpore; & ſicut Regum ſublimior poteſtas minorem patrum familias ſui regni poteſtatem intrà ſuum ambitum, & complectitur, & etiam excedit,

Iam verò ne Chriſtus hoc gladij ſui ius terrenis Regibus, qui poſteà Chriſtiani facti eſſent, acceptum ferre putaretur, ſapientiſſimè fecit, vt non ſolùm ante Regum ad fidem ſuam conuerſionem, ſed & ante paſſionem ſuam, hoc eſt, ante poteſtatem patientiæ ſuæ Mundo in Cruce ſua conteſtatam, iuberet Pe-

trum.

trum, alioſque Apoſtolos, & habere gladium, (Luc. 22.) & portare: quo tamen manibus ſuis vti non deberent. Præterea priuſquam vllus Imperator gladium ſuum Chriſto ſubmiſiſſet, is (Apoc. 2.) Epiſcopopo Thyatiræ per Ioannem Euangeliſtam dixit, filios Iezabelis, quæ ſeducit ſeruos meos, & ſe Propheten dicit, interficiam in mortem. Et ſcient omnes Eccleſiæ, quia (Pſal.7.) ego ſum ſcrutans renes, & corda, & dabo vnicuique veſtrum ſecundùm opera ſua. An hoc non eſt gladij poteſtatem exercere, filios Iezabelis ob falſam ipſius doctrinam morte interficere? Adde his, quòd nullus vnquam Rex, Imperator, populus perindè vitæ, neciſque poteſtatem habuit, ac Ieſus Chriſtus. (Ioan.10.) Is enim ſolus iure ſuo dicebat, Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & poteſtatem habeo iterùm ſumendi eam. Cùm gladius politicus nihil maius facere poſſit, quàm vt animam, ſeu vitam hominis ab ipſo tollat, Chriſtus habebat poteſtatem non modò tollendi ab alijs vitam ipſorum, verùm etiam ponendi animam ſuam: quæ poteſtas nulli Regum permiſſa vnquam fuit. Rex enim alios eam pœnam merentes occidere poterat, quia Dei miniſter hac in parte factus eſſet. (Rom. 13.) At ſe ipſum ob nullum crimen, aut cauſam potuit occidere. Data eſt enim ei poteſtas in alios, & non in ſe ipſum.

Verùm Chriſti poteſtas in omnem vitam hominum tam excellens erat; vt non modò in aliorum, ſed præterea in ſuam animam haberet poteſtatem. Et qualem poteſtatem? Vtique ponendi eam. Et quomodo ponendi? pro ſolo voluntatis nutu, non ſecùs eam ponendi, quàm quiuis noſtrum, aut veſtem, aut librum, quem manu tenet, abſque vlla vi, aut coactione, ideò quia vult, deponit. Nihilne aliud? Immò præterea Chriſtus poteſtatem habuit iterùm ſumendi animam ſuam, & ſe ipſum viuificandi. O veram vitæ, & necis poteſtatem: nam occidere poſſe, & viuificare non poſſe (quod Regibus accidit) eſt mutila, & imperfecta vitæ, ac necis poteſtas. Vtrumque autem poſſe, hæc eſt vera, plena, & perfectiſſima vitæ, ac necis poteſtas. Nihilne adhuc ampliùs poteſt Chriſtus? Quinimmò poteſtatem habet etiam omnium hominum vitam reſtituendi, eorumque corpora in die nouiſſimo reſuſcitandi.

(In Ioan.l.4. cap.12.) Vnde Cyrillus dicit, etiam impios in die nouiſſimo ad pœnam reſurrecturos propter Chriſtum, qui primus reſurrexit, & omnes vt homo in ſe ipſo continebat. Nihil etiam adhuc maioris poteſtatis in hominum vitam (Ioan. 6.) Chriſtus habet? Ipſum audiamus dicentem: Hæc eſt voluntas eius, qui miſit me Patris, vt omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, ſed reſuſcitem illud in nouiſſimo die. O mirabilem Chriſti poteſtatem in vitam, & animam hominis. Tollit eam à quocumque vult, non ſolùm gladio, aut alio inſtrumento corporali, ſed etiam ſolo verbo, ponit eam à ſe ipſo, ſumit eam iterùm à ſe ipſo: reſtituit eam nobis, perducit eam vſque ad gloriam Dei patris, vbi nunquam iterùm auferri poteſt.

(Ioan. 17. Math.28.) Hic igitur filius Altiſſimi Redemptor, & inſtaurator humani Generis, qui omnia in ſalutem noſtram in Cœlo, & in terra poteſt: qui propter electos ſuos perſecutionis Antichriſti dies breuiores reddet, impium ſpiritu oris ſui interficiens, qui Sedem, & Clauem (Matth.24. 2.Theſſal.2.) Dauid patris ſui accepit, qui conſtitutus eſt ſuper regna, vt ea plantet, euellat, ſeu diſſipet; ſub cuius pedibus omnia ſunt ſubiecta, (Luc. 1. Ierem. 1. Pſal.8.) qui Reges politicis gladijs armatos in Eccleſiæ ſuæ regno ſibi ſubiectos habet, qui mortem Iezabelis filijs minatur, qui verbo Ananiam, & Sapphiram occidit, qui nominatim (Pſal. 2. Iſaiæ 60. Apoc.2. Act. 5. Luc. 22.) iuſſit Apoſtolos gladium habere, etiam ſi tunicam oporteret vendere, vt illum emerent; qui vitæ, ac necis ſummam poteſtatem habet, adeò vt animam, & ſuam pro arbitro ponat, ſumatque & aliorum, quando vult, tollat, ac reddat; ſolus mortificans, & viuificans: is inquam, negatur politicum gladium habere, aut regna, & politias conſtituere etiam tunc poſſe, quando ea res in vtilitatem Eccleſiæ ſuæ cederet? Si hæc non eſt in Deum blaſphemia, velim, dicant mihi, quæ tandem ſit blaſphemia?

Immò hanc ipſam blaphemiam Chriſtus nominatim deſcripſiſſe videtur, cum in Euangelio per ſimilitudinem diceret: Homo quidam nobilis abijt in Regionem longinquam (Luc.19.) accipere ſibi regnum, & reuerti: Ciues autem eius oderant eum, & miſerunt legationem poſt illum dicentes; nolumus hunc regnare ſuper nos. Et factum eſt, vt rediret accepto regno: verùmtamen inimicos meos, inquit, illos, qui noluerunt me regnare ſuper ſe, adducite huc, & interficite ante me. Conſtat verò, nobilem illum hominem eſſe Chriſtum, qui poſt Reſurrectionem ſuam in Cœlum à terra longiſſimè diſiunctum abijt, vt (Coloſſ.1.) ad dexteram Patris conſtitutus, ſecundùm naturam humanam ſupra omnes poteſtates, principatus, & dominationes re ipſa regnum acciperet.

Ciues autem eius, qui noluerunt eum regnare ſupra ſe, ſunt impij, & ingrati Chriſtiani, qui negant Chriſtum habere politicum gladium, quo illos ad ſalutem coerceat. Redit verò Chriſtus accepto regno in die iudicij; & tunc inimicos ſuos, qui politicum ei gladium abſtulerunt, æterna morte afficiet. Tu Aclere, dum adhuc integrum eſt, exi ab ingratis illis ciuibus, qui nolunt Chriſtum regnare ſupra ſe; nec ampliùs vnquam committas, vt Chriſti miniſtris, qui potentiſſimas Regni Cœlorum claues, quas nec portæ inferorum (Math. 16.) vincunt, à Chriſto æterno Regum Rege acceperunt, corporaliter caſtigandi, & ad ſalutem puniendi conceſſam poteſtatem neges.

CAP. VII.

Quomodo intelligenda ſint ea Chriſti verba: Regnum meum non eſt de hoc Mundo.

Magdeburgenſes, & reliqui Proteſtantes, hæc verba Chriſti, Regnum meum non eſt de hoc Mundo, ità intelligunt, velut ſi (Centur. 1. lib.2.c.7.) Chriſtus dixiſſet: Ego politicum gladium non habeo, nec in regnum Cæſaris auctoritatem ali-

ali-

aliquam mihi ſumo; quia regnum meum ſpiritale regna, & politias minimè conſtituit, nec tale quidquam ſibi vſurpat: nam hoc mihi à Patre meo non eſt demandatum: hæc ferè ſunt illorum verba.

Cęterum, ſi quia Regnum Chriſti de hoc Mundo non eſt, politicum gladium non habet, regnaque, & politias minimè conſtituit, profectò nec Deus pater politicnm gladium haber, nec politias, & regna conſtituere poteſt; Ioan. 4. quia etiam Dei patris regnum de hoc Mundo non eſt. Regnum enim Dei ſpiritale eſt, quia Deus eſt ſpiritus, non ſeculare; cæleſte, non mundanum, æternum, non temporale. Sin Deus pater quamquam regnum eius de hoc Mundo non ſit, tamen (vt Dan. 2. Daniel ait) transferat regna, atque conſtituat, regnum, & fortitudinem, & imperium det; profectò nec Chriſtus, dum ait, Regnum ſuum de hoc Mundo non eſſe, negat ſe politicum gladium habere, aut regna, & politias conſtituere poſſe.

Hæc enim duo non ſunt eiuſdem ſententiæ; Regnum meum non eſt de hoc mundo, & politias minimè conſtituo: alioqui Deus Pater, cuius regnum de hoc mundo non eſt, politias minimè conſtitueret: quod ſecùs ſe Rom 13. habere, nec Proteſtantes negabunt. Omnis enim poteſtas à Deo eſt,& omnes politias ille conſtituit. Deindè certum eſt omnem poteſtatem in Cœlo, & in terra Chriſto datam eſ- Math. 28. ſe. Conſtituere autem politias, poteſtas quędam eſt, quæ ad terram ſpectat: Chriſtus ergo poteſt regna,& politias conſtituere, & ad hoc miſſus eſt, quoties ea res ad ſalutem æternam electis ſuis conferendam adiumentum Ioann. 17. afferat, vt iam ante demonſtrauimus.

Quæ nam eſt igitur vera horum verbo- Ioann. 18. rum ſententia, Regnum meum non eſt de hoc mundo? Hæc ſine controuerſia, quam nunc proponam. Ego rex quidem ſum, ſed non talis, vt neceſsè habeam Cœſarem de ſolio ſuo deijcere,quo mihi locus regnandi pateat. Regna enim huius mundi eius conditionis ſunt, vt duos ſimùl reges æqualis poteſtatis non ferant. Si rex Romanorum Cęſar Auguſtus eſt: Antonius eorundem rex eodem tempore ità eſſe non poteſt, quin hoc minueret aliquid de Ceſaris monarchia: ſed meum regnum de hoc mundo non eſt, quamquam ſit ſuprà omnia huius mundi regna.

Poteſt igitur Cęſar de ſuo regno ſecurus eſſe, licèt ego rex Iudæorum ſim, atque gentium. Tantum enim abeſt ne meum regnum illius regnum impediat, vt potiùs ideo re- Prouer. 8. gnet Cęſar, quia ego vniuerſitatis rex ſum. Per me enim, qui ſapientia Dei Patris ſum, reges regnant, & potentes iuſtitiam decernunt. Regnum igitur meum, quod non eſt de hoc mundo, (quia nec hominum electio, nec terrenus ordo naſcendi, nec militaris manus, nec aſtutia vlla, ſed ſolus pater meus cęleſtis me fecit regem) regnum Cęſaris,quod de hoc mundo eſt, minimè tollit, aut impedit; quinimmò ſtatuit, & confirmat. Iam verò, quòd hæc ſit germana verborum Chriſti ſententia, res ipſa declarabit,ſi quid actum, & dictum ſit, ob oculos nobis propoſuerimus.

Luc. 23. Iudæi cęperunt accuſare Ieſum coram Pilato dicentes: Hunc inuenimus dicentem ſe Chriſtum regem eſſe. Ex hoc autem colligi Ioann. 19. volebant, Chriſtum contradicere Cęſari. Sic enim poſteà dixerunt: Omnis, qui ſe regem Ioann. 18. facit, contradicit Cęſari. Cùm ergo Pilatus quæſiſſet à Chriſto verùm eſſet rex Iudęorum. Reſpondit Ieſus, Regnum meum non eſt de hoc mundo: ſi ex hoc mundo eſſet regnum meum, miniſtri mei vtique decertarent, vt non traderer Iudæis; nunc autem regnum meum non eſt hìc. Dixit itàque ei Pilatus, ergo rex es tu? Reſpondit Ieſus; tu dicis,quia rex ſum ego. Ex his verbis conſtat,Chriſtum ſe regem fateri, ſed non de hoc mundo, qualis rex Cęſar fuit. Chriſtus igitur illi calumniæ Iudæorum, qua eum velut Cęſari contradicentem accuſabant, perindè ſatisfecit, ac ſi pluribus verbis vſus, dixiſſet: Cùm Cęſar ſit rex, de hoc mundo regem eſſe, populoſque iam Cęſari ſubiectos ad mei principatus obedientiam, ità vel inuitarem, vel cogerem, vt prohiberem eos, quod Cęſaris eſt, Cęſari dare; tunc quidem ego Cęſari contradice- Matth. 6. rem; neque verò ijdem populi poſſent duobus dominis, quorum ſinguli ius regium ex æquo ſibi arrogarent, obedire: nunc autem ego quidem ſum rex, ſed alterius generis, & ordinis, quàm ſit Cęſar, nam ſi eiuſdem ordinis cum illo rex eſſem: miniſtri mei non ſecùs pro me decertarent; quàm Cęſaris miniſtri decertant pro illo. Hactenùs ergo Chriſtus declarauit, non qualis rex eſſet, verùm qualis non eſſet; ſimilem Cęſari ſe non eſſe, palàm dixit: politicum autem gladium ſe habere numquam negauit, quinimmò ipſius Cęſaris politicus gladius debebat fuiſſe Chri- Coloſs. 1. ſti gladius:quia Chriſtus omnis creaturæ primogenitus debebat Cęſaris gladium, non Pſalm. 8. quidem ad latus affixum, ſed pedibus ſuis ſubiectum habuiſſe: nec propterea Cęſar eo minùs, ſed eo magis eundem gladium habuiſſet.

Nam ad rectum finem gladium ſuum iuxtà Chriſti monita direxiſſet, quòd vtique eſt verius eo vti, quàm cum ad honorem non Dei, ſed hominis vibratur. Chriſti enim regnum tale eſt, vt Cęſaris gladium non tollat, ſed dirigat; non in totum auferat, ſed ad bonum transferat. Nihil autem impedit,quò minùs in eodem regno duo reges diuerſi generis, & ordinis ſimùl præſint. Nam ſi He- Matth. 2. rodes rex ſub Cęſare Auguſto Iudæis imperauit, adeò vt ſimùl, & Herodes, & Cęſar Iudæorum reges forent; nonne multò magis poterit Chriſtus iiſdem ipſis populis præeſſe, quibus Cęſar pręeſt? Si regis Herodis gladius fuit etiam Cęſaris gladius; nonne multò veriùs etiam Cęſaris gladius debebit Chriſti gladius eſſe? Nam ſi duo reges, qui ambo ex hoc mundo ſunt, poterunt ſimùl iiſdem hominibus imperare, modò vnus eorum alteri ſubſit; quantò æquiùs eſt, Chriſtum regem Apoc. 17. regum, cuius regnum de hoc mundo non eſt, politicum gladium ſibi ſubiectum,atque omninò ſuum habere; pręſertim, quem rex Chriſtianus ſub ipſo gerit? Nam etſi poteſtatem in omnes omnium regum gladios accepit, Apoc. 1. quia primus, & nouiſſimus eſt, cui curuabitur omne genu, & cui Deus nomen, ideſt, po- Eſaiæ 45. teſtatem ſuper omne nomen dedit, vt in no- Philip. 2. mine Ieſu omne genu flectatur, cęleſtium, terreſtrium, & infernorum: tamen in chriſtia-

nos reges, qui ſeſe illi ſpontè ſubiecerunt, etiam ex ipſorum conſenſu poteſtatem præcipuam accepit, vt ſi non alijs, tamen ipſis monarcha, & rex regum neceſſariò futurus
Apoc.19. eſſet. Nam qui diſſoluit pactum, numquid
Ezec.17. effugiet?

Illud autem maximè omnium admiror, quomodò vnquam Proteſtantes in tantam cæcitatem prolapſi ſunt, vt ſic argumenta-
Ioann.18. rentur: Chriſti regnum de hoc mundo non
Galat.3. eſt, ergo non habet politicum gladium, nec
2.Tim.2. regna, & politias conſtituit. O ſtulti, & inſenſati Proteſtantes, quis vos faſcinauit, vt non intelligeretis veritatem, niſi quia captiui à diabolo, ad ipſius voluntatem tenemini?

Pſalm.8. Idcircò enim Chriſtus politicum gladium habet ſub pedibus ſuis ſubiectum, atque idcircò regna, & politias vſque ad finem mundi conſtituit, quia regnum eius de hoc mundo non eſt. Regnum enim, quod de hoc mundo non eſt, æternum eſt, æterno autem regno neceſsè eſt omnia regna temporalia
Ierem 1. ſubeſſe. Ob hoc igitur ipſum, quòd Chriſti
Dan.2. regnum de hoc mundo non eſt, omnia mundi regna conſtituit, transfert, diſſipat, confirmat. Hoc, inquies, facit vt Deus. Et ego
Ioann.1. dico tibi, an alius eſt, quàm Deus? Et ſi enim aliud quoque ſit, quia Verbum caro factum
Epheſ.4. eſt, tamen alius eſſe non poteſt, quia vnus Dominus. Qui deſcendit (dum carnem aſſumeret) ipſe eſt, & qui aſcendit ſuper omnes cœlos, vt impleret omnia. Vt igitur ante aſſumptam carnem fuit cum Patre vnus Deus; ſic & nunc vnus cum illo Deus manet. Porrò, vt per aſſumptam carnem diuinitas eius non eſt imminuta, ſic neque regnum eius. Tantùm igitur abeſto, ne ob hoc regna conſtituat, quia regnum eius non eſt de hoc mundo, vt è contrario ob hoc maximè, & ob hoc ſolùm regna, & politias conſtituit, quia regnum eius non eſt de hoc mundo.

Nota. Nam ſi de hoc mundo eſſet regnum eius, vt maximè ad breuiſſimum vitæ tempus, regna conſtituere potuiſſet, ſi hoc ei fortè donatum eſſet; certè quidem poſtquàm ex hoc mundo exceſſiſſet, non magis regna, & politias conſtituere iam poſſet, quàm Cæſar, aut Nero id nunc facere poteſt. Quod enim de hoc mundo eſt, cum ſemèl de hoc mundo eſſe deſierit, nihil amplius in hoc mundo conſtituere poteſt: alioqui adhùc eſſet de hoc mundo. Niſi fortè de mundo non ſit, quod nec eſt æternum, & tamen operatur in hoc mundo.

Dicent, opinor, Proteſtantes, ſe diuinæ Chriſti naturę non negare auctoritatem conſtituendi regna, & politias.

Atqui, cùm humana Chriſti natura inſtrumentum diuinitatis ſit in ijs omnibus, quæ Eccleſiam ædificant, (non eſt enim aliud nomen ſub Cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri, præterquàm nomen
Act 4. Ieſu Chriſti Nazareni, hoc eſt, Dei, & hominis) nos verò ante docuerimus ſæpè expedire Eccleſiæ, vt regnum fidele (cuiuſmodi olim Dauidis, nuper autem Caroli Magni, aut Othonum fuit) conſtituatur, itemque, vt infidele regnum (quale olim Saulis, nuper autem Ludouici Bauari, & Henrici Octaui fuit) diſſipetur; qui negat Chriſtum, ad hoc miſſum, vt vlla omninò regna, vllaſuè politias conſtituat; is negat diuinam Chriſti naturam per inſtrumentum aſſumptæ carnis id operari, ad quod operandum Chriſtus fuit præcipuè miſſus; verùm de hac re ſatis. Iam ad alia eiuſdem ferè generis tranſeat oratio.

CAP. VIII.

Quomodò intelligantur ea Chriſti verba: Quis me conſtituit iudicem, aut diuiſorem ſuper vos?

CHriſtus (inquiunt Magdeburgenſes) negat ſe hìc conſtitutum iudicem. Hæc Centur.1 l.2. c.7.
illi. More ſuo apponunt ad verbum Dei viuentis, vt apponat ſuper illos Deus plagas in Apocalypſi denuntiatas, nullibi dicit Chriſtus, Ego non ſum hìc conſtitutus iudex, di- Apoc.27.
cit quidem, Quis me conſtituit iudicem, aut Luc. 12.
diuiſorem ſuper vos? Sed hæc verba magis admonent, vt quæramus, quis Chriſtum iudicem conſtituerit, Deus videlicet, non homo: & ſuper quos eum in hoc mundo conſtituerit, nempè in particularibus cauſis de iudicandis ſuper fideles, & non ſuper infideles.

Eſt autem iudicium quoddam vltimum, 1. Petr.4.
& vniuerſale, in quo tam viui, quàm mortui iudicabuntur. Omnes enim nos oportet ma- 2.Cor.5.
nifeſtari ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum, quod iudicium quin ad Chriſtum pertineat, neque Proteſtantes negant.

Alia verò iudicia particularia ſunt, quæ ante illud vltimum in hoc mundo exercentur. Iſta etiam omnia vniuerſali iudicio Chriſti ſubſunt, ſicut ipſe dicit, Pater non iudicat Ioann.5.
quemquam, ſed omne iudicium dedit Filio, & poteſtatem dedit ei etiam iudicium facere, quia filius hominis eſt; ſed ex iſtis particularibus iudicijs quædam interim apud infideles, & iniquos exercentur. Super iſta ſi- 1.Cor.6.
gillatim per ſe ipſum, vel omninò per diſpenſatores myſteriorum ſuorum adminiſtranda, Chriſtus non eſt in hoc mundo iudex conſtitutus. Nam cum Chriſtus in mundum ſit miſſus, non vt iudicet mundum, ſed vt ſal- Ioann.3.
uetur mundus per ipſum; iſta nec ad Dei ho- 1.Petr.1.
norem, nec ad finem fidei ſalutem animarum in illa particulari infidelium diſceptatione referuntur: & ideò non pertinent ad præſens, & militans forum Chriſti; cum autem Chriſtus de illis omnibus ſimùl in fine ſeculi iudicauerit, tunc demùm ipſe illa omnia referet ad honorem Dei, & ità ſubiecta ei erunt.

Itàque cum fratres iſti, de quibus iam agitur, neſcientes, aut quis eſſet Chriſtus, aut cur in mundum veniſſet, apud eum veluti quempiam de ſeculi iudicibus, quos Cæſar, aut Pilatus conſtituerat familiæ Herciſcundæ iudicio experiri vellent, Chriſtus meritò ab Luc.12.
illis quærit: quis me conſtituit iudicem, aut diuiſorem ſuper vos? quaſi diceret, nec ab humana quapiam poteſtate ſuper vllos, nec à diuina ſuper vos hoc fine litigantes conſtitutus ſum iudex. Ego enim ad particulare iudicium ſuper infideles cauſis ſingulis adminiſtran-

ſtran-

ſtrandnm non ſum in hoc mundo conſtitutus Iudex. Dixitque ad illos, Videte, & cauete ab omni auaritia: quia non in abundantia cuiuſquam vita eius eſt omnibus, quæ poſſidet. Stultus eſt, qui ſibi theſaurizat, & non eſt in Deum diues. Ex quibus Chriſti verbis apparet, illos non fuiſſe adhùc in Deum diuites, nec in Chriſtum credidiſſe. Alioqui Chriſtus non negaſſet ſe iudicem ſuper illos conſtitutum, nam Chriſtus nunquam recuſauit diſcipulorum ſuorum ſingulas lites, & audire, & iudicare.

Itàque cum inter Apoſtolos non ſemèl Luc. 10. orta eſſet contentio, quis eorum videretur eſſe maior: non ſolùm omnes ad humilitatem Matth. 20. exhortatus eſt, vt eo pacto magni apud Deum fierent; ſed etiam nominatim eodem ipſo tempore definiuit, quis eorum eſſet maior, Luc. 22. dum ad Petrum iam tunc diceret: Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos. Infirmum in fide aſſumere, & confirmare illius eſt, Rom. 14. qui maior cæteris in cauſa fidei ſit. Maior autem factus eſt Petrus per Chriſti precationem.

Alio etiam tempore cùm inter Martham, & Mariam ſorores tacita quædam orta eſſet contentio, vtrùm videlicet Maria, quæ corde intentiſſimo verbum Dei ex ore Chriſti audiebat, pedes Chriſti, ad quos mira ſuauitate ſedebat, relinquere, & Martham, quæ Chriſtum, ac Diſcipulos eius hoſpitio excipiebat, in illo ſancto miniſterio adiuuare Luc. 10. deberet nec ne? iamque Martha interpellaret Chriſtum dicens: Domine, dic ſorori meæ, vt me adiuuet: Dominus tamquam iudex à Deo ſuper illas fideles ſorores conſtitutus, pro Maria contra Martham tulit ſententiam, dicens: Martha Martha ſollicita es, & turbaris erga plurima, Porrò vnum eſt neceſſarium: Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

Aug. in ea Chriſti verba. Audiuimus (inquit Auguſtinus) ſermonem [Marthæ] interpellantis, & ſententiam [Chriſti] iudicis, quæ ſententia interpellanti reſpondit, ſuſceptam defendit. Hæc Auguſtinus.

Apoc. 22. Ioann. 15. Exercuit ergo Chriſtus iudicium inter Diſcipulos ſuos, quod inter profanos recuſauit exercere; neque mirùm: aliter enim ſe gerit Chriſtus erga eos, qui per ipſius portas in Ciuitatem eius intrant, & in domo eius degunt, quos non dicit iam ſeruos, ſed amicos: quia omnia quęcunque audiuit à Patre nota fecit illis, & myſteria ſua tremenda illis communicauit; longèque aliter cum ijs egit, qui tamquam porci adhùc in tenebris ignorantię Apoc. 22. Dei, cœnoque voluptatum carnalium volutantur. Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis ſeruientes, & omnis, qui amat, & facit mendacium. Vnde etiam 1. Cor. 5. beatus Paulus ad Corinthios ait, de ijs qui intus ſunt, vos iudicatis. Nàm eos qui foris ſunt, Deus iudicabit. Nec indignum Chriſto eſt, vt de ſecularibus etiam negotijs, quę intrà Eccleſiam ipſius agitantur, cognoſcant, cum ea cognitio in timore Dei ad ædificationem Eccleſiæ referatur. Vnde nominatim 1. Cor. 6. Paulus de ſecularibus Eccleſiæ negotijs tractans, Neſcitis, inquit, quoniam Angelos iudicabimus, quantò magis ſecularia? Si ergo Chriſtiani de ijs, qui intus ſunt iudicant, & ſecularia iudicant; Vtrùm ipſe Chriſtus, qui Ioann. 15. vitis eſt, nos autem palmites; qui radix eſt, Apoc. 22. nos autem rami; qui caput eſt, nos autem Epheſ. 1. ipſius membra: tamen ſuper illos conſtitutus iudex non eſt, ſuper quos ipſius miniſtri ſunt iudices conſtituti? Quàm blaſphema eſt hęc cogitatio? 1. Cor. 5. Quaſi verò nos, omnem, quam habemus poteſtatem, à Chriſto ſolo non accepimus, in cuius nomine, & perſona facimus omnia.

Vtrùm, dicent Proteſtantes, tàm miniſtros Chriſti, quàm ipſum Chriſtum poſſe leuia quædam ſeculi negotia cognoſcere, ac definire; ſed cauſas regnorum, & politiarum non eſſe Chriſti iudicio ſubiectas? Ergone ad 1. Cor. 6. contemptibilia ſeculi iudicia intra Eccleſiam ſuam exercenda miſſus eſt Chriſtus, & non ad maiora illa dijudicanda? Vtrùm, & hęc noua blaſphemia non habebitur? nàm ſi aliqua ſeculi negotia cognoſcit Chriſtus, & ſuper illa iudex conſtituitur; quantò magis grauiora ſeculi negotia ſub ipſius poteſtatem cadunt? Quò enim maior eſt quiſquam iudex, eò ma- Exod. 18. gis ad illius tribunal grauiora quęque refe- Deuter. 17. runtur: Chriſtus autem eſt iudex omnium Rom. 14. Apoc. 1. maximus, qui & viuorum, & mortuorum do- 1. Cor. 6. minatur, clauesque mortis, & inferni habet. Cùm ergo iam conſtet, ſecularia, quæ intra Eccleſiam agitantur, non eſſe ab ipſius tribunali aliena, vtique etiam conſtat, inter ſeculares cauſas, quæ in Eccleſia ipſius agitantur, nihil eſſe tàm ſublime, nihil tàm arduum, nihil tàm potens, quod ſub ipſius cognitionem, & iudicium non cadat; ſunt autem in Eccleſia ipſius Imperatores, & Reges Chri- Eſaiæ 60. ſtiani, ſicut Eſaias prædixit, & res ipſa loqui- & 62. tur. Ergo Chriſtus etiam ſuper Imperatores, Ierem. 1. & Reges iudex eſt conſtitutus, vt euellat, & deſtruat, & diſperdat, & diſſipet, & ædificet, & plantet.

Quæ cum ità ſe habeant; liquidò apparet, quàm falsò dicant Magdeburgenſes, & cæteri Proteſtantes, Chriſtum negaſſe, quòd hìc, ideſt, in hac vita conſtitutus eſſet Iudex. Non hoc dixit, non hoc ſenſit Chriſtus, dixit, Luc. 12. Quis me conſtituit iudicem, aut diuiſorem ſuper vos? ſenſit, Non ſum conſtitutus iudex omninò ab hominibus: à Deo quidem ſum conſtitutus, ſed non ad diuidendam inter vos hæreditatem, ideſt, non ad particularia iudicia inter infideles, per me, vel per miniſtros meos exercenda.

Secùs autem ſe res habet in ijs cauſis, quæ intra Eccleſiam Chriſti accidunt. Nihil Hebr. 3. enim eorum, quæ in domo eius fiunt, à ſe alienum iudicat. Sedes tua Deus (inquit Dauid Pſal. 44. de Chriſto) in ſeculum ſeculi, virga directio- Eſa. 9. nis, virga regni tui: quin & apud Eſaiam legimus: Super ſolium Dauid, & ſuper regnum eius ſedebit, vt confirmet illud, & corroboret in iudicio, & iuſtitia, & alibi, Iu- Eſa. 42. dicium gentibus proferet; itemque apud Ie- Ierem. 33. remiam, In tempore illo germinare faciam Dauid germen iuſtitiæ, & faciet iudicium, & iuſtitiam in terra.

Nec eſt, quòd quiſquam dicat, hæc de ſpirituali tantùm, deque iudicio conſcientiæ, non item de fori externi iudicio intelligenda eſſe; nam cum omnia iudicia, quę in externo Eccleſiæ foro exercentur, ad finem ſpi-

ſpiritalem referantur, præſertim quoties à Chriſti Miniſtro, in Chriſti perſona, & nomine exercentur, (de his enim iam agenus) vtique Chriſtus meritò creditur conſtitutus à Patre iudex in talibus cauſis: nempè in regibus Chriſtianis iudicandis, vtrùm in hęreſim ceciderint? & cum cecidiſſe conuincantur, vtrùm de imperio, quod in Chriſtianos ipſi etiam Chriſtiani obtinent, deponi debeant nec ne? Externi autem iudicij formam ſpiritualibus Eccleſiæ iudicijs conuenire Apoſtolus docet, cum de ſuo iudicio agens dicit,
1. Cor. 4. Quid? vultis in virga veniam ad vos? & ite-
2. Cor. 13. rùm, Ecce venio hoc tertio ad vos, in ore duorum, aut trium teſtium ſtabit omne verbum. Hæc ſi potuit Apoſtolus Chriſti dicere, quantò magis ipſe Chriſtus?

CAP. IX.

Spiritualis poteſtatis Chriſti excellentiam, non ſolùm in eo conſiſtere, quòd ſpiritualibus inſtrumentis (cuiuſmodi ſunt Verbum Dei, & Chriſti Sacramenta) ſed etiam in eo, quòd alijs quibuſcumque modis, qui ſpiritu ad æternam ſalutem prouehunt, ex auctoritate ſua, etiam cum aliorum temporali damno, & corporea læſione vtatur, ſicuti ſæpè vſus fuiſſe legitur.

CVm bona hominum alia ſint animi, vt virtutes; alia corporis, vt ſanitas, & robur; alia externa, vt prædia, & cęteræ facultates; quemadmodùm opes, tùm corpori, tùm animo: tàm opes verò, quàm corpus ipſum ſoli animo, per naturæ legem ſeruiunt & obediunt: ſic qui habet potſtatem in animam alterius, vt eum ad vitam æternam perducat, habet etiam poteſtatem in corpus, & bona eiuſdem hominis, vt ijs quoque tamquam iſtrumentis ad ſaluandum ipſius animam vtatur.

Si enim Rex terrenus, cui Deus in corpus meum poteſtatem dedit Regij iuris vi,
1. Reg. 8. poteſt ob vtilitatem Reipublicæ, cui præeſt, filios meos tollere, vt faciat ſibi equites, & præcurſores; filias quoque vt faciat ſibi focarias, & panificas; agros etiam, vineas & oliueta, vt det ſeruis ſuis; quantò magis cui
Hebr. 13. Deus dedit poteſtatem vigilandi pro anima mea, is debet in filios meos, in agros, atque adeò in corpus meum ob æternæ vitæ finem aſſequendum pleniſſima habere poteſtatem? Chriſtus verò, ſicut ipſe dixit, poteſtatem omnis carnis habet, vt omne, quod dedit ei pa-
Ioann. 17. ter, det eis vitam æternam. Habet igitur Chriſtus poteſtatem in omnia corporis bona, & omnes hominum fortunas, vt hæc ei ad futuræ vitæ faciliorem explicationem quoquo modo inſeruiant; qua poteſtate Chriſtus etiam ſæpiſſimè vſus eſt. Cum enim appro-
Matth. 21. pinquaſſet Hieroſolymis, Aſinam, & pullum ſolui iuſſit, & ad ſe adduci. Verùm igitur Chriſtus alienam Aſinam, & pullum ſine venia Dominorum abſtulit? an potiùs iure ſuo vſus eſt, qui & Aſinæ huius, ac pulli, & eorum, qui has creaturas in bonis ſuis habebant, vt legem, & prophetias impleret, Dominus erat? ſic enim legimus in Euangelijs, Diſcipulos non priùs Dominos Aſinæ, & pulli adijſſe, vt ab ijs poteſtatem abducendi eos acciperent, ſed cum Aſinam, & pullum foris in biuio inueniſſent, ſoluiſſet illos. Soluentibus autem illis pullum, dixerunt Domini eius ad illos: quid ſoluitis pullum? at illi dixerunt, quia Dominus eum neceſſarium habet, & duxerunt illum ad Ieſum. Hæc eſt ergo regula, vt ſi poteſtas ſpiritualis aliqua re temporali, aut neceſſariò indigeat, aut valdè vtilem iudicet ad officium ſuum ſpiritale peragendum; illam à fidelibus iure ſuo po-
ſtulare poſſit, & obtinere debeat. Ex eadem Luc. 22.
Euangelij libertate Chriſtus miſit Petrum, & Ioannem, qui dicerent patrifamilias; dicit tibi Magiſter, vbi eſt diuerſorium, vbi Paſcha cum Diſcipulis meis manducem? & ipſe oſtendet vobis cænaculum magnum, ſtratum, & ibi parate.

Eodem etiam modo ad Zachæum dixit, Zachæ feſtinas deſcende, quia hodie in do-
mo tua oportet me manere. Quid verò quòd Matth. 4.
Petrum, & Andream, Ioannem, & Iacobum à retibus, & nauibus, & parentibus ſuis auocauit; & omnes hi relictis ſeculi bonis, ſecuti ſunt eum? Nec ad rem pertinet, ſi quis dixerit, omnes iſtos vltrò ceſſiſſe bonis ſuis, & ea vel ipſi Chriſto donaſſe, vel ob eius amorem ſpreuiſſe: nam quidquid in hoc genere factum eſt, ità ſponte ab illis ſanctis viris factum eſt; vt multò, & priùs, & magis ab ipſo Chriſto
fieret, qui dedit eis poteſtatem hanc, non Ioann. 1.
tantùm vt Deus, verùm etiam vt homo: cum ſatis conſtet, quòd iam in carne ambulans,
& myſterium ſalutis noſtræ operę, & ſermo- Act. 1.
ne exercens, non modò per inſtrumentum
ſuæ carnis hæc omnia effecerit, verùm etiam Matth. 21.
ſecundùm carnem, & pullo inſederit, & quę apponebantur, manducauerit, & biberit, tàm
ipſe, quàm Diſcipuli eius. Si ergo Petrus, Luc. 22.
& alij omnes, de quibus agitur, iuſtè non poterant, vel bona ſua propter Chriſtum relinquere, vel partem eorum Chriſto donare, præterquàm ſi earum rerum Domini fuiſſent (nemo enim poteſtatem habet de eo ſtatuendi, quod ſuum non eſt) poteſtatem verò id ipſum faciendi, non à ſe, verùm à Chriſto
filio hominis habuerint, (ſine quo tamquam Ioann. 15.
palmites in vitem inſerti, nihil facere poterant, quod ad ſalutem ipſis prodeſſet) id omninò efficitur, vt etiam ipſe Chriſtus (qui vt vitis vera per carnis ſuæ inſtrumentum diuinitati coniunctum, hanc illis vt palmitibus benefaciendi poteſtatem dedit, per eandem carnem ſuam in eadem ipſorum bona, poteſtatem pleniſſimam habuerit. Quam enim Chriſtus ipſe poteſtatem de bonis illorum diſponendi eximiam habuit; de hac illis im-
pertijt, vt per gratiam illius ipſi quoque poſ- Ioan. 1.
ſent bona, tàm Chriſti (omnium Domini) quàm ſua (pro temporali vſu) vel Chriſto largiti, vel ſeculo relinquere. Itàque ex his quæ Chriſto auctore ipſi Chriſto donata ſunt, facilè apparet, Chriſtum hominem in bona ipſorum, qui ea donarunt, eximiam, & præcipuam

puam quandam habuiſſe poteſtatem. Neque verò ea eſt Chriſti,quæ cæterorum hominum cauſa,quibus ſi quid de tuo contuleris,tu cõtuliſti ſolus, illi verò ſoli accipiunt.

Cæterùm ſi Chriſto, aut alteri ob amorem Chriſti quippiam dederis, magis id dedit Chriſtus, quàm tu, magiſque id tu accipies, quàm Chriſtus, aut ille,cui tu in Chriſti nomine id donas. Chriſtus enim hoc ipſum, quod tu dediſti, etiam dedit per poteſtatem, qua Dominus eſt domus ſuæ; tu verò dediſti velut famulus in domo Chriſti,Chriſtus autem [Hebr. 3.] etiam, aut Chriſti membrum donatam à te [Matth. 6.] iuſtitiam,& eleemoſynam accepit ad temporalem vſum; tu autem eandem iterùm accipies ad æternam mercedem. Quid enim miſeretur pauperis, fœneratur Deo. Age verò: ne Chriſtus Deus, & homo tantùm in eorum bona, qui vltrò illi obſequuntur, poteſtatem habere putetur: Videamus nunc quid in omnium Chriſtianorum bona ſtatuerit, quidque damni etiam inuitis Dominis iuſtiſſimè aliquando intulerit, cum hæc vtraque, nec præter iuſtitiam, nec abſque legitima poteſtate fecerit. Legem igitur hanc in omnium fidelium bona Chriſtus tulit,non modò vt lethale crimen haberetur,ſi quis habens ſubſtantiam [Ioann. 3.] huius Mundi, & videns fratrem ſuum neceſſe habere, clauſiſſet viſcera ſua ab eo (nam quomodò charitas Dei manet in tali diuite?) ſed etiam reus violatæ legis eſſet, ſi non dediſſet eum honorem,hoc eſt cum victum,& veſtitum duplicem Presbyteris, & Epiſcopis, qui pro ſua cuiuſque portione dandus eſſet. Nàm vt [1. Cor. 9.] nemo militat ſuis ſtipendijs vnquam; nemo plantat vineam, & de fructu eius non edit; nemo paſcit gregem,& de lacte eius non manducat: immò vt qui altari deſeruiunt, de altari participant; ità & Dominus ordinauit ijs, qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere, Hoc igitur onus temporale cum Chriſtus membris ſuis impoſuerit;nonnè certum eſt indicium, quòd in externa quoque [Rom. 13.] bona eorum poteſtatem habet? Nàm vt Cæſar imperat tributa, vnde ſuis ducibus, & militibus ſtipendia ſoluat; ſic etiam Chriſtus facit. Habent ergo miniſtri etiam Chriſti poteſtatis [Matth. 18.] huius, quæ in bona fidelium Chriſti data eſt, miniſterium, vt & ipſi non in hac cauſa tantùm,ſed in alia ſimili quacunque præſcribant, quid Chriſtiani ad communem Eccleſiæ vtilitatem conferre debeant.

Sed nunc accedamus etiam ad damna, & pœnam alijs per Chriſtum iuſtiſſimè inflictam.Cùm veniſſet transfretum in Regionem [Matth. 8.] Geraſænorum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, ſæui nimis, ità vt nemo poſſet tranſire per viam illam. Dæmones autem rogabant eum,dicentes: ſi eijcis nos, mitte nos in gregem porcorum, & ait illis, ite. At illi exeuntes, abierunt in porcos,&ecce impetu abijt totus grex præceps in mare, & mortui ſunt in aquis, & rogabant eum, vt tranſiret à finibus eorum. Erant autem ad duo millia porcorum. Quid? [Marc. 5.] An Chriſtus ad duo millia porcorum,Dominis inuitis,auferens, iniuria eos affecit? ſi nihil habet iuris in res huius Mundi,aut in aliorum externa bona: profectò quod ſine iure fecit,cum iniuria,vt fecerit,neceſſe eſt: verùm ſi Chriſtus in omnia Mundi bona iuris plenitudinem habuit; videndum eſt quid hinc nos ad noſtram inſtructionem colligamus. Pro [In Marcum.] vnius hominis ſalute, inquit Beda, duo millia porcorum ſuffocantur.

Quoties ergo bonorum temporalium amiſſio ad ſpirituale bonum, vel noſtrum, vel proximorum proficit; docemur, & Chriſtum, & miniſtros Chriſti habere à Deo ius,Dominos ipſos illis bonis temporalibus ob eum finem priuandi: ſicut in hiſtorijs Eccleſiaſticis legimus, Gregorium Thaumaturgum piſcinam, [Nicephorus l.6. cap. 17.] de qua duo fratres immoderatè ob lucrum temporale contendebant, exſiccaſſe, & vtroque ea ſpe,ac re priuaſſe. Inſignius etiam [Ioann. 2.] illud eſt, quod Chriſtus, facto de funiculis flagello, eiecit de templo eos, qui vendebant oues, & boues, & columbas,& numulariorum effudit æs, & menſas ſubuertit.

Quis putet nihil eos damni pertuliſſe? quorum,& nunc ſunt effuſi; & abacta pecora, & ſubuerſæ menſæ. Quis neget etiam corporalem coercionem ſpiritali poteſtatis, & debitam, & permiſſam, per flagellum illud de funiculis factum intelligi debere? Cur igitur, & damno, & pœna corporea Chriſtus eos affecit, niſi quia poteſtatem habet, eos, qui domo Dei ſceleratè abutuntur, & mulctare in bonis, & corporali pœna coercere? Sed quid loquor, aut de rerum detrimento, aut de flagellatione perſonarum? [Ioann. 18.] Quis Iudæos Chriſtum ad eum crucifigendum quærentes,in terram deiecit? nonnè Chriſtus? [Act. 9.] Quis Paulum in terram velut ictu fulminis proiecit? Quis eum lumine,oculorum priuauit?Quis ei dixit, Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare? [Luc. 14.] Nonnè Chriſtus? An igitur Chriſtus etiam ſtimulus eſt? an & ille compellit intrare? Non omnis ergo, etiam corporea, vis aliena eſt à [Ioann. 18.] Regno Chriſti. [Act 19.] Nàm ſi eos,qui foris ſunt,partim proſternit, vt ſciant ſe peccare, partim percutit, vt eoſdem compellat intrare; quantò magis coactiuam, & coercitiuam poteſtatem in eos, qui iam intus ſunt, exercet? [Hebr. 3.] Eſt enim præcipua quadam ratione domus ſuæ [Matth. 22.] Dominus: vt meritò quem in ſua domo ſine veſte nuptiali reperit, cum ligatis manibus, & pedibus mitti iubeat in tenebras exteriores.

Si ergo poſt hanc vitam in æternum ignem hoſtes ſuos conijcere poteſt;quãtò magis coercere eos in hac vita per quamcunque corpoream caſtigationem poteſt? maximè cum ea pœna referatur ad ſalutem eorum,qui puniuntur, ſi fortè flagellati reſipiſcant? Ac ne quis putet, nihil ſimile à Chriſti miniſtris, ſiue Prophetis, ſeu Apoſtolis fieri potuiſſe; is perpendat etiam maiora,& grauiora per illos facta eſſe: Ità enim viſum eſt Deo, vt non tota Chriſti poteſtas per eum in terris agentem reuelaretur, ſed partim antea, partim poſt; ſicuti rem diſpenſare nouerat ille, qui omnia fecit in ſapientia. Moyſes igitur famulus in domo Chriſti, videns idololatriam filiorum Iſrael; ſi quis, inquit, eſt Domini, iungatur [Exod. 32.] mihi:congregatiſque ſunt ad eum omnes filij Leui, quibus ait, Hæc dicit Dominus Deus, occidat vnuſquiſque fratrem, & amicum, & proximum ſuum; cecideruntque in die illa [Num. 25.] quaſi viginti tria millia hominum. Gladius autem Leuitarum, cuius eſt, ſi non Chriſti,& miniſtrorum Chriſti gladius? etiam Helias

Pro-

3. Reg. 18. Propheta Dei, & propterea miniſter Chriſti,
dixit ad Achab, Mitte & congrega ad me vniuerſum Iſrael in Carmelo, & Prophetas Baal
quadringentos quinquaginta, Prophetaſque
lucorum quadringentos, qui comedunt de
menſa Iexabel. Quod cum eſſet factum, nec
potuiſſent ignem de cœlo deducere, vt Helias
fecerat; ait Helias ad populum, Apprehendite Potphetas Baal, & ne vnus quidem effugiat ex eis. Quos cum apprehendiſſent, duxit eos Helias ad torrentem Ciſon, & interfecit eos ibi. Cuius gladium, Aclere, iuſtum
fuiſſe putas? an non Chriſti? An non recor-
Matth. 17. daris Heliam vnà cum Moyſe in monte Tabor affuiſſe, vt ambo Chriſti ſe Prophetas, &
famulos eſſe conteſtarentur? Gladius igitur
Hæliæ Chriſti gladius eſt.

Porrò an non Prophetas Reginæ Iezabelis, ea etiam inuita, Helias interfecit? ac
neque regis voluntatem ea in re legitur petijſſe. Habet ergo Chriſtus, non ſolùm, ſed,
& miniſter Chriſti, gladium ſupra Regis, &
Reginæ gladium, quem ſuo tempore inuitis
etiam regibus, in ſalutem fidelium ſtringat, vt
nunc Helias fecit. Totum enim hoc factum
eſt, vt populus decem tribuum deſineret clau-
3. Reg. 18. dicare in duas partes, nec ſimul Deum, &
Baal, ſed Deum ſolum ſequeretur. Vnde etiam
expleto holocauſti ſacrificio, cecidit populus
in faciem ſuam, & ait; Dominus ipſe eſt Deus,
Dominus ipſe eſt Deus.

3. Reg. 19. Iſte eſt Helias tantò regibus maior, vt
Deus ad eum dixerit; Vnges Hazael Regem
ſuper Syriam, & Iehu filium Namſi vnges Regem ſupe Iſrael, Eliſeum autem vnges Prophetam pro te, & erit, quicunque effugerit
gladium Hazael, occidet eum Iehu, & quicunque fugerit gladium Iehu, interficiet eum
Eliſeus. Gladius igitur omninò Ethnicus,
quem Hazael portauit, minimus eſt inter gladios Dei, maior ille Iehu Rex populi Dei geſſit, maximus verò is, quem Propheta Dei portauit; tantum abeſt, vt nullum habeat gladium Chriſti Eccleſia.

Poſtremò iſte eſt Helias Thesbites, natus
in Samaria, ſubditus Achab, & Iezabelis,
regum Iſrael, ad quem cum Rex Ocbozias
4. Reg. 1. quinquagenarium Principem & quinquaginta, qui erant cum eo, miſiſſe, iſque diceret,
Homo Dei rex præcepit, vt deſcendas, Reſpondit Helias, Si homo Dei ſum deſcendat ignis
de cœlo, & deuoret te, & quinquaginta tuos:
Quod cum ſecundò factum eſſet, cogitare debes Aclere, quòd non ſolùm viri centum, duceſque duo ſunt occiſi, verùm etiam rex ſchiſmaticus ingenti damno affectus eſt, eò quòd
ſuis militibus priuaretur.

At in nouo, inquis, teſtamento, quid
2. Cor. 3. ſimile habes, quod proferas? Profectò Aclere
Epheſ. 4. non minor eſt poteſtas eius teſtamenti, quod
1. Cor. 12. manet, quàm illius, quod euacuatum eſt. Non
ſunt Prophetis minores Apoſtoli; non caret
tempus gratiæ illis remedijs ad æternam ſalu-
Act. 13. tem promouendam, quibus lex olim abundabat. Ecce igitur tibi Elymam magum,
oculis ad tempus ab Apoſtolo Paulo priuatum, vt Paulus proconſul miraculo commo-
1.Timoth.1. tus, veritatem Dei eò facilius in æternum videret. Ecce tibi Alexandrum, & Hymenæum
1. Cor. 5. Sathanæ traditos, vt diſcerent non blaſphemare. Ecce fornicatorem Corinthium eidem
Sathanæ traditum in carnis interitum, hoc
eſt, vexationem, vt ſpiritus in illa die ſaluus
eſſet: Ecce Petrum quoque Apoſtolorum Act 5.
Principem gladio ſpiritus, quod eſt Verbum
Dei, Ananiam, & Sapphiram hac mortali
vita priuantem, vt cæteri deinceps eò magis
cauerent ne Spiritni ſancto mentirentur.

Cùm omnia igitur fidelium bona ſiue
externa, ſeu corporea, ſeu etiam iura per Apoſtolos, & Prophetas Chriſti miniſtros, ob animarum ſalutem diſpenſata fuerint: Quis du- 2.Cor. 4.
bitet, quin hodie quoque poteſtas ſpiritalis,
quæ penès Chriſti miniſtros conſtituta eſt,
ius legitimum habeat de bonis, & iuribus fidelium ad honorem Dei, & Eccleſiæ vtilitatem diſponendi? Cuius rei elegantem rationem beatus Paulus reddit in epiſt. ad Philemonem, cum ait, Philemonem debere ſe ipſum
Paulo, nedum ſua.

Cùm enim Oneſimus à Domino ſuo Philemone aufugiens, Pauli opera factus eſſet
Chriſtianus, iamque ad Dominum ſuum iuſſu Pauli reuerteretur, Paulus epiſtola per eundem Oneſimum ſcripta, rogat Philemonem,
vt ſi quid Oneſimus ei nocuit, aut debet, id
condonet. Rogat autem, cum poſſet imperare: ſic enim ait, Multam fiduciam habens
in Chriſto Ieſu imperandi tibi, quod ad rem
pertinet, [ideſt, quod æquitas cauſæ poſtulat,] per charitatem magis obſecro, cum
ſim ſenex, nunc autem, & vinctus. Tu Oneſimum, quem in vinculis genui, qui tibi aliquando inutilis fuit, nunc autem, & mihi,
& tibi vtilis, ſuſcipe, quem ego volueram
mecum detinere, vt pro te mihi miniſtraret in
vinculis Euangelij: ſine conſilio autem tuo
nihil volui facere, vt ne velut ex neceſſitate
bonum tuum eſſet, ſed voluntarium. Si ergo
me ſocium habes, ſuſcipe illum ſicut me: ſi
autem aliquid nocuit tibi, hoc mihi imputa.
Ego Paulus ſcripſi mea manu. Ego reddam,
vt ne dicam tibi, quòd te ipſum mihi debes.
Ità frater, ego te fruar in Domino, refice viſcera mea in Chriſto. Confidens in obedientia tua, ſcripſi tibi, ſciens, quoniam, & ſuper
id, quod dico, facies. Simul, & para mihi hoſpitium. Nàm ſpero per orationes veſtras donari me vobis. Hæc Paulus.

Vbi apertè declarat miniſtros Chriſti
poſſe Chriſtranis, quod officij ſui eſt, etiam
cum ipſorum temporali detrimento imperare, & illos debere obedire: vtroque enim, &
imperandi, & obediendi verbo vtitur. Fiduciam (ſeu libertatem, inquit) in Chriſto habens imperandi tibi, quod ad rem pertinet,
propter charitatem magis obſecro. Poſſem,
inquit, imperare tibi. Cur id? quia id, quod
impero, ad rem pertinet, videlicet, non alienum eſt ab officio, ſed honeſtum, decorum,
conſentaneum, ſeu debitum: deindè confidens,
ſeu perſuaſus de obedientia tua, ſcripſi tibi;
ergo, & imperandi libertas in Paulo fuit, &
obediendi neceſſitas in Philemone. Neceſſitas, inquam, cum eo etiam verbo Paulus vtatur, dicens, vt bonum tuum non velut ex neceſſitate, ſed voluntarium eſſet. Nàm ſi Paulus Philemoni imperaſſet; cum obediendi neceſſitas Philemoni impoſita fuiſſet, bonum
eius velut ex neceſſitate fuiſſet, quod Paulus
maluit eſſe voluntarium. Quæ autem eſt bonorum omnium ratio? Quia, inquit, te ipſum debes

bes mihi. Nō ſolùm igitur Chriſto, ſed & miniſtris Chriſti ſe ipſos Chriſtiani debent. Quorum enim miniſterio Chriſtus noſtram ſalutem operatur, dum nos etiam debitum illis honorem reddimus, interim Chriſto viciſſim officium præſtamus. Cum ergo miniſtris Chriſti nos ipſos debeamus; quantò magis noſtra omnia? quid autem eſt, quod Paulus à Philemone, aut quouis alio Chriſtiano, qui bona huius mundi habet, deberi miniſtris Chriſti putat? nempè vt cum opus eſt, miniſtret illis, aut per ſe, aut per ſuos: deindè vt damnum, atque etiam debitum, ſeu æs alienum, quod ipſis debetur, quando res poſtulat, & id expedire miniſtri Chriſti iudicant, proximo remittant, idque imputent, ſeu adſcribant Chriſti miniſtris, tamquam ipſi eius rei debitores ſint: non quòd ipſi teneantur id ſoluere (hoc enim ioco tantùm Paulus dixit) verùm quòd ipſorum iudicio ſciant ſe illud remittere debere: tum autem, vt pateant hoſpitium Chriſti miniſtris: denique vt quacunque re indigent, hanc illis præſtent, nempè quia ſe ipſos eis debent.

Nunc animaduerte Aclete, quid dicam: Si Chriſtianus vir miniſtris Chriſti ea, quæ ipſis neceſſaria ſunt, ſuppeditare debet, ipſorum miniſtrorum cauſa: quantò magis ijdem Chriſti miniſtri poteſtatem in bona Chriſtianorum habent, vt non iam ſibi ipſis, ſed ijſdem Chriſtianis ex ea re inſeruiant? Chriſtianis enim maximè omnium expedit, vt bona ipſorum ipſis potiſſimùm, ac æternæ eorum ſaluti ſubſeruiant. Quæ cum ità ſint, ſi diſpenſatores myſteriorum Chriſti iudicent ad rem pertinere, ſeu conſentaneum, & honeſtum eſſe, vt rex aliquis Chriſtianus ob crimina, quæ ſine vlla ſpe emendationis perpetrat, regno, quod in Chriſtianos gerit, priuetur; vtique poteſtatem habent tum in perſonam eius, quia ſe ipſum miniſtris Chriſti debet; tum in regnum, quia id quoque Chriſtianum eſt, & vſibus Eccleſiæ ſubiectum. Chriſtus quidem dum in terra eſſet, nulli mortalium vitam abſtuliſſe legitur; non quòd iuſtiſſimè id facere non poſſet (ſicuti & olim per Prophetas ſuos, & poſteà per Apoſtolos fecit (verùm partim, vt impleret omnem iuſtitiam, qua tunc venit, vt medicus, & Saluator, venturus poſteà vt iudex; partim vt Iudæi nullam eum accuſandi, multòque minùs occidendi ſpeciem haberent; partim etiam patienter agens propter ipſos delinquentes, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti. Vnde etiam Eccleſia regulam accepit, vt nulli nominatim vitam auferendam corporalem curet, nullius ſanguinem profuſum cupiat, ignorans vtrum benignitas Dei ad pœnitentiam eum adducet, qui iam alioqui ſceleratiſſimus eſſe cognoſcitur.

Exod. 32. 3. Reg. 18. Act. 5. Matth. 3 & 9. & 25.

Gladius enim Eccleſiæ in ædificationem datus eſt, non in deſtructionem; ad vitam conferendam, non ad inferendam mortem; ad defenſionem gregis, non ad læſionem pecoris; ad arcendum lupum, non ad deuorandum agnum. Si quis tamen tam rapidus eſt, vt ex agno fiat lupus, gregem inuadat, oues fortetur, mactet, diſperdat; ſi quid huic homini grauiùs euenerit, ſibi debet imputare, qui vltrò in gladium Eccleſiæ incurrens, ſibi ipſe malum quæſiuit. Scimus enim ſcriptum eſſe, Qui ceciderit ſuper lapidem iſtum [qui Chriſtus eſt] confringetur: Super quem verò lapis iſte ceciderit, conteret eum. Hinc fit, vt ſi quis ità fidem oppugnet intactà Eccleſiam, vt gladio, quem ſub Chriſto portat, contra ipſum Chriſtum vtatur, vim eius alia iuſtiori vi repellere neceſſe habeamus.

2. Cor. 10.

Matth. 21.

Ex ijs autem, quæ iam diximus, conſtat maiores noſtros Epiſcopos, & Præſules ſecundùm poteſtatem relictam Eccleſiæ Dei, leges iuſtiſſimas in Concilijs celeberrimis condidiſſe, vt ſi quis hæreſem (quo ſcelere nihil grauiùs cogitari poteſt) condidiſſet, propugnaſſet, aut ſciens, & volens ſecutus eſſet; is eo ipſo priuaretur omni poteſtate ſua, omni dominio rerum ſuarum, omnique iure, quod ante habuiſſet; quò faciliùs quiſque, aut pœnæ grauitate deterritus, à tam horrendo crimine abſtineret, aut ſi hoc nollet facere, ab alijs tamen, ad quos ea res pertineret, caſtigari poſſet; qui ſcientes eum tali pœna teneri, ad vindictam iſtius ſacrilegij opem ſuam, velut ad reſtinguendum commune incendium, primo quoque tempore conferrent.

2. Cor. 10. In Lateranenſi Concilio.

DE CLAVE DAVID
LIBER SECVNDVS.

CAPVT PRIMVM.

Chriſtum militantis Eccleſiæ ſuæ militans ſundamentum, & ab initio fuiſſe, & vſque ad finem ſeculi manere.

ANtequàm mutetur alicuius
magnę domus ipſum fun-
damentum, ſupra quod
ſemel ædificatum erat; ne-
ceſsè eſt tectum diſſolui,
parietes dirui, eoramqu
priorem domus formam
mutari: quòd quidem tùm recta ratio, quàm
quotidianus vſus ità ſe habere teſtatur.

1. Tim. 3. Eccleſia verò Chriſti, quæ in terris mili-
tat, eſt magna domus Dei viui, cuius pri-
1. Cor. 3. mum in terris fundamentum vnus viſibilis,
& militans Paſtor fuit; nempè Chriſtus Ieſus,
Ioann. 10. Luc. 10. qui prædicationem Euangelij, fidem in ſe,
amorem in Deum,& proximum, Baptiſmum,
Marc. 1. Eucharistiam, & alia noui Teſtamenti Sacra-
Matt. 6. menta, dùm adhuc mortali carne veſtiretur,
Ioann. 4. inſtituit, & vel ſuis, vel ſuorum manibus ad-
Luc. 22. miniſtrauit. Aut igitur vnus viſibilis, & mi-
litans Paſtor ſemper manet eiuſdem Eccleſiæ
fundamentum; aut ſi fundamentum; illud
primum mutatur, neceſsè eſt Eccleſiæ do-
mum, quam Chriſtus adhùc militans ædifi-
Matt. 16. cauit, ſubuerſam, & deſtructam eſſe. Non
ſubuertitur autem Eccleſia Chriſti, aduersùs
quam portæ inferi nec præualuerunt, nec
præualebunt; ergo vnus viſibilis, & militans
Paſtor adhùc manet, & in æternum manebit
eiuſdem militantis Eccleſiæ fundamentum.
Debet enim fundamentum toti reliquæ fabri-
1. Eſd. 6. cæ reſpondere, ſicut ſcriptum eſt: Ponant
fundamenta ſupportantia altitudinem cubi-
torum ſexaginta. Hinc quamdiù tabernacu-
lum Domini per deſertum portabatur; Alta-
Exod. 29. 30. & 36. ris labij, columnarum, atrij, & aliarum eiuſ-
modi rerum, quæ ad tabernaculum pertine-
bant, baſes, & fundamenta etiam tralatitia
fuerunt, & de loco in locum à Leuitis porta-
bantur. Poſtquàm verò Salomon Templum
3. Reg. 8. Deo in Hieruſalem fixit, & erexit, etiam il-
lius Templi fundamenta in eodem loco fixa,
& erecta permanebant. Adeò vndique fun-
damentum eiuſdem naturæ, & conditionis
eſt, cuius, & reliqua domus. Quæ enim pro-
portio, aut conuenientia domus in terra mi-
litantis, cùm fundamento, quod nullo modo
in terra militat; ſed tantùm in Cœlo trium-
phat? Nonne quantum diſtat Cœlum à terra,
tanto interuallo domus eiuſmodi abeſt à ſuo
fundamento? Quis enim ex nobis valet ad Eſaia 53.
Cœlum conſcendere, vt fundamentum do-
mus noſtræ ad nos deferat? An ideò Chriſtus Deuter. 30
de Cœlo in terram deſcendens carnem paſſi-
bilem, & mortalem aſſumpſit, fratribuſque Ioann. 6.
per omnia aſſimilatus, in terris viſus, & cum Hebr. 2.
hominibus conuerſatus eſt; vt poſt viſibile
militantis Eccleſiæ fundamentum, palàm, Baruch. 3.
apertèque in medio Synagogæ iactum, iàm
deinceps fundamentum illud viſibile à viſi- Ioann. 18.
bili domo, quæ ſuper illud conſtructa erat,
auferretur, domuſque adhùc militans ſine ſuo
fundamento adhùc militante relinqueretur?
At Chriſtus ad hoc venit, vt ipſe requireret
oues ſuas, & viſitaret eas, ſicut viſitat Paſtor
gregem ſuum, quando fuerit in medio ouium
ſuarum diſſipatarum. Non tantùm in Cœlo Ezech. 34.
eſt Chriſtus Paſtor noſter, ſed & in medio
ouium ſuarum; nec ſolùm in medio earum
per fidem noſtram, & Diuinitatem ſuam, ve-
lut inuiſibilis, iàm hoc modo, & antè aſſum- Ier. 23.
ptam carnem in medio noſtrum fuit; ſed
nunc per carnem viſibilem in medio ouium
ſuarum habitat. Alioqui verò nec oculus
vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis
aſcendit; quodnam ſit illud fundamentum, 1. Cor. 2.
quod Chriſtus in Cœlis iecit. Porrò cùm
Eccleſia Chriſti ſuper Chriſtum viſibilem, ac Ioann. 10.
militantem Paſtorem ſuum ſemèl fundata,
non poſſit aliud fundamentum præter eun-
dem viſibilem Chriſtum habere; omninò re- 1. Cor. 3.
ſtat, vt Chriſtus vnà cum Eccleſia ſua mili-
tante, adhùc in terris militet.

CAP. II.

Quomodò Chriſtus adhùc ſit militans fundamentum Eccleſiæ ſuæ.

CVm Chriſtum, qui quadrageſimo poſt
reſurrectionem ſuam die in Cœlum
aſcendit, ſecundùm carnem iàm non noue-
rimus; quomodò is hodiè manet viſibile, ac
militans Eccleſiæ ſuæ fundamentum? Id vri-
que

[2. Cor. 5.] que ſit, dùm eadem illa poteſtas, qua Chriſtus adhùc militans, militantem Eccleſiam [Matth. 20.] ſuam vnus, ac ſolus in ſummo rerum adminiſtrandarum gradu rexit, in alium Paſtorem vnum ex Chriſti mandato transfertur, qui [Ioann. 10. Luc. 10.] perſonam Chriſti, quatenùs ea dùm Eccleſiam fundaret, mortalis, ac viſibilis erat, in oculis Fidelium vſque ad finem ſeculi gerat, & repræſentet. Nàm cùm Chriſtus in terris [Ioann. 5.] exiſtens per omnipotentiam Diuinitatis ſuæ, qua Deo Patri æqualis eſt, omnia operatus [Ioann. 1.] ſit: Diuinitas verò eius ab hominibus in ſe ipſa non potuerit videri; ſed tantùm per ex- [1. Ioann. 1.] ternam quandam virtutem oculis, auribuſque hominum admotam, ſe ſe illis videndam, credendamque exhibuerit: modus autem, quo Diuinitas Chriſti Eccleſiam in hoc Mundo fundauit, & rexit, fuerit ille, vt turbas duceret, Diſcipulos colligeret, Sacramentis initiaret, Apoſtolos in meſſem Domini mit- [Luc. 6. & 10. Ioann. 4.] teret, ac in vnitate contineret: ſi poteſtas hoc ipſum faciendi perſonæ cuipiam Fideli à Chriſto committatur; hæc perſona, quatenùs hac poteſtate prædita eſt, nihil erit aliud, quàm viſibilis, & militans Chriſtus.

Cùm enim tam membra, quàm dona Chriſti dicantur Chriſtus; membra quidem, ſicut ipſe ad Saulum quoſdam ex membris [Act. 9.] ſuis perſequentem dixit; Quid me perſequeris? Dona verò, ſicut Paulus ait: Quicumque [Gal. 3.] in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis, idque, quoniam hæc vtraque veram, & ger- [Luc. 8.] manam Chriſti virtutem in ſe continent: quantò magis primum, ac præcipuum totius Eccleſiæ membrum, primò, ac præcipuo viſibilem donorum Chriſti præditum, nempè, quòd viſibilem Chriſti perſonam ſibi ab ipſo Chriſto impoſitam ob communem totius Eccleſiæ adminiſtrandæ vtilitatem ſuſtinet, viſibilis, & militans Chriſtus iure optimo cenſebitur? At ſi alia quæpiam gubernationis Eccleſiæ forma, quam Chriſtus ipſe, dùm in oculis hominum fundaret Eccleſiam ſuam, non exercuit, excogitaretur, iàm hæc forma non eſſet ille viſibilis, & militans Chriſtus, qui velut Rex, & Monarcha ſpiritualis militantem Eccleſiam ſuam ſuper ſe Paſtorem vnum in terris olim fundauit, & rexit, ſed idolum aliquod eſſet ab hominibus confi- [1. Cor 3.] ctum, & adinuentum. Chriſti autem Eccleſia nec aliud fundamentum præter Chriſtum ſubſterni ſibi patitur, & cùm ſuper eum viſibilem, & militantem ſemel ædificata ſit, [Ioann. 10.] quamdiù ipſa militat, eum in fundamento ſuo viſibilem, & militantem eo, quo iam dixi, modo vſque ad conſumationem ſeculi retinet.

[Matt. 24.] Vna enim domus Eccleſiæ non ſolùm ab vno patre-familias Chriſto gubernatur; [Marc. 13.] ſed etiam eo peregrè proficiſcente, vni ſeruo fideli, ac prudenti adminiſtranda commit- [Luc. 12.] titur; cui & præcipitur, vt vigilet, cibumque conſeruis ſuis in tempore det, & interdicitur, ne conſeruos ſuos percutiat; ex quibus efficitur, vt in omnes conſeruos ſuos poteſtatem acceperit, tamquam ſupra familiam Domini ſui conſtitutus.

CAP. III.

Petrum loco viſibilis præſentiæ Chriſti viſibile, ac militans Eccleſiæ fundamentum fuiſſe.

NE quemquam Fidelium lateret quiſnam eſſet, quem Chriſtus loco viſibilis præſentiæ ſuæ, viſibile, ac militans Eccleſiæ fundamentum conſtitueret; Chriſtus voluit, vt in nomine ſuo, quod omnes, qui vſpiam Chriſti Euangelio crederent, audituri eſſent, tantæ poteſtatis indicium circumferret; Chriſto ad eum dicente: Tu vocaberis Cephas, quod [Ioann. 1.] interpretatur Petrus. Itàque cùm Chriſtus ſit petra, ſuper quam ipſius Eccleſia ædificatur, [1. Cor. 10.] quid aliud eſt Petrus à Chriſto petra cognominatus, quàm militans illud Eccleſiæ fun- [2. Cor. 3.] damentum, quod Chriſtus loco viſibilis præſentiæ ſuæ ſubſtituit, & ſurrogauit? Ne quis enim aliorsùm Petri cognomentum traheret, Chriſtus ipſe id interpretari dignatus eſt, ad eum dicens: Tu es Petrus, & ſuper hanc pe- [Matt. 16.] tram ædificabo Eccleſiam meam; quaſi diceret, non ob alium finem te cognominaui Petrum, quàm vt in ſuſtentanda Eccleſia mea petræ officio, ideſt mea vice fungereris. Nec ſemèl id, aut vno modo ſignificaſſe contentus; cùm Apoſtoli poſt mentionem à Chriſto de morte ſua factam, omninò ſcirent, vnum aliquem ipſorum cæteris præfuturum, ac proptereà contenderent inter ſe, quis eorum videretur eſſe maior; illo ipſo tempore Chri- [Luc. 22.] ſtus primùm in genere ad omnes Apoſtolos dixit: Qui maior eſt in vobis, fiat ſicut iunior, & qui præceſſor ſicut miniſtrator, aliquem inter ipſos verè maximum eſſe declarans. Deindè nominatim ad Petrum dixit: Simon, ecce Sathanas, expetiuit vos, (omnes ſcilicet Apoſtolos, ad quos omnes in vnius Petri perſona loquitur, quia omnes in illo tamquam membra in ſuo capite comprehendebantur,) vt cribraret ſicut triticum. Ego autem omnibus vobis conſulturus, non ex æquo pro omnibus vobis; ſed potiſſimùm, ac primùm rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, hoc eſt, vt tu in cauſa fidei ſis tamquam petra ſolidiſſima.

Quid ergo de reliquis Apoſtolis fiet? Illi quidem, quod ad fidem attinet, ſecuri erunt, quia Petro duci ſuo, & præceſſori adhærebunt; vndè ſequitur: Et tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos. Chriſtus Petrum ſolum immediatè in fide confirmat, cæteros autem Apoſtolos confirmat quidem, ſed per interiectam Petri perſonam, & poteſtatem. Cùm enim Apoſtoli ſint, quos Sa- [Luc. 22.] thanas expetit cribrare, etiam Apoſtoli ſunt, quos Petrus iubetur confirmare. Per Apoſtolos autem, & Paſtores Dominici gregis adhærentes Petro, etiam cæteri Fideles in fide confirmantur.

Porrò cùm Fideles Eccleſia Chriſti ſint, quando Chriſtus precibus ſuis facit, vt non ſolùm plebs Chriſtiana, verùm etiam Paſtores omnes ab vno Petro in fide Chriſti confirmentur, tunc Eccleſiam ſuam ſupra vnum Petrum ædificat, vt ſemper in Eccleſia Chriſti

Ggg ſit

ſit viſibilis quidam,ac militans Chriſtus, qui Eccleſiam ſuper viſibilem, ac militantem Chriſtum ab initio ædificatam, abſque huius [Matt. 16.] fundamenti mutatione, totiuſque ædificij ſubuerſione, ad finem vſque ſeculi perducat. Nàm portæ inferi non prævalebunt aduersùs illam Eccleſiam Chriſti, quam ipſe adhùc in terris militans ſupra ſeipſum adhùc militantem fundauit.

CAP. IV.

Quàm ſuperior cæteris Apoſtolis vnus ſit tam in iure, quàm in vſu Clauium.

[Iſa 55.] [Apoc. 3.] [Matt. 16.] CLaues Regni Cœlorum, quæ ſummam gubernandæ Eccleſiæ poteſtatem deſignant, ab initio ſoli Petro ſunt promiſſæ, Chriſto ad illum dicente: Et tibi dabo claues Regni Cœlorum. Cùm igitur verax ſit Chriſtus, ab initio ſoli Petro ſunt datæ. Donatio autem clauium ſoli Petro facta, ius quoddam ſingulare, & eximium in eiſdem clauibus ei acquiſiuit. Et ſi enim omnium Apoſtolorum, ac totius Eccleſiæ perſonam in accipiendis clauibus ſuſtinuit: tamen cùm hanc Eccleſiæ perſonam non ab Eccleſia, ſed à Chriſto ſibi impoſitam ſubſtinuerit, eo ipſo inter Chriſtum,& Eccleſiam, velut Moyſes inter Deum, [Matt. 16.] & populum interiectus eſt; tantò maior cæteris Apoſtolis effectus, quantò proprius ad Chriſtum accedit, qui Primatum in omnibus tenet. Claudit ergo Petrus, & nemo aperit: [Coloſ. 1.] Aperit,& nemo claudit. Nec tantùm claues, [Eſa. 22.] verùm etiam vſus clauium ſoli Petro datus eſt, antequam alij cuipiam Apoſtolo daretur, Chriſto ad ſolum Petrum dicente: Quod- [Matt. 16.] cumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in Cœlis; & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in Cœlis.

Quod autem in quoque rerum genere primum eſt, id & digniſſimum, & maximè ſtatum, ac ordinarium habetur, tamquam cuiuslibet ordinis indè orituri principium, [Matt. 18.] ac fundamentum. Poteſtas igitur clauium, quæ poſteà cæteris Apoſtolis donata eſt,longè inferior eſt illa poteſtate, quæ ſoli Petro donata fuit; primùm, quia poteſtas aliorum Apoſtolorum non ius aliquod clauium; ſed vſum tantummodò comprehendit. Neque verò ad illos dictum legitur: Vobis dabo claues Regni Cœlorum; ſed: Quæcumque ligaueritis, & ſolueritis. Ligare autem, & ſoluere ad vſum clauium, non ad primarium ius pertinet.

Deinde, hic ipſe vſus clauium tunc demùm cæteris Apoſtolis donatus eſt, cum priùs iam ſoli Petro datus fuiſſet. Qui autem cæteris paribus prior eſt tempore, potior eſt iure.

Iam verò, cùm in quolibet regno ſumma poteſtas penès vnum ſit, non poſſunt claues Regni Cœlorum ex æquo penès omnes Apoſtolos eſſe: alinqui non tam regni, quàm ariſtocratiæ claues dicerentur.

Prætereà vſus clauium, qui Apoſtolis collatus eſt, pendet, ac deſumitur ab illis clauibus, quæ iam ſoli Petro ſunt datæ. Quibus enim alijs, quàm Petri clauibus, cùm aliæ mille vnquam fuiſſe legdantur, aut ligabunt Apoſtoli, aut ſoluent oſtij Eccleſiæ ſeram? [Matt. 16.]

Poteſtas igitur Apoſtolorum cum originem aliquam ex Petri poteſtate ſumat, vtique minor eſt origine, ac fonte ſuo; non quòd dicam,Petrum auctorem eſſe illius poteſtatis, quæ Apoſtolis collata eſt, ſed originem,vndè ſumpta eſt. Nam,vt Deus vnam ex coſtis Adæ [Gen. 2.] tulit, eamque in mulierem ædificauit, vt viro ſuppeteret adiutorium ſimile ſibi; vndè [1. Tim. 2.] Apoſtolus infert, Virum, poſt quem, ex quo, & propter quem mulier facta eſt, caput mulieris eſſe: itemque, vt Deus de ſpiritu, quem [1. Cor. 11.] priùs Moyſi dederat, tulit, eumque ſeptuaginta viris de ſenibus Iſrael tradidit, vt onus [Num. 11.] populi vnà cum Moyſe ſuſtinerent, & non ſolus ille grauaretur; ex quo etiam rectè concludi poteſt, Moyſem ſeptuaginta virorum caput, ac Principem eſſe: denique vt tam Heuæ cato ex Adamo, quàm ſeptuaginta virorum poteſtas, ex Spiritu Moyſis deſumpta eſt, quo vnitas, & humani generis in vno Adamo; & Synagogæ veteris in vno [Act 17.] Noyſe conſeruaretur, ne duo eſſent etiam in hoc Mundo humanarum poteſtatum principia; ſed vnum: eodem prorsùs modo Chri- [Matt. 18.] ſtus velut ex latere, ac Spiritu Petri poteſtatem ligandi, & ſoluendi, quam Apoſtolis dedit, accepit: vt nec Petro deeſſet adiutorium vndecim Apoſtolorum in Euangelio, & [Matt. 28.] fide Chriſti propaganda: nec tamen poteſtatis Eccleſiaſticæ duplex in Eccleſiæ membris [Matt. 16.] origo, ſed vna eſſet ex vno Petro fundata. [Num. 11.] Ex quo rectè inferimus, Petrum, poſtquem, ex quo, & propter quem (ne videlicet ſolus ille grauaretur) inſtituta eſt poteſtas Apoſtolica omnium Apoſtolorum ex inſtitutione [Matt. 10.] Chriſti caput, ac Principem eſſe, vndè & primus Apoſtolorum in Euangelio Matthæi Apoſtoli vocatur.

Poſtremò, cum dictum eſt Apoſtolis; [Matt. 18.] Quæcumque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata in Cœlo: & quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in Cœlo; iam [Matt. 10.] erat Petrus non tantùm vnus, verùm etiam primus ex illis. Itàque cum hæc verba,ſaluo Primatu Petri, neceſſariò intelligenda ſint, hunc ſenſum capiunt. Quæcunque, aut vos omnes, quorum primus eſt Petrus, aut ſinguli veſtrum ſaltem Petro non contradicente, aut ſaltem duo ex vobis, quorum vnus ſit Petrus; ſuper terram alligaueritis, aut ſolueritis, erunt ligata, & ſoluta etiam in Cœlo. Qui ſenſus eius loci proprius, ac germanus eſſe conuincitur: quia ibidem ſubiungitur: [Matt. 18.] Iterùm dico vobis, quia ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram; de omni re, quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in Cœlis eſt, non igitur ſufficit vnius Apoſtolorum conſenſus, verùm, & alterum oportet, vel tacitè conſentire, vt ratum ſit in Cœlo, quod in terra petitur. Sed quis eſt ille alter in terra,cuius conſenſus perpetuò adeſſe debet? Vtique Petrus Apoſtolorum Princeps. Nam quis, capite, ac Principe ſuo contradicente, qui ſaltem in ea re,de qua agitur, Caput, ac Princeps propriè ſit, conſenſum in aliqua re ſuum rectè, atque ordine inter- [Matt. 18.] ponit? Quare, Chriſtus adhuc dilucidiùs

men-

mentem ſuam explicans, adiecit. Vbi enim ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. Ecce non ſatis eſt, Matt. 16. duos, aut etiam tres conſentire, niſi & illi congregentur in Chriſti nomine, hoc eſt, in ea poteſtate, quam Chriſtus ad ligandum, & ſoluendum, atque ad congregationes faciendas inſtituit. Conſtat enim ex ipſis Apoſtolorum ſcriptis, nomen Dei in ſcripturis ſacris ſignificare diuinam virtutem, ac poteſtatem. Philip. 2. Poteſtas autem ſiue ligandi, & ſoluendi, ſeu congregandi Apoſtolos, Act. 4. aut eorum ſucceſſores, ad quem potiùs pertinet, Ioann. 21. quàm ad Petrum, qui claues portat, quique ſuprà omnes alios agnorum, & ouium paſtor eſt, vtpotè plùs alijs Chriſtum diligens, & in eo gradu ſingulari paſtor à Chriſto conſtitutus? Quòd ſi etiam aliter Chriſti nomen accipere libet, vbi perindè in terris reperiretur Ioann. 1. Chriſti nomen, ac in eo, quem Chriſtus vera petra Petrum à ſeipſo cognominauit? Petrus ergo poteſtatem clauium liberam, & abſolu- Matt. 16. tam habet. Apoſtolorum verò poteſtas ad Petri poteſtatem aſtringitur, & alligatur.

CAP. V.

Summa prærogatiuarum Petri ſuprà omnes alios Apoſtolos.

Ioann. 1. SOlus accepit promiſſionem, vt cognominaretur Cephas, ſeu Petrus, tamquam 1. Cor. 10. petra, quæ Chriſti æternæ petræ viſibilem, & militantem locum in ſuſtentanda militante Eccleſia teneret, idque ei promiſſum eſt, antequam confeſſus eſſet Chriſti diuinitatem, vt non illa confeſſio hanc dignitatem, ſed huius dignitatis promiſſio illam pepererit confeſſionem.

Primus Apoſtolorum ſolus conſtitui- Matt. 10. tur.

Matt. 16. Cui potiſſimùm Deus fidem Chriſti confitendam reuelauit, eo ipſo caput prædicandæ, & confitendæ fidei eum conſtituit.

Matt. 16. Qui Chriſtum pro Apoſtolis omnibus, & tota Eccleſia confeſſus eſt, gratiam Dei vacuam in ſe non eſſe oſtendens, ſed capitis officio fungens.

Ibidem. Super quem Chriſtus promiſit ſe ædificaturum Eccleſiam ſuam, vt hoc totum non niſi Eccleſiæ cauſa Petro donatum ſciremus.

Ibidem. Aduersùs quem promiſit non præualituras inferorum portas. Nam ſi non præualebunt aduersùs Eccleſiam, quæ ſuper hanc militantem petram ædificatur; quantò minùs præualebunt aduersùs ipſam petram?

Ibidem. Cui ſoli Deus dedit claues Regni Cœlorum, ideſt, ſummam poteſtatem, & eam non popularem, nec Ariſtocraticam, ſed monarchicam, qua regiam, & cęleſtem Dei familiam gubernaret.

Ibidem. Earumque clauium tam efficacem, & abſolutum vſum ſoli Petro in primis contulit, vt quicquid ille ſolus ligaret, aut ſolueret in terris, ratum fieret in Cęlis. Nam cę- Matt. 18. teris Apoſtolis hoc ipſum quidem, ſed poteſteà, & tunc ità demùm conceditur, ſi duo illorum conſenſerint, ideſt, ſi Petrus ei, quod ab illis fit, minimè contradixerit.

Pro ſolius Petri fide, primùm, ac immediatè Chriſtus rogauit, pro cæterorum autem in Petro. Luc. 22.

Petrum iuſſit confirmare fratres ſuos, nempè ipſos Apoſtolos, vtpotè quos à Sathana cribratos Chriſtus per Petrum confirmat. Ibidem.

Dum Apoſtoli de Primatu litigarent, Chriſtus aliquem inter illos maximum, & præceſſorem eſſe affirmans, mox docet Petrum eſſe illum maximum. Ibidem.

Petrum plùs alijs Apoſtolis, & diſcipulis Chriſtum dilexiſſe, Dominus ex modo interrogandi eum nos docet: Diligis me plùs his? Ioan. 21.

Petrus in eo ſingulari gradu conſtitutus, quo plùs alijs Chriſtum dilexit, iubetur agnos Domini paſcere. Iubetur ergo illos ſuper omnes alios paſcere. Ibidem.

Nec agnos tantùm, ſed & ipſas oues, quæ ſunt matres agnorum Petrus iubetur paſcere, hoc eſt, Paſtores, & Apoſtolos ipſos. Ibidem. Iſti enim ſunt aliorum fidelium matres, quæ parturiunt illos, donec formetur in eis Chriſtus. Galat. 4.

Qui accipiebant didrachma, quæſiuerunt à Petro, vtrùm Chriſtus ſolueret didrachma nec ne? nam, & illi, quamuis à Chriſto alieni, tamen ex ijs, quæ gerebantur, perſpicuè videbant, Petrum in toto Chriſti comitatu Principem eſſe. Matt. 17.

Pro ſolo Petro ex omnibus Apoſtolis, perindè, ac pro Chriſto didrachma ſoluitur. Vnde Apoſtoli hoc ſigno Primatus admoniti, ſtatim de Primatu litigabant. Ibidem. Matt. 18.

Cum piſcatio Apoſtolorum (vel ipſo Chriſto interprete) ad homines capiendos referatur, in hoc toto genere Petrus vbique primus tenetur, nam Chriſtus in Petri nauim potiſſimùm aſcendit, vt ad eius Eccleſiam ſe potiſſimùm per gratiam ſuam accedere demonſtraret. Matt. 4. Luc. 5.

In Petri nauicula ſedet, vt ſe in Petri Eccleſia perpetuò manere, & quieſcere oſtenderet. Ibidem.

Indè turbas docet, vt ex Petri Eccleſia fideles in æternum docendos innueret. Ibidem.

Petrum iuſſit in altum ducere, vt illum totius Eccleſiaſticæ diſceptationis Principem eſſe, ac Ducem ſignificaret. Ibidem.

Primus Petrus, in verbo Chriſti rete laxat, piſceſque tantos capit, vt etiam aliorum auxilio ad extrahendum rete opus eſſet. Ibidem.

Cæteri Apoſtoli dicuntur ſocij Simonis, & cum illo piſcatum eunt. Ibidem.

Solus Petrus liberè ambulat ſuper totam aquam; ideſt, omnibus populis præficitur: nam aquæ multæ ſignificant populos multos. Ioan. 21. Matt. 14.

Solus Petrus viſo Ieſu mittit ſe in mare, cæteris nauigio venientibus, quia illorum poteſtas præ Petri poteſtate certis finibus concludebatur. Ioann. 21.

Licèt dum Petrus ad Chriſtum properaret, alij diſcipuli rete piſcium traherent; tamen ad terram illud non traxerunt, donec aſcenderet in nauim Petrus, & rete in terram traheret. Nihil enim omnibus ſuis muneris Ibidem.

in Eccleſiaſticis cauſis impletur, donec Petrus ei ſupremam appoſuerit manum.

Luc. 22. Quamquam duorum gladiorum, quos Apoſtoli habebant, mentio in Euangelio fiat; tamen ſolus Petrus gladium portaſſe legitur, quem Chriſtus non alienum, ſed ſuum, ideſt, Petri gladium vocauit, cum diceret, Matt. 26. Conuerte gladium tuum in locum ſuum, vt paſtorali eius officio etiam materialem gladium (de eo enim poſteà planum faciam) ſubiectum eſſe oſtenderet; eum, inquam, gladium, qui intrà Eccleſiam Chriſti exoritur, & per alienas, non per Petri manus, licèt Petri nutu vibratur.

Ioann 13. Petri pedes primùm in cœna lauantur.

Niceph. l. 2. Solum Petrum Chriſti manibus baptizatum fuiſſe, Euodius Petri in Antiochena Eccleſia primus ſucceſſor in epiſtola, quam de lumine ſcripſit, & inſcripſit, memoriæ prodidit.

Matt. 19. Solus interrogauit Chriſtum de ijs, quæ ad omnes Apoſtolos ex æquo pertinebant, Luc. 12. Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te; quid ergo erit nobis? & iterùm, Domine ad nos dicis hanc parabolam, an & ad omnes?

Ioan 6. Solus de ijs, quæ ad omnes pertinebant reſpondit, Domine, inquit, ad quem ibimus?

Marc. 3. Ioann 21. Luc. 22. Vt diſcipuli omnes cum Chriſto eſſe, cum Chriſto ire, & diſcumbere dicuntur: ſic vbi ſeorſim à Chriſto conſiderantur, cum Petro eſſe dicuntur.

Marc 1. Vndè Marcus ait: Proſecutus eſt Ieſum Simon, & qui cum illo erant.

Luc. 8. Et Lucas dixit: Petrus, & qui cum illo erant.

Marc. 5. Nec ſolùm alij Apoſtoli, verùm etiam Iacobus, & Ioannes filij Zebedæi, qui erant chariores Chriſto, quàm alij, quibus etiam nomina Boanerges impoſuit, dicebantur, cum Petro eſſe, nam cum aſſumpſiſſet Petrum, & Iacobum, & Ioannem in montem, Luc. 9. vbi transfiguratus eſt, Petrus, inquit Lucas, & qui cum illo erant, grauati erant ſomno.

In parabola de patre familias peregrè proficiſcente, & ſingulis ſeruis ſuis officia diſtribuente (qui vtique Chriſtus eſt in cœlum aſcendens) Marc. 13. cùm omnibus præcipitur, vt vigilent, tum ſeorſim ianitori hoc ipſum præcipitur. Matt. 16. Et quis perindè ianitor, ac Petrus, cui claues datæ ſunt? Is ergo præcipuè iubetur vigilare non tantùm pro ſe ipſo, verùm & pro alijs omnibus; qui in domo Chriſti ſunt.

Luc. 12. Petro interroganti ad quem potiſſimùm parabola de vigilando pertineret, Chriſtus dixit: Quis putas eſt fidelis diſpenſator, & prudens, quem conſtituit Dominus ſupra familiam ſuam, vt det illis in tempore tritici menſuram? vtique declarans Petrum eſſe illum diſpenſatorem, & ideò ſtudioſiùs ei vigilandum eſſe.

Ibidem. Vndè iterùm ad Petrum ibidem ait: Omni, cui multum datum eſt, multum quæretur ab eo; & cui commodauerunt multum, plus petent ab eo. Itàque cum vigilantia debeat ſecundùm rationem crediti muneris adhiberi: Petro plùs vigilandum inſinuatur, quia plùs ei creditum ſit, quàm alijs Apoſtolis.

Vt maior labor Petro imponitur, ſic & maior ei honor habetur. Marc. 16. Vndè Angelus ad ſanctas mulieres dixit: Ite, dicite diſcipulis eius, & Petro, quia præcedit vos in Galilæam, honoris cauſa Petrus ſeorſim ab alijs nominatur.

Ioann. 20. Maria Magdalena videns lapidem à monumento ſublatum, recurrit ad Simonem Petrum, & alium diſcipulum, quem amabat Ieſus, cur primò ad Petrum, niſi quia erat omnium Princeps?

Ioann. 20. Licèt Ioannes prior ad monumentum veniſſet, tamen non introiuit, donec Petrus introiuiſſet, vtique vt Principi Apoſtolorum primus deferret.

1. Cor. 15. Chriſtus ex omnibus Apoſtolis primò poſt reſurrectionem ſuam Petro apparuit. Viſus eſt enim Cephæ, & poſt hoc vndecim. Qui etiam ibant in Emaus, cum in fractione panis Dominum cognouiſſent, eadem hora regreſſi in Hieruſalem, inuenerunt congregatos vndecim, & eos, qui cum illis erant, dicentes, quòd ſurrexit Dominus verè, & apparuit Simoni. Luc. 24.

Ioann. 21. Chriſtus de genere mortis Petri nominatim prædixit his verbis. Cum ſenueris extendens manus tuas (in cruce) & alius te cinget, & ducet, quò tu non vis, hoc dixit ſignificans, qua morte clarificaturus eſſet Deum Tu me ſequere: videlicet in genere mortis ſuprà omnes alios.

Matt. 10. Marc 3. Luc. 6. Ioann. 21. Quoties Petrus in quatuor Euangelijs, aut cum omnibus Apoſtolis, aut cum quibuſdam nominatur, vbique illis omnibus præponitur: quod cum non caſu apud eos, qui Spiritu ſancto inſpirati ſcripſerunt, euenerit, nec ſemel ſed ſæpiſſimè occurrat, certum eſt argumentum, illos cognouiſſe Petrum eſſe Principem Apoſtolorum.

Poſt Chriſti Aſcenſionem.

Act. 1. Apoſtoli aſcenderunt, vbi manebat Petrus, & Ioannes, &c. Dux ergo Petrus chori Apoſtolici.

Act. 1. Solus ſententiam depoſitionis in Iudam tulit.

Act. 1. Non ſolùm ſolus auctor fuit alterius Apoſtoli in Iudæ locum ſurrogandi, ſed etiam ſolus legem omnibus præſcripſit, ne alium eligerent, quàm qui verſatus fuiſſet cum Apoſtolis à baptiſmate Ioannis vſque ad diem Aſcenſionis Chriſti.

Act. 1. Et omnes Apoſtoli omnia hæc ſecundùm Petri præſcriptum fecerunt.

Act. 2. Accepto Spiritu ſancto ſtans Petrus cum vndecim, leuauit vocem ſuam. Iudæi autem compuncti corde dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apoſtolos, vtrobique apparet, vt duodecim Apoſtolos præ cæteris diſcipulis, & fidelibus, ità, & Petrum præ cæteris vndecim Apoſtolis antecelluiſſe. Illi aliorum fidelium, & Petrus illorum dux, & moderator fuit.

Luc. 3. Ioann. 4. Quamquam religio Chriſtiana præparari, & condi cœperit ab eo tempore, quo Chriſtus à Ioanne baptizatus, appropinquationem Regni Cœlorum prædicare, diſcipulos habere,

& in

Rom. 4. & in ſe credentes baptizare cœpit: tamen quia Chriſtus non dum paſſus erat propter
Rom. 10. peccata noſtra; nec adhuc propter iuſtificationem noſtram reſurrexerat: quos articulos
1. Pet. 3. velut religionis Chriſtianæ fundamentum, omnes Chriſtiani quando primùm initiantur,
Act. 2. confitentur: perfecta promulgatio Euangelij, & velut ſolemnis dedicatio Eccleſiæ Chriſtianæ facta eſt die quinquageſimo poſt reſurre-
Aug. de ciuit. Dei l. 18. cap 54. ctionem Domini, quo die Spiritus ſanctus velut noui Teſtamenti noua lex, & in corda credentium diffundebatur, & per ora illorum promulgabatur. Illo autem die cum ſupra
Act. 2. omnes alios Apoſtolos vnus Petrus omnia moderatus ſit, ille, Chriſti morte, & ſurrectione Iudæis annuntiata, compunctionem cordis in eis excitauerit, ille, compunctis pœnitentiam agendam, & baptiſmum Chriſti in remiſſionem peccatorum ſuſcipiendum præſcripſerit, ille circiter tria millia homi-
Act. 3. num eodem die ad Eccleſiam Chriſti ſuo mi-
Act. 9. niſterio appoſuerit, ille paulò poſt tam claudum, quàm paralyticum ſanarit; Tabithamque à mortuis ſuſcitarit; ille denique ad hoc
Act. 4. ipſum Spiritu ſancto repletus nomen Chriſti apud tribunal Sacerdotum primus confeſſus fuerit, quæ omnia prædicandæ, & confitendæ fidei Chriſtianæ prima ſunt fundamenta i negari non poteſt, quin Chriſtus prima Eccleſiæ ſuæ iam conſecratæ fundamenta potiſſimùm ſuper viſibile vnius Petri miniſterium iecerit, per illum agnos, per illum oues ſuas
Matt. 16. pauerit, vt impleretur verbum ipſius, quo ad eum dixerat: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.

Act. 5. Petrus etiam ſecreta cordium Ananiæ, & Sapphiræ per donum Dei ſcrutatus, dum eorum, & ſacrilegium detexit, & vitam verbo
Greg. lib. 1. epiſt. 24. ſuo abſtulit, facilè (vt diui Gregorij verbis vtar) quanta potentia ſuper cæteros excreuiſſet, oſtendit.

Act. 5. Cum autem vmbra corporis ſui infirmos ſanauit, completum eſt in eo ante omnes alios Domini verbum, quo dixerat, qui credit
Ioann. 14. in me, opera, quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet.

Act. 8. Cum Samaria recepiſſet verbum Dei, miſerunt Apoſtoli ad eos Petrum, & Ioannem, vt videlicet Petrus, qui auctor primus fuerat baptiſmi adminiſtrandi, auctor etiam eſſet imponendi manus baptizatis, vt acciperent Spiritum ſanctum, hæc enim omnia teſtantur, Eccleſiam ſuper Petrum vndique ſundatam eſſe, cùm nihil rectè geri videretur, quod Petri auctoritate primùm non adminiſtraretur.

Act. 8. Primus detexit, & damnauit ſimoniacæ labis deteſtabile crimen in Simone Mago, quem, & excommunicaſſe videtur donec pœnitentiam ageret, ad eum dicens: Non eſt tibi pars, neque ſors in ſermone iſto, cor enim tuum non eſt rectum coram Deo, pœnitentiam itàque age ab hac nequitia tua. Scio quemlibet Apoſtolorum hæc eadem potuiſſe facere. Verùm aliud eſt in Iudæa primùm fundare, aliud in Iudæa fundatam propagare Eccleſiam. Dum ſimul eſſent Apoſtoli, Petrus velut Summus Pontifex, omnia, quæ ſummæ poteſtatis erant, aut ſolus, aut primus peregit. Iam cum certum ſit, Apoſtolos, poſtquam in vniuerſum Mundum alij aliò di-
ſceſſerant, Cœlum, non animum mutaſſe: profectò conſtat, vbique eos hoc animo fuiſſe, Luc. 22.
vt Petrum pro capite, & præceſſor tuo habuerint.

In nulla re clariùs patefactum eſt, Petrum eſſe ipſorum Apoſtolorum Paſtorem, quàm in doctrina de baptizatione gentium,
quæ numquàm adhùc erant circumciſæ. Matt. 28.
Quamquàm omnes Apoſtoli probè ſcirent, Chriſtum miſiſſe ipſos in vniuerſum Mundum ad docendum, & baptizandum omnes gentes: tamen vtrùm illæ gentes antequam baptizarentur, circumcidi deberent, nec ne, hoc quidem hactenùs non erat manifeſtè reuelatum.

Modus autem, quo Deus id reuelauit,
hic erat, vt Angelo ad Cornelium Centurionem miſſo, eum iuberet accerſere Simonem Act. 10.
Petrum; & interim Petro in exceſſu mentis oranti, Cœlum oſtenderet apertum, linteum magnum ex Cœlo demittens, in quo erant omnia quadrupedia, & ſerpentia terræ, & volatilia cœli, quibus omnes, quantumvis barbaræ gentes, figurabantur, factaque eſt vox ad Petrum tanquam ad ſummum Chriſtianorum Sacerdotem, occide, (apud Altare Chriſti per fidei, & pœnitentiæ prædicationem,) & manduca, hoc eſt, in corpus Eccleſiæ militantis, cuius tu viſibile caput es, inſere has gentes, vt abiectis, & velut occiſis erroribus, in quibus hactenùs vixerunt, tecum deinceps communicent, velut membra tua facta.

Dùm hæc viſio tertia vice oſtenderetur, ad maiorem rei confirmationem venit à Cornelio nuncius, ac ſpiritus iterùm admonuit Petrum, vt ne dubitaret ad Cornelium ſe conferre. Iuit; Chriſti fidem tam ei, quàm familiæ ipſius prædicauit; quo adhùc loquente cecidit Spiritus ſanctus ſuper omnes, qui audiebant verbum. Et obſtupuerunt ex circumciſione Fideles, qui venerant cum Petro, quia & in nationes gratia Spiritus ſancti effuſa eſt; audiebant enim illos loquentes linguis, & magnificantes Deum. Petrus his tot modis de conſilio Dei certior factus, re cum Apoſtolis nondùm communicata, dixit: Numquid aquam quis prohibere poteſt, vt non baptizentur hi, qui Spiritum ſanctum acceperunt, ſicut & nos? & iuſſit eos baptizari in nomine Ieſu Chriſti. Audierunt au- Act. 11.
tem Apoſtoli, & fratres, qui erant in Iudæa, quoniam & gentes receperunt verbum Dei. Cùm autem aſcendiſſet Petrus Ieroſolymam, diſceptabant aduersùs illum, qui erant ex circumciſione, dicentes: Quare introiſti ad viros præputium habentes, & manduca ſti cum illis? ſed cùm totam rem ex ore Petri audiuiſſent, tacuerunt, & glorificauerunt Deum.

Hinc manifeſtè conſtat, Deum non modò cæteris Fidelibus, verùm etiam Apoſtolis ipſis hoc ingens myſterium, quod in præteritis generationibus non erat agnitum filijs hominum, Petri potiſſimùm miniſterio Epheſ. 3.
reuelaſſe. Vt videlicet Petrus in hac quidem cauſa, non modò agnos, verùm & oues, hoc eſt, Apoſtolos agnorum matres paſceret, Petrus eſt, qui non ſolùm Iudæos, verùm & gentes manducat, hoc eſt, in ſuum ouile incorporat; idque factum eſt definito Dei con-
cilio

Act. 15 cilio, ſicut Petrus ipſe dixit in Concilio Ie-
roſolymitano, Deus elegit per os meum gen-
tes audire verbum Euangelij, & credere.
Poſt aliquot verò annos cum quidam
Ibidem. deſcendiſſent è Iudæa Antiochiam, circum-
Act. 15. ciſionis neceſſitatem docentes, licèt Antio-
chiæ tunc eſſent Apoſtoli quidam, nempè
Paulus, & Barnabas, itemque Prophetæ, &
Doctores, Simon Niger, Lucius Cyrenenſis,
& Manaſen; tamen ſtatuerunt, vt aſcenderent
Paulus, & Barnabas ad Apoſtolos, & Presby-
teros in Hieruſalem ſuper hac quæſtione.
Matth. 16. Cur ab Apoſtolis ad alios Apoſtolos in Hie-
Luc. 22. ruſalem itum eſt, niſi quia Princeps Apoſtolo-
rum Petrus Hieroſolymis tunc erat, ſuper
quem ſciebant Eccleſiam Chriſti ædificatam,
vt is etiam fratres ſuos Apoſtolos in cauſa
fidei confirmaret.

Act. 15. Cum magna conquiſitio Hieroſolymis
Act. 10. fieret, Petrus totam quæſtionem per illam
Dei reuelationem, quæ ipſi iam ante facta
fuerat, diſſoluit. Tacuit autem omnis multi-
tudo, velut in primi paſtoris definitiua ſen-
tentia conquieſcens: Nam quod poſteà Iaco-
bus addidit, ex interuallo factum eſt, non ad
infringendam, ſed ad confirmandam Petri
ſententiam, ſic tamen, vt aliquid in gratiam
Iudæorum apponi videretur.

Act. 12. Cum Herodes Agrippa occiſo iam Ia-
cobo coniecisset Petrum in carcerem, oratio
fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia ad Deum
pro eo. Sciebant enim fideles plurimùm è re
ſua eſſe, vt caput & fundamentum Eccleſiæ,
non tam citò è viuis tolleretur.

Gal. 1. Licèt Paulus ad Apoſtolatum ab ipſo
Chriſto vocatus eſſet, quem à ſe viſum teſta-
tur; tamen probè ſciens Petrum eſſe præci-
1. Cor. 15. puam columnam, & viſibile fundamentum
Eccleſiæ, venit Hieroſolymam, vt videret eum,
& manſit apud eum diebus quindecim.

Gal. 2. Cum nonnulli contradicerent Paulo tam-
quam in prædicatione ſua non cum cæteris
Apoſtolis conſentienti, ſecundùm Dei reue-
lationem vnà cum Barnaba, & Tito Hieroſo-
lymam aſcendit, ne in uanum curreret, aut cu-
Ioan. 21. curriſſet, niſi Petrus, & qui erant cum Petro
dextras ſocietatis ei dediſſent. Ex Dei ergo
Act. 1. & 2. reuelatione conſtat, Petrum eſſe caput Apo-
ſtolorum; Is Apoſtolos ipſos paſcit, & confir-
mat tribus modis, primùm quidem velut præ-
Act. 10. cedens ante illos in omni opere, & doctrina;
deindè reuelationes Dei excipiens de ijs re-
bus; quas illi priùs neſciebant; denique con-
firmando illos, de quorum alioqui prædica-
tione dubitatur.

Gal. 2. Cum Petrus Antiochiam veniſſet, ſeque
à gentibus, quibuſcum priùs edebat, ob Iu-
dæos, qui tunc à Iacobo venerant, ſubtra-
xiſſet, ne quod ſcandalum præberet ijs Iudæis,
qui non ità multò ante fidem receperant,
quamquam Paulus adeſſet, neque hanc Petri
ſimulationem probaret (vt verè probanda
tunc non erat) tamen Petrus ob primatum ſui
Apoſtolatus, quem omnes Chriſtiani, & no-
uerant, & colebant, tantò maior Paulo habe-
batur, vt non ſolùm Iudæi, ſed etiam gentes,
Ibidem. nec plebeij tantùm Chriſtiani, ſed etiam Prin-
cipes, atque adeò Barnabas Apoſtolus, qui
erat comes Pauli, relicto Paulo, adhærerent
Petro, in eandem ſimulationem vnà cum illo
ducti. Ij enim omnes propter eminentem
Petri auctoritatem ſeparabant ſe à gentium
cibis, ità vt cogerent gentes Iudaizare. An
non hinc apparet, quàm conſtans eſſet om-
nium Chriſtianorum de primatu Petri fides
& vſus? Capiti enim Eccleſiæ patendum eſſe
cognouerant, non animaduertentes eam re-
gulam in ijs, quæ à primo paſtore poſt inter-
poſitam cauſæ cognitionem, vtriuſque partis Matth. 18.
rationibus maturè perpenſis, de Concilij ſen-
tentia definiuntur, valere debere; non item in
quotidianæ vitæ vſu, & conuerſatione. Quæ Matth. 23.
dicunt, facite, inquit Chriſtus, ſecundùm ope-
ra eorum nolite facere. Petrus enim hoc tem-
pore non ſynodum de hac cauſa indixit, non
os Domini conſuluit, ſed quod ei ex tempore
melius videbatur, hoc egit, ratione vnius par-
tis, non vtriuſque habita. Iudæorum enim,
qui nuper venerant, magnam meritò ratio-
nem habuit. De gentibus verò, qui multò
plures Antiochiæ crediderant, hoc nihil, aut
parum cogitabat, in cuius rei omiſſione non-
nihil pro humana fragilitate ſua ignorans, &
inuitus peccabat. Itaque licèt ex hac re Pe-
trus in conuerſationis ſuæ modo erraret, at-
que ideò ſequendus non fuerat: tamen id in-
terim certum eſt, illum habitum eſſe maio-
rem Paulo Apoſtolo, atque ideò cunctos il-
lius exemplum ſecutos eſſe. Gal. 2.

Paulus videns etiam ſuos ipſius comites
Petro adhærere, atque idcircò ſe nihil poſſe
proficere, niſi Petro ipſi perſuaderet, vt inſti-
tutum ſuum mutaret; ſciens etiam minimè 2. Cor. 11.
conuenire, vt clam Petro detraheret, vnita- Iacob. 4.
temve Eccleſiæ diuideret; dixit Cephæ, hoc
eſt Petro coram omnibus: ſi tu, cum Iudæus
ſis, gentiliter viuis, & non Iudaicè, quomodò
gentes cogis iudaizare? atque hoc erat in fa-
ciem ei reſiſtere, quoniam reprehendendus à
Paulo erat ob commune totius Eccleſiæ bo-
num. Alioqui enim veriſimile erat, etiam
cæteros per totum mundum fideles Petri
exemplum imitaturos fuiſſe.

Quamquam verò non legamus in Scri-
pturis ſacris Petrum ceſſiſſe Paulo; tamen id
ſatis manifeſtè concludi poteſt ex his ipſis
Pauli verbis. Nam ſi Petrus Paulo poſt hanc
Pauli reprehenſionem ex deliberato concilio
reſtitiſſet, iam hoc exemplum potiùs propo-
ſito Pauli detrimentum, quàm commodum
attuliſſet. Debebat enim timere ne Galatæ
ſcientes, Petrum aliud, quàm Paulum ſentire,
potiùs Principi Apoſtolorum, quàm Paulo
adhæſiſſent. Erat ergo res notiſſima, Petrum
perſpecta B. Pauli ſententia, & ratione, ſta- In Ezech. hom. 18.
tim illi acquieuiſſe, quatenùs (inquit Gre-
gorius) qui primus erat in Apoſtolatus cul-
mine, primus eſſet & in humilitate. Itaque
completum eſt in Petro illud Domini ver- Matth. 18.
bum; Niſi efficiamini ſicut paruuli, non in- Luc. 9.
trabitis in Regnum Cœlorum. Qui minor eſt
inter vos omnes, hic maior eſt. Petrus autem
vſque adeò ceſſit Paulo, vt eas ipſas Pauli
epiſtolas, in quibus legitur fuiſſe reprehen-
ſus, laudauerit, idque ex propoſito, ne fortè,
qui Paulo detrahebant, ea occaſione, epiſtolas
eius notarent, quòd Petro in iis obloqui vi-
deretur, ò verè cœleſtem primatum, qui non
quærit, quæ ſua ſunt, ſed quæ Ieſu Chriſti, ſe
ipſum humilians, vt à Deo exaltetur.

Tam illuſtris apud omnes antiquos pa-
tres tàm Græcos, quàm Latinos primatus Pe-
tri

rti fuit, vt multi eorum putarent, Petrum
Apoſtolorum Principem à Paulo numquam
Gal. 2. vero vultu fuiſſe reprehenſum. Itaque alij
hunc Cepham, de quo Paulus agit, volebant
aliquem ex ſeptuaginta duobus Diſcipulis
fuiſſe; alij verò hanc reprehenſionem puta-
bant, in faciem, hoc eſt, in ſpeciem, velut ex
occulta quadam pactione, & diſpenſatione
interpoſitam fuiſſe de vtriuſque Apoſtoli con-
ſenſu; & non ſeriò, aut ſtudioſè. Quamquam
verò alij patres Petrum non dubitant verè, ac
ſeriò fuiſſe à Paulo reprehenſum: tamen illi
quoque primatum Petri agnoſcunt, & defen-
dunt. Quapropter etiam ſi tanta Eccleſiæ lu-
mina de ſententia verborum Pauli tantoperè
contenderent, tamen omnes in eo conſenſe-
tunt, Petrum fuiſſe principem omnium Apo-
ſtolorum.

2. Cor. 15. Paulus agnouit diſcrimen inter Apoſto-
los ipſos, ac vnum Petrum omnibus prætu-
lit: Exiſtimo, inquit, me nihil minùs feciſſe à
magnis Apoſtolis; nihil enim minùs feci ab
2. Cor. 12. his, qui ſunt ſuprà modum Apoſtoli. Et ite-
rum, Contuli Euangelium, quod prædico in
gentibus. ſeorsùm ijs, qui videbantur aliquid
Gal. 2. eſſe, ideſt, qui cæteris eminebant: de quibus
paulò poſt dicit: Qui videbantur columnæ
eſſe, eoſque nominat Iacobum, Cepham, &
Ioannem. Sed omnium clariſſimè Apoſtolos
1. Cor. 9. diſtinguit in tres ordines his verbis: Num-
quid non habemus poteſtatem, mulierem ſo-
rorem circumducendi, ſicut & cæteri Apoſto-
li, & fratres Domini, & Cephas? Ex duodecim
Apoſtolis quoſdam vocat cæteros, quoſdam
verò vocat fratres Domini, Cepham demùm,
qui eſt Petrus, ſeorſim per ſe numerat, quia in
1. Cor. 1. primatu ſuo alijs omnibus antecit. Eodem
modo cum inanes Corinthiorum iactitatio-
nes commemorat, Cepham præponit. Ego
quidem, inquit aliquis ex Corinthijs, ſum
Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ,
1. Cor. 3. ego autem Chriſti, & poſt: Omnia veſtra ſunt;
ſiue Paulus, ſiue Apollo, ſiue Cephas, omnia
veſtra ſunt; Vos autem Chriſti, Chriſtus au-
tem Dei. Vbique Cepham, ſeu Petrum, iuxtà
Chriſtum nominat, velut maximum inter om-
nes Apoſtolos, vltra quem nihil in hac vita
cogitari queat. Vbique à Cepha itur ad
Chriſtum, ſicut à Chriſto ad Deum.

Cum Apoſtoli prouincias inter ſe diui-
derent, duæ præcipuè, & digniſſimæ ſortes
pro ſui Apoſtolatus principatu, Petro dilatæ
Rom. 5. Gala. 2. ſunt: Primùm, vt ſicut Chriſtus in terris agens
fuerat miniſter circumciſionis, ſic & Petrus
eſſet circumciſionis Apoſtolus.

Deindè vt gentium præcipuas Metropo-
les poſſideret, in Oriente Antiochiam, in Oc-
cidente Romam, in meridie Alexandriam.

Cum præter Petrum alij eſſent vndecim
Apoſtoli, qui Orbem vniuerſum peragrantes,
Can. 6. & 7. vbique gentium Eccleſias conſtituerunt; ne-
mo tamen ex illis omnibus vllam ſedem Epi-
ſcopalem ad tantum honorem euexit, vt pro-
uinciarum, aut gentium aliquot caput habe-
retur, nec Synodus Nicæna de antiquiſſimis
Eccleſiarum prętogatiuis agens, vllas alias
nominat Eccleſias præter Alexandrinam, Ro-
manam, Antiochenam, & Hieroſolymita-
nam, in quibus omnibus conſtituendis Petri
auctoritas potiſſimùm interuenit. Nam Pe-
trus, Iacobus, & Ioannes, cum eſſent à Domi-
no ſummum dignitatis gradum adepti, vno
conſenſu, Iacobum Iuſtum Hieroſolymorum
Epiſcopum dignarunt. Porrò Petrus ipſe Clem. Alex. hipot. lib. 6. Euſeb. lib. 2. cap 2.
Romæ, atque Antiochiæ conſedit; Alexan-
drinam verò Eccleſiam per B. Marcum audi-
torem ſuum, & diſcipulum condidit. Nonne
hinc apertiſſimè cernitur, cęteros quidem
Apoſtolos iam indè ab initio ſciuiſſe, quòd
ſui officij erat, Euangelium Chriſti propaga- Matth. 28.
re, & ne Petrus ſuprà vires ſuas grauaretur,
eas regiones obire, ad quas Petrus aſpirare
non potuit, cæterum Eccleſiarum dignita-
tem, & ordinem deinceps obſeruandum præ-
ſcribere, id non ſuarum partium, ſed vnius
Petri eſſe, an alioqui ad vnum omnes officio
ſuo fungi neglexiſſent.

Paulus Doctor gentium, qui plùs omni- 1. Cor. 15.
bus laborauit, qui Euangelium Chriſti à Hie-
ruſalem per circuitum vſque ad Illyricum re- Rom. 15. Act. 23.
pleuit; vtrumne ſedem aliquam eminentem
vllibi conſtituit, quæ Patriarchalis, aut Apo-
ſtolica diceretur? Immò, & ipſe à Deo miſſus
eſt Romam, vt non alibi, quàm vbi erat Pe-
trus Iudæorum, & gentium caput, Apoſtolus
gentium quieſceret; ne fortè per eam occaſio-
nem aliquod ſchiſma deinceps in Eccleſia
oriretur, dum Petri, & Pauli ſedes inter ſe
opponerentur: an Deus primatum Petri ſatis
inſigniter non firmauit, & muniuit, ſi eſſet fi-
des, aut prudentia in hominibus?

Quis alius Apoſtolorum vllam omninò,
ne dum tam ſtabilem, florentem, & perpetuam
ſortitus eſt in capite mundi ſucceſſionem?

Quis vmquam præter Petrum dictus eſt Aropagita. Hieronym. Chryſoſt. Cyrill. In fin. Chal. Concilij ex Attici ep. tradit.
Apoſtolorum dux, præceſſor, princeps, os,
caput, vertex, coriphæus; quæ honorum inſi-
gnia paſſim apud ſanctos Patres B. Petro tri-
buuntur?

Nonne in epiſtolis formatis, quæ olim
fiebant, quæque in teſtimonium Catholicæ fi-
dei, & communionis circumferebantur, ſta-
tim poſt primas beatiſſimæ Trinitatis literas
adiungebatur etiam græcum illud, *p*, ideſt Pe-
tri Apoſtoli prima litera, vt is, de quo ageba-
tur, hoc ſigno profiteretur ſe communicare
cum Petro Apoſtolorum Principe? Semper
enim qui communicaſſet cum Petro, & prima
Petri Sede, Catholicus habebatur; qui verò
ſecùs, aut hæreticus, aut ſchiſmaticus erat.
Cathedram, inquit Optatus, quæ eſt prima de Lib. 2.
dotibus Eccleſiæ, probauimus per Petrum
noſtram eſſe. Veſtræ Cathedræ vos originem
reddite, qui vobis vultis ſanctam Eccleſiam
vindicate.

Cui, pręterquam ſoli Petro, primas vbi-
que conceſſerunt omnia etiam Oecumenica
Epiſcoporum Concilia?

Cuius ex omnibus Apoſtolis perindè, ac
ſolius Petri ſucceſſorem venerari ſunt non ſo-
lùm populi, ſed etiam Reges, & Imperatores
Chriſtiani, vſque ad pedes ipſius oſculandos
prouoluti?

Quæ alia, prætetquàm ſolius Petri pri-
ma, & principalis Sedes: omnes hęreſes, quæ
hactenùs in Eccleſia exortæ ſunt, vicit, ac re-
preſſit, ipſa interim omnis hæretici erroris
expers?

Petri nomen, tam celebre ſemper fuit,
non ſolùm in Eccleſia Chriſti, ſed etiam inter
paganos; eiuſque in propaganda fide Chriſti
tanta ſemper auctoritas, vt quidam Idolorum
cul-

cultores totam religionem Chriſtianam vnius Petri ſtudijs, atque artibus attribuerent. Excogitatunt enim, auctore Auguſtino, quoſdam Græcos verſus, tamquam conſulenti cuidam diuino oraculo effuſos, vbi Chriſtum quidem ab huius tamquam ſacrilegij crimine faciunt innocentem: Petrum autem maleficia feciſſe ſubiungunt, vt coleretur Chriſti nomen per 365. annos. Quorum mendacijs ità reſpondit Auguſtinus.

De ciuitate Dei lib. 18. cap. 51.

Si Petrus maleficus, fecit, vt Chriſtum ſic diligeret mundus; quid fecit innocens Chriſtus, vt eum ſic diligeret Petrus, vt videlicet Chriſti, quàm ſuum ipſius nomen coli mallet? Nos, qui ſumus, vocamurque Chriſtiani, non in Petrum credimus, ſed in quem credidit Petrus, Petri de Chriſto ædificati ſermonibus, non carminibus venenati; nec decepti maleficijs, ſed beneficijs eius adiuti, hæc ille. Quàm horrenda interim cæcitate Proteſtantium mentes implicantur, cum nihil horum videant, ſed quemlibet Apoſtolorum dicant Petro æqualem fuiſſe.

CAP. VI.

Cum vna ſit Dauidis, & Chriſti clauis, cur plures claues Petro ſint datæ.

Oſeæ,

IDem eſt Chriſtus nunc in veritate, quod olim Dauid fuit in figura. Præceſſit vnus Dauid, interuenit vnus Chriſtus, ſubſecutus eſt vnus Petrus. Dauid in typo, Chriſtus in veritate æterna, Petrus in miniſterio temporali. Dauid habuit clauem ciuitatis ſuæ, Chriſtus clauem Dauid. Petrus claues domus Chriſti. Nec mireris, cur clauis, quæ & in Dauide typo Chriſti, & in ipſo Chriſto vna fuit, in Petri perſona tranſiuerit in plures. Nam Dauid vnam habuit, vt vnam eſſe Chriſti clauem oſtenderet. Chriſti clauis vna fuit, quia non (vt hominibus plerumque accidit) aliud ille ſcire, & aliud facere potuit; ſed tum ſcientia illius ſecundùm ipſius voluntatem efficax ſemper fuit, atque operatoria; tum poteſtas eius numquam non ſapiens, ac diſcreta. Cæterum Petrus indiguit, tam ſcientia, quàm poteſtatis clauibus, quia & ſcientia in illo etiam ibi deficere potuit, vbi affuiſſet poteſtas, & poteſtas defuiſſet, vt non omne, quod agendum ſciret, perficere valeret, niſi Chriſtus vtramque & ſcientiæ, & poteſtatis clauem ei dediſſet.

Apoc. 3.
Matth. 16.

De claui ſcientiæ legimus, Dominum ad legis peritos dixiſſe, Tuliſtis clauem ſcientiæ: ipſi non introiſtis, & eos, qui introibant, prohibuiſtis. Per hanc ſcientiæ clauem impius Caiphas prophetauit, etiam neſciens quid diceret, idque, quoniam erat Pontifex anni illius. De claue autem poteſtatis apud Iſaiam ſcriptum extat, Poteſtatem tuam, [ideſt præfecturę templi] dabo in manu Eliacim: & dabo clauem domus Dauid ſuper humerum eius. Apud Deum inquit Iob, eſt ſapientia [hæc eſt clauis ſcientiæ] & fortitudo [hæc eſt clauis poteſtatis] ipſe habet Concilium, & intelligentiam [quod ad clauem ſcientiæ ſpectat] ſi deſtruxerit [per clauem poteſtatis] nemo eſt, qui ædificet: ſi incluſerit hominem, nullus eſt, qui aperiat.

Lucæ 11.
Ioan. 11.
Eſaię 22.
Iob. 12.

Propter vos, inquit Paulus, in perſona Chriſti Corinthio donaui [hæc eſt clauis poteſtatis] vt non circumueniamur à Satana, [hæc eſt clauis ſcientiæ] non enim ignoramus cogitationes eius. Vidit Petrus per clauem ſcientiæ Ananiam, & Sapphiram Spiritui ſancto mentiri, eoſdemque per clauem poteſtatis hac mortali vita priuauit, vt ex hac re diſcipuli ſcirent, quanta potentia, vt Gregorij verbis vtar, ſupra cæteros exercuiſſet.

2. Corin. 2.
Act. 5.
Greg. l. t. epiſt. 24.

CAP VII.

Quanta ſit vis, poteſtas, & efficacia clauium Regni Cælorum.

IN omnium gentium more, ac inſtituto iam poſitum eſt, vt cuius ciuitatis, aut domus claues ritè alicui traduntur, is intelligatur, ius & poteſtatem accepiſſe, non tantùm in portas illius ciuitatis, aut oſtium domus; verùm etiam tam in iter, ac viam, qua perueniatur ad illam domum, ciuitatemue, quàm in ea omnia, quæ intrà domum illam, aut ciuitatem continentur, quin etiam in pomerium, & loca omnia eidem domui, aut ciuitati ſubiecta.

Hinc factum eſt, vt quamquam Elymas Magus non eſſet de Chriſti domo, tamen quia volebat Sergium Paulum Proconſulem auertere à fide, Paulus Apoſtolus in eum poteſtatem habuerit, tamquam in impedimentum, quod è via remouendum erat, quod Proconſuli ad domum Chriſti aditus pateret. Eadem eſt ratio, cur Diſcipuli Domini poteſtatem Dæmones eijciendi acceperint, quia Dæmones ſalutem hominum impediunt. Cui ergo claues regni cœlorum dantur, is habet poteſtatem impedimenta remouendi, neceſſaria præparandi, præparata in Eccleſiam introducendi, introducta gubernandi, ea, quæ rectè gubernantur, ad cœlum tranſmittendi: quæ verò gubernari nolunt, eijciendi ex fidelium cœtu, & regnum cœlorum iiſdem claudendi.

Act. 13.
Matth. 10.

Hoc enim totum ſignificant iſta verba Chriſti, [Tibi dabo claues regni cœlorum: & quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis. Ac ſanè, cum cuiuslibet Reipublicæ ſummus prę̨fectus poteſtatem ampliſſimam nullis finibus concluſam accipiat; quantò magis decuit eum, qui ad ciuitatis Dei gubernacula ſederet, vi clauium ſuarum omnia illa diſponere, & abſque vlla exceptione adminiſtrare poſſe, quæ ſalutem Eccleſiæ quoquomodo proueherent? Quid enim eſt, quod debui vltrà facere vineæ meæ, & non feci ei, dicit Dominus? Latiùs autem patet poteſtas clauis, quæ ſemper penès miniſtrum Chriſti eſt, quàm ligatio, & ſolutio, quæ non niſi per interualla exercetur.

Matth. 16.
Iſaiæ 5.

Prætereà, dum præparantur, & expediuntur ea, quæ ſuo tempore liganda, & ſoluenda ſunt, clauis non ceſſat officio fungi, etiamſi nondùm liget, aut ſoluat: Qui enim paganis, atque infidelibus annuntiat Euangelium, non

ſta-

ſtatim illis portas regni cœlorum aperit, aut claudit, ſed potiùs auditores vocat ad arcem, & ad mœnia ciuitatis, atque ad agni nuptias inuitat.

Sap. 9. Lucæ 14. Rom. 10. Matth. 22. Act. 16. Ioan. 2.

Neque verò omnes obediunt Euangelio, ſed alij excuſant ſe, alij negligunt venire, alij etiam Dei nuncios perſequuntur; alij denique manum mittunt ad aratrum, & retrò deindè reſpiciunt. Etſi verò corda quorundam Dominus aperiat, vt intendant ijs, quę dicuntur, iamque videntes ſigna, quæ fiunt, in nomine Chriſti credunt, ne adhùc quidem aperitur eis regnum cœlorum. Quia non omnis, qui dicit Chriſto, Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum, ſed qui facit voluntatem Dei. (Matth. 7.) Nam ex principibus multi crediderunt in Ieſum, ſed propter Phariſæos non confitebantur, vt è ſynagoga non eijcerentur. (Ioan. 12.)

Galat. 6. Galat. 3.

Qui ergo credit in Chriſtum, ſi ità credat, vt ſpiritum, quem per Dei gratiam concepit, non extinguat, ſed ad præpoſitos Eccleſiæ veniat, vt verbo catechizetur, & illorum iudicio Chriſtum per baptiſmum induat; ille quidem per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus ſancti ſaluus fit, (Tit. 3. Ioan. 3.) quod nihil eſt aliud, quàm ei regnum cœlorum aperiri.

Verùm niſi renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei. (Ioan. 2.) Nam tametſi priùs in nomine Chriſti credidit, tamen ipſe Ieſus, qui nouit, quid ſit in homine, nondùm credidit ſeipſum ei, donec non per circumciſionem manu factam, (Colloſs. 2. Heb. 9. Epheſ. 5. Colloſs. 2. Rom. 6.) quæ non niſi carnem corporis aufert; ſed per circumciſionem Chriſti, quæ conſcientiam lauacro aquæ in verbo vitæ mundat, conſepeliatur Chriſto in baptiſmo, vt deſtruatur corpus peccati, & iuſtificetur à peccato. Porta ergo regni cœlorum baptiſmus eſt: quicquid verò baptiſmum præcedit, etiamſi ad clauis poteſtatem pertineat, non tamen ligat, aut ſoluit, non aperit, aut claudit, ſed viam ſternit, & neceſſaria in hunc finem præparat. Ligare enim, aut ſoluere actus iudicij eſt. Sion, inquit Eſaias, in iudicio redimetur. (Eſaiæ 1. Ioan. 5. Act. 13. 2. Corin. 5.) Nemo autem iuſtè iudicat, niſi priùs audierit, & cauſam cognouerit.

Cæterùm, qui ſermonem exhortationis ad plebem habet, fungitur quidem legatione pro Chriſto, tamquam Deo per ipſum exhortante, (Leuit. 10.) ſed nondùm exercet ſcientiam diſcernendi inter ſanctum, & profanum, inter pollutum, & mundum. Aliud enim eſt, legationem Dei paſſim tam infideli; quàm Catechumeno exponere, (1. Cor. 14. Luc. 12. Act. 2. 1. Tim. 5.) & aliud eum, quem ſcio, ſeipſum per Dei gratiam præparaſſe, & corde compunctum eſſe, in remiſſionem peccatorum ſuorum baptizare. Eodem modo, aliud eſt, accuſationem aduersùs alterum ſub duobus, aut tribus teſtibus admittere, (1. Corin. 5.) (quod nondùm eſt ligare) & aliud, quem iam reum cognoui, à Sacramentis Chriſti remouere, aut etiam contumacem ex Eccleſia eijcere. (1. Tim. 1.) Quæ cum ità ſint, meritò dicimus, etiam ſi nihil ſolui, aut ligari queat, niſi ab eo, qui clauem Chriſti adminiſtrat, non tamen omne illud, quod à Chriſti miniſtro fit, eſſe ipſum ligare, aut ſoluere, quamquam eò tendat.

Poteſtas igitur clauium, partim eſt præparatoria, partim iudicialis. (Rom. 10.) Præparatoria illa, cum de ſoluendo agitur, Euangelij prædicatione, & catechizatione conſtat; cum autem de ligando, inquiſitione, denuntiatione, aut cognitione. (Galat. 6. Matth. 18. 1. Tim. 5. 1. Cor. 11. 1. Corin. 5. 1. Tim. 1. Tit. 3.) Iudicialis verò poteſtas, alia expeditur per clauem tam ordinis, quàm iuriſdictionis, dum Sacramenta Chriſti viris idoneis adminiſtrantur: alia per ſolam interdùm clauem iuriſdictionis, dum indigni, vel à Sacramentis, vel etiam ab vniuerſa fidelium communione arcentur.

CAP. VIII.

Quàm imperitè Proteſtantes negent peccata re ipſa per claues Eccleſiæ remitti, & auferri.

CVm verba hominum ſatis idonea non ſint ad præſtantiam myſteriorum Dei explicandam: & idcircò vltrà communem verbi vim, aliquid auguſtius, & ſublimius tam in veteris, quàm in noui Teſtamenti ſcripturis intelligi debeat, per lucem, non ſolùm claritas quædam, verùm etiam ſanctitas; per veritatem, non modò id, quod res in ſe eſt, verùm etiam perfectio huius rei: (Ioan. 1. Theſs. 4. Ioan. 3. Lucæ 22. 1. Pet. 3. Rom. 3.&4.) tamen Proteſtantes ſumma ſalutis noſtræ myſteria ità extenuant, & deprimunt, vt per corpus Chriſti pro nobis datum, intelligant abſentis corporis figuram; per baptiſmum ſaluantem, eum, qui nos non ſaluat, ſed tantùm ſignificat ſaluatos; per fidem iuſtificantem, eam, quæ non non iuſtos re vera exiſtere, ſed tantùm iuſtos reputari facit.

Ità ſanè conuenit, vt Diabolus, qui è cęlo cecidit, deorsùm omnia trahat. (Ioan. 8. Matth. 3.) Qui verò ſunt ex Deo, ſursùm cor habent, & altiora intelligi ſciunt; quàm verbo exprimantur. Hac ergo diabolicæ interpretationis figura, Proteſtantes dicunt, Apoſtolos, quibus dictum eſt, Quorum peccata remiſeritis, remittuntur eis, (Ioan. 20.) re vera nemini remittere peccata, ſed tantùm remiſſa pronuntiare.

At cum vnum, & idem peccata remittendi verbum in eadem Chriſti oratione bis ponatur; ſemel quidem, vt miniſterium Apoſtolicum, in remittendo peccata ſignificet, dum ait, Quorum peccata remiſeritis; iterùm autem, vt effectum eius miniſterij declaret, dum ſubiungit, Remittuntur eis: nec in eo, quod efficitur plus contineri poſſit, quàm in cauſa præceſſit: profectò ſi prior clauſula ſic tantùm interpretanda eſt, Quorum peccata remiſeritis, ideſt remiſſa pronunciaueritis; cum verè interim ea per Presbyteros non remitti dicant, etiam poſterior, quæ ad priorem tota refertur, ſic quoque interpretanda erit, Remittuntur eis, ideſt, remiſſa eis pronuntiantur, nec re vera interim illis remittuntur. Iam ſi vtrobique peccatorum remiſſio tantùm pronunciatur, & re ipſa non efficitur; quid magni promittit Chriſtus? immò etiam quid veri? niſi fortè, quod verum non eſt, id pronuntiari veritas iubeat, ſin verè coram Deo peccata remittantur, vtique Apoſtoli ſunt, qui ea per claues Eccleſiæ verè illa coram Deo remittunt. (Matth. 18.) In hoc ipſo Chriſtus, & pacem eis dedit, & miſit eos, ſicut ipſe miſſus eſt à Patre, (Ioan. 20.) & inſufflauit, & Spiritum ſanctum impartiuit.

Prætereà, quod in Cælis, vbi nihil eſt niſi nuda veritas, ſolui dicitur, veriſſimè abſque omni ambiguitate ſoluitur. Sed quæ Apoſtoli ſoluebant in terris, eadem ipſa dicuntur in Cælis ſoluta eſſe. Ergo etiam in terris Apoſtoli veriſſimè à peccatis abſoluebant; nec aliud eſt, cum de peccatis agitur, ſoluere, quàm remittere, & liberare.

Matt. 21. Ioann. 11. Quemadmodùm ſoluendi verbum in comparatione ad rem ligatam dicitur; ſic pee ligatæ rei ſolutionem optimè declaratur. Quando autem Chriſtus Aſinam alligatam ſolui, & Lazarum pedes, & manus ligatum ſolui iuſſit, veriſſimè à vinculis ſuis ſoluti ſunt, ergo etiam animæ hominum veriſſimè à peccatorum ſuorum funibus ſoluuntur; quando Apoſtoli eis remittunt peccata: hæc enim ſigna corporalia verè, & palàm facta ſunt, vt internæ operationis veritatem patefacerent.

Matt. 16. Eſa. 22. Apoc. 3. Clauium eſt, non oſtium opertum pronuntiare, aut apertum oſtendere; ſed oſtium priùs clauſum verè aperire, aut priùs apertum re vera claudere. Claues enim oſtij ſerant, aut ligant, cum claudunt, aut ſoluunt, cum aperiunt. Miniſterium igitur clauium Apoſtolicarum in operando conſiſtit; nec id ſolùm, ſed etiam in transferendo eos, quorum peccata remittuntur à Diaboli vinculis in libertatem Chriſti. Vndè Apoſtolico miniſterio noua creatura in Chriſto fit, nec id tantùm, quod priùs factum erat, factum pronuntiatur. 2 Cor. 5.

Ioan. 1. 1. Cor. 2. Claues, de quibus agitur, non præcipuè Petri, aut Apoſtolorum, ſed ipſius Chriſti ſunt. Nam hic eſt, qui baptizat. Vndè, & Paulus in perſona Chriſti, Corinthio fornicatori condonauit. Petrus clauium Chriſti, non niſi miniſter eſt, & diſpenſator. Qui ergo negat peccata per claues Petri verè tolli, negat Chriſtum eſſe Agnum Dei tollentem peccata mundi. 1. Cor. 4. Ioan. 1.

Luc. 5. Si Chriſtus, cum paralytico dixit, Remittuntur tibi peccata tua, verè illi peccata non remiſit: nec idem paralyticus, in teſtimonium, quòd filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata, verè lectum ſuum ſubſtulit, & in domum ſuam abijt: ſin hæc verè facta ſunt, etiam peccata ei verè ſunt remiſſa. Porrò, cum Petrus non ſuarum, ſed Chriſti clauium ſit adminiſter; etiam vt cum Petrus ad hominem ab vtero matris ſuæ claudum dixit: In nomine Ieſu ambula, is verè ambulauit; ſic omulnò cum ad pœnitentem dicit, In nomine Ieſu te abſoluo, is verè à peccatis abſoluitur, & non tantùm abſolutus pronuntiatur. Act. 3.

Præterea cum antiqua hæreſis antiquo pharmaco ſit curanda, quod Nouatianis hanc eandem proteſtantium hereſim condentibus Ambroſius olim oppoſuit, nos quoque Proteſtantibus opponamus: Improbè, inquit, quòd etiam in Eccleſia donari peccata negant poſſe, cum Petro dictum ſit; Tibi dabo claues Regni Cœlorum. Nam, & Nouatiani negabant ſacerdotes abſoluere poſſe pœnitentem à peccatis.

Poſtremò, ſacerdotes, qui peccata in Eccleſia remittunt, non inſtar concionatorum ad omnes pœnitentes ex æquo, & in genere loquuntur, ſed (vt B. Cyprianus loquitur) examinatis ſingulorum cauſis, pacem lapſis dant, ſecundùm iudicandi poteſtatem (vt S. Maximus ait) à Chriſto illis datam. Iudicum verò ſententia efficax eſt, executionique ſecundùm leges eius Reipublicæ, in qua fertur, mandatur. Cumque apud Chriſtianos in perſona Chriſti feratur, paratam ſecum affert executionem: quia cum Dominus quippiam dicit, ſiue per ſe, ſeu per miniſtrum ſuū, mox fit, quod dicitur. 2. Cor. 2.

CAP. IX.

Verbis ligandi, & ſoluendi ampliſſimam leges condendi, & de criminalibus, tum iudicandi, tum pœnam ſtatuendi, auctoritatem Chriſti miniſtris dari.

EX ordine, quo Euangelium, in fratre, qui in nos peccat, corripiendo, nos vti iubet; clariſſimum eſt, de publico iudicio ad poſtremum agi, & tali iudicio publico, in quo Apoſtolus aliquis, aut Apoſtolorum ſucceſſor cauſa cognita ſententiam ferat. Ab vno enim ſolo fratrem delinquentem corripiente, venitur ad teſtes duos, aut tres; à duobus, aut tribus teſtibus ad Eccleſiam ſub pœna excommunicationis audiendam. Per Eccleſiam intelligitur publicum tribunal, in quo Iudex eccleſiaſticus præſidet. Qui enim Iudicem eccleſiaſticum pro tribunali iudicantem non audit, Eccleſiam, cuius ille Iudex perſonam gerit, non audit. Nam quòd ea verba [dic Eccleſiæ] non aliter accipi debeant, quàm vt is, qui fratrem corripit, ſi priuatus eſt, iubeatur delinquentem eccleſiaſtico Iudici denuntiare; ſin autem ipſe, qui fratrem corripit, eccleſiaſticus Iudex eſt, eundem rectè, atque ordine priùs admonitum corâm omnibus arguere; vt ſaltem, vel totius Eccleſiæ, multarumque perſonarum facies reuereatur, ſi vmquam ſe emendabit; vel ſi contumax permanſerit, ab omnibus cauendus, & deuitandus ſciatur: hoc quidem ex actis Apoſtolicis, & totius Eccleſiæ vſu abundè conſtat. Matt. 18. Ibidem

Ac primùm quidem, ſimulatque Chriſtus dixerat, Dic Eccleſiæ, ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi tamquam Ethnicus, & Publicanus, ſtatim ſubiunxit, Amen dico vobis, quæcumque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata, & in Cœlo: perindè ac ſi dixiſſet; Vos Apoſtoli eſtis, qui hac in cauſa perſonam Eccleſiæ ſuſtinetis: & ideò tam conſtanter affirmo veſtrum iudicium, & ſententiam non in terris modò, ſed etiam in Cœlo ratam eſſe; quia ſi veſtram ſententiam publicè interpoſitam peccator non audierit, Eccleſiam non audit. Matt. 18.

Deindè grauiſſimus Eccleſiæ Doctor Chryſoſtomus, ea Chriſti verba [dic Eccleſiæ] ità interpretatur; Dic præpoſitis Eccleſiæ. Chryſoſt. in Matt. c. 18. 1. Tim. 5.

Præterea Paulus Timotheo præſcribens, vt

Digitized by Google

vt accuſationem aduerſùs Presbyterum non recipiat, niſi ſub duobus, aut tribus teſtibus; peccantes verò coràm omnibus arguat, vt & cœteri timorem habeant: eo ipſo declarat, Epiſcopi, ſeu Eccleſiaſtici Iudicis munus eſſe, vel accuſationem recipere, cum quis ab altero accuſatur, vel peccantem Eccleſiæ denuntiare, cum ipſe Epiſcopus eum alia via reum eſſe deprehenderit.

Quid, quòd idem Paulus Tito, etiam Epiſcopo præcepit, vt hæreticum hominem poſt vnam, & ſecundam correptionem deuitet, ſeu reijciat; tamquam eius officium ſit tertio loco de cauſa cognoſcere, & contumacem ex Eccleſia eijcere, nempè, quia ille perſonam Eccleſiæ gerit.

Act. 1. Cum alter Apoſtolus in Iudæ præuaricatoris locum ſubrogandus eſſet, nonnè ſolus Petrus in medio fratrum exurgens, ſententiam depoſitionis in Iudam manifeſtum proditorem tulit ſecundùm Propheriam dicens, Epiſcopatum eius accipiat alter? Is ergo publicum peccatorem toti Eccleſiæ, non velut accuſator, ſed velut Iudex denuntiauit.

1. Cor. 5. Nonnè, cum vxorem Patris ſui aliquis Corinthi haberet, Paulus congregatis Corinthijs, & ſuo ſpiritu, eum hominem Sathanæ tradendum ſolus iudicauit? Congregata eſt Eccleſia, vt cum auctoritate ad aliorum timorem ſententia promulgaretur; ſed promulgata eſt à Paulo ſolo in IeſuChriſti nomine, & perſona, alijs Corinthijs in teſtimonium rei geſtæ, non in gerendæ poteſtatem adhibitis.

Ioannes etiam Apoſtolis cum Diotrepes nõ ſuſciperet hoſpitio fratres, quinimmò eos, qui ſuſcipiebant, prohiberet, ac de Eccleſia eijceret; nonnè liberè, audacterque ſcripſit,
3. Ioan. Si venero, commouebo eius opera, quæ facit, verbis malignis garriens in nos?

Apoc. 2. Idem Ioannes in perſona Chriſti ad Epiſcopum Epheſi dicit, Memor eſto, vndè excideris, & prima opera fac. Sic autem venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco ſuo, niſi pœnitentiam egeris. Vbique Apoſtoli ſuſcipiunt in ſe cognitionem criminum, & ius ferendæ ſententiæ. Ex quibus facilè perſpicitur, Epiſcoporum eſſe ligare, & ſoluere; nec id tantùm in ſacris, & ſpiritualibus negotijs, verùm etiam in alijs omnibus, quando illa ad ſalutem animarum ſpectant:
1. Cor. 6. & hoc videbitur expedire Eccleſiæ, Qui enim Angelos iudicant, quantò magis ſecularia? & addit Apoſtolus, Si in vobis iudicabitur mundus, indigni eſtis, qui de minimis iudicetis? Cui ergo iudicia ſpiritalia ſubiecta ſunt, eidem ſecularia ob finem ſpiritalem conſequendum multò magis ſubijciuntur. Itàque in vniuerſum quæcumque Apoſtoli in Eccleſia ſalutis animarum cauſa ligant, & ſoluunt, ea coràm Deo ligantur, & ſoluuntur.

Ligare igitur cum ad crimen publicum refertur, eſt in publico iudicio ritè celebrato, eum, qui reus eſt, condemnare, & condemnato pœnam ſalutarem pro qualitate criminis in hac vita ſubeunda imponere.
Hebr. 12. Quam pœnam ſi recipit, tamquam filius corripitur, & emendatur: ſi non recipit, ſpurius, aut nothus eſt, & non filius, atque ideò tamquam Ethnicus, & publicanus habetur. Ità Paulus fornicatorem CorinthiumSathanæ velut tortori cuidam tradidit in interitum, & vexationem carnis, vt ſpiritus ſaluus eſſet in die Ieſu Chriſti: qui quoniam ſuſcepit, & non neglexit diſciplinam Domini, Corinthijs eum publicè obiurgantibus, & apud Paulum pro eo intercedentibus, ab vlteriore pœna ſolutus, & liberatus eſt, eodem Paulo interloquente, & condonante, ſicut ipſe ſcribit. Sufficit illi, qui eiuſmodi eſt, obiurgatio hæc, quæ fit à pluribus; cui autem aliquid donatis, & ego. Nam & ego, quod donaui, ſi quid donaui, propter vos (donaui) in perſona Chriſti, vt non circumueniamur à Sathana. Hinc apparet non modò portam Regni Cœlorum à miniſtris Chriſti cum clauditur ligari, & cum aperitur ſolui, ſed etiam, vel ſingulos homines, vel plures tum ligari ad pœnam ex arbitrio Iudicis ſubeundam, tum ab eadem (vbi æquitas poſtulat, vel poteſtas relaxat) ſolui, & liberari. Nam perſæpè accidit, vt quem ſui criminis pænitet, tum ab æterna pœna ſoluatur, quia contriſtatur ſecundum Deum, quæ triſtitia pænitentiam in ſalutem ſtabilem operatur; tum ad temporalem pœnam exoluendam ligetur, quia Deus flagellat omnem filium, quem ſuſcipit. Omnis enim diſciplina exercitatis per eam, pacatiſſimum iuſtitiæ fructum reddit. Non immeritò igitur Chriſtus in vniuerſum dixit, Quæcumque alligaueritis ſiue homines, ſeu res, & quæcumque ſolueritis ſuper terram, hoc eſt in Eccleſia militante, erunt ligata, & ſoluta in Cęlo. 1. Cor. 5. 2. Cor. 2. 2. Cor. 7. Hebr. 2.

Ligationis cuiuſque (vt antè dixi) pars quædam eſt pœna, quæ delinquentem manet. Nam ſecundùm menſuram delicti erit, & plagarum modus. Vndè Chriſtus in die iudicij non ſolùm impios à ſe ablegabit dicens: Matt. 25.
Ite à me maledicti: verùm etiam pœnæ modum adijciet, in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis eius. Quem verò Iudex non punit, nec eum condemnat, ſicut Chriſtus ad Peccatricem dixit, Mulier nemo te condemnat? ideſt, nemo te in adulterio Ioan. 8.
deprehenſam punit? nemo in te lapidem mittit? nec ego te condemnabo. Vade, & iàm ampliùs noli peccare. Ecce in peccato deprehenſa eſt, & à Chriſto velut peccatrix corripitur; & tamen quia ſecundùm legem lapidata non fuit, negatur eſſe condemnata; adeò verum eſt, eius ſententiæ, qua ligatur aliquis, partem aliquam eſſe pœnam, aut mulctam.

Cum ergo is, qui habet ligandi poteſtatem, primùm ad ſuæ iuriſdictionis tuendam auctoritatem, deindè ad eius, qui condemnatur, vel iniquitatem corrigendam, vel obſtinationem manifeſtandam, denique ad timorem aliorum, & Eccleſiæ ſalutem condemnato pænam infligere, & ſemper poſſit, & plerumque debeat; pœnæ verò criminum ſingulorum in lege Chriſti, atque in nouo Teſtamento deſignatæ, aut expreſſæ non ſint; neceſſariò efficitur, vt eædem arbitratu epiſcoporum de nouo ſtatui debeant. Nam cuius rei ſtatuendæ poteſtatem non acceperunt, quibus dictum eſt, Quæcumque alligaueritis, & ſolueritis? Apud Iudæos, qui ſacerdotis Deuter. 17.
imperio non obediuiſſet, etiam morti addi-

cebatur. Et nunc ſpiritus, & iuſtitiæ mini-
ſtri, ne minimam quidem pœnam poterunt
infligere? A morte inferenda epiſcopi meri-
tò abſtinent, eò quòd Chriſtus, cuius ſunt mi-
niſtri, non vult mortem peccatoris, ſed ma-
gis vt conuertatur, & viuat. Nullus autem
poſt mortem pœnitentiæ locus relinquitur:
ſed aliæ pœnæ, adeò non impediant fructum
pœnitentiæ, vt potiùs eum prouehant, &
adiuuent (Vexatio enim dat intellectum)
certè ad noui Teſtamenti miniſtros maximè
omnium ſpectat, cęteras pęnas, quæ ipſi de-
linquenti ſalutares ſunt, indicere, atque in-
1. Cor. 5. ferre. Hinc Paulus fornicatorem Corinthium
non modò abſtulit de medio fidelium, & à
ſacramentorum Communione repulit, verùm
etiam Sathanæ illum tradidit, non ſanè occi-
dendum, ſed in interitum carnis, hoc eſt; ad
ſubeundam vexationem, & afflictionem cor-
poralem, quam Satanas ei velut quidam tor-
tor, Deo promittente, intulit. Sicut enim Sa-
Iob. 1. & 2. thanas Dei permiſſu iuſtum Iob ad maiorem
ipſius gloriam, ſic & Apoſtoli permiſſu hunc
hominem puniuit ad celeriorem ipſius con-
uerſionem ex Apoſtoli conſilio procuran-
dam.

Si grauior multò pœna eſt, hominem ex
Eccleſia prorsùs eijcere, quàm eundem in
Eccleſia delinquentem corporali pœna coer-
cere, & tamen illud epiſcopis conceditur:
nonne multò magis hoc etiam concedetur?
nonne de ijs, qui intus ſunt, vos iudicatis?
1. Cor. 5. Quis verò iudicat de aliquo; & eum pro qua-
Heb. 12. litate peccati non punit? Quis filius, quem
corripit pater? Epiſcopi autem ſunt patres
1. Cor 4. Eccleſiæ. Et ideò quærit Paulus, an velint
Corinthij, vt in virga veniat ad illos? Deniq;
diſertis verbis ait, in promptu ſe habere vlci-
2. Cor. 10. ſci omnem inobedientiam.

Hinc iam indè ab Apoſtolorum tempo-
ribus receptum eſt vt in Concilijs præſertim
Oecumenicis, canonicæ quædam pœnæ in ea
ſaltem crimina, quæ frequentiùs committe-
bantur, conſtituerentur. Inter cæteras verò
pœnas, & illam ſancti Paſtores inflixerunt,
In Concil. vt ſi quis, etiam Dominus temporalis hæreſim
Lateranẽ. & docuiſſet, propugnaſſet, aut cum plurimo-
Viennen. rum ſcandalo ſecutus fuiſſet, illam dignita-
tem deinceps in Chriſtianos, (niſi honori
ſuo reſtitutus eſſet) non exerceret. Huic de-
creto neceſſe eſt, vt omnes Chriſtiani reges,
& principes obediant. Si enim regum Ethni-
corum ciuiles conſtitutiones ità ligant, vt il-
lis non modò propter iram, ſed etiam pro-
pter conſcientiam parere nos oporteat: quan-
Rom. 13. tò magis eccleſiaſticæ miniſtrorum Chriſti
Luc. 11. conſtitutiones coràm Deo nos obligant? Qui
enim Præpoſitos Eccleſiæ non audit, ſed ſper-
nit, Chriſtum ipſum ſpernit: qui verò Chri-
ſtum ſpernit, Deum ſpernit, qui miſit illum.
Horrendum eſt incidere in manus Dei viuen-
Luc. 12 tis. Cum rex in ſola corpora, & bona exter-
na, non item in animas hominum poteſtatem
acceperit, ſi tamen propter conſcientiam ei
Rom. 13. ſubdimur, ne videlicet homo, qui ex corpo-
re, & anima conſtat, hanc fragilem, & cadu-
cam vitam ſine cauſa contemnens, coràm
Deo reus peccati fiat; quantò magis propter
conſcientiam illorum decretis parendum eſt,
Hebr. 13. qui peruigilant, quaſi rationem pro animabus
1. Cor. 4. noſtris reddituri? Nam ipſa conſcientia Pa-
ſtoribus animarum noſtrarum ex inſtitutione
Chriſti, cuius miniſtri ſunt, directè ſubeſt.
Qui autem in animam poteſtatẽ habet, etiam
in bona, in iura, immò in corpus poteſta-
tem habet, quoties hæc omnia ſalutem ani-
mæ, vel impediunt, vel prouehunt.

CAP. X.

Petrum in clauium regni cælorum, & gladij ſui ſpiritalis, qui eſt verbum Dei, ſecundùm ouium, quas paſcere iubebatur, conditionem, etiam politici gladij non ciuile, aut politicum, ſed cæleſte ius à Chriſto accepiſſe.

Clauis, & poteſtas, quæ iuſſu Dei am- 1. Tim. 3.
pliſſimum regnum iubetur gubernare, Apoc. 21.
neceſſariò eſt clauis regia. Eccleſia verò Chri-
ſti, non domus tantùm, ſed & ciuitas, nec
tantùm ciuitas, verùm etiam regnum eſt.
Mittet enim filius Angelos ſuos, & tollent Matth. 13.
de regno eius, [ideſt, de Eccleſia Chriſti]
omnia ſcandala, & eos, qui faciunt iniquita-
tem. Immò Eccleſia non quodlibet regnum, Ibidem.
ſed regnum cælorum eſt, quod grano ſinapis,
fermento abſcondito in tribus farinæ ſatis, Matth. 25.
ſagenæ ex omni genere piſcium congreganti,
ac decem Virginibus, quarum quinque ſunt
prudentes, & quinque fatuæ, ſimile dicitur.

Qui ergo Chriſti oues, quæ hoc Dei re-
gnum ſunt, paſcere iubetur, & in eum finem
claues regni cœlorum accipit, regiam vtique Ioan. 21.
poteſtatem accipit. Et quia regnum Eccleſiæ Matth. 16.
in terris adhuc agens non ſpiritali tantùm,
ſed etiam ciuili, & politico ritu hìc viuit, 1. Cor. 7.
emens, vendes, locans, conducens; mutuum
dans, & accipiens, paciſcens, nubens, &
nuptui tradens (alioqui debuerat de hoc mun- 1. Cor. 5.
do exiſſe) qui talis regni claues accipit, pro
ſubiectæ rei natura, & conditione, etiam ta-
lem regiam poteſtatem accipit, quæ licèt pro-
pter cœleſtem ſuam originem, tota ſit ſpiri-
talis: tamen ob mixtum humanæ conditionis Ioan. 3.
ſtatum, non ſolùm ſpiritalem, ſed, & om-
nem politicam poteſtatem, (ſine qua in hoc
mundo Eccleſia regi, vt debet, non poteſt)
ſub ſe complectatur cum enim Chriſtus regnũ
cœleſte in terris inſtituerit, cui tamen poli-
ticè, ciuiliterque agendi neceſſitatem non
abſtulerit, ac paſtorem ad id regnum guber-
nandum præfecerit, (idem eſt autem paſtor Ioann. 21.
populi, quòd rex populi:) quis dubitet, quin
omnem poteſtatem, quæ iuxtà eius regni ſta-
tum neceſſaria eſt, ei tradiderit? Quomodo
aliqui ouibus Chriſti, tritici menſuram in
tempore ſuo daret? Ponamus enim eſſe ali- Luc. 12.
quem Chriſtianum populum, qui (velut po- Exod 3.
pulus Iſrael olim de Ægypto egreſſus, Moyſen
ducem à Deo conſtitutum ſequebatur) ità
nunc Petrum à Chriſto conſtitutum ſequi ve-
lit, nec alium ſuprà ſe, quàm Chriſtum regnare
patiatur; numquid Paſtor à Chriſto conſti-
tutus non poterit hunc Chriſti gregem pro
natura, & conditione ipſius regere, & guber-
nare? Numquid etiam ciuiles ipſius contro-
uerſias non poterit decidere, & definire?
Num-

Deut. 17. Numquit, & ſanguinis cauſam non poterit
per iudices à ſe conſtitutos cognoſcere, &
iudicare? Quaſi verò quidquid Moyſes in
hoc genere fecit, aut præſcripſit, non fuerit
figura eius rei, quæ in Eccleſia Chriſtia-
1.Cor.10. na compleri debebat: Omnia enim in figu-
ram contigerunt illis: ſcripta ſunt autem
Heb.3. propter nos. Et certè Moyſes fuit famu-
lus in domo Chriſti, hoc eſt,in Eccleſia.
Luc. 12. Gal. 4. Quidquid autem poteſtatis famulus in do-
mo habet, à patrefamilias accipit. Non
Matth.16 minùs autem eſt famulus Chriſti, Petrus,
quàm Moyſes. Nec minor eſt Eccleſia,quàm
Exod.4. ſynagoga. Nec minor clauis regni cęlorum
data Petro, quàm virga olim data Moyſi.
Ioann.21. Nec minor eſt poteſtas in hoc verbo, Paſce
Exod.32. agnos, & oues meas, quàm in hoc, Mittam
te ad Pharaonem, vt educas populum meum
filios Iſrael de Ægypto. Porrò Moyſes ha-
buit ius gladij politici, quem per manus Le-
uitarum in eos, qui coluiſſent idolum, ſtrin-
xit; & Petrus non habebit ius gladij politici,
quem in hoſtes Dei ad ſalutem gregis per mi-
niſtrorum militarium manus, cum opus eſt,
ſtringatur? Quid enim, ſi oues Chriſti nunc
1. Reg.8. ad Petrum dicant, vt olim Iudæi ad Samue-
lem dixerunt, Conſtitue nobis Regem, vt iu-
dicet nos, ſicut, & vniuerſæ habent natio-
1.Reg. 10. nes? numquid quod Samuel Chriſti prophe-
Matth.10. ta, & Leuita in Dei nomine facere non po-
tuit, Petrus Chriſti Apoſtolus, immò primus
Luc. 22. Apoſtolorum, & fratrum confirmator in
Chriſti nomine vi clauium ſuarum facere
non poterit? Samuel tulit lenticulam olei, &
1.Reg.10. effudit ſuper caput Saulis, & deoſculatus eſt
eum, & ait, Ecce vnxit te Dominus ſuper
Matth.16. hæreditatem ſuam in principem. Et nunc
Exod.3.& 4 Petrus, qui omnia ligare, & ſoluere in ter-
ris poteſt, nihil tamen ſimile in Eccleſia
Chriſti poteſt facere? Moiſes fuit paſtor ſpiri-
talis, hoc eſt, non ob temporalem, ſed ob
æternam populi ſalutem præfectus.

Si ergò ſub ſpiritali Moyſis poteſtate gla-
dius politicus continebatur; quantò magis
2.Cor. 3. ſub ſpiritali Principis Apoſtolorum poteſtate
eiuſdem gladij politici ius continetur? Quan-
tò enim populus Chriſtianus populo Iudaico
dignior eſt, & maior; tantò dignius, &
maius miniſterium ſortitus eſt Petrus quàm
Moyſes. Ac Moyſis quidem poteſtas ad vnum
aliquem ordinarium ſucceſſorem tota non
tranſijt. Nam rerum ſpiritalium præfecturam
Aaron, ac poſteri eius: prophanarum verò ad-
miniſtrationem Ioſue, cęterique iudices, &
Deut. 34. reges conſecuti ſunt: niſi quòd qui ſacris
miniſtrarunt, interdùm etiam prophana rexe-
runt, vt Heli, Samuel, & Machabæi. Num-
quam verò prophanarum rerum adminiſtra-
tores poterant ſacris rebus præeſſe, niſi præte-
reà de genere ſacerdotali fuiſſent: maior enim
principatus ad ſe minorem trahit, non item
minor maiorem. Sed hoc ipſum in Iudæo-
rum ſacerdotio imperfectioni dandum eſt,
quod à gladij politici iure diuidi poterat: ab
initio enim non erat ſic.

Noe ſacerdos Dei etiam gladij poteſta-
Gen.9. tem ſuo ſacerdotio annexam habuit, vt ſi quis
ex eius domo fudiſſet ſanguinem humanum,
ſanguinem illius funderet.

Melchiſedech ſacerdos Dei altiſſimi, fuit
Gen. 4. etiam rex Salem.

Abraham, qui vnigenitum ſuum ſuper Gen.22.
altare offerens, arietem pro illo immolauit,
etiam in reges irruit, & fratrem ſuum iure Gen 4.
gladij à ſeruitute vindicauit,

Ruben primogenitus Iacob, iure ordi- Gen. 49.
nario debuerat eſſe prior in donis, (hoc eſt,
in gratia ſacerdotali,) & maior in imperio,
niſi quòd ob peccatum ſuum hac dignitate Exod.32.
priuatus eſt. Si quis etiam dixerit, Aaronem
gladij poteſtate priuatum, eò quòd vitulum
conflatilem paſſus eſt à populo adorari, nihil,
quod à recta ratione alienum videatur, ſen-
ſerit. Vtrumque fit, Sacerdotium Leuiticum
à prima inſtitutione ſua non fuit regale, ſed
potiùs priuatum, & ſubiectum: ſi quando Heb.7.
enim regiam poteſtatem ſortitum fuit, ab ex-
trinſeco id euenit.

Itaque alia fuit apud Iudæos regia, &
alia ſacerdotalis tribus: adeò vt tribus Iudę,
quæ fuit regia, legem ſacerdotibus nonnum-
quam indiceret: eoſque loco ſuo moueret, 3. Reg.2.
ſicut Salomon rex ſacerdotem Abiachar ab- Heb.7.
iecisse legitur, ne miniſtraret in templo Do-
mini. At Chriſtus ſacerdos in æternum iuxtà
ordinem Melchiſedech, ex tribu regia ortus,
ſecundùm naturam non minùs rex, quàm ſa-
cerdos fuit: populumque Chriſtianum vtriuſ-
que doni ex gratia participem fecit. Sumus
enim (vt B.Petrus ait) ſacerdotium regale, 1. Petr. 2.
& vt B.Ioannes loquitur, Fecit nos Deo no- Apoc.5.
ſtro regnum, & ſacerdotes. Non ergo,vt olim
Iudæis accidit, alia tribus eſt regia, & alia
ſacerdotalis; ſed ordinaria populi Chriſtiani
gratia hæc eſt, vt Eccleſia Chriſti ſit ſacerdo-
tium,non legale, quod ſecundùm regis alte-
rius, qui ſacerdos ipſe non ſit, legem admi-
niſtretur: ſed regale, quod ex vi ſua legem
Chriſtianis omnibus præſcribat. Sacerdotij
enim regalis eſt, præeſſe, non ſubijci; legem 1. Petr.2.
dare, non accipere, alios ducere, non ſequi.

Quamobrem Paulus à regali miniſterio 1. Cor.6.
ſuo alienum non putauit, vt Corinthijs au-
ctor eſſet, quò iudices apud ſe conſtituerent:
qui de ſæcularibus cognoſcerent, & iudica-
rent. Et certè, ſæcularia iudicia conſtituere,
politicæ poteſtatis eſt, quàm Apoſtolus num-
quam ſibi vſurpaſſet, niſi ſpiritalis ipſius po-
teſtas etiam de politicis rebus legem ferre
poſſet.

Cùm ergò huius regalis ſacerdotij no- Matth. 23.
ſtri maximus adminiſtrator B.Petrus fuerit, Luc. 22. Ioann.21.
qui,vt olim Dauid Rex Iudæos;ſic nunc oues
& agnos Chriſti paſcere iubebatur, omninò
efficitur, vt B.Petrus in miniſterio ſuo regali
poteſtatem politicam, & regiam complecta-
tur. Ipſe Chriſtus homo cœleſtis, non terre-
nus erat. Sed an propterea expers fuit veræ,
& corporeæ illius naturæ, quam nos accepi- 1.Cor.15.
mus? nequaquam. Licèt enim virtute Dei, Luc.1.
non operatione viri carnem acceperit,& ideò
cœleſtis homo fuerit; non tamen idcircò mi- Heb.2.
nùs verè homo fuit, per omnia nobis aſſimi-
latus, excepto peccato. Eodem igitur mo-
do quamquam regnum Eccleſiæ ſpiritale ſit,
tamen omnem politici regni vim, & poteſta-
tem in ſe complectitur.

Deindè ſacerdotium Chriſti, an terrenum Heb.7.
fuit, aut humanum? nihil minùs. Non
enim ſecundùm legem mandati carnalis fa-
ctus eſt ſacerdos, ſed ſecundùm virtutem
vitæ inſolubilis. Quemadmodùm igitur licèt
ſacer-

ſacerdotium Chriſti, nec politicum, nec legale, ſed diuinum, atque æternum fuit: tamen omne ſacerdotij corporei verum ius, veramque naturam in ſe habuit, atque adminiſtrauit, (vndè ſemetipſum obtulit Deo ſuper aram Crucis vſque à mortem) ſic, & regnum Chriſti quamquam non ſit politicum, & terrenum, ſed diuinum, & ſpirituale; tamen omne ius politici cuiuſcumque regni intrà ſe comprehendit. Atque ideò poteſt, cum hoc ſapientiæ Dei æquum videbitur, & gladij ius inſtituere, vbi anteà non fuit, & tollere, vbi fuit, & transferre de vno Chriſtiano in alterum, Philip. 2. ſicut olim factum eſt per manum Leuitæ 1. Reg. 10. Samuelis, Sadoc ſacerdotis, Ahiæ Silonitæ, 3. Reg. 1. Heliæ Prophetæ, ac denique, ſicut ad 3. Reg. 12. Hieremiam in figura Chriſti dictum eſt. 3. Reg. 19. Ierem. 1. Conſtitui te hodie ſuper regna, vt euellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes.

Matth. 16. Ioann. 21. Dicimus ergo, Petrum, quo tempore à Chriſto accepit claues Regni Cœlorum, accepiſſe à Chriſto ius deſtruendi, & ædificandi regna in Eccleſia Chriſti, quando id expediret. Quod ius de Cœlo eſt, ſed ad Eccleſiæ in terra agentis vtilitatem ſpectat. Itaque politicum gladium habet Petrus, non iure ciuili, aut politico, ſed iure diuino, & ſpiritali conceſſum, nec ad finem politicum, ſed ad finem ſpiritalem eo vti debet, nempè ad animarum ſalutem.

Obiectio. Dicet aliquis, gladium, qui ſit proprius Regni Cœlorum, non eſſe gladium politicum, ſed ſpiritalem, qui eſt verbum Dei: quid autem commune eſt verbo Dei cum gladio politico? Conceſſio. Equidem concedo, non gladium politicum, ſed verbum Dei eſſe proprium gladium Regni Cœlorum. Reſponſio. Sed dico, gladium hunc ſpiritalem tam efficacem, viuum, & potentem eſſe, vt non minùs gladium politicum, quàm cætera omnia, quæ intrà Eccleſiam Dei ſunt, moderetur, & gubernet: immò etiam ſi 1. Reg 10. opus eſt, inſtituat, tollat, transferat. Gladius 1. Reg. 13. enim Samuelis, qui erat verbum Dei, Saulem 1. Reg 15. vnxit in regem, eidem præſcripſit quid in bello ageret, eundem regni iure priuatum denuntiauit, quòd gladio ſpiritali, hoc eſt, 1. Reg 16. verbo Dei non obediſſet. Denique in Dauidem, 2. Reg. 11. Saule adhuc viuente, ius regni tranſtulit. ita etiam gladius Ioiadæ ſacerdotis Athaliam tyrannam poſt ſeptem regni ſui annos Imperio deiecit; & Ioiadas quidem ſpiritali gladio ſuo etiam gladium politicum inſtituit. Centuriones enim, duces, & milites introduxit in templum Domini, & præcepit illis quid agerent, & dedit eis haſtas, & arma regis 4. Reg. 1. Dauid, quæ erant in domo Domini. Elias etiam per gladium ſpiritalem, qui eſt verbum Dei, euocauit ignem de Cœlo, qui milites regios, inuito rege, deuorauit. Denique Mathathias ſacerdos auctoritate gladij ſpirita- 1. Mach. 1. 2. &c. lis, quem à Deo acceperat, gladium politicum ſibi ſumpſit, ac filijs ſuis reliquit, quo regem Antiochum, qui Iudæis imperabat, iure eius Imperij priuarunt. Ac ne quis miniſtrorum Chriſti gladium ſpiritalem, qui eſt verbum Dei, putet minoris poteſtatis eſſe, quàm veterum Prophetarum, aut Sacerdotum fuerit; is etiam ſciat, Paulum vi ſpiritalis gla- Act. 13. dij percuſſiſſe Elymam Magum cæcitate; Act. 5. Petrum verò Ananiam, & Saphiram vita corporali priuaſſe; Leonem Tertium reſtituiſſe Imperatoriam poteſtatem diù ante ſublatam in Occidente; & Carolum Magnum Imperatorem ſalutaſſe: Zachariam Pontificem ius regni abiudicaſſe Chilperico Francorum Regi, & id in Pipinum ex Francorum voluntate tranſtuliſse; denique alios Petri ſucceſsores iure Imperij priuaſse Henricos, Fridericos, Ludouicos, Boleslaos, Ioannes, & alios Reges, atque Imperatores Chriſtianos. Et quòd illi hac in re ligarunt in terris, hoc ipſum in Cœlis Deus ligauit, eos abijciens à Regni ſolio, quos Petri ſucceſsores abiecisſent, eoſque in ſolio regio confirmans, quos Petri ſucceſſores erexiſsent. Eſt enim ſermo Dei, hoc eſt, Hebr. 4. gladius ſpiritalis miniſtrorum Chriſti, efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: tantum abeſt, vt ideò iure politici gladij careat, quia ſpiritalis gladius eſt. Nam ob id ipſum potentior eſt, non imbecillior, ſicut ſcriptum eſt: Quod infirmum eſt Dei, poten- 1. Cor. 15. tius eſt hominibus, cum autem Deus ſit ſpi- Ioann. 4. ritus, quod ſpiritale eſt, maximè proprium Dei cenſeri debet. Qui verò ius gladij miniſtris Chriſti conceſsum eſse negant, ab illis quæro: Vtrum ius gladij maius eſse putent, quàm vt miniſtri Chriſti eo digni ſint: an minùs, quàm vt tam excellenti miniſterio conueniat; an tam diuerſum, vt ex diametro eorum miniſterio repugnet? Non eſt tam eximium ius gladij, vt miniſtri Chriſti eo indigni iudicari debeant. Nam vt anima plus Luc. 12. eſt, quàm eſca, & corpus pluſquam veſtimen- Ioann. 20. tum; ſic remittere, & retinere peccata, quibus Luc. 12. anima in æternum perditur, plùs eſt, quàm corpus occidere, quod ſolùm politicus gladius facere poteſt. Quem ergo Chriſtus maiore miniſterio dignum facit, non eſt ob id ipſum gladij iure indignus. Deindè non eſt tam humile, & infirmum gladij ius, vt indignum ſit miniſtrorum Chriſti vacatione. Si Dan. 2. enim Deus non dedignatur ius gladij penès ſe habere, nec Apoſtolus poſſit eſse maior illo, qui miſit eum; quomodò dedignentur miniſtri Chriſti iuris gladij, quod penès Deum eſt, miniſterium aliquod obtinere? Nam ſi aliquid fœdi eſset in iure gladij obtinendo, nec Deus ipſe ius gladij haberet.

Poſtremò, ius gladij non repugnat Ec- Gen. 9. cleſiaſtico miniſterio: alioqui Noe, Melchi- Gen. 14. ſedech, Abraham, Moyſes, Phinees, Elias, Iu- Exod 32. das Machabæus, alijque multi, aut Patriarchæ, aut Prophetæ, aut Pontifices, qui miniſterio Eccleſiaſtico functi ſunt, ius gladij non habuiſsent; quod ſecùs comparatum eſse Scripturæ ſacræ demonſtrant. Immò conſtat fidem Chriſti per ius gladij propugnatam, atque adeò propagatam eſse, tùm à Conſtantino, & Carolo Magnis, tum à Theodoſio, & ſacris ordinibus B. Ioannis, B. Iacobi Crucigerorum, & alijs eiuſmodi militijs. Et quomodò repugnaret Eccleſiaſtico miniſterio, quod ei tam vtiliter ſubſeruit? Vſus quidem gladij habet plerumque aliquid indecori, & ideò non decet clericos: cæterum nos iam de iure gladij, non de vſu agimus. Satis eſt nobis, quòd Paſtor ouium Chriſti habet poteſtatem, eos præficiendi populo Chriſtiano, qui vtantur gladio politico ad Eccleſiæ ſalutem.

CAP. XI.

Chriſtum iuſſiſſe Apoſtolos (quamquam Magdeburgenſes fruſtrà id oppugnent) etiam corporalem gladium habere, & portare.

QVod Deus vehementer commendatum nobis eſse cupit, non ſolùm verbis inſinuat, ſed prætereà rebus ipſis exprimit; nec minùs oculis ſubijcit, quàm auribus proponit, vt penitùs inexcuſabiles fiant, qui vſque adeò confirmatæ veritati reſiſtunt,

Chriſtus præcepit Apoſtolis, vt gladium ſi haberent, tollerent; ſi non hsberent, emerenr, etiamſi tunicam emendi gladij cauſa vendi oporteret, Magdeburgenſes, & cæteri tàm Lutherani, quàm Caluiniſtæ dicunt, hæc verba non deſignare corporalem gladium, ſed ttopo quodam, & figura orationis admonete certamine ſpiritali opus eſſe. Somniabant boni Diſcipuli (aiunt Magdeburgenſes) ſuum præceptorem de corporalibus gladijs dicere, vt erant adhuc imbecilles, & non capientes, quod Chriſtus expreſſis verbis dixerat: Oportet impleri in me, & cum iniquis deputatus eſt. Hæc illi,

Centur. 1. lib. 1. cap. 4. pag 190.

Luc. 25.

Reſponſio.

Valetet quidem hæc Magdebutgenſium atgumentatio, ſi quiſquam dicerer gladio cotporali ad mortem Chriſti arcendam opus fuiſſe. Verùm non ideò Chriſtus voluit, Apoſtolos gladium habere, vt ipſum ab impetu Iudæorum tuerentue (oportebat enim illum iuxtà ſcripturam cum iniquis deputari) ſed vt nulla re neceſſaria, ne gladij quidem poteſtate carerent, ad ea vel conſtituenda, vel propulſanda, quæ ad Eccleſiæ ædificationem quandoque ſpectarent, De morte autem Chriſti facta eſt mentio, vt diuini præcepri iam mutsti ratio redderetur. Semel enim dum Chriſti mors longiùs adhuc aberat, iuſſit, Apoſtolos prædicatum ire abſque ſacculo, pera, & virga, hoc eſt, gladio: nimirùm quia ipſe adhuc viſibilem Eccleſiæ Monarchiam ſecundùm carnem adminiſtrans, illis tamquam paruulis de omni ee neceſſaria prouidebat. Nunc verò, quia tempus aduenerat, iu quo ipſum oportebat mori, & cum iniquis deputari, iubet Apoſtolos tollere ſacculum, & peram, maximè omnium virgam, ſeu gladium; quia videlicèt iam audaciores facti, & viſibilem Eccleſiæ Monarchiam adminiſtraturi, debebanr ſibi ipſis, & alijs Chriſti ouibus conſulere. Vt aurem hæc tora quæſtio dilucidiùs explicetur, oportet ſummam rerum, de quibus in Euangelio ruuc agebatur, breuiter proponi.

Cur gladius neceſſarius.

Matt. 10.

Luc. 22.

Ibidem.

Facta eſt contentio inter Diſcipulos, quis eorum videretur, eſſe maximus.

Chriſtus reſpondit, ne cogitarent quidem de tali faſtu, qualis apud gentium Reges vſueparetur: ſed qui maximus inter illos foret, is gereret ſe tamquam minimum. Nam ſe ipſum re veca maximum, tamen in medio illorum fuiſſe velut mioiſtratorem.

Tum autem nominatim oſtendit Petrum eſſe illum maximum, iubens eum confirmare fratres ſuos, atque ità demùm ad : onee, quæ cura rùm Petro, tùm cæteris Apoſtolis incumbat de rebus ad victum, & auctoritatem neceſſarijs, tàm ſibi, quàm fratribus prouidendi. Vndè tam ſacculum, & peram tollere, quàm gladium, ſi habent, portare, ſi non habent emere iubet; idque, quuniam ipſe ex hoc mundo tranſit, atque Eccleſiæ adminiſtrandæ poteſtatem ipſis (cuique videlicèt pro ſuo gradu, & loco) relinquit, hæc eſt hiſtorica ſeries verborum Chriſti,

Nunc breuiter ſubijciemus, quot, & quantæ rationes conuincant Chriſti verba de gladio corporali accipienda eſſe. Propoſitum

Principiò nec impudentiſſimus quiſpiam negare poteſt ſeuum verbi à nobis ſtare. Apertè enim dictum eſt: Vendat tunicam ſuam, & emat gladium. Quis ignorat, quid ſit vendere, quid emere, quid tunica, quid gladius? In dubio autem, verba, vt ſonant, intelligenda ſunt: alioqui omnia in incertum vocarentur, ſi aliter quàm propriè ſignificant, vt plurimùm interpretanda eſſent.

Deindè verba coniuncta, videlicèt ſacculus, & pera, non poſſunt aliter intelligi, quàm de corporali ſacculo, & de corporali pera, Iuerant enim qusndoque Apoſtoli prędicatum ſine corporali ſacculo; & nunc iubentur ſecum tollere ſacculum (nam Chriſtus expreſsè dicit ſe mutsre præceptum ſuum) ergo iubentur tollere ſacculum corporalem. At eadem eſt ratio de gladio, quia hæc tria coniungnntur, ſacculus, pera, & gladius; iubentur ergo tollere, & portare gladium corporalem,

Iuſſerat ab initio Chriſtus, vt Apoſtoli non poſſiderent virgam, referente id Matthæo Apoſtolo. At apud Marcum legitur; Præcepit eis, ne quid tollerent iu via, niſi virgam tantùm. Hic neceſſe eſt, cum in eodem præcepto virga eodem tempore, & ferri iubeatur, & ferri vetetur, vt aliam atque aliam virgam intelligamus. Eſt autem virga quædam, quæ tantùm ſit in fulcimentum peregrinantis, & non in teſtimonium poteſtatis: hanc ferri ab initio permiſit. Eſt aurem alia virga, quæ non minùs auctoritatem quandam in eo, qui eam geſtat, eſſe teſtatur, quàm gladius, aut ſceptrum, De qua ſcriptum eſt, Reges eos in virga ferrea, & tamquam vas figuli confringes eos. Vndè, & Paulus ad Corinthios ſcribit: Quid? vultis in virga veniam ad vos? [hoc eſt in poteſtate corripiendi, & puniendi] an in charitate, & ſpiritu manſuetudinis? Hanc poſteriorem virgam Apoſtoli ab initio ferre prohibebantur, cum autem paulò ante mortem Chriſti iubeantur portare gladium: & poſteriùs hoc præceptum reuocet nominatim illud priùs de ſacculo, & virga non portanda; neceſſe eſt, vt ea virga, quæ poteſtatem perindè, ac gladius ſignificat, non ante potuerit tolli, quàm & ipſe gladius. Iam verò virga, quæ apud Matthæum tolli vetabatur, fuit virga corporalis, quæ ſignificare ſolebat poteſtatem quandam eius, qui eam geſtaſſet. Gladius ergo, qui nunc illi virgæ opponitur, & tolli iubetur, fuit etiam gladius corporalis.

Matt. 10. Marc. 6.

Pſal. 2. 1. Cor. 4.

Matt. 10.

Prætereà de primatu iam agebatur, & facta eſt mentio regum, qui gladios portant: neque id iu eis reprehenſum eſt, ſed tantùm

faſtus,

faſtus, arrogantia, & tyrannis. Igitur cùm Apoſtoli in hac de primatu diſputatione iubeantur gladium tollere, intelligendum eſt de tali gladio, qualem reges inculpatè ferunt, quem conſtat eſſe corporalem: nam vt maioritas, & præcedentia Petri fuit viſibilis & ſimilis illorum regum, nempè Dauidis, & Ioſiæ principatui, qui benè præerant: ſic & de gladio viſibili actum eſſe, ratio ſuadet.

Apoſtoli verò non dubitantes Chriſtum de corporali gladio locutum, monſtrarunt duos gladios. Et certè, qui tùm meminerant prioris præcepti de virga,& pera non portanda, tùm id obſeruarant, iamque aliud nouum, & planè contrarium dari audiuerant, non poterant non capere, quod dicebatur, vtcumque Magdeburgenſes dicant eos ſomniaſſe.

Porrò Chriſtus, qui numquam paſſus eſſet, Apoſtolos in re tam graui, quæ ad perpetuum Eccleſiæ ſtatum pertineret, errare, adeò eorum de corporali gladio intelligentiam non correxit, vt eandem confirmaret, dicens: Satis eſt. Iàm enim agebatur de perpetua maioritate, ſeu Primatu Eccleſiaſtico, in quo etiam quilibet minimus error non niſi grauis eſſe poterat: ſicut neuus plùs in facie oſtendit, quàm vlcus in alia parte corporis. Iàm quantus error hic fuiſſet, vt Chriſto loquente de precibus, & ſpirituali certamine, vt Magdeburgenſibus non rectè videtur,) Apoſtoli eum putarent de corporalis gladij poteſtate agere?

Quòd ſi Chriſtus hunc errorem ad tempus diſſimulaſſe dicatur, tamquam eundem poſteà per Spiritum ſanctum illis reuelaturus, quin tandem factum eſt, vt Lucas Euangeliſta, qui Spiritum ſanctum, antequàm Euangelium ſcriberet, acceperat, nihil de Apoſtolorum errore, nihil de ſilentio Domini, & diſſimulatione, nihil de verborum vera interpretatione adſcripſerit? Nunc enim actore Spiritu ſancto, quod legimus id credimus, vtique de corporali gladio id eſſe dictum, quod & Apoſtoli ſic intellexerunt, & Chriſtus ſic approbauit, & Euangeliſta ſic recenſuit, vt nullum ſignum contrariæ ſententiæ vſpiam colligi queat.

Adde his, quòd Petrus vnum ex illis duobus gladijs portauit inſpectante ipſo Chriſto, & nequaquam prohibente. Quomodò enim prohiberet, Petrum gladio accingi, propter cuius primatum etiam in ſeculi rebus (non ſeculi, ſed æternæ ſalutis cauſa) demonſtrandum ad mentionem gladij peruentum eſt?

Plùs dico, abuſus eſt Petrus eodem gladio corporali; cùm abſque Domini iuſſu aurem Malchi præſcindit, ac neque ſic quidem iuſtus eſt abijcere, ſed tantùm in vaginam recondere corporalem illum gladium. Cùm enim ſine pœnitentia ſint dona Dei, & vocatio, Petrus per abuſum gladij ſui, ius eiuſdem gladij non amiſit. (Roman. 11.)

(Matth. 26.) Quinimmò, Chriſtus poſteà confirmauit, illum verè eſſe Petri gladium, dicens ad eum: Conuerte gladium tuum in locum ſuum. Locus autem tui gladij eſt non manus tua, ſed vagina tua. (Ioann. 18.) Nec enim ideò iuſſus es gladium portare, vt ipſe eo ferires, (indignum hoc tam ſpirituali, & eminente perſona,) ſed vt conteſtatum fieret te habere ius gladij, ſiue nouum ex cauſa inſtituere, ſeu priorem tibi ſubiectum ab eo, qui iniuſtè illo vteretur, auferre opus eſſet.

Præclarè Bernardus ad Eugenium Petri ſucceſſorem ſcribit: (De conſid. lib. 2.) [Quid tu vſurpare gladium tentes, quem ſemel iuſſus es ponere in vaginam? quem tamen, qui tuum negat, non ſatis mihi videtur attendere verbum Domini, dicentis ſic: Conuerte gladium tuum in vaginam. Tuus ergo, & ipſe tuo forſitan nutu, & ſi non tua manu euaginandus: alioqui ſi nullo modo ad te pertineret, & ijs dicentibus Apoſtolis: Ecce gladij duo hìc, non reſpondiſſet Dominus, Satis eſt; ſed, nimis eſt. Vterque ergo Eccleſiæ & ſpiritalis ſcilicet gladius, & materialis; ſed is quidem pro Eccleſia, ille verò & ab Eccleſia exercendus. Iſte Sacerdotis, is Militis manu; ſed ſanè ad nutum Sacerdotis, & iuſſum Imperatoris.] Hæc Bernardus.

Iàm opinor tam ex rerum, quàm ex Patrum teſtimonijs liquidò conſtare, Chriſtum de corporali gladio locutum eſſe. Ne tamen quiſquam putet ſolum Bernardum ex antiquis Patribus ità ſenſiſſe. Audiamus quid etiam Auguſtinus omnium Doctorum ſapientiſſimus, & figuratæ locutionis acerrimus explorator, hoc in genere ſcribat: [Pro temporum, inquit Auguſtinus, diuerſitate vel (Contra Fauſt. Man.) conſilia, vel præcepta, vel permiſſa mutantur. Atque obtemperantium quoque Diſcipulorum facta in Euangelio ſecuta ſunt. Nàm & tunc (ideſt, ab initio prædicationis Apoſtolicæ) ſine ſacculo, & pera ierunt; & dixerunt ei, cùm de gladio emendo iuſſiſſet: Eccè ſunt hìc duo gladij; & ille reſpondit, Sufficit. Hinc & Petrus armatus inuentus eſt, cùm aurem perſecutoris abſcidit.]

Quibus in verbis Auguſtinus non ſolùm oſtendit ſentire ſe, quòd Dominus de corporali gladio loquebatur; ſed etiam, quòd iuſſit emi gladium, & quòd ratione illius præcepti Petrus inuentus eſt armatus, cùm aurem Malchi abſcidit. Immò etiam argumentatur & ex voce Domini, & ex factis Apoſtolorum, vt manifeſtè appareat, non caſu hæc dixiſſe Auguſtinum, ſed re optimè perpenſa, & dijudicata.

Quod verò Proteſtantes vrgere ſolent, Petrum à Chriſto ſeueriſſimè reprehenſum eſſe, quòd gladio percuſſiſſet, adeò vt Chriſtus ei dixerit; Omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt; (Matth. 26.) hoc, inquam, nihil noſtram ſententiam lædit.

Dicimus enim & nos, Petrum erraſſe, idque duabus de cauſis. Nàm nec erat Petrus adhùc Paſtor Eccleſiæ, aut publica perſona, quæ ſua auctoritate poſſet gladium ad alium ſtringere, & ferire, (adhùc enim Chriſtus in terris agebat, & Paſtorali primatu functus eſt,) & quamquam Petrus iàm fuiſſet Magiſtratu ſuo potitus; non tamen ſuis manibus debuiſſet gladium ſtringere.

Vtrumque inſigniter expreſſit Auguſtinus: (Contra Manich.) [Spontanea, inquit, Petri coercetur audacia; quia non vt iuſſus fuerat, ferrum tollere, ità iuſſus fuerat & ferire. Latebat certè Domini voluntas, cur arma portare præcepiſſet, quibus eos vti noluiſſet.]

Hic Auguſtinus ex vna parte culpat ſpon-

ſpontâneam Petri audaciam, qui præſentis Domini iuſſum non expectans, auctoritate priuata perſecutorem percuſſit.

Ex altera verò parte ingenioſiſſimè perſpexit, non eam fuiſſe Domini mentem in præcipiendo Apoſtolis, vt arma portarent, quaſi voluiſſet; eos armis aut pro ipſo, aut pro ſeipſis decertare: Noluit eos, inquit Auguſtinus, vti armis, quæ tamen, vt portarent præcepit.

Cùm autem Chriſtus Dei ſapientia nihil fruſtrà potuerit præcipere; & tamen præceperit Apoſtolis, atque in primis Petro, vt arma portarent; nec id vtendi armis cauſa: igitur ob aliam aliquam cauſam, ob quam obſecto, niſi vt oſtenderet ius armorum corporalium penès Apoſtolos, maximèque omnium penès Petrum eſſe? Arma enim, quibus
1.Cor.1. vti non queas, iuſſu Chriſti portare, eſt ius, non vſum armorum habere. Niſi fortè ius armorum non habet, quem Dominus noſter Dei iuſtitia, & fortitudo arma portare iubet. Vtrumque ergo effectum eſt, vt & Dominus de gladio corporali ſit locutus, & eo verbo declarauerit, ſe ius gladij corporalis Petro, & per eum ſucceſſoribus Petri, ac toti Eccleſiæ ſuæ dare.

Ioann.14. Dixit Chriſtus, Apoſtolos ſuos eadem facturos, quæ ipſe fecerat, & maiora his. Et
Ioann.21. præ omnibus Apoſtolis ad Petrum ſignificantiſſimè dixit: Tu me ſequere. Quemadmodùm igitur Chriſtus viſibili Primatu in Eccleſia ſua fungẽs pro auctoritate ſua iuſſit, Petrum, quem iam deſignauerat maximum inter Apoſtolos, gladium corporalem tollere, & portare; ſic Petrus Domini exemplum imitatus, poteſt auctoritatem ſuam interponere, vt alius, etiamſi erat anteà priuatus, iam deinceps velut publicus Magiſtratus gladium tollat, & portet.

Scio & vltrò fateor, tam Petrum, quàm Apoſtolos accepiſſe à Chriſto maiorem quendam gladium, quàm corporalis hic fuerat, quem Petrus iam portauit; ſed quantò alium gladium hoc digniorem Petrus à Chriſto accepit, tantò indigniùs eſt, & hunc ei à Chriſto datum negare. Nàm, vt Deo indignum non eſt gladij corporalis, & politici, vel ius penès ſe habere, vel eiuſdem alijs donandi auctorem eſſe; ità nec indignam ſpiritali gladio Petri videri debet, vt & hunc corporalem ſuo ſpiritali ſubiectum habeat, & ità ſubiectum, vt eum pro ædificatione Eccleſiæ, vel donare alteri, vel auferre poſſit: donare, iuſtè vtendum, auferre, iniuſtè vtenti.

CAP. XII.

Quòd Petrus poſt Aſcenſionem Domini legitimè ſit vſus gladio ſuo, non manu, ſed ore illum vibrans.

NEgauimus cùm Auguſtino, & Bernardo licuiſſe Petro gladium, quem iuſſu Domini portabat, ſua manu ad alium feriendum ſtringere, aut vibrare. At certè non donaſſet id Chriſtus Petro, quod Petro nulli vſui futurum erat. Quo autem vti non poſſis, cui tandem eſt vſui? Quid ergo eſt? Dicimus quidem licuiſſe Petro armis corporalibus vti, non tamen prorsùs carnali, ſed velut ſpiritali modo. Qui enim, acceptis à Chriſto armis, alij (velut publicæ perſonæ) arma portandi poteſtatem facit, vtitur iam armis ſuis modo quodam ſpiritali, os, & linguam ſuam armans ad brachium, aut manum alterius armandam.

Neque verò ipſe Chriſtus, quem Propheta optat accingi gladio ſuo ſuper femur ſuũ, Pſal.44.
legitur vmquam prodijſſe in publicum armatus. Qui tamen in Apocalypſi conſpicitur Apoc. 1.
gladium ex vtraque parte acutum de ore ſuo emittere, quid eſt gladium acutum ex ore emittere, niſi ſolo verbo vitam auferre? Nihil autem eſt aliud ius gladij, quàm vitæ condonandæ, neciſque inferendæ poteſtas. Qui ergo vitam verbo aufert, is verè tùm ius gladij habet, tùm ſpiritali modo gladium ſuum exercet.

Petrus ergo videns Ananiam, & Saphi- Act. 5.
tam de pretio agri, quem Deo vouerant, partem abſtuliſſe; ad Ananiam dixit: Quare poſuiſti in corde tuo hanc rem? non es mentitus hominibus, ſed Deo. Audiens Ananias hæc verba, cecidit, & expirauit. Et paulò poſt ad Saphitam dixit: Ecce pedes eorum, qui ſepelierunt virum tuum ad oſtium, & efferent te, confeſtim cecidit antè pedes eius, & expirauit. Et factus eſt timor magnus in vniuerſa Eccleſia, & in omnes, qui audierunt hæc. Si ergo Ananias verba Petri audiens, expirauit, ſi cùm idem Petrus ad Saphitam dixiſſet, efferent te, illa confeſtim cecidit, & expirauit: verbi ſui miniſterio Petrus vitam illis abſtulit: & hoc quid eſt aliud, quàm Petrum gladio ſuo vſum eſſe, ità vt cæteri timo- 1.Tim.5.
rem haberent, & eò minùs peccarent? Lib. 2.
Vndè Gregorius in Ezechielem ſcribit: Hom. 18.
Petrum verbo mentientes occidiſſe. Ep.24.lib.1.

Et alibi: Cùm Petrus Ananiæ, & Saphiræ culpam reperit, mox quanta potentia ſuper cæteros excreuiſſet, oſtendit. Verbo namque eorum vitam perculit, quam ſpiritu perſcrutante deprehendit, & ſummum ſe intrà Eccleſiam contra peccata recoluit.

Magnus igitur Gregorius ex eo, quòd Petrus vitam eorum verbo abſtulit, potentiam ipſius ſummam in tota Eccleſia eſſe meritò intulit.

Nàm ſi Reges poſtquàm corpus occide-
runt, nihil ampliùs habent, quod agant; & Luc. 12.
tamen ob hanc vitæ, neciſque poteſtatem, Rom. 13.
gladium portant, & merum imperium habent; quantò magis Petrus, qui & verbo Ioann.20.
corpus occidere, & prætereà peccata vel remittere, vel retinere miniſterio ſuo poteſt, non negabitur & gladij poteſtatem, & quiddam etiam Diuiniùs habere? Quod autem Petrus verbo mero tunc fecit, hoc nunc (quia ſigna poſt fidem conſtitutam ceſſarunt) Petri ſucceſſores verbo etiam agunt; ſed tali, quo Chriſtianum aliquem ad Eccleſiam propugnandam ſua auctoritate armant. Semper igitur Petrus, & Petri ſucceſſor gladium Eccleſiæ non manu ſua, ſed ore, aut nutu ſuo vibrant.

CAP. XIII.

Cur Apoſtoli Neronem, aut Domitianum iure Imperij non priuarint:

NVmquam ego hanc quæſtionem, tam facilem, & expeditam attigiſſem, niſi Aclerus quidam, quouis, vt videtur, Catechumeno rudior, eam mihi velut rem alicuius momenti oppoſuiſſet. Nam quis ignorat, Petrum non Orbis terrarum, ſed Regni Cœlorum claues à Chriſto accepiſſe? Nec ei dictum eſt à Chriſto, paſce omnes, qui vſ-
Matth. 16. piam ſunt homines; ſed paſce agnos meos, &
Ioann.27. & oues meas. Nero, & Domitianus de Regno Cœlorum, aut de agnis, & ouibus Chriſti non fuerunt: itàque non eſt mirum, ſi Petrus, qui nullam in tyrrannos gentium poteſtatem accepit, iure Imperij eos non priuauit. De ijs enim, qui intus ſunt iudica-
1.Cor 5. uit, non de ijs, qui foris. Nam eos, qui foris ſunt, Dominus iudicabit. Quinimmò tam
Rom. 13. Petrus, quàm Paulus iuſſit omnem animam
1. Petr.2. poteſtatibus à Deo conſtitutis, & Regi tamquam præcellenti obedire. Nec in re tam perſpicua pluribus argumentis, aut etiam verbis opus erit. Dignior aliquantò eſt ea, quæ iam ſequitur interrogatio.

CAP. XIV.

Cur Apoſtoli cum haberent auctoritatem conſtituendi Regis politici, tamen Chriſtianum aliquem in Regem non euexerunt, qui gladios perſecutorum à fidelium ceruicibus arceret?

DVas ego cauſas potiſſimùm fuiſſe crediderim, cur Apoſtoli, aut eorum primi ſucceſſores, nullum Chriſtianum Regem conſtituerint.

Vnam, quòd ea res, tam difficilis, & periculoſa videbatur, vt à prudentibus viris tentari non deberet.

Alteram, quòd manifeſtè illis conſtitit, Deum voluiſſe, vt Eccleſia illis temporibus aliter adminiſtraretur.

Prima ratio, quis primùm neget, difficillimum factu fuiſſe; cùm nulla gens tota fidem Chriſti adhuc amplexa eſſet, ſed Chriſtiani, quamuis infiniti, & innumerabiles, tamen vbique infidelibus cõmixti habitarent, vnum aliquem Regem Chriſtianum agnoſcerent, & obſeruarent? Oportuerat ſingulos è domo, ciuitate, ac patria ſua emigraſſe, vt Cæſaris, qui tunc regnabat, iugo abiecto, alterius Chriſtiani Regis legibus obedirent. At quo migraſſent, cum Orbis iam totus, vel plenus incolarum eſſet, vel plenus eſſe putaretur? Quomodò autem fuiſſet Chriſtianus Rex ſine populo Chriſtiano? aut quomodò populus Chriſtianus fuiſſet, qui curiam, forum, tribunal, poſtremò ciuitatem, & regionem Chriſtianam non habuiſſet? Porrò nulla fuit regio, nulla ciuitas maior in Mundo, quæ abiectis idolis, vnicam Chriſti fidem coleret, ac confiteretur. Nec etiam licuit alios ad fidem Chriſti primùm ſuſcipiendam vi, & armis cogere: nec ſine iniuria infideles potuiſſent de ſedibus ſuis, quas gentium, aut ciuili iure occupaſsent, deturbari. Tanta igitur Chriſtiani Regis conſtituendi erat difficultas, vt meritò nihil tale cogitari, ne dum ſuſcipi debuerit.

Secunda ratio, cæterùm illa fortior etiam ratio eſt, quòd Deus noluit aliquem Chriſtianum Regem adhuc fieri, & creari. Primùm ne fides Chriſti putaretur humanis potiùs, quàm diuinis modis propagata. Mahometis enim, aut Otomanni alicuius eſt, qui alia via id facere non poteſt, ſolo gladio ſuam religionem aſſerere, & commendare. Chriſtus, qui auctor naturæ eſt, vim creaturæ ſuæ non facit, vt ei quidquam perſuadeat. Cuius enim vult, miſeretur; & quem vult, indurat, operans in omnibus ipſum velle, & Rom.9.
perficere pro ſua bona voluntate.

Deindè, ſtulta, & infirma Mundi elegit Deus, vt fortia, & ſagacia confunderet: tantum abeſt, vt Regibus Chriſtianis ei opus foret ad ſerendum, aut multiplicandum ſemen ſuum. Per duodecim homines facie tenùs abiectos, idiotas, ignobiles, totum Orbem 1. Cor. 1.
terrarum ſcientia Philoſophiæ inflatum, opibuſque turgidum, & potentia elatum ſibi paulatim ſubiecit, & ſubiugauit, vt non hominis, ſed Dei ſolius hoc opus eſſe cognoſceretur.

Præterea, expediebat, vt ad omnes gentes Chriſto ſubiugandas, Chriſtiani non vno aliquo in regno congregarentur, ſed per omnes prouincias diſpergerentur, partim enar- Tob.13.
raturi mirabilia Dei, partim tantò fœcun- Exod. 1.
diùs multiplicandi, quantò magis in terram Ioann.10.
cadentes mortificarentur.

Caput omnium eſt, quòd cum ſit duplex fortitudinis poteſtas, vna in faciendo res arduas animoſè: altera in patiendo res aduerſas conſtanter; cumque illa virtus, quæ in patiendo conſiſtit, magis excellat, propterea, quòd licèt iam corpore tenùs victa, & oppreſſa, etiam ad alienum arbitrium aſperrima, quæque, & moleſtiſſima ſuſtineat; non cedit tamen, ſed etiam tunc animo ſuperior, non modò rerum externarum voluptates negligit, ſed & ſui corporis, immò & ſenſibilis animæ dolorem, atque adeò diſſolutionem paruifacit, quin potiùs lucroſam, glorioſamque ſibi iudicat: meritò ſanè hanc fortitudinis partem, hanc patientiæ virtutem priùs ſibi, ac ſuis elegit Chriſtus, vt per eam contraria quæque vinceret, mundumque, vel repugnantem in admirationem ſuæ potentiæ conuerteret. Hinc Dei ſapientia maluit mo- Philip. 2.
riendo humiliter in Cruce, quàm glorioſè in acie dimicando Diabolum, & membra eius ſuperare. Hoc igitur verbum patientiæ Chriſti fuit, & prædicandum: & ſeculis aliquot exercendum, antequam Chriſtiani arma in fidei ſuæ defenſionem ſuſciperent. Ac ſanè ab initio Mundi primum victoriæ genus, in quo fides noſtra Deo conſecrata eſt, fuit patientia, & mors iuſti Abelis. A quo die num- Gen. 4.
quam in Eccleſia Dei fuerunt, nec vſque ad finem Mundi deerunt, quibus iniuſtè pro iu- 2. Tim.4.
ſtitia

ſtitia patientibus coronam iuſtitiæ reddat iu-
ſtus iudex. Hoc myſterium Apoſtoli, & pri-
mi Apoſtolorum ſucceſſores non ignorantes,
meritò à Chriſtiano Rege creando, itemque
ab armis pro fide ſumendis abſtinuerunt, non
quòd nonquam tale quippiam fieri, aut poſ-
ſet, aut deberet, ſed quòd nondùm eius rei
faciendæ tempus aduenerat.

CAP. XV.

Fidem Chriſtianam debuiſſe tandem etiam armis defendi, Regeſque & fideles conſtitui: & hæreticos priuari.

Eccl. 3. OMnia, inquit Salomon, tempus habent,
& ſuis ſpatijs tranſeunt vniuerſa ſub
Cœlo. Tempus occidendi, tempus ſanandi.
Ioann. 18. Cum Chriſtus Malchi perſecutoris aurem ſa-
nauit, erat tempus ſanandi: cum Petrus ver-
Act. 5. bo Ananiam occidit, erat tempus verbo ſal-
tem, & ſi nondùm gladio, occidendi.

Poſt aliquot verò ſecula futurum erat, vt
Chriſtiani fidem ſuam armis propugnantes,
tam Saracenos, quàm Turcos, & Mauros gla-
dio etiam occiderent, ſicut Heraclio Impe-
ratore, & deinceps factum eſt. Manichæi
aliquando bella Patriarcharum, & Prophe-
tarum (ſicut Proteſtantes nunc Pontificum)
in calumniam trahebant. Sed quod tunc Au-
guſtinus Manichæis, hoc idem nos Proteſtan-
Auguſt. cōtra Fauſtum. tibus nunc reſpondemus. Bella (inquit Au-
guſtinus) geſſerunt Patriarchæ, & Prophe-
tæ, vt tales quoque victorias appareat Dei
voluntate præſtari. Non reſiſtendo interfecti
ſunt Apoſtoli, vt potiorem docerent eſſe
victoriam, pro fide veritatis occidi. Hæc
Auguſtinus.

Cum igitur vtraque victoria ſit à Deo:
quis dicat Eccleſiæ Chriſti non eſſe permiſ-
ſum, vt illo etiam modo hoſtes ſuos vincat,
quo illos Patriarchæ olim; & prophetæ vice-
runt?

Hebr. 11. Cum enim Gedeon, Barach, Sampſon,
Iephte, Dauid, Samuel, per fidem vicerint
regna, operati ſint iuſtitiam, adepti ſint re-
promiſſiones; nec fieri poſſit, cum hoc ſit
tempus fidei, & gratiæ, quin liceat etiam
Chriſti miniſtris, ità per fidem regna vincere,
ſicut Samueli, aut Machabæis licuit; omni-
nò efficitur, vt etiam Pontifices Chriſtiani
poſſint bella indicere, & gerere, non ſuis qui-
dem manibus (quia hoc eorum ſpiritali, &
incruento miniſterio indignum videtur) ſed
tamen auctoritate ſua. Nam cum Petri fides
tanta fuerit, vt omnium Apoſtolorum, non
modò aliorum Chriſtianorum, fidem in ſe
Luc. 22. tam contineret, quàm confirmaret; (Chri-
ſtus enim ſatis oratum pro Apoſtolorum fide
putauit, cum pro vnius Petri fide oraſſet) nul-
lus vtique fidei actus in vllo Chriſtiano eſſe
poteſt, quem Petri fides efficaciter exercere
non queat. Eſt autem actus fidei regna per
Hebr. 11. fidem vincere, hoſteſque Dei, & Eccleſiæ
debellare. Hunc igitur fidei actum poterit
Petrus, Petrique ſucceſſor maximè omnium
exercere, cum tempus ad eam rem opportu-
num occurrit. Nec vllo modo id aut meliùs
aut decentiùs fit, quàm cum vexillum Chri-
ſti erigitur, & dux Chriſtianus à Vicario
Chriſti conſtituitur, qui prælietur prælia
Domini. Quod vtique magis, magiſque ab
octingenteſimo Incarnationis Dominicæ an-
no, & deinceps factum eſſe legimus. Nunc
ſatis ſit oſtendiſſe, vt primas fuiſſe Chriſtianæ
patientiæ partes, ità neceſſe nullas bellicæ
victoriæ laudes, quas Petro, aut Petri ſucceſ-
ſoribus negare non debemus, cum Chriſtus
eos iuſſerit paſcere agnos, & oues ſuas, quæ Ioann. 21.
interdùm præclaro belli duce ad hoſtes Cru-
cis Chriſti deturbandos inſtituto ſaluberrimè
paſcuntur.

CAP. XVI.

Apoſtolos priuaſſe Imperatores adhuc infideles omni ſpontanea Chriſtianorum obedientia etiam in ſecularibus cauſis.

QVamquam Apoſtoli nullam in ipſos Im-
peratores adhuc infideles poteſtatem
acceperant, & ideò non poterant eos, aut
Imperio ipſo, aut illa Chriſtianorum obe-
dientia, quæ eis ratione Imperij neceſſariò
debebatur, priuare; tamen priuarunt eoſdem
omni ſpontanea Chriſtianorum obedientia, 1. Cor. 6.
non tantùm in ſacris, verùm etiam in ſæcula-
ribus cauſis. Paulus enim obiurgat Corin-
thios, quòd litigarent apud iniquos, & infi-
deles; cum potiùs debuerint Chriſtianos
etiam contemptibiles ad iudicandum conſti-
tuere, quàm ſecularia iudicia apud paganos
exercere.

Hinc primùm conſtat, Apoſtolos, & Epi-
ſcopos accepiſſe à Chriſto poteſtatem conſti-
tuendi res politicas in Eccleſia, cuiuſmodi
ſunt ſæcularia iudicia. Nec enim Paulus fal-
cem ſuam in meſſem alienam miſiſſet, aut
quicquam de his rebus locutus eſſet, ſi rerum
politicarum ratio ab ipſius vocatione aliena
eſſet. Immò ſic argumentatur Apoſtolus:
Neſcitis, quia Angelos iudicabimus? quan-
tò magis ſæcularia? Quaſi dicat, cui maiora Ibidem.
quædam abſolutè commiſſa ſunt, illi etiam
minora eiuſdem ciuitatis negotia commiſſa
intelliguntur: Sed iudicia ſpiritalia commit-
tuntur Chriſtianis, vt videlicet Angelos, apo-
ſtatas, & præuaricatores iudicent: multò
igitur magis ijdem Chriſtiani poſſunt de mi-
nimis, hoc eſt, de ſecularibus eiuſdem Eccle-
ſiæ negotijs iudicare. Si cæteri Chriſtiani,
hoc poſſunt facere, an & Epiſcopi non poſ-
ſunt? Deindè, ſi Paulus Chriſtianos, in quos
poteſtatem accepit, quantùm poteſt à foro,
& curia prophana reuocat; nonnè multos ma-
gis id faceret, ſi & ipſe Chriſtianorum Rex
fuiſſet Chriſtianus? Tunc enim qua poteſta-
te Chriſtianos vetat apud infideles litigare,
eadem vetaret Cæſarem Chriſtianum, ſed hæ-
reticum, iudicandi auctoritatem exercere, vt
hinc facilè perſpicias, idem fuiſſe facturos
Apoſtolos erga Imperatores hæreticos, quod
nunc illorum ſucceſſores faciunt, ſi tempora,
& cauſæ eædem fuiſſent. Nunc autem, vt

idola non ſubuerterunt Apcſroli, quoniam ea non erant ipſorum poteſrati tunc ſubiecta, quæ tamen poſreri eorum magna cum laude ex omnibus templis, & lucis proiecerunt: ſic etiam Imperatores impios iure imperij non priuarunt, quoniam eos paſcendi mandatum adhuc non acceperant. At poſtquam Imperatores facti ſunt Chriſriani, iam ab Epiſcopis, & paſcuntur, vt oues, & ſegregantur, vt hædi, & non modò præeſse Chriſrianis, verùm, & intereſsè Chriſtianorum etiam ciuilibus colloquijs, & commercijs prohibentur, ne modicum fermenti totam maſsam corrumpat. Galat. 5. Nunc admonere tantùm volui, Apoſtolos omnem, quam poterant obedientiam Imperatoribus Ethnicis ſubtraxiſse: Vt indè cernamus, omnem omninò ſubtracturos fuiſſe, ſi ijdem Imperatores de ouili, & domo Chriſri extitiſsent. Noo enim carebant Apoſtoli poteſtate, ad quicquam ligandum, aut ſoluendum, quod intrà Ecclesiam fuiſset, verùm Imperatores nondùm erant intrà Eccleſiam; ſed tamen ipſam Eccleſiam prohibuerunt Apoſtoli apud Cæſarianos iudices ſponte ſua ſe ſiſtere, aut litem aliquam vltrò apud illos mouere. Matth. 18.

DE

DE CLAVE DAVID
LIBER TERTIVS.

CAPVT PRIMVM.

Poſita ipſorum Proteſtantium etiam falſa Euangelij interpretatione; tamen inde conuinci vnum aliquem Petro in Primatu ſuccedere debere.

CVM petra, ſuper quam ædificatur Eccleſia, non minùs, & perpetua, & firma neceſſariò ſit, quàm Eccleſia ipſa; meritò ante omnia explicaudum eſt, quænam ſie illa petra, de qua Petro Chriſtus
Matth. 16. dixie: Tu es Petrus, & ſuper hane petram ædificabo Eccleſiam meam.

Carholici credunr, hane petram eſſe perſonam Petri, & ſueceſſorum eius dono Dei ad hoc munus vocaram, & aſſumpram, ve Chriſtum, & vetam Chriſti fidem ad ædificationem Eccleſiæ ſemper, cùm opus eſt, in medio fratrum confiteatur. Videne enim, Chriſtum Perri perſonam verbo ſuæ promiſſionis anre omnia præueniſſe, & præparaſſe, dum ad eum nondùm confitenrem diceret, Tu es filius Ionæ, tu vocaberis Cephas, hoc eſt, ru-
Ioan. 1. pes. Iam vt hoc promiſſionis verbum ritè, arque ordine compleatur, Chriſtus intertogat Apoſtolos, quem dicant eſſe filium homi-
nis? Deus reuelae potiſſimùm vni Petro
Matth. 16. Chriſti diuinitatem. Hæc reuelatio parie cæleſtem illam Perri confeſſionem: Petri confeſſio parit hanc aliam promiſſionem, quam Chriſtus dixit, Tu es Petrus, & ſuper hanc perram ædificabo Eccleſiam meam. Hæc igitur promiſſio, & in Petri perſona primùm fundara, & ad Petri perſonam ad poſtremum facta; ſemper in perſona Petri, aur ſueceſſorum eius impletur.

At Proteſtautes non à perſona Petri (vt deberent, quia & Chriſtus irà fecit) verùm ab eo, quod in Petri confeſſione vltimum fuit, primum inchoantes, modò aiunt, Chriſtum eſſe hanc petram, modò fidem, & confeſſionem diuinitatis Chriſti. Quod vt irà ſe habere illis donemus; nonnè tamen ſiue Chriſts à Petroità confeſſus, ſeu Petri fides, & couſeſſio hæc petra dicatur, talis neceſſariò intelligenda eſt hæc petra in æternum manere, qualis tunc fuit in ore Petri? Nam & ſoli Petro Deus hoc myſterium reuelauit, & ſolus Petrus tunc eſt confeſſus, & ſoli Petro dixie Chriſtus. Tu es Petrus. Itàque etiam ſi dieatur ſupee hane perram, ideſt, ſuper Chriſtum, quem tu Perre confeſſus es, ædificabo Eccleſiam meam: tamen petra hæc ſuper quam ædificarur Eccleſia, non eſt iam ſolus Chriſtus, ſed Chriſtus à Petto confeſſus, & prædicatus.

Super Chriſtum igitur à Petro confeſſum, & prædicatum, ſuper Chriſtum non ab Ario, non à Neſtorio, non à Berengario, non à Wicleſo, non à Luthero, non à Caluino, ſed à Petro, & Principis Apoſtolorum ſucceſſore annunciatum, ædificatur Eceleſia. Quemadmodùm enim Chriſtus ab vno, eoque primo Apoſtolo, in medio Apoſtolorum om-
nium ſemel annuneiarur; tune fuir hæc perra, Matth 16.
ſuper quam ædificata eſt Eceleſia: ſic idem Chriſtus ab vno ſemper, eoque primo Paſtore io medio paſtorum omnium annunciatus, in æternum manee hæc petra, ſuper quam
ædificatur Eccleſia: Nam Ieſus Chriſtus heri, Hebr. 13.
& hodiè, ipſe, & in ſecula. Nec enim petram ſemel in fundamento poſitam iterùm tollit,
& mutat, ſed quo fundamenti genere ædifi- Luc. 14.
cationem ſuam inchoauit, eodem ipſo ædificarionem ſuam complebit: quia Dei ſapientia eſt, quæ nihil inconſultò facit, & Dei fortitudo, cui nihil reſiſtere poreſt.

Eodem modo cùm Chriſtus vnum Pe-
etrum iuſſit agnos, & oues ſuas paſcere; Pro- Ioan. 21.
teſtantes dicunt, hoe Chriſti præceptum ad omnes ex æquo Apoſtolos, quorum perſonas Petrus ſuſtinuit, pertinuiſſe: falsò quidem illi; quoniam Chriſtus iam runc Petrum à reliquis ſegregauit dicens, Amas me plus his? paſce oues meas. Sed demus ad omnes ex æquo Apoſtolos, atque etiam Epiſcopos hoc verbum ſpectare; ramen vt tunc Petrus, ad quem ſolum neeeſſe eſt fateantur, Chriſtum eſſe locurum, ex inſtitutione Chriſti reliquorum omnium perſonas, illis etiam præſentibus, ſuſtinuit: ſic maneat ſemper vnus aliquis paſtor ex inſtitutione Chriſti reliquorum paſtorum perſonas ſuſtinens, ad quem hoc præcipuè diearur, quod ad omnes alios paſtores ex æquo pertineat.

Nam quis negee ità ſemper progredi debere ædificationem Eceleſiæ, vt primùm ab

au-

auctore Chriſto inſtituta eſt? Soli Petro ante alios omnes Apoſtolos, iiſdem etiam præſentibus, claues Regni Cœlorum promittuntur. Matth. 16. At & alij, inquis, ex æquo ligant, & ſoluunt. Demus ita eſſe: nonne tamen vnus in Eccleſia ſemper manere debet, qui ſeruet eas claues ſolus, ſicut eas Petrus accepit ſolus, etiam ſi earundem vſus ad omnes paſtores ex æquo ſpectaret? Nam ſi fruſtrà vni ab initio à Dei ſapientia commendari non potuerunt, fruſtrà conantur Proteſtantes ab vnius cuſtodia eas auellere.

Matth. 10. Primus Apoſtolorum Petrus, inquit Matthæus, fatemur, inquiunt Proteſtantes, Petrum eſſe primum enumerationis ordine, ſed non officij dignitate. Demus & hoc ita eſſe: tamen cùm omnia, quæ ſcripta ſunt, ad noRom. 16. ſtram doctrinam ſcripta ſint; maneat ſemper in Eccleſia vnus aliquis Apoſtolorum ſucceſſor, qui ſaltem enumerationis ordine ſit paſtorum primus. Si negatur primatus dignitatis, ſaltem maneat primatus ordinis, quem ipſi Proteſtantes inter primos illos Eccleſiæ Paſtores extitiſſe non negant. Cur aliquid omninò, quod Chriſtum inſtituiſſe concedunt, Eccleſiæ Chriſti auferunt, præſertim cùm id, quod infimum, & minimum Dei eſt, 1. Cor. 1. maius ſit omni humana potentia, & robore?

Luc. 22. Pro fide Petri Chriſtus rogauit, vt ea non deficeret: ille autem conuerſus, fratres ſuos confirmaret. Quocunque ſenſu hęc verba interpretentur Proteſtantes; dent nobis ſaltem in eodem ſenſu alium Paſtorem, qui ſit inſtar vnius Petri vnus, cuius fides non deficiat, ſed fratres ſuos confirmet.

Centur. 1, lib. 2. Poſtremò ipſi Magdeburgenſes dicunt, Petrum inter Apoſtolos viſum fuiſſe præcipuum, ſiue propter inſignia dona, ſeu propter ætatem. Cum ergo petra, vnde Petrus cognominatus eſt, moueri loco illo non poſſit, in quo Chriſtus eam collocauit, ſemper maneat in Eccleſia vnus aliquis, ſiue propter inſignia dona, ſeu propter ætatem præcipuus, modò id ipſum, quod Proteſtantes in petra præceſſiſſe concedunt, ab Eccleſia, quæ ſuper illam petram ædificatur, non tollant.

Poſita ergo ipſorum Proteſtantium interpretatione; tamen id efficitur etiam ex illorum conceſſione, vt debeat aliquis vnus Petro ſuccedere in eo loco, & ordine, quem Petrus ex inſtitutione Chriſti accepit. Iam talem vnum quocunque modo, vel claues Regni Cœlorum ſeruantem, vel fidem Chriſti confitentem, vel fratres confirmantem, vel agnos, & oues paſcentem, vel inter paſtores primum, Proteſtantes non habent; Catholici verò habent: Proteſtantes igitur etiam ex ſuæ interpretationis vi non poſſunt eſſe illa Chriſti Eccleſia, quæ ſuper hanc petram, de qua Chriſtus ad Petrum locutus eſt, ædificatur.

CAP. II.

Quàm parùm docti ſint, qui Petrum negant Romæ ſediſſe.

SI penitùs abnegarem, inquit Aclerus, vnquam Romæ ſediſſe Apoſtolum (quod multi fecerunt homines doctiſſimi) faceſſerem ſibi credo negotium.

Reſponſio.

Quos tandem vocat iſte doctiſſimos homines? vtrùm eos, qui nihil ipſi legerunt, nihil ab altero audiuerunt? At quomodo ſunt docti, quos neque muti, neque loquentes Magiſtri quicquam docuerunt? An igitur eos vocat doctos, qui legerunt quidem, & audiuerunt multa, ſed omnia illa quamquam à ſacris Doctoribus, & grauiſſimis viris prodita contemnunt, & pro vaniſſimis habent? At hos ego infortunatos potiùs dixerim, quàm doctos; propterea quòd cum in ea re multùm operæ poſuerint, tamen nihil didicerunt. Diſcentem enim oportet magiſtro ſuo credere: quod qui non facit, dediſcenti, quàm diſcenti ſimilior eſt.

Qui verò dediſcit, quod audit, non ſanè diſcit, atque ideò, nec omninò quidem eſt doctus, tantum abeſt, vt ſit doctiſſimus. Dicis tu quidem, te ſex Monarchię meę libros attentiſſima cogitatione percurriſſe; quod te vera ſi feciſti, quantam illic auctoritatum ſeriem ex omni antiquitate repetitam vidiſti, qua demonſtratum eſt Romæ ſediſſe Petrum? fundaſſe illam Eccleſiam? Cathedram illic poſuiſſe? & quidem Cathedram vnam primam, & ſingularem, in qua vna, vnitas ab omnibus ſeruaretur? Homines igitur illi doctiſſimi, de quibus agis, aut Clementis, Irenæi, Hegeſippi, Tertulliani, Origenis, Cypriani, Euſebij, Athanaſij, Ambroſij, Optati, Hieronymi, Auguſtini, Chryſoſtomi, Oroſij, Proſperi, & aliorum Patrum, atque hiſtoricorum libros, qui Petrum Romæ ſediſſe, conteſtantur, non viderunt: (& parùm docti ſunt, qui tantos magiſtros numquam guſtarunt) aut viderunt quidem, ſed illorum nullam habuerunt rationem, & ne ſic quidem docti habendi ſunt, qui tam conſentientem paſtorum, Doctorumque Eccleſiæ vocem contemnunt.

Quid enim? cùm Paulus dixerit, Deum Ephes. 4. Eccleſiæ ſuæ dediſſe Apoſtolos, Euangeliſtas, Prophetas, Paſtores, & Doctores; Tu ne alios præſtantiores habes Eccleſiæ Paſtores, & Doctores, quàm ego nunc nominaui? Nullos enim habere non potes, cum Deus Eccleſiæ ſuæ (cuius tu membrum videri vis) Paſtores, & Doctores dederit. Aliquos ergo, aut iſtis præſtantiores, aut etiam pares ſi hahabes, qui Romæ non ſediſſe Petrum teſtantur; profer iam tandem in lucem, quod Orbis terrarum nondùm vſpiam vidit, nondùm, vel fando audiuit. Sin quos proferas, nullos habes, deſine doctiſſimorum hominum inaniſſimas vmbras nobis opponere, quibus tu

iam-

iamdiù nimiùm deluderis in te non ludicra, ſed omnium maximè ſeria.

Dices fortè, illos tuos doctiſſimos homines Apoſtolorum auctoritate adduci, vt credant, Petrum Romæ non ſediſſe: Et vbi hoc ſcriptum reliquerunt Apoſtoli? quæ ſunt iſtæ literæ ſanctæ, quas nemo præter tuos doctiſſimos magiſtros vidit? ſcio nonnullos proferre illa Pauli ad Galatas verba, quibus ait, ſe poſt annos quatuordecim aſcendiſſe Hieroſolymam, & contuliſſe Euangelium, quod prædicauit, cum Petro. Sed quid? an propterea, quòd Petrus poſt annos quatuordecim à conuerſione Pauli, Hieroſolymis fuit, numquam Romæ ſedit? quæ nam hæc eſt concluſio, aut argumentatio? Gal. 2.

Alij vrgent, quòd Petrus circumciſionis Apoſtolus fuit, quaſi verò, & Romæ circumciſionis Apoſtolum agere non potuerit, præſertim cùm Iacobum Iudæis, qui Hieroſolymis viuebant, Epiſcopum conſecraſſet? Immò, propterea voluit Deus Petrum Romæ ſedere, vt ſcirent fideles Iudæi paſtorem ſuum non Hieroſolymis iuter Iudæos quærendum eſſe, vt olim; ſed inter gentes, ſicut prædictum erat: Quicumque remaneret de domo Heli, hoc eſt, de ſtirpe Sacerdotali Iudæorum, veniret, vt oraretur pro eo, & peteret buccellam panis, partemque vnam ſacerdotalem; quo ſignificatum eſt, Iudæos, atque adeò Sacerdotes Iudæorum ſubijciendos eſſe miniſtris Chriſti, etiam ſi de Tribu Leuitica non eſſent, & ex eorum manibus ſacramenta fidei perecepturos. Ibid. Deuter. 17. 1. Reg. 2.

Et quid præclarius, quàm vt cum Chriſtus totum Orbem terrarum per Apoſtolos ſuos domare, ſuauique iugo ſuo ſubijcere vellet, caput gentium Romam, per caput Apoſtolorum Petrum, aggrederetur? Cathedramque eius ibi figeret, vnde numquam moueri poſſet, donec omnia membra ſua in vnum ouile ſub paſtore vno per Dei gratiam congregaſſet, vt ſic totus Iſrael ſaluus fieret? Deinde ſi ex ſacris literis euidenter deduci poteſt, Petrum Romæ non ſediſſe; nonne ea opinio omnes antiquos Patres, tam Græcos, quàm Latinos, tum erroris, tum imperitiæ conuincit, qui non modò hanc deductionem non viderunt, ſed planè contrarium vna voce omnes, nemine pruſùs excepto, docuerunt? Ergo vt illos pro doctiſſimis habeamus, quos Aclerus nunc laudat, omnes Eccleſiæ Chriſti Paſtores, & Doctores, quos Paulus nobis commendat, inſcitiæ, & mendacij accuſabimus? hoc quidem non eſt, Eccleſiam ædificare, vt ſacri Doctores ſolent, ſed demoliri, vt hæreticorum moris eſſe, Tertullianus iam olim tradidit. Marc. 16. Ioann. 10. Rom. 11. In lib. de præſcrip.

Præterea, qui fit, quòd iſti homines doctiſſimi (quibus auſim dicere nihil vmquam fuiſſe indoctius) non perpenderunt ea beati Petri verba, quibus ait: Salutat vos Eccleſia, quæ eſt in Babylone collecta, & Marcus filius meus? Quęnam fuit iſta Babylon? Reſpondit Papias Apoſtolorum Diſcipulus, vrbem Romam fuiſſe, vnde Petrus hanc epiſtolam ſcripſit. Papiæ aſſipulantur Euſebius, Hieronymus, Oecumenius, & alij permulti. Conuenit etiam huic ſententiæ res ipſa, cum ibidem Petrus Marcum nominet, quem Romæ Euangelium ſuum ſcripſiſſe inter omnes conſtat. 1. Pet. 5. Euſeb. hiſt. l. 2. c. 14.

Si ergo Romæ fuit Petrus, idque in ſacris literis proditum eſt: ibique cum ſediſſe omnes ad vnum Paſtores, & Doctores Eccleſiæ tam certò crediderunt, vt propterea primas in omnibus Romano Pontifici deferrent, eiuſque Eccleſiam, & principalem, & Cathedram vnam, & Petri Sedem, & Sedem Apoſtolicam, & petram fidei, & petram Eccleſiæ, & caput omnium Eccleſiarum appellarent; qualis eſt horum homuncionum doctrina, qui nunc tot ſanctis Doctoribus, & Spiritui ſancto in illis loquenti reſiſtunt? Sed quid ſi eis daremus, Petrum numquam ſediſſe Romæ, an propterea Pontifex Romanus Petri ſucceſſor eſſe non poteſt? Quemadmodùm enim licèt Chriſtus Romæ dum in terris ageret, non fuit; tamen Vicarium Chriſti Romæ ſedere credimus: eodem etiam modo potuit ſucceſſor Petri ſediſſe Romæ, quamquam Petrus ipſe illic non ſediſſet.

Talis enim, & tam neceſſaria erat Petri poteſtas in omnes Chriſti agnos, atque oues, vt vbicumque ſediſſet, ſucceſſorem aliquem omninò habere deberet; ſiue is Romæ, ſiue alibi Sedem eligeret. Ioann. 21. In orat. de baſil. trad.

Sic autem diuinitùs (atteſtante Ambroſio) comparatum eſt, vt is Romæ Sedem collocaret: Quod ità factum fuiſſe in Monarchia ſatis, ſuperque demonſtrauimus. Non ergo Romani Pontificis primatum id tollit, etiam ſi verum eſſet, quod iſte ex ſuis indoctiſſimis magiſtris hauſit, Romæ videlicet numquam ſediſſe Petrum.

CAP. III.

De inſtitutione Romanæ Cathedræ.

TAndem Aclerus concedit, & Romæ fuiſſe Petrum, & Eccleſiam Romæ inſtituiſſe: verùm nou talem, quæ cęteris omnibus Eccleſijs præeſſe deberet; nam ex quibus, inquit, archiuis hoc mandatum proferunt? Rom. arch. c. 8.

Reſponſio.

Opera Dei, ſacris literis, & Eccleſiaſticis monumentis conſignata, quid aliud, quàm cęleſtia quædam ſunt Archiuia? Ipſa opera, inquit Chriſtus, quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me. Dicturus ergo de illis operibus Dei, quæ ad rem, de qua iam agitur, ſpectant: quorum alia inſtituerunt Romanæ Eccleſiæ primatum, alia iam inſtitutum manifeſtarunt; vtraque verò eiuſdem primatus ſigna, & teſtimonia dici poſſunt: agam primùm de inſtitutione Romanæ Cathedræ; deindè autem de profectu eius, ac fide Chriſti per illam propagata; tùm autem de vnitate Eccleſiæ per illam nutrita, & conſeruata: demùm verò de claritate fidei Romanæ. Ac de his quidem in hoc tertio libro. Ioann. 5. & 10.

In quarto agam præterea de auctoritate Romanæ Eccleſiæ, tam in Concilia Oecumenica, quàm in Epiſcopos extra Concilia: de perſecutionibus, quas iuuicta ſuſtinuit, de accepto diuinitùs, ſeu acquiſito vrbis Romæ dominio, de eo, quod, & Petrus ipſi Abrahæ, & ſucceſſores Petri ſemini Abrahæ reſpondeant:

deant: poſtremò de gentium à fide, & primatu Romano defectione.

Primum Dei opus in admirabiliter præparando Romanæ Cathedræ loco verſatur.

Poſtquam filij Noe apud turrim Babel partim ad luendam ſuperbiæ ſuæ pœnam; partim ad terram habitatoribus replendam (Gen. 10. & 11.) in tot ferè gentes, & linguas, quot erant capita familiarum, diſperſi fuiſſent; Deus ex infinita miſericordia ſua, eam corporum diſperſionem ad maiorem animorum vnitatem in Chriſto conſummandam reuocaturus, ità rem interim diſpoſuit, & paulatim præparauit, vt primùm diſperſas familias augeret, deindè auctas rursùs ad vnum vicum reuocaret; mox plures vicos in vnam ciuitatem, plures autem ciuitates in vnam prouinciam; plures prouincias in vnum regnum; plura denique regna in vnam colligeret Monarchiam. Ac ne vna quidem Monarchia contentus, aliam alij, in alia, atque alia Orbis parte eò (1. Tim. 2.) vſque voluit ſuccedere, donec veniret ille vnus mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus, qui omnes omnium vnitates intra ſe complectens, filios Dei antea diſperſos iam à quatuor ventis euocatos in vnum ouile ſuum congregaret.

Hinc ad Regem Babyloniæ, qui reliquias (Dan. 2.) Monarchiæ Aſſyriorum tunc adminiſtrabat, Daniel dixit: Tu rex regum es: & Deus Cæli regnum, & imperium dedit tibi, & ſub ditione tua vniuerſa conſtituit. Et poſt te conſurget regnum aliud minùs te; & regnum terrium, quod imperabit vniuerſæ terræ, & regnum quartum, quod comminuet, & conteret omnia hæc. Iam quia hæc omnia regna Chriſti propoſito præparabantur, proptereà ibidem ſubiungit: In diebus regnorum illorum ſuſcitabit Deus Cœli regnum, quod in æternum non diſſipabitur, & regnum eius alteri populo non tradetur: comminuet autem, & conſumet vniuerſa regna hæc, & ipſum ſtabit in æternum.

Adde his, quòd hæc omnia regna veram vnius Dei fidem aliquo modo prædicarunt, & confeſſa ſunt, vt cui potiſſimùm inſtitutio deſeruirent, ea ex re manifeſtum fieret.

Verè Deus veſter (inquit Nabuchodonoſor Babyloniæ rex ad Danielem) Deus deorum eſt, & Dominus regum, poteſtas Dei, poteſtas ſempiterna. (Dan. 2. & 4.)

(Dan. 6.) Darius quoque rex Medorum ſcripſit decretum, vt in vniuerſo imperio eius pauerent Deum Danielis, cuius regnum non diſſipabitur.

(2. Parali. 36.) Cyrus Perſarum rex, etiam per ſcripturam in vniuerſo regno prædicauit, Dominum Deum Cœli dediſſe ei omnia regna terræ, & iuſſiſſe, vt ædificaret ei domum in Ieruſalem. (Ioſeph. 2.)

Alexander Magnus, & Iaddum Pontificem Dei adorauit, & in templo Hieroſolymitano hoſtias Deo immolauit.

(In cod. Iuſt. lib. 1. de Trin.) Romam verò Imperatores non ſolùm Dei nomen, ſed & Chriſti fidem; nec eam à quolibet prædicatam, ſed Romanis à Petro traditam, publico edicto in ſcriptum relato, & in totum Orbem terrarum emiſſo, palàm apertèque confeſſi ſunt, finis ergo regnorum omnium Chriſti fides, & Eccleſiæ ipſius regnum eſt, quibus ità conſtitutis, progrediamur in eo, quod inſtituimus.

Ex omnibus politicis Monarchijs, cum (Dan. 2.) Romana, quæ inſtar ferri alia omnia domat, maxima, & potentiſſima fuerit, eius autem Monarchiæ caput vrbs Roma extiterit, vtique in vna vrbe Roma totus terrarum Orbis ad tantam voluntatem, & animorum coniunctionem rediſſe videtur, quanta per externam rerum humanarum adminiſtrationem obtineri potuit, aut etiam ſperari. Iam enim omnium oculi ſtudia, officia in vnius Romæ, vel obſeruantiam, vel ſocietatem, vel admirationem conuertebantur. Iam ipſa Iudæa, quam Deus ex toto mundo velut quoddam peculium ſibi elegerat, in prouinciæ formam redacta, regebatur à Præſide, quem vrbs Roma deſignaſſet. Et vt nihil ad tam latè patentis imperij perfectionem deeſſet, datus eſt huic ſummæ vrbi vnus Monarcha Cæſar Octauius, & huic vni Monarchæ nouum Auguſti nomen, & huic primo Auguſto Cæſari diuturnus quinquaginta ſex annorum principatus, & huic diuturno principatui ſumma pax, & tranquillitas.

Ecce autem ne verus finis ad quem hæc omnia ſpectabant, diutiùs lateret, ſub hoc imperij Romani ſtatu, cum iam exijſſet edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus Orbis, eaque deſcriptio prima fieret à (Luc. 2.) Præſide Syriæ Cyrino; Chriſtus Cæli, ac terræ Dominus non ſolùm in Iudæa, vt homo naſci; verùm etiam in cenſum eius vrbis, quæ Orbi vniuerſo præerat, aut vnà cum parentibus ſuis, aut ſaltem ipſe per illos, velut ciuis Romanus, referri voluit, ac deſcribi. Vnde (Ioan. 19.) etiam apud tribunal Pilati faſſus eſt datum Pilato eſſe deſuper, vt poteſtatem in ipſum haberet. Sicut autem modicum fermenti, (Matt. 13.) quod mulier in tribus farinæ ſatis abſcondit, totam maſſam fermentat, & modicus ignis magnam ſyluam incendit, proptereà, quòd (Iacob. 3.) fortior quæque res imbecilliorem, cui admiſcetur, ad ſe trahit, & ſibi ſimilem reddit: ſic & Chriſtus, cum ſit Dei virtus, & potentia, in Romano imperio ſemèl abſconditus, & commixtus, totum imperium ad ſe (1. Cor. 1.) trahit, atque in odorem, & ſaporem ſuum conuertit.

Hinc autem facilè intelligi poteſt, cur Deus antea feciſſet Vrbem Romam, & omnium idolorum commune receptaculum, & omnium linguarum, atque gentium communem patriam, & totius mundi altiſſimam ſpeculam. Fecit eam omnium idolorum commune receptaculum, vt cum omnis error, & ſuperſtitio in vnum locum aggregata eſſet, leui poſteà brachio ibidem deleri, ac velut vno ictu amputari poſſet. Fecit eam omnium linguarum, atque gentium communem patriam, vt cum fides Chriſtiana Vrbi Romæ ſemel reuelata eſſet, non poſt annos deindè ſeptingentos (quot ferè Vrbs Roma peregit, antequam ad Imperij ſui culmen perueniret) ſed ſtatim eadem voce, eodemque labore, omnibus Romani Orbis gentibus, atque lin-

linguis eadem fides promulgaretur.

Poſtremò, Deus fecit Romam totius mundi altiſſimam ſpeculam, vt cum eam ſpeculani fides Chriſti, & Euangelium occupaſſet, Eſa. 2. iam ſecundùm Eſaiæ prophetiam, mons domus Domini ſciretur in vertice montium præparatus, & eleuatus ſuper colles, vt fluereot ad eum omnes gentes. Quemadmodùm Pſalm. 71. enim per domum Domini Eccleſia Chriſti: ſic per colles intelliguntur minores, per montes autem maiores principatus, & per montium verticem imperium Romanum, quo nihil in rebus huius mundi ſublimius vmquam extitic.

Cùm igitur, vt Euſebius, Auguſtinus, Eucherius, Leo, Procopius, alijque ſancti Patres docuerunt, quicquid Romano acceſſit imperio, Chriſti aduentui præparatum, & diffundendæ fidei prouiſum fuerit: primum opus Dei circa Eccleſiæ Romanæ Primatum, hoc meritò fuiſſe ponimus, quòd huic ſoli Eccleſiæ, tam inſignem, tam excelſum, tam fortem locum præparauit. Vnde etiam Ro- Lib. 2. contra Iouin. ma (vt beatus Hieronymus docet) ſublimitatis nomen eſt apud Hebræos, fortitudinis apud Græcos. Si alia nulla Eccleſia in talis Monarchiæ ſummo vertice collocatur, in hac ſaltem parte Romana Eccleſia omnium prima eſt. Iam cum hoc ipſum opus Dei ſit, vtique negari non poteſt, quin Deus aliquem Primatum Eccleſiæ Romanæ contulerit. Quòd ſi vnus ſummus Pontifex in Eccleſia Chriſti non eſſet, minor vnitas (quoad externum, & id quidem inter homines potentiſſimum vnius rectoris vinculum) in Eccleſia Chriſti foret, quàm in Romano imperio fuit.

Ergo ne terrena vnitas aliquem concordiæ nexum habebit, quem eundem cæleſtis non habebit? Rursùs, ſi cum vnus eſſet ſummus Chriſtianorum Pontifex, is tamen Romanus non eſſet, ſed alio in loco præſidens, alio nomine diceretur: nec mons domus Domini iuxtà Eſaiæ prophetiam ſuiſſet in vertice montium, ſed potiùs in colle aliquo præparatus: & vnitas imperij Romani, quæ inſtituta erat, vt Eccleſiæ Chriſti ſubſeruiret, potiùs æmula Eccleſiæ futura erat, quàm adminiſtra. De loci autem, & ſitus Eccleſiæ Romanæ prærogatiua hæc ſint ſatis.

Secundum Dei opus circa inſtituendum Eccleſiæ Romanæ Primatum.

Sequitur nunc, vt modum conſideremus, quo Deus huic vertici montium Vrbi Romæ fidem Chriſtianam impoſuit. Cùm Chriſtus duodecim Apoſtolos, & ſeptuaginta duos haberet Diſcipulos, non aliquem ex Diſcipulis, ac neque ex minoribus aliquem Apoſtolis ad conſtituendam Romanam Eccleſiam miſit, verùm, vt Euſebij verbis vtar, fortem, præpotentem, ac reliquorum omnium propter virtutis amplitudinem facilè Principem Petrum. Atque exindè, inquit Oroſius, Chriſtiani Romæ eſſe cœperunt.

Nunc ſi hoc ſecundum opus Dei cum illo priore coniungamus, liquidò apparebit, quàm aptè, & pulchrè Deus Petrum Apoſtolorum Principem, velut ſpiritalem lucernam Chriſtianorum maximè omnium accenſam, & inflammatam, non ſub modio poſuerit, ſed in maximo illo, & eminentiſſimo Vrbis Ro- Matth. 5. mæ candelabro erexerit, vt indè luceret omnibus, qui in domo Chriſti ſunt: & quia dum in hoc ſeculo Chriſti oues manent, neceſſariò etiam paſtor eiuſmodi, ex officio plus alijs oues diligens (qualem Chriſtus Petrum ab initio inſtituit) in hoc eodem ſeculo manere Ioan. 21. debet; cui tamquam primæ inter Apoſtolorum ſucceſſores lucernæ, primum Eccleſiæ Chriſti candelabrum aptiſſimè reſpondeat; efficitur, vt ſingularis illa, & primaria Petri ſucceſſio non alibi, quàm in Eccleſia Romana ſemper ſtabilienda fuerit, & conſeruanda.

Tertium Dei opus circa inſtituendum Eccleſiæ Romanæ primatum.

Vt Eccleſia Romana non ſolùm haberet Primatum, ſed teſtatiùs eum, & abundantiùs haberet, Chriſtus Ieſus cum antea præcepiſſet Paulo, vt quia eum in gentes longè miſſurus Act. 22. erat, velociter ex Ieruſalem exiret; poſteà Act. 23. etiam adiunxit, Sicut teſtificatus es de me in Ieruſalem, ſic te oportet, & Romæ teſtificari.

Quid? nonne Paulus tum antea de Chri- Galat. 1. ſto pluribus in locis teſtificatus eſt, nempè in 2. Cor. 11. Arabia ſtatim poſt baptiſmum ſuum, in Da- 1. Cor. 15. maſco, vbi per murum in ſporta dimitteba- Act. 24. 25. & 26. tur; in Epheſo, quando ad beſtias pugnabat; Act. 23. tum poſt hanc reuelationem inſigne teſtimo- Act. 13. nium pro Chriſto dicturus erat coram Felice præſide, & Agrippa rege? Quorsùm ergo alijs locis omnibus omiſſis, hinc de ſola Ieruſalem, indè autem de ſola Roma fit mentio; niſi quia vt Chriſti fides à Iudæis ad gentes tranſibat; ſic etiam ſumma prædicandæ fidei Cathedra, & auctoritas à Ieruſalem Iudæorum Metropoli, ad Vrbem Romam gentium Metropolim tranſire ſignificabatur? Paulus ab Ieru- Rom. 15. ſalem per circuitum vſque ad Illyricum reple- Act. 21. 22 bat Euangelium Chriſti, & identidem aſcen- & 23. debat in Ieruſalem, velut manipulos ſuos in Deuter. 12. horreum Domini reportans. Is enim erat 1. Reg. 8. Malach. 2. locus, quem Dominus olim elegerat, vt tem- Act. 23. plum, & nomen ſuum eſſet ibi: ſed quoniam Iudæi corda ſua obdurauerant, irritumque Dei pactum fecerant, Deus etiam illos abiecit; & propterea Paulum iubet relicta Ieruſalem ad Vrbem Romam ſe conferre, vbi Petrus Apoſtolici ordinis Princeps, nouam Matth. 10. Chriſto Metropolim fabricabat, quæ antiquā Ieruſalem longo poſt ſe interuallo relinqueret.

Non miſit Chriſtus Paulum ad Vrbem Romanam ante Petrum; vt nouæ huius Metropolis fundamenta non per alium iaceren- Matth. 10. tur, quàm Petrum, qui Sacerdotalis vnitatis Lucæ 22. Ioan. 21. viſibile principium, & radix erat, non ſolùm quòd vocatione Chriſti primus Apoſtolorum confirmator fratrum, & agnorum, ac- Galat. 2. que ouium paſtor eſſet, etiam plus alijs Chri- Ioan. 4. ſtum diligens, verùm prætereà quòd ſortis ſuæ Rom. 9. beneficio, circumciſionis, hoc eſt, Iudæorum Rom. 11. præcipuus doctor, & Apoſtolus. Salus enim ex Iudæis, ex quibus eſt Chriſtus ſecundùm

Google

carnem: quòd ſi delibatio ſancta eſt, & maſſa; ſi radix ſancta, & rami. Gentes autem non ſunt radix, & fundamentum, ſed ſupra fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum (Epheſ. 2. Galat. 3. Rom. 4.) hoc eſt, fidelium Iudæorum ædificantur filij Abrahæ ſecundùm promiſſionem, qui eſt pater omniũ credentium ſiue ex circumciſione, ſeu per præputium.

(2. Cor. 11. Matth. 10. Galat. 1. Act. 13. Galat. 2. Act. 23.) Quamquam ergo Paulus non minùs eſſet Iudæus, quàm Petrus: tamen quia & extrà numerum duodecim Apoſtolorum, qui primùm ad duodecim tribus Iſrael miſſi ſunt, Apoſtolus eſt creatus, & non Iudæorum, ſed gentium Apoſtolus dicebatur: addo etiam, quia natus eſt ciuis Romanus: ob has cauſas, ſi Paulus in noua Metropoli Eccleſiam principalem primus fundaſſet, videretur Eccleſiæ Chriſtianæ viſibile fundamentum, non tàm à Iudæis (vt verè eſt, atque eſſe debet) quàm à gentibus exortum fuiſſe. Nunc autem cum (Galat. 2. Rom. 11. Rom. 15. Galat. 2. Rom. 11.) Petrus ob circumciſionis digniorem Apoſtolatum oliuam pinguem, & vberem (quam Dominus Ieſus, & ipſe miniſter circumciſionis in Patriarchis, & Prophetis ab initio plantauerat (excellenter figuret. Paulus verò propter Apoſtolatum gentium potius typum oleaſtri (Act. 23.) gerat, qui aliundè in oliuam, vt pinguedinis oliuę particeps fiat, inſeritur, nec radicem ille, ſeu radix illum portat: Vtique cum Paulus ad Eccleſiam Romanam à Petro iam priùs (Rom. 15.) fundatam deducitur, vt Romæ teſtificans de Chriſto, ſupra fundamentum alienum (quod aliàs facere non ſolebat) ædificet: tunc inquam, gentium à ſe conſeruarum ſurculos, tamquam oleaſtrum in Petri circumciſionis (Act. 23.) Apoſtoli oliuam inſerere iubetur, vt fiat, tum ex vtroque Iudæorum, & gentium populo vna Eccleſia, & ea Romana; tum ab vtroque Iudæorum, & gentium Apoſtolo vna Cathedra, & ea Romana.

Quartum Dei opus circà inſtituendum Eccleſiæ Romanæ Primatum r

Iàm dudùm Romæ fuerat SimonMagus, (Act. 8.) qui deſerta fide Chriſti, virtutem Dei ſe mentiens, per magias ſuas obtinuerat, vt ſtatua ei poneretur cum hac inſcriptione, Simoni Deo ſacrum: ſed cum veniſſet hora, in qua principem Mundi ex virtute Chriſti foras eijci oportebat, Simon Petrus inter cætera ob hoc ipſum Romam deductus, Simonem Magum in miraculorum certamine priùs victum, ac poſteà in aerem Dæmonum vehiculo ſublatum, tàm ſuis, quàm Pauli Apoſtoli, ac totius Eccleſiæ Romanæ precibus in terram deiecit, multis etiam ex ijs, qui magnum anteà ſuſpiciebant, miraculo rei ad Chriſti fidem conuerſis. Negari autem non poteſt, quin & maxima prærogatiua fuerit, primum Eccleſiæ Chriſtianæ Apoſtatam, atque omnium hæreticorum principem expugnaſſe, & hæc ipſa prærogatiua ſolius Romanæ Eccleſiæ, in qua ſola ex præfinito Dei conſilio ex(Act. 8. Matth. 12.)pugnabatur, propria fuerit. Quamquam enim hi duo Simones etiam alibi fuerant congreſſi, tamen Deus noluit alibi totius hæreſeos caput alligari, vaſaque, in quibus Sathanas confidebat, hoc eſt, corda gentium, diripi, quàm in Eccleſia Romana; quæ in omnium gentium oculis expoſita erat, vtpotè in (Rom. 1.) capite gentium conſtituta, & totius fidei magiſtra ex virtute Chriſti permanens, hæretici (Luc. 22.) corporis reliquam ſpeciem, iam vtique mancam, & mutilam, debebat in æternum ſuperare. Fides enim Petri non deficit in Eccleſia Romana, quod tum res ipſa loquitur, tum alibi planum fecimus.

Quintum Dei opus circà inſtituendum Eccleſiæ Romanæ Primatum.

Poſtquam Petrus, & Paulus ob Simonem Magum de cœlo in terram deturbatum, iram Neronis (cui chariores erant Magi, quàm Apoſtoli) in ſe prouocaſſent, & ideò ad cædem quærerentur; Petrus fratrum precibus inflexus, qui vitam eius adhuc ipſis neceſſariam iudicabant, ex Vrbe cœpit egredi. Cæterùm Dominus Ieſus ad portam ei occurrens, voluntatis ſuæ eſſe docuit, vt in Vrbe Roma pro Chriſti nomine Cruci ſuffigeretur. Narrat hoc Ambroſius; narrat & Egeſippus, narrat denique perpetua Eccleſiæ Romanæ traditio, quę in huius rei memoriam ſacellum quoddam in via publica Chriſto dedicauit ſub nomine Petri ad Chriſtum dicentis, Domine quò vadis? Roma igitur eſt locus, in quo Deus elegit, vt Petrus, & vltimum, maximumque, nec vmquam reuocandum fidei, charitatiſque ſuæ teſtimonium Chriſto diceret, & paſtoralis præfecturæ ſuæ vltimum, maximumque nec vnquam reuocandum ſucceſſorem acciperet. Quid enim? nonne vbi Deus (Ioan. 12.) præordinauit, vt electi frumenti granum ſeminetur, & in terram iaciatur, ibi etiam maximè omnium elegit, vt idem granum radicem agat, & fructificet? Seminatur enim, vt iterum exurgat; moritur, vt reuiuiſcat; radicem agit, vt ne vento quopiam de loco ſuo proijciatur; creſcit, vt fructum vberiorem afferat.

Et qualem fructum produceret viſibilis paſtorum Princeps Romæ ſeminatus, & mortuus, & niſi viſibilem Eccleſiæ Romanæ principatum? Nam vnumquodque lignum ſementem ſecundùm ſpeciem, quam Deus ei ab ini- (Gen. 1.) tio dedit, ſemper in ſe habet, nec alterius generis fructum producit. Numquid enim colligunt de ſpinis vuas, aut de tribulis ficus? (Matth. 7.) Romana igitur Eccleſia, in qua Petrus Apoſtolorum Princeps ità ex prædeſtinatione Dei ſeminatur, vt fructum ſui generis ibidem producat; eo ipſo fit, & in æternum manſura declaratur omnium Eccleſiarum totius mundi radix, & matrix.

Sextum Dei opus circa inſtituendum Eccleſiæ Romanæ primatum.

Petrus à Chriſto de morte ſua Romæ obeunda præmonitus, eoque ipſo intelligens ſucceſſorem primatus ſui Romæ ſurrogandum;

dum; in Conuentu fratrum manu Clementis apprehenſa: hunc, inquit, Clementem Epiſcopum vobis ordino, cui ſoli, meæ prædicationis, & doctrinæ Cathedram, ligandique, & ſoluendi traditam mihi à Domino poteſtatem trado. Hinc Tertullianus: Romanorum, ait, Eccleſia Clementem à Petro ordinatum edit. Hinc Eucherius ad Valerianum ſcribens, Clementem, ait, in via iuſtorum, ità excellenter floruiſſe, vt Principi quoque Apoſtolorum (vtique in ipſo Principatu)
Luc. 22. Ioan. 21. ſucceſſor extiterit, nec iniuria. Cum enim fieri nullo modo poſſit, quin fratres confirmandi, agnoſque, & oues paſcendi primatus in vno Petro Apoſtolorum primo eximiè inſtitutus, ad vnum aliquem vnius Petri ſucceſſorem ordinarium tranſire debuerit; nec is primatus ab ipſa Petri perſona, dum adhuc viueret, in alium aliquem potuerit transferri, propterea, quòd charitas non vulgaris, ſed qua plùs alijs Chriſtum diligeret, in ipſo Petro ad paſcendas oues electa eſt; efficitur, vt Petrus, nec in Hieroſolymitanum, nec in Antiochenum, nec in Alexandrinum, nec in alium aliquem Epiſcopum à ſe anteà inſtitutum potuerit ſui primatus Cathedram, & ordinariam ſucceſſionem transferre: ſed tantùm in illum, qui ex vltimæ voluntatis Petri diſpoſitione, quam Romæ in medio fratrum diuulgauit, Petro ex hac vita decedenti, & iàm non ampliùs agnorum, & ouium
Hebr. 9. viſibili Paſtori ſuccederet. Vbi enim teſtamentum eſt, mors neceſſe eſt intercedat teſtatoris. Teſtamentum enim in mortuis confirmatum; alioqui nondùm valet, dum adhuc viuit, qui teſtatus eſt.

Nota. Animaduerſione dignum eſt, & illud, quamquam hoc tempore, tàm Paulus, quàm Petrus Romæ eſsent; tamen ſolum Petrum ſibi in Eccleſia Romana ſucceſſorem nominaſſe, Paulum non item.
Galat. 2. Matt. 10. Petrus enim, & ob circumciſionis Apoſtolatum, quem gerebat, & ob primatum Apoſtolicum, quem acceperat, & ob ipſum nominis priuilegium, quo
Matt. 16. rupes, & petra dicebatur, fundamentum erat ab ipſo Chriſto iactum, ſuprà quod, & reliqua Chriſti Eccleſia, & ipſe Paulus ædifica-
Galat. 1. & 2. Act. 15. Luc. 22. Matt. 18. & 28. Ioan. 21. batur. Vndè Paulus ad minimum, bis ad Petrum aſcendit, ſemel honoris cauſa, vt eum inuiſeret, iterum neceſſitatis, vt prædicationis ſuæ teſtimonium ab eo acciperet. Hinc Romani Pontifices dicuntur, aut ſolius Petri, aut tam Petri, quàm Pauli, numquam verò ſolius Pauli ſucceſſores, nam in maiore Petri poteſtate, etiam Pauli poteſtas (in ijs quidem, quæ ad Eccleſiam reliquam pertinebant, æqualis; in ijs autem, quæ ad ipſos Apoſtolos, & inter ſe ipſos pertinebant, minor) comprehendabatur. Quo factum eſt, vt Cyprianus diceret, vnam eſſe Cathedram ſuper Petrum Domini voce fundatam: quam eandem vnam vnius Petri Cathedram Aurelius Prudentius primam; Optatus verò ſingularem; Auguſtinus poſtremò Apoſtolicæ Cathedræ principatum in Eccleſia Romana ſemper vigentem vocat. At his quidem ſex Dei operibus perfectiſſimè inſtitutus eſt Eccleſiæ Romanæ primatus, ſed non dum Petri morte confirmatus.

Septimum Dei opus circà Eccleſiæ Romanæ primatum confirmandum.

Dato à Nerone præcepto, Petrus, & Paulus comprehenſi, eodem die, Paulus via Oſtienſi, Petrus in monte Ianiculi martyrium ſubierunt.

Hactenùs timeri poterat, ne vel Petro alibi, quàm Romæ, vel Paulo alibi, quàm vbi eſſet Petrus obdormiente; tres Eccleſiæ de primatu contendiſſent, primùm Romana, quod caput eſſet gentium, ad quas iàm Chriſtus fidem ſuam tranſtuliſſet; deindè illa, vbi Act. 23. Matt. 10.
quieſceret Petrus, quòd is fuiſſet Princeps Gal. 2.
Apoſtolorum: denique, & illa, vbi quieſceret Paulus, quòd is fuiſſet Apoſtolus gentium, vt nihil interim de Antiochena, Hieroſolymitana, & Alexandrina Eccleſia dicam.

Præuidens hæc pericula humanitas Dei, & benignitas, nec Paulum voluit alibi, quàm vbi eſſet Petrus; nec Petrum alibi, quàm vbi eſſet gentium caput, & Metropolis, ex hac vita migrare.

Quemadmodùm enim altiſſima Dei ſapientia in homine redimendo non alium voluit eſſe filium hominis, quàm qui eſſet filius Matt. 1. Luc. 2.
Dei, nec aliam perſonam inter Deum, & hominem mediatorem conſtitui, quàm quæ in myſterio Trinitatis media eſſet: ſic omnes Eccleſiaſtici primatus cauſas in vnum, eundemque locum voluit concurrere, vt in re tanti momenti conſtituenda, nullus, non modò non altercandi, ſed nec ambigendi locus relinqueretur. Si enim caput mundi Roma priùs erat, ſi caput Apoſtolorum, & Apoſtolus circumciſionis Petrus eodem acceſſit; ſi caput gentium Paulus eodem à Chriſto mittebatur; ſi caput hæreticorum Simon Magus ibidem non ſine miraculo extinctus eſt; ſi Deus prohibuit ne Petrus aliò migraret; ſi vnica, & ſingularis Cathedra ibidem Clementi tradita eſt: ſi tam Petrus, quàm Paulus ibi demùm quieſcunt; quis prætereà locus in toto mundo, vel vnam talem primatus cauſam obtendere poteſt, quales Roma ſeptem demonſtrant? Nam, quid? nonnè vbi viſibilis petra quieſcit, & figitur; ibi tantùm illius viſibilis Eccleſiæ, quæ ſuper eandem petram ædificatur viſibile fundamentum Matt. 16.
eſſe ſtatuetur? Petrus dum adhuc viueret, huc, atque illuc ſpiritu Dei agebatur, ſed cum iàm in Eccleſia Romana vſque in diem Aduentus Domini quieſcat, factus eſt in Eccleſia Romana per mortem ſuam petra immobilis, nec aliò ab hominibus transferri poteſt. Vndè Gregorius Magnus Petrum dicit ſedem, in qua etiam quieſcere, & præſentem vitam finire dignatus eſt, ſublimaſſe.

Auguſtinus quoque aſſerit, eam partem Orbis Iuliano Pelagiano ſufficere debere, in qua primum Apoſtolorum ſuorum voluit Dominus glorioſiſſimo martyrio coronare: hæc illi. Sed parum eſt ſolam mortem tantorum Principum conſiderare, niſi etiam genus mortis (in quo nobis licet octauum Dei opus ponere) admiremur.

Octauum Dei opus circà Eccleſiæ Romanæ primatum conſummandum.

Tertullianus, Euſebius, Egeſippus, Hieronymus, Dorotheus, & Sulpitius Seuerus, vnà cum omni antiquitate conteſtantur, Petrum crucifiſſum eſſe, Paulum verò enſe percuſſum.

Quid autem hac re ſignificatum ſit Auguſtinus (quamquam aliud agens) omnium optimè explicauit. Nam cum Ioannes Bap-
Ioan. 3. In ſerm. de Io: Baptiſta. tiſta de Chriſto dixiſſet, Illum oportet creſcere, me autem minui; Auguſtinus pulchrè animaduertit, Ioannem Baptiſtam (velut in figuram eorum, quæ ventura erant) minutum eſſe, dum caput ei gladio deſectum eſt: Chriſtum verò, etiam typo quodam ſignificante, creuiſſe, dum in cruce extendebatur. Quod
In lib. de præſcript. idem myſterium adeò non eſt à Petri, & Pauli morte alienum, vt Tertullianus tot ab hinc ſeculis ſcriptum reliquerit, Petrum Dominicæ paſſioni adæquatum, (ob ſupplicium crucis) Paulum Ioannis exitu coronatum, quia gladio truncatus eſt. Immò Dominus ipſe de manuum Petri extenſione, quam in cruce facturus erat, prædixit, velut de ma-
Ioan. 21. gno quopiam Dei opere, Amen amen dico tibi, cum eſſes iunior, cingebas te, & ambulabas, vbi volebas; cum autem ſenueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet, quò tu non vis. Hoc (inquit Ioannes) dixit, ſignificans, qua morte clarificaturus eſſet Deum. Quemadmodùm igitur, cum Ioannis Baptiſtę gloria poſt mortem eius minuenda eſſet (eò quòd tunc futurum erat, vt ſciretur homo tantùm fuiſſe;) Chriſti au-
Ioan. 3. tem gloria poſt mortem ipſius augenda foret, (quia tunc futurum erat, vt Deus, & homo eſſe crederetur) in huius rei ſignum, Ioannes in morte ſua capite truncatus, at Chriſtus in cruce eſt extenſus; ſic omninò in Petro, & Paulo videmus eueniſſe. Nam Paulus dum
Gal. 1. viueret, maximum quendam primatum, & cum non ab hominibus acceptum, exercuit; adeò vt plùs omnibus laboraret; nec aut paucis tantùm gentibus, aut humanæ ſortitionis diſtributione, (vt cæteris Apoſtolis accidit) ſed tum diuinæ vocationis præcipua electione, tum plurimis per Orbem populis Euangelium annuntiaret. Cæterum vbi hora mor-
Act. 9. tis aduenit, Paulus hanc gloriam primatus ſui ad poſteros propriè ſuos non tranſmiſit, in cuius rei typum capite truncatum fuit. Contrà verò, Petrus, licèt in vita etiam fuiſſet maximus, tamen poſtquam cæteri Apoſtoli ex hac vita migrauerant, tunc demùm multò illuſtrior factus eſt. Tunc manus eius
Ioan. 21. Matt. 16. ab Oriente in Occidentem (id quod crucis habitus ſignificabat) porrectæ ſunt, & extenſæ. Cum enim clauium ſuarum, hoc eſt, omnem ligandi, & ſoluendi pleniſſimam, & planè regiam, atque adeò cœleſtem poteſtatem ad poſteros ſuos maximè omnium in Eccleſia Romana tranſmitteret; ad ſedem Petri venit ex Oriente Polycarpus Aſię Princeps, de quæſtionibus Eccleſiaſticis cum Aniceto Pontifice acturus; venit ex Occidente Irenæus, ob cauſas itidem Eccleſiaſticas à martyribus Galliarum ad Eleutherium Pontificem Romanum miſſus: Tunc Pius Pontifex, tunc Victor decreta ſua de Paſchatis celebratione in Orientem, atque Occidentem emiſerunt: Tunc Stephanus Papa irritum fecit octuaginta Epiſcoporum Africæ, aliorumque in Cappadocia de rebaptizatione decretum. Tunc Dionyſius Epiſcopus Alexandrinæ apud Dionyſium Romanæ Vrbis Epiſcopum de fide accuſatus, ſe ipſum purgauit. Tunc Cæcilianus Carthaginenſis Epiſcopus conſpirantem in ſe Epiſcoporum Africæ multitudinem non curauit, eo quòd cum Romana Eccleſia integram retineret communionem, in qua ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguit Principatus. Et hæc quidem omnia primam Synodum Nicęnam antecesserunt, ne nuper natam putes ſedis Petri gloriam. Non ergo fruſtrà, vel Paulus capite orbatus, vel Petrus in cruce legitur extenſus. Decuit enim Chriſti Vicarium, non alium ſequi magis, quàm Chriſtum, qui tum per crucem intrauit in Luc. 24. Ioan. 21.
gloriam ſuam, tum ad Petrum dixit, Tu me ſequere.

Accedit eodem, quòd ità crucifiſſus eſt Petrus, vt caput eius in terram verteretur, pedibus in ſublime eleuatis. Quid obſecro ſignificat Petri caput ipſius rogatu in terram conuerſum, niſi eum, non quidem Eccleſiæ triumphantis in Cęlo, inſtar Chriſti, ſed tantùm eius partis, quæ militat in terra Vicarium, caput eſſe? Petri autem pedes in Cœlum eleuati, quid aliud deſignant, quàm eum eſſe finem primatus Petri, vt iter Eccleſiæ Cœlum versùs dirigat?

Poſtremò, cum homo capite in terra verſo, pedibuſque ſurſùm erectis, figuram arboris gerat; hac etiam ex parte ſignificatum eſt, Petrum fore tamquam oliuam plantatam Pſal. 1.
iuxtà decurſus aquarum, cuius folium non defluit, eò quòd fides Petri non deficiet aliquando, ſed fructum confeſſionis fidei, qua fratres confirmet, ſemper in tempore ſuo Luc. 22.
dabit.

Nonum opus, quo Deus Eccleſiam Romanam abundantiùs adhuc alijs omnibus Eccleſijs prætulit.

Quàm ſolidè primatus Eccleſiæ Romanæ tum auctoritate Apoſtolorum Petri, & Pauli, tum operibus Dei multis, & ijs admirandis fundatus fuerit; iam cœpimus explicare. Nunc autem plùs dico: Et ſi Petrus, & Nota.
Paulus numquam Romæ fuiſſent, Eccleſia Romana, quamquam non talem, ac tantum, tamen verum aliquem primatum, non ſolùm ex prærogatiua loci, verùm etiam ex alio dono, & vocatione ipſius Dei ſortita eſſet. Nam vbi ab excellente illa Apoſtolorum pręrogatiua ſemel diſceſſerimus, inter omnes omnium Eccleſiarum Epiſcopos, nullus ratione ſui proprij Epiſcopatus, ad tam eximium, & ſingulare miniſterium vocatus fuiſſet, ac Romanus Epiſcopus. Cùm enim omnibus in vniuerſum Epiſcopis ea cura ex officio incumbat, vt oues Domini contrà omnes mundi,

di, ac Dæmonum poteſtates tueantur, vitamque, ſi opus eſt, pro ſalute gregis impendant: Ioann. 10. certè quidem cæteris Epiſcopis, pro loci, quem vnuſquiſque tenebat, ratione, nihil ampliùs mandari potuit, quàm vt inferioribus quibuſdam Diaboli membris per vniuerſum Orbem diſperſis reſiſterent: Romano autem, eo ipſo, quòd Romanam Eccleſiam adminiſtrare iubetur, mandatur, vt cum totius infidelitatis capite, Vrbe Roma, cumque ipſo Rege Babylonis Romano Imperatore, in virtute Chriſti manus conſerat, & victoriam reportet.

Iam etſi Romanus Pontifex officio ſuo in hac cauſa defuiſſet; ſalua tamen, & incolumis perſiſteret diuinæ vocationis prærogatiua; quæ non ſecundùm facta hominum, qui mentiuntur, ſed ſecundùm veracis Dei certiſſimam præſcriptionem, æſtimari debet. Rom. 13. Dei autem iudicio præcipuus eſt Epiſcopatus, cui præcipua Sathanæ poteſtas oppugnanda, & vincenda committitur: quam præcipuam Ioann. 15. aduerſarij poteſtatem cum ſine præcipua Chriſti virtute ſuperare non poſſet; neceſſe eſt, fateamur præcipuam virtutem Epiſcopo Romano diuinitùs conceſſam, qua ipſum Draconis caput expugnet; quæ præcipua Chriſti virtus, nihil eſt aliud, quàm ille, quem nunc defendimus, Pontificis Romani primatus.

Decimum Dei opus circa eundem Eccleſiæ Romanæ primatum comprobandum.

Nunc autem nec Romani quidem Pontifices vocationi diuinæ defuerunt. Nam præterquam quòd cæteros Vrbis Romæ viros fideles ad certamen pro Chriſti nomine ſubeundum ex officij ſui paſtoralis præcipua gratia, & gradu ſtudioſiſſimè inflammarunt; Cypr. lib. 4. epiſt. 6. etiam ipſi ante omnes alios ad ſupplicium quæſiti, (adeò vt B. Cyprianus teſtetur, nihil Ioann. 10. fuiſſe aliud in Petri Cathedra ſedere, quàm corporis ſui carnifices, & tyranni ferocientis vltores expectare) per annos trecentos quaſi continuos, animam ſuam pro Chriſti ouibus, Aug. de Ciuit. Dei l. 18 cap 52. tamquam boni, & non mercenarij paſtores, glorioſè poſuerunt, & ità poſuerunt, vt cum Damaſ. in Pontif. generalis perſecutio ante Conſtantini Magni tempora, non niſi per decem ferè interualla, in alios Chriſtianos etiam Romæ habitantes exerceretur; tamen in ipſos Pontifices penè continua, & vix vmquam intermiſſa tyrannorum ſæuierit manus, neque mirum: Imperator enim partim probè ſciens, tum quot eſſent in mundo Chriſtiani, tum omnes illos eſſe vnius Chriſti gregem, vni primo in terris paſtori, Pontifici Romano maximè omnium obedientem; partim etiam indignans eſſe in ſua Imperiali Ciuitate, qui & Deos ipſius contemnere, & in os ei reſiſtere auderet; alioſque, vt idem facerent, auctoritate ſua commoueret; Cypr. lib. 4. epiſt. 6. ità hinc ira, indè metu, afficiebatur, vt B. Cyprianus ibidem ſcribat, tyrannum infeſtum ſacerdotibus Dei, fanda, atque infanda comminantem, multò patientiùs, & tolerabiliùs auditurum leuari aduersùs ſe æmulum principem, quàm conſtitui Romæ Dei ſacerdotem. Hæc ille. Quòd ſi alia nulla Eccleſia tot mihi dabit Epiſcopos, qui temporis ſpatio tam breui, ordine martyrum tam longo, perſecutiones tam graues pro Chriſti nomine ſubiuerint, relinquitur, vt in Romana Cathedra ſit ſaltem martyrij principatus. Principatus martyrij. Cùm ergo Pontifices Romani plùs alijs Epiſcopis animam pro fratribus ponentes, indè etiam plùs alijs Chriſtum, & Chriſti oues dilexiſſe monſtrentur: vtique tum opere ipſo Ioann. 21. probauerunt, ſe Principes Apoſtolorum veros eſſe in ipſo dilectionis principatu ſucceſſores; tum maiorem paſcendi auctoritatem ſe à Domino accepiſſe declarant, pro eo quòd 1. Cor. 4. oues Chriſti plùs alijs pauerunt, quid enim habere poterant, quod non accepiſſent? habebant verò principatum paſcendi, & eum martyrij ſui principatu ſatis, abundeque conteſtatum: neceſſariò igitur fatendum eſt, Epiſcopos Romanos paſcendi principatum à Chriſto accepiſſe. Iam verò quamquam certiſſimum ſit hæc ſumma priuilegia Epiſcopis Romanis ideò conceſſa eſſe, quòd Petro Apoſtolorum Principi in ipſo paſcendi principatu ſucceſſerint: tamen etiam ſi quis tam impudens ſit, vt neget, Petrum, aut Romæ fuiſſe, aut ſaltem primariam Eccleſiæ Cathedram ibi collocaſſe; certè quidem non poterit negare, aut hoc ipſum Martyrij excellens opus, quod oculis videt, manibuſque contrectat, verè ità ſe habere: aut cum ità ſe habeat, certum ſignum alicuius Eccleſiaſtici primatus eſſe.

Vndecimum Dei opus circa primatum Eccleſiæ Romanæ adhuc etiam abundantiùs comprobandum.

Quid, quòd iidem Pontifices Romani tam fœliciter cum Cæſare adhuc infideli pro Chriſti honore dimicarunt; vt non modò nulla in re ipſius perfidiæ cederent, de quo iam dixi; ſed tandem etiam ipſum Cæſarem ad fidem Chriſti conuerſum Chriſto lucrifacerent? Quod quamquam Chriſtus mox ab initio Eccleſiæ ſuæ ipſius Petri Apoſtoli miniſterio præſtare potuiſſet; tamen neque citiùs id fecit, vt ſciret mundus, Cæſarem Chriſto aduerſantem ſubuertere Chriſti Eccleſiam, nec in Vrbe quidem Roma, nedum in Orbe toto potuiſſe: & tandem id fecit, vt ſciret mundus Chriſtum poſſe, quando vellet, Cæſarem, vel inuitum ſuperare, vel fidelem ſibi ſubditum facere: nec id tantùm per Apoſtolum Petrum, ſed etiam per ſucceſſores eius facere poſſe, vt ſciremus, vnam, eandemque paſcendi poteſtatem non minùs in ſucceſſore Petri, Ioann. 21. quàm in ipſo Petro exiſtere: nec differentiam in conſpectu Dei eſſe in Principe Apoſtolorum, aut in Principe Epiſcoporum vincere. Chriſtus, inquit Auguſtinus, volens ſuperborum frangere ceruices, de piſcatore Auguſt. in Io. tract. 7. (hoc eſt, de ſucceſſore Petri piſcatoris) lucratus eſt Imperatorem. Magnus Cyprianus orator, ſed priùs Petrus piſcator, per quem poſteà crederet non ſolùm Orator, ſed & Imperator. Quibus verbis Auguſtinus Pontificem Romanum quemcumque appellat Pe-

ttum, & piſcatorem, quia piſcatoris Petri lo-
cum, & ſedem tenet. Cum ergo Deus Impe-
ratorum conuerſionem per Epiſcopos Roma-
nos operatus ſit; nonne prærogatiua effecti
operis, facilè demonſtrat miniſtri efficientis
prærogatiuam? Si enim Paulus dicebatur
Act. 9. vas electionis, quia inter cętera nomen Chri-
ſti coràm regibus, quos tamen ad fidem
haudquaquam conuertit, portaturus erat;
nonne illa ſedes, quæ nomen Chriſti per an-
nos trecentos continuos coràm maximis to-
tius mundi Monarchis portauit, & ità porta-
uit, vt tandem ipſos monarchas faceret Chri-
ſtianos; multò magis inter Sedes Epiſcopales
Act. 13. vas electionis ob hoc ipſum cenſebitur? Vas
autem electum cæteris, à quibus ſegregatur,
digniùs meritò habetur. Digniſſimus igitur
omnium Epiſcoporum Romanus.

CAP. IV.

Verè Apoſtolicum Eccleſiæ Romanæ primatum in fide propaganda, in docendo, & baptizando omnes gentes, admirabiliter elucere.

Duodecimum Dei opus, quo tum illuſtrior fit prior ille, de quo iam egi, Eccleſiæ Romanæ primatus, tum ſi nullus anteà fuiſſet, nouus conſtitui iure optimo poſſet.

2. Cor. 5. VEre Apoſtolicum opus eſt, pro Chriſto
legatione fungi, & efficacem operam
in gentibus ad Chriſtum conuertendis exhi-
Galat. 2. bere. Nam & Paulus hoc potiſſimùm argu-
mento probauit ſe Apoſtolum, non ex ho-
minum, ſed ex Dei vocatione conſtitutum,
& Petrus, Ioannes, ac Iacobus cum vidiſſent
Deum Paulo cooperatum in plurimarum gen-
tium conuerſione, dexteram ſocietatis ei de-
derunt: ſcientes huiuſmodi opus eſſe verum,
Matt. 7. Matt. 28. & legitimum diuinæ vocationis ſignum. Ex
fructibus enim eorum cognoſcetis eos. Quin
etiam Chriſtus promiſit ſe futurum omnibus
diebus vſque ad conſummationem ſeculi
cum Apoſtolis (& eorum vtique ſucceſſori-
bus) qui docerent, ac baptizarent omnes
gentes: quod quidem Eccleſia Romana tam
eminenter ſuprà omnes in mundo Eccleſias
omni ætate præſtitit, atque in hodiernum
diem præſtat, vt non modò certum ſit, Chri-
Rom 3. ſtum, qui nullo modo mentiri poteſt, omni-
bus diebus fuiſſe, atque eſſe cum Eccleſia
Romana, verùm etiam neceſſariò fateri opor-
teat, eandem Eccleſiam tantò cæteris omni-
bus Eccleſijs coràm Deo, & hominibus præ-
cellere, quantò excellentiùs præ omnibus alijs
hanc Apoſtolici muneris prærogatiuam exe-
quitur, & adminiſtrat. Nam & nouas gentes
ad fidem Chriſti conuertit incomparabiliter
plures, quàm vlla vnquàm Eccleſia; & eas,
quæ ab Apoſtolis, aut viris Apoſtolicis con-
uerſæ fuerant, auctoritate ſua paſtorali per-
petuò docet, & fide confirmat.

De Alexandriæ Eccleſiæ inſtitutione, & ordine Patriarchalium Eccleſiarum.

B. Marcus Euangelio Romæ conſcripto Euſeb lib 2.
& auctoritate S. Petri comprobato ex Vrbe c. 14. & 15.
Roma, Alexandriam à Petro miſſus, partim
ſua, partim ſucceſſorum ſuorum opera Ægy-
ptum, Libyam, & Pentapolim ad fidem Chri- Can. 6.
ſti conuertit. Vndè prima Synodus Nicæna
morem antiquum fuiſſe docet, vt Alexandri-
nus Epiſcopus horum omnium habeat pote-
ſtatem, idque, quoniam hoc Epiſcopo Roma-
no conſuetum eſt. Cum enim B. Marcus in
B. Petri nomine, poſtquam is iam Romæ ex
Dei voluntate conſederat, Alexandrinam Ec-
cleſiam fundauerit; hoc opus non ſolùm Pe-
tro, vt Apoſtolo, ſed etiam ei vt Epiſcopo Ro-
mano aſcribitur, & tam efficaciter aſcribitur,
vt hæc noua Eccleſia in Alexandria per Petri
Diſcipulum conſtituta, præferatur Antioche-
næ Eccleſiæ, vbi Petrus ipſe priùs tamquam
Epiſcopus conſederat. Petrus ergo iam Ro- Matt. 5.
mæ in candelabro, quod ei Deus tam mirabi-
liter præparauit, poſitus, tantò maior (in
Epiſcopali ſaltem poteſtate) ſe ipſo factus
videtur, vt maioris dignitatis ea Eccleſia ſit,
quam nunc per Legatum ſuum in Ægypto
fundat, quàm illa, quæ priùs Antiochiæ à ſe
ipſo fundabatur.

Cuius rei ratio, vt pleniùs aliquantò in-
telligatur, paucis repetendum eſt, quod anteà Can. 3.
ex Daniele, & antiquis patribus planum fe- Dan. 2.
cimus, politicas Monarchias conſtitutas eſſe,
vt Cœleſti Monarchiæ Ieſu Chriſti, & fidei
Chriſtianæ ſubſeruirent. Itàque Petrus mili-
tantis Monarchiæ Chriſti primus adminiſtra- Math. 16.
tor, Antiochiæ primùm ſedit, vt Chriſti no-
mine, totius Orientis, hoc eſt, Imperij Aſſy-
riorum, Babyloniorum, Medorum, Perſarum,
Syrorum, Aſiæ, & Ponti poſſeſſionem accipe-
ret.

Nàm & diſperſio filiorum Noe in Orien- Gen. 11.
te primùm facta eſt; & ibidem primæ inſtitu- Dan. 2.
tæ ſunt politicæ Monarchiæ, quibus filij ho-
minum in vnam ſocietatem iterùm congrega-
rentur: Vndè ibi etiam decuit Cœleſtem Ioan. 11.
Chriſti Monarchiam per Apoſtolorum Prin-
cipem conſtitui, ad diſperſos filios Dei in
vnum congregandos.

Indè autem Petrus in Vrbem Romam de- Euſeb. lib 2.
ductus eſt, vt ſicut Imperiũ ex Oriente tranſ- cap. 13.
latum, & ipſe Oriens Romanis iam erat ex
magna parte ſubiectus, ſic etiã Eccleſię Oriẽ-
tales, quas Petrus Antiochiæ Sedens, ad Chri-
ſti ouile congregauerat, eodem Petro in Vr-
bem Romam Principatus, cui, ſedem transfe-
rente, Eccleſiæ Romanæ ſubijcerentur, non
quòd Primatus Eccleſiaſticus imperij ſecula-
ris Primatum velut Dominum ſuum comite-
tur, aut ſubſequatur; ſed quòd imperium ſecu-
lare tamquam thronus quidam ſit ad Pri-
matum Eccleſiaſticum accipiendum præpa-
ratus.

In ſede autem ſua oportet Chriſti Epi-
ſcopum collocari. Quare, cum Petrus ſit Vi- Ioann. 21.
carius Chriſti, omnia Orientis, & Occidentis
imperia Sedes Petri ſunt. Hinc, & Antiochiam
pri-

primùm in Oriente, & Romam deindè in Occidente in ſedes ſuas ex Dei voluntate accepit.

Sed quia nec tertiam quidem Græcorum Monarchiam, ac neque antiquiſſimum Ægypti Regnum oportebat extrà Petri ouile excludi, (cum nec has quidem gentes Chriſtus negligat) Petrus Dei ſpiritu afflatus, beatum Marcum Alexandriam, ad Vrbem Græcam, tàm Ægypti caput, & Metropolim, quàm ab Alexandro Græcorum Imperatore conditam, & denominatam, ex Vrbe Roma transmiſit, vt is Petri nomine, eam quoque Orbis terræ partem Chriſto ſubiugaret. Iàm quia ſub Imperio Romano Chriſtus in Iudæa naſci dignatus, ipſum Romanum Imperium, quod tempore cæteris poſterius; ſed Chriſto vicinius erat, omnibus alijs prætulit,& ità vnumquodque ex alijs maiore gloria, per Cœleſtis Monarchiæ ſuæ Cathedras præditum eſſe voluit, quò id recentius,& vicinius Chriſti temporibus fuiſſet; idcircò ſicut Romam conſtituit primam totius Mundi Sedem,ſic Alexandriam conſtituit ſecundam, & Antiochiam demùm tertiam.

Euſeb. lib. 2. cap. 15.

Luc. 22.

Poſtquam verò, & Conſtantinopolis facta eſt Orientalis Imperij Sedes, facilè paſſa eſt Romana Eccleſia, vt ibi quarta ſedes collocaretur,non item ſecunda,aut tertia,quamdiù ſaltem Alexandria, & Antiochia fidem retinebant. Quare, honor Eccleſiarum totius Mundi, à Petro quidem primo Chriſti Miniſtro,verùm non à Petro abſque vllo adiuncto, ſed à Petro in Vrbe Roma Cathedram Sacerdotalem conſtituente, potiſſimùm ſumitur.

Indè fit, vt beatus Hieronymus ſcribat ad Theophylum Epiſcopum Alexandrinum, Scito,nobis nihil eſſe antiquius, quàm Chriſti iura ſeruare, nec Patrum transferre terminos, ſemperque meminiſſe Romanam fidem Apoſtolico ore laudatam, cuius ſe eſſe participem Alexandrina Eccleſia gloriatur. Animaduertat ſtudioſus lector, non de humanis rebus agi, cum de Eccleſiarum Chriſti dignitate agitur. Termini Patrum, & iura Chriſti hæc ſunt, qui Orbi terrarum in ſuis Miniſtris præſidet.

Idem Hieronymus alibi quoque Ægyptios confeſſores appellat Papæ Damaſi collegas. Adhærebant enim Ægyptij Romano Pontifici tanquam poſt Chriſtum auctori, & conditori ſuo.

Nàm cæteri Aſiæ, atque Orientis Epiſcopi, quos aut alius quilibet Apoſtolorum, aut etiam beatus Petrus, antequam Romę ſederet, conuerterat, non tam æquo ferè animo Eccleſiæ Romanæ Primatum ferebant, eò quòd in Oriente primùm fides prædicata, & indè in Occidentem deducta eſſet; quod ipſum in ſuis ad Iulium Papam literis Euſebiani expreſſerunt.

Sozom. l. 3. cap. 7.

Verùm oportuit iſtos meminiſſe, quòd in omnibus Chriſti myſterijs minor natu filius, maiori pręfertur: Abel Caino,Iacob ipſi Eſau, Iudas Rubeni, Dauid Eliabo, Salomon Adoniæ, Iudæis gentes, ex gentibus Latini Græcis, Occidentales Orientalibus; idque, quoniam priùs quod eſt animale, poſteriùs autem quod eſt ſpiritale.

Gen. 4. Malach. 1.

1. Cor. 15.

Qui enim ſe exaltauerit per primogenituræ ſuperbiam, velut ex ſe altero ſit dignior, per mutationem dexterę excelſi humiliabitur, dum ſecundo genitum ex gratia ſibi pręlatum videt, vt gratia, non ex vlla re alia, quàm ex vocatione Dei cognoſcatur eſſe. Fuit ergo Romana Eccleſia Mater, & Magiſtra, tùm Eccleſiæ Alexandrinæ, tùm per eam omnium Eccleſiarum Ægypti, Libyę, & Pentapolis.

Rom 9.

Quin & Indorum gentes, quibus Athanaſius Frumentium conſecrauit Epiſcopum, eo ipſo Romanæ Sedis auctoritate ad fidem conuerſæ intelliguntur. Sicut enim filia nullo modo facere poteſt,quin liberi,quos parit, Matris ſuæ nepotes exiſtant;ſic neque Alexandrina Eccleſia, quæ filia Romanæ eſt, parere vllam gentem Chriſto poteſt, quin Eccleſia Romana eiuſdem gentis auia ſit. Nàm Alexandrina Eccleſia in ea poteſtate, quam à Chriſto per Eccleſiam Romanam accepit, Indorum populos conuertit.

Vnde Gregorius Magnus ad Eulogium Alexandrinum Patriarcham ſcribens,Alexandrina; inquit, ſedes noſtra eſt: & alibi ait, eam ſedem ſemper ad Magiſtri ſui gremium, vnde illi prædicatio ſalutaris exorta eſt, recurrere, & tota ſe deuotione conferre.

Lib. 11. Indict 6. ep. 46. & lib. 5. ep. 60.

De Eccleſijs Italiæ, Siciliæ, Sardiniæ, &c. per Eccleſiam Romanam inſtitutis.

Cum in hac cauſa nihil difficultatis, ne Proteſtantium quidem iudicio ſit, nolo ſingula perſequi, ſed tantùm verba Innocentij, & Leonis Papæ referam,quibus ille ad Decentium Eugubinum ſcribens, Manifeſtum eſt, ait, in omnem Italiam, atque Siciliam, Inſulaſque interuenientes, nullum inſtituiſſe Eccleſias, niſi eos, quos venerabilis Epiſcopus Petrus, aut eius ſucceſſores conſtituerint Sacerdotes.

Leo autem Magnus Epiſcopos Siciliæ certa de cauſa reprehendens, Quam culpam, inquit, nullo modo potuiſſetis incidere,ſi vnde conſecrationem honoris accepiſtis (videlicet ab Eccleſia Romana) indè legem totius obſeruantiæ ſumeretis, & beati Petri Apoſtoli Sedes, quæ vobis Sacerdotalis mater eſt dignitatis, eſſet Eccleſiaſticæ magiſtra rationis.

Gregorius Magnus vnum ex Epiſcopis Italiæ miſit in Sardiniam, ad conuertendos Paganos.

Lib 4 ep. 33.

De Corinthiorum Eccleſia per Pontifices Romanos edocta, & inſtituta.

Etſi Romana Eccleſia Corinthios ad fidem minimè conuerterat;tamen eoſdem poſt conuerſionem non rectè ambulantes,ad viam veritatis reuocauit, & erudiuit. Vnde Irenęus de Romanæ Eccleſiæ Epiſcopis agens, Sub hoc, inquit, Clemente, diſſenſione non modica inter eos, qui Corinthi erant, fratres facta, ſcripſit, quæ eſt Romæ Eccleſia potentiſſimas

Lib. 3. cap 3.

ſimas literas Corinthijs, ad pacem eos congregans, & reparans fidem eorum, & annuncians quam in recenti ab Apoſtolis acceperant traditionem. Hæc Irenæus.

Cùm autem non minoris ferè virtutis ſit, conſeruare, quàm acquirere, fidemque reparare, quàm ab initio eam docere: Deus verò per Eccleſiam Romanam Corinthios doceri, & inſtitui voluerit, eo ipſo docuit, Eccleſiam Romanam eſſe Matrem Corinthiorum. Deus enim filij per matrem lac prębere ſolet; nec aliter eam rem, aut Romani, aut Corinthij videntur accepiſſe.

Nàm & Soter Epiſcopus Romanus ad eoſdem Corinthios alteram poſteà conſcripſit epiſtolam, & Corinthij, tàm Clementis, quàm
Euſeb. lib. 4. cap. 22. Soteris epiſtolam publicè in Eccleſijs ad fidelium inſtitutionem legerunt, vt Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus, apud Euſebium atteſtatur.

De Galliarum, & Hiſpaniarum Eccleſijs per Pontifices Romanos inſtitutis.

Idem Papa Clemens Dionyſium Areopagitam, qui priùs fuerat Athenienſium Epiſcopus, in Gallias miſit, ad prædicandum illis gentibus Chriſti Euangelium: qua ex re apparet, tùm veteres Apoſtolorum Diſcipulos Eccleſiæ Romanæ Primatum in Græcorum Epiſcopos agnouiſſe, tùm populos Galliarum opera Eccleſiæ Romanæ ad fidem conuerſos eſſe.

Quin etiam Gregorius Turonenſis tradit, alibi quidem primos Pontifices Romanos Martialem Epiſcopum in Vrbem Galliarum Lemouicinam prædicatum miſiſſe; alibi verò Gratianum Epiſcopum anno imperij Decij I. à Romanæ Sedis Papa tranſmiſſum eſſe in Vrbem Turonicam, vbi de paganis nonnullos prædicatione ſua conuerti fecit ad Dominum: vt mirandum non ſit, ſi Galliarum Epiſcopi ad Papam Leonem ſcripſerunt, ſe gratias Domino agere, quòd tantæ fidei Antiſtitem dediſſet Apoſtolicæ Sedi: Vnde, inquit, religionis noſtræ propitio Chriſto, fons & origo manauit.

Cyp. lib. 1 epiſt. 4. Innocentius Papa narrat, nullum inſtituiſſe Eccleſias in omnem Galliam, & Hiſpaniam, niſi quos Petrus, aut Petri ſucceſſores conſtituerunt Sacerdotes.

Lib. 4. indict. 13. ep. 51. Gregorius etiam Magnus, Quià cunctis, inquit, liquet, vnde in Galliarum regionibus fides ſancta prodierit, cum priſcam conſuetudinem Sedis Apoſtolicæ fraternitas veſtra repetit; quid aliud quàm bona ſoboles ad ſinum Matris Eccleſiæ recurrit? Hæc ille.

Infinitum verò eſſet, per ſingulas ætates planum facere quomodò eaſdem Gallorum, & Hiſpanorum Eccleſias Pontifices Romani varijs modis confirmarunt; quòd potiùs eorum opus deberet eſſe, qui præter auctoritates in antiquorum Patrum libris inuentas, etiam ſingularum Eccleſiarum Archiua, & monumenta indagare poſſunt, & ſcrutari.

De Britannorum Eccleſijs per Pontifices Romanos inſtitutis, & in fide conſeruatis.

Eleutetius Pontifex Romanus, à Petro duodecimus, Lucium Britanniæ Regem vnà cùm optimatibus ſuis, & populo per Fugatium, & Damianum, tàm fidem Chriſti docuit, quàm baptizauit. Vnde (vt Tertullianus teſtatur) Britannorum loca etiam Romanis inacceſſa, Chriſto ſubdita fuerunt.

Atque in hac primùm Inſula, poſt ætatem Apoſtolorum, liquidò apparere cœpit Romanæ Vrbis amplitudinem, quæ vt Orbem terrarum in vnitatem quadam reuocaret, & colligeret, inſtituta eſt, magis auctam eſſe, & propagatam arce Religionis Chriſtianæ, cui Pontifices Romani præerant, quàm ſolio terrenæ poteſtatis, quod Imperatores Romani tenebant. Nàm plus in Britannijs Petri, quàm Iulij Cæſaris ſucceſſores Vrbi Romæ adiecerunt; vt interim nec illud omittam, quòd Imperatores Romani etiam in ipſa Vrbe Roma potiùs corpora, quàm corda ciuium ſibi ſubiecerant. At Romani Pontifices, etiam peregrinorum corda, quantò magis ciuium, & & ſociorum in Chriſtianam, & Romanam fidem adunabant, Hæc qui perpenderit, facilè animaduerteret, tùm Imperij Romani Monarchiam vnitati per Chriſtum introducendæ viam præparaſſe, tùm Romanæ Eccleſiæ Primatum, & totam priorem Imperij Romani Monarchiam complexum eſſe, & prętereà Criſtianam vnitatem multò latiùs propagaſſe.

CAP. V.

De viſibili Eccleſiæ Catholicæ vnitate, cuius & prima parens propter Petri Cathedram, & præcipua nutrix Eccleſia Romana eſt.

Decimumtertium Dei opus, Non minùs viſibilem quandam, & externam vnitatem in Eccleſia eſſe, quàm internam.

MVltas quidem gentes Eccleſia Romana Chriſti Baptiſmo imbuit; plures veram Chriſti fidem omni ętate docuit; omnes omninò in Apoſtolorum doctrina perſeuerantes, in vnum viſibile, ac militans ouile collegit ſemper, & adunauit.

Vnitas autem Eccleſiæ tùm interna eſt ob internam fidei, & ſpei, quam vnus Dei ſpiritus in interiore noſtro homine operatur; Epheſ. 4.
tùm externa, & viſibilis, ob ſacri Baptiſmi 1. Cor. 1.
vnitatem, in honorem Verbi, quod Caro factum eſt, externis quibuſdam ſignis exhibitam, & perceptam. Ioann. 1.

Quem-

Quemadmodùm enim corde creditur
Rom. 10. ad iuſtitiam: ſic dùm credentes baptizantur,
tùm ore confitentur ad ſalutem, confeſſionem
1. Tim. 6. vtique bonam coram multis teſtibus, vt ſal-
uos faciat eos Baptiſma, non carnis depoſi-
1. Petr. 3. tio ſordium; ſed conſcientiæ bonæ interro-
gatio in Deum per reſurrectionem Ieſu Chri-
Matt. 28. ſti, tùm ſanctiſſimæ Trinitatis nomen palàm
Epheſ. 5. ſuper eos inuocatur; quod eſt Verbum vitæ,
in quo mundantur per lauacrum aquæ.
Porrò, qui baptizatus non eſt, nondùm in
1. Cor. 12. corpus Eccleſiæ accenſetur. Etenim omnes
nos, ait Apoſtolus, in vno ſpiritu, in vnum
corpus baptizati ſumus. Quicumque enim in
Gal. 3. Chriſto baptizati ſunt, Chriſtum induunt.
Antè Baptiſmum verò, etſi non deſint, qui
credant in nomine Chriſti, tamen (vt ſcrip-
tum eſt) ipſe Ieſus non credidit ſemetipſum
Ioann. 2. eis: Niſi enim quis renatus fuerit ex aqua,
Ioann. 3. & Spiritu ſancto, non poteſt introire in Re-
gnum Dei.

Vndè cùm Apoſtolus obſecraſſet nos,
Epheſ. 4. vt ſolliciti eſſemus ſeruare vnitatem ſpiritus
in vinculo pacis; mox declarans vinculum
pacis, de quo egit, non ſolùm interna, ſed
etiam externa quadam vnitate conſtare,
Ibidem. ſubiungit, vnum corpus, & vnus ſpiritus,
ſicut vocati eſtis in vna ſpe vocationis veſtræ.
Vnus Dominus, vna fides, vnum Baptiſma.

Quemadmodùm enim ſpiritus eſt inui-
ſibilis, ſic corpus eſt viſibile, nempè externa
coitio, & communio Eccleſiæ. Inuiſibilis
Philip. 2. fides, at viſibile Baptiſma. Spes vocationis
occulta. Sed qui vocati ſunt in medio natio-
nis prauæ, & peruerſæ, lucent ſicut lumina-
ria in Mundo, & ſicut Ciuitas in monte poſi-
ta, quæ non poteſt abſcondi. Omnes, qui
Eſa. 61. viderint eos, cognoſcent eos: quia iſti ſunt
ſemen, cui benedixit Dominus.

Neque verò eum, qui Eccleſiam non
Matt. 18. audit, tamquam ethnicum, & publicanum ha-
bere, aut hæreticum hominem poſt vnam, &
Tit. 3. alteram correptionem vitare poſſemus, ſi
Eccleſia nullo modo videri à nobis, aut co-
gnoſci poſſet. Homo enim non intuetur cor,
1. Reg. 16. ſed videt ea, quæ patent. Vnitas ergo Eccle-
ſiæ, propter quam ab alio deſertam, ipſe à no-
bis deſerendus eſt tam ab illo, quàm à nobis
perſpicuè videri poteſt.

Cùm vnitas Eccleſiæ per Chriſti miniſtros alijs conferatur, ipſos multò magis inter ſe vnitos eſſe.

Epheſ. 4. Vnum illud Baptiſma, quo in vnum Ec-
cleſiæ corpus baptizamur, non rectè (extrà
1. Cor. 12. neceſſitatis articulum) confertur, præterquàm
ab ijs, quos Chriſtus ad docendum, & bapti-
Matth. 28. zandum miſit: Nec enim quiſquam ſumit ſibi
honorem, ſed qui vocatur à Deo tamquam
Aaron. Itàque ſi quis ab hæreticis Eccleſia-
ſtico ritu baptizatus, ad Eccleſiam poſteà vo-
luiſſet accedere, quamvis iàm Chriſti Baptiſ-
ma (quod vbicumque miniſtretur vnum, at-
que idem eſt, eundemque in anima characte-
Hebr. 5. rem imprimit) percepiſſet, nec vllo pacto re-
Epheſ. 4. baptizari debebat (quoniam, qui ſemel eſt lo-
tus, non ampliùs opus habet, vt ſe totum, ſed
tantùm vt pedes, hoc eſt, affectus ſuos, lauet) Ioann. 13.
tamen iam indè ab Apoſtolorum temporibus
numquam Eccleſiæ vnitatem adeptus exiſti-
mabatur, præterquam ſi manus ei ab aliquo
ex Catholicis Epiſcopis, aut Presbyteris im-
ponerentur, vt ità ſchiſmatici miniſterij vitio
emendato, bonum, quod antè non benè fie-
bat, ad ſalutem ei proficeret.

Nec enim quicumque baptizati ſunt, Gal. 3.
ſed quicumque in Chriſto, ideſt, in corpore
Chriſti, quod eſt Eccleſia, baptizati ſunt, ij
Chriſtum induerunt. Vndè conſtat ad vnita-
tem Eccleſiæ percipiendam non ſufficere, aut 1. Cor. 5.
ſolam fidem, aut ſola Chriſti Sacramenta, niſi
etiam Eccleſiæ Dei miniſter ea conferat.

Neque verò intùs, ſed foris ſunt, qui- Ioann. 10.
cumque per oſtium in ouile non intrant.
Oſtium autem ouilis non aperitur, niſi per Matt. 16.
oſtiarios, qui claues Regni Cœlorum ex man- 1. Cor. 4.
dato Chriſti portant; & ij ſunt diſpenſato-
res myſteriorum Chriſti.

Cùm ergo vnitas Eccleſiæ abſque mini-
ſtrorum Chriſti opera minimè obtineatur;
nonnè quò ij ſunt plures, & quò longiùs à ſe
mutuò tam ſpatijs locorum, eò magis opus
habent, vt arctiſſimo quodam vinculo inter
ſe conuertantur, & copulentur? Nàm alioqui
diuiſa, & diſſoluta multitudo, quid aliud,
quàm diuiſionem, & ſeparationem operabi-
tur? Ità fieret, vt qui maximè omnium filios
Dei diſperſos in vnum miniſterio ſuo con-
gregare, & Regnum Dei pulſantibus aperire
debebant, ij antè alios omnes gregem diſſi- Matt. 23.
parent, ac ſpargerent, Regnumque Dei oc-
cluderent, nec introeuntes ipſi, nec alios, qui
cuperent ſinentes intrare.

Dei verò ſapientia, quæ pacis, non diſ- 1. Cor. 14.
ſenſionis eſt auctor, numquam tali multitu-
dini vnitatis Eccleſiaſticæ miniſterium com-
miſiſſet. Vndè Cyprianus ait, copioſum cor-
pus Sacerdotum, & Epiſcoporum concordiæ
glutino, atque vnitatis vinculo copulatum
eſſe; vt ſi quis, inquit, ex collegio noſtro hæ-
reſim facere, & gregem Chriſti lacerare, &
vaſtare tentauerit, ſubueniant cæteri.

Supereſt ergo, vt quodnam ſit hoc Sa-
cerdotalis concordiæ glutinum, atque vnita-
tis vinculum indagemus.

Sacerdotalis vnitas vinculum eſſe vnum primum viſibilem Paſtorem.

Sub lege Moyſis cùm tot Leuitarum
millia eſſent, & illi per vniuerſum Orbem
terrarum diffunderentur, certum eſt, non aliud
viſibile huius ſacræ multitudinis vinculum
extitiſſe, quàm vt omnes obedirent Sacerdo- Deuter. 17.
ti, qui pro tempore, loco, quem elegerat Do-
minus, præeſſet.

Certum eſt etiam, dùm Chriſtus viſibi- Rom. 15.
lem circumciſionis miniſtrum in terris age-
ret, non aliud fuiſſe omnium Apoſtolorum, Ioann. 10.
& Diſcipulorum Domini viſibile vinculum,
quàm vt vnius Chriſti primi Paſtoris ſui vo-
cem audirent.

Certum eſt & illud, Chriſtum de Iudæo- Ibidem.
rum, & gentium adunatione agentem, prædi-
xiſſe: Fiet vnum ouile, & vnus Paſtor. Quo

verbo manifeſtè docuit vnitatem ouilis itá conſtitui, & fundari per vnitatem Paſtoris: vt vnum viſibile, ac militans ouile nihilo magis abſque vno viſibili, ac militante Paſtore conſiſtere queat, quàm vnum viſibile, ac triumphans ouile abſque vno inuiſibili nobis, ac triumphante Paſtore. Nàm vt vna in hoc Mundo familia, & domus meritò habetur, cui vnus viſibilis paterfamilias, & vnum Regnum, cui vnus viſibilis Rex; ſic vnum in hac vita ouile habendum eſt, cui vnus viſibilis Paſtor præeſt.

Et quemadmodùm Chriſtianorum, & Turcarum Regna, etiamſi veriſſimè vni æterno Regi Deo ſubſint, non propterea vocantur, aut in hoc Mundo ſunt vnum viſibile, ac temporale Regnum: ſic neque illæ innumerabiles Chriſtianorum Eccleſiæ, quæ per vniuerſum Mundum propagantur, idcircò rectè vocarentur, aut verè omninò eſſent vna viſibilis, & militans Eccleſia, quoniam omnes vni æterno inuiſibili, & iàm in Cœlis triumphanti Paſtori ſubſunt, niſi præterea ex eiuſdem Paſtoris iàm inuiſibilis inſtitutione, vnus viſibilis Paſtor earum omnium viſibilem in terris curam gereret.

Nàm vt in qualibet particulari Eccleſia, quæ à duobus, aut tribus Epiſcopis ſimùl occuparur, etiamſi plures illi Paſtores dicant ſe vni Chriſto parere, non vnitas vera exiſtere, ſed factio, & ſchiſma regnare dicitur (ſicuti Antiochiæ accidit cum Paulinus, & Flauianus, vterque Catholicus, Epiſcopalem cathedram ſimùl arriperent;) ſic in vniuerſali Eccleſia, ſi omnes Epiſcopi ex æquo præeſſent, nec vni cuipiam primo Paſtori viſibili, & militanti obedire iuberentur, quamvis vnum inuiſibilem Paſtorem omnes agnoſcerent; nulla vnitas viſibilis regnaret, ſed factio, & ſchiſma vbique tumultuaretur. Debet enim vnitas,

Dan.2. quæ multitudinem Epiſcoporum longè, latèque diffuſam connectet, eiuſdem generis, & conditionis eſſe, cuius eſt & ipſa multitudo. Sicuti enim ferrum teſtæ miſceri non poteſt, ſic neq; ſola inuiſibilis vnitas viſibilem multitudinem adunat.

1. Ioan.3. Cur alioqui, cùm finis omnium hominum hic ſit, vt Deum videant ſicuti eſt, tamen in hac vita nullus, non modò eum non videt, ſed neque poteſt videre; niſi quia alia eſt rerum præſentium, alia futurarum ratio?

Sap.8. Dei autem ſapientia ſuauiter omnia diſponens, præſenti vitæ ſecundùm præſentem rerum conditionem prouidet. Cur aliqui ſingulos Epiſcopos ſingulis maioribus Chriſtianorum Ciuitatibus, cur ſingulis Eccleſijs ſingulos Archipresbyteros præfecit? Non enim quaſi ope aliorum indigens hæc fecit, verùm vt homini iuxtà naturæ humanæ ſtatum conſuleret.

Hebr.2. Nàm ſi Filius Dei parùm putauit, vt cum hominibus fieret homo, niſi etiam cum mortalibus fieret morti obnoxius, & cum ijs, qui mala patiebantur, paſſibilis, quo per omnia fratribus aſſimilaretur, quid iam deinceps omiſiſſe putandus eſt, quod ad homines viſibiles, viſibili vnitate gubernandos pertineret? Conſtituit Epiſcopos in ſingulis Diœceſibus, ne inter ſingularum Diœceſium Presbyteros hæreſes, aut ſchiſmata naſcerentur. Et non multò magis toti Eccleſiæ militanti, vnum præfecit militantem Epiſcopum, cui dum omnes Epiſcopi tamquam Chriſti vicemgerenti obedirent; in tota Eccleſia vnitas conſeruaretur? Quid iſtorùm Chriſto antiquius fuiſſe putabimus, vtrùm vt ſingulis ſeorſim Diœceſibus, an potiùs vt toti corpori in commune conſuleret? Si alterum iſtorum dumtaxàt faciendum fuiſſet, vtique maiorem totius Eccleſiæ, quàm ſingularum Diœceſium habuiſſet rationem. Qui enim toti communitati prouidet, etiam ſingulis partibus eadem opera prouidet. Nunc autem Chriſtus & multis Diœceſibus multos viſibiles Epiſcopos, & vni Eccleſiæ per omnes gentes propagatæ, vnum viſibilem Epiſcopum, cui cæteri omnes adhærerent, deſignauit.

Hinc beatus Cyprianus, qui plurimùm operæ in vnitate Eccleſiæ exponenda poſuit, tum hoc Diuina lege fundatum eſſe affirmat, vt Eccleſia ſuper Epiſcopos conſtituatur; tum & vnitatem totius Eccleſiæ vnitati Epiſcopatus, & multitudinem Eccleſiarum particularium multitudini particularium Epiſcoporum accepto ferendam eſſe docet.

Vna eſt, inquit, Eccleſia per totū Mundum in multa membra diuiſa. Item Epiſcopus vnus Epiſcoporum multorum concordi numeroſitate diffuſus. Hæc ille.

Ac ſanè, ſi multitudo Epiſcoporum veriſſima cauſa eſt multitudinis Eccleſiarum, quæ vnius vniuerſalis Eccleſiæ membra ſunt: profectò etiam vnitas alicuius Epiſcopi, à quo cæteri omnes oriantur, veriſſima cauſa eſt, cur vna ſit per totum Mundum Eccleſia. Quamquam enim Eccleſia ramos ſuos (vt idem Cyprianus ait) in vniuerſam terram extendat, & profluentes largiter riuos latiùs expandat: vnum tamen, inquit, caput eſt, vna origo, & vna mater; fœcunditatis ſucceſſibus copioſa. Iam ob hoc vnum Epiſcopatus caput, & hanc vnam originem, dicit, vnam eſſe per totum Mundum Eccleſiam, licèt multa ſint illius membra: Sicut, inquit, cum de fonte vno riui plurimi defluunt, licèt numeroſitas diffuſa videatur exundantis copiæ largitate, vnitas tamen ſeruatur in origine. Ac ne quis dicat, Cyprianum dixiſſe vnum Chriſtum eſſe hoc vnum caput, & vnam originem tam Epiſcopatus, quàm Eccleſiæ; is animaduertat, Cyprianum eodem in libro hæc habere verba: Dominus vt vnitatem manifeſtaret, vnitatis eiuſdem originem ab ipſo incipientem auctoritate ſua diſpoſuit. Eſt ergo præter Dominum Ieſum alia vnitatis Eccleſiaſticæ origo; quam idem Dominus auctoritate ſua diſpoſuit, & itá diſpoſuit, vt non ſolùm vna eſſet, verùm etiam ab vno inciperet. Hanc originem ab vno incipientem, & à Domino diſpoſitam nunc demonſtremus.

Viſibilis vnitas tam Epiſcopatus, quàm Eccleſiæ ex inſtitutione Chriſti oritur, ab vno Petro.

Deus per naturam vnus, & in perſonis trinus, atque ideò, nec vnitatis primùm fabricandæ, nec multitudinis ex vnitate poteſtate

Deuter. 6. Matth. 18. ſteà propagandæ vmquam immemor, ſicut
primùm firmauit vnum Adamum, ac dein-
1. Tim. 2. dè ex illo vno fecit omne genus hominum:
Act. 17. Itemque, ſicut populum ſibi peculiarem ſe-
Eſa. 51. lecturus, primùm vocauit vnum Abraha-
mum (vt Eſaias ait) ac deindè benedixit ei,
Exod. 3. & multiplicauit eum. Sicut etiam ex Ægy-
pto populum ſuum educturus, primùm vo-
Num. 11. cauit vnum Moyſem, ac deindè tulit de Spi-
ritu eius, tradiditque eum ſeptuaginta viris, vt
ſuſtinerent onus populi vnà cum illo: ſic
etiam veteribus adaptans noua, naturam per-
ficiens, figuram adimplens, & legem ſtatuens;
Ioann. 1. vnum Simonem Ioannis filium vocauit Ce-
Matt. 16. pham, hoc eſt, petram; deindè Ieſu Chriſti
diuinitatem ei primùm, ac per eius confeſ-
Matth. 18. ſionem alijs reuelans, promiſit ſe ſuper hanc
petram ædificaturum Eccleſiam ſuam. Mox
eidem Petro claues Regni Cœlorum contulit,
quarum vſum poſteà cæteris Apoſtolis com-
municauit. Eum quoque fecit primùm Apo-
Matt. 10. ſtolorum, cui poſteà vndecim ſocios adiun-
xit, qui onus Eccleſiaſticæ molis vnà cum
illo ſuſtinerent. Ei præterea fidem contulit,
Luc. 22. tam ſtabilem, & firmam, vt fratres ſuos con-
Ioann. 21. firmare tum poſſet, tum deberet. Eum poſtre-
mò in gradu ſingulari, quo Chriſtum cæteris
Matt. 28. Apoſtolis plùs amauit, Paſtorem ouium, atque
agnorum conſtituit, alios poſteà ſimul cum
illo ad docendum, ac baptizandum omnes
gentes mittens. Ità & in Eccleſia ædificanda
primus, ac ſolidiſſimus militantium lapidum
eſt Petrus, & in familia gubernanda, Prin-
ceps moderandarum clauium eſt Petrus, &
in legatione obeunda, Chori Apoſtolici cho-
riphæus eſt Petrus, & in fidei cauſis dicendis
columna maxima immobilis eſt Petrus, & in
grege plùs alijs amando, paſcendoque vnus,
ac ſingularis paſtor eſt Petrus. Vndique igi-
tur Apoſtolici ordinis caput eſt, cui Dominus
tam eminentem gratiam, ac poteſtatem con-
tulit, vt nemini maior, nemini par, nemini
aliqua omninò poteſtas daretur, niſi vnitate
Petri, & priùs à Domino conſtituta, & ab
omnibus poſteà diſcipulis in æternum obſer-
uanda.

Hinc Auguſtinus dicit, Petrum propter Apoſtolatus ſui Primatum figurata generalitate perſonam Eccleſiæ geſſiſſe, vt videlicet ſicut Adam omnes homines in ſe continebat per naturam: ſic Petrus omnes fideles in ſe complecteretur per gratiam, & donum Chriſti.

Vndè alibi ait idem Auguſtinus, Petro Dominus oues ſuas ſic commendauit, vt eſſet Chriſtus caput, Petrus figuram corporis portaret, idest, Eccleſiæ; & tamquam Sponſus, & Sponſa eſſent duo in carne vna. Hæc ille.

Si ergo Petrus perſonam Eccleſiæ à Chriſto impoſitam geſſit, ſi hoc fuit Sponſo Chri-
ſto, quod Adamo Heua, quod Abrahæ Sara
Gen. 3. quod Sponſa viro, certum eſt, vt Heuam fuiſ-
ſe matrem omnium viuentium, itemque Sa-
Eſa. 51. ram fuiſſe cauernam laci, de qua Iſraelitæ præciſi ſunt, ſic & Petrum veluti in vtero ſuo portaſſe omnes Chriſtianos.

Vndè idem Auguſtinus alibi quoque ait, omnes Apoſtolos (de quibus maximè dubitandum videbatur) in Petro contineri, ſicut in præpoſito populus corripitur, aut laudatur, Denique vt ex *Auguſtino plura* non repetam, in ipſo *Petro*, inquit, Dominus vnitatem commendauit. In vno enim Petro figurabatur vnitas omnium Paſtorum.

Cyprianus idem omninò ſentiens, Eccleſia, inquit, quæ vna eſt, ſuper vnum, qui & claues eius accepit, Domini voce fundata eſt: & iterùm, vna eſt Eccleſia, & Cathedra vna ſuper Petrum Domini voce fundata. Aliud altare conſtitui, aut Sacerdotium nouum fieri, præter vnum altare, & vnum Sacerdotium non poteſt: quiſquis alibi collegerit, ſpargit. Non ſolùm igitur in Petro vera eſt Eccleſia, ſed etiam extra eum nulla eſt. In Petro tota Sacerdotij poteſtas, totumque Eccleſiaſticum miniſterium comprehenditur. Extra vnitatem Petri, nec baptizare, nec Euangelizare, nec manus imponere quiſquam legitimè poteſt.

Locutus eſt Dominus ad vnum, inquit Pacianus, vt vnitatem fundaret ex vno; id ipſum in commune præcipiens, qualiter tamen ad Petrum incipit.

Optatus ait, omnium Apoſtolorum capiti Petro Epiſcopalem Cathedram primo collatam, ne cæteri Apoſtoli ſingulas ſibi quiſque defenderent, vt iam ſchiſmaticus eſſet, qui contra ſingularem Cathedram alteram collocaret; Quid multis? Euſebius in Chronicis dicit, Petrum fuiſſe primum Chriſtianorum Pontificem.

Arnobius (in pſal. 138.) Epiſcoporum eſſe Epiſcopum.

Leo (ſermon. 2. in anniuerſario aſſumpt. ad Pontificatum) Epiſcoporum omnium eſſe Primatem.

Gregorius lib. 4. epiſt. 38. primùm eſſe
membrum vniuerſalis Eccleſiæ: Paulum verò
Andream, & Ioannem, quid aliud, quàm Ioan. 21.
ſingularum eſſe plebium capita? nec iniuria.
Cum enim ipſi Apoſtoli tamquam Domini
oues Petri curæ commiſſi eſſent, priùſquam
adhuc vllos populos ad fidem conuertiſſent;
tum ipſi inter ſe non alio viſibili vinculo,
quàm Petri præfectura, & Paſtorali vnitate
colligati erant; tum quos ſinguli Chriſto ac-
quiſiuerunt, eorum Epiſcopi, & Paſtores ità
facti ſunt. ad vnum Domini ouile, quod Pe-
trus ex Chriſti mandato paſcebat, non minùs
agni ſui, quàm & ipſi neceſſariò pertinerent.
Alioqui tot fuiſſent in terris Eccleſiæ, nullo Act. 10.
pacis externæ vinculo coniunctæ, quot erant Apoſtoli. At cum Petrus poſt Lintheum de Cœlo dimiſſum (in quo erant omnia quadrupedia, omnium gentium typus) occidere illa, & manducare iubebatur; tunc ſignificatum eſt, omnes gentes cuiuſcumque opera conuerſas, ad Petri Sacerdotium, velut apud altare Domini per illum immolandas, & ad Petri communionem, velut in eius ventrem per manducationem ſpiritalem transferendas, omninò afferri, & alligari; vt vndique vnitas Eccleſiæ tum à Petro in hoc Mundo incipiat; tum per Petrum conſeruetur. Cæteris Apoſtolis aſſignati ſunt greges, ſinguli ſingulis, Petro vniuerſi crediti ſunt, vni vnus.

Quod Moyſes Iudæis, Chriſtus dum in carne ambularet, ſuis diſcipulis, Petrus Apoſtolis fuit, hoc iam eſſe Romanam Eccleſiam omnibus Chriſtianis.

Deuter. 17. Si ante Chriſti aduentum, omnes Iudæi
per vniuerſum Mundum in varias ſynagogas
Matt. 23. diuiſi, dum vni Summo Sacerdoti ſecundùm
ordinem Aaron in Cathedra Moyſis ſedenti
Cant. 6. parebant, vnus Dei populus, vnaque viſibilis, & militans Chriſti Eccleſia fuerunt, qui
Num. 16. verò illam Cathedram contempſerunt, inter
ſchiſmaticos, & prophanos cum Core, Dathan, & Abyron reputati ſunt.

Si Chriſtus dum in terris ageret, omnes
diſcipulos ſuos eo viſibili modo connexit, vt
dum ſinguli eum in Summum Paſtorem acciperent, interim omnes vnus grex, & vnum
Ioan. 6. 10. & 17. viſibile corpus inter ſe fierent; qui verò ab
Luc. 12. illo defecerunt, aut eum vſque ad finem vitæ
Act. 2. ſuæ perſecuti ſunt, cum Iuda, & Pharisæis à
Deo reprobati ſunt.

Si poſt Chriſti Aſcenſionem in Cœlos,
Act. 14. ſingulæ fidelium plebes, & parœtiæ per ſuos
Rectores, & Archipresbyteros: ſinguli autem Rectores, & Archipresbyteri per ſuos
ſingulos Epiſcopos, & Primates: ſinguli ve-
Tit. 1. rò Epiſcopi, & Primates per Apoſtolos, qui
eos primùm conſtituerunt: ſinguli demùm
Matt. 10. Apoſtoli per Petrum Apoſtolorum Principem,
Ioan. 21. & Paſtorem omnium à Chriſto conſtitutum,
in vnum viſibile corpus Eccleſiæ collecti ſunt,
& adunati.

Matt. 28. Profectò cum Eccleſia Chriſti eodem
ordine, quo inchoata eſt progredi, & vſque
ad finem ſeculi perſeuerare debeat; Pontifex
autem Romanus in prima, ſingulari, & vna
principali Principis Apoſtolorum Cathedra
ſedeat, id quod & multis antiquorum Patrum
Lib. 7. teſtimonijs in Monarchia noſtra, & multis
admirandis Dei operibus in hoc ipſo libro
comprobauimus, & adhuc planiùs in hoc
etiam loco facturi ſumus: Vtique tam Epi-
Cap. 3. ſcopi omnes, quàm cæteri fideles per vnam
Apoſtolicam, & principalem Romani Pontificis Cathedram, eo viſibili modo inter ſe connectuntur, & copulantur, vt qui extra vnitatem Romani Pontificis degat, membrum Eccleſiæ Chriſti eſſe, aut communionis Sanctorum particeps fieri nullo modo poſſit: Quam quidam iam indè ab Apoſtolorum temporibus perpetuam Eccleſiæ Chriſti fidem, & doctrinam fuiſſe multis modis declarabimus; qui tamen omnes ad hæc duo capita referri poſſunt; videlicet, Apoſtolicam Sedem Romanam, & Principium, ſeu originem in terris, & cuſtodem, ſeu altricem eſſe totius poteſtatis, & vnitatis Eccleſiaſticæ.

Romana Eccleſia origo vnitatis, quæ inter Epiſcopos exiſtit.

Cyprianus, de quibuſdam hæreticis agens, qui Romam nauigabant; Audent, inquit, ad Petri Cathedram, atque Eccleſiam principalem, vndè vnitas Sacerdotalis exorta eſt literas ferre, nec cogitare eos eſſe Romanos, & quæ ſequuntur. Ecce, Eccleſiam Romanam vocat originem Epiſcopalis vnitatis (nam & Epiſcopus Sacerdos eſt) idque, quoniam omnes Epiſcopi in toto Mundo, à quibuſcunque Apoſtolis facti, non
per aliam poteſtatem factiſunt, quàm cu- Matth. 10.
ius radix in Primatu Apoſtolatus Petri; in & 16.
clauium eius prærogatiua, & in paſtorali eius præeminentia continebatur. Et quod in Petro Chriſtus inſtituit, in Petri Sede vſque ad conſummationem ſeculi permanet: ibi viuit Petri poteſtas, excellit auctoritas.

Eccleſiam Romanam eſſe faſtigium Sacerdotij, locum Petri, vinculum fidei, honorem Collegij, concordiæ glutinum.

Cum Cyprianus dixiſſet, vnam eſſe Eccleſiam, & Cathedram vnam ſuper Petrum Domini voce fundatam; mox adiunxit, aliud altare conſtitui, aut Sacerdotium nouum fieri, præter vnum altare, & vnum Sacerdotium non poteſt. Quid ergo? an plura non ſunt altaria, & Sacerdotes plures? ſunt quidem: ſed quia omnes in vno Sacerdotij corpore continentur, ob corporis vnitatem vnum Sacerdotium efficiunt.

Copioſum (inquit alibi Cyprianus) eſt corpus Sacerdotum, & Epiſcoporum, concordiæ mutuæ glutino, atque vnitatis vinculo copulatum. Sed quodnam eſt hoc Sacerdotalis vnitatis vinculum? Vtique vna Petri Cathedra, quæ in Eccleſia Romana floret.

Hinc indè Cyprianus dicit, Cornelium Pontificem Romanum ad Sacerdotij ſublime faſtigium, cunctis religionis gradibus aſcendiſſe, cum locus Fabiani, ideſt, cum locus Petri, & gradus Cathedræ Sacerdotalis vacaret. Si aliud Sacerdotium præter id vnum, quod ſupra Petrum à Domino fundatum eſt, fieri non poteſt: hoc eſt, ſi nemo extrà vnitatem Cathedræ Petri, Cathedram ſibi conſtituere, Primatum aſſumere, baptizandi, atque offerendi licentiam vindicare poteſt: (hoc enim apud Cyprianum eſt, Sacerdotem, ſeu Epiſcopum agere) Pontifex autem Romanus Petri locum ſublime Sacerdotij faſtigium, & cathedræ Sacerdotalis gradum teneat; profectò in ſolo Pontifice Romano glutinum Sacerdotalis concordiæ, atque vnitatis vinculum reperitur.

Cùm enim proprium vinculi ſit vi ſua,
&

& complexu diſſolutas alioqui tes conſtringere, & colligare; nec aut imbecilliùs quippiam fortiora conſtringere, aut, quod anguſtiùs eſt, ea, quæ latiùs patent, complecti queat; nihil aliud Sacerdotalis concordiæ vinculum eſſe poteſt, præter id vnum, quod Sacerdotij, & Sacerdotalis cathedræ ſublime faſtigium eſt.

Hoc autem faſtigium Cyprianus, nec ille ſolùm, ſed & Auguſtinus in Eccleſia Romana collocat.

Cùm enim Auguſtinus dixiſſet, ſpeculam Paſtoralem omnibus illis, qui funguntur Epiſcopatus officio, communem eſſe; mox ad Papam Bonifacium, cui eos libros dedicat oratione conuerſa. Quamvis, inquit, in ea [Paſtorali ſpecula] aut, vt alij legunt, in eo Epiſcopatus officio præmineas celſiore faſtigio, præminentis autem, & celſiùs faſtigium tenentis eſt, alia inferiora concordiæ glutino vincere, & colligare.

Cùm enim frigida pugnarent calidis, humentia ſiccis; cuius erat, niſi ſuperioris naturæ, pacem, & concordiam inter hæc elementa conſeruare? aut quis optimates Prouinciarum concordiæ glutino connectit, præter illum, qui omnibus illis præſidet?

Cyprianus, cùm aliud de illorum, qui ab Hæreticis baptizati fuiſſent, rebaptizatione, quàm Stephanus Pontifex Romanus, ſentiret; tamen cum collegis, & Coepiſcopis (vt ipſe ait) Diuinam concordiam, & Dominicam pacem tenuit: Seruatur, inquit, à nobis patienter, & firmiter charitas animi, collegij honor, vinculum fidei, & concordia Sacerdotij.

Quod eſt hoc fidei vinculum? & quæ Sacerdotij concordia, quam Cyprianus ſe ait ſeruare? dices, quòd noluit cum Epiſcopis ſuis contendere tam pertinaciter, vt eos excommunicaret, aut ab eorum communione recederet; etiamſi ab eius ſententia diſſentirent, optimè. At cur etiam non timuit, eos collegas, & Coepiſcopos deſerere, aut lædere, qui ſentiebant cum ipſo? cur Agrippinum iam defunctum, cur Epiſcopos defunctos, qui traditionem Agrippini ſeruauerant? cur Synodum ipſe ſuam Africanam, octoginta, & ampliùs Epiſcoporum? cur Hilenum, & Firmianum? cur omnes Epiſcopos ex Cilicia, Cappadocia, Galatia, & ex omnibus finitimis Galatiæ gentibus vnà ſecum rebaptizantes, (vt Dionyſius Alexandrinus, & ipſe in ea opinione animi dubius teſtatur) non potiùs honorauit? cur in tot gentium Epiſcopis honorem collegij, vinculum fidei, concordiam Sacerdotij non eſt auſus conſtituere? in promptu cauſa eſt; quia in ſola Romana Eccleſia ſciebat conſtitutam eſſe à Domino concordiam Sacerdotij, vinculum fidei, & honorem collegij.

Roma, inquit Proſper, Petri ſedes, facta Mundo eſt caput Paſtoralis honoris. Ibi ergo eſt honor collegij, nam honor collegarum in faſtigio cuiuſque collegij conſiſtit, quod faſtigium in Romana Eccleſia præminere Cyprianus credebat. Ibi etiam vinculum fidei; apud Romanos videlicet, ad quos Cyprianus dicebat, perfidiam non poſſe habere acceſſum.

Ibi concordia Sacerdotij, quoniam vnitatem Sacerdotalem *indè* exortam Cyprianus prædicabat.

Quamquam igitur mille Epiſcopi cum Cypriano ſenſiſſent, tamen ſolo Pontifice Romano diſſentiente, ſciebat nec honorem Epiſcopalis collegij, nec vinculum Catholicæ fidei, nec Sacerdotij concordiam à ſe ſtare, Stephani Pontificis Romani decretum fuit; quod Cyprianus tantopere formidauit.

Eccleſiam Romanam eſſe Eccleſiæ Catholicæ vnitatem, radicem, & matricem.

Singulos Romam nauigantes, inquit Cyprianus, hortati ſumus, vt Eccleſiæ Catholicæ radicem, & matricem agnoſcerent, & tenerent, vt te (ad Cornelium Pontificem Romanum loquitur) vniuerſi collegæ noſtri, & communicationem tuam, ideſt, Catholicæ Eccleſiæ vnitatem pariter, & charitatem probarent, ac firmiter tenerent.

Inuaſerant illo tempore Cathedram Petri, Nouatianus, cùm in ea Cornelius iàm antè ſediſſet. Et quia Cornelius ritè electus legitimam Petri ſucceſſionem explebat; illum Cyprianus vocat Eccleſiæ Catholicæ vnitatem, quia omnes Catholici Epiſcopi omninò, & abſque vlla exceptione debebant adhærere Petri Cathedræ, atque legitimo Epiſcopo Romano, qui in ea ſedebat. Dùm autem omnes vni communicare ex Diuina inſtitutione tenebantur; ille vnus omnium vnitas fuit.

Cyprianus igitur id ſedulò agebat, vt vniuerſæ collegæ, hoc eſt, omnes Epiſcopi probarent, ac tenerent non Nouatianum, ſed Cornelium, ideſt, Catholicæ Eccleſiæ vnitatem pariter, & charitatem.

Vndè & alibi ait: Miſeramus Caldonium, & Fortunatum, qui elaborarent, vt ad Catholicæ Eccleſiæ vnitatem (videlicet, ad obedientiam Cornelij Pontificis Romani, qui erat totius Eccleſiæ vnitas,) ſciſſi corporis membra componerent; ſed diuerſæ partis obſtinata pertinacia, non tantùm radicis, & matricis, ideſt, legitimi Pontificis Romani ſinum, atque complexum recuſauit, ſed etiam adulterum, & contrarium caput extrà Eccleſiam fecit. Romana Eccleſia radix vocatur, quoniam Petrus in ea ſui primatus conſtituit ſucceſſorem. Petrus autem propter Apoſtolatus ſui primatum ex circumciſionis Apoſtolatu, pinguis oliuæ typum gerebat. Oliuæ autem radix, vt beatus Paulus docet, Eccleſiam omnium gentium portat. Ita radix, & matrix Petrus, & præcipua Petri ſedes Eccleſia Romana. *Sedes Apoſtolica magnopere cauet, inquit Gelaſius, vt quia Mundo radix eſt Apoſtoli glorioſa confeſſio, nulla prorsùs contagione maculetur. Iàm quòd Eccleſia Romana etiam Catholicæ vnitatis præcipua cauſa (inter cauſas, inquam, externas, & viſibiles) exiſtat, Synodus Chalcedonenſis teſtatur, quæ impudentiam Dioſcori notans, qui Leonem Papam, à quo cæterorum Præſulum vnio maximè pendebat, excommunicare conatus eſt: Excommunicationem, inquit Synodus ad Leonem, meditatus eſt contra te, qui corpus Eccleſiæ vnire feſtinas. Cùm enim Gal. 2.

excom-

excommunicatio à communione ſeparatio ſit, communio autem fit plurium, immò Catholicorum omnium vnio; quid abſurdius, quàm eum excommunicare, qui totius Eccleſiaſticæ vnionis dux, & princeps exiſtat? Capite enim ipſo vnionis excommunicato, quis deinceps membra vniet?

Scientes, inquit Eutychius Patriarcha Conſtantinopolitanus ad Papam Vigilium, quantorum bonorum cauſa eſt pax Dei, ideò feſtinantes vnitatem conſeruare, ad Apoſtolicam Sedem veſtræ Beatitudinis notum facimus, quòd ſeruamus fidem à Chriſto Apoſtolis traditam, &c.

Denique totius Eccleſiaſticę vnitatis originem, & progreſſum Leo Papa his verbis explicat: Cùm omnium Epiſcoporum par eſſet electio; vni tamen datum eſt, vt cęteris præemineret. De qua forma Epiſcoporum quoque eſt orta diſtinctio: & magna diſpoſitione prouiſum eſt, ne omnes ſibi omnia vendicarent; ſed eſſent in ſingulis Prouincijs ſinguli, quorum inter fratres haberetur prima ſententia; & ruſùs quidem in maioribus vrbibus conſtituti, ſollicitudinem ſuſciperent ampliorem, per quos ad vnam Petri Sedem vniuerſalis Eccleſiæ cura conflueret, & nihil vſque à ſuo capite diſſideret; hæc Leo.

Ab vnitate igitur Petri ſumpta origine, per vnitatem Epiſcoporum in ſingulis Diœceſibus, & primatum in ſingulis Prouincijs ad vnam Petri Sedem ruſùs reditur, vt vnitas Eccleſiæ eo modo ſemper conſeruetur, quo primùm à Chriſto conſtituta eſt. Tunc enim (auctore Gregorio) vnumquodque ſalubriter completur officium, cum fuerit vnus, ad quem poſſit recurri Præpoſitus.

Petra, ſuper quam ædificatur Eccleſia.

Epiſt. 57. Beatitudini tuæ (inquit Hieronymus ad Papam Damaſum) ideſt, Cathedræ Petri communione conſocior: ſuper illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio.

Numerate, inquit Auguſtinus, Sacerdotes, vel ab ipſa Petri Sede: & in ordine illo Patrum, quis, cui ſucceſſit videte. Ipſa eſt petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ.

Præter illam petram, inquit Leo de Romana Eccleſia loquens, quam Dominus in fundamento locauit, non erit ſtabilis vlla conſtructio.

Quoſdam de Hiſtoriæ partibus à Schiſmaticorum errore ad vnitatem Eccleſiæ reuertentes, & Romanæ Eccleſiæ militare deſiderantes, B. Gregorius ait, ad Apoſtolorum Principis petram ſolidam concurriſſe. Eſt autem petra ædificij Eccleſiaſtici fundamentum, origo, & principium: vt meritò dicamus, vnitatem Eccleſiæ, quæ per vnitatem domus deſignatur, ab illa petra ortam, quæ eſt primum viſibile domus Dei fundamentum.

Pater Epiſcoporum.

Lib. 5 c. 10. Damaſus Papa, cum ex Epiſcopali Synodo literas ad Orientales Epiſcopos daret, his verbis apud Theodor. vſus refertur: Quòd veſtra charitas debitam Sedi Apoſtolicæ reuerentiam tribuit, filij honoratiſſimi, vobis ipſis quoque maximo ſanè honori eſt.

Africani Patres vocant Papam Anaſtaſium, tam patrem, quàm fratrem ſuum, illud, quia Petri ſucceſſor; hoc, quia Coepiſcopus erat.

Prima Synodus Epheſina Papam Cœleſtinum vocat ſanctiſſimum patrem ſuum, & collegam.

In quarta Synodo Oecumenica ſexcenti, & triginta Epiſcopi, cùm ad Papam Leonem ſcriberent: Firmitas tua, inquiunt, filijs, quod decet, adimpleat.

Sergius Cyprienſis Epiſcopus, itemque Primates, & Epiſcopi Numidiæ Bizacij, & Mauritaniæ, Theodorum Papam ſalutant Patrem Patrum.

Eſt autem pater principium, & radix fraternæ vnitatis, quæ eſt inter filios ipſius.

Principatus Apoſtolicæ Cathedræ.

In Eccleſia Romana, inquit Auguſtinus, ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguit principatus. Epiſt. 162.

Galliarum Epiſcopi cùm ad Leonem Papam ſcriberent, dixerunt Principatum Sedis Apoſtolicæ in Romana Eccleſia conſtitutum.

Synodus Conſtantinopolitana ſecunda Romanum Pontificem vocat Summum Pontificem magnæ Sedis Apoſtolicæ.

Cùm in Symbolo profiteamur nos credere vnam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam: certè vbi huius Apoſtolicæ Eccleſiæ Principatus non modò ſemel conſtitutus eſt, verùm etiam ſemper viguit, ibi neceſsè eſt principium, & radicalem vitam totius Eccleſiaſticæ vnitatis contineri.

Principatus Apoſtolici Sacerdotij, & Epiſcopatus.

Roma per Apoſtolici Sacerdotij principatum, inquit Proſper, amplior facta eſt arce religionis, quàm ſolio poteſtatis. Magnum Dei donum eſt Sacerdotium: maius autem Apoſtolicum Sacerdotium, at principatus Apoſtolici Sacerdotij, omnium planè maximum eſt.

Petrus in Apoſtolica Sede, inquit Galla Placidia, principatum Epiſcopatus ordinauit.

Beatiſſimo Romanę Ciuitatis Epiſcopo, ait Valentinianus Imperator in epiſtola ad Theodoſium, principatum Sacerdotij ſuper omnes antiquitas contulit.

Primus omnium Sacerdotum.

Apoſtolicæ Sedis Præſul, ait Eulalius Syracuſanus Epiſcopus, prærogatiua Petri, per vniuerſum Orbem primatum obtinet Sacerdotij.

Arator librum ſuum dedicat Domino Apo-

I n ad. Apoſtol.

Apoſtolico, & in toto Orbe primo omnium Sacerdotum Papæ Vigilio.

Sancimus, inquit Iuſtinianus, ſecundùm quatuor Synodorum definitiones, ſanctiſſimum ſenioris Romæ Papam, primum eſſe omnium Sacerdotum.

Quod autem in quocumque rerum genere primum eſt; cæterorum in eodem genere cauſa, & principium eſt: omnium igitur Epiſcoporum origo eſt Pontifex Romanus.

Summus Pontifex, & Sacerdos.

Aduerſùs quam inuidiam, inquit Hieronymus ad Papam Damaſum, illa me cauſa conſolatur, quòd tu, qui ſummus Sacerdos es, id fieri iubes. Idem verò eſt ſacerdos, quod Pontifex, ipſo Auguſtino interprete. Summus ergo ſacerdos, quid aliud eſt, quàm ſummus Pontifex? (In cap. 11. Ioann.)

Summi Pontificatus apicem, ait Iuſtinianus, apud Romam eſſe, nemo eſt, qui dubitat. (Authen. collat. 2. tit. 4.)

Primates, & Epiſcopi Numidiæ Bizacij, & Mauritaniæ Theodorum Pontificem Romanum ſalutant ſummum Pontificem omnium præſulum.

Primas Eccleſiæ.

Sedis Romanæ præſulem, inquit Gelaſius, Eccleſia veneranda confeſſa ſemper eſt, & habet deuota primatem.

Caput Epiſcoporum.

Sedes Roma Petri, ait Proſper, quæ paſtoralis honoris facta caput mundo, quicquid non poſſidet armis, religione tenet.

Epiſcopi ſecundæ Meſiæ in literis ad Leonem Auguſtum; Leo, inquiunt, Romanus Pontifex verè caput eſt Epiſcoporum.

Sexcenti, & triginta omnium nationum Antiſtites in Synodo Calcedonenſi ad Leonem Papam ſcribentes, Sacerdotibus, inquiunt, tu quidem ſicut membris caput præeras. (Act. 16.)

Leo Papa de Synodo Chalcedonenſi agens, quæ noſtro priùs miniſterio Dominus, inquit, definierat, vniuerſæ fraternitatis irretractabili firmauit aſſenſu, vt in hoc quoque capiti membra concordent. (In ep. 61. ad Theodoret.)

Caput fidei.

Apoſtolicæ ſedis reuerentia, inquit Gregorius, nullius præſumptione turbetur. Tunc enim ſtatus membrorum integer manet, ſi caput fidei nulla pulſet iniuria. (Lib. 11. ep. 42.)

Caput omnium Eccleſiarum.

Hunerico Vandalorum regi rationem fidei catholicæ poſcenti, reſpondit Eugenius Carthaginenſis Epiſcopus, ſe ſcripturum fratribus ſuis, vt in Aphricam veniant, & præcipuè, inquit, Romanæ Eccleſiæ, quæ caput eſt omnium Eccleſiarum. (Victor. de perſ. Vand. lib. 2.)

Veſtra ſanctitas (ait Iuſtinianus Imperator ad Papam Ioannem) caput eſt omnium ſanctarum Eccleſiarum. (In cod de ſum. Trinit.)

Rex, inquit Gregorius, in tantùm ſuæ temeritatem extendit veſaniæ, vt caput omnium Eccleſiarum Romanam Eccleſiam ſibi uendicet. (In Pſal. 5. pœnit.)

Caput vniuerſalis Eccleſiæ.

Magnus Baſilius profitetur ſe Occidentalium Epiſcoporum inſtitutionem amplexurum, idque ſiue ſe ipſos caput vniuerſalis Eccleſiæ reputarent, (quod quidem ad ſolum Romanum Pontificem referri poteſt) ſeu in reliquo Eccleſiaſticorum membrorum ordine collocarent: quia nec caput pedibus poſſit dicere, non eſtis nobis neceſſarij. (Ep 77.)

Paſchaſinus, Lucentius, & Bonifacius manifeſtarunt Dioſcori damnationem his verbis: Beatiſſimus Papa Leo, caput vniuerſalis Eccleſiæ, & quæ ſequuntur. (In concil. Chalced. Act. 16.)

Per epiſcopos, & primates ſingulos in ſingulis prouincijs conſtitutos, ad vnam Petri ſedem, inquit Leo, vniuerſalis Eccleſiæ cura confluit, vt nihil vſque à ſuo capite diſſideret.

Roma, inquit idem Leo, per ſacram B. Petri ſedem caput orbis effecta, latiùs preſidet religione diuina, quàm dominatione terrena.

Dum Pontificum Romanæ ſedis dignitati, ait Ennodius, quicquid fidelium eſt vbique, ſubmittitur, eum totius corporis caput eſſe deſignatur.

Potentior principalitas.

Ad Romanam Eccleſiam, inquit Irenæus, propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt, omnem conuenire Eccleſiam, hoc eſt, eos, qui ſunt vndique fideles. (Cont. hær. lib. 3. c. 3.)

Potior auctoritas.

Auctoritate potiores, inquit Ammianus Marcellinus, æternæ, hoc eſt, Romanæ, vrbis Epiſcopi.

Dignum exiſtimauit Stephanus Pontifex Romanus, Apoſtolicæ ſedis Antiſtes, (ait Vincentius Lirinenſis) ſi reliquos omnes antiſtites tantùm fidei deuotione vincerent, quantùm loci auctoritate ſuperabat. (Cont. hæreſ. cap. 9.)

Prior locus.

Innocentius, inquit Auguſtinus, cum Irenæo, Cypriano, Hilario, Ambroſio conſidet, etſi poſterior tempore, prior loco. (Con. Pelag. lib. 1.)

Athanaſium, inquit Ennodius, Romano Antiſtiti imparem locus oſtendit.

Fraternitatem tuam, inquit Gregorius ad Epiſcopum Salonitanum, etſi non vita, tamen loco tranſgredior.

Altior

Altior præſidentia Prælatura.

Cont. ep 2. Pelag.lib.1. c.1.ſub Geſaſio. Non dedignaris (ait ad Papam Bonifacium Auguſtinus,) quamuis altiùs præſideas, eſſe amicus humilium.

Septuaginta Epiſcopi in Synodo congregati, Romana, inquiunt, Eccleſia nullis ſynodicis conſtitutis, cæteris Eccleſijs prælata eſt, ſed Euangelica voce Domini primatum obtinuit.

Lib.2.ep.30 Sedes Apoſtolica, Deo auctore, inquit Gregorius, cunctis prælata conſtat Eccleſijs.

Qui præ ceteris debeat religioni proſpicere.

Lib.6. c.10. Sozomenus refert, Macedonianos (adhuc quidem eorum hæreſi occultata) ſcripſiſſe literas ad Liberium Epiſcopum Romanum, & reliquos occidentes Epiſcopos, vtpotè, qui fidem ab Apoſtolis ductam, ratam, firmamque tenerent, & præ ceteris deberent religioni proſpicere, hæc ibi. Certum autem eſt, hæc verba, nec ad alium pertinere Epiſcopum, quàm Romanum, nec ad eum alia de cauſa, quàm quòd Petri locumtenens, totius ouilis Dominici curam gerere debebat.

Prima ſedes omnium.

Etſi nomen primæ Sedis eis Eccleſijs accommodetur, quæ in qualibet prouincia præſident: tamen cum in concilijs plenis prima Sedes nominatur, illa ſola intelligitur, quæ omnium prima eſt, nempè Romana.

Tom.1.Cōcil. Hinc Synodus trecentorum Epiſcoporum Sinueſſana Marcellinum Papam, qui thurificauerat in templo Veſtæ, ex ore quidem ipſius Papæ, non item ex Synodi auctoritate damnatum fatetur: quoniam prima Sedes, inquiunt, non iudicabitur à quoquam.

In Syn. ſub Silueſtro. Hinc etiam ducenti octogitaquatuor Epiſcopi Romæ congregati dixerunt, Nemo iudicabit primam ſedem, quoniam omnes ſedes à prima Sede iuſtitiam deſiderant temperari. Cum in vtraque harum Synodorum neceſſe ſit, multos affuiſſe primarum ſedium Epiſcopos, conſtat, eos de prima Sede loquentes, tum de Romana loqui, tum eam omninò primam in tota Eccleſia confiteri.

Epiſt.61. ad Theodoretum. Quæ noſtro priùs miniſterio Dominus, inquit Leo, definierat, vniuerſæ fraternitatis irretractabili firmauit aſſenſu; vt verè à ſe prodijſſe oſtenderit, quòd priùs à prima omnium Sede firmatum, totius Chriſtiani orbis iudicium recepiſſet, vt in hoc quoque capiti membra concordent.

Sub Gelaſ. Septuaginta Epiſcopi in ſynodo, Prima, inquiunt, Petri Apoſtoli Sedes Romana Eccleſia.

Cura omnium ad Eccleſiam Romanam pertinebat.

Cum Orientales tam patriarchæ, quàm Epiſcopi Eccleſijs ſuis pulſi Romam confugiſſent, Papa Iulius, cum omnes fidei Nicænæ conſentientes in communionem ſuam recepiſſet, ac propter Sedis dignitatem, inquit Sozomenus, cura omnium ad ipſum ſpectaret, ſingulis Eccleſiam ſuam reſtituit. Lib.3.cap 7.

Curam, inquit Leo, vniuerſis Eccleſijs principaliter ex diuina inſtitutione debemus. Ep.82.

Papa Syluerius, inquit Epiſcopus Datariæ in Lycia, eſt ſuper Eccleſiam mundi totius. Liberatus in Breuicor. cap.22.

Sanctiſſima Sedes Romana, inquit Ioannes Epiſcopus Rauennæ, vniuerſali Eccleſiæ iura ſua tranſmittit.

Hæc ſedes Romana, inquit Gregorius, ſpeculationem ſuam toti orbi indicit. Apud Gregor. lib. 10. ep. 56.

Nullum in Hyſtria ab Apoſtolica ſegregatum remanere vultis Eccleſia, tantuſque vos B.Petri Apoſtolorum Principis amor accendit, vt ouile ipſius, cui à Domino omnes creaturæ ſunt traditæ, ſummo redintegrare cum deſiderio cupiatis. Quid vultis? In priu.5. Medardi. Lib.7.ep.95

Ambroſius vocat Damaſum rectorem domus Dei, Siricium verò ianuæ, & ouilis cuſtodem. Hieronymus affirmat Romanam cathedram eſſe arcam Noe, in qua, ſi quis non fuerit, regnante diluuio, peribit. Poſtremò Synodus Chalcedonenſis dicit, Vineæ, ideſt, Eccleſiæ cuſtodiam à Saluatore Pontifici Romano cōmiſſam eſſe. In c.3. 1. ad Thimot. & in ep.ad Siricium. Hieronym. ep. 57.

Tutiſſimus catholicæ communionis portus.

Petrus (Alexandrinus Patriarcha) perſecutionem Arianæ hæreſeos declinans, quaſi ad tutiſſimum, inquit Hieronymus, communionis ſuæ portum, Romam confugit. Tutiſſimus Catholicæ communionis portus Roma dicitur: quia ibi communio catholica non modò numquam defecit, verùm nec potuit deficere. Si enim Romanus Epiſcopus propter Petri cathedram, in qua ſedet, eſt origo vnitatis Eccleſiaſticæ, vinculum fidei, honor collegij, ſublime faſtigium ſacerdotij, petra Eccleſiæ, pater Epiſcoporum, primam ſedem tenens, caput omnium Eccleſiarum, principalitate potentior, loco prior, auctoritate potior, cuſtos vineæ, ianitor ouilis, rector domus Dei, arca Noe, & quæ ſunt eis generis: nec intelligi poſſit eam eſſe Chriſti Eccleſiam, quæ careat petra, vinculo, faſtigio, cathedra, capite, rectore; aut ianuæ cuſtode: aut nullam in terris oportet eſſe Chriſti Eccleſiam; (quo quid à vero alienius?) aut certè eam oportet ſaltem in radice, & viſibili ſua origine, & capite ſaluam conſiſtere. Itaque, quoniam ſi vſpiam eſt veræ fidei communio, ea in capite omnium Eccleſiarum multò maximè conſeruatur, prudentiſſimè ſcripſit D.Hieronymus, tutiſſimum catholicæ communionis portum in Eccleſia Romana eſſe. Alibi enim poterat eſſe: at ibi non poterat deeſſe. Ep. 16. Matt. 16.13. Matt. 13. Matth. 19.

Fidu-

Fiducia, & ſecuritas eorum, qui communicabant cum Romana Eccleſia.

Cœcilianus, inquit Auguſtinus, potuit non curare conſpirantem multitudinem inimicorum, cum ſe videret, & Romanæ Eccleſiæ, in qua ſemper Apoſtolicæ cathedrę viguit principatus, & cæteris terris, vndè Euangelium ad ipſam Africam venit, per communicatorias literas eſſe coniunctum. Securitas ergo Cæciliani primò, & præcipuè à principatu Apoſtolicæ cathedræ perpendit; nec iniuria. Si enim cathedræ Moyſis olim, quantò magis nunc Petri cathedræ adhærendum eſt. Matth. 23.

Lib. 5. c. 2. Gratianus toto imperio potitus ſcripſit legem, inquit Theodoretus; qua iubebat ſanctas Eccleſias tradi his, qui Damaſi (is erat Epiſcopus Romanus) communionem amplexarentur.

Puto tibi, ait Auguſtinus ad Iulianum, eam partem Orbis ſufficere debere, in qua primum Apoſtolorum ſuorum voluit Dominus glorioſiſſimo martyrio coronare. Cui Eccleſiæ præſidentem beatum Innocentium ſi audire voluiſſes, iam tunc periculoſam iuuentutem tuam Pelagianis laqueis exuiſſes.

Auguſtinus igitur indicat eum, qui adhæret Eccleſiæ Romanæ, ſecurum eſſe debere.

Cùm Theophilus Alexandrinus, Epiphanius Cypri, & alij Epiſcopi pluſquam triginta, Ioannem Chryſoſtomum in Synodo quadam Epiſcopatu ſuo priuaſſent, eorumque ſententiam Imperator edicto ſuo confirmaſſet, Innocentius Pontifex, Theophili iudicium irritum eſſe decreuit.

Communionem Ioannis, inquit Proſper, maxima pars Epiſcoporum Romani Pontificis exemplum ſecuta ſeruauit. Tunc Demetrius Epiſcopus Piſimuntis peragato Oriente prædicauit communionem Eccleſiæ Romanæ cum Epiſcopo Ioanne, teſtibus Papæ Innocentij literis.

Theodorus quoque Tyanæus Epiſcopus vir ſummæ grauitatis valefaciens comitatui, ſuamque Prouinciam vallans pietatis muro, ad finem vſque in communione perſiſtit fidelium Romanorum.

Cyrillus ad Ioannem Antiochenum de impietate Neſtorij ſcribens, cum dixiſſet, Romanam Synodum hæreſes illius notaſſe, ac præterea Theſſalonicenſem, ac alios ſapientiſſimos Macedoniæ Epiſcopos vniuerſæ occidentis communioni ſemper adhæſiſſe, addit ſe ipſum quoque idem facturum, ne videlicet à tantorum virorum communione deficiat, hæc ibi.

Porrò ad Cæleſtinum Papam ſcribit, Ipſi à Neſtorij communione cum fiducia nos non eximimus, donec iſta pietati tuæ communicemus.

Formatæ literæ Pontificis Romani communionem profitebantur, & præ ſeferebant.

Formatæ, ſeu Canonicæ literæ, quas Clerici peregrinantes deferre ſecum debebant, vt ſe à ſchiſmate immunes, & Catholicæ communionis ſocios demonſtrarent, ità conceptæ erant, vt elementa quædam græca in ijs ponerentur; quæ conſenſum, & in fidem conſubſtantialis, & in obſeruationem Paſchatis cum Eccleſia Romana, & denique in totam Eccleſiæ Romanæ fidem, & communionem teſtarentur. Ponebantur enim (vt Atticus Epiſcopus tradit) prima græca elementa Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Petri quoque Apoſtoli prima litera.

Hinc Optatus Mileuitanus Epiſcopus ait: Petro ſucceſſit Linus, & poſt, Damaſo Siricius hodie, qui noſter eſt ſocius: cum quo, nobis, totus Orbis commercio formatarum in vna communionis ſocietate concordat.

Vt Optatus fidem ſuam probaret Catholicam, ait, ſe in vna communionis ſocietate concordare cum Epiſcopis per totum Orbem, & cum Siricio Pontifice Romano, idque ità ſe habere declarat ex commercio Formatarum, in quibus videlicet deſignabatur ſalua, & retenta communio cum Petro, hoc eſt, cum Epiſcopo Romano.

Erant illa ætate innumerabiles per totum Orbem Nouationorum, Arianorum, Macedonianorum, Apollinariſtarum, Quartadecimanorum, Donatiſtarum, Pelagianorum, Manichæorum, & aliarum ſectarum Epiſcopi, vt hiſtoriæ Eccleſiaſticæ illorum temporum paſſim teſtantur. Singuli autem iſtorum volebant Catholici videri. At re vera nulli erant Catholici præter illos, qui communicabant cum Petri ſucceſſore; & ideò Optatus dicit, totum Orbem cum Siricio ſibi concordare commercio Formatarum, cum Siricio inquam, hoc enim ſi non adieciſſet, nullum peculiare ſignum Catholicæ ſuæ communionis recenſuiſſet.

Quos Romana Eccleſia in communionem recepiſſet, eo ipſo etiam ſi aliàs ſuſpecti, à Catholicis omnibus in communionem recipiebantur.

Marcellus Ancyræ in Galatia Epiſcopus inter hæreticos, velut qui ſe declaraſſet cum Sabellio ſentire, numeratus, cum Romæ annum, & tres menſes egiſſet, ac ſe apud Iulium Pontificem Romanum purgaſſet, in communionem Iulij receptus, ad Epiſcopatum reſtitutus eſt: quin & Athanaſius eum habebat, velut qui ſe purgaſſet. Epiphanius tamen ait, cum occultaſſe ea, quæ ab ipſo dicta ſunt, vt ne excideret per depoſitionem à communi Athanaſ. in ep. ad ſolit. vit. agent. Soz lib. 2. cap. 31. Epiph. hæret. 72.

Epiſcoporum collegio ; ac regula.

Communem regulam Epiſcoporum, quam aliam dicit Epiphanius, prçter Eccleſiaſticam communionem, cuius caput erat Epiſcopus Romanus?

Tum Macedoniani quidam Epiſcopi (adhuc quidem occultè) tum Euſtachius Sebaſtiæ in Armenia Epiſcopus in Liberij Papæ communionem receptus, quamquam eo vſque ſuſpectus eſſet, vt fidem clam depopulari putaretur; tamen Liberij epiſtola in Concilio Tyanis oſtenſa reſtitutus eſt in locum ſuum; nouæque literæ ad Occidentales Epiſcopos ex oriente mittuntur, quibus petitur, vt tam ille, quàm alij quidam (niſi errores corrigant) à communione ſeparentur. Semper enim apud Catholicos valuit, quod Liberius ad Conſtantij Cæſaris Eunuchum dixit, Quem Romana Eccleſia cum pace dimiſit, quomodo poterimus condemnare?

Baſil. ep. 74. Athanaſ. in epiſt. ad ſolitar.

Hoc idem, & magnus Leo ſignificans, Qui gratia, inquit, Apoſtolicæ communionis ornantur, etiam tuo fauore (Conſtantinopolis Epiſcopum Anatolium alloquitur) per omnia ſe gaudeant adiuuare.

Hinc etiam Theodoretus, & alij Epiſcopi receperunt locum in Concilio Chalcedonenſi, quòd cum Leone Papa communicarent. Vnde in Synodo legimus hæc verba: Alijs Epiſcopis, qui Flauianum damnarunt, Sedes Apoſtolica veniam tribuit, quia contra voluntatem geſſiſſe, quæ patrata ſunt, approbantur: ità vt nunc vſque adhæreant Beatiſſimo Papæ, & vniuerſali, ſanctoque Concilio, qua de re ſacroſanctæ communionis receperunt medicinam.

Quos Pontifex Romanus vitabat, cum illis neque cæteri Catholici communicabant.

Quos ſanctitas tua, inquit Ambroſius ad Siricium, damnauit, ſcias apud nos quoque ſecundùm tuum iudicium eſſe damnatos.

Hinc Proſper Aquitanicus ait, cum Pontifex Zozimus Synodalia Concilij Africani decreta probaſſet, per totum mundum hæreſim Pelagianam eſſe damnatam: Et ad impiorum, inquit, detruncationem gladio Petri dexteras omnium armauit antiſtitum.

Hinc beatus Hieronymus cum videret in Antiochena Eccleſia inter Catholicos ipſos excitatam ſeditionem, propterea quòd plures Epiſcopi ſimul Epiſcopalem Cathedram occuparent, non ſolùm ipſe dicebat, ſi quis Cathedræ Petri iungeretur, cum eo tantùm ſe communicare, verùm etiam Ægyptios, confeſſores Pontificis Romani collegas, idem feciſſe teſtatur. Non noui, ait, Vitalem, Meletium reſpuo, ignoro Paulinum. Non quòd Meletius, aut Paulinus hæretici eſſent, verùm quòd Romana Eccleſia eo tempore cum illis minimè communicaret, licèt poſteà Paulinum in communionem ſuam reciperet.

Lib. 5. ep. 48. Quos Apoſtolica Sedes, inquit Gregorius, in communionis ſuæ conſortium non recipit, charitas veſtra omninò refugiat.

Quiſquis alibi, quàm cum Romana Eccleſia communicaſſet, ſchiſmaticus ſemper habebatur.

Cùm Cyprianus dixiſſet, vnam eſſe Eccleſiam, & Cathedram vnam ſuper Petrum Domini voce fundatam, nec aliud ſacerdotium præter vnum illud fieri poſſe, adiecit, Quiſquis alibi colligerit, ſpargit; nihil autem aliud eſt ſpargere, quàm ſchiſma facere, & gregem Domini diuidere. Lib. 1. ep. 8.

Hieronymus præfatus ſe Cathedræ Petri communione conſociari, Quicunque, ait, extrà hanc domum agnum comederit (hoc eſt, corporis Chriſti Sacramentum participat) profanus eſt.

Qui contra ſingularem Cathedram Petri, alteram collocat, ſchiſmaticus, inquit Optatus, & peccator eſt.

Arnobius cum dixiſſet, Petrum Romæ prædicaſſe baptiſmum Chriſti, in quo vniuerſa, baptiſmi, flumina vſque hodie à Petro benedicuntur, mox adiecit, Qui exierit foras ab Eccleſia Petri, ſiti perit. Lib. 3. in

A beati Petri Eccleſia, inquit Gregorius, anima veſtra non inueniatur diuiſa, ne ſi hic beneficium eius deſpicitur, illic vitæ aditum claudat. dict. 11. ep. 41.

Antichriſti membrum eſſe, qui non communicat cum Eccleſia Romana.

Quicumque tecum, inquit Hieronymus ad Damaſum Pontificem Romanum, non colligit, ſpargit, hoc eſt, inquit, qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt.

Cùm vniuerſalis Eccleſia per illius principalis petræ ædificationem facta ſit petra: & primus Apoſtolorum beatiſſimus Petrus voce Domini audierit, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; quis eſt, niſi aut Antichriſtus, aut Diabolus, qui pulſare audeat inexpugnabilem veritatem?

Qui Dei ſunt, inquit Bernardus, libenter iunguntur Innocentio Papæ: Qui ex aduerſo ſtat, aut Antichriſti eſt, aut Antichriſtus.

Eadem eſt Catholica, & Romana Eccleſia.

Cùm ſinguli Catholici numquam ſibi licere crediderint, vt à communione Petri, aut Eccleſiæ Romanæ vlla ex cauſa recederent, eaque ratione dum vni tertio vnirentur, omnes inter ſe vniti fuerint; meritò factum eſt, vt nihil omninò eſſet diſcriminis inter Catholicam Eccleſiam, quæ corpus Chriſti eſt, & Romanam Eccleſiam, quæ huius myſtici corporis caput eſt.

Hinc Satyrus beati Ambroſij frater, cum in locum peregrinum appuliſſet, ne fortè ſacroſancta myſteria de ſchiſmatici alicuius manu perciperet, quæſiuit, vtrum nam Epiſco-

ſcopus loci cum Catholicis; hoc eſt, inquit Ambroſius, cum Eccleſia Romana conueniret.

Eodem modo Hieronymus ait. Si Ruffinus fidem ſuam vocat eam, qua Romana pollet Eccleſia, ergo Catholici ſumus.

Itidem cum Innocentius, & Zozimus Pontifices Romani datis ad Orientis, & Occidentis Eccleſias literis deuitandos Pelagia-
In vita ſancti Auguſt. niſtas cenſuiſſet, Poſſidius hoc Romanæ Eccleſiæ iudicium appellauit Catholicę Eccleſiæ
Lib. 6. c. 24. Dei iudicium.

Sozomenus quoque, cum ait, Nouatianos eodem die Paſcha celebraſſe, quo Romana Eccleſia, per Eccleſiam Romanam intellexit Catholicam Eccleſiam.

Hinc Longobardi ad Iuſtinianum aiunt, ſe de cultu diuino, eadem cum Romanis, hoc eſt, cum Catholicis, ſentire.

Arianus etiam Presbyter ad hæreticum Principem dixit. Si Armogaſtem, Catholicum virum, gladio peremeris, incipient eum Romani, hoc eſt, Catholici, martyrem prædicare.

Denique Beda narrat, Saxonum regem Oſuui quamuis educatum à Scotis, tamen veraciter intellexiſſe, quòd Romana eſſet Catholica, & Apoſtolica Eccleſia.

Nihil eſt aliud vnitas Eccleſiæ Catholicæ, quàm communio Romanæ Eccleſiæ.

Si viſibilis vnitas Eccleſiæ, & ab vna Petri Cathedra ex inſtitutione Domini exorta eſt, & ea Cathedra in Eccleſia Romana iam collocata ſit, & per eius principalem auctoritatem omnes Epiſcopi, & fideles Eccleſiæ idem ſapiant, vnitatem ſpiritus in vinculo pacis retinentes; qui verò cum Romana Eccleſia minimè communicat, is profanus & ſchiſmaticus habeatur; omninò efficitur, vt nihil aliud ſit, vnitatem Eccleſiæ ſeruare, quàm cum Eccleſia Romana communicare; nihilque aliud eandem vnitatem in hoc quidem mundo violare, quàm extrà Eccleſiam Romanam colligere, hoc eſt, docere, baptizare, aut offerre.

Lib. 10. epiſt. 31. Vnde cum beatus Gregorius formam præſcriberet, qua ſchiſmaticus Epiſcopus in abiuranda hæreſi vteretur, hæc adhibuit verba: Comperto diuiſionis laqueo, ad vnitatem Sedis Apoſtolicæ reuerſus, promitto me ſemper in vnitate ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ, & communione Romani Pontificis per omnia permanſurum, hæc ibi. Ex quibus intelligi poteſt, quàm ingens hoc Dei beneficium fuerit, vt tantum vnitatis theſaurum ad omnium Chriſtianorum commune bonum in Eccleſia Romana deponeret, & conſeruaret. A cuius Eccleſiæ vnitate, qui receſſerunt, eos videmus aut nullam omninò, aut non niſi triſtiſſimam religionis faciem retinere.

CAP. VII.

Quàm teſtata ſemper, & nota fuerit Eccleſiæ Romanæ fides, & poteſtas, tum doctis, tum indoctis, tum paganis, tum hæreticis; vtpotè miraculo Chriſti confirmata.

Decimumquartum Dei opus.

CVm omnis homo ſit mendax, & pluſquam ducentæ hæreſes in Eccleſia Chriſti ſint Rom. 3.
exortæ; & prima condendarum hæreſum radix ſit ſuperbia; & maxima ſuperbiendi oc- 1. Timot. 4.
caſio ex primatu arripiatur; quàm ingens 2. Timot. 3.
Dei opus haberi debet, quòd Eccleſia Romana humani generis conſenſu, omnium Eccleſiarum caput ſemper habita, per hos annos mille & quingentos, non ſolùm nouam hæreſim aliquam non condidit, ſed neque vllam omninò ex his plurimis, quas alij condiderunt, ſecuta vnquam eſt, aut amplexa?

Paulus fidem Romanorum in vniuerſo Rom. 1.
mundo annuntiari dixit. Semel ergo Eccleſia Romana rectè credidit. An. Dom. 50.

Irenæus lib. 3. cap. 3. eandem viuificatricem fidem ad ſua vſque tempora conſeruatam in Eccleſia Romana teſtatur. Ann. Domini 160.

Cyprianus Romanorum fidem ab Apoſtolo prædicatam, negat mutari poſſe, lib. 1. ep. 3. An. Dom. 250.

Hippolytus Oſtienſis Epiſcopus (apud Prudentium in hymnis) hortatur ſuos, vt apud eos vigeat vna fides illa, quam Petri Cathedra retinet. An. Dom. 270.

Euſebiani (apud Sozomenum lib. 3. c. 7.) literis ad Iulium Papam datis, fatebantur, licèt inuiti, Eccleſiam Romanam primas apud omnes ferre, vtpotè quæ Apoſtolorum ſchola, & pietatis Metropolis iam ab initio fuiſſet. An. Dom. 350.

Ambroſius, in ep. 81. Credatur Symbolo Apoſtolorum, quod Eccleſia Romana intemeratum ſemper cuſtodit, & ſeruat. Ann. Dom. 360.

Ruffinus in Symbolo: Hæreſis nulla in Eccleſia Vrbis Romæ ſumpſit exordium. An. Dom. 380.

Hieronymus in apol. 3. aduersùs Ruffinum, ait, fidem Romanam neque præſtigias recipere, neque mutari poſſe. Ann. Domini 400.

Palladius in vita Chryſoſtomi; Theodorus Tyanæus Epiſcopus ad finem vſque in communione perſtitit fidelium Romanorum. An. Dom. 420.

Auguſtinus, contra Pelagium libro 2. cap. 8. prædicandum in Domino clamat Romanorum fidem. An Dom. 440.

Theodoretus ad Renatum Presbyterum ſcribens, Romana, inquit, Sedes ſemper hęretici fœtoris expers permanſit. An. Dom. 440.

Et verè vbique, ait Primaſius in cap. 1. ad Romanos, fides clara eſt Romanorum. An. Dom. 530.

Procopius lib. 1. de bello Gothorum: Chriſtianæ fidei diſciplinam ſi alij vnquam, Romani præcipuè ſunt venerati. Ann. Domini 570.

Gregorius Magnus lib. 12. ep. 7. Abſit nos cuiuslibet hæretici recipere ſenſum: & libro 3. ep. 33. De Eccleſia beati Petri nullum dubitetis ſcrupulum habeatis. Ann. Domini 600.

Agatho in ep. ad Conſtantinum IV. Imperat. Apoſtolica Petri Eccleſia numquam hæreticis nouitatibus deprauata ſuccubuit, ſed illibata finem tenùs manet. Lucæ 22. An. Dom. 680.

Taraſius Patriarcha Conſtantinopol. in actione 2. Nicænæ Synodi II. reſpondit. Teſtimonium Pauli Apoſtoli, quo ſtudium ſynceræ fidei Romanorum exoſculatur, nos inſequi par eſt, temerariumque repugnare arbitramur. An. Dom. 790.

Nicolaus Primus ad Michaelem Imperatorem, priuilegia Eccleſiæ Romanæ Chriſti ore in B. Petro firmata, perpetua ſunt: ante imperium veſtrum fuerunt, manebuntque poſt vos, & quouſque Chriſtianum nomen prædicatum fuerit, illa ſubſiſtere non ceſſabunt immutilata. An. Dom. 860.

Theodorus Cœnobij Studienſis apud Conſtantinopolim Antiſtes, in dogmat. de adorat. ſac. Imaginum: Tanta eſt Romanorum fides, vt illic infracta videatur eſſe petra fidei, nimirùm iuxtà verbum Domini fundata. An. Dom. 830.

Walafridus Strabus de rebus Eccleſ. capit. 22. Nulla per Orbem Eccleſia æquè vt Romana, ab omni ferè hæreſeon cunctis retrò temporibus pura permanſit. An. Dom. 840.

Regino Chron. lib. 2. Romana Vrbs ab omni ſancta Eccleſia propter præſentiam Petri, & Pauli, ſpeciali quodam veneratur priuilegio. An. Dom. 900.

Leo IX. in epiſt. ad Michaelem, & Aridanum, Romanæ Eccleſiæ fides per Petrum ſuper Petrum ædificata, nec hactenùs defecit, nec deficiet in ſecula. Luc. 22. An. Dom. 1050.

Lanfrancus in libro aduerſùs Berengarium: Beati Doctores ſi non eiſdem verbis, tamen eiſdem ſententijs concorditer aſtruxerunt, hæreticum eſſe omnem hominem, qui à Romana, & vniuerſali Eccleſia in fidei doctrina diſcordat. An. Dom. 1070.

Rupertus Abbas Tuitienſis, de diuinis officijs, lib. 2. cap. 22. Romana Eccleſia ſuper Apoſtolicæ fidei petram, altiùs fundata, firmiter ſtetit, & tam Græciæ, quàm totius Orbis hæreticos ſemper confutauit. An. D. 1100.

Bernardus ad Innocentium Papam II. in epiſt. 100. Oportet ad veſtrum referri Apoſtolatum pericula quæque, & ſcandala emergentia in Regno Dei; ea præſertim, quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi potiſſimùm reſarciri damna fidei, vbi non poſſit fides ſentire defectum. Hæc quippè huius prærogatiua Sedis. An. Dom. 1140.

Thomas de Aquino, in Opuſc. de Symbolo Apoſtolorum, Sola Eccleſia Petri ſemper fuit firma in fide. An. Dom. 1250.

Nicolaus de Lyra in caput Luc. 22. ad illa verba, Vt non deficiat fides tua: Ex hoc patet fidem non deficere ad finem Mundi, potiſſimùm in Eccleſia Romana, quæ à Petro poſt Chriſtum fundata eſt. An. Dom. 1330.

In reuelationibus S. Brigittæ, lib. 7. capit. 19. Sciant Græci, quòd eorum Imperium, & Regnum, ſiue Dominia nunquam ſtabunt ſecura, donec ipſi cum vera humilitate, & charitate Eccleſiæ, & fidei Romanæ ſe deuotè ſubiecerint. Hæc promulgata centum ferè annis ſunt, antequam Græcorum regna, & imperium à Mahomete ſecundo Turcarum Imperatore euerſa fuiſſent. An. Dom. 1370.

Æneas Syluius in Dialogo contra Bohemos, epiſt. 130. In his, quæ ſunt fidei, nunquam reperta eſt Apoſtolica Sedes erraſſe, aut adulterinis acquieuiſſe dogmatibus. An. Dom. 1450.

Hoc auſim dicere, Romanus Præſul indubitatus, nemo vnquam inuentus eſt falſæ doctrinæ publicus aſſertor.

Ioannes Picus Comes Mirandulæ, in theorem. 13. Ad Romanam Eccleſiam caput, & magiſtram Eccleſiarum mentis acies dirigenda eſt: atque huic ipſi Eccleſiæ, hoc eſt, Apoſtolicæ Sedi Petri, Chriſti Vicarij, ſanctiſſimi viri adhæſerunt ſemper. An. D. 1500.

Si omnium ætatum doctiſſimi, atque optimi viri, tam præclara teſtimonia de Eccleſiæ Romanæ ſincera fide, & indubitato primatu dixerunt (vt omittam, quòd decies plura in eandem ſententiam afferri potuiſſent) ſi eorum multi, non ſolùm de præteritis, & præſentibus, verùm etiam de futuris temporibus locuti ſunt, eaque ſicut ipſi prædixerunt, nos re ipſa eueniſſe conſpicimus; qua fide, vel potiùs qua perfidia præditus eſt, qui ſuæ prudentiæ innixus, & à communi omnium Sanctorum ſententia recedens, audet, fidem Romanam vocare Antichriſti doctrinam, & perfidiam? An. Dom. 1576.

Etiam plebi Chriſtianæ notiſſimum ſemper fuiſſe fidem, & auctoritatem Romanæ Eccleſiæ.

Nec tantùm Paſtoribus, & Doctoribus Eccleſiæ, de quibus iam egi, ſed prætereà fideli tam Vrbis Romæ, quàm reliqui Orbis Chriſtiani vulgo, & plebi notiſſimus ſemper fuit Pontificis Romani primatus. Hinc beatus Cyprianus auctor eſt Stephano Pontifici Romano, vt non ſolùm ad Coepiſcopos in Gallijs, verùm etiam ad plebem Arelatæ conſiſtentem literas dirigat, quibus abſtento Marciano (Arelatenſi tunc Epiſcopo, ſed ob hæreſim Nouatianam deponendo) alius in eius locum ſubſtituatur. Nouerat ergo, & plebs Arelatenſis primatum Romani Pontificis; nec enim alioqui literis eius paruiſſet. Hinc etiam cùm Lucius Arianus cum Petro antiſtite catholico de Alexandrino Epiſcopatu contenderet, populus Alexandrinus intelligens Petrum ex Vrbe Roma cum Damaſi Papæ literis reuerſum, expulit Lucium, & Petrum in eius locum introduxit. Vnde hoc, niſi quia populus ipſe nouerat ſummam de fidei, & Epiſcoporum cauſis iudicandi poteſta-

Lib. 3. ep. 13.

ſtatem penès Romanum Pontificem fuiſſe?

[Lib.2.c.10.] Narrat etiam Socrates, quamquam Conſtantius Imperator Paulum ex Eccleſia eiecerat, tamen populum Conſtantinopolitanum recepiſſe eundem Paulum cum literis Iulij Pontificis reuertentem, etiam inuito Imperatore, quamquam poſteà iterùm per vim pulſus fuerit.

Childebertus Francorum Rex Monaſterio Arelati condito, petijt eas res, quas eidem donauerat, Vigilij Papæ auctoritate firmari, atque etiam priuilegia quædam adijci. [Lib 7. ind.2. ep.115.] Gregorius verò Magnus rationem huius petitionis exponens, ait Regem ſciuiſſe, eam Apoſtolicę Sedi reuerentiam à fidelibus exhiberi, vt quæ Sedis Apoſtolicæ fuiſſent decreto diſpoſita, nullius deinceps illicitæ vſurpationis moleſtia quaterentur.

[Lib.4.ep.44.] Idem Gregorius alibi ſcribit in hæc verba: Nos indignos pro beati Apoſtoli Petri reuerentia, mens fidelium veneratur. Ex amore quippè fidelium huius Sedis, mos vltrà meritum erupit, vt cum eorum corpora humanda deferuntur, Dalmaticas pro ſanctitatis reuerentia ſubintret, partiendas populus ſcindat. Hæc ille.

An valdè celebris primatus ille non fuit, quem plebs diuinorum myſteriorum ſæpè ignara, in B.Petri honorem tam apertè venerata eſt? Quod nunc de plebe Romana, Gallica, & Alexandrina diximus in Græcanica etiam plebe locum habuiſſe iam demonſtrabimus.

Græcanicæ plebis fidem de Romani Pontificis auctoritate Deum etiam miraculo confirmaſſe.

[Lib.dial.3. cap.3.] Dum Agapetus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Pontifex, inquit B. Gregorius, ad Iuſtinianum principem proficiſceretur in Græciarum partibus, propinqui cuiuſdam muti, & claudi obtulerunt eum Agapeto curandum, dicentes ſe in virtute Dei ex auctoritate Petri fixam illius ſpem habere. Hæc ille.

Tam notum igitur etiam olim Orbi Chriſtiano fuit, Pontificem Romanum, non ſolùm Petri ſucceſſorem eſſe, verùm & ob eam rem auctoritate quadam excellere, vt plebei homines in fide huius auctoritatis, quam Romanus Pontifex à Petro acceptam habebat: firmiter confiderent, mutum, & claudum à Romano Pontifice ſanitati ſuę reſtituendum eſſe.

Dicent, opinor Proteſtantes, hanc plebis non tam fidem fuiſſe, quàm ſuperſtitionem. Quod vt fruſtrà ſe dicere intelligant, meminerint Deum, qui ſuperſtitiones impias non approbat, multòque minùs illuſtrat, & teſtimonio ſuo confirmat, huius plebis fidem probaſſe, atque ità probaſſe, vt eam admirabili quodam opere confirmarit.

Vnde Gregorius in eadem hiſtoria explicanda pergens, Protinùs, inquit, venerandus vir) nempè Agapetus Pontifex Romanus) orationi incubuit, & Miſſarum ſolemnia exorſus, ſacrificium in conſpectu Dei omnipotentis immolauit. Quo peracto ab Altari exiens, claudi manum tenuit, atque aſſiſtente, & aſpiciente populo, eum mox à terra in proprijs greſſibus erexit. Cùmque ei Dominicum corpus in os mitteret, illa diù muta ad loquendum, lingua ſoluta eſt. Mirati omnes flere præ gaudio cœperunt, eorumque gentes illicò metus, & reuerentia inuaſit, cùm videlicet cernerent quid Agapetus facere in virtute Domini ex adiutorio Petri potuiſſet. Hæc Gregorius.

Si petita eſt huic muto, & claudo ſanitas per auctoritatem Petri, & Pontifex Romanus Petri ſe ſucceſſorem cognoſcens non recuſauit, ſed accepit conditionem; ſi denique Deus, qui ſolus facit mirabilia, quod à plebe [Pſal. 76.] fideli petebatur, miniſterio Pontificis Romani conceſſit, liquidò apparet, Deum opere ipſo edixiſſe, Pontificem Romanum reverà Petri auctoritatem in Eccleſia ſua tenere. Si hominum teſtimonia Proteſtantes reijciunt, numquid nec Dei teſtimonium, quo Romanæ Eccleſiæ primatus tam inſigniter commendatur, accepturi ſunt?

Etiam Paganis notum fuiſſe Romani Pontificis Primatum.

Quid, quòd nec Pagani quidem Romani Pontificis primatum ignorabant, ſed eum [Euſeb.lib.7. cap.24.] perſpicuè confitebantur? Cùm Paulus Samoſatenus in Concilio Antiocheno de honore deiectus, ex epiſcopali domo exire nollet, Aurelianus Imperator præcepit, vt domus Eccleſiæ illis tribueretur, quibus Chriſtiani Italiæ, & Vrbis Romæ Epiſcopi per literas tribuendam præſcriberent. Sciebat enim, etiamſi Paganus rerum Chriſtianarum ſummam moderationem penès Epiſcopos Vrbis Romæ eſſe, cui ſolebant Italiæ Epiſcopi in Concilio aſſidere.

Ammianus Marcellinus etiam ipſe Paganus narrat Conſtantium Athanaſio ſemper [Hiſtor.l.15.] infeſtum, licèt eum ſciret Synodi cuiuſdam decreto ab Epiſcopatu depoſitum; tamen cupiuiſſe id decretum à Liberio Pontifice Romano firmari ob auctoritatem, qua, inquit, potiuntur æternæ Vrbis Epiſcopi.

Hieronymus refert idolorum cultorem ſolitum eſſe Papæ Damaſo ludentem dicere, Facite me Romanæ Vrbis Epiſcopum, & ero protinùs Chriſtianus.

Magnus Cham Cublai vocatus, cùm cuperet fidem Chriſtianam ſuis ſapientibus perſuaderi, ad Papam miſit ea de re, tamquam ad caput fidei Chriſtianæ. Immò quicunque Barbari cùm Chriſtianis, aut de fidei, aut de fœderis negotio acturi, quocum potiùs agunt, quàm cum Romano Pontifice?

Armeni non ne ab Eugenio Quarto regulam fidei petierunt?

Nicolai Regis Perſarum, Coſcopæ Ducis Georgianæ, Manuethis Aſſembercht Soldani Meſopotamiæ, Morathi Verbrecht in Armenia Domini Oratores, & Nuncij fœdus contra Turcas vnà cum Chriſtianis inituri, ad quem potiùs acceſſerunt, quàm ad Chriſtianorum caput Romanum Pontificem Pium Secundum?

Clau-

Claudius Æthlopiæ Rex, cùm vellet vnam, eandemque fidem nobiſcum profiteri, nonne Damianum à Goes ad Ioannem Tertinm Luſitaniæ Regem miſit, vt per eum aditus ei ad Paulum Tertium Pontificem Romanum pateret?

Quis enim, qui de Chriſto vnquam audiuit, ignorat Vicarium eius eſſe Pontificem Romanum? qui ad hoc ipſum in tanto eminente candelabro conſtitutus eſt, vt non ſolùm, qui ſunt in domo Dei, ſed etiam qui eam
Luc. 8. domum ingredi cupiunt, lucem videant, qua ad domum Dei deduci poſſint.

Etiam hæreticos primatum Romani Pontificis agnouiſſe.

Hæretici, quibus nlhll ferè magis inſenſatum eſſe ſolet, tamen Eccleſiæ Romanæ primatum non videre tantùm, ſed & confiteti ſæpiſſimè coacti ſunt.

Cataphryges, qui iuxtà Montani hæreſim, Priſcæ, ac Maximillæ propherias ſectabantur, cum ſuperſtitioni ſuæ à multis fideli-
Euſeb. lib. 5. cap. 15. bus viris, ac præſertim à Zotico, & Iuliano Epiſcopis vehementer contradiceretur, à Zepherino Pontifice Romano petierunt, vt approbata ipſorum noua doctrina, pacis, & communionis ſuæ literas illis daret: non ſanè ob aliud, quàm, quòd ſciebat ſe aduerſus quoſcunque Epiſcopos in æternum ſecuros fore, ſi primi Epiſcopi communionem impetraſſent. At Pontifex, licèt penè ab illis deceptus, literas pacis iam emiſſas (ſi Tertulliano in ſua ipſius hæreſi credendum eſt) reuocauit. Id quidem conſtat, quòd in Pontificis Romani communionem recepti non ſunt.

Lib. 2. c. 9. Euſebius Nicomedienſis iam Conſtantinopolim translatus, licèt Arianus, tamen Legatum (vt refert Socrates) ad Iulium Pontificem Romanum miſit oratum, vt ipſe in cauſa Athanaſij (quem Gregorius Arianus ex Alexandria iam expulerat) iudex eſſe vellet, litiſque dijudicationem ad ſe transferret. Vnde Athanaſius de ſe ipſo loquens, Euſebiani, ait, Romam contra Athanaſium ſcribunt: Epiſcopus autem Romanus Iulius ſynodum fieri iuſſit, vbicunque vellemus, vt tutò, & crimina obijcerent, & inuicem ſi obiecta refutarent. Id enim eorum Legati, cum ſe vinci animaduerterent, poſtularunt. Hæc Athanaſius.

Macedoniani nondùm diuulgato quem tunc occultabant contra Spiritus ſancti diuinitatem errore, ad Liberij Pontificis Romani communionem velut ad aſylum confugerunt, abdicato Arianiſmi, quo priùs tenebantur veneno, ac ſe totos iudicio Papæ ſubmittentes. Liberius in eorum gratiam ad Orientis Epiſcopos literas dedit, de quibus in Concilio
Sozom. l. 6. c. 10. & 12. Tyanis habito, Gregorius Nazianzenus, & alij Catholici Orientis Epiſcopi magnam cœperunt lætitiam. At eandem hæreſim poſteà detectam Eccleſia Romana condemnauit in Concilio Conſtantinopolitano.

Euthyches ad Sedem Apoſtolicam, ait Magnus Leo, per libellum doloris ſui quærimoniam miſit, cuius hæreſim idem Leo in Concilio Chalcedonenſi damnauit.

Cœleſtius, qui hæreſim Pelagianam propugnabat, non eſt auſus (vt Auguſtini verbis vtar) B. Papæ Innocentij literis obſiſtere; immò ſe omnia, quæ Sedes illa damnaret, damnaturum eſſe promiſit.

Anthiuius Patriarcha Conſtantinopolitanus (vt habetur in Synodo Conſtantinopolitana ſecunda, Act. 4.) deceptibilibus rationibus vſus, promiſit ſe omnia facere quęcunque ſummus Pontifex magnæ Sedis Apoſtolicæ decerneret, & ad ſanctiſſimos Patriarchas ſcripſit, ſe ſequi per omnia Sedem Apoſtolicam.

Berengarius quoties hæreſim ſuam ad Sedis Apoſtolicæ iudicium abiurauit? Id quidem Guitmundus in lib. de Sacramento altaris copioſè exponit.

Schiſmatici Græci decem vicibus, & eò ampliùs Eccleſiæ Romanæ reconciliati ſunt: de quibus S. Antoninus Florentiæ Archiepiſcopus latiſſimè agit.

Valdenſes, ſeu pauperes de Lugduno, inquit Abbas Wſpergenſis, qui eodem ipſo tempore vixit, petebant ſectam ſuam à Sede Apoſtolica confirmari, & priuilegiari.

Wiclefus ad Vrbanum Papam ſextum ſcripſit in hæc verba: Romanus Pontifex cum ſummus Chriſti Vicarius in terris ſit, fidem meam ſi ſit Orthodoxa confirmabit, etſi ſit erronea emendabit, & quæ ſequuntur.

Lutherus anno altero ab incepto ſchiſmate ſuo ad Papam Leonem ſcribens, Proſtratum me, inquit, pedibus ſuæ beatitudinis offero cum omnibus, quæ ſum, & habeo: viuifica, occide, voca, reuoca, approba, reproba, vocem tuam, vocem Chriſti in te præſidentis, & loquentis agnoſcam.

Primatus igitur Pontificis Romani, tàm perſpicuus omni ætate fuit, vt hæretici nihil ferè antiquius habuerit, quàm vt ſua dogmata Sedi Apoſtolicæ probarentur. Sed cum res pro illorum voto non ſuccederet, tunc demùm tribunal, à quo ipſorum hæreſes damnabantur, oppugnare cœperunt.

Ex Donati, & Cæciliani vera hiſtoria, quæ cum ſtatu quæſtionum indè ortaturum diſcutitur, Primatus Papæ vehementer confirmatur.

Aduerſariorum calumnijs etiam obiter interpoſitis reſpondendum hoc in loco duxi. Vacante igitur apud Carthaginem Epiſcopali Sede, Cæcilianus more maiorum ordinatus eſt illius Eccleſiæ Epiſcopus. Quod cum Donatus inuidiæ ſpiritu ductus indignè ferret, Lucillæ potentis fęminæ opibus, & factione adiutus, Maiorinum ordinauit einſdem loci Epiſcopum.

Cæcilianum verò in ſeptuaginta Epiſcoporum Aphricæ Concilio abſentem, & ob communionem Romani Pontificis inimicorum multitudinem parum curantem, damnauit. Hinc ad Conſtantinum Imperatorem itum eſſe inter omnes conſtat.

Sed

Sed Proteſtantes falsò aiunt, Cęcilianum ad Conſtantinum prouocaſſe; tanquam vir Catholicus cauſam Epiſcopalem Imperatoris iudicio ſubieciſſet. Non enim Cæcilianus Antiſtes Catholicus, ſed Donatus hæreticus ad Imperatorem confugit. Soli hæretici ſunt, qui cauſis Eccleſiaſticis reges præficiunt: Donatiſtas, inquit Auguſtinus, magis hinc arguimus, quia apud Imperatorem vltrò Cęcilianum accuſarunt, quem primò vtique apud collegas tranſmarinos conuincere debuerant. Hæc ille.

Non ergo Cæcilianus Donatiſtas ad Conſtantinum traxit, ſed Donatiſtæ Cęcilianum apud Cæſarem vltrò accuſarunt; vltrò inquam: Cæcilianus verò, ait alibi Auguſtinus, non curauit conſpirantem inimicorum multitudinem, eò quòd ſe videret, & Romanæ Eccleſiæ, in qua ſemper Apoſtolicæ Cathedrę viguit Principatus, & cæteris terris: Vnde Euangelium ad ipſam Aphricam venit, per communicatorias literas eſſe coniunctum, vbi paratus eſſet, cauſam ſuam dicere, ſi aduerſarij eius ab eo illas Eccleſias alienare conarentur.

Ex his Auguſtini verbis intelligimus, tùm Cathedræ Apoſtolicæ Principatum ſemper in Eccleſia Romana viguiſſe, tùm Cæcilianũ fuiſſe paratum apud Pontificem Romanum, & eius collegas, non item apud Imperatorem cauſam ſuam dicere.

Apud Euſe. lib. 10. c. 5. Immò, & Conſtantini litteræ quas paulò poſt ſubijciam, teſtantur, Donatiſtas apud Anlinum Aphricæ proconſulem reum feciſſe Cæcilianum, vnde res ad Imperatorem deducta ſit. Sed in hiſtoria pergamus.

Conſtantinus Imperator non à Cæciliano Catholico Epiſcopo, ſed ab hæretico Donato in cauſa Eccleſiaſtica electus iudex, non, vt Proteſtantibus videtur, ſuæ poteſtatis iure, ſed (cum Cæcilianus, alijque Catholici Antiſtites non repugnarent) ex arbitrij æquitate tres ex Gallia, quindecim ex Italia Epiſcopos nominauit, qui de controuerſia cognoſcerent.

Cont. epiſt. Parmen. l. 1. cap. 5. Teſtatur id Auguſtinus his verbis: Arbitrio Conſtantini à iudicibus Epiſcopis cauſa cognita eſt. Ecce arbitrium Conſtantini fuit, iudicium verò Epiſcoporum.

Quin & alibi Auguſtinus de eadem re ſcribens, Ipſe Imperator, inquit, longè ordinatiùs egit, vt Epiſcoporum cauſam ad ſe delatam ad Epiſcopos mitteret. Cùm longè ordinatiùs factum Auguſtinus aſſerit, vt Imperator Epiſcoporum cauſam ab hæreticis ad ſe delatam ad Epiſcopos mitteret, vtique non niſi valdè inordinatè eandem cauſam ab ipſo Imperatore cognoſci potuiſſe demonſtrat. Vnde etiam alibi ſcribit: Quia Conſtantinus non eſt auſus de cauſa Epiſcopi iudicare, eam diſcutiendam, atque finiendam Epiſcopis delegauit. Hæc Auguſtinus.

Et quem obſecro in cauſa Epiſcoporum iudicanda timuiſſet Imperator, niſi Deum? & Deum cur timuiſſet, niſi quia Deus Epiſcoporum cauſas à ſolis Epiſcopis, non item ab Imperatoribus cognoſci debere ſtatuiſſet? quod quidem ità ſe habuiſſe ex ipſis Conſtantini literis ad Pontificem Romanum datis abundè conſtare poteſt.

Conſtantinus Auguſtus Miltiadæ Epiſcopo Romano, & Marco S.

Quoniam eiuſmodi literæ complures ab Anilino clariſſimo Aphricæ proconſule ad me miſſæ ſunt, in quibus conſtat, Cæcilianum Epiſcopum Ciuitatis Carthaginenſium à quibuſdam collegis ſuis in Aphricam ordinatis Epiſcopis, multis de rebus in crimen vocari; & illud permoleſtum mihi videtur, vt in his Prouincijs, quas Diuina prouidentia vltrò, ac ſua ſponte ſub meum ſubiunxerit Imperium, & in illis locis, in quibus crebra hominum frequentia verſatur, non modò multitudo ad deteriora deflectat, & diſtrahatur diſſidijs, ſed Epiſcopi etiam diſcordiam inter ſe ipſi exerceant; viſum eſt mihi, vt idem Cęcilianus cum decem Epiſcopis, qui illum reum facere videatur, & decem alijs, quos ipſe ſuæ litis dijudicationi neceſſarios exiſtimauerit, Romam nauigio traijciat, vt ibi coram vobis, & Rethecio etiam, & Materno, & Marino collegis veſtris (quos ea de cauſa Romam maturare iuſſerim) poſſit audiri, ſicut ſanctiſſima Dei lex, vti noſtis, poſtulat. Atque vt de omnibus hiſce pleniſſimam, accuratiſſimamque notitiam poſſitis habere, exemplaria literarum ad me ab Anilino miſſarum, literis meis ſubſcripta, ad veſtros prædictos collegas miſi. Quas cum veſtra grauitas perlegerit, exquiſitè ponderabit, quomodò, quaue ratione lis illa, quam ſupra diximus, diligentiſſimè, rectiſſimèque dirimatur, & ex iustis præſcripto tandem aliquando abſoluatur: quandoquidem illud veſtrum ſtudium minimè latet, me tantam reuerentiam ſanctę Catholicæ Eccleſiæ tribuere, vt velim vos nullum generale ſchiſma, nullam diſcordiam in vllo loco omninò relinquere. Summa magni Dei maieſtas vos honoratiſſimi viri multis annis conſeruet. Hæc Conſtantinus.

In his Conſtantini literis tria in primis animaduertenda videntur, quorum illud eſt primum, quòd Cæcilianus non accuſaſſe, verùm accuſatus eſſe dicitur: alterum, quòd Imperator fatetur, Dei legem poſtulare, vt Cæciliani Epiſcopi cauſa coram Epiſcopis audiatur; tertium verò, quod eandem cauſam ab Epiſcopis dirimi cupit, & abſolui. Quamquam enim Conſtantinus operam ſuam in Epiſcopis conuocandis, & ſumptu illis exhibendo prębeat, non tamen aut ſibi dijudicationem ſacræ cauſæ vendicat; aut, vt ad ſe iterùm prouocetur, expectat.

Inter Epiſcopos iudices Pontifex Romanus conſedit, non tanquam vnus ex multis, vt Proteſtantibus videtur, ſed velut primus omnium, & pręſes. Vnde Imperator cum ad Epiſcopum Romanum literas ſuas potiſſimùm dedit, tùm vt cæteri iudices ad Vrbem Romam accederent, præſcripſit.

Deindè Auguſtinus ait: Melciade Apoſtolicæ Sedis Epiſcopo præſidente, Reticius cum alijs iudex interfuit. Cęteri ergo Epiſcopi interfuerunt, ac Romanus Pontifex etiam præfuit.

Ex quo etiam alibi Auguſtinus ait. Arbi-

bitrio Conſtantini à iudicibus Epiſcopis cauſa cognita eſt, quibus præfuit Melchiades Romanæ Vrbis Epiſcopus; quàm aptè Auguſtinus ſuum vnicuique tribuit? Arbitrium interpoſuit Imperator, iudicarunt Epiſcopi, præfuit Pontifex Romanus, non iudicauit Imperator de cauſa Epiſcopi, ac multò minùs præfuit, ſed tantùm ex bono, & æquo arbitratus eſt, cauſam illã a plurium gentium, & linguarum Epiſcopis debere connoſci, vt ne occaſio querelæ Donatiſtis præberetur. Epiſcopi verò iudicarunt tãquam de cauſa ad ipſorum cognitionem ſpectante, non item præfuerunt; quia non omnes erant æqualis poteſtate præditi. Romanus autem Pontifex arbitratus eſt hoc idem quod Imperator, iudicauit cum Epiſcopis, præfuit ſolus.

Itàque Optatus Mileuitanus Epiſcopus Auguſtino aliquantulùm antiquior, Epiſcopi Romani prærogatiuam, nec ipſe tacens, Iudicium, inquit, ab eodem Melchiade his verbis clauſum eſt, Cæcilianum ſuæ communioni Eccleſiaſticæ integro ſtatu retinendum meritò eſſe cenſeo. Iudicant cæteri, ſolus Papa iudicium claudit.

Aſſentitur Optato Auguſtinus, dicens: Qualis ipſius B. Melchiadis vltima eſt prolata ſententia? quàm innocens? quàm integra? qui paratus erat, communitatorias literas mittere etiam ijs, quos à Maiorino ordinatos eſſe conſtaret, & quæ ſequuntur.

Quid vlli hic Epiſcopo cum Romano Papa commune? ſolus in ſua Eccleſia iudicat: cæteri verò ad eum accedunt: ſolus præſidet, ſolus præeſt, ſolus iudicium claudit, ſolus vltimam ſententiam dicit; quodque his omnibus longè maius eſt, ſolus poteſtatem habet, literas communicatorias etiam ſchiſmaticis mittendi (quales erant Epiſcopi à Maiorino ordinati) quas cum receperint, iam deinceps ob Pontificis Romani communionem ſchiſmatici eſſe deſinunt. Numquam enim ab inſtituta primùm Chriſtiana Eccleſia, vſque in hodiernum diem ſchiſmaticus eſt habitus, cui Pon-
Vide Baſiliũ ep. 74. tifex Romanus literas communicatorias dediſſet: id quod tam in Euſtachio Sebaſteæ in Armenia, quàm in Marcello Ancyræ Epiſcopo, ac infinitis alijs alioqui non parùm ſuſpectis, itá eueniſſe ſuo loco planum fit.

Poſtremò, quidnam hoc eſt, quòd Cæcilianus, à ſeptuaginta Epiſcoporum ſynodo in Aphrica condemnatus, octodecim Epiſcoporum iudicio, ſuæ communioni Eccleſiaſticæ integro ſtatu retinendus ab Epiſcopo Romano pronunciatur, niſi quia maior eſt horum octodecim, quàm ſeptuaginta illorum auctoritas? At vndè hoc? niſi quia Epiſcopus Romanus caput Eccleſiaſticæ communionis inter hos octodecim præſedit? Multùm quidem valet Synodus Epiſcopalis, ſed ea, cui Pontifex Romanus ſuffragatur; ſin ille in alio concilio etiam longè minoris numeri contradicat: pluris valet capitis contradictio, quàm reliqui totius corporis aſſenſus.

Hinc factum eſt, vt cum Ruffinus dixiſſet, confeſſionem ſuam ab omnibus Italiæ Epiſcopis eſſe ſuſceptam; Hieronymus reſponderit, Miror quomodo probauerit Italiam, quod Roma contempſit, Epiſcopi ſuſceperint quod fides Apoſtolica condemnauit.

Cæciliano ab Epiſcopis abſoluto, Donatiſtæ nihilo magis olim (quàm nunc Lutherani, & Caluiniſtæ) Epiſcoporum iudicio concedentes; ab Epiſcopis Iudicibus prouocarunt, idque (vt Proteſtantibus videtur) ad Cæſarem. Cæſar verò cauſam illam iterum ab alijs Epiſcopis Arelatæ iudicandum curauit.

Hìc ſeriò quidem, ſed ante victoriam triumphant Proteſtantes, quòd, & Cæſaris tribunal, & Arelatenſis Epiſcopi auctoritatem opinentur Pont. Romani iudicio, & poteſtati ante poſitam fuiſſe.

Conſtantinus, inquiunt, hanc vltimam appellationis inſtantiam Arelatenſi Epiſcopo mandauit, vt is ſua vice, nulla obſtante appellatione, cauſam definiret.

O plenos omni dolo, & omni fallacia, vbi reperiſtis verbum illud ſua vice, in Con- Roman. Lib. 2 c. 4.
ſtantini mandato? Deindè cur nunc additis, nulla obſtante appellatione? peindè quaſi ab illo priore Epiſcopali iudicio, in quo præſedit Pontifex Romanus appellari Conſtantinus, aut voluerit, aut ſaltem permiſerit. Immò in ijs literis, quas Conſtantinus de ea re ad Papam Melchiadem dedit, nominatim expreſſum eſt, cauſam ab illis Epiſcopis non Euſeb. lib. 10. cap. 5.
modò iudicandam, ſed, & abſoluendam. Itaque cum nunc demùm cauſam appellatione remota finiendam, dicitis, inſinuaris hoc poſterius mandatum fuiſſe illo priore efficaciùs, & ſtrictius, in quo vehementer decepti eſtis. Ac priores quidem Conſtantini literas iam ante produximus, nunc, & ſequentes quatenùs ſaltem neceſſe eſt, producemus.

Conſtantinus Auguſtus Chreſto Syracuſanorum Epiſcopo. S.

Iam dudùm ſcripſi, vt miſſis à Gallia quibuſdam Epiſcopis, quin etiam ex Aphrica Euſeb. lib. 10. c. 5.
alijs aduerſarum partium accerſitis, & Epiſcopo Romano etiam coràm, hoc diſſenſionis quicquid videatur, poſſit illis præſentibus, accurata dijudicatione in rectam viam reduci. Verùm quoniam adhuc quidam graues ſimultates gerere non deſinunt, dum nolunt concilij iudicio iam facto acquieſcere, dumque definirè affirmant, paucos admodùm fuiſſe, qui ſuas ipſorum ſententias palàm in concilio proferebant. ijque ipſi (cum non omnia, quæ ante quæri debuerant, accuratè quæſita eſſent) ad iudicium dandũ feſtinabant; vndè factum ſit, vt & ipſi nefariè diſcordent, & alijs anſam ludibrij præſtent: ideircò mihi ſedulò prouidendum erat, vt iſtud, quod poſt iudicium anteà pronunciatum componi debuerat, etiam iam tandem multis præſentibus Epiſcopis exitum, & finem conſequatur. Et quæ ſequuntur, hæc enim eſt ſumma rei.

Nullum hìc verbum eſt de eo, quòd Epiſcopi vice Conſtantini cognoſcant, aut quòd appellatione remota, cauſam decidere debuerint.

Licèt enim id, & nunc, & anteà Conſtantinus maximè optarit, tamen nihil eiuſmodi addidit, propterea, quòd is modus lo-

loquendi non niſi eius iudicij proprius ſit,in quo ad eum, qui iudices dat, appellari, & poſſit, & ſoleat. Cęterùm in cauſis Eccleſiaſticis numquam eſt auditum, quòd à iudicibus Epiſcopis appellatum ſit ad terrenũ regem,aut Imperatorem,de quo ante ſatis plenè

De viſibili Monarch.li. 2. diſputauimus.In prioribus Conſtantini literis legimus dictum eſſe,lis illa ex iuris pręſcripto tandem aliquando abſoluatur in poſterioribus autem,iam tandem exitum conſequatur. An hæc ſimilia non ſunt? In hoc ſolo differunt ſequentes à prioribus, quòd hæ ſequentes tum cauſas interpoſitæ à Donato appellationis referant (nempè quòd Romæ, & pauci Epiſcopi, & nimiùm celeriter iudicabant) tum plures Epiſcopos ad cauſam Arelatæ iudicandam conuocent. Quod verò ad noſtram quæſtionem attinet, non ſolùm dico,Donatum iniuſtè appellaſſe, verùm etiam Conſtantinum ſenſiſſe, quòd Donatus ab Epiſcopali iudicio appellare non debuerit. Cùm enim appellatio Donatiſtarum ad Imperatoris notitiam perueniſſet, Imperator (auctore Optato) exclamauit, O rabida furoris audacia: ſicut in gentilium cauſis fieri ſolet, appellationem interpoſuerunt.

Lib.1. cont. Parmen.

Quid aliud hæc verba ſignificant, quàm non vt Gentilium cauſis ad Imperatorem appellari ſolet, ſic etiam in Eccleſiaſticis cauſis appellationem ad Cęſarem interponi iure Eccleſiaſtico poſſe?

Obiectio. Quærent à me Proteſtantes hoc in loco, qui factum ſit, vt Conſtantinus ſi ad eum appellari non potuit, iudices appellationis dederit?

Reſpondebit huic quęſtioni Auguſtinus.

Ep.162. An teſtem locupletiorem poſtulabunt? Is verò ait, Vtinam, vt Conſtantinus Donatiſtis ceſſit, vt de illa cauſa poſt Epiſcopos iudicaret, ſic & illi aliquando cederunt veritati. Conſtantinus igitur non iure aliquo diuino, aut Eccleſiaſtico nouos iudices dedit, ſed importunis Donatiſtarum clamoribus ceſſit, cupiens (vt ex literis eius ad Chreſtum datis abundè liquet) litibus Epiſcoporum, & ſcandalo grauiſſimo,quod inde ortum erat, finem imponi, nam quòd dicant iniuriam Pontifici Romano, & collegis eius factam eſſe, ſi Conſtantinus cum iure non poterat, nouos iudices delegauit: ad hoc etiam reſpondet idem Auguſtinus, cum ait, Ceſſit Donatiſtis Conſtantinus, vt de illa cauſa poſt Epiſcopos iudicaret, à Sanctis Autiſtibus veniam poſteà petiturus, hæc Auguſtinus; de quo autem venia eſt petenda, hoc iuſtè factum defendi non poteſt. An confingo quicquam? an omnium eorum, quæ dixi, grauiſſimos teſtes non produco Euſebium, Optatum, Auguſtinum?

Errores proteſtantium. Proteſtantes verò fingunt Cœcilianum ad Imperatorem prouocaſſe: fingunt, Conſtantinum de cauſa Epiſcoporum ſuæ poteſtatis iure iudicaſſe, cum is id facere auſus non ſit; tantùmque velut arbiter ſe interpoſuerit: fingunt, Romani Pontificis nullam fuiſſe in iudicio illo pręrogatiuam,cum ille,& præfuerit,& iudicium clauſerit,& communicatorias literas Donatiſtis,ſi pacem colerent, obtulerit.fingunt,Donatiſtas ritè ad Conſtantinum velut legitimum appellationis iudicẽ prouocaſſe,cum tamen Cõſtantinus id rabida furoris audacia ſuſceptum dicat;fingunt, Cõſtantinũ iuſſiſſe Epiſcopos cauſam iſtam cognoſcere ſua vice, cum nihil tale dixerit, fingunt,eundem Conſtantinum in ſecundis literis cauſam delegaſſe appellatione remota: cum de appellatione remota, cum de appellatione ad ipſum interponenda, numquam cogitaret; quæ verè nulla potuit ad eum interponi, fingunt, Arelatenſem Epiſcopum Romano eſſe antepoſitum: quod quam longè ab omni veritate abſit,ſuo loco apparebit. Id vnum abſque fictione ſibi ſumunt, vt in hac tota hiſtoria idem,quod Donatiſtis placuit, ſibi quoque placere non diſſimulent. Illi accuſarunt Epiſcopum Cęcilianum apud Cæſarem, hoc ipſis quoque (vt videlicet Epiſcopi apud regum tribunalia rei fiant) vehementer probatur. Illi ab Epiſcopi Romani iudicio ad Cæſarem prouocarunt; id optimè factum iſti defendunt. Illi cum eſſent hæretici; & ſchiſmatici, perierunt in ſua pertinaci obſtinatione; miror iſtos, quorum imitantur facta, eorum exitus non perhorreſcere.

Proteſtãtes Donatiſtarũ ſimiles.

Duæ res adhuc ſuperſunt in hac quidem cauſa, quæ memoriæ commendentur dignæ; quarum prior eſt, quòd Conſtantinus Imperator, cui Proteſtantes in cauſa Epiſcoporum cognoſcenda, & iudicanda primas deferunt, iam tunc in fide rudis, & cathecumenus tantùm erat. Nam ſiue Conſtantinus à Silueſtro Papa, (vt rectè tradit Romana Eccleſia,) ſeu ab Euſebio Nicomedienſi) vt minùs rectè ſcribit Euſebius Cæſarienſis) baptiſmo Chriſti perfuſus fuerit, vtrouis modo conſtat,eum non fuiſſe baptizatum,quando Papa Melchiade adhuc viuente (cui Silueſter in Pontificatu ſucceſſit) de cauſa Donati iudices dedit. Gal.3.
Ei ergo, qui nondùm induerat Chriſtum (quod in baptiſmo fit, vt Apoſtolus ait) qui Ephes 5.
nondùm lauacro aquæ in verbo vitæ mundatus erat, qui nondùm ità crediderat in Chriſtum, vt Chriſtus ei ſe ipſum crederet; qui Ioan.2.
neque aſpicere quidem Chriſti myſteria, nedùm percipere poterat, ei viro doctiſſimi Proteſtantes committunt cauſas Epiſcopales dijudicandas,vt videlicet de paſtore ſuo nondùm conceptus agnus, de patre ſuo, nec adhuc renatus filius,de magiſtro, & doctore ſuo tenellus adhuc auditor, & diſcipulus; deniq; de luce mundi (hoc enim eſt Epiſcopus) is, qui nedum eſt è tenebris erectus, in cauſa grauiſſima cognoſcat, & ſententiam ferat. Matt 5.

Alterum,quod animaduertendum dixi, illud eſt, Conſtantinum, ſiue iam baptizatum) quod magis creditur,) ſeu poſteà in fide meliùs inſtructum (quod certiſſimè conſtat) in ſynodo Nicæna palàm ad Epiſcopos dixiſſe, Deus vos conſtituit ſacerdotes,& poteſtatem vobis dedit de nobis quoque iudicandi; & ideò nos à vobis rectè iudicamur. Vide Ruffinum Eccleſ. hiſt.l.1. c. 2.

Vos autem non poteſtis ab hominibus iudicari. Atque hæc ſint dicta de cauſa Donati, & Cæciliani, nunc ad inſtitutum orationis curſum reuertamur.

DE CLAVE DAVID
LIBER QVARTVS.

CAPVT PRIMVM.

Excellentem Synodorum Oecumenicarum auctoritatem adeò penitùs Epiſcopo Romano ſemper ſubiectam fuiſſe, atque eſſe, vt extrà Eccleſiam Romanam nullæ vmquam celebrari potuerint.

Decimumquartum Dei opus.

Gen 11. POſtquam genus humanum,
quod vnius labij, & ſermonum eorundem priùs fuetat in ſeptuaginta duas linguas, & gentes apud turtim Babel diuiſum, & confuſum erat, infælices filij Noe, non ſolùm in terras nouas, verùm etiam in mores, leges, & Deos nouos quotidie magis, magiſque diſcedebant. Et cum in vnius Hebræi familia vetus lingua, & vera fides præcipuè conſeruata eſſet, non ità multò poſt etiam illius
Ioſuæ.24. poſteri Dijs alienis ſeruire cœperunt.

Rurſùs autem cum Deus ex Hebri poſteritate vnum Abraham elegiſſet, quem in gentem magnam, & fidelem proueheret: ab illius
Gen 12. 18. & 22. etiam fide receſſit Iſmaelis poſteritas, vt & à fide Iſaaci, Eſau, & Idumæi, atque à fide Iacobi, decem tribus ſub Ieroboam rege, ac
4 Reg.17. Rom. 9. demùm ſub ipſo Chriſti aduentu à fide Dauid Iudæi penè omnes, niſi quòd reliquiæ ſaluæ factæ ſunt.

Cum ergo res humanæ in tam miſero ſtatu eſſent, ac tam longè ab illa vnitate, quam in primo parẽte ſuo habuerant, receſſiſſent, Ieſus paſtor bonus, qui venit in mundum, vt filios Dei, qui erant diſperſi, con-
Ioan.11. Matth.10. gregaret in vnum, tulit reliquias fidelium Iudæorum, qui tamquam pauci racemi poſt finitam vindemiam remanſerunt; & ex illis elegit primùm duodecim Apoſtolos, qui duodecim tribus Iſrael per vniuerſum orbem diſperſas, in vnam Chriſti fidem, & Eccleſiam colligerent; deindè, & alios ſeptuagintaduos
Luc.10. deſignauit, qui totidem primas gentes, &
Act. 2. linguas apud Babel diſperſas in vnum Chriſti ouile congregarent; iiſque omnibus donum linguarum donauit, ne prior illa linguarum diuiſio, fidei, & animorum vnitati aliquod impedimentum afferret. Et illi quidem profecti prædicauerunt vbique, conſtituentes presbyteros per ſingulas Eccleſias, præpoſitis, Marc.19.
etiam alicubi Epiſcopis, qui ea, quæ deeſſent Act. 14.
corrigerent. Tit.1.

Poſt mortem verò Apoſtolorum, nullus omninò Epiſcopus tantoperè huic Apoſtolico muneri vacauit; ac Romanus; id quod iam antè planum feci.

Religione igitur Chriſtiana ad hunc modum propagata, & per annos ferè trecentos
conſtituta; placuit Deo, vt filij non ſolùm Actor.4.
Iſrael, ſed etiam Abrahæ, & Noe, quorum iam cor vnum, & anima vna propter vnam Chriſti fidem erat, etiam corpore tenùs in vnum quodammodo redirent, vt omnibus conſtaret verum Noe in mundum veniſſe, qui conſolaretur nos ab operibus, & laboribus
manuum noſtrarum in terra, cui maledixit Gen. 5.
Dominus: Is ergo Romanum Imperatorem Gen. 3.
Conſtantinum per Epiſcopi Romani Silueſtri Damaſ. in
operam, & miniſterium ad fidem ſuam con- Pontif. Au-
uertens, de conſenſu Romani Epiſcopi, & guſt. in Ioã.
aliorum Dei ſacerdotum, per Imperatoris tract. 7.
Conſtantini literas, Epiſcopos (velut capita familiarum Noe, quæ reliquam multitudinem in ſe continebant, & adunabant) ex toto habitabili orbe, in orientem, vndè primùm diſperſio fieri cœpta eſt, ad Oecume-
nicam Synodum celebrandam, admirabili Ruffi. li.
conſilio, & opere conuocauit. Tunc ad li- hiſt.
teram impletum cernebatur, quod Deus olim
per Iſaiam ad Eccleſiam ſuam dixerat, Ab Eſa.43.
oriente adducam ſemen tuum, & ab occidente congregabo te; dicam Aquiloni, da; & Auſtro, noli prohibere; affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terræ. Omnes gentes congregatæ ſunt ſimul, & collectæ ſunt tribus. Hæc dicit Dominus, qui dedit in mare viam, & in aquis torrentibus ſemitam: qui datus eſt in fœdus populi, vt ſuſcitaret terram, & poſſideret hęreditates
diſſipatas, & ſciet omnis caro, quia ego Do- Eſa.49.
minus ſaluans te, & redemptor tuus fortis Iacob. Tunc impletum apparuit, quod So-
phonias prædixit, Reddam populis labium Sopho. 3.
electum, vt inuocent omnes in nomine Domini, & ſeruiant ei humero vno. Tunc Symbolo Nicœnæ fidei condito, non ampliùs confuſionis linguarum, ſed vnitas animorum turris ædificabatur. Hoc eſt illud opus Dei (admirabilius ne dicam, an amabilius?)

quod

Ioann. 10. quod Chriſtus voluit certiſſimum incarnatio-
nis ſuæ, reconciliationis noſtræ, adunatio-
nis gentium, communionis Catholicæ argu-
mentum, teſtimonium, pignus exiſtere. Nihil
enim ſimile ab orbe condito viſum, auditum,
excogitatum fuit. Congregabantur quidem
aliquot nationes Græcorũ ad Olympica cer-
tamina, ſed quàm paucæ gentes? & quantò
pauciores linguæ? ad quàm ludicrum, & inu-
tile ſpectaculum? At in ſynodo Oecumenica
non ex vna particula Europæ (vt in olympi-
cis) ſed ex toto habitabili orbe, non pauci
principes huius mundi, ſed multi principes
Eccleſiarum Dei, non ex pacto humano, ſed
ex beneplacito Spiritus ſancti conueniunt, nõ
ad ludos faciendos, ſed ad æternam ſalutem
agnis, & ouibus Chriſti miniſtrandam. Hoc
tam inauditum, excellens, & ſalutare Dei
opus, dæmon vidit, & inuidit; impedire
non potuit, labefactare voluit, hæretico Im-
peratotori Conſtantio perſuaſit, vt & ipſe
Epiſcopos ad Arij hæreſim ſtabiliendam Ari-
minum conuocaret. Imperatori id fecit, con-
uenerunt plures, quàm Nicææ, demon affuit,
Arianiſmum clam ſuggeſſit, perplexa quæ-
ſtione plurimos Epiſcopos decepit; ſe omni
ratione viciſſe concluſit. Nam aut Arij hære-
ſim iam in Oecumenica ſynodo corrobora-
tam Catholici dogmatis vites obtenturam,
aut certè omnium Synodorum auctoritatem
in æternum irritam eſſe factam. Si enim ſy-
Gen. 3. nodus Ariminenſis potuit errare, cur etiam
non potuit Nicæna? Callidior quidem ille
ſerpens cunctis animantibus terræ; ſed non
eſt prudentia, non eſt conſilium aduersùs Do-
minum, falſam ſynodi Oecumenicæ defini-
tionem ſuis aſſeclis dæmon obtrudit.

Oecumenicam Synodum ab Epiſcopo Romano indici, & conuocari debere.

Neque verò Synodus Oecumenica eſt,
quoties Epiſcopi ex toto mundo ad Impera-
Matt. 18. toris indictionem conueniunt, niſi etiam in
Chriſti nomine, hoc eſt, vi eius poteſtatis,
quam Chriſtus ad ligandum, & ſoluendum,
atque ad conuentus Eccleſiaſticos celebran-
dos ex propoſito inſtituit, & in terris reliquit,
congregentur, hoc enim nouum opus, quod
ſolius Chriſti præcipua gratia mundo reue-
latum eſt, non per veterem Imperatorum ſecu-
li poteſtatem cum Ethnicis, & Paganis com-
munem; ſed per nouam poteſtatem de Cœlo
Matth. 10. deſcendentem, & in ſola Chriſti Eccleſia in-
ſtitutá potiſſimùm adminiſtrari debet, Chri-
ſtus autem Simoni Apoſtolorum primo, & no-
minis, & officij ſui participationem tribuit;
1. Cor. 10. cum ipſe ſolus per naturam petra, & paſtor,
Ioan. 10. illum fecit per gratiam, & Petrum ex nomine,
Ioan. 1. & paſtorem ex officio. Iam cum paſtoris ſit,
Ioan. 21. Matt. 18. & agnos, & oues agnorum matres congrega-
re; Epiſcopi autem ſint velut matres agno-
rum Chriſti, Romanus autem Pontifex Petro
in prima eius Cathedra ſucceſſerit; vtique
Epiſcopi tunc demùm in Chriſti nomine, ac
poteſtate congregantur, cum ex auctoritate,
aut ſaltem conſenſu primi paſtoris Romani
Epiſcopi, & congregantur, & decreta edunt.

Hinc ille Canon Eccleſiaſticus ab antiquis
Græcorum hiſtoricis vno ore laudatur, qui
vetat, præter ſententiam Epiſcopi Romani
Concilia celebrari. Nec ob aliud magis Ari-
minenſe concilium illegitimum, & irritum
fuiſſe, declaratum eſt, quàm quòd Romanus
Epiſcopus ei minimè conſenſiſſet, cuius ſen-
tentia (inquiunt nonaginta Epiſcopi ex Ita-
lia, & Gallia in vnum ſub Papa Damaſo Ro-
mæ collecti) præ cęteris omnibus expectan-
da erat, Vndè etiam Baſilius Magnus ſcri- Baſil. in ep. 52.
bendum ad Epiſcopum Romanum putauit,
vt iudicij ſui decretum interponeret, ac ſua
ipſe auctoritate vſus, Ariminenſis concilij
acta curaret reſcindenda, quod etiam factum
fuiſſe conſtat, adeò vt Socrates referat, tam Socrates l. 4. cap. 11.
Liberium Pontificem Romanum, quàm alios
Occidentis Epiſcopos ad omnes in Oriente
orthodoxos Epiſcopos literas dediſſe, in qui-
bus atteſtabantur, omnes ferè Epiſcopos, qui
Arimini, vel fallacibus inceſcari illecebris, vel
vi compulſi, à fide tum quidem deſciuerant,
formulæ Arimini editæ anathema denuntiaſ-
ſe, fidei Nicænæ ſubſcripſiſſe, & iam vnà cum
illis communicare. Vndè Siricius Papa di-
cit, concilium Ariminenſe caſſatum ſub vene-
randæ memoriæ Liberio prædeceſſore ſuo.

Quin, & Dioſcorus Alexandrinus inter
cætera ob hoc crimen loco ſuo in Synodo
Chalcedonenſi motus eſt, quòd Synodum
(ſecundam Epheſinam) auſus eſſet facere ſi-
ne auctoritate Sedis Apoſtolicæ: quod num-
quam, inquit ibi Lucentius Epiſcopus, licuit,
numquam factum eſt.

Macedonius etiam Catholicus vir, &
Conſtantinopolitanus Epiſcopus, ad hæreti-
cum Imperatorem Anaſtaſium dixit: Sine
vniuerſali Synodo, cui magnæ Romæ Epiſco-
pus præſideret, nihil ſe facturum. Immò ſe-
ptima Synodus inter Græcos, & Aſiaticos
Nicææ celebrata, rationem reddens, cur pſeu-
doſynodus Conſtantinopoli ſub Copronymo
indicta non potuerit legitima, & vniuerſalis
eſſe, inter cętera, non habuit cooperatorium,
inquit, vt hæc, quæ nunc celebratur, Roma-
num Papam, neq; illius ſacerdotes, neque per
Vicarios, neq; per prouinciales literas quem-
admodùm fieri in ſynodis debet. Hæc ibi.

Ratio autem horum omnium non alia
eſt, quàm quòd Epiſcopus Romanus diuino
iure ſit caput omnium paſtorum, vtpotè Prin-
cipis Apoſtolorum ſucceſſor. Iam in vlla
republica quicquid magni ponderis, abſque
conſenſu capitis geritur, meritò irritum, ſi
non & illicitum habetur. Hinc Eugenius
Carthaginenſis Archiepiſcopus à Vandalo-
rum, & Alanorum Rege Hunerico ad ratio-
nem fidei ſuæ reddendam prouocatus, reſ-
pondit, cauſam fidei communem ſine vniuer-
ſitatis conſenſu non debere tractari. Se igi-
tur ſcripturum fratribus ſuis, vt in Aphricam
veniant, & præcipuè, inquit, Eccleſiæ Roma-
næ, quæ caput eſt omnium Eccleſiarum. Qui- Vniuerſale.
bus verbis Eugenius docet, ad hoc vt quip-
piam dicatur vniuerſale, duas res neceſſariò
debere eſſe: vnam, vt vniuerſi, ad quos nego-
tium pertinet, accerſantur; alteram, vt caput
vniuerſitatis præcipuè omnium admoneatur,
& conſentiat. Nec enim ab vniuerſitate
actum videri vmquam poteſt, cui caput vni-
uerſitatis contradicit. Quamquam verò Pon-

tificis Romani conſenſus quoquomodo in-
terpoſitus indictionem vniuerſalis Concilij
confirmaſſet: tamen vt in re magna error
aliquis non interueniret; moris fuit, vt Papa
literas de ea re ad Imperatorem daret; is verò
Papæ literis acceptis, etiam per ſuas literas
Epiſcopos conuocaret. Vndè Epiſcopi Orien-
Theodoret. lib. 5 cap. 8. & 9. tis apud Conſtantinopolim congregati, ad
Damaſum Papam ſcribunt his verbis: Vos
Concilio per Dei voluntatem, ac nutum Ro-
mæ coacto, nos velut membra propria, per
Imperatoris ſanctiſſimi literas accerſiuiſtis. Et
iterum; Mandato literarum ſuperiore anno à
veſtra reuerentia poſt Concilium Aquileienſe
ad Imperatorem Theodoſium miſſarum, ad
iter dumtaxat Conſtantinopolim vſque fa-
ciendum nos præparauimus. Duo igitur
Concilia cum celebrarentur, vnum Romæ, al-
terum Conſtantinopoli; ad vtrumque Papa
Epiſcopos per Imperatoris literas accerſiuit.
Leo in epiſtol. 44. Quod ipſum ex Leonis Papæ literis ad Mar-
tianum Auguſtum datis confirmatur. Popo-
ſceram, inquit ad Martianum, à glorioſiſſima
clementia veſtra, vt Synodum, quam pro repa-
randa Orientalis Eccleſiæ pace à nobis etiam
petitam, neceſſariam iudicaſtis, aliquantiſper
differri ad tempus opportunius iuberetis.
Ecce à Pontifice Romano primùm alij petunt
Synodum; is deindè ad Imperatorem ſcribit,
vt vel conuocetur, vel differatur, pro eo, ac
res poſtulare videtur. Sciens hunc morem
Theodoricus Italiæ Rex Arianus, primùm à
Pontifice Romano impetrauit, vt per literas
ſuas indiceret Synodum: deindè cum Epiſco-
pi ſeptuaginta, & ampliùs conueniſſent, Rex
iuſſit, eos ipſius Romani Pontificis acta diſcu-
tere. Illi talem Synodum ſolius regis aucto-
ritate indictam rati, dixerunt, Papam debere
Synodum conuocare, annuit Rex, & ità iam
factum affirmauit. Cùm Epiſcopi non cre-
Rom. 7. conn. Syn. 6. Act. 18. derent, Rex ipſius Papæ literas exhibuit. Ex
his liquidò apparet, quàm verè Synodi Ro-
manæ ſub Silueſtro habitæ epilogus dicat,
Epiſcopos trecentos decem, & octo (qui Ni-
cææ conuenerant) Silueſtri vocatione fuiſſe
congregatos, quàm verè etiam ſexta Synodus
ſcripſerit, Conſtantinum, & Silueſtrum ma-
gnam Synodum in Nicæa congregaſſe. Nul-
lam igitur Synodum legitimè potuit Impera-
tor abſque conſenſu Romani Pontificis indi-
cere. At contrà Pontifex etiam abſque Im-
peratoris conſenſu, rectè poterat legitimam
Synodum indicere, licèt id facere non ſole-
ret, niſi aut quòd Imperator fuiſſet hæreticus,
aut quòd poteſtatem in quoſdam Epiſcopos,
qui extrà imperij fines degerent, non haberet.
Hinc Iulius Papa, cum Euſebiani Romam
contrà Athanaſium ſcripſiſſent, (ipſo Atha-
naſio atteſtante) iuſſit fieri Synodum, vbi-
cumque Athanaſius vellet. Quin & Oecu-
menicam Synodum apud Sardicam ex eiuſ-
dem Papæ Iulij auctoritate congregatam
fuiſſe indè conſtat, quòd Epiſcopi Orientales
culpam abſentiæ ſuæ in Papam Iulium reie-
cerunt, eò quòd nimis anguſtum tempus præ-
ſtitutum eſſet. Leo Papa ſcribens ad Tur-
bium Aſturicenſem Epiſcopum, Dedimus, in-
quit literas ad fratres, & Epiſcopos noſtros
Tarraconenſes, Carthaginenſes, Luſitanos, at-
que Galæcos, eiſque Concilium Synodi gene-
ralis indiximus; & quæ ſequuntur.

Epiſcopi etiam Meſiæ ſecundæ in literis Inter epiſt. Leonis.
ad Leonem Auguſtum datis dicunt, multos
ſanctos Epiſcopos Chalcedoni conueniſſe
per iuſſionem Leonis Romani Pontificis, qui
verè, inquiunt, caput eſt omnium Epiſcopo-
rum. Quibus verbis cauſam afferunt, cur Pa-
pa conuocet Synodos, Capitis enim eſt mem-
bra ſua colligere, & conuocare.

Eutychius autem Conſtantinopolitanus Tom. 2. concil. in fine. 1. collat. 5. Synod.
Patriarcha, his verbis ad Vigilium Papam
vſus eſt, Petimus, præſidente nobis veſtra
Beatitudine, de tribus capitulis quæri, atque
conferri.

Vigilius reſcripſit, Annuimus, vt de tri-
bus capitulis facto regulari conuentu, medijs
ſacroſanctis Euangelijs, collatio habeatur, &
finis detur placitus Deo.

Pontificem Romanum præſediſſe Concilijs Oecumenicis.

Non ſolùm autem cum ipſe Romanus
Pontifex adeſſet, primùm in Synodo locum
tenuit, ſed etiam (quod longè plus eſt) ab-
ſens per Legatos ſuos præſedit; adeò vt Cy-
rillus Alexandrinus Patriarcha magni hono-
ris loco duceret, Cœleſtini Pontificis locum
ſupplere, & vices agere, quod ipſum tam
Proſper apud Latinos, quàm Euagrius, & Ni-
cephorus apud Græcos teſtatum reliquerunt.

Nec ſoli Patriarchæ, ſed etiam Epiſcopi,
atque adeò Presbyteri à Pontifice Romano
delegati, omnibus alijs Epiſcopis, & Patriar-
chis præſederunt. Itàque cum à Leone po-
ſtulatum eſſet, vt ipſe venerabili Synodo præ-
ſentiam ſuam præberet, vbi ſe excuſaſſet: In
his, inquit, fratribus Paſchaſino, & Lucentio
Epiſcopis, Bonifacio, & Baſilio presbyteris,
qui ab Apoſtolica Sede directi ſunt, me Syno-
do veſtra fraternitas exiſtimet præſidere. Vide ſub ſcrip. Nycænæ Synodi.
Presbyteri quoque à Papa Legati, ante om-
nes Epiſcopos, & Patriarchas ſubſcripſerunt;
quod in Nicæna Synodo factum conſtat à Vi-
to, & Vincentio.

Romanum Pontificem adminiſtraſſe, in Concilijs maximè, auctoritatis opera.

Si in Epiſcopos vlla ferebatur à Conci-
lio ſententia, ſub nomine Pontificis fereba-
tur, & ab eius Legato pronunciabatur, ſicuti
factum legimus, & quando Dioſcorus in In Concil. Chalced.
Chalcedonenſi Concilio damnabatur, &
aliàs ſæpiſſimè.

Synodus etiam Epheſina Ioannis An- Vide Acta Syn. Epheſ.
tiocheni temeritatem (qui Cyrillum Alexan-
driæ, & Memnonem Epheſi Epiſcopos in
Concilio triginta Epiſcoporum depoſuerat)
Cœleſtini Papæ iudicio reſeruauit.

Forma etiam Synodo præſcribebatur à Apud Cyr. Rom. 4.
Pontificibus Romanis. Nam Cœleſtinus ad
Cyrillum ità ſcripſit: Adiuncta tibi noſtræ
Sedis auctoritate, ipſe, qui vice noſtra, poteſta-
teque fungeris, ſententiam hanc ſumma ſeue-
ritate (in Neſtorium) pronuntiabis: ni intrà
decem ab hac admonitione dies prauas ſuas
conciones confeſſione mandata literis exe-

cre-

eretur, Synodus igitur poſteà dixit, tum Eccleſiæ canonibus, tum Epiſtola ſanctiſſimi Patris noſtri, & collegæ Cœleſtini Epiſcopi Eccleſiæ Romanę neceſſariò compulſi ad hanc ſeueram ſententiam, idque non ſine crebris lacrymis contrà Neſtorium pronuntiandam venimus.

Leo in epiſtol 49. Eodem modo, & Leo Pontifex ait, ſe ad venerabilem Synodum ſcripſiſſe, quam formam ſeruare in hac dijudicatione deberet.

Pontificem Romanum confirmaſſe Concilia.

Quælibet Synodus confirmabatur à Papa, idque rogatu eiuſdem Synodi factum eſt, & neceſſariò factum, vt Synodus Epheſina fatetur, his verbis ad Papam Cœleſtinum ſcriptis: Neceſſitas poſtulauit, vt quæ conſecuta ſunt in hac S. Synodo, omnia ad cognitionem Sanctitatis tuæ referrentur. Itemque patres Chalcedonenſis Concilij cum ampliùs quàm ſexcenti eſſent, ad Leonem Papam ſcribentes, Rogamus, inquiunt, tuis decretis, noſtrum honora iudicium. Vndè Leo Papa ad Pulcheriam Auguſtam ſcribens: Quòd pijſſimus, inquit, Imperator ad omnes Epiſcopos, qui Chalcedonæ Synodo interſuere, voluit, me ſcripta dirigere, quibus, quæ illic de fidei regula ſunt definita, firmarem, libenter impleui. (Leo in epiſtol. 58.)

Romanum Pontificem in confirmandis Concilijs quædam caſſaſſe; & in ijſdem caſſandis, quædam excepiſſe.

Quòd ſi aliqua in Synodis confirmandis excipienda videbantur, aut caſſanda, id quoque Pontifex pro ſui iudicij æquitate moderatus eſt. (Sozom. l. 7. cap. 9.) Vndè cum ſecunda Synodus Oecumenica, & quarta decreuiſſet, vt Epiſcopus Conſtantinopolis poſt Romanum primas obtineret, neque Damaſus Papa ſecundæ, neque Leo quartæ Synodi hoc decretum (quod Nicæni Concilij canonibus aduerſabatur) paſſus eſt ab Eccleſia recipi: (Synod. Nicæn. c. 6.) Fruſtrà, inquit Leo, quorundam Epiſcoporum profertur conſenſus, cui tot annorum ſeries (iam indè à Damaſo) negauit effectum: & alibi, Conſenſiones Epiſcoporum, canonum apud Nicæam conditorum regulis repugnantes, vnita nobiſcum veſtræ fidei pietate, in irritum mittimus, & per auctoritatem Petri Apoſtoli, generali prorsùs definitione caſſamus.

Contrà verò, cum omnia, quæ in pſeudoſynodo Epheſina per Dioſcorum gerebantur, caſſata eſſent: tamen Anatolius Conſtantinopolis Epiſcopus excepit cauſam Maximi Antiochiæ Epiſcopi: (In Synod. Chalcedon. Act. 10.) Quoniam, inquit ſanctiſſimus Leo, Romanus Archiepiſcopus in communionem eum recipiens, præeſſe eum Antiochenſium iudicauit Eccleſiæ.

Romanum Pontificem Canones Conciliorum ex cauſa relaxaſſe.

Deindè Conciliorum Canones, qui ad Eccleſiaſticam diſciplinam pertinebant, Pontifex Romanus etiam auctoritate ſua relaxabat. Itaque licèt canones, non minùs ante Nicænam Synodum, quàm poſteà vetarent, eos pro Epiſcopis haberi, quos citrà Metropolitani conſenſum per ſchiſma ordinatos conſtaret: (Concil. Nicæn. cap. 6.) tamen Melchiades Papa obtinuit ſe curaturum, vt Epiſcopi Donatiſtarum, etiamſi in ſchiſmate ordinati, confirmarentur in ijs Eccleſijs, in quibus priores (hoc eſt, ante Catholicos Epiſcopos) fuiſſent ordinati: (Auguſt. in ep. 162.) itemque, qui poſteriores ordinati fuiſſent, plebs alia regenda prouideretur, quam canonum relaxationem pacis cauſa factam, Auguſtinus tantoperè approbauit, vt exclamaret, ò virum optimum, ò filium Chriſtianæ pacis, & patrem Chriſtianæ plebis.

Epilogus. Si Oecumenicarum Synodorum celebratio, & maximè diuinum opus eſt, vt antè declarauimus, & penitùs à Romani Pontificis auctoritate pendet, adeò, vt ille tum Synodos Oecumenicas indicat, protoget, moderetur, confirmet, tum in illis excipiat, relaxet, cuſtodiat, irrita reddat, quæque fideli, & prudenti eius iudicio ità diſponenda videntur; certè hæc pleniſſima poteſtas, quam Deus Petri ſucceſſoribus in Oecumenicarum Synodorum cauſis tam inſigniter iam olim dedit, abundè teſtatur, Pontificis Romani primatum non ab hominibus, verùm à Deo eſſe; quomodo alioqui omnes per totum Orbem Catholici Epiſcopi, etiam in vnum collecti, vſque adeò ſe vni ex collegis ſuis, & ei plerumque abſenti ſubijcerent, qui ſæpè, & imperitior, & indoctior, addo etiam, minùs ſanctus erat, magna illorum parte? non igitur hominis perſonam reſpiciunt, ſed Chriſtum honorant, qui tantam poteſtatem Petro contulit, vt quæcumque ligaret, & ſolueret in terris, ligata & ſoluta eſſent in Cœlis. (Matth. 16.) Vnitas Eccleſiæ eſt à Chriſto in Petro inſtituta, cui omnes Epiſcopi tantum deferunt, nec miror, ſi Concilia Oecumenica, quæ ob vnitatem, & conficiendam, & conteſtandam condita ſunt, vnitatis Eccleſiaſticæ principium in Eccleſia Romana collocatum, tanta obſeruantia colunt.

Extrà Eccleſiam Romanam Concilia Oecumenica celebrari non poſſunt.

Quamquam Romanæ Eccleſiæ Principatus, & ante Concilia Oecumenica receptus fuerit, & ſine illis ſteterit, ac floruerit; tamen Conciliorum Oecumenicorum auctoritas extrà Eccleſiæ Romanæ vnitatem, non modò nihil valuit, ſed nec vlla omninò fuit. Itàque poſtquam Orientales Eccleſiæ, vel inuidia ductæ, vel errore ſeductæ, ſemetipſas ab Eccleſia Romana diuiſerunt, quantumlibet multos

Epiſ-

Epiſcopos, ac duo Imperia, Conſtantinopolis, & Trapezuntis haberent: tamen his annis ſeptingentis, & ampliùs, nullam in Aſia, aut Græcia Synodum, vel nomine tenùs Oecumenicam celebrare potuerunt, Deo non permittente, vt apud eos, qui vnitatem violaſſent, eiuſdem vnitatis potentiſſimum ſignum conſpiceretur. At verò in Eccleſia Romana multę poſteà Oecumenicæ Synodi habitæ ſunt; in Laterano Romæ, ſub Caliſto II. & Alexandro III. omniumque Synodorum maxima ſub Innocentio III. Viennæ in Gallijs ſub Clemente V. Conſtantiæ in Germania, quam Martinus V. confirmauit. Lugduni præterea ſub Gregorio X. & Florentiæ ſub Eugenio IV. ad quas vtraſque Synodos Græcorum Imperator acceſſit, ibidemque Romanæ Eccleſiæ primatum confeſſus eſt.

Veniamus ad noſtra tempora. Nonne Anglia, Scotia, Hibernia, Suetia, Noruegia, Dania, & Heluetícorum pagi permulti, partim Caluino, partim Zuinglio, partim Luthero ſe addixerunt? nonne qui rerum in illis Regnis potiuntur, Sedi Apoſtolicæ renuntiarunt? an idem in Germania potentiſſimi aliquot Duces, & Principes non fecerunt? nonne Bohemia, Polonia, Lituania, Liuonia, Pruſſia, Hungaria, & ipſæ Galliæ, mirùm in modum Lutheranis, & Caluiniſtis refertæ ſunt? Cur iſti omnes tam latè dominantes Euangelici Principes, Synodum aliquam Epiſcoporum maximam, & pleniſſimam non indicunt? quid dico Epiſcoporum? quos aut nullos, aut pauciſſimos, & eos non niſi Apoſtatas, atque Catholicæ Eccleſiæ deſertores habent. Cur ſaltem Diaconorum, aut etiam Laicorum aliquam Synodum ex omnibus Euangelicis nationibus collectam non celebrant? in promptu cauſa eſt, Deus non permittit, vt vbi vera Euangelij vnitas deeſt, ibi verum Euangelicæ vnitatis ſignum conſpiciatur.

At interim Eccleſia Romana his ipſis diebus, licèt frementibus, & præ inuidia indignantibus Lutheranorum, & Caluiniſtarum Principibus, Oecumenicam ſynodum Tridenti conuocauit, & abſoluit, ad quam Catholici Epiſcopi, & Chriſtianorum Principum Legati more, inſtitutoque maiorum conuenerunt. Opera, quæ Deus in ſola Romana Eccleſia facit, ipſa Dei opera teſtimonium perhibent de veritate, vnitate, & Principatu eiuſdem Eccleſiæ. Qui verbo Dei Eccleſiam ſuprà Petrum ſe ædificaturum promittenti nolunt credere, ſaltem Dei operibus credere deberent.

Synod. Trid. Ioann. 5. & 10.

Matt. 16.

CAP. II.

Quantum auctoritatis Epiſcopus Romanus præ alijs omnibus Epiſcopis, etiam extrà Concilium Oecumenicum ſemper obtinuerit.

ROmani Epiſcopi primatus in Oecumenica Synodo tamquam in ouili proprio maximè omnium elucet, Nam, qui omnibus Epiſcopis in vnum collectis præeſt, quantò magis etiam ſingulis maior haberi debet? ſed tamen quia Proteſtantes dicunt, ordinis tantùm conſeruandi cauſa primatum in Synodis Epiſcopo Romano conceſſum fuiſſe, cum extrà Synodos parum poſſet; demonſtremus etiam quid auctoritatis extrà Synodos præ alijs omnibus Epiſcopis obtinuerit.

Decimumſextum Dei opus.

Soli Epiſcopo Romano ſemper licuit, etiam abſque Oecumenica Synodo, auctoritate ſuæ Sedis, tum Apoſtolicas traditiones interpretari, tum leges Eccleſiaſticas condere, quibus omnes Epiſcopi, & Eccleſiæ obſtringerentur. Ità, cum Apoſtoli Quadrageſimam fidelibus ieiunandam tradidiſſent (quod tam B. Ignatius inſinuat, quàm S. Hieronymus expreſsè dicit) variæ autem conſuetudines in varijs Eccleſijs circà hoc ieiunium irrepſiſſent, Papa Theleſphorus definiuit, Quadrageſimale ieiunium non vnius, non trium, non quindecim, ſed quadraginta dierum obſeruantia conſtare, & abſolui. Vndè Euſebius refert, quoſdam ſcribere Quadrageſimale ieiunium à Teleſphoro fuiſſe inſtitutum, ac præceptum. Porrò conſtat, Catholicam Eccleſiam obſeruaſſe hanc Teleſphori, ſeu legem, ſeu interpretationem. Socrat. l. 1. c. 21.

Eodem modo Euſebius teſtatur, à Pio ſancitum, & à pluribus poſteà Pontificibus confirmatum fuiſſe, vt reſurrectio Dominica, die Dominico celebretur. Cuius decreti auctoritatem, etiam prima Nicæna ſynodus amplexata eſt, & Catholica obſeruat Eccleſia. Idem etiam dicendum eſt de ieiunio Quatuor temporum, quod Calliſtus Papa præcepit, & Eccleſia Catholica tam olim, quàm vſque in hodiernum diem retinuit. Apud Theodoretum li. 1. c. 9.

Denique ſynodus Turonenſis in vniuerſum ait, neminem ſacerdotum præſumere, vt agat contrà decreta, quæ à Sede Apoſtolica proceſſerunt, & Patres ipſorum hoc ſemper cuſtodiuiſſe, quod Sedis Apoſtolicæ pręcepiſſet auctoritas. Damaſ. in Pontif. Leo in ſerm. 8. de ieiunio ſeptimi Menſis Can. 21.

Relationes ad Sedem Apoſtolicam.

Alij verò Epiſcopi, & primates quando in ſuis Prouincijs Synodos celebrarunt maiora quæque negotia, & maximè cauſas fidei ad Apoſtolicam Sedem retulerunt.

Ità Cyprianus, poſt ſynodum Carthaginæ celebratam, fatetur, multa quidem prolata eſſe, atque tranſacta, ſed de baptiſmate hæreticorum, vel maximè ſcribendum Pontifici Romano fuiſſe, & cum eius grauitate, ac ſapientia conferendum. Vndè, & Hieronymus ait, Cyprianum ad Stephanum tunc Romanæ Vrbis Epiſcopum ſuper hæreticorum baptiſmate Africanam ſynodum direxiſſe, ac conatum eius fruſtrà fuiſſe.

Ità & Papa Iulius (Athanaſio id atteſtante) ad Euſebianos ſcribens, cum de Epiſcopo, inquit, non vulgaris Eccleſiæ agatur, an ignari eſtis, hanc conſuetudinem eſſe, vt primùm nobis ſcribatur, vt hinc quod iuſtum eſt, definiri poſſet? id huc ad noſtr..

Eccleſiam referri oportuit. Quæ accepimus
Apoſtolica traditio. à S. Petro Apoſtolo, ea vobis ſignifico. Eadem etiam regula B. Ambroſius uitens, cum de grauiſſimo Antiochenæ Eccleſiæ ſchiſmate ad Theophilum Patriarcham Alexandrinum ſcriberet, Sanè, inquit, referendum arbitramur ad S. Fratrem noſtrum Romanæ Sacerdotem Eccleſiæ, quoniam præſumimus ea te iudicaturum, quæ illi diſplicere nequeant: hæc Ambroſius.

Epiſt. 11. ad Ageruchiã. Hinc & Hieronymus ait, dum in chartis Eccleſiaſticis iuuaret Damaſum Romanæ Vrbis Epiſcopum, ſe Orientis, atque Occidentis ſynodicis conſultationibus reſpondiſſe, nimirùm quòd totus Orbis Chriſtianus maxima quæque ad Papam referret.

Miſſæ ſunt, inquit Auguſtinus, ex duobus Concilijs Carthaginenſi, & Mileuitano relationes ad Apoſtolicam Sedem: ad omnia nobis ille reſcripſit eodem modo, quo fas erat, atque oportebat Apoſtolicæ Sedis Antiſtitem. In Carthaginenſis autem Concilij Epiſtola, hæc habebantur verba, Statutis noſtræ mediocritatis etiam Apoſtolicæ Sedis adhibeatur auctoritas.

Cauſæ Epiſcoporum Romani Pontifici reſeruatæ.

Pontifex Romanus vltimam dijudicationem de perſonis Epiſcoporum ſibi reſeruauit, quod cum in multis antiquiſſimorum
Cyp. l. 1. ep. 4. Pontificum epiſtolis, quas hæretici non recipiunt, ſignificatum ſit; nos aliundè id ipſum demonſtremus.

Circiter An. D. 156. Baſilides Aſturicæ in Hiſpanijs Epiſcopus, à Collegis depoſitus, Romam perrexit, & à Stephano Papa obtinuit, vt in Epiſcopatum reponeretur: nec obſtat, quòd Cyprianus dicat, obreptum in hac re eſſe Pontifici Romano, ac Baſilidem fefelliſſe eum. Quamquam enim hoc ità euenerit, tamen nec ipſe, nec Hiſpaniarum Epiſcopi negabant, quin ius Epiſcopo Romano fuerit, eius, quem Synodus Epiſcoporum damnaſſet, cauſam iterum agnoſcendi, & cum æquitas id poſtularet, eum in integrum reſtituendi. Nam, qui obreptum iudici dicit, iudicem, cui obreptum dicit, legitimum fatetur fuiſſe.

Concil. Sardicen. can. 7. Concilium etiam Oecumenicum Sardicenſe cauſas Epiſcoporum Pontifici reſeruauit, idque in honorem Beati Petri.

Athanaſius etiam teſtatur, Iulium Papam cum Euſebianis expoſtulaſſe, quòd ipſo inconſulto de Epiſcopo iudicium ferre auſi eſſent.

Quin, & Auguſtinus ſcribit, poſſe Epiſcopos aliorum collegarum iudicio, & præſertim Apoſtolicarum Eccleſiarum, cauſam ſuam integram reſeruare. Immò res tam nota
In Leo. Cõc. antè Synod. Chalced. olim, & aperta hęc fuit, vt Valentinianus Imperator ad Theodoſium Auguſtum in hæc verba ſcripſerit: Fidem à noſtris maioribus traditam debemus cum omni competenti deuotione defendere; ac dignitatem propriæ venerationis B. Apoſtolo Petro intemeratam, & in noſtris temporibus conſeruare, quatenùs Beatiſſimus Romanæ Ciuitatis Epiſcopus, cui Principatum Sacerdotij ſuper omnes antiquitas contulit, locum habeat, & facultatem de fide, & Sacerdotibus iudicare: hæc ille. Cum autem quidam apud Imperatorem Mauritium curaſſent, vt Maximus in Dalmatia Epiſcopus, qui deliquerat, cum honore ſuſciperetur, Gregorius Magnus iniquè ferens, cauſas Epiſcoporum in Palatijs Principum tractari; ad Conſtantiam Auguſtam ſcripſit, ſi Epiſcoporum cauſæ mihi commiſſorum apud pijſſimos Dominos aliorum patrocinijs diſponuntur, infælix ergo in Eccleſia iſta, quid facio? vt Epiſcopi mei ad ſeculares Iudices refugium habeant, peccatis meis deputo.

Epiſcopi apud Romanum Pontificem accuſati.

Cum nemo apud inferiorem, aut parem, ſed tantùm apud ſuperiorem ſuum legitimè accuſetur: tamen non ſolùm Epiſcopi, ſed etiam primates, & Patriarchæ apud Pontificem Romanum olim accuſabantur. Quidam ex Eccleſia Alexandrina, rectè quidem, inquit Athanaſius, ſentientes, ſed tamen ignari eius cauſæ, ob quam Dionyſius, ità ſcripſiſſet, Romam aſcenderunt, ibique eum apud Dionyſium eiuſdem nominis Romanum Præſulem accuſauerunt. Ruffinus Presbyter apud Papam Anaſtaſium, itemque Polychronius Hieroſolymitanus Epiſcopus apud Xyſtum ſimoniacæ prauitatis accuſatus eſt.

Conſtantius etiam, & Muſellus Maximinianum Eccleſiæ Pudentianæ in Africa Hier. in ep. ad Princip. Epiſcopum apud Sedem Apoſtolicam accuſarunt, To. 1. Conc. Greg. li 2. quòd præmio Donatiſtarum corruptus, indict. 10. ep. 33. Epiſcopum noua licentia fieri permiſit.

Epiſcopi, & alij Romam accerſiti.

Rei alicuius criminis ad Vrbem Romam interdùm accerſiti ſunt, vt cauſam dicerent. Iulius Papa (inquit Athanaſius) Presbyteros ſuos Elpidium, & Philoxenem cum literis ad Euſebianos miſit, certum diem definiens, vt aut præſentes ſe ſiſterent, aut cognoſcerent ſe omnibus modis ſuſpectos haberi.

Theodoſius Imperator Damaſi primùm, deindè Sīricij, ac demùm Anaſtaſij literis prouocatus, qui dixiſſent, eum tyrannos contrà ſe quicquam molientes opprimere, ſed his, qui per tyrannidem Chriſti leges euertere ſtuderent, impunitatem concedere, Flauianum Antiochiæ Epiſcopum, qui contrà fidem iure iurando datam Epiſcopatum, viuente adhuc Paulino, inuaſerat, Romam proficiſci iubet, nec refert, quòd Flauianus aſtutia quadam fecit, vt ne iret; nam iure ſaltem ire compellebatur, quod & ipſe agnouit poſtea. Interim verò B. Hieronymus ait, Orientis, & Occidentis Epiſcopos ob quoſdam Eccleſiarum diſſenſiones Romam Imperiales literæ contraxerunt; & me Romam cum Sanctis Pontificibus Paulino, & Epiphanio Eccleſiaſtica traxit neceſſitas, quorum alter Antiochenam Syriæ, alter Salaminiam Cypri rexit Eccleſiam. Alibi Hieronymus de Ruffino, & ſocijs eius agens, Acciti, ait,
fre-

frequentibus literis hæretici, vt ſe defenderent, venire non ſunt auſi.

Niceph.lib. 16. c.16. Felix ad Zenonem miſit,vt Acatius Romam mitteret cum Ioanne Alexandrino, experturus, aut cauſam dicturus.

Hac tibi auctoritate præcipimus,inquit Gregorius ad Anthemium Subdiaconum Campaniæ, vt ſi quem Epiſcoporum Campaniæ poſt hæc negligentem eſſe cognoueris, ad nos eum ſine aliqua excuſatione tranſmittas, vt quàm ſit graue, nolle ab his, quæ reprehenſibilia ſunt, corrigi, regulari in ſe valeat diſtrictione ſentire.

Illyrici Epiſcopi dixerunt in Chalcedonenſi ſynodo, qui contradicunt, Romam ambulent, vt Leo; ſic credimus.

Euſeb. li.10. c.5. Atque huc etiam pertinet, quòd Conſtantinus Imperator tam Cæcilianum Carthaginenſem Epiſcopum, quàm decem alios Epiſcopos, qui illum accuſabant, Romam nauigio traijcere iuſſit, vt coram Melchiade Papa, & collegis eius audirentur.

Epiſcopi apud Papam purgabant ſe.

Qui erraſſe, aut deliquiſſe exiſtimabantur, ſe ipſos apud Romanum Pontificem, vel epiſtolis, vel præſentes purgabant.

Origenes, inquit Hieronymus, ad Fabianum Romanæ Vrbis Epiſcopum ſcribit, in eaque epiſtola pœnitentiam agit, cur talia ſcripſerit, & cauſam temeritatis in Ambroſium refert, quòd ſecretò edita in publicum protulerit.

Dionyſius Alexandrinus apud Romanum Præſulem accuſatus de fide, cum obiecta poſtulaſſet à Romano Præſule, eaque accepiſſet; opus edidit ſub nomine Elenchi, & Apologiæ ad ſe purgandum.

Vrſatius, & Valens Pannoniæ Epiſcopi vnà cum libellis profecti ſunt ad B. Iulium Romanum Epiſcopum, pro ratione, inquit Epiphanius, reddenda de ſuo errore, & delicto, quòd calumnias ſtruxiſſent Papæ Athanaſio.

Sulp. Seuer. ſacr.hiſt l.2. Inſtantius, Saluianus, & Priſcillianus in Synodo apud Cæſaraugustam damnati, Romam profecti ſunt, vt apud Damaſum Vrbis ea tempeſtate Epiſcopum, obiecta purgarent,ſed ne in conſpectu eius quidem admiſſi ſunt.

Papa Epiſcopos de gradu ſuo deponebat.

Pontifex Romanus Epiſcopos cuiuſcumque gentis in commeritos, ac in errore perſiſtentes damnauit, ac depoſuit. Facere te oportet (inquit ad Stephanum Papam Cyprianus) pleniſſimas literas ad Epiſcopos noſtros in Gallijs conſtitutos, ne vltrà Martianum collegio noſtro inſultare patiantur; & poſt dirigantur à te literæ in prouinciam, & ad plebem Arelatæ conſiſtentem, quibus abſtento Martiano, alius in locum eius ſubſtituatur.

Euſebius Mediolanenſis ad Papam Leonem ſcribens, Placuit omnibus, inquit, quorum nomina ſubſcriptio ſubter annexa poterit declarare, eos, qui ſe ipſos abiectione dignos fecerunt, ſuo etiam conſenſu, auctoritatis veſtræ,præcedente ſententia,damnatione congrua perſequendos.

Hilarius, inquit Leo, nouerit, non tantùm ſe ab alieno iure depulſum, ſed etiam Viennenſis prouinciæ (quam malè vſurpauerat) poteſtate priuatum.

Felix Papa Romanus poſt pœnitentiam per quinquennium expectatam, abdicauit Acatium, ad Zenonem ſcribens, vt Acatius Romam aliquos mitteret cum Ioanne Alexandrino in iudicio, ſi quam haberet actionem, expectaturus, aut cauſam dicturus. Niceph.l.16 c.16.

Armonius in libro de geſtis Francorum, Agapetus, inquit, Romanæ Sedis Pontifex Anthimum Patriarcham Conſtantinopolitanum damnauit: & nos (inquit Petrus Hieroſolymorum Epiſcopus) conſentimus his, quæ benè formata ſunt ab ipſo Agapeto Papa. Vigilius Theodorum Cæſareum Epiſcopum omni poteſtate Epiſcopali ſpoliauit. Mennam verò poſt quattum menſem ad communionem admiſit.

Columbo Numidiæ Epiſcopo Gregorius mandat, vt adunato Epiſcoporum vniuerſali concilio, Maximinianus Eccleſiæ Pudentianæ in Africa Epiſcopus, ſi reus conuincatur, à dignitate, officioque degradetur: & alibi, Is, qui ſuperſtite Epiſcopo innocente contra canones in Eccleſia eius ordinari præſumpſit, ſacerdotio priuatus, ab omni Eccleſiaſtico miniſterio repellatur; qui etiam in cuſtodia habeatur, vel ad nos tranſmittatur. Epiſcopi verò, qui eum ordinauerunt, ſex menſibus Dominici corporis, & ſanguinis communione priuati, agere pœnitentiam decernantur in Monaſterio.

Papa Epiſcopis veniam dabat.

Sedes Apoſtolica veniam ijs Epiſcopis dedit, qui ſeſe corrigebant. Cùm Flauianus contra Sacramenti ſui pollicitationem, qua ob ſchiſma in Antiochena Eccleſia tollendum iurauerat vnà cum alijs, ſiue Meletius, ſeu Paulinus prior moreretur, neminem ei ſubſtituendum, poſt mortem Meletij, viuente adhùc Paulino, conſtitutus eſſet Epiſcopus Antiochiæ; ob eamque cauſam Romanus Pontifex, & Occidentis Epiſcopi Flauianum in communionem ſuam non admitterent,tam Imperator Theodoſius, quàm beatus Ioannes Chryſoſtomus, atque etiam Theophilus Alexandrinus cum Pontifice Romano egerunt, vt propter populi concordiam peccatum à Flauiano commiſſum remitteret, quod & fecit, Flauiano illuſtriſſimos Epiſcopos, Preſbyteros, & Diaconos ea de cauſa Romam mittente. Socrat.lib.5. c.5. Sozom.lib.7 c.11. Theod.lib.5 c.23.

Briccius Turonenſis Epiſcopus, cum in beatum Martinum deliquiſſet, atque Eccleſia ſua pulſus, Romæ, quicquid in ſanctum Dei deliquerat, defleuiſſet, ſeptimo anno cum auctoritate Papæ in locum ſuum regreſſus eſt.

Polychronium Hieroſolymorum Epiſcopum à Legatis Papæ in Concilio Epiſcoporum 76. damnatum, Papa Sixtus poſteà Sedi ſuæ reſtituit.

Solo

Solo Dioſcoro damnato, & depoſito, alijs Epiſcopis, qui Flauianum in Epheſina Synodo ſecunda iniquè damnarunt, Sedes Apoſtolica veniam tribuit, quia contra voluntatem, quæ patrata erant geſſiſſent.

Chriſtianiſſimus Princeps Martianus Auguſtus ad nos, inquit Papa Leo, epiſtolam dedit, interueniens pro Anatolio Conſtantinopolis Epiſcopo, vt noſtri animi gratia illi præbeatur, quoniam correctionem eius promitteret.

Agapetus Papa (inquit Synodus Conſtantinopolitana ſecunda) Anthimum de ſede ſibi non conueniente depulit, data venia his, qui talis rei participes ſunt.

Epiſcopi ad Papam appellarunt.

Ab alijs Epiſcopis, aut etiam Synodis iniuſtè damnati, appellarunt ad Pontificem Romanum, & honori, ac dignitati ſuæ ab illo reſtituti ſunt.

Beatus Athanaſius, inquit Liberatus, Romanum Pontificem appellauit. Præterea tam Athanaſius Alexandriæ, quàm Paulus Conſtantinopolis, itemque Marcellus Ancyræ, Aſclepas Gazæ, & Lucius Adrianopolis, Eccleſijs ſuis ſpoliati, cum Romam confugiſſent; Epiſcopus Romanus Iulius criminationibus eorum intellectis, cum propter Sedis di- Sozom. lib. 3 c. 7. gnitatem cura omnium, inquit Sozomenus, ad ipſum ſpectaret, ſingulis ſuam Eccleſiam reſtituit.

Hieronym. ep. 16. Mox etiam cum Petrus Alexandriæ Epiſcopus, qui Athanaſio ſucceſſerat, Romam confugiſſet, atque ex vrbe Roma cum literis Socrat. lib. 4. c. 30. Damaſi Epiſcopi Romani, quæ creationem Petri confirmabant, reuerſus eſſet; populus Alexandrinus Damaſi literis confiſus, expulit Lucium; & Petrum in eius locum introduxit.

Ioannes etiam Chryſoſtomus in Synodo Epiſcoporum iniuſtè depoſitus, ad Innocentium Papam prouocauit, & Sedi ſuæ reſtitutus eſt, licèt iterum poſteà pelleretur.

Lupicini Mauritaniæ Epiſcopi cauſam, inquit Leo Papa, illic iubemus audiri, cui multùm, & ſæpiùs poſtulanti communionem hac ratione reddidimus, quoniam ad noſtrum iudicium prouocaſſet: parem quoque gratiam Theodoreto ad ſe prouocanti fecit.

Liberatus in Breuiar. c. 18 Ioannes Talaia Alexandrinus Patriarcha iniuſtè ab Acatio, & Petro Moggo vexatus, communicato cum Calendione Antiocheno Patriarcha conſilio, Romanum Pontificem Simplicium appellauit, qui Nolanam ei dedit Eccleſiam.

Gregorius Magnus Hadrianum Thebanę ciuitatis Epiſcopum à Ioanne Epiſcopo primæ Iuſtinianæ iniuſtè damnatum, in ſuum locum, & ordinem reſtituit, Epiſcopo Iuſtinianæ ad triginta dies communione priuato.

Papa Cathedralibus Eccleſijs longè remotis Epiſcopos præfecit.

Epiſcopus Romanus cum res poſtularet, etiam longè remotis Eccleſijs Epiſcopos præfecit, aut cuſtodes ad tempus dedit: interdùm etiam exemit aliquem de alterius Epiſcopi iuriſdictione.

Perigenes deſignatus fuit Patrenſis Eccleſiæ Epiſcopus, quem vbi populus illius Socrat. lib. 7 c. 35. Vrbis repudiauerat, Epiſcopus Romanus mandauit, vt Epiſcopo Corinthij metropolis iam mortuo, in ſede Epiſcopali illus Vrbis collocaretur, cui Eccleſiæ reliquo vitæ ſpatio præfuit.

Cùm Neſtorius Conſtantinopolis Patriarcha iam de hæreſi ſuſpectus, nec tamen adhùc depoſitus fuiſſet, Cœleſtinus Papa ad Cyrillum ſcripſit: Tu Eccleſiæ ipſius curam, prouidentiamque ſuſcipias.

Cùm Sagonenſis Eccleſia in Corſica Epiſcopo deſtitueretur, Gregorius Magnus ait, ſe paſtorali cura conſtringi, vt ei ſuccurrat. Vnde Leoni Epiſcopo in Corſica licentiam ordinandi Presbyteros, & Diaconos in Eccleſia Sagonenſi concedit.

Idem Gregorius dicit ſanctæ memoriæ deceſſorem ſuum (Pelagium Papam) exemiſſe Hadrianum Thebanæ ciuitatis Epiſcopum de Iuriſdictione poteſtatis Ioannis Epiſcopi Lariſſæi, quam exemptionem Gregorius confirmat.

Papa vices ſuas Epiſcopis delegauit.

Pontifex Romanus certarum ciuitatum Epiſcopis delegabat vices ſuas per vniuerſas Prouincias, qui longinquis Eccleſijs præſentiam quodammodò Apoſtolicæ viſitationis impenderent.

Itàque Leo ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem Epiſcopum ſcribens: Sicut, inquit, præceſſores mei præceſſoribus tuis, ità ego dilectioni tuæ priorum ſecutus exemplum, vices mei moderaminis delegaui.

Congruum duximus, ait Papa Simplicius ad Zenonem Epiſcopum Hiſpalenſem, vicaria Sedis noſtræ te auctoritate fulciri.

Hormiſda etiam vices ſuas per Bæticam, & Luſitaniam Prouincias commiſit Salluſtio Hiſpalenſi Epiſcopo.

Papa Vigilius, Iuſtiniano atteſtante, conſtituit, vt Archiepiſcopus Iuſtinianæ primæ, in Prouincijs ſibi ſubiectis, Apoſtolicæ Sedis Romanæ locum teneret.

In Eccleſijs, quæ ſub regno pręcellentiſſimi filij noſtri Childeberti regis ſunt, ſecundùm antiquam conſuetudinem, inquit Gregorius, fratri noſtro Virgilio Arelatenſis Ciuitatis Epiſcopo vices noſtras tribuimus.

Parem etiam poteſtatem Epiſcopo Siracuſano in Sicilia, & Corinthiorum in Achaia tribuit, cui etiam Epiſcopos per Hellada conſtitutos parere iubet; itemque Epiſcopis per Illyricum præcepit, vt Ioanni, velut Delegato Sedis Apoſtolicæ obediant.

Papa Legatos in alias Prouincias extrà ordinem miſit.

Baſil. ep. 52. & 77.

Extrà ordinem etiam Papa mittebat Legatos in quamcumque Prouinciam, quod vt in Aſiam faceret, Baſilius Magnus vehementer inſtabat, & Gregorius Nazianzenus fatetur, Luciferum, & Euſebium Epiſcopos ex vrbe Roma Cæſaream miſſos, ad ſeditionem, quæ in Eccleſia Cæſarienſi orta fuerat, ſedandam: quos eoſdem Epiſcopos reliquum Orientem peragraſſe, omnes hiſtoriæ Eccleſiaſticæ tradunt.

Iniuncta nobis, inquit Auguſtinus, à venerabili Papa Zozimo Apoſtolicę Sedis Epiſcopo, Eccleſiaſtica neceſſitas in Mauritaniam nos traxerat; nec ob aliud idem Auguſtinus Numidiæ Legatus in Synodo Carthaginenſi vocatur, quàm in Numidia locum Sedis Apoſtolicæ ſuppleuiſſet.

Papa Zozimus Fauſtinum Eccleſiæ Potentinæ in Prouincia Piceni Epiſcopum, & Presbyteros duos in Africam miſit ad cauſam Apiarij tractandam, ſecundùm Concilij Sardicenſis caput ſeptimum.

Leo Magnus vicem ſuam Sacerdoti Potentio iniunxit, qui de culpabili Epiſcoporum Mauritaniæ electione inquireret.

Gregorius Magnus in Hiſpanias miſit Ioannem defenſorem, cum poteſtate etiam Epiſcopos puniendi, & Petrum Diaconum in Siciliam vice ſua. Idem non ſolùm apud Imperatorem Conſtantinopolitanum Pontificis nomine Legatum egit, verùm, & antiquam conſuetudinem fuiſſe teſtatur, vt Apoſtolicæ Sedis Diaconus in Palatio Imperatoris permaneret, ad ea videlicet tractanda, quæ fidei, & religionis eſſent.

CAP. III.

De perſecutionibus, quas Eccleſia Romana ob fidem Chriſti, & ſuſtinuit ſemper, & vicit.

Decimumſeptimum Dei opus.

Simon Magus omnium hæreticorum caput, quam Eccleſiam perindè oppugnauit, ac Romanam? & à qua tam ipſe, quàm diſcipuli eius perindè victi ſunt, atque à Romana?

Qui contra Pij, & Victoris decretum non in Dominico die, ſed Luna decimaquarta feſtum Paſchatis celebrabant; ſiue Blaſius Romæ, ſeu Policrates in Aſia, ſeu Quartadecimani, aut in Britannijs, aut alibi; nonnè, & Romanam Eccleſiam perſecuti, & ad nihilum omnes redacti ſunt, Romana interim fide tum per Synodum Nicænam, tum per Catholicarum gentium perpetuam obſeruationem confirmata?

Nouatianus, qui primus in Eccleſia Romana Cathedram ſchiſmaticã contra vnicam, & ſingularem Cornelij Papæ Cathedram erexit, quamquã longè, latèque hæreſim ſuam de abroganda pœnitentia, hoc eſt, Sacerdotalis abſolutionis Sacramento, propagaſſet, tamen, & ipſe per Cornelium in Concilio ſexaginta Epiſcoporum Romæ acto de gradu ſuo deiectus eſt, & hæreſis eius per fidem Eccleſiæ Romanæ, vbique repreſſa eſt, & ſucceſſores eius per Cornelij Papæ ſucceſſores penitùs ex vrbe Roma eiecti ſunt. Nam & Innocentius primus Nouatianos Roma eijcere cœpit, multaſque eis ademit Eccleſias, & Cœleſtinus Pontifex penitùs eos ex Vrbe exterminauit.

Qui baptizatos ab hæreticis contra Stephani Papæ decretum in Eccleſia rebaptizandos docebant, ſiue Firmilianus Epiſcopus in Cappadocia, ſeu Cyprianus in Africa, ſeu Donatiſtæ, ſeu Hilarius Diaconus, nonnè per fidem Eccleſiæ Romanæ, aut acta pœnitentia emendati, aut per conſeruatam Sedis Apoſtolicæ vnionem (vt de Cypriano conſtat) veniam conſecuti, aut in contumacia perſeuerantes ex tota Eccleſia iam diù ſunt abdicati?

Donatiſtæ cum à Melchiadis Papæ ſententiâ, quam pro Cæciliano Epiſcopo Carthaginenſi tulit, ad Imperatorem Catechumenum adhuc, hoc eſt à Chriſti miniſtris ad non baptizatum Cæſarem in magnam Chriſti contumeliam prouocaſſent; nonnè penitùs de Mundo perierunt, ſtante ſemper, & florente Eccleſia Romana?

Ariani, & Euſebiani quamquam, & Liberium Papam per Conſtantium Imperatorem in exilium eieciſſent, & Papam Symmachum deponere conati eſſent, & Ioannem Papam per Theodoricum Regem morte affeciſſent: & per totum Orbem Epiſcopos cum Papa Romano communicantes, Athanaſium, Hilarium, Paulum, atque alios innumerabiles afflixiſſent, idque ipſum in Ambroſium, & Baſilium conati eſſent: nonnè tamen ipſi penitùs deleti ſunt, idque potiſſimùm Romani Pontificis opera, & induſtria? nam hoc ipſum Greci etiam hiſtorici fatentur, & clauſa quidem priùs Arianorum Eccleſia in Vrbe Roma fuerat, ſed beati Gregorij tempore introductis beati Stephani, & ſanctæ Marthæ reliquijs, in Catholicæ fidei vſus dedicata eſt. quo etiam ſeculo Ariana hæreſi tam in Africa priùs, quàm poſteà in Hiſpanijs extincta, vtraſque ampliſſimas Prouincias Sedi Apoſtolicæ reconciliatas fuiſſe conſtat.

Dioſcorus Alexandrinus cum in Eutychetis archihæretici gratia Leonem Papam excommunicare molitus eſſet, à ſexcentis Patribus in Concilio Chalcedonenſi ob hoc ipſum depoſitus eſt, & abdicatus.

Monothelitæ, & Iconomachi cum non ſolùm non obedirent ſanctis Pontificum Romanorum, & Conciliorum generalium inſtitutis; verùm etiam per hæreticos Imperatores Philippicum, Leonem, Conſtantinum, & alios vim Sedi Apoſtolicæ facerent, vt illa quoque in eorum blaſphemias conſentiret: Gregorius tributa Leoni denegauit, Leo Tertius Imperij Occidentis gubernationem in Carolum Magnum tranſtulit.

Cum autem Leo Græcorum Imperator con-

contra Papam emiſiſſet claſſem, ea in Adriatico mari perijt. Denique Græcis in ſchiſmate perſiſtentibus, ipſorum euerſum eſt Imperium; Romanæ verò Eccleſiæ Primatus perſeuerat.

Vualdenſes, Vuicleſiſtæ, Lutherani, Caluiniſtæ, quid quærunt, quàm vt Eccleſiæ Romanæ Primatum auferant? At ipſi interim de medio tolluntur. At Vualdenſes quidem religionis voto ſuſcepto (vt Abbas Vſ-
In chron. pergenſis tradit) non modò nulli iam ſunt, verùm etiam ſi alicubi eſſent à Lutheranis, & Caluiniſtis, qui vota iſtiuſmodi non ferunt, delerentur. Sectæ autem reliquæ ſe ipſas mutuò ſcindunt, & lacerant, mutua ipſarum pernicie fidem Romanam ſtabilientes, & con-
Luc. 11. firmantes. Nam omne Regnum in ſe diuiſum deſolabitur. Papa interim ex illorum reprehenſionibus melior, ex illorum iniurijs fit cautior. Nam diligentibus Deum omnia coope-
Rom. 8. rantur in bonum.

Nec hæreticorum modò, verùm etiam Tyrannorum quaſcunque perſecutiones Apoſtolica Sedes in virtute Chriſti deuicit.

A Nerone vſque ad Diocletianum vix quiſquam Pontificum Romanorum fuit, qui non pro Chriſti fide martyrium ſubiret.

Mox Conſtantius, Iulianus Apoſtata, Valens, Iuſtina, Theodoricus, & alij Gothorum Reges, etiam ſub Chriſtianæ fidei, & Euangelij ſpecie, tam Epiſcopos Romanos, quàm eorum collegas affixerunt.

Poſteà Imperatores Conſtantinopolitani (vt beati Gregorij verbis vtar) in caput omnium Eccleſiarum Eccleſiam Romanam terrenæ ius poteſtatis vſurparunt, impoſito videlicet tributo, quòd is, qui eligeretur in Pontificem, ante conſecrationem ſuam perſolueret.

Quin etiam Henricus Quartus, & Quintus, Fridericus Primus, & Secundus, Otho Quintus, Ludouicus Bauarus, Philippus Franciæ, Ioannes Angliæ, Pogebracius Bohemiæ Reges, ac multi præterea Principes contra Sedem Apoſtolicam grauiſſimas perſecutiones excitarunt; adeò vt ex Pontificibus alios occiderent, alios tenerent captiuos, & alios ad iniquiſſimas conditiones adigerent.

Poſtremò Saraceni, Turcæ, Mauri, quem ex Principibus Chriſtianis perditum magis cuperent, quàm Pontificem Romanum, cuius induſtria norunt Chriſtianorum arma in ipſos maximè omnium torqueri?

Iam cum omnibus his perſecutorum generibus Apoſtolica Sedes tam fortiter pugnauit, vt multos eorum Chriſto ſubiugauit, à nullo penitùs victa ſit.

Domeſticis etiam viribus, ac non ſolùm externis Apoſtolica Sedes tentata eſt. Quoties, aut ciuitas Romana, aut aliquis ex Principibus Romanis in Papam arma tulit? Quoties aditum hoſti patefecit? Quoties in libertatem non Chriſti, ſed Mundi ſe ipſam aſſerere conata eſt?

Vigintiquatuor ſchiſmata in ipſa Eccleſia Romana extiterunt, dum vnicam, & ſingularem Cathedram plures ſimul ambirent, nunc duo, nunc tres ſimul occuparent.

A temporibus autem Formoſi Papæ, & per aliquot deinceps annos, vnus Pontifex alterius, aut electionem, aut decreta, aut conſecrationem irritam facere conatus eſt; etiam in Synodo ſub Stephano Septimo vi adhibita.

Quid de Guelphorum, & Gibellinorum factionibus? Marcellini thurificatione? Liberij, quamquam non vera, tamen etiam à ſanctis viris credita ſubſcriptione? Honorij epiſtola Monotheliris fauente? Cæleſtini ſententia de coniugis hæreticæ repudio, & alterius acceptione, quam Innocentius reprehendit? Quid denique de grauiſſimis aliquot Pontificum peccatis dicam? quæ tamen omnia cum fortiſſima inferorum arma ſint, nunquam efficere potuerunt, vt tam potenter à Deo ſtabilitus Eccleſiæ Romanæ Primatus ex Eccleſia Chriſti auferretur.

CAP. IV.

De Vrbis Romæ dominio Epiſcopis Romanis acquiſito.

Decimumoctauum Dei opus.

POntifices Romanos Vrbis Romæ non ſolùm poſſeſſionem, verùm etiam dominium iam diù adeptos eſſe, & tranquillè adhuc tenere, nemo eſt, qui neget, aut negare poſſit.

Non poteſt autem dici, quòd in gladio Pſal. 43.
ſuo poſſederunt terram, aut quòd brachium eorum ſaluauit eos, neque verò fuerunt terreni Reges, aut filij regum terrenorum, ſed Paſtores ouium Domini, & filij piſcatoris. Si ergo Iſrael, qui ſuccinctus exiuit ex Ægy- Exod. 12.
pto, & armatus intrauit in terram Chanaam, prohibetur in corde ſuo dicere: fortitudo Ioſ. 1.
mea, & robur manus meæ hæc mihi omnia præſtiterunt; ſed recordari iubetur Domini Deut. 8.
Dei ſui eos, quòd ipſe vires ei præbuit: quantò magis ſucceſſores Petri, qui mare Mediterraneum in baculo ſuo tranſiuit, & ſine baculo Romam ingreſſus fuiſſe traditur, non in arcu, & gladio, ſed in verbo Dei, & in potentia Euangelij Ieſu Chriſti Vrbis Romæ dominium acquiſiuerunt? Impleri enim oportuit, Eſa. 61.
quod apud Eſaiam prædictum erat, ſtabunt alieni, & paſcent pecora veſtra; & filij peregrinorum, agricolæ, & vinitores veſtri erunt. Vos autem Sacerdotes Domini vocabimini Miniſtri Dei noſtri dicetur vobis, fortitudinem gentium comedetis, & in gloria eorum ſuperbietis, pro confuſione veſtra duplici, & rubore, laudabunt Patrem eorum. Propter hoc in terra ſua duplicia poſſidebunt: lætitia ſempiterna erit eis. Quis magis Paſtor, quàm Petrus, ad quem dictum eſt, paſce agnos, & oues meas? Quis alienior paſtor, Ioann. 21.
aut gentibus, quàm Petrus Iudæus, aut Iudæis, quàm Petrus, non de tribu Leui, ac ne- Gal. 2.
que de terra Iuda, ſed Galilæus? Quis magis Sacerdos Domini, quàm primus Apoſtolo- Act. 2.
rum, cui Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech, ſignificantiſſimè dixit, tu me ſequere, & iterùm: Occide, & manduca; quod Matt. 10.
vtique Sacerdotis eſt? Quæ magis fortitudo gentium, quàm Roma, quæ caput erat po-

puli ſortis, ciuitas gentium robuſtarum, cu-
Ioan. 21. ius etiam vocabulum Græcis fortitudinem,
& robur ſignificat? quæ magis gloria genti-
Act. 10. lium, quàm Vrbs Orbis domina, Imperij po-
tentiſſimi Sedes, & domicilium? Quaprop-
Eſa. 25. ter cum Petri ſucceſſores dominium Vrbis
Romæ adepti ſunt; tunc veriſſimè fortitudi-
nem gentium comederunt, & in gloria gen-
tilium illuſtres facti ſunt. Stupenda quidem
res, & ſupra quam dici poteſt admiranda,
vt cum potentiſſimi quique Imperatores per
aliquot ſecula omnem vim ſuam in extermi-
nandis ex Vrbe Roma Pontificibus Romanis
fruſtrà explicaſſent, nunc è contrario Ponti-
fices Romani abſque vlla vi Romanos Impe-
ratores ex arce Imperij ſui ſemouerunt, pa-
latija ipſorum Cæſarum, atq; adeò tota Vrbe
inſuam proprietatemconuerſa. Digitus Dei
eſt hic. Quæ enim alia huius rei ratio? Vtrùm
Imperatores, qui ne minimum aliquod Ca-
ſtellum ſuum in aliorum poteſtatem veniat,
longiſſima, & acerrima bella gerunt, Romam
non ſolùm Imperij, verùm etiam totius Or-
bis reginam pro derelicto habuerunt? Hoc ſi
nemo prudens vmquam dicet, nec tamen vi,
aut dolo eiecti ſint: reliquum eſt, vt hoc tam
magnum opus, Dei ſolius prouidentiæ tri-
Dan. 2. buatur, Is enim eſt, qui regna transfert, at-
que conſtituit, nam ſi nec paſſer ſine volun-
Matth. 10. tate eius in terram cadat, quantò minùs Im-
perij potentiſſimi caput in alicuius poteſta-
tem abſque definito Dei conſilio potuit per-
uenire?

Quomodo Romani Pontifices Vrbis Romæ dominium acquiſierint.

Excepta donatione Conſtantini, de
qua tamquam ſatis ab alijs contra hæreticos
defenſa, & explicata nihil nunc dicam, tri-
bus ferè alijs gradibus Romani Pontifices ad
obtinendum Vrbis Romæ dominium perue-
nerunt.

Conſtantinus Magnus iam percepta fide
Tract. 7. in Ioann. Chriſti (quod Romani Pontificis opera fa-
ctum eſſe, ex Auguſtino planum ante fecimus)
tranſijt ex Italia in Thraciam, vbi Vrbem ſui
nominis ædificauit, quæ dicebatur, & Con-
ſtantinopolis, & noua Roma. Vnde apparet,
Deum, noua Imperij Sede Græciæ finibus ere-
cta, & conſtituta, itemque nouæ Romæ no-
mine eidem impoſito, non alio fuiſſe animo,
quàm vt veterem Romam vellet deinceps non
tam terreni, quàm cæleſtis Imperij Sedem, ac
domicilium eſſe. Hoc fuiſſe Dei conſilium
euentus ipſe, qui ex his initijs originē duxit,
abundè probauit. Ac neque Conſtantinus
quidem videtur huius diuini conſilij prorsùs
expers fuiſſe, cum Palatium Lateranenſe in
quo habitauerat, partim ædificauerit in tem-
plum Saluatoris, partim Romano Epiſcopo
inhabitandum reliquerit, in quo eodem Pa-
latio Patriarchium in Romanum, ſeu Ponti-
ficale ſolium vſque in hodiernum diem conſi-
ſtit. Qui enim domicilium ſuum, quod Ro-
mæ habuerat, tam in Chriſti honorem con-
tulerat dedicandum, quàm Vicario Chriſti
vtendum donauerat, mox alio Sedem ſuam,
nomenque ipſum Romæ transferens: quid
aliud ſenſiſſe putabitur, quàm veterem Ro-
mam Chriſto, & Chriſti Vicario ſe vacuam
relinquere, nouamque Romam ſibi, ac ſuis
ſucceſſoribus habitandam alibi deligere, at-
que adoptare?

Vtcumque ſit, illud certum eſt, Imperat.
Rom. minùs frequenter poſteà Romæ habitaſ-
ſe, vt videlicet populus Rom. propter Impera-
torum abſentiam eò magis inciperet, Pontifi-
ces Romanos in oculis habere, eorumque
auctoritatem ſuſcipere, & venerari. Quorum
etiam gloria non parùm apud Romanos au-
cta eſt eo tempore, quo Hunni Duce Attila
Italiam, Aquileia iam diruta, inuaſerunt.
Tunc enim Leo Pontifex non humanis, ſed
diuinis armis protectus, Attilæ ad Vrbem fe-
ſtinanti, vt re intentata diſcederet, incredi-
bili eloquentia perſuaſit, eamque calamita-
tem, quam Romani Cæſaris Imperij gladio
arcere non poterant, Petri clauibus ab Vrbe
auertit; vt re ipſa oſtenderet, quantò tutio-
res Romani ſub Petri, quàm ſub Iulij Cæſaris
ſucceſſoribus futuri eſſent. Quin, & anteà
Deus hoc ipſum Romanis admirabili qua-
dam ratione commendauerat. Cum enim
Gothorum rex Alaricus, imperante Honorio,
Vrbem Romam cœpiſſet; edixit, ſi quis Ro-
manos ad Baſilicas Apoſtolorum Petri, &
Pauli confugientes læderet, aut ipſa diuorum
templa violaret, vt capitis pœna id nefas
lueret. Hoc nouo more factum, & inuſitata
rerum facie decretum eſſe tum admiratur Au-
guſtinus, tum Chriſti nomini, & Chriſtiano
tempore tribuendum meritò aſſerit. Hoc
enim ſigno Romani admonebantur, nec Im-
perij Romani eiuſdem; & ſæcularem poten- De Ciuit. Dei lib. 1.
tiam conſeruare illos potuiſſe: & multò illis cap. 1. & 7.
potentiores patronos Petrum, & Paulum fu-
turos, quàm Romani Cæſares vmquam eſſe
poſſent. Hic ergo erat primus gradus ad
obtinendum Vrbis Romæ dominium Epiſco-
pis Romanis à Deo præparatus, & conſti-
tutus.

Vbi verò Philippicus Imperator Mono-
thelitarum hæreſi contra ſextam Oecumeni-
cam Synodùm iniuſtè fauens ob praui dog-
matis literas ad Conſtantinum Pontificem
Romanum datas, eòuſque fidelium Romano-
rum animos contra ſe irritaſſet, vt palàm de-
cernerent Imperatoris hæretici neque nomen,
neque literas, neque effigiem ne in nummis
quidem expreſſam ſuſcipi debere; itemque
Leo iconomachus incenſis Chriſti, & Sancto-
rum imaginibus, Pontifici Romano, vt ſimilia
faceret, fruſtrà mandaſſet, ex quo tam Rauen-
næ, quàm Venetiarum exercitus Imperatoris
iuſſioni reſtiterunt, tunc quidem Gregor. II.
auctoritate ſua interpoſita, nec minùs fidei
Chriſtianæ, quàm Imperij, atque Vrbis Ro-
mæ patrocinio ſuſcepto, cum Francorum
Principibus fœdus inijt, & tributa, quæ iam
indè à temporibus Iuſtiniani Vrbs Roma
Conſtantinopolitano Imperatori perſolue-
bat, palàm, apertèque denegauit.

Hæc ità, vt diximus, geſta eſſe nemo,
qui veteres hiſtorias perlegerit, negare po-
teſt.

Reſtat igitur, vt iniuſtè facta eſſe di-
cant, qui Pontificia Romani potentiam apud
ſuos traducunt. An ergo æquiore iudice,
quàm

quàm Deo ipſo lis hæc definiri poteſt? bellum Pontifici ab Imperatore iconomacho denunciatum eſt. Miſsus in Italiam contra Pontificem Paulus Exarchus, mox interficitur. Claſſis contra eundem Pontificem miſſa, in Hadriatico mari perijt, in quo bello Antepharium Longobardorum Ducem Pontifici auxilia præbuiſſe, Matthæus Palmerius refert. Denique Pontifex vicit, adeò vt non ità multò poſt Leo III. Carolum Magnum, qui etiam contra Longobardorum tyrannidem non ſemel Vrbem Romam Pontificum rogatu defenderat, Auguſtum diceret, Imperijque diademate cum magno populi Romani applauſu coronaret. Itàque cum Romani viderent ſe non à Græcorum iugo, quàm Longobardorum metu per Pontificum Romanorum auctoritatem egregiè defenſos, & propugnatos eſſe, magis, & magis in dies eis deferre, atque obedire cœperunt. Hic ergo eſt ſecundus acquiſiti Vrbis dominij gradus. Primùm enim, dùm abeſſent Imperatores, poſſeſſio Vrbis velut præſcribenda Pontifici Romano relicta eſt. Nunc verò dùm Imperatores Conſtantinopolitani omni iure, quod in Vrbem obtendebant, priuantur, etiam proprietas Vrbis Pontifici Romano paulatim ceſſit.

Poſtremò, cùm propter iudicium Dei, quo Imperium Occidentis à Pontifice Romano reſtitutum tot ſeculis ſartum, tectum conſeruauit, etiam Michael Imperator Conſtantinopolitanus Nicephori gener miſſis Aquiſgranum ad Carolum Magnum Legatis, eodemque ſalutato Imperatore, tam ab illo, quàm à Leone Papa libello pacis accepto, Pontificis Romani in Imperio transferendo factum approbaſſet, ratumque habuiſſet; quid iam relinquitur, niſi, vt Vrbs Roma etiam Orientalium Imperatorum confeſſione Pontificij iuris, & ſit, & habeatur, niſi fortè quiſquam dicat, eandem ipſam Vrbem poſt Imperij translationem Caroli Magni, & ſucceſſorum eius ditioni ſubiectam eſſe debuiſſe? At ſi quid iuris penès Carolum, & Caroli poſteros in Vrbe Roma fuit, aut eſſe debuit, id ipſum Ludouicus Imperator beato Petro, & ſucceſſori eius, qui tunc Pontificatum adminiſtrauit Paſchali, vnà cum Ducatu ſuo, & Ciuitatibus, Oppidis, Caſtellis, & Villis conceſſit; idque non tamquam tunc primùm inciperent Pontificea Romani horum ius conſequi; ſed ſicut, inquit, à prædeceſſoribus veſtris vſque nunc in veſtra ditione, & poteſtate tenuiſtis.

Quocumque igitur tempore Pontifices primùm adepti ſunt ius in Ciuitate Romana; certiſſimum eſt, quòd à temporibus Ludouici Cæſaris, qui erat filius Caroli Magni, dominium Vrbis Romæ pleniſſimo iure nacti ſunt. Etſi enim Ciues Romani conati interdùm ſunt, ius aliquod ſibi ſupra menſuram ipſis præſcriptam in Vrbe adminiſtranda vendicare: tamen Deus Pontificis cauſam contra illos ſemper tutatus eſt, vti iam res ipſa loquitur.

Cogitet nunc ſecum, qui operum Dei admirator eſſe vult, (omnes autem velle debent) quanta hæc ſit rerum viciſſitudo, vt Pontifex Romanus, quem Romani Cæſares, ne minimum quidem locum in Vrbe obtinere volebant, eorum ipſorum locum obtineat, factus omnium primus, *Vrbiſque illius*, quæ Orbem rexit, gubernator, & dominus. Quod non ob alium finem à Domino factum eſt, quàm vt Ieſu Chriſti nomen, & Euangelium per Vicarij eius honorem toti Mundo redderetur.

Primi Cæſares Chriſtum ignorantes extinguere volebant Pontifices Romanos, totamque Chriſti fidem, & ſemen. His talem vicem reddidit Chriſtus, vt eoſdem Cæſares, omnemque eorum religionem, & cultum per Pontifices Romanos eradicauerit, & deleuerit.

Imperatores Græculi tam parùm Chriſti Vicario detulerunt, vt non alium in Cathedra Petri ad aliquot annos ſedere paſſi fuerint, quàm qui ob inthronizationem ſuam certa pondo auri Conſtantinopolitanis Cæſaribus perſolniſſet.

His etiam talem vicem Chriſtus reddidit, vt per Vicarium ſuum Pontificem Romanum magna eos imperij parte priuauerit.

CAP. V.

Admirabili prouidentia Dei factum eſſe, vt Petrus Abrahæ, ſucceſſores Petri ſucceſſoribus Abrahæ tam in Sacerdotij Principatu, quàm in alijs permultis pares forent, & velut ex altera parte reſponderent.

Decimumnonum Dei opus.

MIlitantis Eccleſiæ Chriſti Diuinitùs inſtituta, & ſapientiſſimè gubernata ſocietas, ſub triplici, naturæ, circumciſionis, & Euangelij ſtatu ab initio Mundi vſque ad finem ità decurrit, vt non ſolùm ſinguli ſtatus communem omnibus vnius mediatoris Ieſu 1. Cor. 4.
Chriſti fidem, & gratiam varijs tùm perſonis, tùm figuris annuncient, verùm etiam alter eorum alteri Diuina planè diſpenſatione reſpondens, vnam, eandemque Dei veritatem admirabili quadam teſtimoniorum viciſſitudine commendet.

Quis neget primogenitæ ouium, quæ Gen. 4.
paſtor Abel ſub lege naturæ in holocauſtum obtulit, arietem inter vepres hærentem cor- Geneſ. 17.
nibus, quem poſt inſtitutam circumciſionem paſtor Abraham pro filio in holocauſtum ob- Gen. 22.
tulit. Denique agnum Dei tollentem peccata Ioann. 1.
Mundi, quem in ſtatu Euangelij Ioannes Baptiſta demonſtrauit, quemque Eccleſia Chriſti myſticè per totum Mundum quotidiè in commemorationem mortis Chriſti offerre, pares vices reddere, aptiſſimèque reſpondere?

Tranſlatus Enoch de terra in lege na- Geneſ. 5.
turæ; tranſlatus de terra Elias ſub lege circumciſionis; tranſlatus de terra Chriſtus in 4. Reg. 2.
lege gratiæ; numquid alter ſtatus ad alterum, tertius ad vtrumque non clamat? Et Chriſti Luc. 24.
membra quotidiè transferuntur de morte peccati ad viam fidei, & de morte corporis Act. 1.
ad animæ gloriam. Præceſſit diluuium Noe in lege naturæ, quòd omne, quod mouebatur Geneſ. 7.

ſuper

ſuper terram conſumpſit. Subſecutum eſt mare (Exod.14.) rubrum in lege circumciſionis, in quo deleti ſunt Ægyptij omnes, qui perſequebantur filios Iſrael.

Aperitur nunc in ſtatu gratiæ fons pa- (Zach.13. Act.22. Gal.4.& 5.) tens Baptiſmi, in quo abluuntur peccata, & opera carnis, quæ perſequebantur eum, qui ſecundùm ſpiritum natus eſt. Et tamquam hę tres diluuiorum viciſſitudines non ſuffeciſſent, (2.Pet.3.) expectamus, & quartum ignis diluuium, quod terram, & opera, quæ in ipſa ſunt, exuret, vt nouis Cœlis, & nouæ terræ locus ſit, (Gen.2. Iſa.13. Gen.10.& 11.) in quibus iuſtitia habitat. Paradiſo, qui præceſſit in lege naturæ, ſubſeruit terra promiſſionis in lege Moſaica; pleniùs reſpondent internæ Fidelium delitiæ in ſtatu Euangelij, pleniſſimè ſatisfaciet Paradiſus Cœleſtis in ſtatu gloriæ. Filij Noe, & nepotes in terra ſub lege naturæ erant ferè ſeptuaginta; vndè & totidem primas fuiſſe gentium linguas doctiſſimi Patres tradiderunt, & animæ domus Iacob, quæ ſub lege circumciſionis ingreſſæ ſunt in Ægyptum, erant ferè ſeptuaginta. (Gen.46. Num.11.) Totidem erant ſenes, quibus Deus de ſpiritu Moyſis in deſerto tradidit; totidem interpretes legis Moſaicæ; (Luc.10.) totidem etiam Diſcipuli Chriſti ſub lege gratiæ, præter duodecim Apoſtolos, qui duodecim filijs Patriarchæ Iacob, & duodecim tribubus filiorum eius, ex æquo reſpondent. Matthæus Euangeliſta, cum generationem Chriſti nonniſi ab Abraham repetijſſet, myſterium tamen trium teſte radicandum non omiſit.

(Matth.1.) Omnes, inquit, generationes ab Abraham vſque ad Dauid, generationes quatuordecim, & à Dauid vſque ad tranſmigrationem Babylonis, generationes quatuordecim, & à tranſmigratione Babylonis vſque ad Chriſtum generationes quatuordecim. Nec refert quòd à Dauid ad tranſmigrationem, quæ in Babyloniam fiebat, plures futuræ erant generationes, ſi omnes Iudæorum reges Matthæus ordine recenſuiſſet, nullo penitùs prætermiſſo. Nam & Spiritus ſanctus de paruo quopiam diſcrimine non curat, & quò certiùs eſt, Matthæum quoſdam reges omiſiſſe, vt myſterium non omitteret, eò magis docuit in rerum ſacrarum collatione potiùs caput, & ſummam totius rei, quàm minimas neſcio quas particulas, quæ diſcrepare videntur, ſpectandas eſſe.

Iam verò hæ ter quatuordecim generationes, quæ ſibi mutuò reſpondent, ſi omnes (Num.33.) ſimul coniungantur, non ne & quadraginta duæ generationes fiunt, & totidem filiorum Iſrael manſionibus in deſerto adæquantur? (Eccleſ.1.) Quid eſt, quod fuit? ipſum, quod futurum eſt. Quid eſt, quod factum eſt? ipſum, quod faciendum eſt. Nihil ſub ſole nouum; nec valet quiſquam dicere, Ecce hoc recens eſt: iam enim præceſſit in ſæculis, quæ fuerunt ante nos.

Ideò omnis ſcriba doctus in regno cœlorum, ſimilis eſt homini Patris familias, qui (Matth.13.) profert de Theſauro ſuo noua, & vetera: vt dum hæc illis, & illa his mutuum dicunt teſtimonium, interim Teſtimonia Domini cre- (Pſalm.92.) dibilia fiant nimis. Quod enim priùs, vel rerum figuris, vel Prophetarum verbis in antiquo, vel naturæ, vel circumciſionis populo præceſſit, hoc dum in ſtatu gratiæ iterum ſuccedere, & de nouo confirmari videmus; infideles planè, & infidelibus deteriores ſumus, ſi tantam Dei lucem aſpicere, atque intueri obſtinatis animis recuſamus.

Quibus ità conſtitutis, ad propoſitam nobis Petri, atque Abrahæ collationem iam accedemus.

Principio ſcriptum eſt, vnum diem apud Deum eſſe quaſi mille annos, & mille annos ſi- (2.Pet.3. Pſalm.80.) cut diem vnum. Hinc mundus, qui quodam in loco ſimul conditus eſſe dicitur, alibi ſex diebus legitur fabricatus: quod videlicet tan- (Eccleſ.18.) tùm ſex annorum millibus (vt beatus Hiero- (Gen.1.) nymus refert) credatur ſubſiſtere: poſt quos annos ſabbatiſmus, & populi Dei requies æterna ſubſequetur.

Iàm ſi hos ſex mille annos, qui tam ob ſenarij, quàm ob millenarij numeri maximam perfectionem, ſatis expreſſum ſanctiſſimæ Trinitatis veſtigium continent, in tres partes diſtribueris, primos bis mille annos ius naturæ ſibi vendicabit, alteros bis mille circumciſio, & ſubſecuta Moyſis lex arripiet; tertios bis mille Chriſti Euangelium ſibi ſu- (Matth.24. Act.1.) met; niſi quòd propter electos breuiabuntur dies iſti, ſecundùm illa momenta, quæ ſolus Deus nouit, & in ſua poſuit poteſtate. Ac nimirùm ſi temporum, atque ætatis mundi rationem quatenus ex ſcripturis iniri poteſt, non nimis exquiſitè (in quo fruſtrà quidam Hieronymi etiam iudicio laborant, cum ſacræ literæ non plerumque dies, & menſes, verùm annos dumtaxat vitæ hominum aſcri- (Gen.5.11. Exod.6.) bant) ſed velut craſſa quadam Minerua ſubduxerimus; reperiemus ab Adam vſque ad (Gen.12.) tempus illud, quo Abraham ex Vr Chaldæorum euocatus, & in noui populi ducem accitus eſt, bis mille annos tranſijſſe; qui meritò legi naturæ tribuuntur.

Secundi verò bis mille anni circiter tranſmigrationem Abrahæ inchoati, & penès omnes ſub lege circumciſionis tranſacti, vſque ad Chriſti reſurrectionem porriguntur, aut etiam vſque ad pleniorem Euangelij promulgationem, & Concilij Hieroſolymitani conſeſſum, in quo definitum eſt, circumciſionem, (Act.15.) & veterem legem ceſſare, nec eos, qui credunt in Chriſtum, iam debere ampliùs neceſſariò circumcidi. Nam ipſa momenta, in quibus, aut primi bis mille anni deſierunt, aut ſecundi (Act.1.) vel inchoati ſunt, vel deſierunt, Deus in ſua poſuit poteſtate; nobis autem occulta eſſe voluit: qua etiam de cauſa generaliter in his rebus, & non nimis definitè loquendum arbitramur.

Iàm quemadmodùm occulta ſcrutari non expedit, ſic manifeſta Dei conſilia negligere non oportet. Res autem ipſæ loquuntur, ſecundos bis mille annos, circa Chriſti mortem, & reſurrectionem expiraſſe; Itàque tertij bis mille anni circiter Chriſti aſcenſionem inchoati, adhuc in ſuo curſu pergunt. Singuli verò bis mille anni (præter Chriſtum vniuerſalem omnium ducem) ſingulos habuere ſuos primarios duces in terra, quos pro tempore videre, & alloqui ſemper licuit. Tales in lege naturæ fuerunt Adam, Seth, Enoch, (Gen.5.) Noe, Melchiſedech: in lege autem circumci- (Gen.17.) ſionis, Abraham, Iſaac, Iacob, Leui & poſteri eorum pontificatu ſecundùm ordinem Aaron fungentes.

Nunc

Nunc autem quæritur, quis id officij primùm, ac potiſſimùm geſſerit in lege noua, quod vel Adam in lege naturæ, vel Abraham in lege circumciſionis obiuit, quis, inquam, fuit primus Eccleſię Chriſtianę paſtor,& dux? Matth. 10. nonne idem, qui primus fuit Apoſtolus? is autem erat Simon Petrus, cui ſanè tam multa ſunt cum Abrahamo communia, vt ſi omnia alia argumenta deficerent, tamen hoc vnum abundè conuinceret, vt olim penès Abraham, & Abrahæ ſemen, primatum Synagogæ extitiſſe; ſic nunc penès Petrum,& Petri ſucceſſores viſibilem Eccleſiæ Primatum eſſe debere.

Primùm, vt Abraham decimas omnium Gen. 14. dedit Melchiſedech ſacerdoti Dei altiſſimi, Hebr. 7. cuius dierum,neque initium, neque finis in figuram Chriſti legitur: ſic & Petrus diuinitatem Chriſti confeſſus, eo ipſo illum ante om- Matth. 16. Hebr. 7. nes alios agnouit ſacerdotem in æternum ſe- Pſalm. 109. cundum ordinem Melchiſedech.

Gen. 14. Deindè, vt Melchiſedech maximè omnium Matth. 16. benedixit Abrahæ; ſic & Chriſtus Petrum maximè omnium laudauit, & beatum pronunciauit.

Tum autem Abraham primus omnium Gen. 17. mortalium legitur circumciſus: vnde circumciſio dicitur in Euangelio non ex lege Moſayca, verùm ex Patribus extitiſſe, noui autem Coloſs. 2. teſtamenti circumciſio baptiſmus eſt, vnde Paulus vocat baptiſmum, in quo ſimul cum Chriſto conſepelimur, circumciſionem, non illam, quæ manibus hominum fit, in qua corporis caro abſcinditur, ſed circumciſionem Chriſti, quæ fit ſine manibus, dum corpus (hoc eſt vniuerſitas vitiorum carnalium) abſcinditur, & amputatur.

Petrus verò primus omnium mortalium meritò creditur baptiſmo Chriſti donatus; adeò vt Euodius eiuſdem Petri in Antioche- Niceph. l. 2. cap. 3. na Eccleſia primus ſucceſſor, in epiſtola, quam lumen inſcripſit, referat, Petrum tantummodò ipſius Chriſti manibus baptizatum fuiſſe. Petrum deindè baptizaſſe Andream, & Zebedæi filios, qui poſteà cæteros baptizarint Apoſtolos, & hi rursùs reliquos Domini diſcipulos.

Apoſtolos autem baptiſmo Chriſti lotos fuiſſe, Auguſtinus ex illis Euangelij verbis rectè concludit, quibus ad Petrum Dominus Ioan. 13. ait. Qui lotus eſt (videlicet Chriſti lauacro, quod eſt baptiſmus) non indiget, niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus, & vos mundi eſtis. Atque vt idem Auguſtinus animaduertit, Chriſtum in vltima cœna primùm omnium ad pedes Petri lauandos acceſſiſſe; ſic etiam Matth. 10. meritò credimus, eundem Petrum, vtpotè primum Apoſtolorum, baptiſmo Chriſti primùm omnium fuiſſe perfuſum, vt in hoc ipſo par Abrahæ, atque æqualis fuerit.

Immò etiam tantò ſuperior, ſaltem Sacramento tenùs, quantò circumciſio ſpiritus vincit circumciſionem carnis.

Gen. 17. Abraham poſt acceptum Dei oraculum primus omniũ iuſſit familiam ſuam circumcidi. Et Petrus poſt acceptum Spiritum ſanctum, primus iuſſit, eam multitudinem, quæ Act. 2. ad Apoſtolos appoſita, & Chriſti familia facta eſt, in remiſſionem peccatorum baptiſmo Chriſti lauari, quod eſt ſpiritaliter circumcidi.

Abraham fuit pater circumciſionis. Rom. 4.
Et Petrus fuit Apoſtolus circumciſionis: Gal. 2. ille iuxta carnem, hic iuxtà ſpiritum. Oportebat enim, vt vera natiuitas Chriſti, qui ſe- Hebr. 7. cundùm carnem ex lumbis Abrahæ originem ſumpturus erat, per ſignum in membro generationis conſtitutum teſtata fieret. Cæterum poſtquàm Chriſtus iam aduenerat in ea diſtributione Orbis terrarum, quam Apoſtoli ſortitò fecerant, Petrus eam ſortem, velut omnium primam, & digniſſimam accepit, vt circumciſionem, hoc eſt, ſemen Abrahæ ſecundùm carnem, in ſpiritalem ſemen Chriſti conuerteret: quodque Abraham mundo,& legi Moſaicæ genuerat, hoc Petrus Chriſto, & legi Gal. 2. Euangelicæ per adminiſtrationem gratiæ Chriſti regeneraret. Ac Deus quidem operatus eſt Petro in Apoſtolatum circumciſionis, ideſt, fœlicem ei ſucceſſum in Iudæis ad Chriſtum conuertendis dedit, vt conuerteret cor fratrum ad filios, & cor filiorum ad Patres Matth. 3. eorum, veniens in ſpiritu, & virtute Abrahæ. Abraham adhuc in præputio per fidem iuſtificatus, non Iudæorum modò, ſed & omnium in præputio credentium factus eſt pater Gen. 15. quamuis poſteà in honorem Chriſti ex beata Rom. 4. Virgine Mariâ circumciſionis filia carnem ſumpturi circumciſionem ſignaculum iuſtitię fidei accepiſſet.

Petrus etiam Cornelio Centurione, ac Act. 10. domo eius tota, quæ in præputio ſemper manſit, fidei primùm myſterijs Dei iuſſu imbuta, deindè & in Chriſti nomine baptizata, quamquam poſteà ex ſortis ſuæ principatu (in honorem Chriſti ex circumciſionis filia nati) circumciſionis Apoſtolus dictus eſt: tamen Gal. 2. priùs tam verbo, quàm facto declarauit iuſtificationem Abrahæ in præputio acceptam, non ad ſolam circumciſionem reſtringi, verùm etiam ad præputium extendi, palàm docens corda credentium, etiam ſi gentes fuiſ- Act. 10 & 15. ſent, fide purificari, abſque eo quòd circum- Gen. 11. cidi neceſſe haberent.

Sicut ergo Abraham natus ex gentibus incircumciſis iuxtà carnem, ex Deo autem iuxtà ſpiritum renatus, circumciſione carnis accepta, iuxtà illud quidem ſignum, Dei eloquia, teſtamenta, & promiſſa coarctauit ad populum vnum, qui ex Iſaac, & Iacob naſceretur; ſecundùm priorem verò fidem ad omnes gentes in Chriſtum credituras extendi debere docuit: ſic Petrus è contrario iuxtà carnem ex Iudæis circumciſis natus, iuxtà ſpiritum ex baptiſmo Chriſti renatus, circumciſionem carnis in circumciſionem ſpiritus vocatione, ac miniſterio ſuo primus omnium transferens, eloquia, teſtamenta, & promiſſa Dei, adoptionemque filiorum de vnius populi anguſtijs (quod & Hieronymus animad- Act. 10. uertit) ad latitudinem præputij reduxit, vtrumque myſterium, quod in Abrahæ, vel præputio, vel circumciſione præceſſerat, perfectè adimplens; immò & ad maiorem perfectionem reuocans, dum vbi Abraham vltimo deſijt, ibi primùm cœpit Petrus, nempè à circumciſione; & vnde primùm Abraham iuſtificatus eſt (nempè in fide præputij ſui) Rom. 4. eò tam Iudæos, quàm gentes Petrus ad vltimum reduxit; vt quos populos Abraham ſigno circumciſionis à ſe mutuò diſiunxerat, & ſe-

ſeparauerat, Iudæos à reliquis gentibus diſtinguens, eos Petrus eodem baptiſmi ſigno in fide Chriſti vtriſque populis communicato iterum coniungeret, & adunaret, quo impleretur verbum Chriſti dicentis. Et fiet vnum ouile, & vnus paſtor. Ioan. 10. Eſa. 51.

Gen. 17. Vnus quidem paſtor fuit Abraham, ſed dumtaxat Iudæorum, non etiam gentium, primus enim gentium paſtor Sem filius Noe, qui & dictus eſt Melchiſedech, ſemper dum viueret manſit, etiam cum Abraham poſt acceptam à Melchiſedech benedictionem, in noui populi ducem ſegregabatur. Itàque gentes de proprio ouili Abrahæ non fuerunt, ex quo & Chriſtus de ouili Abrahæ, hoc eſt, de populo Iudæorum loquens, alias, inquit, oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili, nimirùm ex ouili Abrahæ, vnde Iudæi erant; & illas oportet me abducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus paſtor. Ioan. 10.

Priùs audient gentes vocem Chriſti, & poſteà fient vnum ouile: ſed quomodò audierunt gentes vocem Chriſti? non ne primùm per Simonis Petri prędicationem? Is enim Cornelium, qui fuit primitiæ gentium, docuit fidem Chriſti; nec id tantùm, ſed etiam ex Dei conſilio de Cœlo per Angelum reuelato Petrus ad hoc ipſum vocatus, & electus eſt, vt ille potiſſimùm fidem Chriſti primus omnium mortalium gentibus prędicaret. Vnde Petrus ipſe in Concilio Apoſtolorum dixit, Deus elegit per os meum audire gentes Verbum Euangelij, & credere. Si ergo per miniſterium Petri gentes, quæ priùs non erant ex ouili Abrahæ, audierunt Chriſti vocem, vt fieret vnum ouile, & vnus paſtor, vtique, & vnum ouile, de quo Chriſtus egit, Iudæi, & gentes ſunt in vna fide, & vno baptiſmo coniuncti; ſic vnus ille miniſterialis paſtor, de quo Saluator noſter tunc egit, Petrus erat alter Abraham ſecundùm gratiam perſonæ, maior illo ſecundùm officij miniſterium. Abraham diuiſit Iudęos à gentibus, Petrus gentes cum Iudęis coniunxit. Circumciſio igitur, quam ſolis ex ſuo ſemine naſcituris Iudęis miniſtrauit primus Abraham, fuit Sacramentum ſeparationis. At baptiſmus Chriſti, quem Petrus, tàm Iudęis, quàm gentibus in Chriſtum credentibus omnium Apoſtolorum primus ex Dei prędeſtinatione miniſtrauit, Sacramentum eſt adunationis, & vnitatis; beatiùs igitur eſt miniſterium Petri, quàm Abrahæ. Act. 10. Act. 15. Epheſ. 4. Act. 2. & 10.

Gen. 17. Ioan. 1. Deus nomen auxit Abrahæ, auxit & Petro: Non vltrà, inquit, Abram, ſed appellaberis Abraham: & ad Petrum ait, Tu es filius Ionæ, & vocaberis Cephas.

Gen. 17. Deus ipſe noui nominis, quod Abrahæ impoſuit, dignatus eſt rationem reddere, cum diceret ad eum, appellaberis Abraham, quia Patrem multarum gentium conſtitui te.

Math. 16. Chriſtus etiam noui nominis, quod Petro impoſuit, rationem reddidit, dicens, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, perindè, ac ſi dixiſſet, tu appellaberis petra, quia ſuper te, velut ſemper firmam petram ædificabo Eccleſiam meam.

Quid, quòd nouum illud nomen, tàm Abrahæ, quàm Petri, non diuerſum, ſed re ipſa vnum prorſus, atque idem eſt. nàm idem penitùs eſt multarum gentium, quæ fidem Chriſti colunt, patrem conſtitui, & Eccleſiam Chriſti, quæ ex multis fidelibus populis conſtat, ſupra ſe ædificatam habere. Gen. 17. Math. 16.

Porrò illud Abrahæ, hoc Petri eſt nomen. Pater fundamentum eſt filiorum, & filij ſunt ædificium, quod ſuper petram ædificatur. Vnde filius Hebręis dicitur Ben, ideſt ædificium. Quapropter cum Eccleſia Chriſti ex multis gentibus, quæ in Chriſtum credunt, in domum quandam ſpiritualem congregentur; idem omninò eſt harum gentium, ſeu patrem per fidem, ſeu patrem, & fundamentum per paſtorale fidei officium eſſe. Itàque & Abraham eſt petra Eccleſiæ, & Petrus multitudinis credentium pater. 1. Tim. 3.

Quid multis? Ipſum petræ nomen ſecundùm literam non minùs Abrahæ, quàm Petro attribuitur, Eſaia dicente, Attendite ad Petram, vnde exciſi eſtis, attendite ad Abraham patrem veſtrum; ergo & Abraham Cephas, ac petra eſt, non minùs, quàm Petrus eſt Abraham, mira vicinitas, & nominis, & vocationis. Eſa. 51.

Abraham habuit greges ouium, ſicut & Lot frater ipſius, & facta eſt rixa inter paſtores illorum. Gen. 13.

Et ad Petrum Dominus ait, Paſce agnos meos, paſce oues meas. Vbi ne rixa inter paſtores fieret, vnus Petrus plus alijs diligens fit maximus, & primus omnium paſtorum, quos Chriſtus gregi ſuo dedit. Ioann. 21. Luc. 22.

Vni Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones, Quia vnum vocaui eum, ait Dominus, & benedixi ei, & multiplicaui eum. Eſa. 51.

Vni etiam Petro dictæ ſunt promiſſiones, Chriſto ad eum dicente, Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. Luc. 22.

Tu vocaberis Cephas, hoc eſt, Petra, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portę inferi non pręualebunt aduerſùs eam; & tibi dabo claues Regni Cœlorum. Ecce quanta vni Petro ſunt promiſſa. Ioann. 1. Math. 16.

Promiſſiones ad Abraham dictæ, non propter ſolùm ipſum dictæ ſunt, ſed propter ſemen ipſius, in quo benedicendę erant omnes gentes. Gen. 17. Gal. 3.

Et promiſſiones ad Petrum dictæ non propter ipſum ſolùm, ſed propter fratres eius, & Eccleſiam totam dictæ ſunt.

Vnde Chriſtus ad eum ait, Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: Et tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos, paſce oues meas. Math. 16. Luc. 22. Ioann. 21.

Non eſt inuentus, inquit Eccleſiaſticus, ſimilis Abrahæ in gloria. Et Chriſtus ad Petrum ait, diligis me plus his? Cap. 44. Ioann. 21.

Quis ergo in gloria ſimilis Petro, qui plus cęteris dilexit?

Abraham fuit primus Hebręæ gentis Patriarcha, vt etiam Hieronymus eum vocat.

Et Matthęus Euangeliſta Petrum vocat primum Chriſti Apoſtolorum. Math. 10.

Deus Abraham de terra ſua, & Petrum quoque de ſua terra eduxit. Ac Abraham quidem de Vr Caldęorum in Haram primùm, deindè in terram Chanaam eductus eſt. Gen. 12.

Petrus verò indè inter ſuum arripiens, vbi Abraham id abſoluit; de terra Chanaam pro-

profectus eſt primùm Antiochiam, deindè autem Romam. Quemadmodùm verò Mundus ad finem ſuum magis, magiſque appropinquat: ſic vterque eorum Oriente relicto, qui velut Aurora Mundi eſt, magis, magiſque ad occaſum tendebat.

Gen. 25. Nec Abraham terræ Chanaan, nec Petrus Vrbis Romæ poſſeſſionem, dum viueret acceperunt, niſi quòd ille in Ephron, Petrus autem in Vaticano ſepultus fuit.

Gen. 22. Gal. 3. Licèt Abraham plures haberet vxores, & ex illis plures liberos: tamen in vno Iſaac, quem iam ſenex genuit, vocatum eſt ei ſemen, cui etiam cuncta, quæ poſſederat, dedit.

Et quamquam Petrus tenuiſſet plures Eccleſias, & illi plures Cathedras; tamen in vna Romana Cathedra (quam, & vltimam accepit, & in qua ex Chriſti voluntate ad portam Romanę Vrbis ei reuelata, vſque ad finem Mundi requieſcit) promiſſionis verba potiſſimùm conſeruantur. Vnde etiam ſoli Clementi poteſtatem clauium à Domino ſibi traditam commiſit.

Exod. 13. Poſt mortem Abrahæ afflictum eſt ſemen eius vehementer à Regibus Ægypti.

Et Petri quoque ſpirituale ſemen ab Imperatoribus Romanis poſt Petri mortem vehementiſſimè afflictum eſt.

Exod. 1. Quò magis vel filij Abrahæ in Ægypto, vel Petri ſucceſſores in Vrbe affligebantur, eò magis multiplicabantur, & creſcebant.

Exod. 14. Quarta generatione poſt mortem Abrahæ liberati ſunt filij eius de ſeruitute Ægypti, ſubmerſo Pharaone, dum Moyſes eleuaret Domini virgam, & extenderet manum contra Aegyptios in figuram Chriſti ſuper ſignum Crucis eleuati, & extenſi.

Matth. 24. Et quamquam paulò breuiore temporis interuallo, ſicut prędictum eſt, dies, qui ad nouiſſimam noui Teſtamenti horam ſpectant, breuiandos fore: tamen dum quarta ætas à diebus Petri adhùc inſtaret, liberati ſunt Petri ſucceſſores cum grege ſuo à perſecutione tyrannorum Maxentio in Tybri ad pontem Miluium ſubmerſo, dum Conſtantinus in ſigno Crucis Chriſti eum vinceret, ac debellaret. An iſta fortuitò accidere, & caſu quodam ſibi mutuò reſpondere potuerunt?

Exod. 1. Semen Abrahæ antequam exiret de Ægypto, formam Reipublicæ non aſſequebatur, ſed ſub tyrannis agebat in Ægypto.

Nec Petri ſucceſſores vmquam poterant Oecumenicam Synodum indicere, aut Epiſcopos, & Patres omnium Eccleſiarum (in quibus potiſſimùm cernitur Chriſtianæ Reipublicæ maieſtas) ex toto habitabili Orbe conuocare, antequam à perſecutione, iugo, & tyrannide per Conſtantinum Magnum liberati fuiſſent.

Exod. 25. Poſt egreſſionem filiorum Iſrael de Ægypto, populus Iudaicus in Reipublicæ formam redactus eſt. Nàm & arca fœderis, & tabernaculum eſt factum, & lex promulgata, & cœremoniæ conſtitutæ, & iudicia præſcripta.

Eodem modo tyrannorum perſecutione ceſſante, cum Chriſtiani velut ex Ægypto exijſſent, templa, & altaria per totum Orbem impunè ſunt, publicèque erecta, & ſolemni ritu conſecrata; Euangelium liberè promulgatum: cœremoniæ rerum ſacrarum auctæ, iudiciorum Eccleſiaſticorum formulæ pręſcriptæ, immunitates Eccleſijs datæ.

Poſtquam ſemen Abrahæ terram Chanaam poſſidere cœpit, aras idolorum ſubuertit, ſtatuas confregit, lucos ſuccidit, ſculptilia combuſit. Deut. 7.

Et poſtquam Petri ſucceſſores liberam diuini cultus profeſſionem adepti ſunt, Conſtantini permiſſu aræ idolorum ſubuerſæ, ſculptilia combuſta, & ſtatuæ ſunt confractæ.

Quemadmodùm verò terra promiſſionis inter duodecim tribus Iſrael per Ioſue diuiſa eſt: ſic & adminiſtratio Eccleſiæ per Petri ſucceſſores, & ipſorum Coepiſcopos in Prouincias, Diœceſes, & Parochias multò, quàm antè, & liberiùs, & vniuerſaliùs diſtributa eſt, potiſſimùm in Concilio primo Nicęno, cui Papa Syluester; & primo Conſtantinopolitano, cui Papa Damaſus per Legatos ſuos pręfuit. Ioſ. 13. Can. 6. & 7.

Poſt acquiſitam terræ poſſeſſionem ſępè traditi ſunt filij Iſrael in manus aduerſariorum, qui affixerunt eos. Iud. 1.

Itemque poſt permiſſam à Conſtantino fidei Chriſtianæ liberam profeſſionem, ſurrexerunt Imperatores hęretici, vt Conſtantinus, Valens, Iuſtina, Iulianus Apoſtata, Theodoricus, & alij Ariani, qui vehementer afflixerunt Catholicam Eccleſiam, & Sedem Apoſtolicam.

Verùm vt Iudęis Deus interim ſuſcitauit multos liberatores, ſic etiam dedit Chriſtianis Iouinianum, Theodoſios, Honorium, & Martianum, qui eos recrearent, & defenderent.

Ab ingreſſu filiorum Iſrael in terram Chanaam, quadringenti ferè anni tranſierunt, antequam vrbs, & Arx Hieroſolymorum eiectis Iebuſęis deuicta penitùs eſſet, & ſubiugata.

Itemque poſt liberam Romanæ Vrbis habitationem Petri ſucceſſoribus à Conſtantino Magno permiſſam, quadringenti ferè anni pertranſierunt, antequam infidelibus omninò ex Vrbe Roma eiectis, aut extinctis, tota Ciuitas penitùs Chriſto ſubderetur, ac in plenum ſucceſſorum Petri dominium ſub Ludouico Pio concederetur.

Quod erga ſemen Abrahæ tuendum, & propagandum Dauid, & Salomonis fuit, hoc erga ſucceſſores Petri tuendos, & propagandos fuerunt Pipinus, Carolus Magnus, & Ludouicus Pius.

Quod poſt Regni Iudaici diuiſionem, in ſemine Abrahæ diſpergendo, & in ſchiſmata pertrahendo, Samaria fuit, hoc idem poſt Orientalis Eccleſiæ ab Occidentali diſceſſione in prerſequendis Petri ſucceſſoribus, & ſchiſmate propagando, Conſtantinopolis extitit. 3. Reg. 12.

Euerſi ſunt Samariæ Reges, eò quòd domum Dauidis (cui Deus promiſſiones iam priùs Abrahæ factas renouauit) & templum Salomonis reliquiſſent. 4. Reg. 17.

Et Conſtantinopolis Imperatores euerſi ſunt primùm à Flandris, & Venetis, deindè etiam à Turcis, eò quòd vnitatem Sedis Petri, & Sacerdotalis vinculis nexum deſeruiſſent.

1.Paralip.3. Regia tribus Iudæ vnà cum Ioſedech Sacerdote ſummo in Babyloniam translata eſt, vbi cum per annos ſeptuaginta egiſſent, Deo ſpiritum Cyri excitante,in terram promiſſionis ſub Ieſu Sacerdote magno redijt.

Vide Platinam. Itemque Clemens Quintus Pontifex Romanus natione Vaſco, habitationem ſuam ab Vrbe Roma in Auinium Galliæ vrbem tranſtulit, vbi ſucceſſores Petri videlicet,Clemens Quintus, Ioannes Vigeſimus ſecundus, Benedictus Vndecimus, Clemens Sextus, Innocentius Sextus, & Vrbanus Quintus per annos penè ſeptuaginta conſtiterunt, donec Deus ſpiritum ſanctæ Catharinæ Senenſis, & aliorum piorum excitans, Gregorio Vndecimo perſuaſiſſet, vt is Romam reuerteretur, quod & fecit.

Quis hanc translationem dicat hominum, & non potiùs occulto Dei conſilio factam eſſe? aut quomodo Clemens Quintus, qui translationis auctor fuit,præſcire potuit, tot dumtaxàt ſucceſſores ſuos tanto tempore Auinij manſuros eſſe? Non ſunt hæc humanæ præſcientiæ, aut diſpenſationis opera: ſed quod Deus prædefiniuerat, & in ſemine Abrahæ ante monſtrauerat, id ipſum in Petri ſucceſſoribus compleri oportuit: quia hoc nobis eſt Petrus, quòd Iudæis fuit Abraham; hoc nobis Roma, quòd illis Ieruſalem.

Gen. 49. Vt autem paulò ante primum Chriſti aduentum defecit ſceptrum de Iuda, & ad Herodem paterna origine Aſcalonitam, materna verò Arabem iuxtà prophetiam Iacob translatum eſt: ſic & paulò ante ſecundùm Chriſti aduentum, quantum de tam occulto myſterio ex ſacris libris loqui, & cónijcere fas eſt, deficiet etiam ſceptrum de Occidentis Imperatoribus; & ad Antichriſtum transferetur; ſicut Paulus ait, filium perditionis,
1. Theſs.2. Antichriſtum, minimè reuelatum iri, niſi venerit diſceſſio primùm, à Romano Imperio, & is, qui nunc imperium tenet, de medio auferatur.

Cùm autem anguſti ſint hodiè huius imperij fines, quantumque ipſius poteſtas ſchiſmatis, ac hæreſeon malo, eas maximè prouincias, quibus imperij dignitas continetur, occupante, in dies imminuatur, ſapientes facilè cernunt; ex eoque probabile exiſtimant, Imperij Occidentalis ruinam inſtare,& Antichriſtum in foribus adeſſe.

Certè quemadmodùm præcipua Synagogæ cathedra, & vnicum templum in Ieru-
Gen. 22. ſalem (vbi Abraham filium ſuum olim vole-
Math. 23. bat immolare) vſque ad primum Domini aduentum conſtitit; nec Dei fędus cum Abraham initum, vllis Iudæorum peccatis irritum fieri potuit; ſic omninò primus aliquis paſtor, & Eccleſia fidelis ei adhærens in ca-
Matt. 16. thedra Petri non deerit vſque ad ſecundum Chriſti aduentum; vt impleatur Chriſti verbum, quod ad Petrum dixit, tum portas inferi non præualituras aduersùs illam petram, tum fidem Petri non defecturam. Quæ cùm ita ſe habeant; non abs re dicimus,Petrum,& Petri ſucceſſores,Abrahæ, ac ſemini eius tam in primatu ſacerdotij, quàm in Vrbis Romæ dominio adæquari.

Temporale autem hoc dominium Vrbis Romæ, quod Pontifices tenent, inter cętera comparatum videtur ad gloriam Chriſti paganis, Iudæis, hæreticis, & ſchiſmaticis conteſtandam: vt qui fide Chriſti, ac ſpiritu Dei non ducuntur, ſaltem corporis oculis, vel inuiti aſpicerent hoc magnum Dei opus, quo factum eſt, vt Imperatores Romani Orbis penè totius domini, armis, æquis, viris, opibus, omnique potentia ſuffulti, & affluentes, à ſucceſſoribus piſcatoris, ſola ſpiritali poteſtate inſtructis, primùm in certamine de fide vnius Dei,& Chriſti eius vincerentur inuiti, deindè ſeipſos Euangelio Chriſti vltrò ſubmitterent, mox Imperij ſui arcem, & caput Vicario Chriſti concedentes, ipſi nouas Sedes quærerent, tandem etiam ob defectionem à fide,non ſolùm Vrbe Roma, ſed etiam Italiæ magna parte priuarentur: poſt autem in alia Orbis parte eiuſdem Romani Pontificis auctoritate nouum erigeretur imperium, quod regni ſui diadema, non niſi de manu ſucceſſorum Petri acciperet, omnemque Occidentis moderationem illis præcipuè acceptam ferret.

Ac ne dicas, imperium quidem Romanum eò quòd Romæ Pontifices agerent, illorum arbitratu in Occidente inſtitutum fuiſſe; alia verò imperia; & regna iiſdem nihil detuliſſe; tota memoria repete etiam Reges Angliæ octingentis, & ampliùs ab hinc annis regnum ſuum vectigale Pontifici Romano feciſſe. Gallos ad Zachariam Papam retuliſſe, quis apud eos Regis nomen mereretur, & ex illius ſententia Pipinum, qui officio Regis fungebatur, in locum Childerici adhuc viuentis, qui ſolo Regis nomine abutebatur, ſubrogaſſe. Polonos etiam non niſi ex Pontificum Romanorum præſcripto Reges ſibi præfeciſſe, & poſteà ducentis annis à regio nomine abſtinuiſſe, eò quòd Gregorius Septimus ob ſanctum Stanislaum à Boleſlao Rege occiſum, eis hanc dignitatem interdixiſſet.

An,vtrùm hæc fuerunt opera hominum? an non potiùs Dei, qui ſolus regna conſtituit, transfert, diſſipat, & diſponit? Quis Dan. 2. igitur hanc poteſtatem Pontificum à ſolo Deo inſtitutam, & tam admirandis Dei operibus conteſtatam oppugnet, niſi Antichriſtus? aut fuit alius quiſpiam in Mundo Epiſcopus, qui vlla vel attentione ſua, vel fraude, vel vi, ſemel tantùm obtinere potuit, vt ad vnicum vnius horæ momentum Reges ipſi parerent, & obedirent? Si nihil tale cuiquam alteri conceſſum eſt, vtique opera Dei primatum Romani Pontificis inſigniter commendant, & confirmant.

Ad cætera verò Dei in hoc genere opera & illud accedit, quòd quemadmodùm Matthæus Euangeliſta librum generationis Chriſti texens, à Patriarcha Abraham illum repetit, & ita filiorum Abrahæ linea obſeruata, ad Chriſtum vſque deducit; ſic poſt Chriſti aſcenſionum in Cœlos, nulla clarior continuandæ temporum ſupputationis ratio in Eccleſia extat, quàm per Pontificum Romanorum à Petro inchoatam, & ad nos vſque deductam ſucceſſionem.

Nullum enim aliud opus Dei tam certum, ſtabile, & conſtans reperitur, quòd eorum, quæ geſta ſunt, perpetua regula, & menſura eſſe queat. Nam Imperium Romanum præterquamquòd in plures etiam olim diuiſum

ſum erat ob eamque cauſam difficillimè memoria comprehendi poſſe, quo quiſque anno regnare cœperit, & quamdiù, aut ſolus, aut cum alijs præfuerit, etiam poſt Valentinianum Tertium, vſque adeò perturbatum eſt, vt modò Reges Italiæ occurrant, modò Imperatores Conſtantinopolis, modò Franciæ, modò Germaniæ, modò etiam Turcarum; nec aliquid vnum tam ratum, & firmum in tota rerum ſerie inueniatur, quàm Pontificum Romanorum continua, & nunquam (niſi dum Sedes ad paruum aliquod tempus vacaret) interrupta ſucceſſio.

Hinc factum, vt non modò Catholici Chronographi, Euſebius, Hieronymus, Proſper, Beda, Marianus, Regino, Sigebertus; verùm etiam Hæretici Functius, Pantaleon, Carion, & omnium mendaciſſimi Magdeburgenſes, in temporibus ſupputandis, lineam Pontificum Romanorum inſeruierint, & obſeruauerint.

Quæ alia Monarchia etiam terrena tam longæua? tam immobilis? tam ſui ſimilis? aut quis vnquam principatus mille quingentis annis eundem tenuit imperij ſtatum? ſolus in vetere teſtamento Abraham, ſolus in nouo Petrus hanc gratiam ſortiti ſunt, vt ſpiritalem ſuam Monarchiam ad annos bis mille per ſuos ſucceſſores adminiſtrarent.

Relinquamus regna, quæ alia in Mundo Apoſtolorum cathedra tam florens, tam ſtabilis, tam perpetua?

Nonnè Alexandria, Ieruſalem, Antiochia, Conſtantinopolis, aut nullas iam Epiſcoporum, aut ita obſcuras cathedras tenent, vt planè appareat, illas non inſtar ſtellarum cæli, aut lucernarum eſſe, quas ob ſplendoris, & doctrinæ claritatem Chriſtus in candelabris eminentibus poſuerit; ſed potiùs contra, dæmonum & ſpeluncas latronum videri? Matth. 5.

Act. 5. Meritò Gamaliel id maximè omnium pro Dei opere agnouit, & prædicauit, quod ab hominibus diſſolui non potuit, quia Dei digito fundatum eſſet: nec præter illam petram, inquit Leo, quam Dominus in fundamento Eccleſiæ poſuit, ſtabilis erit vlla conſtructio; nil mihi cum verbis hominum ad Dei opera prouoco. Chriſtus pro Petro ſolo rogauit, vt non deficeret fides eius: defecit autem iam olim fides ſucceſſorum Andreæ Apoſtoli in vrbe Conſtantinopolis; defecit fides ſucceſſorum Iacobi, & Simeonis in vrbe Hieroſolymitana; defecit fides ſucceſſorum etiam Petri tam Alexandriæ, quàm Antiochiæ. Sola fides, & Sedes Petri, quam in Vrbe Romana plantauit, manet, ſtat, floret vſque

Luc. 22. in hodiernum diem. Hæc igitur eſt vera Sedes, & fides, de qua Chriſtus locutus eſt, cùm Petri fidem non defecturam prædiceret.

CAP. VI.

Quæ in Scripturis ſacris de Chriſti Eccleſia commemorantur, aut nullibi omninò præterquàm in Romana Eccleſia, aut nullibi tam certò, & manifeſtè implentur.

Vigeſimum Dei opus.

Mons domus Domini, hoc eſt maxima, & firmiſſima ſublimitas Eccleſiæ Chriſti, præparabitur, inquit Eſaias, in vertice montium, & eleuabitur ſuper colles. Cùm per montes, & colles intelligantur ſublimes huius ſeculi poteſtates, ſicut ſcriptum eſt, Suſcipiant montes pacem populo, & colles iuſtitiam; quis perindè vertex montium, ac Vrbs Roma, imperij potentiſſimi arx, & caput? In Roma igitur non ſolùm domus Domini, verùm & mons domus Domini, hoc eſt, vertex, & caput Eccleſiæ Chriſti præparatum eſt, & eleuatum, ſicut & Eſaias prædixit, & experientia demonſtrat. Eſa. 2. Mich. 4. Pſal. 71. Ioann. 1.

Ad montem domus Domini, ait idem Eſaias, fluent omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent, Venite, aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius. In qua tandem Chriſti Eccleſia, perindè ac in Romana hæc prophetia impletur? Ad quam enim aliam Chriſti Eccleſiam tot gentes, & populi, quot ad Romanam omni ætate aſcenderunt, & adhuc aſcendunt, vt vias Domini doceantur, ac ambulent in ſemitis Eccleſiæ Romanæ? Nonnè Britanni tot penitùs Orbe diuiſi, cùm Lucius apud eos regnaret, prætermiſſis viciniotibus Galliæ, Hiſpaniæ, & Italiæ Epiſcopis, ad Eccleſiam Romanam, velut ad montem domus Domini per nuncios, & literas ſuas iuerunt, vt per Eleutherij Pontificis Romani auctoritatem Chriſti fidem, ac baptiſmum ſuſciperent, atque in ſemitis Eccleſiæ Romanæ potiſſimùm ambularent? Eſa. 2.

Nonnè Irenæus refert, tum alios Aſiæ Epiſcopos ad Sixtum, Teleſphorum, Higenum, & Pium Pontifices Romanos, tum Polycarpum totius Aſiæ principem ad Anicetum Pontificem Romanum acceſſiſſe, vt tam de alijs rebus, de quibus inter ſe diſcrepabant, quàm de feſto Paſchatis inter ſe conferrent? Apud Euſe. lib. 5. c. 24.

Denique epiſtolæ Clementis ad Corinthios, Victoris ad Epiſcopos Aſiæ, Antheri ad Epiſcopos prouinciarum Beticæ, & Toletanæ, Stephani ad Afros, Cappadoces, Galathas, Syros, & Arabes, Iulij ad Euſebianos, Liberij ad Conſtantium Auguſtum, Damaſi ad Epiſcopos in Illyrico, Siricij ad Mediolanenſem Eccleſiam, Innocentij, Leonis, Gelaſij, Gregorij, aliorum Pontificum ad Epiſcopos, & Eccleſias omnium gentium; facilè demonſtrant, Romanam Eccleſiam docuiſſe omnes gentes viam Domini, & adhuc eandem docere, vt liquidò appareat Eſaiæ pro-

phetiam in Eeeleſia Romana ſi non ſolùm, at certè potiſſimùm impleri.

Eſa. 61. Vos autem, inquit Dominus ad miniſtros noui Teſtamenti, Sacerdotes Domini vocabimini Miniſtri Dei noſtri, dicetur vobis: fortitudinem gentium comedetis, & in gloria eorum ſuperbietis. Quis inter omnes Apoſtolos magis ſacerdos, & miniſter Dei noſtri, hoc eſt, Ieſu Chriſti, quàm Petrus Apoſtolorum primus? Math. 10. Quis inter ſucceſſores Apoſtolorum magis ſacerdos, & miniſter Chriſti, quàm Petri ſucceſſor Pontifex Romanus, quem Hieronymus vocat ſummum ſacerdotem, hoc eſt, Pontificem?

Deindè quis fortitudinem gentium magis comedit, & in gloria eorum magis exaltatur, quàm Pontifex Romanus, qui Romam gentium caput, fortitudinem, ac gloriam, ſolius Chriſti virtute multis ab hinc ſeculis ſibi acquiſiuit? Roma enim, beato Hieronymo auctore, Hebræis ſublimitatem, Græcis fortitudinem, ſeu robur ſignificat. Siue autem comedere idem hoc loco valeat, quòd coniungere ſibi, & incorporare, vt in illis Domini ad Petrum verbis, Occide, & manduca; Act. 10. ſeu liberè vti, & in rem ſuam vertere; certum eſt, nullam in Mundo, Chriſti Eccleſiam perindè fortitudinem gentium comedere, & in gloria eorum illuſtrem fieri, ac Romanam Eccleſiam; quæ vt hanc prophetiam potiſſimùm implet, ſic veram Chriſti Eccleſiam potiſſimùm regit, & adminiſtrat.

Eſa. 60. Eſaias Eccleſiam alloquens, Venient, inquit, ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te, & adorabunt veſtigia pedum tuorum omnes, qui detrahebant tibi. Quænam Eccleſia, vel per Imperatores adhuc infideles magis humiliata eſt, & afflicta, quàm Romana, cuius Pontifices per annos trecentos penè continuos, vincula, direptionem bonorum, mortemque acerbiſſimam perpeſſi ſunt, vel ab iiſdem Imperatoribus iam ad fidem conuerſis magis honorata eſt, & obſeruata, cum eorundem infidelium Imperatorum fideles filij ad Pontifices Romanos curui iam diu venerint, & adhuc veniant, etiam pedes eorum in honorem Chriſti oſculantes? & locum pedum meorum glorificabo ait Dominus.

Ierem. 33. Si irritum poteſt fieri pactum meum cum die (ait Dominus) & pactum meum cum nocte, vt non ſit dies, & nox in tempore ſuo; & pactum meum irritum eſſe poterit cum Dauid ſeruo meo, vt non ſit ex eo filius, qui regnet in throno eius, & Leuitæ, & Sacerdotes miniſtri mei.

Matth. 22. Per Dauidem hoc in loco intelligitur Chriſtus Dauidis filius, ſicut idem Hieremias paulò ante ſcriptum reliquit: In tempore illo germinare faciam Dauid germen iuſtitiæ, & hoc eſt nomen, quod vocabunt eum, Dominus iuſtus noſter. Thronum autem Chriſti ſacerdotis in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech, Heb. 7. non ſolùm regium, verùm & ſacerdotalem accipiendum hic eſſe, indè manifeſtò conuincitur, quòd huic filio Dauidis apud Hieremiam Leuitæ, & Sacerdotes adiunguntur. Ierem. 33. Vndè iterum ſubiungit; Multiplicabo ſemen Dauid ſerui mei, & Leuitas miniſtros meos. Si ergo ex Chriſto ſacerdote numquam deerit filius, qui regnet in Cathedra eius; nec deerunt Leuitæ, & ſacerdotes; vtique filius iſte Chriſti Leuitarum, & Sacerdotum princeps eſt, qui numquam ceſſabit regnare in throno Chriſti vſque ad conſummationem ſeculi.

Porrò quis magis filius Chriſti, quàm Petrus, cui Chriſtus æterna petra, & nomen petræ, & officium paſtoris communicauit, nec minùs pro illo, quàm pro ſe ipſo didrachma ſolui iuſſit? aut quis potiùs in throno Sacerdotali Chriſti regnauit, quàm is, cui regni ſui claues dedit? Idem enim eſt, claues Regni Chriſti accipere, & in throno Chriſti regnare. 1. Cor. 10. Ioan. 1. Ioan. 21. Matth. 17. Matth. 16. Iam verò poſt Petrum, quis perindè regnat in throno Chriſti, ac Pontifex Romanus, qui principalem Petri Cathedram tenet? An vllus alius ſacerdos, aut Epiſcopus vmquam in mundo fuit, qui vel verbo tenùs auderet ſibi thronum Chriſti arrogare? Cyp. lib. 1. ep. 3. Quòd autem Pontifex Romanus primam totius Eccleſiæ Cathedram poſſideat, ſemper Sanctorum Patrum doctrina, & fides in eo conſenſit. Hic ergo eſt filius, qui vnà cum Sacerdotibus, & Leuitis ei adiunctis in throno Chriſti vſque ad finem regnans, implet prophetiam, de qua iam egimus.

Dominus ad Hieremiam ſacerdotem in figuram Chriſti dixit: Ierem. 1. Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes, & ſuper regna, vt euellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes. Pſal. 2. Chriſto enim Deus dedit gentes in hæreditatem, vt eas regeret in virga ferrea.

Vndè, & reges terræ iubentur ei ſeruire in timore. Chriſtus verò poteſtatis ſuæ miniſterium in Eccleſiam ſuam tranſtulit, ſicut ſcriptum eſt. Dan. 2. In diebus regnorum illorum ſuſcitabit Deus Cœli Regnum, quod comminuet, & conſumet vniuerſa regna hæc, & ipſum ſtabit in æternum, & omnes Reges ſeruient ei, & obedient. Matth. 13. Dan. 7. Luc. 1. Iam Eccleſia, quæ Regnum Chriſti eſt, hanc quam in regna mundi accepit poteſtatem, quo potiùs modo, quàm per Eccleſiam Romanam exercet?

Principiò regna mundi conſumuntur, & comminuuntur, quando vel ex profanis fiunt Chriſtiana, vel Chriſtiana malè gubernata ad meliorem frugem conuertuntur. In Ioan. tract. 113. Factum eſt regnum, inquit Auguſtinus, non iam de mundo, quicquid indè in Chriſto regeneratum eſt.

Deindè qui euellit zizania, vt plantet triticum, quique deſtruit peccata, vt virtutem ædificet, non tam euellere, quàm plantare, nec tam deſtruere, quàm ædificare dicendus eſt, proptereà quòd finis cuiuſque rei potior eius pars eſt, multòque magis expetitur, & ſpectatur.

Vndè ſi Eccleſia Romana quędam regna in ædificationem Eccleſiæ deſtruxit, & diſſipauit; non proptereà poteſtatem in deſtructionem, ſed in ædificationem accepit. 2. Cor. 10. & 13. In Ioan 7.

Quando igitur Deus (vt Auguſtini verbis vtar) de piſcatore, (hoc eſt de Pontifice Romano Petri piſcatoris ſucceſſore) lucratus eſt Imperatorem: primùm quidem Philippum, deindè Conſtantinum Magnum ad fidem Chriſti adiungens; quando Papa Eleutherius Lucium Britanniæ, Victor Donaldum Scotiæ, Gregorius Magnus Ethelbertum Cantij, Sibertum Aeſexiæ, Eduinum Deiræ, Honorius,

Digitized by Google

rius, Cynigillum Occidentalium Anglorum, Nicolaus Primus Trebellium Bulgariæ: quando cęteri Pontifices Romani Bohemiæ, Hungariæ, Daniæ, Suetiæ, Roxolanorum, Liuoniæ, denique Indorum tàm Orientalium, quàm Occidentalium Reges, & Principes per eorum operam, qui ab Apoſtolica Sede ad prędicandum illis Euangelium miſſi ſunt, Chriſtianos fecerunt; tunc in Chriſti nomine diſperſa ſunt, & diſſipata Ethnica huius mundi regna, ædificata verò, & plantata regna Chriſtiana.

Prętereà quando eadem Romana Eccleſia hæreticis Imperatoribus Conſtantinopolitanis magnam Imperij eorum partem abſtulit, eandemque ad Francos, & Germanos tranſtulit, quando Lotharium Ludouici Cæſaris fratrem coegit abiecta Vualdrada concubina ſua Thietbergam vxorem recipere: quando impios Germaniæ Imperatores Henricos, Fridericos, Ludouicos, poteſtate Imperij priuauit: quando Polonis ne ampliùs regio nomine vterentur, ob S. Stanislaum apud altare Chriſti occiſum interdixit: quando ſacra militia in Chriſti nomine inſtituta Saracenos ex Hieroſolymis expulit, & Chriſtianos Reges ibidem inunxit: quando Chriſtianos Reges inter ſe bellum facientes, aut ad pacem ſanciendam, aut ad priora pacis fœdera conſeruanda partim auctoritate adduxit, partim poteſtate ſua compulit: quando Philippum Pulchrum Franciæ, Ioannem Angliæ, Georgium Pogebrachium Bohemiæ, aliarumque gentium Reges Chriſtianos gladio ſuo abutentes, donec ſaniore mente prędìti eſſent, à communione remouit: quando Chriſtianis Regibus, vt contra Turcas Orbem Chriſtianum inuadentes arma ferrent, diuinitùs perſuaſit: tunc rebus ipſis demonſtrauit prophetarum oracula de poteſtate, quam ſuper gentes, & Regna Chriſtus accepit, reuelata, nullibi veriùs, quàm in Eccleſia Romana fuiſſe completa.

Eſaiæ 59. Spiritus meus, qui eſt in te (inquit Dominus apud Eſaiam) & verba mea, quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui, & de ore ſeminis ſeminis tui, amodò, & vſque in ſempiternum. In qua tandem Chriſti Eccleſia hoc Domini verbum perindè impletur, ac in Romana? Ibi enim eodem ſemper modo perſeuerat ea fides, & traditio, quam Romani à Petro, Petrus autem à Chriſto accepit. Quis Pontificum Romanorum non paſſim præſefert ſe maiorum ſuorum veſtigijs inhærere? Hegeſippus cum Romæ eſſet, fatebatur omnia ità obſeruari, vt Dominus ipſe prædicauerat. Romanam Eccleſiam conſeruaſſe fidem, quam ab Apoſtolis acceperat, Iræneus, Tertullianus, Cyprianus fatentur, & atteſtantur. Nihil inuenitur, inquit Stephanus, niſi quod traditum eſt.

Quæ accepimus à S. Petro Apoſtolo, ea vobis ſignifico, inquit Iulius, ſecutus morem, ordinemque maiorum, ait Liberius, nihil addidi Epiſcopatui Vrbis Romæ, nihil minui paſſus ſum, & illam fidem ſeruans, quæ per ſucceſſionem tantorum Epiſcoporum cucurrit, ex quibus plures martyres extiterunt, illibatam cuſtodiri ſemper exopto. Cur, inquit Hieronymus, poſt quadringentos annos profers in medium, quod Petrus, & Paulus edere noluerunt? Quid multis? Spiritus, qui fuit in Chriſto per naturam, poſitus eſt in ore Petri per gratiam; idemque adeò manſit in ore ſeminis Petri, & ſeminis ſeminis Petri, vt etiamſi Honorius (quod ad priuatam ipſius opinionem attinebat) vnam in Chriſto voluntatem credidiſſe putetur; tamen in adminiſtrando Romanæ Eccleſiæ Pontificatu, maioribus ſuis conſenſerit, & Pyrrhum Patriarcham Conſtantinopolitanum Monothelitam ſede ſua deiectum in Aphricam relegaret. Hinc etiam factum eſt, vt quamquam Vigilius Anthimum ſe velle reſtituere anteà promiſiſſet; tamen iam factus Pontifex mori potiùs eligeret, quàm vt à maiorum fide diſcedens hæreticum hominem reuocaret.

Cùm Eſaias prędixiſſet, ſacerdotes, & miniſtros Dei pro confuſione ſua duplici, duplicia in terra ſua poſſeſſuros, ſubiunxit, Fœdus perpetuum feriam eis. Et ſcietur in gentibus ſemen eorum, & germen eorum in medio populorum. Omnes, qui viderint eos, cognoſcent illos, quia iſti ſunt ſemen, cui benedixit Dominus. Quæ Prophetia quamquam in omnes Chriſtianos cadat, qui ſunt Catholici, & orthodoxi, tamen in Romana potiſſimùm Eccleſia tam admirabiliter impletur, vt iam indè à Conſtantini Magni ætate ijdem omninò dicti, & habiti ſint Romani, qui Catholici, & orthodoxi Chriſtiani. Vndè Ambroſius de obitu fratris, Catholicos definit eos, qui communicant cum Eccleſia Romana, quod idem apud Hieronymum, Poſſidium, & Victorem vſu venit, nec iniuria, nam Chriſtianæ fidei diſciplinam, inquit Procopius, Romani præcipuè venerati ſunt, nec dubium eſt, quin ſi quis apud barbaros educatus, Iudæos, Turcas, Tartaros, Saracenos, Perſas, Mauros, aut quaslibet infideles gentes rerum noſtrarum, non prorsùs ignaros, interrogaret, qui nam illi ſint, quos dicant Chriſtianos; hi ſtatim Romanam Eccleſiam, & eos populos, qui conſentiunt in fide cum Romanis, nominaturi ſint.

Vndè etiam ijdem pagani ad Romanum Pontificem potiſſimùm legationem mittunt, quoties illis cum Chriſtianis negotium aliquod intercedit. Huſſitas verò, Lutheranos, Caluiniſtas, Puritanos, & iſtiuſmodi noua ſectarum nomina, ne Græci quidem nouerunt, ne dum Æthiopes, aut Indorum populi, minimèque omnium Pagani, & infideles. At Romanorum fides annunciatur in Vniuerſo mundo. Rom. 1. Iſti verò cum in medio populorum ſciantur, verè ſunt ſemen, cui benedixit Dominus, quodque oracula prophetarum manifeſtè adimplet. Romana Eccleſia eſt lucerna in candelabro conſtituta, quæ lucet omnibus, qui in domo ſunt, quique ingrediuntur in domum. Matth. 5. Luc. 8. Illa eſt ciuitas in monte poſita, quæ non poteſt abſcondi. Matth. 5. Ierem. 17. Illa eſt ſolium gloriæ altitudinis à principio, locus ſanctificationis noſtræ. Illa thronus Chriſti, qui eſt ſicut ſol in conſpectu Dei, & ſicut Luna perfecta in æternum. Pſal. 88. Illa eſt epiſtola Chriſti, quæ ſcitur, & legitur ab omnibus hominibus. 2. Corin. 3. Illa eſt, in qua videtur gloria Domini, & in cuius lumine gentes ambulant. Pſal. 60.

Eſaias demonſtrans nouæ Hieruſalem, nimirùm Eccleſiæ Chriſti, multitudinem ingentem, quæ ipſi per communem fidem coniun-

iungitur, atque adhæret; Leua, inquit, in circuitu oculos tuos, & vide. Omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi, filij tui de longè venient, & filiæ tuæ de latere ſurgent, tunc videbis, & afflues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum, quando conuerſa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi, & ædificabunt filij peregrinorum muros tuos, & Reges eorum miniſtrabunt tibi.

Cum neceſſe ſit, matrem à filijs, & filiabus diſcernere, oportet hæc verba prophetæ, ità intelligi de Chriſti Eccleſia, vt in eam Eccleſiæ partem, quæ antiquiſſima, & glorioſiſſima eſt, præcipuè cadant.

Quæ nam igitur in vniuerſo mundo Eccleſia eſt, quæ mater cęterarum omnium Eccleſiarum tam verè dici poſſit, quàm Romana? Cur enim Princeps Apoſtolorum eam condiderit, ibique principatus ſui ſedem fixerit, meritò illam Cyprianus appellat principalem Eccleſiam, vndè vnitas ſacerdotalis exorta eſt. Meritò etiam ſexcenti Epiſcopi apud Chalcedonem ante annos ab hinc mille congregati, ſe ipſos Romani Pontificis filios appellarunt, cum dicerent ad Papam Leonem: Tuis decretis noſtrum honora iudicium, & firmitas tua filijs, quod decet adimpleat. Quin, & anteà, Synodus Epheſina, tum canonibus, inquit, Eccleſiæ, tum ſanctiſſimi Patris noſtri, & collegæ Cœleſtini Epiſcopi Eccleſiæ Romanæ, neceſſariò compulſi ad hanc ſeueram ſententiam, idque non ſine lachrymis contra Neſtorium pronuntiandam venimus. Quòd ſi omnium Eccleſiarum Epiſcopi Pontificis Romani ſunt filij, & ille communis eorum eſt pater; (Eſaiæ 60.) iam quod Eſaias dicit ad Eccleſiam, filij tui de longè venient, & filiæ tuæ de latere ſurgent; manifeſtè ad Eccleſiam Romanam in ſpiritu dictum eſt. Hæc enim (Pſal. 44.) eſt regina, quæ aſtat à dextris Chriſti in veſtitu deaurato, circumdata varietate linguarum, & gentium, de qua ſequitur: Adducentur regi virgines poſt eam; fideles enim Eccleſiæ, vel Italiæ, vel Galliæ, vel Hiſpaniæ, vel Germaniæ, quæ communicant cum Eccleſia Petri, hæ ſunt virgines, quæ poſt Eccleſiam Romanam omnium reginam incedunt, & Chriſto Regi obſequuntur.

Qui verò Eſaiæ verba referunt ad Eccleſiam primitiuam, velut aliæ omnes Eccleſiæ, atque pediſſequæ, quamquam, quod verum eſt, dicant, tamen totam veritatem non exprimunt: quia Eſaias loquitur de multiplicatione fidelium perſeuerante vſque ad ſeculi conſummationem; adeò vt dicat Reges miniſtraturos illi glorioſæ Eccleſiæ, de qua loquitur. Conſtat autem reges non miniſtraſſe Eccleſiæ primitiuæ. Itàque propheta loquitur de quadam principali Eccleſia, quæ in terris cum exiſtat, quotidiè vidit filios, & filias & hinc, & indè ad ſe venientes, inter quos etiam Reges adſint: (Eſaiæ 60.) vndè ſubiungit, portas huius Eccleſiæ aperiendas iugiter, dieque, ac nocte non claudendas, vt afferatur ad illam fortitudo gentium, & Reges earum adducantur. Talis autem Eccleſia non alia eſt, quàm Romana, quam cæteræ omnes Eccleſiæ velut matrem, & magiſtram ſtudioſè obſeruant.

(Ag. 2.) Maior eſt, inquit Aggeus, gloria domus nouiſſimæ, hoc eſt Eccleſiæ Chriſti, quàm (2. Corin. 3.) primæ, nimirùm veteris ſynagogæ. Gloria verò vtriuſque domus conſiſtit in miniſtrorum vtriuſque teſtamenti dignitate.

Cæterum ingens hęc fuit veteris ſynagogæ gloria, quòd nunquam in ea defuit ſacerdos ſummus Leuitici generis, qui ſederet ſuper Cathedram Moyſis, indicans Iudæis de lege ſua litigantibus, iudicij veritatem, (Deut. 17. Matth. 23. 2. Corin. 3.) multò igitur magis non deeſt in Eccleſia Chriſti glorioſior quidam paſtor, & ſacerdos, qui ſoluat, & liget in terris, quicquid vſpiam in Eccleſia ligandum, & ſoluendum occurrat. (Matth. 16.) Quis ergo Aggæi prophetiam hac in parte implet, præter Pontificem Romanum, qui ſedens in Cathedra Petri, multò glorioſius Eccleſiam Catholicam in vnitate ſpiritus, & vinculo pacis continet, quàm Pontifex leuiticus (Epheſ. 4.) paruulas illas tribus Iacob in officio continebat? Verum ſi ab Eccleſia Romana ſemel diſceſſerimus, glorioſior eſt, quod ad Cathedrę primatum attinet, domus prima, quàm nouiſſima; quo quid abſurdius? (Ag. 2.) Ac de veteri quidem teſtamento hæc ſint decerpta. Veniamus iam ad ſcripturas noui teſtamenti.

Petrus apud Matthæum dicitur fuiſſe primus Apoſtolorum. (Matt. 10.) Porrò cum Epiſcopi ſint Apoſtolorum ſucceſſores, qui inter Epiſcopos eum obtinet locum, quem inter Apoſtolos Petrus obtinebat, pręter Pontificem Romanum? (Act. 1.) oportebat Iudæ locum impleri, & Principis Apoſtolorum locus manebat vacuus?

Chriſtus ad Apoſtolos dixit: Qui maior, (Luc. 22.) hoc eſt, ſecundùm græcam phraſim, qui maximus eſt in vobis, fiat ſicut minor: & qui præceſſor, ſicut miniſtrator. Nonne ſolus Pontifex Romanus, & maximus eſt inter Apoſtolorum ſucceſſores, & ſicut minorem ſe gerit, ſeruum ſeruorum Dei ſe ipſum ſcribens, & exiſtimans?

Tu es Petrus, inquit Chriſtus, & ſuper (Matt. 16.) hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Cum hęc petra, de qua Chriſtus loquitur, tamdiù neceſſariò manet, quamdiù manet Eccleſia, quæ ſuper eam ædificatur; Petrus autem Chriſti diuinitatem confitens ſemel fuerit hæc petra, quis poſt mortem Petri magis eſt hæc petra, quàm Pontifex Romanus, quem & Petrus iàm moriturus ex Dei voluntate, primarium ſibi ſucceſſorem delegit, & vniuerſa Eccleſia præcipuum Petri ſucceſſorem agnouit ſemper, & vocauit?

Et portæ inferi non præualebunt aduer- (Matt. 16.) sùs hanc petram, ſeù aduersùs Eccleſiam, quæ ſuper eam ædificatur. Et quæ alia Eccleſia præter ſolam Romanam, & eas, quæ primatum Eccleſiæ Romanæ obſeruant, & coluit, & non vel penitùs extincta eſt, vel ità obſcurata, vt ſit quaſi non eſſet? Romana verò Eccleſia inſtar ſolidiſſimæ petræ, quò magis (Dan. 2.) oppugnatur, eò magis floret; aduerſarios quidem ſuos comminuens, & conſumens, ipſa verò ſtans in æternum.

Claues Regni Cœlorum: & vni Petro datæ ſunt, & niſi earum adminiſtratio vni potiſſimùm data eſſet, non claues Regni (cuius natura eſt, vt ab vno potiſſimùm adminiſtretur) ſed vel ariſtocratiæ, vel popularis cuiuſpiam dominationis claues fuiſſent. Quis ergo vnus poſt vnum Petrum claues Regni Eccleſiæ habet, cuſtodit, & adminiſtrat, præter Pontificem Romanum? Vndè B. Ambro-

Lib. 10. epiſtolarum. broſius ad Siticium Papam ſcribens: Fideliter, inquit, commiſſam tibi ianuam ſeruas.

Math. 16. Et quodcumque ligaueris, vel ſolueris ſuper terram, erit ligatum, & ſolutum in Cælis, ait ad Petrum Dominus: Nonnè hæc in ſola Romana Eccleſia potiſſimùm implentur? Illa Iconomachis Imperatoribus excommunicatis ligate eorum poteſtatem, ne in Vrbem Romam, Rauennam, aut Venetias, magnamque Italię partem ampliùs extenderetur. Numquid in Cœlis quoque ligata, & conſtricta in ſolis limitibus eorum poteſtas non eſt?

Numquid claſſis, quam contrà Pontificem Romanum ob eam cauſam emiſerunt, in mari Adriatico ſubmerſa non perijt? Numquid vmquam poſtea in Vrbem Romam poteſtatem recuperarunt? ligata eſt Chilperici Regis Franciæ poteſtas per Zachariam Pontificem Romanum, ne ampliùs ob ſocordiam ſuam regnaret, ſed ille potiùs Regno poticetur, qui Regnum adminiſtrabat; numquid non Deus Chilpericum repulit, Pipinum præfecit?

Gregorius ſeptimus Papa, & ſucceſſores eius ligarunt Regum Chriſtianorum manus, ne per virgam, & annulum inueſtituras Eccleſiarum Prelatis Eccleſiaſticis darent. Numquid tametſi plures Imperatores, & Reges huic decreto repugnaſſent; tamen non præualuit hoc decretum in Cœlo, & ità vſque in hodiernum diem obſeruatur? Ligatæ ſunt omnium hæreticorũ poteſtates ab Epiſcopis Romanis; An etiam non ſunt extinctæ, & deletæ de terra iàm indè à Simone Mago vſque ad Lutherum, & Caluinum? Et ſi enim reliquiæ iſtorum adhùc ſuperſint, tamen & illas videmus à ſe mutuò morderi, & conſumi: iàmque inſipientia eorum per Concilium Tridentinum omnibus, qui volunt ad ſobrietatem ſapere, abundè manifeſtata eſt, & detecta. Soluuntur autem, & libertate donantur ab Epiſcopis Romanis omnes Eccleſiæ, omneſque fideles, qui conſentiunt cum Eccleſia Romana. Et numquid iſti coràm Deo liberi à peccatis, & ſoluti non manent? numquid non in fidei doctrina, & morum inſtitutis hi ſoli conſentiunt, nam apud Proteſtantes? quà ſunt diſtincta ſeculi dominia, tot ſunt, & religionum ſectæ. Aut numquid Anglus vmquam, vel minimo verbulo interrogat cum in parlamento ſuo de fide ſtatuit, quid Suicus, Danus, Scotus, aut Saxo credat? numquid Heluetici ſchiſmatici cum Anglo, aut Scoto in rerum ſacrarum doctrina, vel conferunt, vel communicant?

Diuiſæ igitur ſunt inter ſe omnium eorum linguæ, & voces, qui ab Eccleſia Romana diſceſſerunt, quia ligati ſunt à Pontifice Romano. At omnes filij Eccleſiæ Romanæ quocumque ſub Rege degant, idem in fide ſapiunt, & ſentiunt, quia Pontifex Romanus Petri ſucceſſor à laqueis Diaboli, vinculiſque peccati, & diuiſionis, eos in Chriſti nomine abſoluit, & abſoluti ſunt coràm Deo in Cœlis.

Luc. 22. Chriſtus rogauit primùm, & potiſſimùm pro fide vnius Petri. An non ſolius Petri ſucceſſio in Eccleſia Romana vſque in hodiernum diem fidelis perſeuerat? Quis alius Apoſtolorum tam fidelem Cathedram reliquit? Immò, quæ vna Eccleſia in mundo, quæ Romanæ Eccleſiæ primatum non agnoſcit, talem ſucceſſionem iàm indè ab Apoſtolis deducere poteſt, in qua ſemper Epiſcopi ſederint, & nulla hæreſum labe maculati fuerint? Conſtat autem, Eccleſiam Romanam nullo vnquam tempore vllam hæreſim docuiſſe, quinimmò hæreſes, hæreticoſque omnes condemnaſſe.

Luc. 22. PetrumChriſtus iuſſit etiam fratres ſuos confirmare. Quis hoc in Eccleſia Chriſti perindè impleuit, ac Pontifex Romanus? Quis Epiſcopos quadringentos in Ariminenſi Concilio hinc labantes, hinc deceptos partim reuocauit ab errore, partim confirmauit in vera fide, præter Eccleſiam Romanam? Quis contrà Dioſcori perfidiam fidelium Epiſcoporum animos in Chalcedonenſi Concilio ſtabiliuit, & confirmauit præter Papam Leonem, in quo Petrum locutum eſſe omnes fatebantur? Aliæ Eccleſiæ, vel primatum Romani Pontificis agnouerunt, & hoc ipſo ab illo etiam ſuo iudicio confirmatæ ſunt; vel non agnouerunt, & ne ſuum quidem locum, atque honorem ſtabilem retinere potuerunt, ne dum fratres ſuos confirmarunt. Res ipſæ hoc loquuntur, vt verbis pluribus in re tam perſpicua opus non ſit.

Ioan. 10. Alias oues habeo, inquit Chriſtus, quæ non ſunt ex ouili, nempè ex ouili Iudæorum, illas oportet me adducere, & fiet vnus Paſtor, & vnum ouile. Chriſtus locutus eſt de ouili militante, ergo etiam de Paſtore militante. Et quis vnus Iudæorum fidelium, gentiumque Paſtor præter Pontificem Romanum? Nullus enim alius ne ab hereticis quidem, & ſchiſmaticis ponitur: nam Epiſcopus Conſtantinopolitanus etiam ſi aliquando adæquat ſe ipſum Romano Epiſcopo, nunquam tamen dicit ſe illius Paſtorem eſſe debere: ac oportet dari vnum Paſtorem totius Chriſtiani ouilis, qui numquam datus eſt alius, quàm Pontifex Romanus.

Ioan. 21. Chriſtus Petrum iuſſit agnos ſuos, & oues paſcere, ſi plùs alijs Apoſtolis Chriſtum diligeret; ſignificans ſe vnum relinquere toti ouili ſuo Paſtorem, cui maiorem daret earundem ouium, & Chriſti æterni Paſtoris amorem, quàm alij cuipiam Paſtori. Iàm dico ſolum Pontificem Romanum hoc officium tam neceſſarium in Chriſti Eccleſia implere. Solus enim ille ab Apoſtolorum tempore ſolicitudinem omnium Eccleſiarum exercuit: nemo autem alius Catholicus vmquam dixit, aut ſcripſit talem ſolicitudinem ad ſe pertinere. Cum autem ea ſolicitudo ſit ſignum non mediocris amoris, indè conuincitur, ſolum Pontificem Romanum plùs alijs Paſtoribus Chriſtum, & gregem Chriſti dilexiſſe. Ille alios Epiſcopos omni ætate docuit, ille reſponſa omnibus dedit, ille in exilium eiectos ſemper fouit; id quod omnes hiſtoriæ Eccleſiaſticæ atteſtantur. Cuius alterius tot Epiſcopi pro fide, & Eccleſia Dei martyrium obierunt? infinita ſunt, quæ in hoc genere dici poſſent, niſi hæc pauca ſatis eſſent.

Matt. 24. Hoc Euangelium Regni, ait Chriſtus

præ-

Matt.28. prædicabitur in vniuerſo Orbe in teſtimonium omnibus gentibus, & tunc veniet conſummatio. Vndè poſtea iuſſit Apoſtolos docere, & baptizare omnes gentes prædicens ſecum illis futurum, vſque ad conſummationem ſeculi. Quis ergo in hoc Apoſtolico prædicandi Euangelium omnibus gentibus opere progreditur præter Pontificem Romanum? Quis alius Apoſtolorum ſucceſſor hanc 1. Pet.5. prophetiam implet? nam cæteri Paſtores nec ſe ad aliud vocari putant, quàm vt plebem ipſis commiſſam paſcant, nec eam deſerere poſſunt, & aliam plebem Domino acquirere, Ier.23. ne illis dicatur: Non mittebam Prophetas, Rom.10. & ipſi currebant: &, Quomodo prædicabunt niſi mittantur? Solus ergo Pontifex Romanus tàm ad priores oues gubernandas, quàm ad nouas acquirendas miſſus eſt: quod quidem effectus ipſe probat: nam vt Paulus Gal.2. probauit ſe miſſum à Deo, quia Deus per eum conuertit multas gentes ad fidem; ſic Pōtificatus Romani faſtigium manifeſtè probatur à Deo eſſe, quia Deus ei tam felicem ſucceſſum in gentibus ad Chriſtum conuertendis dedit. Quicquid enim ferè Chriſtianorum in Occidente, Meridie, Aquilone, aut Indis Orientalibus, atque Occidentalibus exiſtit, Romani Pontificis ductu ad fidem Chriſti acceſſit, præter ſolos ferè Moſchos, qui quales ſint Chriſtiani alijs indicandum relinquo.

DE CLAVE DAVID LIBER QVINTVS.

CAPVT PRIMVM.

De origine iuris regij, & tam Chriſtianos Reges, quàm ethnicos, quod ad ius regnandi attinet, ex æquo terrenos, itemque ſeculi huius, aut gentium Reges exiſtere, atque ità vocari, eò quòd hominum etiam conſenſu, ac non ſolius Dei voluntate conſtituti ſunt, & creati.

ET ſi alia ſit Chriſtiani Regis, & alia Ethnici vocatio, ſi perſonæ interiorem qualitatem ſpectemus; tamen cum ad externam dignitatem vtriuſque ventum eſt, vt videlicet de regnandi iure quæratur, eadem eſt vtriuſque cauſæ ſimilis origo, par conditio. Nec enim alteruter eorum regnat, vel quia Chriſtianus, vel quia Ethnicus (quamquam, & hæ conditiones hunc, aut illum certis in locis, vel impediant interdùm, vel commendent) verùm quia iure gentium, aut ciuili eam poteſtatem
Rom. 3. Prouer. 8. à Deo ſortitus eſt. Deus enim, à quo eſt omnis poteſtas; & per quem Reges regnant, tùm permiſit, tùm inſpirauit hominibus (non alio tamen, quàm rationis lumine ad eam rem adhibito, & interpoſito) vt ne ritu ferarum ſparſim ſinguli degerent, ſed cum ſint per naturam orationis, & conſociationis compotes, in communitatem quandam certis legum, & magiſtratuum vinculis colligatam coirent, quò alter alteri opem ferre, communique conſilio, & communem hoſtem pellere,
Gubernationum tres formæ. & communia negotia tractare poſſent. Hinc ſodalitates primùm inſtitutæ, mox conditæ Ciuitates, ac demùm variæ gubernationum formæ ſunt excogitatæ, vt videlicet alij omnium, aut maioris partis communi decreto rem geri vellent; alij certos optimates ſibi præficerent; alij mallent vni præcipuè rerum gerendarum ſummam committere: quod genus gubernationis Regium, aut Imperatorium vocatur. Et quoniam vnius præfectura
Gen. 3. tùm iuri naturali (quòd vxorem filios, & nepotes vni viro parere iuſſit) maximè conſentanea, tùm apud pleraſque gentes facillimè recepta, & conſeruata erat; factum eſt, vt Reges non tam certorum Populorum ciuili, quàm penè omnium gentium communi iure præeſſe iamdiù viderentur. Quod tamen ità non debet accipi, tamquam Reges ex præſcripto iuris gentium regnent (alioqui nullus eſſet Populus, vbi non regnarent) ſed quòd, & in pleriſque Ciuitatibus regnent, & ius illud, quo regnant, omnium Populorum, ac gentium conſenſu iàm ſit conſtitutum, & confirmatum. Nam illi etiam Populi, quibus Reges non præſunt, tamen ius Regium, & ſciunt, quia id in vicinis locis exerceri vident, & approbant, quia vident illud à recta ratione non abhorrere. Ius autem liberi, 1. Reg. 8.
& abſoluti Regis hoc erat, vt quidquid ſubditis ſuis ob communem ſuam, & ipſorum vtilitatem imperaſſet, etiam ſi filios, filias, agros, olíueta, ſegetes, vineas, ſeruos, ancillas, aſinos, & greges illis auferret, id totum illi dare, & concedere deberent. Vtilitati verò communi, & hoc adſcribitur, vt Rex habeat aſſiduè in familia, & curia ſua equites, & præcurſores quadrigarum ſuarum tribunos, centuriones, aratores agrorum ſuorum, meſſores ſegetum, fabros armorum, & curruum ſuorum; vnguentarias, focarias, & panificas; eunuchos, famulos, denique ſeruos locupletes: hoc erat ius Regis.

Iàm ſciendum eſt, Reges non ſolùm apud infideles nationes, verùm, & in ipſo Dei Populo, ſecundùm hoc ius regnaſſe, ſicut & Moyſes prædixit, & Samuel declarauit. Cùm Deuter. 17.
dixeris, inquit Moyſes, conſtituam ſuper me Regem; ſicut habent omnes per circuitum nationes, eum conſtituens, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum.

Tria hic animaduertenda occurrunt: Vnum, quod ipſe populus prædicitur dicturus, Conſtituam ſuper me regem; ex quo perſpicitur conſtitutionem regum à libera, & ſpontanea hominum voluntate profectam eſſe: Alterum, quòd populus Dei regem ſibi conſtituere volebat, ſicut cæteræ nationes habebant, vndè patet, iudaicum, aut Chriſtianum regem non differre in iure quidem regio, à cæterarum gentium regibus, cum ad aliarum gentium formam Dei populus regem ſibi conſtituerit.

Tertium eſt, quòd Deus in perſona regis eli-

eligenda eam conditionem appoſuit, vt po-
pulus fidelis non poſſet infidelem ſibi regem
conſtituere. Iſta conditio ex Deo eſt, non ex
hominibus.

Quod verò ad noſtrum inſtitutum hoc
tempore attinet, ſatis conſtat qualiſcunque
1. Reg. 8. ſit perſona regis, tamen ius regium & ab ho-
minum conſenſu (Deo ità rem diſponente)
ortum eſſe, & idem apud fideles, atque infi-
deles exiſtere. Vnde Iudæi ad Samuelem di-
xerunt. Conſtitue nobis regem, vt iudicet
nos, ſicut & vniuerſæ habent nationes, rex
enim erit ſuper nos, & erimus nos quoque ſi-
cut omnes gentes, & iudicabit nos Rex no-
ſter, & egredietur ante nos, & pugnabit prę-
lia noſtra pro nobis.

Officium ergo regis tam in Dei populo,
quàm in cæteris nationibus hoc erat, vt domi
populum iudicaret, militię prælia pro illo ini-
ret, eoſque ad bellum aut ipſe per ſe, aut per
aliquem ex optimatibus ſuis educeret. Quid-
quid autem populus vllus in vllo genere gu-
bernationis præficiendo ſibi, & conſtituendo
ſecundùm rectam rationem feciſſet, id Deus
quoque fecit, tum quia dedit populo eam
mentem, & conſenſionem, tum quia opus illud
ſtabiliuit, & corroborauit.

Hinc cum Roboam filius Salomonis de-
3. Reg. 12. cem tribuum poſtulatis non acquieſceret, ac
propterea decem tribus congregato cœtu vo-
carent Ieroboam, & eum conſtituerent regem
ſuper omnem Iſrael: Deus dixit, hanc rem
à ſe factam eſſe. Itàque & vnum regem omni-
bus Iſraelitis Deus primùm dedit, & duos po-
ſteà dedit, vtraque in re id confirmans, quod
populus ſuus libere petiuerat, & elegerat. Vn-
de efficitur, vt regum conſtitutio ſit quidem
à Deo, ſicut alia omnia; ſed ità ſit, vt Deus
non ex ſolo beneplacito miſericordiæ ſuæ, ve-
rùm interiectis hominum voluntatibus, eos
creauerit & conſtituerit.

Iàm ex qua parte homines regum conſti-
tuendorum auctores ſunt, reges dicuntur eſſe
terreni, ſæculares, & mundani, ſeu de terra,
1. Reg. 12. ſeculo, & hoc mundo. Quod adeò verum eſt,
vt Samuel dixerit, Grande malum feciſtis vo-
bis in conſpectu Domini, petentes ſuper vos
regem; & populus reſpondit, Ora pro ſeruis
tuis Dominum Deum tuum, vt non moria-
mur, Addidimus enim vniuerſis peccatis no-
ſtris, vt peteremus nobis regem.

Matth. 5. Sicut ergo iuramentum ex malo eſt, licèt
malum in ſe non ſit, ità & conſtitutio regum,
quæ non eſt mala, eſt tamen ex malo, & ideò
non cæleſtibus Dei gratijs, & donis, verùm
terrenis operibus annumeratur: neque ex Deo
ſolo eſt, vt fides, charitas, religio, & regnum
Chriſti: verùm etiam ex hominibus & mundo,
Ioan. 18. vt Chriſtus ipſe atteſtatur; cum dicit, Regnum
meum non eſt de hoc mundo. Si ex hoc mun-
do eſſet regnum meum, miniſtri mei vtique
decertarent, vt non traderer Iudæis.

Nunc autem regnum meum non eſt hinc.
Dicendo regnum ſuum non eſſe hinc, nec de
hoc mundo, facilè ſignificauit aliorum prin-
cipum & magiſtratuum ciuiles poteſtates,
quorum miniſtri pro ipſis decertant, hinc eſſe,
& de hoc mundo eſſe; vt meritò dici, & poſ-
1. Corin. 2. ſint, & debeant terreni reges, ac ſeculi Prin-
cipes. de quibus etiam Paulus ait. Nullum
ex huius mundi principibus Dei ſapientiam
in myſterio abſconditam cognouiſſe. Si enim
cognouiſſent, numquam Dominum gloriæ
crucifixiſſent.

Huius mundi Principes appellauit non
ſolùm Dæmones, verùm & Philoſophos, &
reges, & quoslibet potentes, quorum præro-
gatiua humanis modis acquiritur, ſicut etiam
David apertiùs ait. Aſtiterunt reges terræ, & Pſalm. 2.
Principes conuenerunt in vnum aduersùs Do-
minum, & aduersùs Chriſtum eius. Reges
terræ nihil aliud ſunt, quàm terreni reges, Act. 4.
cuiuſmodi erant Herodes, & Pontius Pilatus,
in quibus hanc Dauidis prophetiam imple-
tam fuiſſe beatus Paulus docet. Luc. 3. & 13.

Porrò Herodes fuit Tetrarcha Galilææ,
non alienus à Iudæorum ſecta, nec propterea
eò minùs rex terrenus, eò quòd hominum
opera eam poteſtatem adeptus eſſet. Vnde
etiam Auguſtinus Conſtantinum Magnum
vocat terrenum regem, licèt is quoque nec
tum quidem à Chriſtiana fide abhorreret.
Cùm enim Donatiſtæ ad Conſtantinum ap-
pellaſſent, is exclamauit: O rabida furoris
audacia, ſicut in cauſis gentilium fieri ſolet,
appellationem interpoſuerunt. Vbi cum cau-
ſas Chriſtianorum à gentilium cauſis diſcre-
uerit, ea quæ Chriſti ſunt non ignoraſſe oſten-
ditur.

Porrò Auguſtinus eundem Conſtanti-
num vocat terrenum regem his verbis: Dona-
tiſtæ datos ſibi Epiſcopos iudices apud ter-
renum regem, videlicet Conſtantinum, accu-
ſauerunt. Ambroſius verò cum audiret Fla-
uianum ex Antiochiæ Epiſcopis, qui tunc
plures erant, vnum ad Theodoſium confugiſ-
ſe, vt Imperatoris ope ſe ipſum faciliùs con-
tra Pontificem Romanum, qui Euagrio eius
æmulo fauebat, tueretur; ad Theophilum
ſcribit in hæc verba: Habet, quod metuat Fla-
uianus, ideòque refugit examen. Scribit San-
ctitas tua, Flauianum ad Imperialium reſcrip-
torum ſuffragia remeaſſe. Fruſtrà ergo tan-
torum ſacerdotum fuſus labor iterum ad
huius ſeculi iudicia reuertendum. Ambroſius
ergo Theodoſij Imperatoris iudicium, licèt
is foret Chriſtianus, iudicium ſeculi vocat, &
ab Eccleſiaſtico iudicio diſcernit.

Non enim quia Theodoſius fuit Chriſtia-
nus, idcircò Imperij Romani poteſtas terrena
eſſe deſijt, cum Theodoſius in eo Imperio non
Petro Apoſtolo, quem Chriſtus inſtituit pri- Matth. 10.
mum Apoſtolorum, ſed Octauio Auguſto ſuc-
ceſſerit, quem veterani milites in gratiam Iu-
lij Cæſaris (Deo ità volente) ad Imperij maie-
ſtatem euexerunt.

Quapropter, vt communi cum cæteris
hominibus iure Chriſtiani emunt, vendunt, &
contractus alios ineunt; ſic etiam Chriſtiani
reges communi iure cum cæteris gentium
Ethnicarum regibus præſunt, nec Apoſtolo- Gen. 10.
rum, ſed Nembrodi, Nini, Cyri, Alexandri,
& Cæſarum ſucceſſores, & ſunt, & appellan-
tur.

Refert Sulpitius Seuerus Martinum Tu-
ronenſem Epiſcopum (quem virum Apoſtolis
conferendum ait) ſatis ſuperque ſufficere di-
xiſſe, vt Epiſcopali ſententia hæretici Priſcil-
lianiſtæ iudicati (quod Cæſar Auguſtæ in Hiſ-
panijs factum erat) Eccleſijs pellerentur. No-
uum eſſe, & inauditum nefas, vt cauſam Eccle-
ſiæ Iudex ſeculi iudicaret.

Hæc

Digitized by Google

Hæc Martinus; Qui non Ethnicum modò, ſed & Chriſtianum Imperatorem, ad quem Priſcillianus à Damaſo Papa reiectus ſe contulerat, ſeculi iudicem appellat, cauſamque Eccleſiæ iudicare non debere contendit. Reges igitur etiam poſt baptiſmum ſuſceptum manent ſeculi iudices, nec per fidem Chriſtianam incipiunt Eccleſiaſtici iudices fieri. Hieronymus quoque ait, Priſcillianum, quem Maximus rex Chriſtianus Treueris agens capitis damnauerat, ſeculi gladio damnatum. Chriſtiani regis gladium non Eccleſiaſticum, ſed ſæcularem appellat: quia non cum de manu miniſtrorum Eccleſiæ velut à Chriſto inſtitutum, ſed de manu militum velut ab ipſis ſubminiſtratum acceperat. Chryſoſtomus etiam, cuius ætate Imperatores erant Chriſtiani, tamen in vniuerſum ità ſcribit: Habent & terreſtres Principes vinculi poteſtatem, ſed corporum ſolùm. Sacerdotum autem vinculum ipſam etiam animam contingit. Denique Leo Magnus cum videret Epiſcopum Conſtantinopolitanum idcireò velle Patriarchis Alexandrino, & Antiocheno præferri, quod regiæ Vrbis eſſet Epiſcopus, quamquam tunc Imperatores, & Catholici eſſent, tamen ad Martianum Auguſtum ità ſcribit. Alia ratio eſt rerum ſæcularium, alia diuinarum. Non dedignetur Anatolius regiam ciuitatem, quam Apoſtolicam non poteſt facere ſedem.

Ioan. 18. 1. Reg. 8. & 12. Ac iam abundè tum ex Euangelio, tum ex antiqua lege, tum ex ſanctorum Patrum teſtimonijs declaratum eſt, reges, & Principes etiam Chriſtianos habere poteſtatem ſuam etiam ex hoc mundo, ac non ex ſolo Deo; & proptereà eſſe, ac manere, non niſi reges terrenos, mundanos, ſæculares, nec per fidem, & baptiſmum Chriſti Eccleſiaſticos, aut cæleſtes, aut ſpiritales iudices in cauſis Eccleſiæ cognoſcendis, aut iudicandis fieri. Nam ſi fides, & baptiſmus Chriſti ſuſceptus regem antea terrenum iam faceret cæleſtem, & ſpiritalem regem, ità vt cauſas & res diuinas iudicare auctoritate regia deinceps poſſet; etiam ciuilis, & Romani iuris, immò & artis medicæ priùs peritum faceret, deinceps diuini, & cæleſtis iuris tam peritum, vt non ſecus in diuino iure abſque alia ſcientia, vel poteſtate accepta, reſponſa dare, & Euangelium cum auctoritate annunciare poſſet, quàm aut ante in iure ciuili, aut medendi facultate hoc ipſum facere poterat, aut adhuc poteſt. Cæterùm per fidem, & baptiſmum hæc ſola poteſtas acquiritur, vt filius Dei, quis fiat, non item vt
Ioan. 1. Rom. 10. Heb. 5. res Dei iudicet, aut diſponat. Alioqui omnes baptizati ex æquo id facerent; abſque eo quòd ad prædicandum de nouo mitterentur, quod à Chriſti doctrina abhorret.

CAP. II.

De Origine poteſtatis Eccleſiaſticæ, & quòd poteſtas adminiſtrandi Eccleſiam neque Iudaicis, neque Chriſtianis Regibus à Deo tributa ſit.

TAm Eccleſiam, inquit Aclerus, quàm Rempublicam adminiſtrandi poteſtatem Principibus noſtris à Deo tributam, vt tam in rebus Eccleſiaſticis Clero, quàm in ciuilibus populo imperare poſſint, contra veſtram Monarchiam contendimus. Hæc ille.

Cùm nihil, Aclere, in cauſis diuinis, aut credendum, aut gerendum contendas, quod in ſacris literis expreſſum non ſit: Cur eum locum ex Scripturis ſacris non profers, qui poteſtatem regibus, tam Eccleſiam, quàm Rempublicam adminiſtrandi à Deo tributam eſſe conuincat? Nam quod ſcriptum eſt, Regem honorificandum, omnemque animam 1. Pet. 2. Rom. 13.
ſublimioribus poteſtatibus debere ſubijci: cum ea verba Neroni Ethnico, qui tunc imperabat, Chriſtianos parere iuſſerint, nullam verò poteſtatem adminiſtrandi Eccleſiam Neroni ex illis verbis tributam eſſe, tu ipſe concedas; certè huiuſmodi ſcripturarum loca tuum propoſitum nihil omninò prouehunt, aut confirmant. Quantò præclariùs Leo Magnus docet, aliam ſæcularium, & aliam diuinarum rerum eſſe rationem? Regna ſeculi ex Deo quidem ſunt, ſed per humanam cogitationem, & conſenſum inſtituta, vt iam proximè demonſtrauimus.

Et quia modum, quo Deus poteſtatem ſæcularem conſtituit, humanæ rationi, & voluntati ſubiecit; meritò dicimus, poteſtatem ſæcularem, ſiue regiam, ſeu quamlibet aliam ex hominibus eſſe: Iam quia homines regna, & politias inſtituerunt non per fidei diuinum lumen, ſed per mentis, & rationis naturalem vim, & facultatem, quæ poſt peccatum ex ſe ipſa non niſi rebus terrenis addicta erat: idcircò poteſtatem regum, aut optimatum vnà cum ſanctis Patribus vocamus terrenam, & ſæcularem.

Longè autem ſecus in Eccleſiæ Dei origine, atque in ſpiritali poteſtate inſtituenda Ioan. 18.
ſe res habuit. Eccleſia enim Dei, quæ regnum Math. 5.
Chriſti eſt, non eſt ex hoc mundo. Filij enim Ioan. 1.
Dei (qui ſunt Eccleſia ipſius) neque ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri; ſed ex Deo nati ſunt, quia Verbum caro factum eſt, & habitauit in no- Gen. 6.
bis. Quantum ergo inter filios Dei, & filios hominum, hoc eſt, inter lucem, & tenebras intereſt, tantum etiam inter Eccleſiam Dei, & Rempublicam humanam intereſt. Quod Ioan. 3.
natum eſt ex carne, caro eſt; & quod natum eſt de ſpiritu, ſpiritus eſt. Deus quidem condidit tam carnem, quàm ſpiritum, hoc eſt, tam hominum ſæcularem conſociationem, quàm ſpiritalem in Eccleſia ſua viuendi communionem: ſed alijs, atque alijs modis has

res procreauit. Regna ſæcularia per conſenſum, *1. Tim. 2.* & operam humanam: Regnum verò *Epheſ. 4.* Eccleſiæ per mediatorem Dei, & hominum, hominem Ieſum Chriſtum.

Deut. 17. Quamuis ergo principium ſit vnum, quia vnus eſt Deus, ex quo ſunt omnia: tamen modus eſt alius, atque alius (Nàm humanæ Reipublicæ per hominum ingenia, & *1. Reg. 8.* placita conſtitutæ ſunt, Eccleſia verò per ſolum Dei beneplacitum, quo ex nimia charitate ſua Chriſtum nobis Saluatorem dedit, in *Matth. 3. & 17.* quo ipſi benè complacuit) propterea dicimus regna ſecularia eſſe terrena, regnum verò Ec- *Ioan 1. & 8.* leſiæ non niſi Diuinum, & Cœleſte. Sicut enim *Ioann. 6.* Chriſtus, licèt in Mundo eſſet, & lux Mundi *Matth. 5.* eſſet, tamen non erat de Mundo, ſed de Cęlo deſcendit, vt daret vitam Mundo: Sic & Chriſti Eccleſia quamquam in Mundo ſit, & lucerna ſit ſupra candelabrum poſita, quæ lucet omnibus, qui in domo Dei ſunt, non tamen de Mundo, aut ex Mundo eſt, verùm ex Deo, & de Cœlo. Vnde Ioannes in Apocalypſi ait: Ego Ioannes vidi ſanctam Ciui- *Apoc. 21.* tatem Hieruſalem nouam deſcendentem de Cœlo; à Deo paratam, ſicut ſponſam ornatam viro ſuo, & audiui vocem magnam de throno dicentem, Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis. Et ipſi populus eius erunt, & ipſe Deus cum eis erit eorum Deus.

Quæ cum ità ſint; putas ne Aclere, Deum ità rem inſtituiſſe, vt terrenus aliquis rex, etiam ſi filius Dei per fidem, & baptiſmum factus ſit, Eccleſiam Chriſti, quæ Regnorum Cœlorum eſt, vi terrenæ poteſtatis ſuæ abſque alia diuina poteſtate adiuncta, ritè adminiſtraret? An hoc aliud eſt, quàm Chriſti ſponſam, ac poteſtatem eius diuinam, Cœleſtemque terrenæ poteſtati ſubijcere? Quo enim iure, quo titulo, hanc ſibi poteſtatem *Prima ratio* rex terrenus vendicat? Vtrùm quia rex eſt? at *1. Reg. 8.* hoc illi cum Sardanapolo, cum Cæſare, cum Nerone commune eſſe iam audiſti. An quia Chriſti baptiſmo initiatus eſt? ac iſto modo etiam ſinguli Chriſtiani Eccleſiam adminiſtrarent.

Porrò quid prętereà iuris accepit rex tuus, quo Eccleſiam adminiſtret? An de ma- *Matth. 16.* nu Chriſti claues Regni Cœlorum accepit? Nemo ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à *Hebr. 5.* Deo tamquam Aaron. Quando igitur vocatus eſt rex tuus ad Eccleſiam Chriſti adminiſtrandam? Quibus Euangelij verbis? Quo Eccleſiæ Sacramento? Vtrùm quando rex inunctus fuit? an igitur illam vnctionem regis, tu Sacramentum aliquod, aut ſignum à Deo inſtitutum eſſe ponis, quo regi poteſtas ad Eccleſiam adminiſtrandam data ſit? Hoc ſi di- *2. Ratio.* cis, per te pluſquam duo ſacramenta erunt, quod certè Caluinus, Pontifex, & Apoſtolus veſter numquam vos docuit.

Nec ſanè vmquam, vel fando auditum eſt, inunctionem regis à Chriſto inſtitutam fuiſſe, aut diuinum aliquod Sacramentum eſſe.

3. Reg. 19. Alioqui cum Eſaias iubebatur in Damaſcum reuerti, & vngere Nazael Regem ſuper Syriam, & Iehu filium Nanſi Regem ſuper Iſrael; tàm Ethnico, quàm ſchiſmatico poteſtatem adminiſtrandi Eccleſiam Dei contuliſſet Sacramentum Diuinum impartire, cum tamen Dei Sacramenta ſolis fidelibus pręparata fuerint à Deo, nec alijs per Dei miniſtros diſpenſanda ſint. Vetamur enim proijcere margaritas antè porcos. Nàm inter diſpen- *Matth. 24. 1. Cor. 4.* ſatores id quęritur, vt fidelis, & prudens quis inueniatur. Qui autem Sacramenta Dei Ethnicis daret; nec prudenter ageret, quia hęc non eſt menſura tritici, quæ illis debetur; nec fideliter, quia in oues, & agnos Chriſti, *Ioann. 21.* non in lupos, aut porcos poteſtatem accepit, & pretereà communicaret cum peccatis alienis; quod ne in manuum impoſitione com- *1. Tim. 5.* mitteret, Paulus Timotheum admonuit. Si ergo inunctio Regis Syriæ, & Regis Samarię non fuit ſacramentum aliquod, ne dum tale, quo poteſtas adminiſtrandi Eccleſiam illis daretur; neque Chriſtiani regis inunctio, & conſecratio ſacramentum eſt, quo ei poteſtas detur ad Eccleſiam adminiſtrandam, propterea quòd omnium iuſtorum inunctio nihil aliud ſignificet, quàm Deum eſſe auctorem illius regiæ poteſtatis, quæ Rempublicam illam, de qua agitur in ijs, quæ ad homines pertinent, adminiſtrat. Oleum enim, quod liquoribus alijs ſuperfertur, & excellentem Dei erga nos miſericordiam, & pręſtantem illius, qui vngitur, dignitatem demonſtrat.

Sed cum rex non ab alio rege, non à duce, aut comite (qui ſunt velut gradus quidam regij ſtatus) verùm à ſolo ſacerdotalis ordinis viro inungatur; certum eſt regem, qui ità ſanctificatur, vt poſteà neminem ſanctificare poſſit; minorem illo eſſe, à quo in Dei nomine conſecratur. Nàm ſine controuerſia, inquit Paulus, quod minùs eſt, à meliore benedicitur. *Heb. 7.* Inunctio igitur, quæ à Sacerdote regi confertur, nec ab vllo rege conferri poteſt, non modò non facit Regem Sacerdote maiorem, ſed potiùs declarat eundem Sacerdote minorem eſſe.

Vnde Chryſoſtomus vtrumque ordinem, *De verbis* nempè Regium, & Sacerdotalem inter ſe con- *Eſa. hom. 4.* ferens ait: Maior eſt Sacerdotij Principatus. Propterea rex ſubmittit caput manui Sacerdotis, & vbique in veteri ſcripta Sacerdotes inungebant reges. Hęc ille.

Animaduertendum & illud, regem, quando inungitur, nec ad ſacrum faciendum, nec ad Eccleſiam gubernandam inungi. Nàm quid ſacri faceret, aut profanus Syriæ, aut ſchiſmaticus Samariæ Rex, aut quam Eccleſiam adminiſtrarent, quorum omnes, aut penè omnes ſubditi colebant idola?

Quapropter cum eadem ſit Ethnici, & Chriſtiani Principis regia poteſtas, conſtet verò inter nos Ethnicum Regem non poſſe Dei Eccleſiam adminiſtrare; conſtare etiam deberet, neque Chriſtianum regem vi regiæ ſuæ dignitatis Eccleſiam adminiſtrare poſſe.

Qualis eſt cuiuſque Reipublicæ primus magiſtratus, talis ea Reſpublica dicitur, & *3. Ratio.* iudicatur. Nàm ſi rex præeſt, regnum; ſi optimates, optimatum pręfectura; ſi populus gubernat, politia, vel ſtatus popularis appellatur. Itàque ſi rex terrenus Eccleſiam Chriſti adminiſtraret, Eccleſia Chriſti diceretur, & eſſet non Cœleſte, ſed terrenum regnum, quod à vero alieniſſimum eſſe nec tu negabis: Niſi fortè dices, & Regem Chriſtianum eſſe Regem, non iam terrenum ſed cœleſtem.

Obſe.

Obſecro te, qui regnant in Angliâ,
4. Ratio. vtrùm iure, & more illius regionis non poſſi-
dent illud regnum hęreditario iure?an ſtatim
ac primo loco nati ſunt, ius ad regnum obti-
nendum non habent?an ex eo ipſo iure Prin-
cipes Waliæ interim dum pater eorum viuit,
& regnat, non dicuorur? an poteſt quiſquam
ex vtero Matris, Dei filius, aut Rex Cœleſtis
procreari? Chriſtiani non naſcuntur,ſed fiuot;
Angliæ autem Reges non fiunt, ſed naſcun-
tur; illorum ergo regium ius terrenum eſt,
non Cœleſte. Nec baptiſmus ſubſecurus ma-
gis eus facit Cœleſtes, aut ſpirituales rrges,
quàm Ducum, Comitum, aut Marchionum
primogeoitos facit Cœleſtes, aut ſpirituales
Dúces, Comites, aut Marchiones.

Ac profectò quo iure Chriſtiani Reges
Eccleſiam illius Prouinciæ, in qua regnum
obtinent, adminiſtrarent; eodem Chriſtiani
Comites, Duces, ac Marchiones ſuarum ſin-
gularum Prouinciarum Eccleſias admiuiſtra-
re ſub eiſdem Regibus Chriſtianis deberent,
vt membra ſuo capiti conſentanea eſſent.
Quis hęc abſurdiſſima eſſe, & ab inſtituto
Chriſti alieniſſima non videt? Chriſti Eccle-
ſia non ex vtero matrum prodijt,vt primoge-
niti regum, & comitum, ſed de Cœlo de-
ſcendit, hoc eſt, non aliqua naturali, ſed Cœ-
leſti ſolùm poteſtate ſupra omnem humanam
cogitationem, & facultatem inſtituta eſt, &
procreata.

Porrò deſcendit de Cœlo non mutila,
5. Ratio. non manca, non orbata capite, verùm inte-
Apoc. 21. gra, perfecta, & velut ſponſa ornata viro ſuo.
Cum ergo Eccleſia Chriſti Regnum ſit, non
de hoc Mundo, ſed Cœleſte; profectò cum re-
ge ſuo Cœleſti deſcendit vtique cum Chriſto,
Luc. 1. qui non ex humano ſemine, ſed per operatio-
nem Spiritus ſancti ex Maria Virgine natus
eſt. Chriſtus autem hoc modo natus, cum
pręſentiam ſuam viſibilem ſubtraheret, etiam
viſibilem Præfectum, qui eandem Eccleſiam
adminiſtraret inſtituit, non ſanè ſecundùm
terrenã Originem, qua is Præfectus in pecca-
to cõceptus erat,ſed ſecundùm ius,quod poſt
ſpiritualem regenerationem ſuam ex Dei do-
Ioann. 21. no acciperet, quo dixit ad Petrum, Amas
Epheſ. 4. me plus his, Paſce oues, & agnos meos. Hęc
eſt poteſtas de Cœlo deſcendens,quia ex Chri-
Gal. 5. ſti ore accipitur, qui de Cœlo deſcendens de-
dit Eccleſiæ ſuæ primùm Apoſtolos, deindè
Prophetas, tum autem Paſtores, & Doctores
ad conſummationem Sanctorum in opus mi-
niſterij in ędificationem Corporis Chriſti.

Paulus enim Apoſtolus non ab homini-
bus, neque per hominem, ſed per Ieſum Chri-
ſtum, & Deum Patrem, qui ſuſcitauit eum à
mortuis. An quiſquam regum rectè dixerit,
ſe non ab hominibus, neque per hominem eſ-
ſe? Cum igitur Eccleſia Dei deſcenderit de
Cœlo, non modò cum ſuo æterno capite Ieſu
Ioann. 21. Chriſto, ſed etiam cum ſuo capite Vicario,
quod Chriſtus inſtituit, iubens, Petrum agnos,
& oues ſuas, vt plus alijs diligentem paſcere,
& gubernare; quo iure ingerunt ſe terreni re-
ges in Dei Cœleſtem ſponſam? Deus Regno
Cœleſti Regem terrenum non præficit, neque
cum corporis ſui myſtici etiam pedes è Cœ-
lo demiſerit, ipſum caput è terra mutuatur.
6. Ratio. Si reges inſtar cæterorum hominum
concipiuntur, fouentur in vtero matrum, na-
ſcuntur, & demùm educantur; profectò etiam
renaſcuntur, ſicut cæteri Chriſtiani; quorum
nullus poteſt, aut pater Eccleſiæ eſſe, ante-
quam Eccleſiæ filius fiat, aut ſtatim cum in
filium generatus fuerit, eorum, qui eum genue-
runt, pater fieri.

Qui verò adminiſtrat Eccleſiam ſummo
in gradu, quemadmodùm Eccleſia tamquam
familia quædam ei ſubiecta eſt, ſic ipſe tam- Luc. 12.
quam loco patrisfamilias illam gubernat. Re-
ges verò, cum ad Chriſti Eccleſiam accedunt,
primùm ab illa per ſancta deſideria, & vota
concipiuntur, deindè per ſpem, & ſubmini-
ſtrationem alimenti ſpiritualis fouentur, do-
nec per aquam, & ſpiritum ſanctum renaſcan- Gal. 2.
tur. Itàque reges etiam potentiſſimi ante-
quam Eccleſiæ inſerantur, non minùs quàm
priuati omnes, verbo catechizandi ſunt, ſicut Pſal. 2.
Dauid prædixit, Et nunc reges intelligite, Matth. 28.
erudimini, qui iudicatis terram. Catechizan-
tur autem ab ijs, quibus Chriſtus dixit, Ite
docete omnes gentes, baptizantes eos. Qui
catechizat, & erudit aliquem, eius pater in
Chriſto eſt. In Chriſto, inquit Paulus, per 1. Cor. 4.
Euangelium vos genui. Omnis autem filius
per ius naturæ ſubeſt patri ſuo, etiam ſpiritua-
li. Nàm patres carnis noſtræ eruditores ha- Gal. 4. Exod. 20.
buimus; nùm multò magis obtemperabimus Heb. 12.
patri ſpirituum, & viuemus? Non obtemperat
patri ſpirituum, qui miniſtros Chriſti non
audit. Obedite, inquit Paulus, præpoſitis Luc. 10.
veſtris, & ſubiacete eis. Ipſi enim peruigi-
lant quaſi rationem pro animabus veſtris red- Heb. 13.
dituri; & iterùm: Rogamus vos fratres, vt 1. Theſſ. 5.
noueritis eos, qui laborant inter vos, & pręſ-
ſunt vobis in Domino, & monent vos, pa-
cem habere cum eis.

Si Rex debet agnoſcere, & Eccleſiam to-
tam pro Matre, & Paſtorem Eccleſiæ Chri-
ſti velut Patrem, & præpoſitum ſuum in Do-
mino, certè vt ſpiritualem patrem, & prępo-
ſitum agnoſcet illum. Quid eſt autem, re-
gem agnoſcere Epiſcopum, vt patrem, & præ-
poſitum ſpiritualem; niſi agnoſcere, quòd Epi-
ſcopus in ſacris, & ſpiritualibus cauſis maior
ipſo rege ſit, & in illis cauſis tantò maior,
quanto per ius naturæ pater filio maior eſt?
Immò cum plus ſit in Chriſto regenerari ad Ioann. 3.
æternæ vitæ hæreditatem; quàm à patre ter- Rom. 5.
reno ad æternam mortem generari: ſicut Deus
per ſpiritualem eruditorem plus regi confert,
quàm per carnalem contulit; ſic propter
Deum plus obedientiæ rex in Dei cauſis ſpi-
rituali paſtori debet, quàm in ſeculi rebus
carnali parenti debere potuit. Et certè per
naturam filius numquam poteſt compenſare
beneficium, quod ſiue à ſpirituali, ſeu à car-
nali patre accepit.

Atque ideò vt in æternum filius patrem
honorare, atque in ijs, quæ naturæ ſunt ſem-
per debet obedire: nec alius, quàm impijſſi- Exod. 20.
mus, & ingratiſſimus haberi poſſet, ſi paren-
tibus ſuis in domo, & familia ipſorum, atque
in ijs bonis, quæ propriè paterna ſunt, pręę-
eſſe, & imperare conaretur: ſic etiam Rex
Chriſtianus ſi paſtoribus, & ſpiritualibus pa-
rentibus ſuis in ijs ſpiritalibus bonis, quæ 1. Cor. 4.
ad miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſte-
riorum eius propriè ſpectant, præcipere, &
& imperare conaretur, omnium hominum
impijſſimus, ingratiſſimus meritò haberi...

Digitized by Google

eſſet. Deus autem non eſt auctor, ſed vltor impietatis, nec violator, ſed vindex iuris naturæ: numquam igitur fieri potuit, vt Deus regi ſummam poteſtatem in Eccleſiam eiuſdem regis matrem, aut in Miniſtros Chriſti, Patres ipſius regis & eruditores; ad ſpiritalia Eccleſiæ bona in ſummo imperij gradu adminiſtranda concederet.

7. Ratio. Præterea cum rex ſit alicuius Eccleſiæ membrum, non ſtatim ſit eiuſdem Eccleſiæ radix: (alioqui Eccleſiam ſaltem illius Prouinciæ, in qua is regnat, primùm incœpiſſet ab illo, quod ſecus eſt) verum inſeritur in eiuſdem Eccleſiæ ſtipitem, velut ramus, vt comparticeps, & ſocius radicis fiat. Non ergo debet gloriari aduersùs radicem, quia non ipſe radicem portat, ſed radix illum. Rom. 11.

Quod cum ſit argumentum Apoſtoli ad omnes gentes commonefaciendas, ne glorientur aduersùs Iudæos, quamquam infideles; Ephes. 2. quia Patriarchæ, hoc eſt, Iudæorum patres portant Chriſtianas gentes; multò magis valere debet ad commonefaciendos reges, vt ne aduersùs ipſam Eccleſiam fidelem, & Chriſtianam, quæ tamquam particularis quædam radix portat illos, glorientur, eamue ſibi ſubijciendam in rerum Eccleſiaſticarum adminiſtratione contendant. Si enim Rex Angliæ diceret ſe Eccleſiæ Anglicanæ caput, gloriaretur aduersùs illam velut ſibi ſubiectam, cum tamen ramus non habeat ſibi ſubiectam radicem, ſed potiùs ab illa in ijs, quæ ad arboris naturam ſpectant, regatur, & gubernetur. Nec tantùm ex primo Regis in Eccleſiam ingreſſu, animaduertitur ipſum non poſſe Eccleſiæ caput, & ſummum adminiſtratorem eſſe, verùm etiam ex reliqua vita, & conſuetudine.

8. Ratio. Semper enim debet Rex Chriſtianus audire Prophetas, & Paſtores Eccleſiæ, vt ſciat quomodo regnum ſuum iuxtà Dei verbum adminiſtret. Luc. 10. Qui enim Chriſti miniſtros non audit, nec ipſum Chriſtum in eis loquentem audit. Quorsùm verò audiet, niſi vt obediat Euangelio, Rom. 19. & credat ijs, quæ audit? Qui autem in adminiſtrando regno ſuo alium audire, & ſequi iure diuino cogitur, eius regnum à ſpiritali Eccleſiæ paſtore, magna ex parte in cauſis ciuilibus adminiſtratur; tantum abeſt, vt ipſe regnum Eccleſiæ in vllis cauſis diuinis adminiſtret. Quemadmodùm enim Paulus dicit, hæredem quanto tempore Gal. 4. paruulus eſt, quamquam ſit Dominus omnium, tamen nihil differre à ſeruo, quia ſub tutoribus, & actoribus agit vſque ad præfinitum tempus à Petre: ſic etiam Chriſtianus rex, qui miniſtros Chriſti audire, & Dei verbo per eos nunciato parere iubetur, ità ſub præconibus iuſtitiæ tamquam ſub curatoribus quibuſdam agere debet, vt cum ſit Dominus omnium in gubernatione ciuili; tamen in ijs, quæ Dei ſunt, nihil à ſeruo differat, ſed omnia ſecundùm normam verbi Diuini, & interpretationem Prophetarum, & Pa- 2. Pet. 1. ſtorum Eccleſiæ adminiſtrare neceſsè habeat.

Et quomodò caput, aut ſummus moderator Eccleſiæ dicitur, qui neceſsè habet alijs in moderanda etiam Republica obedire? 1. Reg. 13. & 15. Vtrùm enim non abiecit Deus Saulem ne regnaret, eò quòd non audiſſet vocem Samuelis, nec obediſſet verbo Domini, quod ille Malach. 2. nunciabat? Labia enim Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt.

Quis ergo veriùs adminiſtrat Eccleſiam in rebus diuinis, vtrùm is, qui tamquam Dei Nuncius audiri iubetur, qui eſt Sacerdotis locus, an is, qui neceſſariò alium legem Dei docentem audit, quod regi facere neceſsè eſt? Certè cum Moyſes ſummum, atque æternum Eccleſiæ adminiſtratorem indicaret, hoc ſigno primatum eius deſcripſit, Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum tuorum ſimi- Deuter. 18. lem tui, & ponam verba mea in ore eius, loqueturque ad eos omnia, quæ præcepero illi. Qui autem verba eius, quæ loquetur, in nomine meo audire noluerit, ego vltor exiſtam. Deus etiam ipſe in Euangelio dixiſſe narratur de Chriſto: Hunc audite, Matth. 17. quem ergo in exponenda lege, ac voluntate Dei tenentur audire, is potiſſimùm adminiſtrat Eccleſiam, quæ verbo Dei paſcitur, & adminiſtratur: ſed in vetere Teſtamento lex Dei erat requirenda ex ore Sacerdotis, quia is fuit Angelus Domi- Matth. 28. ni, & in nouo Apoſtoli, & eorum ſucceſſo- Ephes. 4. res audiendi ſunt, quia illi iubentur docere, ac baptizare omnes gentes, tamquam Prophetæ, Euangeliſtæ, Paſtores, & Doctores quibuſcum Chriſtus eſt omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi. Certiſſimum igitur eſt, præcipuam Eccleſiæ adminiſtrationem penès Eccleſiæ Paſtores, & non penès Chriſtianos Reges exiſtere.

Tu ipſe fateris, Aclere, ſummum Iudi- 9. Ratio. cem eſſe illum, ad quem vltimo loco appellatur, ſed in cauſis Eccleſiaſticis vltimo loco Ezec. 44. itur ad Sacerdotes, dicente ipſo Deo, Sacerdotes accedent ad me, vt miniſtrent mihi: & cum fuerit controuerſia, ſtabunt in iudicijs meis, & iudicabunt. Qui autem ſuperbierit nolens obedire Sacerdotis iudicio, Deut. 17. qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Iſrael.

In nouo etiam Teſtamento, qui Eccle- Matth. 18. ſiam non audierit, iubetur nobis eſſe tamquam Ethnicus, & Publicanus. Et per Eccleſiam eo loco intelligitur Iudex Eccleſiaſticus in perſona Chriſti ligans, aut ſoluens, quod ligandum, aut ſoluendum eſt. Is enim, Luc. 10. qui dixit ad Euangeliſtas, & Paſtores Eccle- Matt. 18. ſiæ: Qui vos audit me audit. Qui vos ſpernit, me ſpernit, dixit etiam. Qui Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus. Idem ergo eſt audire Eccleſiam, quòd Paſtores Eccleſiæ audire. Immò in eodem ipſo loco, vbi Dominus eum tamquam Ethnicum haberi iuſſit, qui Eccleſiam non audiret, ad Apoſtolos dixit, Amen dico vobis, quæcumque ligaueritis, aut ſolueritis ſuper terram, erunt ligata, aut ſoluta & in Cœlis: tamquam ſi diceret, Cùm Eccleſiam dixi audiendam, nihil aliud dixi, quàm vos eſſe audiendos.

Quid, quòd promiſſio, tam in vetere, 10. Ratio. quàm in nouo Teſtamento non regibus, aut Deut. 12. eorum ſemini, ſed Leuitis, & Sacerdotibus facta eſt, vt illis adhærerent, quicumque ſalui eſſe vellent. Caue, inquit Moyſes, ne derelinquas Leuitam in omni tempore, quo verſaris in terra. Populus igitur Dei ad Sacerdotalem

talem

talem Tribum alligatur, quæ numquam de-
Ier.33. fectura apud Ieremiam denunciatur. Quin
Malach. 2. & Malachias dicit, Lex veritatis fuit in ore
Leui,& iniquitas non eſt ioocenta io labijs eius:
adeò, vt ipſe Chriſtus cum in Muodum veniſ-
Matt. 23. ſet, oou dubitauerit dicere, Super Cathedram
Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi; omnia
ergo quæcumque dixeriot vobis, ſeruate, &
facite. Quid ſimile vmquam de regibus di-
ctum eſt? Illi enim,& longè poſt Leoitas con-
ſtituros creari cęperuot, & à eapriuitate Ba-
bylooica vſque ad aliquot ſecula nulli omni-
nò fuerunt, vt omittam, quod plerique eo-
rum à Domino receſſerant, & apoſtatæ facti
3.Reg. 12. ſunt, vt Ieroboam, & poſteri eius omnes Sa-
mariæ Reges; itàque ſi Deus Eccleſiam ſuam
regibus adminiſtrandam dediſſet, ouem lupo
Matth. 28. commiſiſſet; in nouo etiam Teſtamenro ad
Matt. 18. Apoſtolos, & ad eos, qui poſt illos docerent,
ac baptizarent omnes geores, promiſſio facta
eſt, Chriſtum omnibus diebus eum illis futu-
rum vſque ad conſummationem ſeculi, &
omnia in Cœlo ſoluenda, & ligaoda, quæ il-
Matt. 16. li ſoluiſſeot, aut ligaſſent, & nominatim pro-
Luc.22. miſit Dominus Perro, quòd ſuper haoc pe-
tram ædificaret Eccleſiam ſuam, & portæ in-
feri oon præualerent aduersùs illam.

Pro illius enim fide Chriſtus rogauit,
eamque tam ſtabilem effecit, vt illum iuberet
etiam fratres ſuos confirmare. Quòd ſi pro-
miſſionem veracis Dei ſummo ſtudio nos am-
plecti oporter; vt implearur in nobis, qood
Abacuc prædixit,Iuſtus in fide ſua viuet; pro-
fectò adhætere nos oporret Paſtoribus, & Do-
ctoribus Eccleſiæ, ac præcipuè ipſi Petræ,
quam Chriſtus plautauit, ac ſtabilem oostra
cauſa effecit, vt ſemper eſſet, vnde confirma-
remur in fide vera. Nam ſi Chriſtianos Im-
peratores, & Reges animo, & oratione per-
currere volumus, videbimus, quàm aruudi-
neus baculus illi nobis fuiſſent.

Si Conſtantinus Magnus fuit fidelis, ta-
men præ ignorantia rerum Eccleſiaſticarum
partim iudicauit, cootrouerſiam, quæ inter
Catholicos, & Arianos de Chriſti diuinitate
erat eaeitara, rem non maximi ponderis ex-
titiſſe, vt ex epiſtola eius ad Aleſſandrum, &
Arium apparet; partim præ nimia eredulita-
te fidem perſoois non grauiſſimis adhibens,
& Athanaſium afflixit, & Ario tamquam Ca-
tholico, deceptus fauit. Iam verò filius eius
Cooſtaorius fuit apertè Arianus, & tamen
nobis huoc obtrudis, Aclere, pro ſummo Ec-
cleſiæ adminiſtratore? Niſi Chriſtus Eccleſiæ
ſuæ meliùs, quàm tu, conſuluiſſet, vtique vnà
cum ſummo capite ſuo iamdudum tota in
iofernum præcipitata eſſet.

Iulianum omitto, qui Conſtantio ſuc-
ceſſit: nam nec tu illi admiuiſtrationem Ec-
cleſiæ, opinor, dediſſes. Porrò, qui eum ſe-
quebantur Iouinianus, & Valentiuianus ſe-
nior, ſi Catholici fuerunt; non ne Valeoti-
niaoi frater Valens hæreticus erat? Si Gra-
tianus, & Theodoſius Eccleſiam Dei propu-
gnarunt; nonne Iuſtina Valentiniani iunioris
mater eandem afflixit? Si Theodoſius iuoior,
& Martianus fidem magoo ſtudio proſexe-
runt, eandem Zeno per ſimulatum illud vnio-
nis, & pacificationis edictum labefactare,
Anaſtaſios verò Enthychianis fauens apertè,
prorsùs euertere conatus eſt. Si Iuſtinus, &
Tiberius Secundus Catholici; Iuſtiniaous Eu-
tychianæ hęreſis ſuſpectus, Heraclius autem
apertus Monothelita habitus eſt.

Conſtantious Heraclij filius pietatis cul-
tor; Couſtans eiuſdem nepos veritais perſe-
curor fuit, Conſtantinus Pogonatus Heraclij
pronepos, ſextam catholicam Synodum pro-
pugnauit; Iuſtinianus Heraclij abnepos ean-
dem (pſeudoſynodo indicta) oppugnauit,
cuius impietatem Philippicus Bardanus, Leo
Icouomachus, & Couſtaotious Copronymos
imitati ſuot. Cootra verò ab eadem hæreſi
Artemius, Theodoſius Atramyrenus, & Irene
abhorruerunt. Quid ergo eſt Aclere, nonne
ſi Regibus Chriſtianis rerum Eccleſiaſticarum
principatus creditos fuiſſet; actum peoirùs eſ-
ſet de Eccleſia? Nam ſi Eccleſiaſticam hiſto-
riam eooluas,inueoies his omnibus monſtris,
tum cæteros Epiſcopos, tum præcipuè Ro- 3. Reg. 1.
manum ſe oppoſuiſſe, atque ea ratione fidem & 12.
io Eccleſia conſeruatam eſſe.

Sine controuerſia, ſi Deus vmquam ea 11.Ratio.
mente fuiſſet, vt vellet Reges rerum Eccleſia-
ſticarum ſummam habere poteſtatem, feciſſet
(id, quod ipſi factu facillimom erat) vt Re-
ges primi omuium in Chriſtum crederent, pri-
mi aliorum ad Chriſtum conuerſiooem expe-
terent, primi Euangelium alijs aununciarent,
primi eos, qui crederent in Chriſtum bapti-
zarent, primi tam in Iudaico, quàm in gen-
tium populis Eccleſiam plantarent,nec eorum
fides voquam deficeret; quin & fratres eonfir-
mare iuberentur, vt iſto modo, & primitiæ
humaoi generis in credendo fierent, & ma-
tres credentium io coocipieudo ſanctum de-
ſiderium conuerſionis aliorum, & Patres in
ſeminando eis verbum Dei, & fuodamenta
Eccleſiæ in ædificando fideles populos ſupra
fidem ſuam, & radices in portaodo nouos
populorum ſurculos quotidie ioſereodos, &
ſummi Paſtores in paſcendo, & diſtribuendo
vnicuique menſuram ſuam. Iſta eoim ratio-
ne ceſſarent argumenta omnia, quæ nunc in
Scripturis ſacris aduerſaotur huic ficto Re-
gum principatui. 12.Ratio.

Nunc autem cùm Eccleſia Chriſti aliquot
ſeculis conſtituta fuerit, antequam vlli Reges
fierent Chriſtiani, vel ſumma illa imperandi
Eccleſiæ poreſtas, quam nunc Regibus Aclere
veodicas; nullibi omnioò, vel certè penès
Epiſcopos.& Paſtores Eccleſiæ Dei fuit. Nam
Imperatores, qui eo tempore ſummam rerum
io ſeculo moderabantur, adeò non admini-
ſtrabant Eccleſiam, vt eam potiùs perſeque-
rentur, & vaſtarent. Summum igitur illud
eccleſiaſticum Imperium, ſi nullibi omninò
extitit, vt tunc ioane, & ſuperuacaneum fuit,
ſic etiam inane adhùc eſt. Eccleſia enim
Chriſti tribus illis prioribus ſeculis nulla re
neceſſaria caruit, cùm eſſet plenitudo Chriſti
omoia io omnibus adimplentis, vt Apoſto- Epheſ.1.
lus ait: Sic illud ſummom Imperiom, qood
Chriſtiaoi reges in Eccleſiam ſibi nunc arro-
gaot, ſuperuacaneom, nec olim fuit, oec ad-
hùc eſt: vtique cùm in regibus paganis, qui Epheſ.4.
tunc imperabant, eſſe non potuerit, in Apo-
ſtolis primùm,ac deindè in Epiſcopis, & alijs
Paſtoribus fuerit,neceſsè eſt. Quæ igitur pręfe-
fectura ſemèl fuit Apoſtolorum, & Pontifi-
cum, qoi ſucceſſeruot Apoſtolis; quo iure, Matt 18.
vel Epiſcopis adempta, vel ad reges Chriſtia-
nos

nos eſt tranſlata? Nam ſi Chriſtiani Reges
numquam facti ſunt Epiſcopi, non video, quo
pacto quicquam Epiſcopalis auctoritatis ad
Reges Chriſtianos tranſire potuerit; quantò
ſecuriùs Prophetarum oraculis, quàm tuis
ineptijs fidem, Aclere, habebimus? Illi au-
13. Ratio. tem nihil minùs, quàm quod tu doces, do-
cuerunt.

Eſ.49.&60 Nam Eſaias prædixit, reges in ſplendore
Chriſti ambulantes, hoc eſt, Chriſtianos, Dei
ciuitatem, vtique Chriſti Eccleſiam, adora-
turos vultu in terram demiſſo, & adoraturus
veſtigia pedum illius; adeò vt regnum, quod
Eccleſiæ non ſeruiret, periturum eſſet: nonne
qui iure adoratur ab altero, maior eſt illo, qui
adorat illum? Quare, cum Eccleſia Chriſti
quibuſuis Regibus tantò maior ſit, vt illi eam
adorare debeant; quomodò fieri poteſt, vt
Rex ad ſumma Eccleſiæ gubernacula ſedeat?
Ius enim gentium eſt hoc, vt omnes populi
adorent ſummos Præfectos ſuos.

Itáque ſi Rex Chriſtianus Eccleſiam in
ſummo gradu adminiſtraret, Eccleſia ipſum
Eſai.60. adoratura eſſet, quam nunc ipſe à Chriſto il-
luminatus, dicitur adoraturus. Illi ergo Re-
ges, qui ſumunt ſibi, vt Eccleſiam proximè
ſecundùm Deum ipſum adminiſtrent, non
ambulant in Chriſti lumine, ſed à Diabolo
principe tenebrarum excæcantur. Quid Pro-
phetas perſcrutor?

14. Ratio. Ipſum naturæ lumen in te requiro, Acle-
Rom. 13. re: nàm quemadmodùm in ſocietate humana
per æterna quædam honoris, & adminiſtra-
tionis ſigna facilè intelligitur, quis in ea pri-
mum dignitatis locum teneat, is videlicet,
qui gladium, ſecurim, faces, aut ſceptrum
portat, qui purpura induitur, quem ſatelli-
tes cingunt, populi adorant, Principes dedu-
cunt, qui reis dat veniam, afflictis ius vltimum
reddit, denique cui omnes deferunt, & obe-
Matt.10. diunt; eodem modo in Dei Ciuitate non
difficulter cognoſci poteſt, quis Deo, &
Matt. 16. Chriſto, in cauſis Dei maximè appropinquet,
quis primus Apoſtolorum, aut Epiſcoporum
ſit; quis claues Regni Cœlorum portet, quis
Marc. 13. Cathedram Petri teneat, quis vltimo loco li-
get, aut ſoluat, quis in ſumma Eccleſiæ ſpe-
cula tamquam ianitor vigilet, quis Epiſcopos
Ioann.21. ad Euangelizandum in Orbem vniuerſum
mittat, quis eiſdem ad Synodos conuocatis
Luc. 22. velut Paſtor præſit, ad quem maxima quæque
negotia Eccleſiæ, & appellationes vltimæ in
cauſis fidei (eo quòd fides eius non deficiat)
meritò deferantur, aduerſùs quem portæ in-
Matt.16. feri numquam præualuerint; quis denique
totum corpus Eccleſiæ per totum Orbem
Ioann.10. diffuſum, & propagatum in vnum velut ouile
per communicatorias literas ſuas colligat,
& adunet, ſegregans Orthodoxos ab Hære-
Epheſ. 4. ticis, Catholicos à Schiſmaticis, lupos ab
ouibus, & agnis, vt ſit vna fides, vnum Bap-
tiſma, & Paſtor vnus Eccleſiam Chriſti ſuſten-
tans, confirmans, & paſcens vſque ad con-
ſummationem ſeculi.

Ioann. 10. Hæc Apoſtolatus Eccleſiaſtici Euange-
& 21. lica ſigna ſi penès Chriſtianos Reges omni
ætate fuerunt, & adhùc ſunt; dicas, licet,
Aclere, illos Eccleſiæ ſumma gubernacula
tenuiſſe. Sin tu ipſe fatearis illos, nec mini-
mum quidem ex omnibus Chriſti Sacramen-
tis poſſe ritè, atque ordine adminiſtrare, eò
quòd ad tantam dignitatem aſſumpti, & con-
ſecrati non ſint; non minùs inepta eſt, & à
communi ſenſu abhorrens tua opinio, quæ
dicit, adminiſtrationem Eccleſiæ Regibus
Chriſtianis à Deo tributam eſſe, quàm ſi quis
diceret Angliæ Regnum in ciuilibus cauſis
non à Rege, qui pro tempore præfuit guber-
natum eſſe, aut ſaltem gubernari debuiſſe,
verùm ab opifice, aut agricola, neſcio quo.

Quis enim putet eum ſanæ mentis eſſe,
qui cum fateatur (quod ad Teſtamentum ve- Hebr. 9.
tus attinet) ſolùm Pontificem in ſancta San-
ctorum intraſſe, Regem verò foris manſiſſe,
itemque digniorem hoſtiam pro Sacerdote, Leuit. 4.
quàm pro Principe populi oblatam, pro Sa-
cerdote vitulum, pro Principe hircum de ca-
pris: tamen contendat, Regem in ſacris re-
bus, & cauſis Diuinis Pontifice maiorem, &
ſuperiorem extitiſſe?

Quis etiam vllo iudicio, aut ratione
præditum eſſe illum arbitretur, qui & conce-
dat, Reges Chriſtianos non poſſe aut Euange-
lium prædicare, aut Euchariſtiam conficere,
aut peccata remittere, aut quicquam Eccle-
ſiaſticum facere: tamen dicat, ſcribat, argu-
mentetur, Chriſtianos Reges ipſis Epiſcopis
in Eccleſia adminiſtranda præeſſe debere?

Quid ergo? an hoc appellas Eccleſiam
adminiſtrare, nihil eorum, quibus Eccleſiæ in
Chriſti nomine miniſtratur, adminiſtrare
poſſe? Miniſter, & adminiſtrator vtrùm à mi-
niſterio, & adminiſtratione vocem ſuam, ap-
pellationemque ſortita non ſunt? Sic nos exi-
ſtimet homo, inquit Paulus, vt miniſtros 1.Cor.4.
Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum eius.

Qui ergo eſt adminiſtrator Eccleſiæ, id
vtique eſt, quia Chriſti miniſter eſt; & qui ad-
miniſter, ſeu adminiſtrator Chriſti eſt, myſte-
ria Chriſti diſpenſat, nempè Dei verbum,
Euchariſtiam, & remiſſionem peccatorum.
Sed nihil horum diſpenſat Rex Chriſtianus,
idque tu ipſe fateris.

Non eſt igitur Eccleſiæ vllus omninò ne
dùm ſummus, & præcipuus adminiſtrator.
Dicam planiùs: Tu concedis, Reges Chriſtia- 15. Ratio.
nos non poſſe Chriſti Sacramenta plebi Chri-
ſtianæ adminiſtrare. Cæterùm Eccleſia ipſa
maximum eſt, & intimum Chriſti Sacramen-
tum; non poſſunt igitur Chriſtiani Reges ip-
ſam Eccleſiam Chriſti adminiſtrare. Omnia
enim Chriſti Sacramenta eò tendunt, vt in-
carnationis, mortis, & reſurrectionis Chriſti
beneficia, ipſi Eccleſiæ Dei tum ſignificent, Epheſ.5.
tum impertiant. Nàm Chriſtus ſeipſum tra-
didit pro Eccleſia, vt illam ſanctificaret,
mundans eam lauacro aquæ in verbo, vt ex-
hiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam non ha-
bentem maculam, aut rugam. Vndè Apo-
ſtolus viri, & mulieris coniunctionem ma-
gnum Sacramentum eſſe dicit in Chriſto, &
in Eccleſia.

Cùm igitur ſanctificatio Eccleſiæ ſit om-
nium Sacramentorum finis, reſque ipſa, quàm
Deus in omnium Sacramentorum collatione
potiſſimùm ſibi proponit; neſcio cuius im-
pudentiæ eſt, vt dicas, Reges Chriſtianos, qui
nec minimum ex omnibus Sacramentis po-
pulo diſpenſare poſſunt, tamen poſſe maxi-
mum illud auguſtiſſimum, & ſacratiſſimum
Dei Sacramentum (quod eſt ipſa Eccleſia) in
ſummo imperij gradu adminiſtrare: quod

perin-

perindè eſt, ac ſi dicas, eum, qui non poteſt in
ſancta, immò nec in atrium exterius ingredi,
poſſe tamen in ſancta Sanctorum intrare; aut
eum, qui ab vltimis finibus ædium ſponſi arcetur,
poſſe in ipſum thalamum ſponſæ penetrare.

Eccleſia enim Chriſti verè Sanctum illud
Sanctorum eſt, ad cuius ſummam adminiſtrationem,
non laici, non Leuitæ, non Sacerdotes,
filij Aaronis; ſed ſolus Pontifex ſummus,
Heb.5.& 9. quem Deus tamquam ipſum Aaron vocauit,
ſemel in anno ingreditur, non ſine ſanguine,
quem pro ſua, & populi ignorantia offert.
Qui habet ſponſam ſponſus eſt; amicus autem
Ioann.3. ſponſi audit vocem eius, & gaudet. Sponſus
eſt Chriſtus, Sponſa Eccleſia, in dote Eccleſię
ſunt Sacramenta Chriſti. Qui ergo non admittuntur,
vt vel externam Eccleſiæ dotem
adminiſtrent, eos tu Aclere ad ſponſam ipſam
in ſummo imperij gradu regendam ingeris,
& præcipitas? Vide ne amicus ſponſi non
ſis.

Certè cum opera Dei ſint perfecta, nec
16. Ratio. fieri vnquam poſſit, vt prohibeat ſummo capiti
ea facere, quæ ad ſummi capitis officium
inſigniter ſpectant; Cœlum, & terra potiùs
tranſierit, quàm vt verum eſſe queat, Eccleſiæ
adminiſtrationem Regibus à Deo tributam
Heb.1.& 3. eſſe. Numquid enim Chriſtus veriſſimè, ac
ſupra homines omnes, & Angelos caput Eccleſiæ,
ac ſummus eiuſdem adminiſtrator non
fuit? An ergo aliud, quàm ſummi capitis of-
Luc. 22. ficium præſtitit, aut præſtare potuit? Chriſtus
verò an Sacramentum Euchariſtiæ non & ſuo
ore confecit, & ſuis manibus diſtribuit, & ab
Apoſtolis idem fieri iuſſit? Adminiſtratio igitur
Euchariſtiæ non poteſt à ſummi capitis
officio aliena eſſe.

Verùm tu, Aclere, dicis, Reges Chriſtianos
Eccleſiæ Chriſti ſumma capita eſſe, &
eadem fateris, non eſſe conceſſam illis poteſtatem
conficiendi, & adminiſtrandi Euchariſtiam;
immò expreſsè legitur in ſcripturis
2.Parali.26. prohibitum Regibus fidem Chriſti colentibus,
ne adolerent incenſum, adeò vt Deus
Oziam id aggredi auſum, lepra percuteret.
Somnium igitur, immò idolum, & hæreſis
blaſphema eſt, cùm dicis, Reges tuos acce-
17. Ratio. piſſe à Deo poteſtatem adminiſtrandi Eccleſiam
in ſacris, & Eccleſiaſticis cauſis. Nonne
maior eſt, qui alium ligatum iure ſuo ſoluit,
& dimittit, quàm is, qui ligatus erat?

In ciuilibus cauſis Rex, quem vult, in
cuſtodiam inijcit, & quem vult, liberum dimittit.
At cùm in Deum peccauerit, non ſolùm
alieno iudicio (vt & ſummus Pontifex)
Matth. 18. ſoluitur, aut ligatur; ſed etiam aliena pote-
Ioann. 20. ſtate ſoluitur, & ligatur, quod ſummo Pontifici
non accidit.

Poteſtas enim illius, qui ſummum Pontificem
ſoluit, ab ipſo Pontifice accepta eſt,
Matth. 3. ſicuti poteſtas, qua Ioannes Chriſtum baptizauit,
ab ipſo Chriſto collata fuit. Cæterùm
nec tu das Regi tuo poteſtatem ligandi, &
ſoluendi.

Cùm igitur alterius poteſtate abſoluatur,
vt peccata ſua illi remittantur: cùmque
remiſſio peccatorum præcipuus quidam fructus
paſſionis Chriſti ſit, & inſignem Eccleſiæ
adminiſtrationem comprehendat; non poteſt
fieri (quod tamen tu affirmas) vt Rex tam in
ſacris cauſis Eccleſiam adminiſtret, quàm in
ciuilibus Rempublicam.

In ciuilibus enim cauſis omnia poteſt
ligare, & ſoluere abſque vlla reſtrictione, aut
interdictione ſuperioris alicuius poteſtatis.

Quòd ſi peccata Regis, aut Reginæ ta-
lia ſint, vt ea nullo modo emendare velint; 18. Ratio.
nonne per miniſtros Chriſti ex Eccleſia ità
eijciendi ſunt, vt nullum in ea locum omninò,
ne dùm primum, & ſummum occupent?
Cùm enim Chriſtus omnium vniuerſalis Me- Matth 9.
dicus, non modò aliorum hominum; ſed etiã
Regum morbis medicinam exhibeat, illius
verò medicina in fraterna correctione conſi-
ſtat, cuius vltimus gradus eſt, vt qui Eccle-
ſiam non audit, fiat nobis tamquam ethni- Matt. 18.
cus, & publicanus; profectò ſi Reges Chri-
ſtiani Eccleſiam non audiunt, excommuni-
candi ſunt, & Sathanæ tradendi, vt ſi vllo
vnquam modo, ſaltem iſto reſipiſcant. Aut Hebr.12.
ſoli Reges extrà diſciplinam ſunt, cuius par-
ticipes facti ſunt omnes, ergo adulteri ſunt,
& non filij. Sin & illi poſſunt ex Eccleſia eij-
ci, quomodò ſummum in Eccleſia obtinent
imperium? Vtrùm Ambroſius Theodoſium
Imperatorem, & Innocentius Arcadium
communione ſacrorum non interdixit? Quod
idem de infinitis alijs Regibus Chriſtianis
doceri poſſet. Sicut autem Sara maior fuit Gal. 4.
ancilla, & filio eius, quem ex domo ſua eie-
cit; ſic maior eſt Eccleſia, & miniſter Eccleſię
illis Regibus Chriſtianis, quos excommuni-
cat. Tamen ne Reges Chriſtiani rerum in
Diuinis gerendarum ſummam moderatio-
nem tenent?

Alia multa ſunt, Aclere, quibus hæc tua
hæreſis accommodatiſſimè refelli poſſet, quæ
ſuis poſteà locis proferentur. Nunc audiamus,
qualem tu primatum tuis Regibus tri-
buas.

CAP. III.

Quàm inertem, mutum, cæcum, impotentem, arrogantem, cruentem, ineptum, denique blaſphemum primatum Regibus ſuis Chriſtianis à Deo in Chriſti Eccleſiam tributum Aclerus mentiatur.

NOſtri Principes, inquit Acletus, non
tractant ſacra, non verbum Diuinum
pro concionibus populo nunciant, non Sa-
cramenta, & ritus Eccleſiaſticos populo mi-
niſtrant, Pontificatus, aut Sacerdotia non
gerunt, Eccleſiaſtica iudicia non exercent,
cenſuras in delinquentes non proferunt; ſed
hæc ipſa à Pontificibus, & Sacerdotibus, cùm
opus eſt, auctoritate Regia fieri iubent.
Hæc ille.

Si Principes tui cum ſeipſos capita, &
adminiſtratores Eccleſiæ vocent, nihil horum,
quæ ad Eccleſiam adminiſtrandam præ-
cipuè ſpectant, faciunt, aut miniſtrant; non
temerè dico eos inertem, & deſidem quen-
dam primatum obtinere. Onera enim grauia
(inſtar Phariſæorum) in Cleri humeros im- Matt.23.
ponunt, digito autem ſuo nolunt ea mo-

uere. Dicunt enim, & non faciunt.

Deindè cùm verbum Diuinum pro concionibus populo non annuncient; dico, eos mutum quendam primatum adminiſtrare, & vſque adeò mutum, vt Regina tua non modò
1.Cor.14. concionari, ſed etiam loqui in Eccleſia prohibeatur. Eſt ergo canis muta, non valens
1. Tim.2. latrare. Canis quidem, quia hoc ſumit ſibi vt Eccleſiam adminiſtret, vt ouile Domini
Eſa. 56. cuſtodiat, vt fures, & latrones arceat; muta verò quoniam non latrat, non prędicat Euangelium, non loquitur; addo etiam, non valens latrare: quoniam & ſi maximè loqui, & latrare vellet, tamen non ſolùm neſcit quomodò latret, ſed etiam iure Diuino latrare prohi-
1.Cor.14. betur. Numquam igitur à Mundo condito veriùs impleta fuit prophetia Eſaiæ de canibus mutis, quàm in hoc genere primatus, quod tu, Aclere, poſuiſti.

Dico, eundem Reginæ tuæ primatum etiam cœcum eſſe; quia, vt verbum Dei populo non annunciat, & iudicia Eccleſiaſtica non exercet; ſic neque cathedram, ſeu clauem ſcientiæ ex dono Dei obtinet, quo ſaltem ſciat, vel officij ſui exiſtat, vt ſciat, quid populo annunciari debeat.

Alijs enim rebus ex officio ſuo vacare cogitur, videlicet, vt populum in ciuilibus cauſis iudicet, & bella eius gerat, aliaque opera, quæ ad Regis officium pertinent, adminiſtret. Sacerdotum verò eſt, & Paſtorum
1. Reg 8. ſcientiam Diuinæ legis tam ſibi habere, quàm
2. Paral.19. alijs tradere, dicente Domino apud Prophe-
Ezech. 44. tam Ezechielem, Sacerdotes populum meum docebunt, quid ſit inter ſanctum, & pollutum.

Oſeæ 4. Et apud Oſeam: Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te ne Sacerdotio fungaris mihi.

Malach. 2. Denique apud Malachiam, Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt. Rex autem poſtquam ſederit
Deut. 17. in ſolio regni ſui, iubetur deſcribere ſibi Deuteronomium legis Dei, accepto exemplari à Sacerdotibus leuiticæ tribus. Sicut autem, qui gladium à rege accipit, eo ipſo fatetur ſe in poteſtate gladij minorem illo eſſe, à quo illum accipit; ſic & rex cum exemplar non ipſe det Sacerdotibus leuiticæ tribus, verùm ab illis accipiat, eò ipſo fatetur ſe in jis, quæ legis Dei ſunt, minorem ijſdem Sacerdotibus eſſe.

Deut. 17. Vndè vſus acceptæ legis non eſt, vt deinceps rex, vel doceat, vel iudicet de controuerſijs legis Domini, ſed (vt ibidem adiungitur) vt diſcat timere Dominum Deum ſuum, & cuſtodire verba, & cæremonias eius, quæ in lege præcepta ſunt. Regis eſt diſcere, non docere: cuſtodire præcepta, non cuſtodire ſcientiam præcipiendi, quæ Sacerdotum propria erat.

Exod.28. Vndè Summus Pontifex habebat ex præſcripto Dei, Vrim, & Thummira, ideſt, doctrinam, & veritatem, ſeu lumen, & plenitudinem in rationali iudicij poſitam, vt quando ingrediebatur coram Domino, geſtaret iudicium filiorum Iſrael in pectore ſuo, in conſpectu Domini ſemper. Cur ergo dicas, Aclere, Principes tuos auctoritate regia iubere, vt ſacramenta populo miniſtrentur, & verbum Dei annuncietur; qui tamen clauem ſcientiæ ſibi diuinitùs commiſſam non ha-
beant; neceſſe eſt hunc Primatum valdè cæ- Luc. 11.
cum exiſtere: Vndè cum cæcus cæcum ducat, ambo in foueam cadunt.

Præcipit enim rex id fieri, quod an rectè ſtat, prorsùs ignorat. Quòd ſi eum à Paſtoribus, & Doctoribus Eccleſiæ, quid præcipere debeat, erudiendum eſſe dices, multò ſanè præclariùs diceres, non regi, ſed ijſdem Paſtoribus, & Doctoribus ſummam præcipiendi poteſtatem commiſſam eſſe. Deus enim, qui Exod. 4.
fecit os hominis, qui fabricatus eſt mutum, & ſurdum, videntem, & cæcum, nemini dat Matth. 10.
mutam, & cæcam poteſtatem, ſed eſt in ore illius, quem mittit, docetque eum, quid loquatur. Itàque ſi Deus reges ad Eccleſiam adminiſtrandam miſiſſet, reges ipſos curaſſet omnia ſcientia Eccleſiaſtica inſtruendos, quæ nunc vſque eò priuati ſunt, vt vix vllum genus hominum longiùs à ſcripturarum, aut canonum ſacrorũ peritia, quàm reges abeſſe videantur. Neque mirùm, quam plerique ca- 2. Tim.2.
nones in hoc ſunt conditi, vt eos, qui Deo militant, à curijs regum, & ſecularibus Aulicorum negotijs ad magis ſpiritalem viuendi modum reuocent, & reducant.

Quid verò, quòd hic tuus Primatus, Aclere, non ſolùm nihil agit, nihil dicit, nihil nouit, ſed etiam nihil eorum omninò, quibus præficitur, adminiſtrare poteſt.

Tu dicis, Principes tuos non tractare ſacra, non Euangelizare, non miniſtrare ſacramenta, non exercere iudicia Eccleſiaſtica: ſed tamen ità hoc totum exprimis, tamquam non audens rem ipſam apertè eloqui. Pudet enim te fateri, quòd capita Eccleſiæ tuæ non poſſunt tractare ſacra, non poſſunt concionari, non poſſunt ſacramenta miniſtrare, aut cenſuras in delinquentes proferre: Sed cum re vera nihil horum poſſint facere, propterea, quòd nec ad huiuſmodi miniſterium ſegregati, nec manus illis ad has res Act. 6. & 13.
tractandas impoſitæ ſunt, vides quanta ratione talem primatum dicam impotentem, 1. Tim. 4.
egenum, imbecillem. Qualis enim ſuprema poteſtas illa eſt, quæ infirmior, & abiectior 2. Tim. 1.
exiſtit, quàm vt, non dico, fungatur, ſed præ- Rom. 10.
tereà poſſit fungi, aut Diaconi, aut Exorci- Ierem. 23.
ſtæ, aut Lectoris munere? Quomodò enim Ioann. 10.
quidquam horum faciet, niſi mittatur? nam quotquot antequam mittantur, currunt; fures ſunt, & latrones.

Porrò cum Principes tui tam parum, aut potiùs nihil in Dei cauſis facere poſſint, & tamen auctoritate regia hæc omnia fieri iubeant; nonnè huiuſmodi primatum rectè vocauerim arrogantem? Quid enim poteſt fingi arrogantius, quàm vbi iure ipſo nihil poſſis ipſe facere, ibi alijs omnia præcipere? Principes tui non poſſunt tractare ſacra, non verbum, non ſacramenta, non quidquam Eccleſiaſticum diſpenſare: ſed poſſunt inquis, auctoritate regia ijs, qui Eccleſiaſtica poteſtate prædici ſunt, imperare, vt hæc omnia faciant: Ne tu imperioſum nobis primatum parturiuiſti. Pauperem ſuperbum, in- Eccl. 25.
quit Eccleſiaſticus, odit anima mea. Quid eo in cauſis Eccleſiaſticis pauperius, qui nihil omninò ſacri gerere, aut tractare poteſt? quid eodem ſuperbius, qui tamquam in omnia ſacra poteſtatem acceſſiſſet, omnia illis impe-

imperat, quibus non ipſe, verùm Deus poteſtatem ſacrorum credidit? Addidi, hunc tuum primatum etiam cruentem eſse, quod ità ſe habere, tua ipſius verba conuincent Aclere.

Si quid, inquit Aclerus, Pontifices, aut Sacerdotes in ſuis muneribus perperam committant, nec ordinarijs iudicijs pareant, reges iure ſuo regio caſtigant eos, monent, atque increpant. Hæc ille.

Regem Pontifices, & Sacerdotes ordinarijs Epiſcoporum iudicijs non auſculantes, iure ſuo regio caſtigare, nihil eſt aliud, quàm gladio in eos vindicare. Nam alias pœnas præter mutilationes membrorum, & mortis illationem, ordinaria Epiſcoporum iudicia

1. Cor. 5. infligunt, ſicut Paulus fornicatorem Corinthium Sathanæ tradidit in vexationem corporis, vt Spiritus ſaluus fieret in die Domini: ſed vbi deſinet caſtigatio Eccleſiaſtica, ibi vult Aclerus, regium primatum inchoare. Vult igitur vt rex Epiſcopos ordinarijs iudicijs non ſubiectos, gladio feriat. Tandem Aclerus aliquid in medium protulit, quòd rex non tantùm præcipere, verùm, & ſuis manibus exequi poſſe videatur: nempè vt tortoris, aut carnificis officio in Sacerdotibus Dei occidendis fungatur, ne ſine cauſa gladium

Rom. 13. portet. Non dico, Aclere, aut Regem neceſſariò debere, aut te omninò id cogitaſſe; vt deberet, ſuis manibus Epiſcopos, & Dei Sacerdotes inſtar Doeg Idumæi occidere.

1. Reg. 22. Sed animaduertere, quòd cætera, quæ nominaſti ſub executionem iuris regij te ipſo auctore non cadunt, hoc verò ſolùm cadit. Sacra non tractant reges, vt tu dicis, verbum Dei non annunciant, nec quidquam Eccleſiaſticorum munerum ipſi per ſe obeunt, vt tu fateris. Epiſcopos verò ſuis manibus interfi-

Exod. 12. cere, etſi non debeant (quia filij parentes ſuos honorare, non è medio tollere iubentur) tamen ſi volunt, ſecundùm te poſſunt.

Secundùm te inquam, qui fateris reges non poſſe tractare ſacra, nec gerere Sacerdotia, ſed poſſe caſtigare Dei Sacerdotes officio ſuo non fungentes.

In cæteris ergo rebus talem regis tui primatum confinxiſti, vt omnia imperare potuerit, & nihil eorum, quæ imperat gerere. In occidendo autem Sacerdotes, non modò imperare ſecundùm te, verùm & ſuis manibus, quod imperandum iudicat, exequi poteſt. Perfectum igitur tui regis in Eccleſia Dei primatum in alia re nulla conſtituis, præterquàm in occidendis Sacerdotibus Dei. Nam Primatus, qui tantùm imperat, & nullo modo per legem Dei poteſt exequi, & perficere id, quod imperauit, neceſsariò eſt imperfectus. Alioqui iure ſaltem facere poſset hoc ipſum, quod imperat: poſset, inquam, iuris auctoritate id facere: licèt aliàs ab eo faciendo ex occaſione impediretur, ſicuti legimus Deum dixiſse, & mox factum eſse, quod dicebat, mandaſse; & creata fuiſse, quæ

Pſalm. 148. voluit. Quædam enim per ſe ipſum Deus fa-

Eſa. 7. cit, quædam per miniſtros ſuos: Verùm ità per hos, vt ſi fortè illi nolint Dei mandato parere: tamen Deus, abſque illis quidquid vult, faciat.

Ità cum Achaz etiam quando iubeba-

1. Reg. 15. tur, nollet à Deo ſignum petere; Dominus ipſe dedit ei ſignum, vt oſtenderet, quàm facilè poſset ipſum ab hoſtibus liberare. Samuel etiam cum vidit Saulem non occidiſse regem Agag, ſicut Deus præceperat, ipſemet illum occidit. Qui verò iubet aliquid ab altero fieri, cumque nemo alius id velit facere, ne ipſe quidem id exequi, etiamſi velit, per legem Dei poteſt; ſimilis eſt homini parùm Luc. 14. conſiderato, qui priùs fundamenta turris iecit, quàm computaſset, vtrùm ſumptus ad eam exædificandam neceſsarios haberet necne, & omnes, qui vident, incipient illudere ei, dicentes; hic homo cœpit ædificare, & non potuit conſummare. Quapropter cum Primatus, qui perficere, quod inchoauit, non poteſt, adeò ſit imperfectus, vt certum ſit, Deum, cuius perfecta ſunt opera, eiuſmodi primiatum non inſtituiſse; omninò efficitur, vt primus perfecti primatus regij gradus in Deut. 32. eo rerum genere, quod ab ipſo rege perfici poteſt, verſetur. Ex quo relinquitur, cum ex tua ſententia rex nihil aliud perfectè in Eccleſia, & imperare, & exequi per ſe poſſit, præterquam vt Dei Sacerdotes occidat, in Sacerdotes occidendo ſummus ille primatus, quem regi tribuis, maximè cernatur, & conſiſtar.

Hoc enim iure Henricus VIII. Eccleſiæ tuæ primas Ioannē Epiſc. Roffenſem Orbis Chriſtiani lumen, multoſque reuerendos Abbates Monachos. & Presbyteros neci dedit. Hæc tu, Aclere, perpulchrum regibus tuis primatum excogitaſti, bellè inertem, mutum, cæcum, egregiè impotentem, ſpecioſè arrogantem, perfectè cruentem, propriè ineptum. Tu ipſe iudicato ex his etiam, quæ ſequuntur.

Chriſtiani reges, inquit Aclerus, Pontifices, & Sacerdotes ad Concilia compellebant, quibus tamen ipſi Reges intereſse nolebant: ſed eos de rebus Eccleſiaſticis ſeorſim à populo agere, ſtatuere, ac decernere permittebant. Hæc ille.

Quàm eleganter iſta cohærent? Qui compulit Epiſcopos, vt ad Concilia coirent, an poſteà permiſit, vt de rebus Eccleſiaſticis ſtatuerent, ac decernerent? Qui vim, aut metum in conuocando adhibuit, niſi gladium ſui Primatus, quem ſemel in Epiſcopos vibrauit, in vaginam repoſuiſse meridiana luce clarius probetur; nonnè eadem vi, metuque vſus putabitur in compellendis Epiſcopis, vt de rebus Eccleſiaſticis regio arbitratu ſtatuerent, ac decernerent? Fruſtrà contendis, permiſsos, vt decernerent, quos præmittis compulſos, vt venirent. Imperatorium, inquit Athanaſius, negotium non Synodale haberi debet, vbi Imperatoria edicta, quos ipſi volunt, coire compellunt. Hæc ille.

Nunc autem perpende tecum pauliſper, Aclere, quàm audacter, non modò talem hunc primatum in medium attuleris, verùm etiam à Deo fabricatum affirmaris. Nimiùm profectò blaſphæmè putas, Deum, & Regibus Chriſtianis præcepiſse, vt Eccleſiam adminiſtrarent, & iiſdem prohibuiſse, ne illa officia, quæ ad miniſterium Eccleſiaſticum propriè ſpectant, gererent, atque adminiſtrarent. Nonnè hoc perindè ſe habet, ac ſi rex aliquem ex optimatibus ſuis iuberet exercitui præeſse, eidemque ſub pœna capitis vetaret, ne aciem aliquando inſtrueret, ne teſseram mili-

militibus daret, ne excubias diſponeret, ne vè ad milites verba ipſe faceret, ſed tantùm hæc ab alijs fieri præciperet? Nam ſi ad Imperatoris officium pertinet, milites, & verbo ad pugnam ineundam excitare, & opere in ſua loca opportuna diſtribuere: profectò etiã Ioan. 21. Act. 6. & 13. ad Summi capitis Eccleſiaſtici munus pertinet, eos, qui Deo militant, & concionibus paſcere, & manibus impoſitis ad ſua quemque munera conſecrare. Si ergo regem illum pro inſano habiturus eſses, Aclere, qui eum virum, quem exercitus ſui Ducem Summum conſtituiſset, ſub pœna capitis vetaret aciem inſtruere, aut milites ore ſuo ad pugnam incitare: neque ſub tali Duce rem præclarè geri poſse iudicares, tamen ne quod hominibus Malach. 1. indignum eſt, Deo tribuis? Quod in prophana Republica turpiter inſtitui concederes, hoc in ſancta Dei ciuitate neceſsariò obſeruandum ſtatuis? O blaſphemas cogitationes 1. Cor. 1. tuas. Væ mihi, ait Paulus, ſi non euangelizauero. Et tu nobis reginam tuam, hoc eſt, tale Summum Eccleſiæ caput aſſignas, cui dicendum verè ſit, Væ tibi, ſi euangelizas?

CAP. IV.

Primatum illum Eccleſiaſticum, quem Regibus ſuis à Deo tributum Aclerus dicit, Antichriſtianum eſſe, eò quòd facta, inſtituta, doctrinam, totumque Chriſti conſilium, & aſſumptæ carnis myſterium oppugnet.

VNus eſt Dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum, talis 1. Cor. 8. verò præfectura, quæ licèt adminiſtrare ſacra Dei myſteria non poſſet, tamen eorum diſpenſationibus auctoritate regia imperaret, nuſquam fuit per Chriſtum, vel geſta, vel inſtituta, vel etiam permiſſa. Nam quod ad Chriſtum ipſum attinet, præfectura ipſius Matth. 28. non fuit iſtiuſmodi. Cum enim data ſit illi omnis poteſtas in cœlo; & in terra; neceſſe eſt fateamur, eum potuiſſe illa omnia facere, & adminiſtrare, quæ Apoſtolis, aut Diſcipulis ſuis ſecundùm poteſtatem aliquam gerenda præſcripſit. Nec potuit modò gerere, Matth. 4. Niceph. l. 2. cap. 3. ſed etiam re ipſa geſſit, docens in Synagogis, & in templo Salomonis, Petrum Apoſtolum, (vt Euodius eiuſdem Petri in Antiochena Eccleſia proximus ſucceſſor, in epiſtola, quam Matt. 19. Luminis titulo inſcripſit, auctor eſt) ſuis Matth. 9. manibus baptizans, paruulis manus imponens, infirmos curans, Dæmones eijciens, peccata remittens, Euchariſtiam inſtituens, & miniſtrans.

At fortè dices, hoc ſolius Chriſti proprium eſſe, alios verò potuiſſe præcipere, quæ non potuerint gerere. Quid ergo? Cum Chriſtus Apoſtolis ſuis poteſtatem daret, numquid inſtituit, vt in Cathedris ſuis ſedentes, tantùm alijs præciperent, ipſi verò eorum, quæ præcepiſſent, nihil facerent? Im- Matth. 10. mò cum daret illis poteſtatem ſpirituum immundorum, talem dedit, vt eijcerent ſpiritus immundos, ac non, vt alios iuberent, alios eijcere, iuſſit eos ire, docere, baptizare, Matth. 28 peccata remittere, ſoluere, & ligare. Nec Ioan. 20. Matt. 18. iniuria. Omnis enim poteſtas faciendi, non dicendi cauſa inſtituitur. Qui verò per poteſtatem operari, & facere nihil poteſt, inanem atque adeò nullam accepit poteſtatem. Chriſtus autem eſt ille pater familias, qui peregrè Marc. 13. profectus dedit ſeruis ſuis poteſtatem cuiuſq; operis, vt videlicet quiſque ſciret, quid ei non præcipiendum, ſed operandum eſſet. Qui Matt. 25. verò non eſt operatus, eijcitur in tenebras exteriores. At Apoſtoli diligenter operati ſunt, prædicantes vbique Domino coòperante, & Marci 16. ſermonem confirmante, ſequentibus ſignis. Quid quòd Chriſtus tam ſollicitè cauit, ne capita Eccleſiæ ſuæ omnia miniſteria Eccleſiaſtica tantùm præciperent alijs, & ab illis exequendis ipſi interim abſtinerent; vt quædam inſtituerit ſacramenta, quæ à ſolis Pontificibus, & Epiſcopis, nec ab vllo prætereà exerceri, & in opus deduci poſſent? cuiuſmodi ſunt confirmationis, & ſacrorum ordinum conferendorum myſteria.

Itaque cum Philippus prædicaſſet Dei Act. 8. verbum in Samaria, multoſque viros, ac mulieres baptizaſſet in nomine Ieſu, audientes Apoſtoli, miſerunt illuc Petrum, & Ioannem, qui poſtquam oraſſent pro ipſis, vt acciperent Spiritum ſanctum, imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum. Vtique in robur ſpirituale, Ioan. 3. & ad confirmandas gratiæ cœleſtis vires, quas priùs acceperant, cum ex aqua, & Spiritu ſancto renati eſſent. Quod enim natum eſt de ſpiritu, ſpiritus eſt. Itaque, & iam erant ſpiritales per bapiſmum à Philippo Diacono collatum, & propterea opus erat, vt augerentur in vita ſpiritali per Apoſtolos, qui per maiorem, hoc eſt, Pontificiam poteſtatem eos maiore Chriſti dono, & ſacramento confirmabant, quod cum Philippus Diaconus non poſſet conferre, ad illud conferendum venit Petrus Apoſtolorum primus, & Ioannes quem diligebat Ieſus.

Eodem modo ſacri ordines per ſolos Epiſcopos conferuntur; ſicuti Paulus per 2. Tim. 1. impoſitionem manuum ſuarum gratiam Timotheo miniſtrauit, de qua ſcribit in hunc modum, Admoneo te, vt reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum. Quin, & ipſi Paulo iam ante per Ananiam baptizato, manus impoſitæ ſunt; Act. 13. vt ſegregaretur in opus Domini, & à Spiritu ſancto mitteretur ad prædicandum gentibus. Leo in Ep. 81 Epiph.

Præclarè Epiphanius, Epiſcoporũ, inquit, Hæreſ. 75 ordo patrum generator eſt: patres enim generant Eccleſiæ. Ordo Presbyterorum, cum non poſſit generare Patres, per lauacri regenerationem generat filios Eccleſiæ, non tamen patres, aut doctores. Hęc in eum finem citaui, vt oſtenderem ex inſtitutione Chriſti, ne altiſſimam quidem Eccleſiæ dignitatem ab opere Eccleſiaſtico vacare poſſe, tantum abeſt, vt ex neceſſitate debeat ab eorum omnium ſacrorum diſpenſatione, quæ alijs imponit, abſtinere.

Veniamus nunc ad doctrinam Chriſti: Luc. 22. Reges, inquit, gentium dominantur eorum; & qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocan-

voeantur. Vos autem non ſic:ſed qui maiot
eſt in vobis(ideſt,ſecundùm græcam phraſim,
qui maximus eſt inter vos) fiat ſicut iunior;
& qui præceſſor, ſicut miniſtrator. Ego au-
tem in medio ueſtrum ſum, ſicut, qui mini-
Dominatio. ſtrat. Ex eo quòd regum dominationi, Apo-
ſtolorum, hoc eſt, capitum Eccleſiaſticorum
miniſtratio opponitur: facilè intelligimus,
illam dominationem in regibus reprehenſam
eſſe, quæ ab adminiſtratione longiſſimè abe-
rat, ex eo etiam, quod ſubiungit Chriſtus,
maiorem eſſe, qui recumbit, quàm qui mi-
niſtrat, ſe verò in medio illorum eſſe velut
qui miniſtrat: talem adminiſtrationem Apo-
ſtolis præcipi conſtat, qualem Chriſtus exer-
Miniſtratio. cuit, cum & pedes eorum lauaret, & tam
Dei verbum, quàm ſua ſacramenta illis mi-
niſtraret, ac denique ſe ipſum vſque ad mor-
tem pro illis traderet, ſicut boni ſerui pro ſa-
lute dominorum ſuorum vitam, & ſanguinem
profundere interdùm ſolent. Quod igitur
non niſi dominantium eſt, id Chriſtus præ-
poſitis Eccleſiæ ſuæ prohibet, quod verò mi-
niſtrorum eſt, & fidelium ſeruorum, id illis
Luc. 22. præcipie. Domini recumbunt, ſerui mini-
Matth. 8. ſtrant; Domini præcipiunt, dicentes vni va-
de, alteri autem veni: tertio fac hoc, ſerui
interim vadunt, veniunt, & hoc, quod præ-
cipitur, faciunt. Si reges ſubditis, aut domi-
ni aliquid ſeruis ſuis donauerint, benefici vo-
cantur. Si ſerui eum toto die arauerint, ve-
ſperi domum reuerſi ne tunc quidem quieſ-
cant, ſed dominorum cænam præparare iu-
beantur, tamen neque benefici habentur,
Luc 17. neque gratiæ illis redduntur, quia quod de-
buerunt facere, fecerunt, nihil prætereà.
Apoſtoli ergo, & omnes alij Eccleſiarũ prę-
poſiti iubentur ſe in prefectura ſua gerere, non
vt reges, non vt dominos, ſed vt miniſtros,
& ſeruos, non vt præcipiant, ſed miniſtrent;
& cum miniſtrauerint, non ſe putent benefi-
cos fuiſſe, verùm officio functos eſſe, quia
Græcis, & Barbaris, ſapientibus, & inſipien-
tibus debitores ſunt. Hæc eſt Chriſti doctri-
na.
Rom. 1. Iam ſi principes tui, Aclere, dicant, ſe maxi-
mos inter Chriſtianos exiſtere, & præceſſores
à Deo inſtitutos eſſe, debent non recumbere,
ſed miniſtrare, nec ſolùm præcipere quid fiat,
ſed potiùs facere, quod Chriſtus in ſacrorum
adminiſtratione gerendum præcepit; nec
etiam beneficientiæ ſuæ quicquam, ſed om-
nia officio, & debito adſcribere. At quomo-
do miniſtrare ſacra poſſunt, cum tu ipſe con-
cedas, omnium ſacrorum adminiſtrationem
illis interdictam eſſe? Sublata igitur rerum
ſacrarum adminiſtratione, quid reſtat præter
ſolam præcipiendi poteſtatem? Nihil verò
aliud, quàm præcipere, nec aliquid interim
rerum ſacrarum miniſtrare, nullo modo eſt
miniſtri nullo modo ſerui, nullo modo ca-
pitis Eccleſiaſtici, ac ne Chriſti quidem,
ſed tantùm regis gentium, & domini pro-
Mat. 20. phani. Rem igitur ad Euangelio Chriſti
Marc. 10. ad inſtituta gentium reuocaſti; miniſtra-
Luc. 22. tionem humillimam, quæ propria eſt Ec-
cleſiaſtici capitis, eam ſubſtuliſti, domi-
natum regium, quem Chriſtus prohibuit,
& exterminauit, eum velut poſtliminio reſti-
tuiſti. Plus dico: Dominatum longè peio-
rem, quàm vllus vnquam apud gentes erat,
in Eccleſia Chriſtiana collocaſti. Ponamus
regem aliquem ex iis, qui gentibus præſunt,
nulla iuſtiore cauſa impeditum, nolle ad bel-
lum pro Republica gerendum, in quo præſen-
tia ipſius neceſſaria eſſet, egredi, ſed ex ſo-
la deſidia, & animi prauitate domi manen-
tem, alijs optimatibus, & militibus ſub pę-
na capitis imperare, vt in hoſtem ſe conferant.
Dominatur iſte quidem, nec interim Rem-
publicam ipſe, vt deberet, adminiſtrat: ſed
tamen, & potuit ad bellum egredi, & debuit;
nec ignorat ſe officij ſui præuaricatorem eſſe,
atque ideò cauſam plerumque aliquam, licèt
falſam obtendit, cur officio non fungatur.
Ceterùm tui Principes eum in præcipiendo
Epiſcopis, & presbyteris dominentur, nec
interim quidquam eorum, quæ præcipiunt, ad-
miniſtrent, etiam aliter facere ſecundùm te,
nec poſſunt, nec debent; nec in iſto deſide,
& otioſo dominatu ſe peccare putant, aut
cauſam vllam prætermiſſi miniſterij obten-
dunt.
Cum igitur vtrobique id non fiat à (Luc. 22.)
præcipiente, quod ipſe alijs præcipit, ea-
que res vitio danda ſit, quoniam vt Rei-
publicæ, ſic etiam Eccleſiæ adminiſtrator de-
bet ipſe tum Rempublicam, tum Eccleſiam
adminiſtrare; tamen hoc intereſt, quòd in
illo regis gentium dominatu culpa reijci-
tur in hominem, qui officio ſuo non fungi-
tur: hic autem reijcitur in Chriſtum, tam-
quam ipſe prohibuiſſet ſummum Eccleſiæ ad-
miniſtratorem quidquam rerum Eccleſiaſti-
carum gerere, aut tractare. Itaque, cum ex
doctrina Chriſti conſtet, ſummum Eccleſiæ
adminiſtratorem, non modò poſſe, verùm, &
debere omnium maximè ſeruire, ac miniſtra-
re; tamen contraria iam doctrina per te ſta-
tuitur, ſummum Eccleſiæ caput, & adminiſtra-
torem, nec debere, nec poſſe quidquam Ec-
cleſiaſticum adminiſtrare.
Et tamen cum dicas, Principes tuos tam
Eccleſiam in ſacris, quàm Rempublicam in
ciuilibus adminiſtrare, an Chriſti doctrinæ
non contradicis? Chriſtus noluit Apoſtolos
in præfectura Eccleſiæ, quam illis commiſ-
ſurus erat, adminiſtranda, vel ſimiles regum
exiſtere, & nunc putabimus, eum non ſolùm
permiſiſſe, verùm, & inſtituiſſe, vt ipſi reges
Eccleſiam gubernarent? Quid potuit à Chri-
ſti propoſito magis alienum dici? Nam ſi
Chriſto placuiſſet, vt ipſi reges Eccleſiam ad- (Nota.)
miniſtrarent, numquam ei diſplicere potuiſ-
ſet, vt Apoſtoli ad ſimilitudinem regum ean-
dem adminiſtrarent. Nullum enim peccatum
eſt, quid dico peccatum? magna, & præcla-
ta virtus eſt, in gubernando Eccleſiam illis re-
gibus ſimilem exiſtere, quos Deus ipſe ad
Eccleſiæ ſuæ adminiſtrationem vocaſſet, niſi
fortè vitio cuiquam dabitur, quòd exemplar
ab ipſo Deo propoſitũ imitatus ſit. Nunc au-
tem, cum Chriſtus prohibuit, ne Apoſtoli
dominarentur, vt reges, eo ipſo docuit, ſe nul-
lo modo paſſurum, vt ipſi reges in Eccleſia-
ſticis rebus, & cauſis dominatum ſuum exer-
cerent. Hic nihil aliud obtendi poteſt, quàm
Chriſtum vetuiſſe, ne Apoſtoli dominarentur
tamquam gentium reges, nihil tamen obſta-
re, quo minùs Chriſtiani Reges, non quidem
tyrannicè dominentur, verùm ex æquo, & bo- (Supra c. 3.)
no adminiſtrent Eccleſiam Chriſti. Qui error
ta-

Digitized by Google

tametſi ex his, quæ iam dicta ſunt, ſatis per-
ſpicuè confutatus ſit, tum quia Reges Chri-
ſtiani ſunt etiam gentium reges, tum quia
genus ipſum gubernationis, quod tu Chriſtia-
nis regibus tribuis, nominatim à Chriſto re-
iectum eſt, eò quòd nulla ex parte in mini-
ſtrando, ſed ſolùm in iubendo, & dominan-
do conſiſtit, (cum interim perfectura, quam
Chriſtus conſtituit, magis in adminiſtrando,
& gerendo res ſacras, quàm in præcipiendo
conſiſtere debeat) tamen præterea multò di-
lucidiùs confutabitur, vbi ad reliquam Chri-
ſti doctrinam ipſius in ſtabilienda Eccleſiæ
adminiſtratione altiſſimum conſilium è ſcri-
pturis ſacris hauſtum, & repetitum expoſue-
1. Cor. 1. rimus. Ad hoc ego Chriſtus in mundum ve-
nit, vt ſtultam faceret ſapientiam, & infirmam
redderet potentiam huius mundi. Nam quia
in Dei ſapientia non cognouit mundus per
ſapientiam Deum; placuit Deo per ſtultitiam
prædicationis ſaluos facere credentes. Quæ
ſtulta ſunt mundi, elegit Deus, vt confundat
ſapientes, & infirma mundi elegit Deus, vt
confundat fortia, & ignobilia mundi, & con-
temptibilia elegit Deus, & ea, quæ non ſunt,
Eccl. 10. vt ea, quæ ſunt, deſtrueret, vt non glorietur
omnis caro in conſpectu eius. In quibus ver-
bis Apoſtolus, & finem conſilij diuini reue-
lauit, & modos ad eum finem adipiſcendum
idoneos patefecit. Cum Deus ſciret, ſuperbiam
fuiſſe, atque eſſe initium omnis peccati; ſa-
lutis humanæ rationem in contraria humi-
litatis medicina collocauit. Et quia humi-
litatis reconditum myſterium in Chriſto
2. Cor. 8. ante omnia fuerat conſecrandum; is tum
Philip. 2. de Cœlo deſcendens, exinaniuit ſe ipſum,
vt qui erat per naturam diues, & immorta-
lis, fieret, per aſſumptam carnem egens,
& morti obnoxius: tum in crucem aſcen-
dens, ipſam carnem ſuam, vſque ad mor-
tem acerbiſſimam, & contumelioſiſſimam,
magis etiam adhuc humiliauit; vt ſuo &
ſacramento, & exemplo humilitatis radi-
1. Cor. 1. ces in æternum ſtabiliret: atque hoc eſt ver-
bum crucis, quod euacuari non debere Apo-
ſtolus prædixit.

Iam modi quibus ad hanc humilitatem
Rom. 3. peruenitur, hi ſunt, vt nec in verborum orna-
tu, nec in liberalium diſciplinarum oſtenta-
tione, nec in Principum, & Optimatum po-
tentia ſalus quæratur, ſed in fide mortis Chri-
ſti; & in ſocietate illorum, quos è Mundo
euocatos conſtituit Eccleſiam ſuam. Porrò
1. Cor. 1. iſtius Eccleſiæ fundatores, & capita non fecit
Rhetores, non Philoſophos, non Reges; ve-
rùm idiotas, piſcatores, & egentes. Videte
enim vocationem veſtram fratres, quia non
multi potentes, non multi nobiles.

2. Cor. 10. Arma enim militiæ Chriſtianæ non
ſunt carnalia (videlicet potentia, opes, elo-
quentia, & literæ humanæ) ſed quæ ſpiritali
virtute pollent ad omnem altitudinem, quæ
ſe aduerſùs Dei ſcientiam extollit, deſtruen-
dam. Itaque tum perſonæ, quibus diuinam
poteſtatem ædificandi Eccleſiam ſuam Chri-
ſtus dedit, humiles in conſpectu hominum,
abiectæque fuerunt, tum inſtrumenta, quibus
operabantur, non erant humana, ſed diuina,
quæ omnem vim, & ſapientiam humanam
1. Cor. 1. ſuperant: quia quod ſtultum eſt Dei, ſa-
pientius eſt hominibus; & quod infirmum
eſt Dei, fortius eſt hominibus.

Cùm igitur Deus ad humilitatem in no-
bis meliùs infigendam, vt non glorietur in
conſpectu eius omnis caro, myſterium ſalutis
noſtræ, nec in Philoſophorum ſcholis, & pla-
citis, nec in rhetorum facundia, nec in Re-
gum, & Principum opibus, ac potentia, ſed
in eo, quod Mundus infirmum, ac ſtultum
iudicat, ſapientiſſimè collocarit: atque ad id
demonſtrandum rudes, indoctos, & ignobi-
les Euangelij ſui miniſtros fecerit, eoſque
adeò non ornauerit ſeculi donis, vt etiam
prohibuerit, ne inſtar principum ſeculi domi-
narentur, ſed humillimè & inſtar ſeruorum
gererent, agnoſcentes ſe Græcis, ac Barbaris, Rom. 1.
ſapientibus, & inſipientibus debitores exiſte-
re, vt omnes Chriſto lucrifacerent.

Nunc velles, vt hoc ſcandalum crucis
euacuetur, nec ampliùs capita Eccleſiarum
ſint, qui ſuccedunt humilibus, & ſecundùm
carnem infirmis Apoſtolis, & in eorum ca-
thedris ſedent: Verùm Reges gentium, qui
dominantur non ſeruiunt, quique non de-
bitores, ſed benefici vocantur, hoc neſcio,
cuius eſt impietatis, Apoſtaſiæ, & Antichri-
ſtianiſmi.

Certum eſt etiam, Chriſtianos Reges poſt
fidem, & baptiſmum Chriſti ſuſceptum, non
ſecùs manere in illa priora conditione regia,
quæ aut gentium, aut ciuili iure illis obue-
nit, quàm ſerui, & mancipia etiam poſt fi-
dem, & baptiſmum Chriſti ſuſceptum, in ſua
priore ſeruili conditione, & ſtatu manent: id
quod in Oneſimo clariſſimè perſpicitur,
quem Paulus in vinculis ſuis Deo genitum,
etſi vtiliorem Domino ſuo, tamen adhuc ſer-
uum Philemoni reſtituit. Chriſti enim dona
ius Regni cæleſtis conferunt; ſed ius aliquod
huius ſeculi nemini inuito auferunt.

Cùm igitur inſtitutum Chriſti fuerit
per myſterium humilitatis, & crucis ſuæ in-
firmam reddere potentiam huius ſeculi, &
ideò non modò per annos trecentos Regum
ope in plantanda Eccleſia ſua vti noluerit,
ſed etiam eoſdem permiſerit omni ſua poten-
tia, & vi Eccleſiam ſuam oppugnare; cum-
que nihil profeciſſent, eorundem perſecuto-
rum filios armis, equis, viris, omnique huius
ſeculi robore, & apparatu inſtructos per pi-
ſcatorum, & idiotarum inermes ſucceſſores
humilitati crucis ſuæ ſubrogauit, & ita ſub-
iugarit, vt ſecundùm Eſaiæ prophetiam curui Eſa. 60.
adorauerint veſtigia pedum Eccleſiæ.

Non eſt putandum, quòd Chriſtus iiſ-
dem Regibus iam ſubiugatis, qui tamen ve-
tere ſuo iure adhuc regnant, Eccleſiam ſuam
adminiſtrandam commiſerit. Etſi enim per-
ſonæ regum iam ſunt ſanctæ, dignitas adhuc
manet ſecularis. Chriſtus verò non ſolùm
perſonas regum, ſed & ipſam dignitatem re-
giam voluit cæleſti ſuæ dignitati abſque po-
tentia ſeculari per vim, & potentiam Euan-
gelij ſubijcere, vt regnum Chriſti (ſicut Da- Daniel. c. 2.
niel prædixit) comminuat, & conſumat vni- & 7.
uerſa regna Mundi, vtque regnum, & pote-
ſtas, & magnitudo regni, quę eſt ſubter omne
Cælum: non præficiatur, ſed detur populo
ſanctorum altiſſimi, cuius regnum, Regnum Dan. 2.
ſempiternum eſt, & omnes Reges ſeruiant, &
obediant ei.

Lapis enim abſciſſus de monte ſine ma-
ni-

nibus (qui eſt Chriſtus ſine humano ſemine de Maria Virgine natus) comminuit teſtam, & ferrum, & æs, & argentum, & aurum, hoc eſt, omnia regna Mundi, & omnes Monarchias; idque non vt poſteà regnum ſuum, ideſt Eccleſiam, iiſdem regnis iam per fidem Chriſti, & illorum ſpontaneam ceſſionem deuictis, & ſubiectis, gubernandam traderet; ſed vt magnitudo regni detur populo ſanctorum altiſſimi, hoc eſt, Chriſtianæ Eccleſiæ. Animaduerte finem, Aclere, ad quem Chriſtus victoriam ſuam referat.

1. Cor. 15. Vicit Mundum, & principatus, ac poteſtates euacuat, vt non ipſe iam deuictis à ſe poteſtatibus, Eccleſiam ſuam ſubmittat (abſit à nobis hæc blaſphema cogitatio) ſed vt nulla ſit poteſtas, quæ poteſtati ſuæ, qua Eccleſiam fundauit, & moderatur ſubiecta non ſit; vt cùm omnia regna, & imperia ſibi, atque Eccleſiæ per virtutem crucis ſuæ ſubiecerit, tum demùm tradat regnum hoc vltimum, & vniuerſale (in quo regna omnia comprehenduntur, & continentur) ſuo patri, vt non ſint ampliùs multa regna, ſed vnum, & hoc non Mundi, ſed Chriſti, & id non diuiſum à Dei patris regno, ſed illi ſubmiſſum, & ſubiectum, vt ſit Deus omnia in omnibus. Hoc, inquam, eſt conſilium Chriſti, hoc inſtitutum, hic finis, quem tu Aclere irritum reddere fruſtrà conaris.

Euſeb. in vita Conſtantini. Negare non potes, Conſtantinum Cæſarem viſa in Cælo Crucis imagine (quam tu oppugnas) ſuum militare vexillum in eandem Crucis imaginem transformaſſe, in eodem ſigno Maxentium tyrannum, atque etiam poſteà Licinium viciſſe: demùm fide Chriſti confeſſa, Palatium ſuum Lateranenſe partim Chriſto in templum, partim Chriſti Vicario in habitationem conceſſiſſe; tum autem ſponte ſua Vrbem Romam reliquiſſe, atque imperij Sedem Conſtantinopolim tranſtuliſſe.

Inde factum eſſe, vt Imperatores paulatim Chriſtiana fide imbuti, Vrbem Romam imperij ſui caput, viſibili Eccleſiæ capiti Epiſcopo Romano moderandam commiſerint, & modò conteſtati ſe Chriſto faſces ſuos ſubmiſiſſe. Quod opus non ex hominibus, verùm ex Deo eſſe conuincitur: quia Act. 5. etiam ſi non defuerunt, qui ſummis viribus id oppugnarent, per tot ſecula, tamen diſſolui nunquam potuit. Et quò incertius, vobis præſertim, eſt huius rei principium; eò eſt certiùs cauſam eius rei Deo, non hominibus tribuendam eſſe. Deus enim mutat tempora, Dan. 2. & ætates, transferr regna, atque conſtituit. Dat ſapientiam ſapientibus, & ſcientiam intelligentibus diſciplinam. Ipſe reuelat profunda, & abſcondita, & nouit in tenebris conſtituta, & lux eorum eſt. Duo paſſeres Matth. 10. aſſe veneunt, & vnus ex illis non cadit ſuper terram ſine Deo.

Quantò magis caput Imperij Romani Epiſcopo Romano Chriſti Vicario ſubiectum, non fuit ſine Dei prouidentia? Cùm igitur Deus paſtori Eccleſiæ Chriſti Romam caput Mundi ſubiecerit, vt ea re ſignificaret, omnem Mundi potentiam Chriſto demùm ſubijciendam eſſe: Tamen ne tu inuides Chriſto hanc gloriam, & potiùs concedis oportuiſſe Petri ſucceſſorem, & Chriſti Vicarium claues ſuas, & cathedram Chriſtianis Imperatoribus tradidiſſe? Nonne vides te inſtar Gigantum Deo bellum indicere?

Vt autem in Dei conſilio, quantum in nobis eſt, inueſtigando pergamus; voluit Deus contemptum huius Mundi omnibus in ipſum credentibus perſuadere, & ideò non aliquem ex Monarchis, aut Mundi Principibus, ſed hominem de medio Eccleſiæ ſuſcitatum, qui non tam terrenis, quàm cæleſtibus donis commendaretur, voluit Eccleſiæ ſuæ præeſſe; qui non dominaretur in cleris, ſed forma gregis ex animo fieret. Cæterùm ſi 1. Pet. 5. Reges Chriſtiani adminiſtrarent Eccleſiam, formā quæ imitanda Chriſtianis proponeretur, non eſſent deſerendi, ſed amplectendi Mundi forma, & exemplar. Membra enim oportet capiti ſuo conformari.

Caput autem per te rex eſt, & ſeculi rex, cuius vocatio nec à te ipſo quidem tam perfecta, & à Mundo abhorrens exiſtimari poteſt, quàm vt Apoſtolorum vocatio fuit, aut eorum adhuc eſt, qui cathedras Apoſtolorum tenent. Etſi enim tum aliqui Reges vitam ſpiritalem agant, tum multi Epiſcopi ex donatione Principum Chriſtianorum in honorem Chriſti facta non paruas opes videantur accepiſſe; tamen quia ſecundùm originem ſuam vnumquodque cenſetur (de terra homo terrenus, de cœlo cæleſtis, ſi radix ſancta, & 1. Cor. 15. rami) conſtat & Pontificem Romanum, qui Rom. 11. ad Petrum originem ſuam refert, paſtorem ſpiritalem, & Conſtantinum, qui Caio Iulio Cæſari ſuccedit, regem eſſe terrenum.

Nec vocationi ſuæ reſponderet Conſtantinus, aut alius rex terrenus, niſi & generis nobilitati plurimùm deferret, & opum magnitudine afflueret, & imperij ſui potentiam iuſtè tueretur. At in Epiſcopo ſummæ daretur laudi, ſi nec vbi caput reclinaret, inſtar Chriſti haberet, manibuſque ſuis operans tam ſibi, quàm ſuis victum, & veſtitum 1. Cor. 4. ſubminiſtraret; denique ignobilis, egens, purgamentum huius Mundi, & omnium peripſema fieret. Sine controuerſia igitur, cùm vocatio Epiſcoporum ſit perfectior, inſtitutum Chriſti, & propoſitum ſemper fuit, Eccleſiam ſuam (quæ perfecta eſſe iubetur ſicut Matth. 5. pater eius cæleſtis perfectus eſt) non regibus, qui minùs perfectum ſtatum gerunt, ſed Epiſcopis adminiſtrandam committere, quorum vocatio tam perfecta eſt, vt non ſolùm ipſi debeant ſancti eſſe, verùm etiam alios ſanctificandi, hoc eſt, purgandi, illuminandi, & perficiendi poteſtatem à Deo acceperint.

Purgant enim remittendo peccata, illu- Ioan. 20. minant docentes, nos ſeruare quæcunque Matth. 28. Chriſtus præcepit; perficiunt, dum cœleſtibus 1. Cor. 4. myſterijs imbutos de virtute in virtutem deducunt, donec videatur Deus in Sion. Quis verò, niſi cœcus non videt, quantùm ab hoc perfecto ſtatu reges abſint? Nam præterquam quòd neminem à peccatis abſoluunt, neminem cœleſti doctrina cum auctoritate illuminant; nemini ſacramenta Chriſti conferunt, Galat. 4. manuſue imponunt: etiam regnant interdùm pueri, quibus tutore opus ſit: regnant fœminæ, quibus neque interrogare aliquid, nedum præcipere in Eccleſia licet: regnant hæretici, & Apoſtatæ, vt Conſtantinus, Iulianus, Valens: regnant infideles ſupra Chriſtianos, vt

vt in Græcia, Aſia, & Africa iam compatatum videmus: regnant, qui nullis liberalibus diſciplinis, nedùm ſacris canonibus addiſcendis operam dederunt: regnant poſtremò, qui
1. Corin. 7. 2. Tim. 2. & cogitare debent, quæ ſunt vxorum, & ſecularibus negotijs neceſſariò implicantur; quæ omnia impedimenta longè abſunt ab Epiſcopali ſtatu, apud Catholicos præſertim, qui nec pueris, nec fœminis, nec infidelibus, nec hæreticis, nec apoſtatis, nec laicis, niſi priùs in clerum receptis, nec coniugatis Epiſcopatus deferunt.

Prætereà quamquam Chriſtus vt certa eſſet ſui generis origo, tam ſacerdotalem,
Matth. 1. Luc. 3. & 7. quàm regiam tribum (ex qua vtraque vt in Matthæi, & Lucæ Euangelijs apparet, oriundus erat) per carnalem propagationem in Abrahæ familia continenter ſuccreſcere voluit, & conſeruari: tamen poſtquam in Mundo iam erat, veteribus cæremonijs finem imponens, legem in in Euangelium, carnem in ſpiritum transtulit, vt non iam qui filij car-
Rom. 9. Galat. 3. nis, hi filij Dei, ſed qui filij ſunt promiſſionis, æſtimentur in ſemine. Qui enim Chriſti ſunt, hi ſemen Abrahæ ſunt, ſecundùm promiſſionem hæredes. Cęterùm ſi Reges Chriſtiani eſſent capita Eccleſiæ Dei, cùm illi non per ſpiritale Dei ſemen, vt Epiſcopi, & Paſtores Eccleſiæ, verùm per ſemen hominum carnale
1. Ioan. 3. generentur, eiuſque vi in regnis ſuis ſuccedant, iterùm Eccleſia Chriſti certo carnali ſemini alligaretur, vt ibi quærenda eſſet adminiſtratio, & promiſſio ſpiritalis, vbi ſemen carnale regnaret.

Sic ſtultus es Aclere, vt cum ſpiritu cœ-
Galat. 3. Galat. 4. perimus, carne velis nos conſumari? Certè quemadmodùm Iſmael, qui ſecundùm carnem natus fuerat, perſequebatur Iſaac, qui natus eſt ſecundùm promiſſionem, & ſpiritum; ita & nunc carnalis regum propagatio adminiſtrationem Eccleſiæ ſibi arrogans perſequitur Eccleſiam Dei ſpiritalem. Sed quid dicit Scriptura? Eijce ancillam, & filium eius, non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ. Filius ancillæ eſt quicunque ſecundùm carnalem propagationem natus, ideò Eccleſiam ſibi ſubiectam eſſe contendit, quia natus eſt ex regali ſanguine. Quis enim neſcit, & ipſum regium ſanguinem ſeruire peccato, nec vllum filium a rege quopiam, niſi in peccato concipi? At regnum ei debetur ob ſanguinem ſuum, nempè quia regiæ carnis filius eſt, non item quia per fidem, &
Galat. 4. baptiſmum filius Dei eſt: alioquin non deeſſent etiam alij filij Dei, qui eum è Regno eijcerent tamquam maiores natu, & ideò in ſucceſſione præferendi. Caro autem peccato ſeruiens eſt inſtar ancillæ: ſpiritus verò per Chriſtum liberatus, eſt inſtar liberæ. Filius ergo ſanguinis regij ex eo nonniſi filius ancillæ eſt; & ideò ratione ſolius ſanguinis ſui non erit hæres cum filio liberæ; ac multò minùs eiecto, aut etiam ſubiugato filio liberæ, adminiſtrationis Eccleſiaſticæ, hæreditatem ſuæ carni, & ſanguini annecter.

Solent tui fratres, Aclere, quando nos Epiſcoporum continuatam ſeriem, & ſucceſſionem vnà cum Irænco, Tertulliano, Optato, Patiano, Auguſtino, & cæteris patribus vrgemus, reſpondere nobis, quòd veritas Euangelij nulli certo loco, aut ſucceſſioni alligatur: ſed illi errant, quia non carnalem ſeriem, aut ſucceſſionem vrgemus, verùm ſpiritalem, quàm ipſe Chriſtus, & promiſit, & conſtituit. Cum enim Apoſtolos ad docendum, & baptizandum omnes gentes mitte- Matth. 28.
ret, dixit eis: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi. Si ergo Chriſtus cum ijs eſt, & omnibus diebus cum ijs eſt, & vſque ad conſummationem ſeculi cum ijs eſt, qui ſuccedentes Apoſtolis in opere Apoſtolico pergunt, docentes, & baptizantes omnes gentes vſque ad conſummationem ſeculi; quomodò tu negas, ibi quærendam Euangelij veritatem, vbi Chriſtus dicit ſe eſſe, & perpetuò eſſe? Licèt igitur in carnali aliquo ſemine, aut ſucceſſione Chriſtus non ſit quærendus, tamen in ſpiritali Docto- Lucæ 2.
rum, & Pontificum ſemine tam nunc quæri, quàm olim in medio Doctorum inueniri voluit. At nunc tu relicto Chriſti ſanguine, qui nos regenerauit in ſpem viuam; relicto ſpiri- 1. Tim. 4.
tali Epiſcoporum ſemine, qui non per car- 2. Tim. 1.
nem, ſed per manuum impoſitionem propa- Act. 13.
gantur, reuocas nos ad carnem, & ſanguinem hominum, ad primogenitos regum, ad ſeculi poteſtates, quod quidem nihil eſt aliud, quàm totum Chriſti aduentum, & vniuerſum eius ſpiritale Concilium, & inſtitutum labefactare, & ſubuertere conari.

Poſtremò, vt hunc ſermonem de Concilio, & propoſito Chriſti ſuſceptum abſoluamus; certiſſimum Chriſti ſuſceptum abſolua-
mus; certiſſimum Chriſti conſilium in Eccle- 1. Cor. 3. Heb. 11.
ſia moderanda hoc fuit, vt cum Chriſtiana fides omnium noſtrarum actionum baſis, & fundamentum eſſe debeat, certiſſima, & clariſſima fidei regula ſemper ob oculos omnium Chriſtianorum proponeretur, quam nemo ignorare vnquam poſſet, niſi ſe ipſum Ioan. 14. & 16
ſponte ſua oculorum vſu priuare vellet. Nam Spiritus ſanctus de Cœlo miſſus eſt, vt doce- Eſaiæ 11.
ret nos omnem veritatem. Et repleta eſt ter- Eſaiæ 35.
ra ſcientia Domini, ſicut aquæ maris operientes. Et hæc erit vobis directa via, ità vt ſtulti non errent per eam. Parauit Dominus brachium ſanctum ſuum in oculis omnium gentium, & videbunt omnes fines terræ ſalutare Dei noſtri: quia ecce tenebræ operient Eſaiæ 60.
terram, & caligo populos. Super te autem (ò Eccleſia) orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur, & ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in ſplendore ortus tui; non item tu in ſplendore ortus regum, ſed quis eſt modus, quo iſta lux tam perſpicuè nobis reſplendebit? Chriſtus primùm ipſe Ioan. 8.
lux eſt mundi, quem ſpiritus Domini miſit ad annunciandum manſuetis. Deindè Apo- Eſaiæ 61. Matth. 5. Eſaiæ 61.
ſtoli, vt ipſe Chriſtus dixit, lux mundi ſunt, de quorum ſucceſſoribus ex gentium Eccleſia eligendis Iſaias prędixit, Stabunt alieni, & paſcent pecora veſtra: vos autem ſacerdotes Domini vocabimini miniſtri Dei noſtri, dicetur vobis, & fœdus perpetuum feriam eis, & ſcietur in gentibus ſemen eorum, & germen eorum in medio populorum, omnes, qui viderint eos, cognoſcent illos: quia iſti ſunt ſemen, cui benedixit Dominus. Et omnes gentes, & linguæ venient, & videbunt gloriam meam. Et aſſumam ex eis in Sacerdotes, & Leuitas, dicit Dominus. Quia ſicut Cœli noui, & terra noua, quæ ego facio ſtare coram

Eſaiæ 66. ram me, dicit Dominus, ſic ſtabit ſemen veſtrum, & nomen veſtrum, & erit menſis ex menſe, & ſabathum ex ſabatho: veniet omnis caro, vt adoret coram facie mea, dicit Dominus. In ſumma, lux mundi eſt fides in Chriſtum. *2. Cor. 5.* Quia per fidem ambulamus, non per ſpeciem, *Pſal. 118.* & lucerna pedibus noſtris verbum Domini. Fidei prædicator æternus eſt *Matt. 23.* Chriſtus magiſter vnus. *Math. 28.* Miniſtri Chriſti ſunt primùm Apoſtoli, deindè eorum ſucceſſores, *Math. 10.* quibuſcum Chriſtus eſſet omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſeculi. Inter *Lucæ 22.* Apoſtolos primus fuit Petrus, idemque maximus inter illos, & *Ioan. 21.* prçceſſor, & fratrum confirmator, & ouium, atque agnorum paſtor *Ioann. 17.* plùs alijs diligens. Chriſtus autem etſi pro omnibus Apoſtolis, & omnibus Chriſtianis, qui per Apoſtolorum prędicationem credituri erant, orauit; tamen orationem ſuam ordine quodam voluit in effectum deduci. Nam cum Sathanas cuperet cribrare omnes Apoſtolos, Chriſtus non ex æquo rogauit Deum *Lucæ 22.* pro omnibus, ſed ad ſolum Petrum dixit: Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. Quid ergo fiet de alijs Apoſtolis? Et tu (ait Chriſtus ad Petrum) confirma fratres tuos. Vide ordinem à Deo conſtitutum, Aclere. Deus confirmat Chriſtum quatenùs homo eſt: Chriſtus Petrum, quatenùs is præceſſor, & primus Apoſtolorum eſt: Petrus Apoſtolos vt. potè collegas ſuos: Apoſtoli reliquos fideles. Et qua in re confirmandi ſunt Apoſtoli? vtique in fide. Nam Chriſtus Deum rogat, vt fides Petri non deficiat, eumque alios iubet confirmare, vtique in fide, in qua ipſe non deficit. Chriſtus autem reliquos Apoſtolos Petro collegas dedit, ab eo tamen Petro confirmandos. Petro autem ſucceſſit Romanus Pontifex, vt ſancti Patres atteſtantur, & res ipſa loquitur. Hic igitur Pontifex Romanus ex inſtitutione Chriſti eſt, & omnium Chriſtianorum, & ipſorum etiam Epiſcoporum in fide confirmator; hic inter omnes fidei annunciatores maximè eſt lux mundi, ſal terræ, *Math. 5.* & lucerna ſuper candelabrum poſita, quæ lucet omnibus, aut qui in domo ſunt, aut qui in *Lucæ 8.* grediuntur domum. *Ioan. 1.* Cum igitur Chriſtus vera lux, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, hoc ordine, quem iam expoſui, Eccleſiam ſuam paſcat, & gubernet; Chriſtiani autem Reges non ſunt vocati ad Euangelium omninò prædicandum; ac multò minùs vt cæteros, qui illud prædicant, confirment, per Euangelij verò prędicationem fides conſeruetur, & per ſummum fidelem *Rom. 10.* prędicatorem Eccleſia in ſummo gradu paſcatur, & adminiſtretur; nullo modo cum *Ioan. 21.* inſtituto Chriſti, & conſilio cohærere poteſt, vt alij cuiquam adminiſtratio Eccleſiæ in ſummo gradu committatur, quàm ſummo Paſtori, pro cuius fide Chriſtus rogauit, vt ea non deficeret. Nec tibi, Aclere, horrendum axioma (vt tu loqueris) videri debet, quòd Papa cum ſit Vicarius Chriſti, errare non poſſit. Quin magis horrendum videretur, ſi poſſet errare, *Luc. 22.* cum Chriſtus Deum orauerit, vt non deficeret fides Petri. Et cur vt non deficeret? Et tu, inquit, conuerſus, confirma fratres tuos. Fratrum igitur confirmandorum cauſa non deficiet. An Petrus in Eccleſia fratres non habet vſque in hodiernum diem? Nec in hodiernum, ergo diem deficit fides Petri, hoc eſt præceſſoris, & ducis Eccleſiæ, ſed in hodiernum diem fratres ſuos confirmat. Nam ſine pœnitentia ſunt dona Dei, & vocatio. *Rom. 11.* Placuit Deo, vt Petri fides ob Apoſtolos confirmandos non deficeret. Succeſſerunt autem Apoſtolis alij Paſtores, & Doctores; qui omnes magis indigent confirmatore in fide, quàm Apoſtoli. Non minùs ergo iſtis Epiſcopis Petri ſucceſſor, quàm illis Apoſtolis ipſe Petrus confirmator in fide eſt datus. Tu verò neque per ſomnium dicere audes, Chriſtianos Principes non poſſe errare in fide, cum tot eorum, & Hęretici, & Apoſtatæ, & perſecutores Catholicæ fidei fuerint (Conſtantius, Iulianus, Valens, Iuſtina, Theodoricus, & multi prętereà Gothorum Reges) & tamen qui non poteſt errare in fide, maximè idoneus eſt, qui Eccleſiam, quæ per fidem ambulat, in *2. Cor. 5.* ſummo gradu adminiſtret, & confirmet. A Chriſti ergo mente alieniſſimum eſt, vt Reges Chriſtiani ad Eccleſiæ ſumma gubernacula ſedeant. At verò nos liberè dicimus, & quod verbo dicimus, re ipſa comprobamus, Petri ſucceſſorem Epiſcopum Romanum in exponenda Epiſcopis fide Chriſti numquam errasſe, numquam, aut vllius hereſis auctorem fuiſſe, aut alij hętetico ad promulgandam hereſim, ſuam prębuiſſe auctoritatem, neque mirum. Nam quis non fateatur, Eccleſiam Chriſti eadem prerogatiua frui debere, qua olim Synagoga Iudæorum fruebatur? Malachias Prophęta, qui poſt Moyſem penè octingentis annis floruit; immò Deus, qui in æternum viuit, de Leuitica tribu, ità per Malachiam ſcribit. *Malach. 2.* Pactum meum cum leui, lex veritatis fuit in ore eius, & iniquitas non eſt inuenta in labijs eius, in pacem, & æquitate ambulauit mecum, & multos auertit ab iniquitate. Cur id? Labia enim ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius: quia Angelus Domini exercituum eſt. Ecce leui, hoc eſt, ſacerdos legalis de tribu leuitica ortus, vtcúmque in factis ſuis aliquando errauerit, tamen in ore ſuo habuit veritatem, immò legem veritatis, nec eſt inuenta iniquitas in labijs eius, idque quoniam Deus conſtituit illum velut Angelum ſuum, qui voluntatem Dei cęteris fidelibus nunciaret, adeò vt Caiphas prophetaret, quia Pontifex erat anni illius. *Ioann. 11.* Si hæc res ità ſe habuit, ſi ratio eius rei certa eſt, ſi Chriſtus Moyſe minor non eſt; immò ſi Chriſtus illud beneficium Synagogæ contulit, tamquam familiæ ſuæ; Si Eccleſiam Chriſtianam perindè amat, *Hebr. 3.* ac Synagogam amauit; Si Angelum, & nuncium ſuæ voluntatis in Eccleſia Chriſtiana non minùs habet, quàm in Synagoga habebat: Si Angelus Chriſti errare non poteſt: Si *Math. 10.* Petrus inter Chriſti Angelos primus fuit, & *Lucæ 22.* præceſſor. Si alius Pontifex nullus nominari non poteſt, qui perindè ſucceſſerit Petro (pro cuius fide, vt ea non deficeret, Chriſtus rogauit) ac Pontifex Romanus: Si alius nemo fuit, qui tot gentibus Chriſti fidem annunciauit, qui tot hæreſes extinxit, & repreſſit, qui tot fideles in vna fide, & communione adunauit, & cuſtodiuit; cur tibi horrendum axioma videtur, vt dicamus, hunc Angelum Chriſti, hunc noui teſtamenti Sacerdotem, qui ſedet in Cathedra Petri, non poſſe in fide erra-

re? Contra verò, quia nos credimus verbo Dei, & ſcimus Chriſtum menriri non potuiſſe, & legimus, illum pro Petri fide, vt illa in fratribus confirmandis non deficeret, oraſſe, & Petrum vſque ad conſummationem ſeculi, non minùs, quàm alios Apoſtolos in ſucceſſoribus ſuis viuere, & Chriſtum omnibus diebus cum
Matth. 28. illis eſſe, ex Euangelio didicimus: propterea conteſtamor conſilium Chriſti hoc fuiſſe, vt per Epiſcopum Romanum Petri ſucceſſorem, qui errare in fide annuncianda non poteſt, Eccleſiam ſuam potiſſimùm adminiſtraret, non item verò per Chriſtianos Principes, qui & poſſunt, & ſolent in fide errare, atque etiam à fide Chriſti deficere, alioſque innumerabiles populos in eandem ſecum perniciem trahere, maximè ob hoc ipſum, quòd ſint Reges, & potentes in hoc ſeculo. Nec potuit ordo, aut genus hominum vllum à te excogitari Aclert, cui Chriſtiana Eccleſia minùs conſentaneè adminiſtranda gubernaretur. Nam & de rebus Chriſti minimùm ſciunt, & in rebus ſeculi plurimùm poſſunt, & plerumque non paſcunt gregem, ſed mactant; noo plebem amore ad Chriſtum alliciunt, ſed Tyrannide à Chriſto abducunt. Vis dicam paucis? Templa Chriſti, ſacra vaſa, opes Eccleſiaſticas, ipſumque Chriſtum ſibi interdum ſubijcere laborant, vt ne in ſolos homines, aut ſolas res
3. Reg. 11. humanas Imperium tenuiſſe videantur. Noſti, & quid Ieroboam olim in Samaria, & quid nuper Henricus Octauus in Anglia fecerit, qui omnia monaſteria non ad Dei cultum, & honorem, ſed ad ſuæ libidinis vſum, & miniſterium deformauit, obtendens quidem, quòd ſuperſtitionem deleturus erat, revera verò deteſtandum ſacrilegium committens, quia in rem priuatam publicos Chriſti theſauros conuertit.

C A P. V.

Ius numquam deficere, quominùs qualibet ſumma poteſtas ſubiectarum ſibi poteſtatum munera exequi poſſit. Nec ſummam imperandi rationem in his plerumque conſiſtere, quæ à præcipiente geri non poſſit.

IN Monarchia mea dixi, quamlibet ſummam poteſtatem id totum gerere poſſe, quod vlla inferior poteſtas ex ſuperioris præſcripto ſecundùm ſuæ poteſtatis vim, & officium gerit. Nam & Imperatorem id poſſe gerere, quod Tribunitiæ; Regem, quod Prætoriæ; Archithalaſſum, quod gubernatoriæ; Epiſcopum, quod Presbyteralis, aut diaconicæ poteſtatis eſt. Sicut Octauius Auguſtus rerum in Vrbe potitus, non modò ius dici præcepit, verùm & ipſe ius dixit aſſiduè, & in noctem nonnumquam, ſi parum corpore valeret, lectica pro tribunali collocata, vel etiam domi cubans. Dixit autem ius non diligentia modò ſumma, ſed & lenitate.

Moyſes quoque populi Dei ſummus
Exod. 18 Dux, priuſquam à ſocero admoneretur, vt ad minora negotia cognoſcenda iudices conſtitueret, minima quæque de mane vſque ad veſperam iudicauit. Paulus Apoſtolus, quam-
1. Corin. 1. uis non ad baptizandum, ſed ad euangelizandum miſſus: tamen quia poteſtas euangelizandi maior fuit, & poteſtatem baptizandi complexa eſt, fatetur ſe Stephanæ domum etiam baptizaſſe.

Denique Chriſtus ipſe, qui Apoſtolos
Matth. 10. Lucæ 22. iuſſit euangelizare, Dæmones eijcere, infirmos curare, & corpus ſuum in myſterio facere, ipſe quoque euangelizauit pauperibus, Dæmones eiecit, infirmos curauit, corpus ſuum in myſterio fecit, ac Diſcipulis miniſtrauit. Qua propter cum Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi poteſtatem quaſdam Eccleſiaſticas exerceant, ſi Rex Chriſtianus illis etiam in rebus ſacris, & diuinis (vt Anglicani Proteſtantes dicunt) præeſt, ac auctoritate regia præcipit; neceſſe eſt, vt idem Rex poteſtate non careat, aut Euangelizandi, aut Euchariſtiam conficiendi, & miniſtrandi, aut alia munera Ec-
2. Paral. 19. Act. 13. 1. Timot. 4. cleſiaſtica obeundi; Conſtat verò inter ipſos Proteſtantes, Chriſtianos reges non habere poteſtatem hæc munera Eccleſiaſtica gerendi, quia non ſunt ad hoc miniſterium à Deo vocati, vel per manuum impoſitionem addicti, & ſegregati; Non ergo verum eſt, quòd rex Chriſtianus in cauſis diuinis maior ſit Epiſcopis, & Presbyteris, quodque illis præcipere in ijs, quæ Dei ſunt, aut imperare poſſit.

Ità argumentatus ego cum eſſem: Aclerus hanc doctrinam ſibi refellendam ſumens, cum me delirantem, ſtupidum, hebetem, atque adeò inſanum quòd ità concluderem vocaſſet, in vniuerſum ità proponit.

Summa imperandi ratio in his præcipiendis plerumque conſiſtit, quæ geri, aut tractari à præcipiente non poſſint, hæc ille.

Quàm accommodatè ad rem ipſam locutus eſt? nulla calumnia, nulla circuitione vſus, quod ego poſui, hoc ille negauit, vt iam inter nos de ſtatu quæſtionis pulchrè conueniat. Quod ergo tam bellè dixiſti Aclere, quibus tandem argumentis probas? Difficilem ſanè Prouinciam ſuſcepiſti. Nam in quo potiſſimùm cernitur, atque eminet ſumma imperandi ratio? nonne in Auctore omnium
Eccleſ. 31 Pſalm. 102. Deo? Quoniam magna potentia Dei ſolius, & regnum ipſius omnibus dominabitur. Summa igitur imperandi ratio, quæ in ipſo Deo eſt, vtrum in his præcipiendis plerumque conſiſtit, quæ geri, atque tractari à præcipiente non poſſint? an præcipit quidem quidquam Deus, quod idem gerere, atque tractare non queat? quaſi verò vllum verbum impoſſibile ſit apud Deum.

Luca 1. Plùs dico, non ſolùm gerere poteſt Deus quæcumque præcipit, ſed etiam niſi ea
Act. 17. Eſa. 5. nobiſcum vnà gerat, à nemine præterea geri poſſunt. In ipſo enim viuimus, mouemur, & ſumus. Ipſe omnia opera noſtra operatur in
Pſalm. 148. Rom. 9. nobis, & ſine ipſo nihil poſſumus facere, aut etiam cogitare, Ipſe verò dixit, & facta ſunt; mandauit, & creata ſunt. Voluntati autem eius quis reſiſtit? Summa igitur imperandi ratio, quæ Dei propria eſt, non in alijs præcipiendis vnquam conſiſtit, quàm quæ à præcipiente neceſſariò gerenda ſunt. At enim te agere dices non de ſumma imperandi ratione, quæ in Deo, ſed quæ in hominibus eſt. Quid ergo? an ſumma imperandi ratio, quæ

in

in hominibus ex dono Dei propria eſt, illam imperandi rationem, quæ ipſius Dei propria eſt, non imitatur, & refert, quantum poteſt? Ad imaginem quippè Dei conditus eſt homo.
Gen. 1. Itaque poteſtas illa maior etiam humana, quæ ritè iubet, publicum aliquod munus ab alio exerceri, extendit ſe ad eiuſdem publici muneris publicam executionem, vel (te ipſo au-ctore) per aliam ſaltem explicandam. Quod autem per alium quis rectè facit, id per ſeipſum eodem iure facere poteſt, non dico, debet, ſed poteſt.

Eſa. 66. Numquid ego, qui alios parere facio, ipſe non pariam, dicit Dominus? Si ego, qui generationem cæteris tribuo, ſterilis ero, ait Dominus Deus tuus? quaſi dicat. Qui poteſt facere, quod plus eſt, vt videlicet etiam alijs tribuat faciendi aliquid poteſtatem, multò magis quod in eodem genere minus eſt, facere poterit, vt ipſe id faciat, quod alijs præſcribit.

Nam qui per alterum facere aliquid poteſt, duos ad minimum poteſtatis gradus obtinuit, vnum vt faciat, alterum vt etiam per Vicarium ſuum id faciat. Nec quia Vicarium ſubſtituit, ideò ius ſuum perdidit. Quot ego tibi exempla ſummorum Ducum, Regum, & Imperatorum proferre poſſem, quibus laudi maximè datur, quòd interdum Tribuni militum, aliquando Centurionis, nonnumquam verò & militis gregarij officio functi ſunt? Cyrus, Alexander Magnus, Annibal, Scipio, nihil penè militibus imperabant quod non ipſi priùs ſuſceperint, vt exemplo ſuo cæteris præirent. Octauius Auguſtus in imperio poſitus Tribunitiam poteſtatem per ſe exercuit. Quin, & multis munere in bello contra Marcum Antonium geſto functus eſt.

Nam Aquilifero legionis ſuæ grauiter ſaucio, aquilam humeris ſubijt, diuque portauit. Antoninus Pius labores actuum publicorum incredibili diligentia ad ſpeciem optimi Patrisfamilias non modò imperauit, verùm & executus eſt. Suetonius refert, Veſpaſianum Auguſtum reſtitutionem Capitolij aggreſſum, ruderibus purgandis manus primùm admouiſſe, ac ſuo collo quædam extuliſſe. Titum verò Veſpaſiani filium nouiſſima Hieroſolymorum oppugnatione ſeptem propugnatores totidem ſagittarum ictibus confeciſſe.

Hæc alijs in ſummis Imperatoribus preclara, noſtro autem Aclero non tantùm indecora, verùm etiam plerumque illicita videntur. Ait enim, ea, quæ imperantur, geri à precipiente plerumque non poſſe. Vnde hanc regulam ſumpſiſti Aclere? non ex cœlo, alioquin Deus eam non violaret; non ex hominibus, alioquin non laudarentur ſummi Duces, qui gerunt ipſi ea, quæ alijs imperant. Vnde igitur eam Aclere didiciſti? ex Platone inquit.

Nam Plato ait, regem ea, quæ imperat alijs, facere ipſum non oportere, hæc Aclerus. Si Plato aliud Aclere dicit, quàm Deus ipſe facit, & commonſtrat; nonne tutiùs in Deo, quàm in Platone acquieſcis, Deus enim & imperat, & eadem, quæ imperat, facit. Deindè an ignoras Platonis Rempublicam de ijs rebus dici ſolere, quæ potiùs opinionis cuiuſdam excogitata nouitate finguntur, quàm in vſus forenſes, & hominum mores recipi ſolent? Quid verò ſi neque Platonis verbum cauſam tuam adiuuat? Neque enim ait Plato, regem non poſſe facere, quę alijs imperat, ſed ipſum ea facere non oportere. Aliud eſt, Aclere, non poſſe, aliud non oportere, quæ imperantur facere: non oportet facere, quæ non decent: non poſſumus facere, quæ penitùs interdicuntur, & vetantur. Ius deeſt, cùm facere aliquid non poſſumus; decorum verò, cùm non oportet id facere. Non ſemper oportet, regem ſua manu ſicarium homicidij conuictum occidere; poteſt tamen id ipſum ſi vult, quamuis indecorè, non tamen prorſus iniuſtè exequi.

Plato cogitatione ſaltem voluit officiũ regis à miniſtrorum eius opera ſeparare. Ità regi dedit imperandi auctoritatem, miniſtris reliquit exequendi miniſterium: non quòd negaret, poſſe regem id etiam facere, quod magiſtratui ſub ſe conſtituto imperat, nam quod alteri faciendum imperat, id ipſe per alterum facit, quod verò facit per alterum, Plato numquam negauit, regem id per ſe ipſum ſuo iure facere poſſe, quando id, & deceat, & expediat. Iam ſi Plato hoc non docet, quod tu dicis, quid prætereà in medium affers? Si omnia, quæ imperantur ab ipſo præcipiente, geri poſſent, Pontifex Romanus, inquit Aclerus, qui maritis iura præſcribit, etiam ipſe poſſet maritus fieri, & coniugari.

Nunc cauillaris Aclere, neque verò de priuatis oneribus, aut officijs, quæ priuata de cauſa imponuntur, & imperantur; verùm de publicis honoribus, & magiſtratibus iam diſputabamus. Dicimus illa omnia, quæ à ſumma poteſtate inferioribus non perſonis priuatis, verùm magiſtratibus ſecundùm eorundem magiſtratuum publicam poteſtatem imperantur, ab ipſo præcipiente geri poſſe, vti ſatis clarè per exemplorum appoſitionem iam ante docuimus. Noſti enim, & regem eſſe perſonam publicam, & Pontifices, atque Epiſcopos perſonam publicam ſuſtinere.

Itàque ſi rex Epiſcopis, ea, quæ ipſorum publici muneris ſunt, auctoritate regia imperare poſſet, etiam illa eadem Epiſcopi officia, gerere, & adminiſtrare poſſet. Non poteſt autem ex tua confeſſione, Epiſcopi officia gerere, nec ergo imperare. Cæterùm quæ ad perſonam vel emendandam, vel puniendam, vel in officio circa res priuatas continendam, ſpectant, cum nullius publicæ poteſtatis ſint, fit ſæpiſſimè, vt ſolùm imperentur, nec etiam à præcipiente geri poſſint.

Nam Chriſtus, cui omnis poteſtas in cœlo, & in terra data erat, pænitentiam peccatoribus agendam præſcripſit, quam ipſe ab omni peccato immunis agere non poterat, non quòd vlla poteſtate careret, ſed quòd pænitentiam agere, ſit, & alicuius neceſſitatis, & Lucæ 13. maximæ vtilitatis, verùm nullius publicæ poteſtatis.

Itàque cum tu Aclere illud nobis inſtar magni argumenti oppoſueris, poſſe Pontificem iura maritis præſcribere, neque tamen aut ſecundùm te cogi, aut ſecundùm nos (voto caſtitatis iam emiſſo) permitti vt vxorem ducat; & indè concluſeris plerumque id præcipi poſſe, quod geri à præcipiente non poſſit; cauillatus es, non argumentatus. Nam du-

ducere vxorem ad nullam poteſtatem publicam, ad nullum munus Eccleſiaſticum, ſed tantùm ad perſonale certorum hominum officium, poſtquam ſemel id promiſerunt, omninò ſpectat. Alioqui Chriſtus, cui omnis poteſtas data eſt, & qui omnem iuſtitiam impleuit, vxorem duxiſſet. Matth. 28.

Immò Apoſtolus docet, acceptionem vxoris, magnum impedimentum ad res Dei gerendas afferre. Nihil igitur, quod ad rem facit, protuliſti. Nos enim loquimur de ſumma poteſtate id fieri iubente, quod ab alia inferiore eiuſdem generis poteſtate obeundum eſt. Matth. 3. 1. Corin. 7.

In hac cauſa dico, ſummam poteſtatem gerere ipſam poſſe, quidquid inferior poteſtas ex eius præſcripto ſecundùm ſuam poteſtatem gerit. Cæterùm tu fateris, non poſſe regem tractare ſacra, fateris, Reginam tuam iure diuino prohiberi, quo minùs, aut verbum Dei prædicet, aut Euchariſtiam conficiat. Debes igitur fateri, quòd neque auctoritate ſua regia ijſdem rebus gerendis præſit. 1. Cor. 14.

CAP. VI.

Ex Acleri doctrina effici, vt vel Dei verbum, & ſacramenta diſpenſare, humile quoddam ſit, abiectumque officium; vel certè Rex, qui ea diſpenſare non poteſt, eorum diſpenſatoribus præeſſe multò minùs poſſit.

ACLerus dicit, Principes ſuos non annunciare Dei verbum, nec miniſtrare ſacramenta; ſed ijs, qui Eccleſiaſtica poteſtate præditi ſunt, auctoritate regia præcipere, vt hæc faciant. Si quæram abs te Aclere, cur tui Principes ea Chriſti ſacramenta, quæ miniſtrari ab alijs iubent, ipſi prohibeantur miniſtrare: quid tandem cauſæ afferes? Cùm enim plus ſit iubere aliquid fieri, quod ſemper eſt alicuius poteſtatis, quàm id ipſum facere, quod interdùm etiam priuatis mandatur: cui autem maius aliquid committitur; ei quod in eodem genere minùs eſt, multò magis commiſſum intelligi ſoleat: neceſſe eſt, vt qui aliter dicit, rem comparatam eſſe, eius rei propriam reddat, ac præcipuam rationem.

Equidem ſcio, multa rectè imperari, quæ rectè ab imperante non fiunt, ſed id non euenit, quia ius faciendi, verùm quia decorum deeſt. Epiſcopus rectè iubet pro Eccleſia Dei contra hoſtes fidei Chriſtianæ arma ſuſcipi, & bellum geri; ſed ipſe propria manu pugnare non debet, quia incruento Euchariſtiæ ſacrificio ſubſeruit: nec decet eum fundere alienum ſanguinem, qui ex miniſterij ſui ratione potiùs profitetur ſe proprium ſanguinem pro alijs fuſurum eſſe, vt Chriſtum opere imitetur, quem miniſterio ſuo refert, & annunciat. 1. Cor. 11.

Quia igitur propria manu pugnare, indignius quiddam, & abiectius eſt, quàm vt Epiſcopi conditionem id facere deceat: propterea, licet Epiſcopo ad bellum, quod ipſe manu ſua non debet gerere, alios inuitare. Sed cum Chriſti Sacramenta populo diſpenſare indignum officio regis non ſit (alioqui Chriſtus ipſe Rex regum Euchariſtiam ſuis manibus non miniſtraſſet) relinquitur, vt Rex ob id ſolùm Chriſti Sacramenta miniſtrare non poſſit, quòd hoc ſpirituale miniſterium multò ſit ſublimius, & diuinius, quàm vt Rex terrenus id exequi permittatur: ſicut Leuitici Sacerdotes olim ad Regem Iudæorum dixerunt, Non eſt tui officij Ozia, vt adoleas incenſum Domino, ſed Sacerdotum, hoc eſt filiorum Aaron, qui conſecrati ſunt ad huiuſmodi miniſterium. Miniſtrare enim Dei ſacra, honoris maximi eſt. Vnde Paulus ait, Nec quiſquam ſumet ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tamquam Aaron. Sic & Chriſtus non ſemetipſum clarificauit, vt Pontifex fieret. Luc. 22. 2. Paral. 26. Heb. 5.

Quapropter cum Rex non ideò prohibeatur miniſtrare Sacramenta, quaſi hoc officium humilius ſit, & abiectius, quàm vt regi conueniat, ſed tantùm, quia rex ad tantum honorem non ſit aſſumptus, & conſecratus; cumque Sacramenta Chriſti veteris legis cæremonias infinito dignitatis interuallo ſuperent; neceſſe eſt, Regem Chriſtianum ex eo ſolo, quòd Rex Chriſtianus ſit, non eſſe idoneum noui Teſtamenti Miniſtrum; & ideò nec Euangelizare, nec Baptiſmum, & Euchariſtiam miniſtrare poſſe. 2. Cor. 3.

Quod cum ità ſit, quantò minùs poteſt ijs, qui ad eum honorem conſecrantur, vt Sacramenta Chriſti ritè adminiſtrent, in ea ipſa cauſa vi ſuæ Regiæ auctoritatis præeſſe, & imperare? Nam qui ad minus aliquod, & inferius officium gerendum idoneus non eſt, quantò magis ab altiore, & maiore eiuſdem rationis officio arceri debet? Plus eſt ſacris gerendis præeſſe, quàm ſacra ex alterius præſcripto gerere. Sed Rex Chriſtianus non poteſt quicquam Eccleſiaſticorum munerum adminiſtrare; quia ad huiuſcemodi miniſterium conſecratus nō eſt. Multò igitur minùs poteſt ſūmi gubernatoris, & ſupremi capitis munus in rebus Eccleſiaſticis moderandis obire, quia nec ad illud conſecratus eſt. Niſi fortè cui non licet oſtiarium agere, is ad ſummi Pontificatus Apicem aſſequendum aſpirabit. Atque ità quidem ſe veritas habet. 2. Paral. 26.

Sed cum Aclerus aliter ſentiat, Regumque Chriſtianorum in ſacris moderandis ſummam poteſtatem tueatur, & aſſerat; neceſſe eſt, vt ille ſtatuat, ideò regem ſacra non tractare, quoniam hoc plebeium quoddam, & vulgare munus videatur: eundem verò ſacris adminiſtrandis præeſſe, quia hoc ſit regiæ cuiuſdam, immò & diuinæ dignitatis. Nam eouſque regibus hodie nefarij homines adulantur, vt omnia diuina, & humana illorum pedibus ſubiecta eſſe confingant. Et cum ferre non poſſint, vt quidquam vſpiam, præterquàm ex regis arbitrio fiat, regem fecerunt, non ſolùm Reipublicæ (vt verè eſt) verùm, & Eccleſiæ ſummum caput proximè ſecundùm Chriſtum ipſum, quo nihil à vero alienius eſſe poteſt.

Hinc tantus miniſtrorum Chriſti contemptus conſecutus eſt, vt nihil in tota Anglia, Scotia, & Hibernia vilius clero, aut abie-

abiectius habeatur; nec iniuria. Vbi enim omnes in regem ſecularem, tamquam in ſummum caput, & ideò tamquam in typum, & formam Eccleſiæ intuentur, ad cuius mores, & vitam reliqua membra ſeſe conformare debeant; ibi neceſſe eſt, ità quemque in maximo pretio eſſe, vt proximè ad ſecularis vitæ ſummam vanitatem aſpirat: Eos autem, qui Clero aſcribuntur, homines nihili, & depreſſæ mentis, cogitationiſque reputari. Ex quo etiam fit, vt contempto eorum miniſterio, ipſa Chriſti Sacramenta contemnantur, qui fructus eſt vberrimus regiæ in cauſis Eccleſiaſticis præfecturæ.

Ex perpetua Eccleſiæ Britannicæ, & Anglicanæ hiſtoria conuincitur, antiquos Britanniæ, & Angliæ Reges Romani Pontificis Primatum ſemper agnouiſſe: tantum abeſt, vt ijdem Reges omnium Eccleſiarum gubenationem in ſe ſuſceperint.

Acletus non eſt veritus affirmare, Lucium Regem, qui primus ex Regibus Britannicis fidem Chriſti confeſſus eſt, omnem Eccleſiarum gubernationem in ſe ſuſcepiſſe, & alibi: Reges Britannici, ait, ſupremam ſemper Eccleſiaſticæ diſciplinæ auctoritatem exercebant. Quod ipſum Anglorum etiam Reges ſibi ſumpſiſſe, non tàm docet, quàm dicit. Res autem ità ſe habuit:

Act. 18. Cum ſalutare Dei à Iudæis repulſum per DiſcipulosDomini ad gentes longinquas ferretur, antiqua Eccleſiæ Britannicæ traditio (quam nec tu Aclere negas) commemorat Ioſephum ad Arimathea, eum, qui Chriſtum ſepeliuerat, vſq; in Britannias nauigantem, docuiſſe illos populos paulò antè à Romanis domitos fidem Chriſti: extat vſque in hodiernum diè Ioſephi eiuſdem in Britannia monumentum, & quamuis tacita (propter veſtram Aclere tyrannidem) tamen iuſta veneratione à Catholicis Britannis, & Anglis ad Cœnobium Glaſcouienſe colitur, id, quod nemo Anglorum ignorat. Creſcente igitur in Britannia Chriſtianæ fidei ſemine, quod à Ioſepho primùm ſpargi cœptum eſt, tantùm per Dei gratiam fructus redundauit, vt in ipſo etiam Regis prætorio Verbum Dei manifeſtaretur.

Itàque circiter annum Incarnationis Domini centeſimum, & ferè octuageſimum Lucius Britanniæ Rex, fide Chriſti ſuſcepta, miſit ad Eleutherium Epiſcopum Romanum, vt eius mãdato Chriſtianus fieret. Eleutherius verò Fugatium, & Damianum ad Regem ablegauit, qui eum ritè, atque ordine baptizarent. Hæc neque Pontificale Romanum tacet, neque venerabilis Beda in hiſtoria gentis Anglorum omittit, neque Acletus negat.

Quæro iam abſte Aclere, vnde factum putes, vt Rex Lucius potiſſimùm ab Eleutherio Papa Chriſtianæ fidei auctoritatem ſibi petendam iudicaret? Vtrùm alij viciniores Epiſcopi non erant? aut ſi erant, obſcuri, & ignoti latitabant? Hoc tu quidem inſinuas, cum de hac re agis.

Sed primùm ex Euangelio conſtat, non potuiſſe latitare Chriſtianos Epiſcopos. Epiſcopoi enim apud Ioannem appellantur Stellæ, & Angeli, cum ait, Septem Stellæ Angeli ſunt ſeptem Eccleſiarum, & candelabra ſeptem, ſeptem Eccleſiæ ſunt. Stellæ autem factæ ſunt, vt non latitarent, ſed vt lucerent ſupra terram: vnde Chriſtus ipſe Apoſtolos ſuos vocans lucem Mundi, mox ſubiungit, Non poteſt Ciuitas abſcondi ſupra montem poſita, neque accedunt lucenam, & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo ſunt, atque vt intrantes videant lumen. Si ergo Chriſtus Apoſtolos, & eorum ſucceſſores Epiſcopos fecit lumen Mundi, eoſdemque ſuper candelabrum, hoc eſt, in loco alto, & eminente conſtituit, tùm vt Chriſtiani omnes, qui ſunt in domo, tùm vt catechumeni omnes, qui in domum intrant lumen doctrinæ fidei videant, & ſequantur: Si probauero, fuiſſe in locis viciniorибus Eccleſias fideles, & Chriſtianas, vtique ſtatim conuinci latitare earundem Eccleſiarum Paſtores non potuiſſe. Apoc. 1. Gen. 1. Matth. 5. Luc. 8.

Irenæus igitur, qui eadem ætate, qua Rex Lucius floruit, & ipſe fuit magnus Epiſcopus, & de aliarum gentium Eccleſijs ità ſcribit. Hanc fidem Eccleſia in vniuerſum Mundum diſſeminata, diligenter cuſtodit, quaſi vnam domum inhabitans: Nàm & ſi in modo loquelæ diſſimiles ſunt, ſed tamen virtus traditionis vna, & eadem eſt.

Et neque hæ, quæ in Germania ſunt fundatæ Eccleſiæ, aliter credunt, neque hæ, quæ in Hiberis ſunt, neque hæ, quæ in Celtis, neque hæ quæ in Oriente, neque hæ quæ in Ægypto, neque hæ, quæ in Libya, neque hæ, quæ in medio Mundi ſunt conſtitutæ. Sed ſicut ſol creaturæ Dei in vniuerſo Mundo vnus, & idem eſt, ſic & lumen, & prędicatio veritatis vbique lucet, & illuminat omnes homines, qui volunt ad cognitionem veritatis venire. Hęc Irenęus.

Ex cuius verbis conſtat Eccleſias iam tum fuiſſe; & apud Celtas (qui ſunt populi Galliarum) & apud Hiberos (qui ſunt populi Hiſpaniarum) & apud Germanos, quorum patria omnibus nobis nota eſt.

Porrò iſti tres populi multò ſunt Britannis propinquiores, quàm Latini, aut Romani, quos trans alpes Britannis fuiſſe, atque adhùc eſſe conſtat. Cùm ergo in Hiſpanijs, in Gallijs, in Germania, Chriſtianæ Eccleſiæ fuerint, nec illis paſtores, atque Epiſcopi deeſſe potuerint, qui eos regerent, & docerent (nam & ipſe Irenęus, qui hęc ſcripſit, erat Epiſcopus Lugdunenſis) nec aut Eccleſia Taraconenſis in Hiſpanijs, aut Arelatenſis, & Pariſiorum in Gallijs, aut etiam Treuirenſis Epiſcopali Sede carebat; neceſſe eſt, Lucium Britanniæ Regem non ideò ſuſcipiendi baptiſmi auctoritatem ab Eleutherio Pontifice Romano petijſſe, quòd alium viciniorem Epiſcopum nullum ſciret, quinimò veriſimile eſt, nec in Britannia defuiſſe Epiſcopum, aut ſaltem Presbyterum, qui Regem baptizaret.

Neque verò credendum eſt, aut Ioſephum

phum ab Arimathea, aut paſtores, qui eum ſecuti ſunt, Chriſtianam Religionem in Britannijs ità fundaſſe, & ſtabiluiſſe, vt neque Epiſcopum, neque Presbyterum illis relinquerent, cùm legamus, Apoſtolos Paulum, & Act. 14. Barnabam ſingulis Eccleſijs, per quas tranſierunt conſtituiſſe Presbyteros: itemque Titum in Creta reliquiſſe, vt oppidatim Presbyteros conſtitueret: Et certè idem in Ioſepho, qui & in Paulo ſpiritus Dei erat, eiuſdemque Eccleſiæ membra eodem modo regebantur. Quid ergo eſt? vtique Paſtores, & Doctores Eccleſiæ Britannicæ cum viderent tantam Euangelij Meſſem ſuccreſcere, & iam Rex ipſe in horreum Eccleſiæ intraturus eſſet, auctores eidem regi fuerunt, vt ab ipſo viſibilis Eccleſiæ primo Paſtore fidei Chriſtianæ rudimenta exciperet, quò fides maiore cum auctoritate in Britannijs propagaretur. Neque enim antiqui Paſtores Eccleſiarum ſe ipſos patiebantur, Magiſtros, atque Auctores doctrinæ Chriſtianæ haberi, ſed ad Chriſtum auctorem, & Ducem primùm, Diſcipuloſque eius, & Apoſtolos omnia referebant. Itàque cum Cathedra prima, & ſingularis Romæ à Ieſu Chriſto per Apoſtolorum Principem fixa eſſet, curarunt, vt Rex Lucius indè potiſſimùm ſuæ initiationis robur acciperet.

Illud quidem luce meridiana clarius eſt, Regem Lucium, qui non niſi ex mandato Romani Pontificis baptizari voluit, nunquam exiſtimaſſe ſe ipſum in Dei cauſis Romano Pontifice maiorem. Alioqui mandatum Papæ baptiſmum ſolemni ritu accipiendum nequaquam imploraſſet. Qui verò ne baptizari quidem abſque Pontificis iuſſu in animum induxit, quantò minùs Epiſcopos Papa inſciente, aut inuito in regno ſuo auctoritate regia creaſſet?

At enim Acterus, qua eſt audacia, dicit, non Lucium modò regem ſuſcepiſſe in ſe omnem religionis curam, ſed præterea Pontificem Eleutherium, vt id faceret, ei auctorem extitiſſe. Itàque ipſius Papæ Eleutherij literas haſtenùs inuiſas, & inauditas, nunc demùm in lucem profert, quibus ait, Pontificem his verbis Lucium Britanniæ Regem ſalutaſſe. Suſcepiſtis, inquit ad Lucium Eleutherius, nuper miſeratione diuina in Regno Britanniæ legem, & fidem Chriſti; habetis vos in Regno veſtro vtramque paginam: ex illis Dei gratia per Conſilium Regni veſtri ſume legem. Vicarius enim Dei eſtis in Regno veſtro, & quæ ſequuntur.

Primùm quæro aſte Actere, vnde ſcias, hanc eſſe Papæ Eleutherij epiſtolam. Certè inter Pontificum decretales epiſtolas, neque ab Iſidoro Hiſpalenſi, neque à Beda noſtro, neque à quoquam alio, qui epiſtolas Pontificum collegerit, & vnquam relata fuit. Iàm verò ſi tu etiam epiſtolas, quæ in tomis conciliorum extant, quæ ab Iſidoro, & Beda laudantur, quæ ab Iuone, Burchardo, & Gratiano, alijſque ſcriptoribus Eccleſiaſticis paſſim celebrantur; tamen illorum Pontificum, quorum nomina præſeferunt, veras epiſtolas eſſe negare audes; quantò æquiùs eſt, vt nos tibi negemus, hanc eſſe Pontificis Eleutherij epiſtolam, cum ex maioribus, aut tuis, nec vnum producere queas, qui eam audiuerit, aut legerit vnquam, nedum approbarit? Deindè, quis tibi det eius ætatis, qua vixit Eleutherius, fuiſſe, pulchram illam numeri Enallagen, habetis vtramque paginam, ſume legem. Omitto ſimilia quædam alia, quæ in eadem epiſtola continentur. Id verò maximè omnium vrgeo: Etiam ſi hanc epiſtolam Pontificis Eleutherij eſſe concederem: non tamen indè apparet, vt tu dicebas, Regem in ſe omnem Religionis curam, omnemque Eccleſiarum gubernationem ſuſcepiſſe.

Neque verò aut epiſtola hæc tale quippiam Lucio Regi defert, aut ſi deferret, id Regem ſuſcepiſſe, vel ex eadem epiſtola, vel aliundè planum facis. Non enim omnia, quæ nobis ab alio deferuntur, ſtatim neceſſariò nos accipimus. Nunc autem ne delatum quidem Lucio Regi ab Eleutherio fuit, quod tu eum ſuſcepiſſe affirmas. Nàm quod Eleutherium ſcripſiſſe ais, Lucium Regem Vicarium Dei fuiſſe in Regno ſuo; quid obſecro aliud tu putas Vicarium Dei, quàm Dei miniſtrum ſignificare? Vicarius enim Dei eſt, qui Dei vicem gerit, quam vtique gerere, eſt Dei miniſtrum eſſe. Nàm ſiue res parua, ſeu magna ſit, quam in nomine Domini gerimus, eatenùs quidem miniſtros, & Vicarios Dei agimus, quatenùs perſonam illius ſuſtinemus. Miniſter autem Dei in Regno ſuo etiam Nero, etiam Diocletianus, etiam Iulianus apoſtata fuit,

De omnibus enim illis, atque etiam de ducibus, quos illi miſerunt, Paulus dixit: Non fruſtrà gladium portat, Dei enim miniſter eſt. Vt igitur Nero etiamſi fuit Dei Vicarius in Rom. 13. Regno ſuo, non tamen omnem Religionis curam, non omnem Eccleſiarum gubernationem aut in ſe ſuſcepit, aut etiam rectè, atque Ordine ſuſcipere potuit.

Sic ex eo, quòd Papa Eleutherius Regem Lucium Dei Vicarium in Regno ſuo vocaſſet, tu numquam rectè concluſeris, quòd propterea Lucius omnem in ſe Religionis curam, omnemque Eccleſiarum gubernationem rectè, atque ordine ſuſceperit. Præterea, ſi Lucius Rex, auctore Papa Eleutherio, curam omnem Religionis in ſe ſuſcepiſſet; nonne interim huius ſuſceptionis auctoritas tota penès Pontificem priùs fuiſſet, quàm ille eam in Lucium Regem tranſtuliſſet? Dices, opinor, Eleutherium Papam non tribuiſſe noui quicquam Lucio, ſed tantùm declaraſſe ea in cauſa iuris Diuini veritatem. At ipſa illa declaratio ſi nullius auctoritatis eſt, quorſũ à te profertur? Sin alicuius eſt roboris, vtique id ſaltem ex tua confeſſione ad Pontificis auctoritatem pertinet, vt declaret Regibus Chriſtianis, quod illorum ſit officium, quæ poteſtas. Rex igitur Lucius, qui hanc explicationem officij ſui ab Eleutherio petijt, nec omnem Religionis curam, nec omnem Eccleſiarum gubernationem in ſe ſuſcepit. Niſi fortè declaratio Pſal. 118. ſermonum Domini (vt Rex Dauid ait) illuminat, & intellectum dat paruulis, nullo in numero abs te habeatur.

Vide nunc Actere quantùm inter ſuam, & noſtram aſſertionem interſit. Quicquid nos (quod ad rem geſtam attinet) affirmamus, tu id ità geſtum eſſe concedis, id ſolùm negans, quod ex eo nos illatum, atque effectum cupimus.

Concedis Lucium Britanniæ Regem

cum

Digitized by Google

cum alij viciniores Epiſcopi non deeſſent, petiuiſſe, vt ex mandato Eleutherij Pontificis Romani Chriſtianus fieret. Indè nos magna ratione adducti concludimus, Lucium Regem agnouiſſe Pontificis Romani auctoritatem, ſua longè maiorem in rebus Eccleſiaſticis. Quod poſterius tu nobis non das. Tu verò ex altera parte dicis, Eleutherium Papam ſcripſiſſe Regi Lucio, eum in Regno ſuo eſſe Dei Vicarium. Vndè colligis, Regem in ſuo Regno etiam in rebus Eccleſiaſticis quolibet Pontifice maiorem eſſe. Hic nos non ſolùm dicimus, te rectè nihil concludere, ſed prætereà id pro vero antè omnia ponere, quod nullo modo ſciatur verum eſſe. An ſuperiores in cauſa te ipſo iudice non ſumus? Nàm & hiſtoria certa eſt, ſupra quam nos argumentationem noſtram ædificamus, & ex eadem inferimus, non modò probabilem, ſed & claram, & perſpicuam concluſionem, quæ nobis etiam tacentibus ſe ipſam vltrò pateſacit. Quid enim certius, quàm illud, qui auctoritatem rei gerendæ ab alio petit, maiorem ſe illum alium agnoſcere, & confiteri? Prætereà tam fuit notum omnibus Chriſtianis, atque ijs nominatim, qui Britanniam incolebant, Epiſcopos nouos in locis nondùm Chriſto ſubiectis, præcipuè ab Apoſtolica Sede Romana petendos, & conſtituendos eſſe; vt venerabilis Beda referat ſanctum Patritium à Domino miſſum, quò Euangelium in Hybernia prædicaret, veniſſe ad caput omnium Eccleſiarum Romam, vt accepta indè auctoritate prædicaret cum fiducia verbum Chriſti, quod etiam in Hybernia magno cum fructu fecit. Hæc Beda.

Nec multò poſteà Hyberniæ Epiſcopi ad Sedem Apoſtolicam ſcripſerunt, quærentes quo pacto ij reconciliandi eſſent, qui Neſtoriana hæreſi fuerant infecti. Qua de cauſa Gregorius Magnus ad Quirinum, & cæteros in Hyberniam Epiſcopos Catholicos literas dedit, quæ in regiſtro ipſius adhùc extant libro 9. indict. 4. epiſt. 61.

Proſper etiam fideliſſimus omninò hiſtoricus ait, Cœleſtinum Papam liberaſſe Britannias morbo hæreſis Pelagianæ, quando quoſdam inimicos gratiæ, ſolùm ſuæ originis (ideſt regionem Britanniæ, vndè Pelagius ortus erat) occupantes etiam ab illo ſecreto excluſit Oceani, & ordinato Scotis Epiſcopo, dùm Romanam inſulam (ideſt Britanniam) ſtudet ſeruare Catholicam, fecit etiam Barbaram (ideſt Scotiam, nàm Scoti paulò antè ex Hybernia in Britanniam tranſiuerant) Chriſtianam. Hæc Proſper.

Ex cuius verbis perſpicuè apparet, Epiſcopum Romanum iàm indè ab initio ſummam poteſtatem in Britannica Eccleſia exercuiſſe, ſiue priorem Eccleſiam oportebat in Britannia ſeruari Catholicam, ſeu nouam apud Scotos erigi, & fundari.

Non igitur (vt tu Aclere impudenter aſſeris) Reges Britannici ſupremam ſemper Eccleſiaſticæ diſciplinæ auctoritatem exercuerunt.

Cùm autem Saxones nondùm Chriſtiani ad opem Britannis contra Pictos ferendam vocati, Britanniam occupaſſent, beatus Papa Gregorius (vt verbis Bedæ vtar in hiſtoria gentis Anglorum libro 2. cap. 1.) cùm primùm in toto Orbe gereret Pontificatum, & conuerſis iam dudùm ad fidem veritatis eſſet Prælatus Eccleſijs, Anglorum gentem eatenùs idolis mancipatam, Chriſti fecit Eccleſiam.

Gregorius verò cùm Auguſtinum ad Anglos miſiſſet, iſque iàm ab Ethelberto Cantij Rege perbenignè acceptus Euangelij verbum diſſeminaſſet, adeò vt Rex ipſe fidei Sacramentum ſuſciperet, nùm deinceps omnia Regis arbitrio permiſit? aut Rex Ethelbertus (quod Acletus aſſerit) ſupremam Eccleſiaſticæ diſciplinæ auctoritatem exercuit? Nihil minùs ipſum Gregorium huius rei locupletiſſimum teſtem audiamus.

Cùm enim quid Auguſtinus fecerat, accepiſſet, ad eum ſcripſit in hæc verba: Per loca ſingula duodecim Epiſcopos ordines, quatenùs Londinenſis Ciuitatis Epiſcopus honoris pallium ab hac Apoſtolica Sede percipiat. Eboracenſis quoque Epiſcopus duodecim Epiſcopos ordinet, & Metropolitani honore perfruatur. Sed tua fraternitas Britanniæ Sacerdotes habeat ſubiectos. Hæc Gregorius. Gregor. in reg. lib. 12. cap. 25.

Vides iàm ſupremam Eccleſiaſticæ diſciplinæ auctoritatem in Britannia fuiſſe penès Auguſtinum Anglorum Apoſtolum, quem Pontifex Romanus etiam Archiepiſcopis ipſis præfuit, & non penès Regem Ethelbertum, etiamſi eſſet Chriſtianus.

Refert autem Beda contendentibus de Lib. 3. c. 25.
Paſchæ reſeruatione hinc Colmanno, indè Vuilfrido, cùm ille Ioannis Apoſtoli, & patris Columbæ, hic autem Petri, & Pauli traditionem vrgeret, dixiſſe Vuilfridum. Et ſi ſanctus erat Columba veſter, & Chriſti erat, nùm præferri potuit beatiſſimo Apoſtolorum Principi, cui Dominus ait: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meã; Matth. 16.
& portæ inferi non præualebunt aduersùs eam; & tibi dabo claues Regni Cœlorum? Hęc perorante Vuilfrido, Rex Saxonum Oſiri dixit: An vtriq; veſtrum in hoc conſentiunt, quòd hæc principaliter Petro dicta, & ei claues Regni Cœlorum ſint datæ à Domino? Reſponderunt etiam, vtique. At ille ità concluſit. Et ego vobis dico, quia hic eſt oſtiarius ille, cui ego contradicere nolo; ſed, in quantum, noui, & valeo, huius cupio in omnibus obedire ſtatutis.

Audi Aclere, Britannicus Rex Petri, & ſucceſſorum eius (nàm de his agebatur) ſtatutis obedire cupit, idque in omnibus tantum abeſt, vt ſibi ſupremam Eccleſiaſticæ diſciplinæ auctoritatem ſumat.

Beda verò adiungit paulò poſt de eodem Rege, Oſiri veraciter intellexerat, quia Romana eſſet Catholica, & Apoſtolica Eccleſia. Vndè tam ipſe, quàm Egbertus Cantianorum Rex Vuigardum Romam miſerunt, vt accepto gradu Archiepiſcopatus, Catholicis Anglorum Eccleſijs per omnem Britanniam ordinare poſſit Antiſtites. Hæc Beda.

Quo etiam narrante didicimus, quòd Vuilfridus Nordantrumborũ Epiſcopus cùm regnante Egfrido pulſus eſſet Epiſcopatu, Romam iuit, vbi cauſa cognita dimiſſus eſt cum hoc elogio:

Vuil-

Vvilfridus Eboracenſis Apoſtolicam Sedem de ſua cauſa appellans, & abſolutus, & cum alijs Epiſcopis centum vigintiquinque in Synodo, in iudicij ſede conſtitutus pro omni Aquilonari parte Britanniæ, & Hyberniæ inſulis, fidem Catholicam confeſſus eſt.

Cùmque iterùm à Rege Alfrido pelleretur Epiſcopatu; ſcriptum eſt ab Apoſtolico Papa Ioanne ad Reges Edilfredum, & Alfridum, vt eum in Epiſcopatum ſuum facerent recipi. Hæc Beda.

Cùm igitur Epiſcopi Anglorum à Regibus ipſis ad Pontificem Romanum appellationes interponerent, & cauſæ aliter Romæ, quàm in Anglia deciſæ non ſecundùm Anglicanæ, ſed ſecundùm Romanæ Eccleſiæ ſententiam, vim obtinerent; numquid tamen dices, Britanniæ Reges ſupremam Eccleſiaſticæ diſciplinæ auctoritatem ſemper exercuiſſe? Itá ne? An ſupremam vocas auctoritatem, qua ſuperior alia eſt? aut ſuperior illa non eſt, ad quam fit appellatio?

Quid hîc aliud dices Aclere? niſi te adulatum eſſe Reginæ tuæ, vt dùm malè de veritate Dei mereris, interim tibi benè à Regina tua fieret?

Quid quærimus? vtrùm veriſimile eſt, illos Reges Angliæ, qui Regnum ſuum terrenum Pontifici Romano in honorem diui Petri vectigale fecerunt, ſpiritalem eiuſdem Regni gubernationem eidem Pontifici denegaſſe?

Iuas Occidentalium Saxonum Rex ſingulos argenteos nummos in ſingulas domos Pontifici Romano quotannis perſoluendos primus Regum Angliæ curauit, circiter annum Domini ſeptingenteſimum & quadrageſimum; quod tributum cum denarij ſancti Petri vocaretur, vſque ad memoriam noſtram perſeuerauit.

Cùm autem quo tempore Iuas Occidentalium Rex illud ſuum Regnum Sedi Romanæ tributarium fecit, ſeptem, aut octo Regna in Anglia eſſent; miro Dei conſilio factum eſt, vt illud Regnum, quod Eccleſiæ Romanæ ſe ipſum primò ſubiecerat, cætera omnia in ſuam poteſtatem redigeret.

Ac ne quis fruſtrà hoc à me dictum exiſtimet; is animaduertat Egbertum eiuſdem Occidentalis Regni ſucceſſorem, cùm Regna quatuor, hoc eſt, Mercios, Cantianos, Northumbros, & Orientales Saxones circiter annum Domini octingenteſimum & trigeſimum ſubiugaſſet, primum impoſuiſſe nomen Angliæ omnibus illis regionibus, quas Picti, & Scoti non occupaſſent: deindè filium eius Ethenolphum cùm voti cauſa Romam iuiſſet, eam quoque inſulæ partem, quam pater ſuus nuper ad Regnum adiunxerat, vectigalem Pontifici Romano feciſſe, vt itá & principium, quo Iuas id inchoauit, & medium, quo Egbertus in eodem opere progreſſus eſt, & finis, quo Ethenolphus iam idem conſumat, fidem faciant, tùm Angliæ Regnum Eccleſiæ Romanæ tributarium à prima origine ſua fuiſſe, tùm id Regnum, quòd ſe Romano Pontifici priùs ſubiecit, præ cæteris omnibus vincere, ſtare, florere, & maximè diuturnum eſſe. Neque mirum. Quemadmodùm enim benè homini eſt, ſi corpus ſuum ſpiritui pareat: ſic & res corporeas, earumque gubernatorem, optimo loco eſſe conſtat, quando ei ſubeſt, qui ſummam poteſtatem in animam tenet.

Cæterùm, vt eò redeamus, vndè primùm digreſſi ſumus, ſi reges Angliæ etiam terrena ſua bona in honorem beati Petri ſanctæ Sedi Apoſtolicæ dedicarunt; quis dubitet, quin multò magis agnouerint, Eccleſiam Romanam in omni iuriſdictione ſpiritali, & Eccleſiaſtica ſe ipſis maiorem, & ſuperiorem exiſtere? Sed quid argumentor? Nonnè cum apud Anglos ob Epiſcoporum paucitatem, & incuriam Chriſtiana pietas frigeſceret, Ioannes Papa Decimus Edouardum Regem tamquam ouem ſuam admonuit, Porrò cum eius rei culpa non in rege tantùm, ſed etiam in Archiepiſcopo Cantuarienſi hæreret, Archiepiſcopus cum Epiſcopos in Synodo prouinciali ſubſtituiſſet, negligentiamque ſuam emendaſſet, poſteà non apud Regem cauſam dixit, ſed ſui purgandi cauſa Romam eſt profectus, vt ſcias penès Romanum Pontificem tunc fuiſſe ſupremam Eccleſiaſticæ diſciplinæ auctoritatem.

Præterea, cum Presbyteri ſæculares, ſub rege Edgaro parum caſtè in Eccleſijs ſuis viuerent, vtrùm eius rei cognitio, & emendatio à rege ſuſcepta eſt? Imò rex Edgarus Papam Ioannem Decimumtertium rogauit, vt ſanctiſſimis Epiſcopis Elheluodo Vintonienſi, Dumſano Vegoricienſi, & Oſuualdo Eboracenſi liceret eiectis ex Eccleſijs Cathedralibus Canonicis ſecularibus monachos Apoſtolica auctoritate ſurrogare? Quomodò igitur penès regem ſuprema Eccleſiaſticæ diſciplinæ auctoritas fuit, ſi is, quod in moribus clericorum caſtigandis valdè fieri cupiebat, non ipſe facere auſus eſt, verùm Pontifici Romano, vt id faceret, ſupplicauit.

Sanctus verò Edouardus Chriſti non minùs vita, quàm fide confeſſor ad Nicolaum Papam ſcripſit his verbis, vtì Abredus, & ipſe multis ab hinc ſeculis florens in vita eiuſdem Edouardi atteſtatur. Summo vniuerſali Eccleſiæ Patri Nicolao, Edouardus gratia Dei Anglorum Rex debitam, & ſubiectionem, & obedientiam.

Iuſtum iudicamus apud vos, velut ad ſolidam petram acuere, & probare omnes bonas actiones noſtras, quatenùs eas donationes, & priuilegia, quæ obtinuimus apud prædeceſſorem veſtrum, renouetis, & augeatis nobis.

Ego quoque pro modulo meo augeo, & confirmo donationes, & conſuetudines pecuniarum, quas habet ſanctus Petrus in Anglia, & quæ ſequuntur. Mihi certè in hac cauſa ad audaciam Acleri contundendam ſatis iam dictum eſſe videretur, niſi quòd ipſe, neſcio, quid falſi de his etiam regibus, qui ex gente Normanniæ in Anglia regnarunt, commentus videtur?

Cum ergo Guilielmus Normanniæ Dux Edouardo regi ad regnum Angliæ recuperandum ſuppetias tuliſſet, ob eamque cauſam Edouardus Guilielmo fidem dediſſet, ſi abſque liberis moreretur, Guilielmum ei eſſe in regno Angliæ ſucceſſurum: mortuoque ſine libe-

liberis Edouardo, Haraldus regnum occupaſset, nec aut Guilielmo cederet, aut filiam eius in vxorem acciperet, aut poſt mortem ſuam Guilielmo ſuccedendi poteſtatem faceret; Guilielmus Haraldo bellum inferens, victoriaque potitus, à Stigando Cantuarienſi Epiſcopo petijt, vt ſe inungeret, ac regio diademate coronaret.

Stigandus verò, qui eum velut tyrannum, & alieni iuris inuaſorem habuit, id recuſauit facere. Quis iam neget, ſi Guilielmus Rex putaſſet, ſummam Eccleſiæ gubernandæ auctoritatem penès ſe ipſum fuiſſe, quin Stigandum Archiepiſcopum honore ſtatim priuaſſet, præſertim, cum ille non tantùm eſſet homo ſceleratus, verùm etiam illegitimè Sedem illam conſecutus fuiſſet? At Rex Catholicus probè ſciens Epiſcopos in rebus diuinis minimè ſibi eſſe ſubiectos, inunctionem ab Aldredo Eboracenſi Archiepiſcopo adeptus, qui (vt Guilielmus Nubrigenſis refert) religioſis pro conſeruanda republica, tuendaque Eccleſiaſtica diſciplina ſacramentis regem aſtrinxit; non ità multò poſt ab Alexandro Pontifice Romano petijt, vt legatos in Angliam mitteret ad conſtituendum rei Eccleſiaſticæ ſtatum.

Miſſi duo Cardinales cauſa cognita Stigandum Cantuarienſem Archiepiſcopum honore illo deiecerunt, quòd à Benedicto decimo, qui legitimus Papa non fuerat, pallium accepiſſet. An iſtud eſt, regem Angliæ ſupremam Eccleſiaſticæ diſciplinæ auctoritatem exercere, vt primas Angliæ in regno Angliæ non à rege irato, & infenſo, verùm à Pontifice Romano de Sede ſua deturbetur? Eſt ſanè, & illud animaduerſione dignum, quòd cum Stigandus in petitione quadam ſua repulſam paſſus regi comminaretur, rex ad pedes Epiſcopi procidit, veniam petijt, ſatisfactionem ſpopondit.

Cumque optimates, qui aderant, ſuaderent, vt regem proſtratum erigeret; ſinite, inquit Epiſcopus, illum iacere ad pedes Petri.

Quanta eſt iam Aeleri, & quàm effrenis impudentia, qui hunc regem ait ſupremam Eccleſiaſticæ diſciplinæ auctoritatem exercuiſſe? Guilielmus Rufus Angliæ rex cum & Eccleſias vaſtaret, & Anſelmum Cantuarienſem Archiepiſcopum in exilium ageret, primùm Vrbanus, deindè Paſchalis Pontifices Romani regem admonuerunt, vt vitam in melius commutaret, quod cum non faceret, Deus Vicarij ſui cauſam ità eſt vltus, vt Guilielmus in venatione ſubitò perierit.

Sub Henrico autem primo Guilielmi fratre, Paſchalis Papa nouum Epiſcopatum in Elienſi Diœceſi inſtitutum, auctoritate ſua comprobauit.

Itemque Honorius Papa ſecundus Cardinalem quendam in Angliam miſit, qui Synodum indixit, vbi de moribus Sacerdotum tractabatur.

Narrat prætereà Polydorus, cum Rex Henricus ſua auctoritate Epiſcopos facere tentaret, Anſelmum Cantuarienſem Archiepiſcopum vſque eò ſe regi oppoſuiſse, vt eius auctoritate commotus, rex ſpontè dixerit, ſe rem omnem controuerſam ad Paſchalem Romanum Pontificem relaturum, eiuſque decreto ſtaturum, ac ad id maturè agendum miſſurum cum literis legatos, qui primùm vt ventum eſt, pollicerentur ipſum ferè ipſius Romani Pontificis dicto ſemper conuenienter audientem, deindè cauſam hanc agerent. Similiter quo pro ſe quiſque, qui ſacerdotia, & dignitates eiuſmodi cōſecutus eſſet, res ſuas impigrè tueretur, omnibuſque, qui ire vellent, poteſtatem Romam pergendi ſe facturum promiſit; quod & protinus fecit. Regij oratores profecti ſunt, Herbertus Nordouicenſis, & Robertus Lithefeldenſis Epiſcopi, quos Henricus in conſilio habebat: indè ſecutus eſt Anſelmus, Girardus Eboracenſis, ac Guilielmus deſignatus Vintonienſis. Accepit eos Paſchalis Pontifex Romanus perbenignè, atque animo libenti audiuit; ſed imprimis ſummum habuit honorem Anſelmo, quippè cuius probitatem, modeſtiam, grauitatem iampridem nouerat. Legati functi primo legationis officio proponunt cauſam ortæ controuerſiæ inter regem, & Anſelmum eamque acriter defendunt. Contra, Anſelmus, & cæteri æquis rationibus, vt iniquam confutant.

Quare, Pontifex cum illud quoque Pontificio iure conſtitutum ſit, ratam non eſſe adepti Sacerdotij poſseſſionem, quam Epiſcopus non dediſset, mandauit, vt in poſterum tempus, neque rex, neque quiſquam alius, eiuſmodi ius ſibi eſſe contenderet, ſed Epiſcopos anteà factos confirmauit, ne illud ſeminarium foret diſcordiarum, ſi repudiaſset.

Ità re peracta, Legatos dimiſit, Girardum verò Archiepiſcopum Eboracenſem pallio donauit: qui paulò poſt in Angliam reuerſi, Pontificis decretum Regi renunciauerunt. Ille, qui à malis Sacerdotibus ſubornatus iudicauerat, Sacerdotalem ordinem eſſe debilitandum, nec libenter id audiuit, nec priùs manum abſtinuit, quàm multis Anſelmi cum precibus, tum rationibus victus, ad extremum grauatiſſimè Apoſtolicum præſcriptum admiſerit.

Vide iam Aelere, quantum Pontifici Romano rex Angliæ detulerit, qui & iudicem illum ſuæ cauſæ conſtituit, & ſententiæ Pontificis quamuis grauatæ, tamen paruit.

Stephano autem primo ad Anglicani regni gubernacula ſedente, quamuis Guilielmus quidam, & Stephani regis propinquus fuiſset, & Archiepiſcopus Eboracenſis electus eſſet; tamen Henricus Murdanus etiam inuito rege ab Eugenio Papa Epiſcopatum adeptus eſt; tantò ſuperior fuit Papæ, quàm regis in Eccleſiaſtica iuriſdictione auctoritas. Polydorus lib. 1.

Hoc eodem Principe regnante in ſolemni cicoiom conuentu apud Anglos conſtitutum eſt, vt qui ſacris initiatos percuſſiſset, à ſolo Papa reconciliari poſse. Vbi ergo iam erat ſuprema illa regis Anglicani in Eccleſiaſtica diſciplina auctoritas? Henricus autem rex eius nominis ſecundus, cum Thomam Bechettum Cantuariēſem Archiepiſcopum à ſuis occiſum videret, Legatos Romam miſit, qui & facinus purgarent, & iudices in reum dandos peterent.

Duo Cardinales, cauſa cognita, eam regi pœnam indixerunt, vt ducentos milites

in Hieroſolymitani belli præſidium ſtatim conſcriberet, ipſe autem intrà triennium vnà cum reliquis Principibus Chriſtianis exercitum eò duceret, conditionem rex accepit. An adhuc tibi, Aclere, non videtur Angliæ rex Pontificem ſe ipſo maiorem etiam in ſuo regno agnouiſſe? Quinimmò idem rex Henricus exercitu in Hyberniam ducto, regulisque deditionem facientibus, cum audiſſet illius inſulæ Imperium iam indè accepta primùm Chriſti fide in primis penès Pontificem Romanum fuiſſe, nec ſibi ſumpſit, vt ſe regem Hyberniæ ſcriberet, & ipſum Domini Hyberniæ titulum, quo cæteri deinceps vtebantur, non niſi ab Alexandro Papa, vel vt quidam ab Hadriano Quarto accepit, & poſteà cum inter Cantuarienſem, & Eboracenſem Archiepiſcopos controuerſia orta eſſet, non eam rex dijudicauit, ſed ab Hugone Romani Pontificis legato eam decidi paſſus eſt.

Richardus verò Henrici filius, vt pœnitentiam à Romano Pontifice patri ſuo indictam, pius filius impleret; exercitum Hieroſolymam duxit.

Ioannes autem Rex, qui Arthuro fratris Richardi filio eiecto, regnum Angliæ occupauerat, quamuis moleſtiſſimè ferret, Stephanum Langtonum Cardinalem ſe inuito Cantuarienſem Archiepiſcopum à Pontifice Romano creari; tamen cum Philippus Galliæ Rex ad tuendam Pontificis maieſtatem cum exercitu in Angliam nauigaret, Ioannes Angliæ Rex diadema capiti ſuo ademptum, Pandulpho Papæ Legato tradit, ſeque ad Stephani Cantuarienſis pedes abijcit, facultates, quas à monachis abſtulerat, reddit; denique non ità multò poſt bello à ſuis petitus, & iureiurando ſe abſtringens quaſdam leges populo conceſſurum; ne id faceret, Innocentio Papæ ſupplex fit, vt ea, quæ velut metu coactus promiſiſſet, irrita eſſe iubeat; tam longè ab eo aberat, vt ſibi ſupremam Eccleſiaſticæ diſciplinæ auctoritatem arrogaret.

Henrico autem Tertio regnante, Otho Cardinalis in Angliam ab Honorio Tertio miſſus, in Sacerdotum conuentu decimas beneficiorum Eccleſiaſticorum ad bellum contra Saracenos gerendum, imperat.

Edouardus rex, vt à Clero pecuniam faciliùs obtineret, Sacerdotibus Anglicanis promittit ſe curaturum, vt quos ipſi Epiſcopos delegiſſent, iiſdem Pontifex Romanus aſſentiretur: cæterum niſi Epiſcoporum confirmationem iure ad Epiſcopum Romanum ſpectare cognouiſſet, ſatis erat, vt Rex promiſiſſet, ſe ipſum electioni eorum aſſenſurum.

Nam quod obijcere nobis ſoletis, legem ab eodem Eduuardo rege latam, ne cui liceret à Romano Pontifice ſacerdotia impetrare, vel cauſas ad eum, niſi per appellationem deferre: facilis eſt reſponſio. Qui enim Rex vltimam appellationem ad Pontificem fieri permittit, primatum eius agnoſcit, & confitetur; tantum abeſt, vt ſe ipſum in cauſis Eccleſiaſticis Pontifice maiorem aſſeueret. De reliquo autem, fuerit ne lex illa penitùs iniuſta, an non? Alterius diſputationis eſt locus. Certè (quod ad præſentem cauſam ſatis eſt) Romani Pontificis primatum non ſuſtulit.

Richardus verò ſecundus in Vrbani Sexti defenſionem contra Clementis Septimi Antipapæ tyrannidem equitum duo, peditum verò quindecim millia conſcripſit.

Regnante autem Henrico ſexto, cum eatenùs Eboracenſis Archiepiſcopus in Epiſcopos Scotiæ ius primatis ex diui Gregorij Magni donatione, & Alexandri Tertij approbatione, qui etiam Orchades eiuſdem primatui ſubiecit, obtinuiſſet; Sixtus Papa quartus à Iacobo rege Scotorum certior factus, Epiſcopos Scotiæ primatem ſuum Eboracenſem ob aſſidua inter Anglos, & Scotos bella, conſulere non poſſe, Epiſcopum ſanctæ Andreæ primatem conſtituit, cui ſubiecit duodecim Scotiæ Epiſcopos.

De temporibus autem Henrici ſeptimi quid dicam? Nonne tu ipſe fateris Aclere, illum à Pontifice Romano veniam Eccleſiaſticæ legis petijſſe, quæ fratris demortui vxorem à fratre ſuperſtite duci vetabat?

Henricus autem Octauus initio Regni ſui parùm arbitratus maiorum ſuorum veſtigijs inſiſtere, ſedemque Apoſtolicam patrio, atque auito more obſeruare, etiam libro in Lutherum hæreſiarcham conſcripto, his verbis, Primatum ſedis Apoſtolicæ aſſerit: Negare Lutherus non poteſt, quin omninò Eccleſia fidelium ſacroſanctam ſedem Romanam, velut matrem, primatemque recognoſcat, ac reueretur. Quin Græciam ipſam reperiemus, præterquam dum ſchiſmate laborabat, Eccleſiæ Romanæ ceſſiſſe: hæc Henricus. Quæ cum ità ſint, non inſigniter frontem perfricuiſti Aclere, cum diceres, Britannicos reges ſupremam ſemper Eccleſiaſticæ diſciplinæ auctoritatem exercuiſſe?

Henric. in lib. de ſeptẽ Sacramentis.

Quòd ſi dicas, Henricum Octauum ſuam de primatu ſententiam poſteà mutaſſe. Equidem concedo, ſed mutauit etiam fidem ſuam, immò, & fidem maiorum ſuorum, quam & illi iàm indè à Lucio primo Chriſtiano Britannorum Rege ſemper tenuerunt, & ipſe vſque ad vigeſimum tertium Regni ſui annum obſeruauerat; quo anno vxorem quoque mutauit, pro Catharina, Annam Bulenam; pro prima, & legitima adhùc viuente, ſecundam, & eam illegitimam; pro Catholica, hæreticam; pro caſta, adulteram, immò, & inceſtam ſibi aſſumens; adeò vt ipſe Annam Bulenam ob adulterium, & inceſtum, ſecuri percuſſerit. Hoc igitur anno ſi priorem ſuam de Primatu ſententiam mutauit, parùm miror; quin potiùs multùm mirarer, ſi derelictus à Deo, qui Cathedram Petri Romæ fixit, Dei Vicarium non dereliquiſſet.

CAP.

CAP. VII.

Tàm Romanus, quàm alij maiores Epiſcopi cum ampliore quadam poteſtate ad Eccleſias maiorum Ciuitatum regendas miſſi ſunt, non item ab eiſdem Ciuitatibus acceperunt, vt ſolito maiores fierent.

EX ciuilis poteſtatis ſublimitate, ſecundùm locorum dignitates, inquit Aclerus, Patriarchiæ, Metropolitæ, & Epiſcopatus fuerunt maiores inter ſe, & illuſtriores. Vndè ex Imperij, quod Romani antè Petrum acquiſiuiſſent, magnitudine ſedis Romanæ primatus primùm exorſus eſt: hæc Aclerus.

Abſit, Aclere, vt rerum Eccleſiaſticarum ordo, & dignitas ab Imperio, & ſtatu
Luc.1. ſeculari aliquando pependiſſet. Hoc enim eſſet, Eccleſiam Dei, quæ Regnum Chriſti eſt, ciuili poteſtati, & legibus mundi ſubijcere, cum tamen Regnum Chriſti non ſit de hoc
Ioann.18. mundo, ſed de Cœlo. Nam ſi Petrus ideò primus Apoſtolorum fuit, quòd Romæ, vbi caput Imperij erat, ſediſſet, primatum ſuum non Chriſto, ſed Iulio Cęſari acceptum tuliſ-
Matth.10. ſet. Sin Petrus à Chriſto primus Apoſtolorum factus eſt; Epiſcopi autem Romani non niſi Petrum auctorem, & verè habent, & præſeferunt; quomodo Romanæ ſedis primatus ex Imperij Romani magnitudine primùm exorſus dicitur. Cum vacaret ſedes Romana propter mortem Fabiani Pontificis Romani; Cyprianus dixit, Petri locum, & gradum Cathedræ ſacerdotalis vacaſſe. Nec aliud doctiſſima vniuerſalis Eccleſiæ antiquitas vmquam ſenſit.

At Gratianus, inquit Aclerus, ex Pontificum Romanorum præſcriptis demonſtrat, Patriarchas primùm in nobilioribus Ciuitatibus, deindè in alijs Metropolitos, ac demùm in minoribus Epiſcopos fuiſſe collocatos: ac ſimile, quid in Synodo Taurinenſi conſtitutum eſt optimè. Quis hæc negat? Sed nonne vides, Aclere, aliud eſſe iuxtà locorum dignitates (vt tu falsò dicis) maiores, illuſtrioreſque fuiſſe Epiſcopos; & aliud maiores, atque illuſtriores Epiſcopos, vt Gratianus rectè dicit, in maioribus Ciuitatibus eſſe collocatos? Tu enim Epiſcoporum maiorem auctoritatem locis, quibus præſunt, accepto fers: tamquam locus ſeculi maior Epiſcopum efficiat maiorem.

At Gratianus docet, Epiſcopum maioris auctoritatis ità datum eſſe loco maiori, vt interim Epiſcopi maioritas non à loco, ſed à mittente fuerit, qui eum collocauit in locò maiore, vt non ex loco dignitatem acciperet, ſed vt cum dignitate maiore ad locum maiorem accederet. Elias non ideò fuit maior Propheta, quòd in Samaria decem tribuum Metropoli prędicaret; ſed ideò, cum factus eſt à Deo tantus Propheta, in Samariam miſſus eſt, vt maiore cum auctoritate in ipſa Regis aula Dei verbum intonaret. Nec Petrum Roma fecit primum Apoſtolorum, ſed Chriſtus ideò Petrum iàm antè Principem Apoſtolorum factum, ad Vrbem Romam miſit; vt prima in ſeculo Ciuitas à primo Chriſtianæ Eccleſiæ Apoſtolo, citiùs ad
fidem adduceretur. Chriſtus enim, cuius po- Ioan.18.
teſtas à ſeculo nulla ex parte pendebat, ità res ſuas moderabatur, vt ſtatum ſeculi à ſe ipſo conditum non diſſolueret, ſed ſuauiter ad ſuæ legis iugum accipiendum alliceret, atque inuitaret. Hinc perſæpè accidit, vt maiores Epiſcopi darentur maioribus Ciuitatibus; quorum tamen dignitas non debet amplitudini Ciuitatum accepto referri. Nam & ipſe Chriſtus ad Populum in toto terrarum Orbe digniſſimum miſſus eſt ad ſemen Abrahæ, ad oues, quæ perierant domus Iſrael, cuius erant eloquia Dei, & teſtamentum, & cir-
cumciſio, & ſacrificia. Non tamen idem Chri- Ioan.6.
ſtus ab illo Dei populo ſuam accepit auctoritatem, ſed eam de Cœlo ſecum tulit.

Erras igitur toto Cœlo, Aclere, cum ais, primatum Romanæ Sedis ab Imperij Romani magnitudine exorſum eſſe. Tu ſecularis cum ſis, omnem Eccleſiæ dignitatem à ſeculo primùm exortam putas, vt videlicet tuæ ſecularis Reginæ, eum, quem falsò ſibi in Eccleſiam Chriſti vendicat, Principatum, grauiter tutari videaris. Verùm, Chriſtus nos
docuit, poteſtatem ſuam de Cœlo eſſe; non Ioan.20.
de hoc mundo, & quemadmodùm ipſe à Patre miſſus eſt cum cœleſti poteſtate, ſic &
Apoſtolos cum cęleſti poteſtate miſit in Or- 2. Cor.5.
bem terrarum, vt legatione fungerentur, non pro Cæſare, ſed pro Chriſto, tamquam Deo
exhortante per ipſos. Apoſtolis ſucceſſerunt Matt.28.
Epiſcopi, quibuſcum docentibus, & baptizantibus omnes gentes, Chriſtus eſt omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi.

Tam hi Epiſcopi mittuntur à Chriſto, & Chriſti miniſtris, non item à politicis Magiſtratibus, aut Ciuitatibus. Præſunt illi quidem Ciuitatibus, quę Chriſtum colunt, ſed non fiunt in exercenda iuriſdictione ob id potentiores, quòd magnarum Ciuitatum Eccleſias adminiſtrant. Alioqui primas Angliæ non Cantuariæ, ſed Loudini ſederet; Primas Scotiæ non apud S. Andream, ſed Edimburgi: Primas Hyberniæ non apud Armach, ſed Dublini: Primas Galliarum non Remis, ſed Pariſijs: Primas Germaniæ non Maguntiæ, ſed Viennæ: Primas Poloniæ non Gneſnæ, ſed Cracouiæ: Primas Luſitaniæ non Bracaræ, ſed Vliſſiponæ: Primas denique Hiſpaniarum non Toleti, ſed Madriti ſederet. Nunc autem cum tot regnorum tam illuſtria exempla tuam inſanam opinionem refellant; quid tandem ſenſus in hac tua inepta enunciatione habuiſſe putandus es?

At in Synodo Conſtantinopolitana prima actum eſt, inquit Aclerus, vt illius Ciuitatis Epiſcopus, poſt Romanum Pontificem, proximo loco, honoreque haberetur, quia Conſtantinopolis eſſet inſtar nouæ Romæ: hæc ille. An potuiſti, Aclere, quidquam in medium afferre, quod tuam ineptiam magis redargueret? Perpende primùm, quòd inanis fuit tunc ille Conſtantinopolitani Epiſcopi conatus, eò quòd Epiſcopus Romanus quod nec tu negas, ſuam illi decreto auctoritatem opponeret. Vndè etiam apparet, quanta in illis adhùc antiquis ſeculis Roma-

ni Epiſcopi anctoritas fuerit, cum nihil eorum, quæ in Concilijs Oecumenicis gerebantur, firmum, ratumue eſſet, cui Pontifex Romanus contradixiſſet. Nam, & acta Concilij Ariminenſis, propterea ſuus in irritum reuocata, quòd Liberius Pontifex Romanus ijs non aſſenſiſſet, cuius ſententia præ ceteris omnibus expectanda erat; Vt Synodus nonaginta Epiſcoporum Romæ collecta ſcripſis ad Epiſcopos, qui erant in Illyrico. Et cum Iulius Papa intellexiſſet, Pſeudoſynodum Antiochiæ contrà Athanaſium fuiſſe celebratam, ſcripſit, eos contrà Eccleſiæ canones egiſſe, quòd illum ad Concilium non vocaſſent quippè cum Canon Eccleſiaſticus, vt refert Socrates, vetet, præter ſententiam Epiſcopi Romani Concilia celebrari. Vndè, & Leo Pontifex (qui poſt centum annos, & ampliùs à ſecunda Synodo celebrata floruit (de hoc Epiſcopi Conſtantinopolitani conatu ſcripſit in hæc verba: Fruſtrà quorundam Epiſcoporum profertur conſenſus, cui tot annorum ſeries negauit effectum: hæc Leo. Non igitur obtinuerat illis ſeculis Epiſcopus Conſtantinopolitanus, vt primas poſt Pontificem Romanum obtineret, etiam ſi quidam Epiſcopi in ſecunda Oecumenica Synodo eum honorem illi detuliſſent. Itáque idem ipſum in Synodo Chalcedonenſi iterum tentatum fuit, ſed fruſtrà, cum Leo Pontifex refragaretur.

At Leonem, inquit Aclerus, qui ſuo loco Romæ integer, ac illæſus manebat, non aliud mouere potuit, quàm ambitio: hæc ille.

Obſecro te, quomodo cohæret hęc tua oratio? locus ſecundus Conſtantinopolitano poſt Romanum Pontificem oblatus, nihil nocuit Romani Pontificis primatui. Ergo cum Romanus Pontifex non aſſenſerit, vt ſecundus honoris locus Conſtantinopolitano daretur, ambitionis reus fuit. Illam enim ambitionis cauſam poſuiſti, quæ maximè omnium Leonem Papam à crimine ambitionis immunem declarat. Si prima Synodus Conſtantinopolitana dediſſet, non ſecundum, ſed primum honoris locum Epiſcopo Conſtantinopolitano; tunc ſi Pontifex Romanus ei decreto reſtitiſſet, poterat ſibi, ac tui ſimilibus videri ambitionis cauſa id feciſſe, eò quòd primus locus ipſi ablatus fuiſſet: at nunc Pontifex Romanus ſuo loco integer, ac illæſus manebat. Nominatim enim cautum eſt, vt Epiſcopus Romanus omnium Epiſcoporum primus perſeueraret, ſecundæ autem deferrentur Epiſcopo Conſtantinopolis. Nunc ergo cum Romanus Pontifex contradixerit ei decreto, quod honorem ipſius minimè lædebat, veritatis, non ambitionis cauſa contradixiſſe putari debet. Audi Aclere, cuius veritatis cauſa contradixit.

Ipſe enim Leo ità ſcribit: Conſenſiones Epiſcoporum, Canonum apud Nicęam conditorum regulis repugnantes, vnita nobis cum veſtræ fidei pietate in irritum mittimus, & per auctoritatem beati Petri Apoſtoli generali prorsùs definitione caſſamus.

Idem Leo ad ipſum Martianum Auguſtum ſcribens de eadem re, ait: Habeat, ſicut optamus, Conſtantinopolitana ciuitas gloriam ſuam. Alia tamen ratio eſt rerum ſecularium, alia diuinarum: nec præter illam Petram, quam Dominus in fundamento poſuit, ſtabilis erit vlla conſtructio. Satis ſit [prædicto Epiſcopo Conſtantinopolis Anatolio] quòd veſtræ pietatis auxilio, & mei fauoris aſſenſu, Epiſcopatum tantæ Vrbis obtinuit. Non dedignetur regiam ciuitatem, quam Apoſtolicam non poteſt facere Sedem. Hæc Leo.

Duas igitur attulit rationes, ob quas noluit pati, vt Epiſcopus Conſtantinopolitanus ſecundo loco præſideret. (Nicæns Synodus c.6.) Vnam, quòd ea res Nicænæ Synodi Canonibus repugnares: alteram, quòd Eccleſia Conſtantinopolitana numquam hactenùs fuiſſet Sedibus Apoſtolicis aſcripta, nedùm illis, quæ priùs ità habitæ fuerant, præferri debuit. Et nunc tu, Aclere, totum hoc ambitioni Leonis Papæ aſcribis? Quo ſpiritu, quod in Chriſti nomine fiebat, tu ambitioni deputas, niſi quia ex illis es, qui opera Dei bona principi Dæmoniorum accepta ferentes in Spiritum ſanctum peccabaos? (Matth. 12.)

At videbat, inquis, Leo, Conſtantinopolitanum Patriarcham contentum ſecundo loco non futurum, ſed de primatu cum Pontifice Romano tandem apertè pugnaturum. In quo eum non fefellit opinio. Nam paulò poſt Ioannes Conſtantinopolitanus vniuerſalem ſe Patriarcham edixit, cui ſumma contentione Gregorius Pius ſanè Romanus Pontifex reſtitit. Hæc Aclerus.

Quomodò euidebat Leo id futurum, quod & repugnabat ipſius decreti verbis (in quibus primę Romani Pontifici concedebantur, ſecundæ autem Conſtantinopolitano) nec vmquam poſteà ſecutum eſt? Nam Ioannes Conſtantinopolitanus Epiſcopus, qui ſe vniuerſalem Patriarcham ſcripſit, vtcumque ambierit, quod non licuit, numquam tamen auſus eſt de primatu palàm cum Romano Pōtifice contendere; quinimmò non ſolùm coràm Deo proteſtatus eſt, ſe nihil vmquam proteruè contrà Apoſtolicam Sedem agere, nec de illius, aut aliorum priuilegijs quicquam vſurpare. Hæc enim Ioannis verba in Pelagij Pontificis epiſtola extant.

Et quilibet ſanè Conſtantinopolitanus Epiſcopus primas concedebat Romano Epiſcopo, quod ipſum beatus Gregorius atteſtatur his verbis: De Conſtantinopolitana Eccleſia, quod dicunt, quis eam dubitet Sedi Apoſtolicæ eſſe ſubiectam? Quod & Dominus pijſſimus Imperator, & frater noſter Euſebius eiuſdem ciuitatis Epiſcopus aſſiduè profitentur.

Et epiſtola ſequente: In quodam crimine Byſancenus primas fuerat accuſatus. Nam quod idem primas ſe dicit Sedi Apoſtolicæ ſubijci, ſi qua culpa in Epiſcopis inuenitur, neſcio, quis ei Epiſcopus ſubiectus non ſit. Hæc Gregorius.

Nec enim rectè concluſeris, omnem, qui ſe vniuerſalem Patriarcham ſcribit, continuò velle Epiſcopo Romano æquari, ac neque ipſe Conſtantinopolitanus hoc præ ſe ferebat. Ille quidem volebat, nemini, præterquàm primo Epiſcopo ſubeſſe, cum Romanus Pontifex etiam ſecundo, ac tertio eum ſubijci voluiſſet. Nam ſecundùm Synodi Nicænæ regulas, (Can 6.c.12.) ſecunda ſedes ſuis Alexandrina, tertia verò

An-

Antiochena. Tu dicis, Conſtantinopolitanum Patriarcham voluiſſe epiſcopatus ſui fines cum Imperij finibus dilatare. Quod quamquam verum fortè non fuerit, tamen demus ità ſe habuiſſe.

An hoc eſt, cum Pontifice Romano de primatu contendere? Nihil minùs. Latiùs enim ſemper Pontificis Romani poteſtas, quàm Imperij fines patuerunt. Nihil tunc erat negotij Auguſto Mauritio cum Anglis, nihil cum Scotis, nihil cum Hybernis, nihil cum Hiſpanis: at Gregorius Pontifex Romanus, qui eodem tempore vixit, Auguſtinum conſtituit Anglis nuper ad fidem conuerſis Epiſcopum, immò primatem his verbis: Auguſtino Epiſcopo Anglorum. Per loca ſingula duodecim Epiſcopos ordines, quatenùs Londinenſis ciuitatis Epiſcopus honoris pallium ab hac Apoſtolica Sede percipiat. Eboracenſis quoque Epiſcopus duodecim Epiſcopos ordinet, & Metropolitani honore perfruatur; ſed tua fraternitas omnes Britanniæ Sacerdotes habeat ſubditos. Hæc Gregorius de Britannis omnibus, hoc eſt, tam de Anglis, quàm Scotis ſcripſit.

Lib. 12. ep. 15.

Nam Scoti, quibus (vt Proſper ait) Cœleſtinus Pontifex Romanus Palladium ordinauerat Epiſcopum, ſuberant adhùc Eboracenſi Epiſcopo tamquam primati ſuo. Prætereà, conſtat Hiſpanias iam fuiſſe ab Imperatoris Mauritij poteſtate immunes, cum Gothis tunc paruerint; & tamen Gregorius Pontifex Romanus Ioannem defenſorem in Hiſpanias miſit, qui ſcribit, ſe (vt in regiſtro beati Gregorij habetur) ex deputatione, & iuſſione Beatiſſimi, atque Apoſtolici Domini ſui Gregorij cognitorem inter Epiſcopos reſediſſe, Gregorius autem ei mandauerat in hæc verba: Is, qui, ſuperſtite Epiſcopo innocente, contra canones in Eccleſia eius ordinari præſumpſit, ab omni Eccleſiaſtico miniſterio repellatur, qui etiam in cuſtodia habeatur, vel ad nos tranſmittatur. Epiſcopi verò, qui eum ordinauerunt, ſex menſibus Dominici corporis, & ſanguinis communione priuati, agere pœnitentiam decernantur in monaſterio. Hæc Cregorius.

Li.11.ep.13.

Lib.1.ep.50.

Ioannes autem defenſor, cauſa cognita, ſententiam in Epiſcopos reos tulit, in hæc verba: Memoratos Epiſcopos in monaſterium recipiendos ad agendam in tempus pœnitentiam decerno. Hæc ibi.

Quid multis? Proſper in vniuerſum ſcribit, Roma per Apoſtolici Sacerdotij principatum, amplior facta eſt arce religionis, quàm ſolio poteſtatis. Quod idem carmine etiam cecinit:

Peſtem ſubeuntem [vtique Pelagij] prima recidit
Sedes Roma Petri: quæ Paſtoralis honoris
Facta caput mundo: quidquid non poſſidet armis,
Religione tenet.

Cùm igitur Epiſcopi Romani auctoritas, non Imperij Romani finibus contineretur, ſed multò latiùs ſe extenderet, etiam ſi Epiſcopus Cõſtantinopolitanus voluiſſet cum Imperij finibus ſui Epiſcopatus fines dilatare, ne ſic quidem Romani Pontificis gloriam adæquaſſet.

At Gregorius Pius Romanus Pontifex Ioannis Conſtantinopolitani ambitioni reſtitit. Meritò ſanè: Quia ſuprà menſuram ſuam ſeſe extendebat, qui ex alieno damno creſcere optabat.

Verùm Gregorius, inquis, non eam ſibi auctoritatem vendicabat, ſed tamquam impiam, & ſceleſtam, à quocumque vſurpari prohibebat. Quam dicis auctoritatem Aclere? Certum eſt, Gregorium non ſibi vendicaſſe vniuerſalis Epiſcopi appellationem: quia ipſe per vniuerſalem nihil aliud intellexit, quàm eum, qui ſolus in vniuerſo Mundo Epiſcopus eſſet. Li.11.ep.55. Lib.2. c. 30. Lib.7.ep.64.

Nam vnus (Ruffino auctore) vel numero dicitur, vt vnus homo inter multos; vel vniuerſitate, vt vnus Sol, vel vnus Deus, tamquam vnus in vniuerſo, qui proptereà vnus dicitur, quòd alius non ſit. Iam cum vniuerſalis ab vniuerſitate appellationem ſumpſerit, rectè potuit diuus Gregorius dicere, illum, qui ſe vniuerſalem Patriarcham ſcribebat, vi nominis ipſius dixiſſe, quòd ſolus in tota rerum vniuerſitate Epiſcopus, vel Patriarcha eſſet; qualem ſanè auctoritatem Gregorius numquam ſibi vendicauit.

Cæterum ſi dicis, Aclere, Gregorium non ſibi vendicaſſe primatum in tota militante Eccleſia, egregiè mentiris: ipſe enim ſcribit in hæc verba: Sedes Apoſtolica caput omnium Eccleſiarum eſt. Et iterum: Sedem Apoſtolicam, Deo auctore, cunctis prælatam conſtat Eccleſijs. Et alibi: Omnes Epiſcopi Sedi Apoſtolicæ ſubiecti ſunt, ſi qua in eis culpa inuenitur. Deniique: Romana, inquit, Eccleſia caput eſt omniun. Eccleſiarum. Hæc Gregorius.

Quem ſi tu, Aclere, pium eſſe concedis, neceſsè eſt, te impium agnoſcas, qui, quod ille ſcribit, oppugnas. Illam enim Apoſtolicam Sedem, quam Gregorius vocat omnium Eccleſiarum caput, tu vocas Antichriſti ſedem, negaſque omnium Eccleſiarum caput eſſe, & tamen tibi pius eſt Gregorius? Ergo tu tibi, & impius.

Vt autem ad id, quod huius diſputationis caput fuit, redeamus; nulla ratione probas, Epiſcoporum dignitatem ex Imperij, aut politici ſtatus amplitudine exortam eſſe. Nam quod in eius rei argumentum protuliſti, vel ex Gratiano, vel ex prima Synodo Conſtantinopolitana, totum in contrarium valet: quia Gratianus dicit, maiores Epiſcopos, in maioribus ciuitatibus collocatos, non autem ab eiſdem vrbibus accepiſſe, vt maiores fierent: ſicuti, & maiores Angeli mittuntur ad maiores Prouincias tuendas, ad populum autem Dei propugnandum Michael Archangelus deſtinatur, neque tamen idcircò à prouincijs, quas cuſtodiunt, vt maiores ſint, accipiant. Dan. 19.

Deinde Synodi Conſtantinopolitanæ conſtitutio de Epiſcopi Conſtantinopolitani honore augendo irrita fuit ob auctoritatem Romani Pontificis Nicænæ Synodi canonem propugnantis.

Tum autem in eadem Conſtantinopolitana Synodo nominatim definitum eſt, primatum penès Romanum Pontificem eſſe.

Vt-

Verùm ſi Epiſcopatus ſecundùm locorum dignitates facti fuiſſent illuſtriores, iam oportebat, primas non Romano Pontifici, ſed Conſtantinopolitano tribui. Iam enim Conſtantinus Roma Byzantium diſceſſerat: iam ſedem Imperij aliò tranſtulerat: iam condiderat nouam Romam, in qua ipſe, & poſteri eius regnarent. Vetus ergo Roma iam propè interitum erat. Quod cum ità eſſet, qui factum eſt, vt Conſtantinopolitanus nouæ Romæ Epiſcopus non etiam Epiſcopo veteris Romæ anteponeretur, ſi verum eſt, quod Acleras dicit, ſecundùm locorum dignitatem epiſcopatus fieri maiores? Ibi enim Roma eſt, vbi Cæſar agit. Cùm verò contra videamus eueniſſe; ac ne ipſum quidem Conſtantinopolitanum epiſcopatum petere auſum eſſe, vt Romano Epiſcopo, vel anteponeretur, vel etiam adæquaretur; nonne hinc neceſſariò efficitur, vt omnes omninò Patres agnouerint, Romani Epiſcopi primatum non ex magnitudine Imperij exortum fuiſſe (alioqui eo Byzantium translato, etiam primatus ipſe Byzantium translatus fuiſſet) verùm ex iure diuino traxiſſe originem, in perſona beati Petri ex Dei voluntate ſucceſſorem ſuæ ſingularis Cathedræ in Eccleſia Romana conſtituentis.

Præterea, ſi Epiſcoporum dignitas pendebat à loco; cur in Concilio Epiſcoporum auctum eſt, vt Conſtantinopolitanus ſecundas obtineret? Nam ſi ea res Concilij decreto indigebat, vtique loci dignitas ad honorem, & poteſtatem maiorem concedendam ſatis vitium non habuit; idque re ipſa comprobatum eſt, cum Alexandrinus Epiſcopus locum ſecundum, & Antiochenus tertium multis poſteà ſeculis conſeruarint.

Poſtremò, ſi Epiſcopus Romanus impediuit, ne Synodi Oecumenicæ decretum vim ſortiretur, non ne maior fuit Epiſcopi Romani, quàm Synodi generalis auctoritas, etiam in illo antiquo ſeculo, dum adhùc Baſilius, & Ambroſius florerent? Pulchrè igitur cauſam tuam probaſti nobis Aclere: tam pulchrè vt non alijs mihi auctoritatibus ad te refellendum opus fuerit, quàm quas tu ipſe protuliſti.

Nam, quod dicis, in Concilio Taurinenſi conſtitutum, vt quæ in ciuili gubernatione primæ eſſent vrbes, in eis Primatum, ac Metropolitarum locarentur ſedes: etiam ſi omnia tibi vera eſſe concedam; non ne tamen vides, primatum, & Metropolitarum ſedes auctoritatem capere ab Epiſcopis, & Concilijs, quæ eos locant, & non à locis, in quibus locantur? *Apoc.1.* loca ciuitatum velut candelabra quædam ſunt, apta quidem in quibus candelæ conſtituantur; ſed Epiſcopi ſunt candelæ, quas candelabra, neque collocant, neque accendunt, ſed recipiunt, & ſuſtinent. *Matt.5.* Qui autem candelam in candelabro collocat, & accendit, *Matt.54.* Deus eſt per Pontifices miniſtros ſuos auctoritatem cuique pro menſura ſua tribuens.

DE CLAVE DAVID
LIBER SEXTVS.

CAPVT PRIMVM.

Legi naturæ penitùs aduerſari, vt fœminas viris in rebus Eccleſiaſticis præficiatur.

ETſi ex ijs, quæ in ſuperiori libro diximus, facilè perſpicitur, non reges tantùm, ſed etiam reginas nihil omninò iuris in cauſas Eccleſiaſticas accepiſſe; tamen cum Angliæ Regina Eliſabetha, ſummam ſe Anglicanæ Eccleſiæ in omnibus cauſis Eccleſiaſticis gubernatricem audacter inſcribat, & vocet; immò Catholicos omnes, qui hoc iurato affirmare noluerint, fortunis omnibus ſpoliet, in vincula ducat vita, & ſepultura priuet, filioſq;eorum omni hæreditate exuat: operæ pretium me facturum putaui, ſi de horrendo iſto fœminarum in Eccleſijs dominatu ad infirmorum fratrum maiorem, aut conſolationem aliquantò diligentiùs diſputarem.

Ac reges quidem à ſpiritalium rerum moderatione arcentur, quoniam ad hoc munus obeundum, licèt potuiſſent conſecrari, tamen re ipſa conſecrari non ſunt. 2. Paral.26.

Reginæ verò neque ſunt ad eam rem conſecratæ, neque etiam poſſunt conſecrari. Nam ad res Dei moderandas conſecrari, nihil eſt aliud, quàm diuina electione, & vocatione à cæteris hominibus ſegregari, & in ijs, quæ Dei ſunt, velut mediatorem inter Deum, & homines conſtitui, ſicut ſcriptum eſt, legem ordinatam eſſe per Angelos in manu mediatoris, vtique Moyſis in figuram Chriſti. Heb 5. Act.13. Gal.3. Heb.3.

Iam verò mulieres ad hunc honorem, vt inter Deum, & viros in Dei cauſis mediatrices fiant, aſſumi non poſſunt, propterea, quòd viri per immutabilem Dei legem in ipſa prima, & intima hominum natura congenitam inter Deum, & mulieres, velut mediatores interiecti ſunt. Non ſolùm enim Adam primùm creatus eſt, deindè Eua, ſed etiam mulier ex viro eſt, & propter virum, & gloria viri, ſicut vir gloria Dei. Siue ergo initium conditæ, ſeu finem condendæ mulieris ſpectemus, vtrobique vir inter Deum, & ipſum interponitur. Ex Deo per virum proceſſit, ad Deum adiuuando virum tendit. 1.Tim.2. 1.Cor.11.

Quo igitur tempore Deus effecit, vt vir tam materiale quoddam initium formandæ mulieris, quàm finis quidam medius eſſet, ob cuius adiutorium mulier crearetur; eodem ipſo tempore hanc legem, quæ numquam retractaretur, in hominis natura conſtituit, vt inter Deum, & mulierem vir in æternum velut ſequeſter, & mediator interponeretur; tantum abeſt, vt mulier vmquam poſſit proximè ſecundùm ipſum Deum caput, & gubernatrix virorum in cauſis Dei ab ipſo Deo conſtitui: Hoc enim eſſet effecta ſuis cauſis media ſuo tum principio, tum fini, membra ſuo capiti, ſubditos ſuo regi, virum Chriſto, Chriſtum Deo anteponere. Sicut enim Deus Chriſti, ſic & vir mulieris caput eſt, idque per diuinam legem, & eam non poſt creationem hominum diſciplinæ cauſa adiectam, & propoſitam, ſed vnà cum ipſis hominibus congenitam, & concreatam; ea videlicet conditione, vt quamdiù homines in rerum natura exiſterent, tamdiù vir & caput mulieris, & Deo propinquior eſſet, quàm mulier: aliàs cum mulier per naturam gloria viri à Deo ſit facta, ſi eadem caput viri ab eodem Deo immediatè in Dei cauſis conſtitueretur, iam mulier caput viri, & vir fieret gloria mulieris: membrorum enim eſt, gloriam omnem capiti ſuo deferre. Vnde etiam ſi manus hoſtem proſternat, tamen non manui, ſed capiti corona imponitur. Ordo autem naturæ, quem ſumma Dei potentia, ſapientia ſemèl creauit, & eo conſilio creauit, vt in æternum maneret, mutari ab eodem Deo in cauſis ipſius numquam ſolet. Gen.2. 1.Cor.11.

Non enim is eſt Deus, qui mutetur, vt homo, aut qui dicturus aliquando ſit, non putaram. Quod enim ſtabile, ac firmum eſſe nollet, numquam illud in hominum natura fixiſſet, verùm ab eadem ſeparaſſet, quod facilè factu Deo fuit: nunc autem, quod naturale fecit, immutabile declarauit. Hinc Dauid ait: Verbum Dei in cœlo, ideſt mandatum illud, quo Deus cœlum conſtituit, & diſpoſuit, in æternum permanere, & mox; fundaſti, inquit, terram, & permanet. Ordinatione tua perſeuerat dies, quoniam omnia ſeruiunt tibi. Quin, & apud Ieremiam Dominus ait, pactum, quod ipſe cum die, & Pſal.118.

nocte

noćte inijt, non poſſe irritum fieri, quin ſit dies, & nox in tempore ſuo. Atque etiam, Matth. 7. cum Chriſtus ipſe in Euangelio quærit, numquid homines de ſpinis colligant vuas, aut de tribulis ficus? Quid aliud ſignificat, quàm non mutari proprias arborum naturas, vt videlicet eadem arbor hoc anno producat vuas, alio ficus, ſed vnamquamque: ſecundùm naturam ipſi ab initio conſtitutam, aut bonos fructus, aut malos producere, aut etiam ſterilem eſſe? Nec idem fons, inquit Iacobus, aquam dulcem, & amaram ſimul emittit. Si ergo per naturam ipſam, quæ vſque ad conſummationem ſæculi permanet, vir caput eſt mulieris; capitis autem ſit reliquis membris præeſſe, & antecedere: nec fieri poſſit, vt pedibus capitis regendi poteſtas vſquam à Deo committatur, quin priùs ipſa creaturis fabrica neceſſariò diſſoluenda ſit; profectò cum æterna Dei lege pugnat, vt mulier, cuius caput vir ab ipſo Deo conſtitutus eſt eidem viro in ijs, quæ Dei ſunt, ab eodem Deo immediatè præponatur. Rom. 3. Ioan. 4. Deus ſe ipſum negare, aut ſibi ipſi in opere ſuo contradicere non poteſt, omnis homo poterit eſſe mendax: Deus autem verax eſt, atque adeò ipſa veritas. Ille autem quo tempore fecit virum per naturam caput mulieris, viſus eſt dicere: Ego numquam à me ipſo immediatè conſtituam mulierem viri caput.

Obiectio. Hìc ſtatim opponet ſe quiſpiam, & quæret: ſi hæc ità ſe habent, quo tandem iure mulier ſæculi cauſas ſumma cum poteſtate adminiſtrat? Nam ſi vir per naturam caput eſt mulieris, vtique, & ſemper, & in omnibus cauſis, atque ideò etiam in ſæculi cauſis caput mulieris eſt.

At inter catholicos omnes conſtat, mulierem in ſæculi cauſis viro legitimè alicubi præeſſe poterit: igitur modus aliquis excogitari, vt etiam in Dei cauſis mulier viro legitimè præſit? Responſio. Ego ſanè concedo ſecundùm naturam, virum eſſe caput mulieris, etiam in ſæculi cauſis; ſed in illis quidem caput liberum eſſe, non neceſſarium. Et ideò cogi non poſſe, vt vel mulieris imperio in vlla re inuitus ſubijciatur, vel Rempublicam ipſe adminiſtret, ſi non vult. Nam vbicumque mulieres legitimè regnant, non niſi virorum permiſſu regnant, adeò vt tam olim Romani, & maxima Græcorum pars, quàm nuper Galli à toto regnandi iure mulieres in ſuis prouincijs excluſerint. Nec in alijs ferè vllis gentibus officia ciuilia, & annuos magiſtratus, aut olim geſſerunt, aut adhuc gerunt. Regiam verò dignitatem ob diſcordias, & tumultus ciuiles euitandos, virorum conſenſu alicubi obtinent: ea tamen exceptione, vt ſi maſculus hæres extet, quamquam is natu minor fuerit, ferè in hæreditate adeunda fęminis vbique pręferatur. Quæ omnia indicant totum illum principatum, quem fęminæ vllibi adminiſtrant, non ſuo illas iure, verum ſpontanea virorum conceſſione adeptas eſſe; ac propterea alibi aliter, & alicubi non omninò, & nullibi ferè, præterquàm ad maius malum euitandum regnare.

Gen. 1. Vir autem ab initio creationis ſuæ poteſtatem dominandi omnibus, quæ in terra ſunt, accepit, & eam non coactam, ſed ad imaginem, & ſimilitudinem Dei ſpontaneam & liberam, vt videlicet pro eo, ac ipſi liberet huius ſæculi rebus dominari poſſet, tantùm, vt ne violaret Dei legem. Deus autem non tulit legem vllam, quæ virum prohiberet, ſe ipſum in ſæculi cauſis mulieri ſubijcere; nam ſi vir poteſt laudabiliter toti ſæculo, & omnibus, quæ in eo ſunt, ob amorem Dei renunciare; Matth. 19. quantò magis poteſt iuri ſuo in cauſis ſæculi moderandis cedere? Cum autem mulier ex virorum conſenſu in ijs rebus, quæ virorum poteſtati ſubiectæ ſunt, viris ipſis præficitur; tunc nec immediatè à Deo, nec in ijs, quæ Dei ſunt, mulier viris præficitur; & ideo nihil fit contrà naturę legem. Manet enim adhuc vir caput mulieris, ſed caput liberum, quod per liberam poteſtatem ſuam tum rectè potuit in rebus humanis adminiſtrandis, tum re ipſa ceſſit iuri ſuo. Cæterùm cauſæ Dei tum iuris, aut poteſtatis humanæ non ſunt (alioqui non dicerentur cauſæ Dei) tum à ſolo Deo immediatè inſtituuntur, & ordinantur. Quæ autem à Deo per interiectàm virorum liberam poteſtatem ordinantur; ea poſſunt aliter, atque aliter diſponi ſecundùm naturam liberi arbitrij, cui ea ſubiecit Deus. Verùm vbi nulla eſt humani arbitrij poteſtas, ibi ſolus Dei ordo relinquitur obſeruandus.

Ille autem maximà omnium eſt Dei ordo, quem Deus ab initio vnà cum ipſa hominis natura creauit, & condidit. Nam etſi alium quoties voluerit inſtituere, Deus poſſit, non tamen alium eiuſmodi (ſtante præſertim natura hominis) qui primum ordinem in natura fundatū ſubuertat, & deſtruat. Quamquam enim Deus liberè omnia, quæ ad nos pertinent, inſtituerit; tamen cum ijs, quæ ſemel creauit, pactum quoddam (auctore Ieremia) inijt, vt naturam eorum numquam poſteà mutaret. Ier. 33. Tot homines ab initio mundi vſque ad hanc horam fecit Deus, & cuius eorum pedes capiti ſuo vmquam præfecit? Si ergo res Dei per ſolum Deum ordinantur, Dei autem ordo, & certus, & firmiter fundatus, ac ſtabilitus ſit, vt videlicet per naturam vir caput mulieris, mulier autem viri gloria exiſtat: 1. Cor. 11. certum eſt in ijs, quæ ſolius Dei ſunt, ordinem hunc Dei numquam forè mutandum, ſed virum ſemper mulieri præfuturum; Nam in ſæculi rebus ſi aliter aliquando accidit, hoc fit non per immediatam Dei ordinationem, ſed per virorum ſpontaneam conceſſionem, quam in ijs, quæ hominum ſunt, Deus approbat, & confirmat. Sed cum vnicus modus, quo mulier ſęculi cauſas iure adminiſtrat, ille ſit, vt ex virorum conſenſu id faciat; ille autem modus mulieri ad cauſas Dei adminiſtrandas minimè ſuffragetur, quia Dei cauſæ non ſunt omninò viris ſubiectæ, nec per eorum liberam voluntatem, ſed ſolius Dei mandato diſponuntur: nullus omninò modus ſupereſt, quo mulier ſummam rerum diuinarum iure adminiſtret. Non Dei ordo, quia is virum mulieri præfecit. Non hominum, quia in rebus Dei homines nihil pro ſuo arbitratu poſſunt conſtituere. Quæ autem cauſa magis Dei eſt, quàm natura ipſa, quam ex nihilo creauit Deus? illud enim veriſſimè negotium eſt Dei, quod ſolus poteſt facere Deus. Nam & ſi nihil omninò, ſine Deo fiat, tamen vbi ex voluntate Dei multæ

mediæ

mediæ cauſæ adhibentur, videtur etiam aliquid eiuſdem cauſis tribuendum. Sed in creatione rerum quid fuit, quod Deo cooperaretur, aut ſubminiſtraret? Itaque rerum creatio proprijſſimè opus, & cauſa Dei eſt. Cum ergo tam perſpicuè conſtet, Deum in ea cauſa, quæ maximè ipſius propria eſt, hunc ordinem inſtituiſſe, vt vir caput eſſet mulieris; nec eum ordinem immutabili decreto fixum Deus in ſuis negotijs vmquam mutet; quis dubitet, quin vir in omnibus Dei cauſis in æternum maneat caput mulieris, nec mulier vmquam poſſit viri caput in diuinis rebus adminiſtrandis fieri? Nam ſi hæc enunciatio apud Deum certa eſt, ex mea inſtitutione vir caput eſt mulieris; profectò iſta numquam ſimul poterit vera eſſe, Non vir mulieris, ſed mulier ex mea inſtitutione caput eſt viri. Ambæ enim iſtæ enunciationes, cum ſimul verè eſſe non poſſint, ex eòque altera earum neneſſariò ſit falſa; Deus verò, qui eſt ipſa veritas non poſſit auctor mendacij exiſtere; efficitur, vt propter ipſarum rerum inter ſe pugnam, & contradictionem, numquam fieri queat, vt melior in ijs, quæ immediatè ab ipſo Deo inſtituuntur (cuiuſmodi ſunt, quæ ad fidem Chriſti, & cultum Dei pertinent) caput viri ſit, aut ſumma gubernatrix.

Quòd ſi quis dicat, Deum poſſe viris ſaltem permittere, vt non minùs in ſacris, quàm in prophanis negotijs fœminã ſibi ipſis præficiant; iſte nihil dicit, niſi, & illud addat, Deum poſſe etiam facere, vt viri non minùs rerum ſacrarum, quàm ciuilium domini, & moderatores liberi, atque abſoluti ſint. At hoc ſi fieret, illæ res ſacræ non ampliùs eſſent ſacræ, ſed prophanæ. Sacrum enim eſt, quod ad cultum Dei ſegregatum eſt, & hominum commercio exemptum. Cæterùm ſi Deus res ſacras hominum liberæ voluntati, & dominationi ſubmitteret, iam non res Dei, ſed hominum, non ſegregatæ, ſed commixtæ; non ſacræ, ſed prophanæ fierent. Quapropter ſi quis totam rem accuratè perſpiciat & examinet, videbit vndique aditum adminiſtrandi res ſacras fœminis interclusum, vt niſi opus Dei negetur, totaque rerum vniuerſitas diſſoluatur, & non ſolùm nouus, verùm, & contrarius huic, qui nunc eſt mundus inſtituatur, nullo vmquam modo fieri poſſit, vt fœminæ rerum Eccleſiaſticarum ſummam ritè, atque ordine adminiſtrent.

Mulieris in Eccleſiaſticis rebus Primatum, non aliundè, quàm à Diabolo eſſe.

Oſtendimus muliebrem in diuinis rebus primatum à Deo eſſe non poſſe. Vndè igitur
Matth. 16. eſſet niſi à Diabolo? Dæmon ille peſſimus, qui ex eo, quòd Deo aduerſetur, Sathan, hoc
Gen. 1. eſt, aduerſarius in ſcripturis appellatur, cum videret, Deum diſtinxiſſe naturam humanam in maſculum, & fœminam; maſculum verò
Ephes. 5. fœminæ caput conſtituiſſe; non ſolùm ipſam Dei creaturam, ſed etiam ordinem creationis oppugnandum ſibi ſtatuens, id conſilij
Gen. 2 & 3. ante omnia ſumpſit, vt virum, quem Deus conſtituerat in caput, illum Diabolus in caudam conuerteret. Mulierem verò, quam Deus viro adiutricem, & ſociam dederat, Diabolus ei faceret magiſtram. Itaque, vt Deus primùm formauit Adamum, deindè Euam; 1. Tim. 2.
ſic è contrario Diabolus primùm Euam aggreſſus eſt, deindè Adamum. Vt Deus ex latere Adami produxit materiam carnis Euæ, Gen 3.
produxit materiam peccati Adæ. Occaſio enim, & velut materia, in qua peccatum Adæ fundatum eſt, fuit latus, hoc eſt, ſocietas Euæ. Noluit enim contriſtare ſociam ſuam, & ideò de ligno prohibito vnà cum illa commedit. Deus per coſtam Adami dedit Euæ, vndè eſſet; & Diabolus per coſtam Euæ ſuppeditauit Adamo, vndè peccaret. Cum Eua debuiſſet virum tamquam caput ſuum conſuluiſse antequam ſerpenti aurem præberet, Serpens fecit, vt vir antequam Deum caput ſuum conſuleret, mulieris tentationi obediret. Ità factum eſt, vt cum ex lege Dei,
Deus viri, vir autem mulieris caput exiſteret: 1.Cor 11.
ex Diaboli fraude, mulier viri, Diabolus autem mulieris caput fieret. Atque hæc eſt prima origo muliebris primatus in cauſis diuinis. Cum enim Deus prohibuiſset, ne ex ligno ſcientiæ boni, & mali comederent, & proptereà lignum illud, de quo Deus legem ſanxerat, ad Dei cauſas iam pertineret: mulier verò non ſolùm ipſa ex eo contrà Dei legem comederit, ſed, & viro pomum porrexerit, vt ille etiam comederet; certum eſt, mulierem in hac diuina cauſa primatum, quendam in virum ſibi arrogaſse, idque ex
Diaboli ſuggeſtione fuiſse. Meritò igitur di- Gen.3.
cimus, muliebrem in diuinis cauſis primatum à Diabolo inſtitutum eſse, vt certò ſciant omnes, qui ſacris in cauſis fœminam ſibi ducem, & gubernatricem conſtituunt, ſe non
Dei, ſed Diaboli conſilia ſequi. Serpens enim 1. Tim.2.
aſtutia ſua ſeduxit mulierem, & virum, qui adhæſit mulieri captiuum ſimul adduxit. Etenim Adam potiùs eſt à muliere victus, quam à ſerpente ſeductus. Mulier autem ſeducta in præuaricatione fuit. Muliebris ergo in cauſis diuinis primatus nihil eſt aliud, quàm legis diuinæ tranſgreſſio, & præuaricatio.

Ex peccati originalis propagatione per vnum Adam facta, & vnum Chriſtum expiata, conſtare, quòd mulier nec in ijs, quæ naturæ, nec in ijs, quæ gratiæ ſunt principatum obtinere poſſit.

Quamquam Eua, & prior peccaſset, & Gen. 3.
occaſionem peccandi viro prior ſuggeſſiſset, Rom. 5.
non tamen per illam, ſed per vnum Adam
peccatum mors, & in Adam (ait alibi Paulus) Act. 17.
omnes moriuntur: idque quia totum genus humanum in illo vno tamquam in capite, &
radice comprehendebatur. Nam radice infe- Rom. 11.
cta, neceſse eſt omnes etiam ramos, qui de radice participant, infici. Eua enim fuit ramus de radice, non ipſa generis humani radix. Adam verò fuit typus, & forma Chriſti,
vt Paulus ait. Hoc igitur eſt Chriſtus ex do- Rom.5.
no Dei in gratia in filios adoptionis diffundenda, quod Adam fuit in peccato ad ſuos poſteros tranſmittendo. Adam fuit vir vnus, & Chri-

& Chriſtus eſt vir vnus. Adam peccatum transfudit ſeminando corruptionem in carne; & Chiſtus gratiam communicauit ſeminando iuſtitiam in ſpiritu. In peccato Adæ propagando ſoli viri principatum neceſſario tenent: quia in illis ſolis principium generandi exiſtit. Eodem modo, & in gratia Chriſti miniſtranda, ſoli viri tenent principatum, quia illis commiſſum eſt, vt per Euangelium ſpiritales filios gignant. Mulieres, & in peccati, & in gratiæ
1. Cor. 4. ſubminiſtratione ſubijciuntur viris, tamquam terra, quæ ſemen ſeminantis agricolæ fouet, & conſeruat. Nec vllo modo poſſunt ſeminantis locum obtinere, niſi naturæ ordo nefariè violetur, ac peruertatur. Cæterùm ſi proximè ſecundùm Deum ipſum capita Eccleſiæ in eo regno eſſent, vbi ſæculare imperium adminiſtrant, etiam ibi principatum regenerandi tenerent: quia dum cæteris omnibus, qui per Euangelium filios Chriſto gignunt, in Chriſti perſonam imperant, magis ſibi ſumunt, vt eoſdem filios Chriſto regenerent, quàm illi ipſi viri, qui hoc opus tamquam ſubditi iam, & inſtrumenta mulierum exequuntur. Quodlibet enim opus magis capiti præcipienti, quàm manibus, quæ id tractant meritò abſcribitur. Si per vnum virum peccantem ſexus virilis id dedecoris per corruptæ naturæ propagationem accepit, vt ad genus humanum peccato inficiendum ſolus dominaretur, & potens foret; nonnè multò magis per vnum peccati expiatorem Chriſtum Ieſum ſexus virilis id honoris accepiſſe credetur, vt ad genus humanum Deo reconciliandum ſolus præeſſet, ac præſideret? Nonne vt Adam ab initio in ſolo virili ſexu totam naturam humanam, & ſuſcepit à Deo, & infecit à ſe ipſo: ſic etiam Chriſtus in ſolo virili ſexu totam naturam humanam, & ſuſcepit de Virgine, & redemit in cruce? An mulier pro nobis, aut nata eſt de Spiritu ſancto, aut ſemetipſam obtulit pro vita mundi?

Certè ſi fœmina ſola, vel ab initio peccaſſet, vel ad nos redimendos in carnem miſſa eſſet, tota natura humana, nec peccato fuiſſet infecta, nec à peccato purgata: quoniam ſexus poſterior, & imperfectior ſexum perfectiorem, & priorem in ſe minimè comprehendiſſet. Nunc autem, vt mulier in viro continebatur, cùm ſolus vir primùm formaretur, ſic in viro continebatur, cum ſolus vir primùm formaretur; ſic, & ſexus mulieribus in virili comprehenſus intelligitur, cùm ſolùs vir nos redemit.

De latere viri dormientis ſumpta eſt mulier, & indè virago dicta, quoniam de viro accepta eſt; & de latere Chriſti in cruce dormientis defluxit Eccleſia, cum latere ſanguis, & aqua, vndè tam viri, quàm mulie-
Gal. 3. res in Chriſto regenerantur. Nam in Chriſto quò ad ſalutem ſuſcipiendam non eſt maſculus, neque fœmina; ſecus verò quò ad ſalutis
Ioan. 20. æternæ ſemen alijs adminiſtrandum. Solis enim viris dictum eſt, ſicut me miſit pater, & ego mitto vos, ite, docete omnes gentes,
Matth. 28. baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Quorum peccata remiſeritis, remittuntur eis.

Præthereà, ſi ſola fœmina rebus Eccleſiaſticis ſub Chriſto alicubi præficeretur, maximum Chriſto dedecus ea res afferret; propterea quòd cum ſponſa ipſius ex viris, & mulieribus conſtet, ſponſæ ſuæ latus eiuſdem capiti præferretur. Mulier enim de latere viri eſt, Gen. 2.
vir autem caput mulieris. Deindè ſi Chriſto auctore id fieret, Chriſtus ſexum ſuum, hoc eſt, virilem, & perfectum, imperfectiori ſexui ſubieciſſet, adeò vt verè dici poſſet, non humanam naturam (quæ in ſolo viro integra exhibetur,) ſed vnam naturæ humanæ particulam, & illam minùs dignam perfectæ, atque integræ naturæ humanæ perfeciſſe. Quaſi verò qui per ſolum digniorem virilem ſexum nos redemit, iam redemptionis ſuæ merita per alium, quàm eundem virilem ſexum nobis diſpenſet. Tum autem patris ſui, atque adeò ſui ipſius ordinem priùs immobiliter fixum violaſſet. Nam per naturam vnà cum patre ſuo ſexum virilem fecerat muliebris ſexus caput. At Chriſtus in Euangelio ait, Amen Ioan. 4.
amen dico vobis, non poteſt filius à ſe facere quidquam, niſi quod viderit patrem facientem. Quæcumque enim ille fecerit, hæc, & filius ſimiliter facit. Pater enim diligit filium, & omnia demonſtrat ei, quæ ipſe facit. Conſtat verò, Patrem in hominem fabricando, ità virum mulieri prætuliſſe, vt mulier nec viri caput, nec ijs, quæ iuris naturæ ſunt, nec gerendæ prolis principium eſſe poſſet. Chriſtus igitur, qui nihil niſi ad exemplum paterni operis facere poteſt, ità redemit, & gubernat Eccleſiam, vt mulier nec virorum in rebus Eccleſiaſticis caput, nec regeneratorem fidelium ſuprema gubernatrix eſſe queat. Perfectior eſt, & perfectiùs nos regit, & propagat ſecundus homo cæleſtis, quam primus homo terrenus.

Filium Dei Chriſtum Ieſum iam indè ab initio inſtaurandi generis humani, legem ad Nouum Teſtamentum propriè ſpectantem expreſſis verbis tuliſſe, vt mulier in Eccleſia numquam dominaretur; ſed ſub viri poteſtate ageret, ac Paulum Apoſtolum ità eam legem interpretari.

Deus videns totum genus humanum in
vno Adamo comprehendi, & ideò totum in Rom. 5.
vno ille perire, nec id alia megia de cauſa, quàm quòd ordine Dei violato mulierem in
adiutorium ipſius creatam, ille tamquam du- Gen. 2.
cem ſibi, & magiſtram conſtitutam ſecutus fuiſſet, atque hoc totum Diaboli aſtutia confectum eſſe: pro ineffabili miſericordia, & iuſtitia ſua huic morbo medicinam adhibuit ſalutarem, vt videlicet ordine, quem ab initio conſtituerat, in integrum reſtituto, aſtutiam diaboli ſua ſapientia confunderet.

Diabolo igitur ſub forma ſerpentis in verbo mendacij per ſuggeſtionem, foris quidem, fructus pulchri, arboris pulchræ; intus autem ſuperbiæ, & inanis gloriæ, mulierem incautam, & inobedientem ſupplantanti, oppoſuit filium ſuum vnigenitum, qui ſub forma carnis humanæ, in verbo veritatis Euangelicæ, per ſuſceptionem ſpontaneam, foris

qui-

Philip. 2. quidem, mortis ignominioſiſſimæ in arbore
crucis ignominioſiſſima, intùs autem ſolidiſ-
ſimæ humilitatis, & patientiæ, Eccleſiam
ſuam fidei prudentia inſtructam, & charita-
tis obedientia confirmatam, ad æternæ vitæ
coronam certiſſimè perduceret. Atque hæc
quidem eſt ſumma rei, quæ hoc ordine, quem
nunc exponam, à Deo eſt inchoata.

Primi parentes peccati ſui iam conſcij
Gen. 3. audiuerunt vocem Domini Dei deambulantis
in Paradiſo ad auram poſt meridiem. Quis
eſt hic Dominus Deus, & ſonum edens, &
deambulans in Paradiſo, & poſt meridiem
Baruc. 3. deambulans? niſi filius Dei Chriſtus ſub fi-
nem ſeculorum in terris viſus, & cum homi-
nibus conuerſatus?

Chriſtus autem non vt Diabolus fece-
rat, mulierem primùm alloquutus eſt; ſed
Adam caput mulieris vocauit, dicens; Vbi es?
Vt quem ordinem in creandis hominibus in-
Gen. 3. ſtituerat, eundem in iudicandis, & redi-
mendis obſeruaret. Poſtquam autem Adam
in mulierem; illa verò in ſerpentem culpæ ori-
ginem contuliſſet, vbi Dominus caput ſerpen-
tis per ſemen mulieris conterendum prędixiſ-
ſet, ad mulierem, inter cætera, ſub poteſtate,
inquit, viri eris, & ipſe dominator tui. Quam
Domini ſententiam ad ſtatum redemptionis
noſtræ pertinere, & omnem ſexum muliebrem
à cauſis fidei, & Religionis Chriſtianæ mode-
randis in æternum repellere nunc oſtendam.
Gen. 3. Principio, certum eſt hanc ſententiam ab ipſo
Dei filio, qui nos redemit, ferri. Quæ enim
alia ex ſanctiſſimæ Trinitatis perſonis in ter-
Ioann. 5. ra poſt meridiem ambulauit?

Præterea, patet non iudicat quemquam,
ſed omne iudicium dedit filio, vt omnes ho-
Gen. 3. norificent filium, ſicut honorificant patrem,
Cùm ergo genus quoddam iudicij hoc ſit, vt
mulier ſub poteſtate viri agat, non patris, ſed
filij iudicium eſt, cui pater omne iudicium
1. Ioann. 3. dedit. Cùm autem in hoc apparuerit filius
Dei, vt diſſoluat opera Diaboli; certum verò
ſit, Diabolum id maximè contendiſſe; vt mu-
lier in Dei cauſis minimè omnium ſub viri
poteſtate eſſet; relinquitur, vt cum Chriſtus
Gen. 3. ad mulierem dixit, ſub viri poteſtate eris, &
ipſe dominabitur tui, de nulla re magis hanc
legem tulerit, quàm de cauſis Dei. Vt hæc
iam ſit vera interpretatio Verborum Chriſti,
Tu ò mulier in ijs, quæ Dei ſunt, maximè om-
nium ſub viri poteſtate eris.

Nàm ſiue iſta lex ad imbecillitatem mu-
lieris adiuuandam, ſeu ad temeritatem pu-
niendam feratur, vtroque modo ad religio-
nis cauſas maximè ſpectat. Etenim ſi propte-
reà iubetur ſub viri poteſtate eſſe, quòd priùs
ſuæ prudentiæ nimiùm confiſa, inconſulto vi-
to ſeducta fuit, nec deinceps in vlla re magis,
quàm in fidei negotio cauere debeat, ne ite-
rùm ſeducatur; etiam in nulla magis quàm in
religionis cauſa iubetur ſub viri poteſtate
1. Cor. 9. eſſe. Nàm in ſeculi negotijs ſi errauerit, parui
hoc momenti eſt, nec de bobus cura eſt Deo.
At in Dei rebus omnis error pernicioſus cen-
ſeri debet.

Quòd ſi per hanc ſententiam pœna tan-
tùm infertur mulieri; cum pœna delicto re-
ſpondeat, ſicut mulier in Dei cauſa deliquit,
cum legem eius abſque viri conſilio violauit;
ſic nunc in eo iuſtiſſimè punitur, vt in Dei
cauſis nihil ſponte ſua, ſed omnia ex viri prę-
ſcripto facere iubeatur. Egregia ſcilicet. &
digna Domino ſententia, vt cum mulier ſuo Ironia.
ingenio, nitens non in aliqua ſeculi, ſed tan-
tùm in diuina cauſa deliquiſſet, nec in homi-
nem, ſed in Deum ipſum peccaſſet, nunc Deus
cenſeatur, eam viro ſubijcere in ijs tantùm,
quæ ſeculi ſunt, & non multò magis in ijs,
quæ Dei. Quid quęrimus? Ipſe Spiritus ſan-
ctus per os Apoſtoli, hanc legem ad Eccle-
ſiam Chriſti referri debere indicauit. Mulie-
res, inquit, in Eccleſijs taceant. Non enim 1. Cor. 14.
permittitur eis loqui, ſed ſubditas eſſe ſicut,
& lex dicit.

Lex verò, quæ mulierem iubet ſubditam
eſſe, hæc ipſa eſt, quam Chriſtus in Paradiſo
tulit, cum ad mulierem diceret, Sub poteſtate Gen. 3.
viri eris, & ipſe dominabitur tui. Quam
legem Paulus, non tàm de rebus domeſticis,
quàm Eccleſiaſticis latam eſſe docet. Nàm 1. Cor. 14.
ſequitur apud Apoſtolum: Si quid volunt di-
ſcere, domi viros ſuos interrogent. Turpe
eſt enim mulieri loqui in Eccleſia.

Quòd ſi lex Chriſti, quæ iubet mulierem
viro ſubditam eſſe, permittat mulieri virum
ſuum domi interrogare; in Eccleſia verò idem
non permittat, quia turpe eſt, vt mulier in
Eccleſia loquatur; ſiue controuerſia lex illa
Domini, qua mulier ſub viri poteſtate iube-
tur eſſe, auctore Apoſtolo, ſic eſt ad literam,
& ſecundùm hiſtoriam intelligenda, in rebus
Eccleſiaſticis potiſſimùm ſub viri poteſtate
eris, & in ijs, quæ Dei ſunt, ipſe tui maximè
dominabitur.

Nàm licèt etiam domi vir in omni re ſit Gen. 3.
Dominus mulieris, tamen maior eſt domina-
tio, qua vir in mulierem in rebus Eccleſiaſti-
cis exercet; quia domi licet mulieri non ob-
ſtante viri dominatione ipſum de rebus diui-
nis interrogare, at in Eccleſijs non licet id
facere, quia ibi audire tantùm, non etiam lo-
qui debet.

Quinimò, in Eccleſia debet in ſilentio
audire cum omni ſubiectione, vt alibi Apo-
ſtolus ait: Domi mulier eſt cum aliqua; ſed 1. Tim. 2.
in Eccleſijs cum omnibus ſubiectione. Quid
multis? Negotia huius vitæ ſunt ferè trium
generum, naturalia, politica, diuina. In
ijs, quæ iuris naturæ, & diuina ſunt, mulier
ſub viri poteſtate cum omni ſubiectione de-
git, & ità degit, vt vir eam ſibi præponere
nullo modo poſſit.

Neque verò poteſt vir facere, vt mulier ſit
principium generandi, vel caput viri, vel dux
verbi, vel moderatrix Eccleſiæ: quia hæc ſunt
à Deo ſtatuta & fixa, nec viri arbitrio permiſ-
ſa. Verùm in ijs, quæ politica ſunt, cuius ge-
neris eſt, domi quidem cibum ſeruis, & an-
cillis pro arbitratu ſuo præbere, pecuniæ di-
ſpenſatricem, & œconomam eſſe, mercaturæ
præfici, familiam duplicibus veſtire; in regno
autem, quæ belli, & pacis ſunt, moderari, in
his, inquam, rebus, quę totę ſunt poſitæ in viri
manu & poteſtate, licet viro, aut vxorem in ſo-
licitudinis partem vocare, aut omnia iſta eius
poteſtati concedere. Hæc enim ſunt negotia
humana, quę licèt plerumque à fęminis minùs
rectè gerantur, geri tamen poſſunt, ſi viris
hoc videbitur. Nec Chriſtus in mundum ve-
nit ad iſta conſtituenda, & reformanda: vn-
de nec à fame, ſiti, & morte corporis nos ad-

huc liberauit. Sed is venit ad ſpiritalia negotia inſtauranda, & componenda.
Rom. 8. Corpus enim mortuum eſt propter peccatum, ſpiritus verò viuit propter iuſtificationem. Itàque cum Chriſtus in Paradiſo ambularet, cum ſerpentis caput per ſemen mulieris conterendum promitteret, hoc eſt, cum ſpiritale ſalutis noſtræ negotium ageret, iam tunc dixit ad
Gen. 3. mulierem, Sub viri poteſtate eris, & ipſe tui dominabitur, vt certiſſimum ſit, tàm ex eo, quod tunc agebatur, quàm ex ſubſecuta beati Pauli interpretatione, quòd lex illa de ſpiritualibus cauſis potiſſimùm accipienda ſit. Si ergo mulier in nulla re magis ſub viri poteſtate eſſe debet, quàm in Eccleſiaſticis, & ſpiritualibus cauſis, illæ autem cum Dei res ſint, arbitrio humano inſtitui, aut geri numquam debeant.

Quis eſt iam, qui videns mulierem à cauſis Eccleſiaſticis moderandis, diuino iure arceri, ac poteſtati virorum omninò ſubijci, tamen in eiſdem cauſis eam viris ipſis præficiat, niſi Antichriſtus?

Nam quod neſcio, qui dicunt per virum, non niſi maritum, per mulierem verò non niſi vxorem intelligi, atque ideò mulieres innuptas in his rebus iuris non ſubijci, ſed liberam, non minùs in diuinis, quàm humanis rebus poteſtatem habere: ne iſti nimiùm ſibi ſapere videntur, ſi quod vxoribus negant, innuptis tribuant. Nullus enim gradus in muliebri ſexu ad gubernationem ſuſcipiendam aptior eſt, quàm vxoris. An natura ipſa non docet nos? Habet enim mater familias, liberos, quibus educandis vnà cum viro
Exod. 20. iure naturali præſit, ab ijſque honorari debet. An quicquam ſimile innuptis conceditur? Si vxor, propter quam homo relinquit patrem, & matrem, vt ei adhæreat; ſi vxor, quam Deus homini ſociam dedit, tamen in ijs, quæ iuris naturalis, ac diuini ſunt ſine omni exceptione viro ſubijcitur: poterit innupta mulier, aut virgo, quæ neque ſocia viri, neque caro eius eſt eidem viro in ijs, quæ naturæ, aut fidei ſunt præfici? Turpe eſt vxori in Eccleſijs loqui, & nō eſt turpius virgini, aut innuptæ? Vxores permittuntur domi ſaltē viros ſuos interrogare: at innuptis vix etiam hoc permitteretur, niſi ex neceſſaria cauſa: nam illas etiam domi conuenit audire cum omni ſubiectione. Quid multis?

Paulus alibi hoc, quod de muliere lex di-
1. Cor. 11. cit, ad omnem ſexum muliebrem pertinere declarat, dicens: Omnis mulier orans, aut Prophetans non velato capite, deturpat caput ſuum: Nec contentus omnem mulierem nominaſſe, vt nullam putes excluſam, prætereà talem ſubijcit rationem, quæ non minùs ad innuptas, quàm nuptas, naturæ ip-
1. Cor. 11. ſius vi extenditur; ait enim; Capilli pro velamine mulieri dati ſunt. An virginibus, & innuptis perindè non ſunt dati capilli pro velamine, ac viduis, & vxoribus? Omnis ergo mulier, quæ capillos pro velamine gerit, in orando, & prophetando, hoc eſt, in ſpiritualibus, & Eccleſiaſticis cauſis, debet ſub viri poteſtate eſſe, & in eius rei ſignum, debet velato capite orare publicè, & prophetare, tanquam ſi hoc palàm verbo ipſo diceret, quod velo capitis ſignificat. Ego non poſſum quidquam Eccleſiaſticum pro meo iure agere, ac propterea ex permiſſu virorum oro iam, aut propheto, illos interim agnoſcens meos dominos, & ſuperiores in cauſis diuinis.

Nam quòd velum capitis muliebris poteſtatem virilem, ſub qua degit, ſignificet, ex 1. Cor. 11.
ipſius Pauli verbis apertiſſimum eſt, quibus ait: Ideò debet mulier poteſtatem habere ſupra caput ſuum. Quod anteà velum vocauit, nunc vocat poteſtatem, & quæ, obſecro, eſt hæc poteſtas, quam mulier ſupra caput ſuum habere debet, niſi illa Chriſti lex, Sub poteſtate viri eris, & ipſe dominabitur tui? Conſtat ergo, quamlibet in mundo mulierem tum naturæ lege, quæ omnibus mulieribus ex æquo eſt communis, tum ex Chriſti præſcripto eandem naturæ legem peccato Euæ violatam in integrum reſtituentis, in cauſis naturæ, & gratiæ, ſeu Eccleſiæ, ità ſub viri poteſtate agere debere, vt numquam poſſint vllis rebus Eccleſiaſticis, ſalua Chriſti fide, & Religione, præfici, aut dominari: adeò vt Apoſtolus expreſsè dicat; Docere mulieri non 1. Tim. 2.
permitto, neque dominari in virum. Vbi hoc non permittis ò Paule? Vtrùm in domibus priuatis, an in Eccleſijs? Certè in Eccleſijs, inquit, non permitto. De ijs enim egit, ſicut anteà ex ipſius verbis planum fecimus. Et quare non permittis, mulierem in virum in Eccleſijs dominari? Sequitur apud Apoſtolum; Adam enim primùm formatus eſt, deindè Eua, & Adam non eſt ſeductus, mulier autem ſeducta in præuaricatione fuit. Quaſi dicat, ob duplicem cauſam non permitto, vt mulier in Eccleſijs, ſeu in rebus Eccleſiaſticis (nam hoc idem prorsùs eſt) dominetur in virum.

Primùm, quia per naturam mulier fuit viro ſubiecta: deindè, quia per culpam merebatur in æternum ab omni primatu reijci, etiam ſi per naturam ab eodem reiecta non fuiſſet. Quæ enim fuit dux, & magiſtra ad committendum peccatum, par eſt, vt omni Primatu Eccleſiaſtico in æternum priuetur. Cùm autem Apoſtolus ait; Non permitto mulierem in viro dominari, ſignificat, legem, quæ mulierem viro in rebus Eccleſiaſticis ſubijcit, immutabilem eſſe, nec ob vllam cauſam vllo vmquam tempore diſpenſatione quadam poſſe relaxari.

Beatam Virginem Dei Matrem, ne à filio quidem ſuo, qui ei per legem naturæ ſubiectus fuit, rebus Eccleſiaſticis, vel ad vllùm temporis momentum præfectam fuiſſe; nedum aliam vllam, aut Matrem, aut Virginem ab alio quopiam viro ijſdem rebus præfici poſſe.

Qui nouit, & conſiderat, quid ſit, vel Mariam ſimul Virginem, ſimul Dei Matrem fuiſ- Luc. 1.
ſe: vel Dei filium in forma Dei æterno Patri Philip. 2.
ſuo æqualem, etiam in forma ſerui, beatæ
Virginis filium extitiſſe; numquam putabit, Exod. 2.
vel tali matre vllam fœminam in Dei cauſis ma-

maiorem eſſe poſſe; vel talem filium, qui & ab omnibus filijs parẽtes honorandos decreuit, *Matth. 3. & 5.* & totam legem, omnemque iuſtitiam ipſe impleuit, quicquam veri, & ſpiritalis honoris, cuius quidem mater ſua capax fuerit; prætermiſiſſe, quin id ei detulerit ſummo in gradu.

Si enim legem de honorandis parentibus natura duce nobis inſitam, Chriſtus omnium perfectiſſimè adimpleſſe creditur; quid ſolidi honoris matri ſuæ exhibere potuit, quod ei non exhibuit? Eſt autem honoris veri, & ſolidi non parua pars diuinis rebus adminiſtrandis præfici. Alioqui Chriſtus, qui *Ioan. 6.* nec vllum de hoc mundo regnum ab hominibus oblatum accipere, nec illud, quod à Patre accepit, politico, & temporali ritu adminiſtrare voluit, vnquam res ſacras in hoc *Ioan. 13.* mundo, vel viſibili modo (etiam prædicans ſe omnium Dominum, & magiſtrum) adminiſtraſſet: vel eaſdem intimis amicis ſuis, fratribuſque adminiſtrandas commiſiſſet. Nunc autem, & Chriſtus Eccleſiam viſibili ritu rexit, atque adminiſtrauit, & eandem Apoſtolis, non tamen matri gubernandam commiſit. Matrem igitur Chriſti meritò dicimus non fuiſſe capacem huius veri, & ſolidi honoris, vt rerum Eccleſiaſticarum gubernationem ſuſciperet. Quòd ſi capax huius dignitatis tanta Mater, & Virgo non fuit; quæ vnquam femina, ſeu Mater, ſeu Virgo ſit, eiuſdem honoris capax erit?

Nam quid, obſecro, vlli feminæ vnquam conceſſum eſt, cuius vi ad Eccleſiam Dei regendam inſtructior accederet, quod idem Mariæ non affuerit? Verum enim id in Maria deſideratur, quod Regina huius ſeculi minimè fuit? quaſi verò Chriſtus ipſe huius ſeculi, Rex fuerit. Si ergo Chriſtus, quamuis non fuerit huius ſeculi Rex, tamen Eccleſiam optimo iure gubernauit, potuit & Mater Chriſti Eccleſiam rexiſſe, quamquam nullum huius ſeculi regnum adminiſtrauerit. Nunc autem cum Eccleſia Chriſti ſit ſpiritalis quædam ſocietas, & ciuitas ſancta, quò ſanctior, & ſpiritalior quæque perſona eſt, eò etiam eſt aptior ad Eccleſiam Dei gubernandam: ſed quæ vnquam perſona ſanctior Maria? Si Domi- *Matth. 24.* nus fidelem, & prudentem ſeruum ſupra familiam ſuam conſtituit, vt det illis in tempore tritici menſuram; quis fidelior Maria, quis prudentior? fidem eius Elizabetha Propheti- *Lucæ 2.* ſa laudauit dicens, Beata quæ credidiſti, quoniam perficientur ea, quę dicta ſunt tibi à Domino.

Lucæ 2. De prudentia verò beatus Lucas atteſtatur his verbis: Maria conſeruabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo.

Ioan. 10. Si oportet, eum, qui Eccleſiam adminiſtrabit, rerum à Chriſto geſtarum valdè peritum eſſe, vt boni paſtoris exemplum in ouibus paſcendis imitetur; quis res à Chriſto geſtas accuratiùs nouit, quàm Maria, quæ iam indè ab infantia, & teſtis fuit omnium, quæ geſſit, & omnia, quæ conſpexit, & audiuit, in corde ſuo ſeruauit? Si eum, qui Eccleſiæ præ- *Hebr. 2.* futurus eſt, & tentari, ac pati oportet, vt potens ſit, & eis, qui tentantur auxiliari; quis magis tentatus, aut grauiora paſſus, quàm *Lucæ 2.* Maria, ad quam Symeon Propheta dixit, Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius? Si plus cæteris diligere Chriſtum, debet, cui oues Chriſti commendantur; quis vnquam morta- *Ioan. 21.* lium perindè Chriſtum dilexit, ac Maria? niſi fortè Mater Filium non dilexit, ac præſertim talem filium, qui non ex virili ſemine, ſed ex puriſſimo Virginis ſanguine per Spiritus ſancti operationem conceptus eſt; quòd ſi Eccleſia, quæ vni viro Chriſto, velut incorrupta Virgo deſponſanda exhibetur, aptiſſimè re- *2. Cor. 11.* gitur à Virgine; vllus ne vnquam perindè *Lucæ 2.* Virgo, ac Maria, quæ etiam filium paritura *Galat. 4.* virum non cognouit? Sin Eccleſia, quæ mater noſtra eſt, & Chriſto nos parit etiam decentiſſimè à matre quapiam gubernatur; vlla ne maior eſt mater, quàm de qua Elizabeth dixit. Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Do- *Lucæ 2.* mini mei ad me? Quin & ipſe Chriſtus per vnius Ioannis perſonam omnes Chriſtianos Beatæ Mariæ velut filios commendauit, dicens, Ecce mater tua.

Præterea, ſi cum Dei Eccleſia per lauacrum aquæ exhibeatur Chriſto glorioſa, non *Ioan. 19.* habens maculam, neque rugam, ob eam rem ab integerrima, & immaculata perſona regi, & adminiſtrari debeat, quid integriùs, aut ab omni macula immunius Maria? De qua beatus Auguſtinus non dubitauit ſcribere: De *Lib. de natura, & gratia cap. 36.* ſancta Virgine Maria propter honorem Domini, nullam porſùs cum de peccatis agitur, haberi volo quæſtionem; vnde etiam ſcimus, quòd ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere, ac parere meruit eum, quem conſtat nullum habuiſſe peccatum, hæc Auguſtinus. Si perſonam, quæ in Chriſti nomine Chriſtianos reget coniunctiſſimam Chriſto eſſe decet; quæ perſona Chriſto coniunctior, vel carne, quàm filio mater; vel ſpiritu, quàm benedicta inter mulieres, benedicto inter viros?

Poſtremò, ſi dignitas arboris ex fructu, quem producit, apprimè cognoſcitur: nec vl- *Matth. 6.* lius arboris vllus vnquam fructus adeò excellens extitit, quàm Chriſtus ventris Mariæ fructus: Vnde Elizabeth meritò exclamauit; *Lucæ 2.* Benedictus ventris Mariæ fructus; profectò nulla vmquam arbor ſimilis Mariæ fuit.

Angeli quidem filij Dei incarnationem velut mente, ac votis conceperunt, Deum pro ſalute humani generis ab initio interpellantes. Idem ſanctum deſiderium omnibus Patriarchis, Prophetis, & iuſtis vnà cum Angelis commune fuit: omnes enim expectabant ſalutare Dei. Cæterùm in ſola Beatiſſima Virgine Maria Deus hoc myſterium perfectè operatus eſt, eam Spiritu ſuo ſancto obumbrans, vt & fideli mente, & caſto ventre creatore ſuum conciperet, geſtaret, pareret, educaret.

Et quia nullum opus vnquam diuinius, nec id ipſum abſque expreſſo Mariæ conſenſu Deus operari voluit, nulla etiam perſona poſt ſanctiſſimam Trinitatem cum Maria eſt vllo modo conferenda. Hæc enim ſingularem inuenit gratiam apud Deum, vt illius admirandi operis cooperatrix, & velut adiutrix fieret, quo inſtaurantur omnia in cœlo, & in terra. Hæc ſuppeditauit Chriſto ſanguinem, quo redempti ſumus. Hæc vberibus ſuis lactauit eum, qui verbo veritatis ſuæ portat omnia.

Si

Si hæc fidelis, prudens, diuinitùs edocta, patiens, Chriſti amantiſſima, & immaculata Virgo, eademque Dei mater, denique omnium creaturarum digniſſima, tamen ob id ſolùm quòd vir non erat, Eccleſiæ Chriſti præfecta non eſt; putabimus ne præfecturam Eccleſiæ à Chriſto hæreticæ mulieri concedi, quæ fideli matri non eſt conceſſa? fœdiſſimo proſtibulo honorem tributum, qui caſtiſſimæ Virgini eſt negatus? Neque verò rantùm dicimus, Mariam Eccleſiaſticis non fuiſſe præfectam, ſed præterea ex Euangelio manifeſtiſſima teſtimonia proferimus, quæ oſtendunt, nihil rei Mariæ eſſe potuiſſe cum Eccleſiaſticis cauſis.

Ioan. 2. Itàque cum in nuptijs apud Canam Galileæ vinum deeſſet, eiuſque rei filium, vt is per omnipotentiam ſuam vinum illis exhiberet, Dei genetrix admonuiſſet, Chriſtus, vt conuiuis, ac toti deinceps Eccleſiæ oſtenderet, eam, licèt matrem ſuam, nihil iuris in illum in ea cauſa, quæ ad ſpiritalia Dei negotia ſpectabat, obtinere: Quid, inquit, mihi, & tibi eſt mulier? nondùm venit hora mea. Quibus verbis ſignificat ſe in Dei negotijs non eſſe matri ſubditum, ſed matris ſuæ Dominum, & ideò pro ſua libertate acturum in ea re.

Cui eius verbo Maria pro humilitate ſua obediens, ait ad miniſtros, Quodcumque dixerit vobis, facite, quaſi dicat, non meum, quæ ſum mulier, ſed viri verbum fiat, qui mihi in Eccleſiaſticis rebus dominatur. Poteſtas enim exhibendi vini per miraculum eſt ſpiritalis poteſtas, & ad Eccleſiam Dei, non ad ius gentium ciuile, aut naturale ſpectat. Neque hoc ſolùm tempore, ſed aliàs præterea cum Beata Virgo filium triduo quæſitum interrogaſſet, Fili quid feciſti nobis ſic? Chriſtus agnouit poteſtatem ſuam in Dei cauſis longè ſupra maternam poteſtatem, & ideò liberè ait, Quid eſt, quòd me quærebatis? neſciebatis, quia in ijs, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe? & ipſi non intellexerunt verbum, quod locutus eſt ad eos.

1. Cor. 11.

Lucæ 2.

Aliud eſt dicere, non intellexerunt; & aliud, non crediderunt. Illi quidem crediderunt, immò & meditati ſunt in hoc Chriſti reſponſo, mater præſertim, de qua ſcriptum eſt, Et mater eius conſeruabat omnia verba hæc in corde ſuo.

Attende mihi iam paululùm, Aclere, ſi filius etiam adhuc impubes, vtpotè duodecim annorum, tamen in cauſis Dei non ſubijcitur matri; quis vnquam vir vlli mulieri poteſt in iiſdem Dei cauſis ſubijci? Maior eſt poteſtas matris in filium, quàm Reginæ in ſubditum ſuum, quia filius per ius naturæ ſubijcitur matri, at ſubditus, non niſi per ius gentium, aut ciuile ſubijcitur ſuo Principi.

Adde his, quòd talis Mater fuit Beata Virgo, vt eſſet plena gratiæ, benedicta inter mulieres, & omnium gentium teſtimonio beata. Si iam illa in Dei cauſis nihil iuris habet in eum, qui de vtero eius prodijt, quem & fide cordis, & auditu auris, & operatione Spiritus ſancti ſine peccato concepit; quam mihi dabis in mundo mulierem, quæ in Dei cauſis cuiquam virorum præſit? ſi filio mater in Eccleſiaſticis rebus non præeſt; & præerit Regina ſubdito?

Cui præterea obſcurum eſt, Chriſtum nihil Eccleſiaſticæ poteſtatis matri ſuæ dediſſe? Non eam fecit verbi Dei nunciam, non Sacramentorum adminiſtram, non chori Apoſtolici Principem. Immò cum vltimam cœnam celebraret, in qua veterem hoſtiam Paſchalem in ſuæ carnis myſteria transferens, & calicem vini legalis in ſuum ſanguinem transfundens, agnoq; Ægyptiaco agnum Dei viuum, & verum ſubſtituens, noui teſtamenti nouum Sacerdotium inſtituebat, quia nihil rei cum ſacerdotio Eccleſiaſtico matri ſuæ futurum erat, ne adhibuit quidem illam omninò ad eam cœnam, ſed cum ſolis duodecim Apoſtolis, quos in ſuam commemorationem hoc facere iuſſit, Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech, diſcubuit. Lucæ 22. Eodem modo cum Chriſtus in Cœlum aſcendiſſet, Maria non ſibi ſumpſit, vt chorum Apoſtolicum regeret, ſed vnà cum illo in oratione perſeuerauit, tantò ſublimiùs iam in Cœlo ſuper omnes Choros Angelorum exaltata, quantò humiliùs in terra ſe ipſam infrà omnes viros, quod ad rerum Eccleſiaſticarum adminiſtrationem attinet, ſubmiſit. Actor. 2.

Reginam, quæ ſe ipſam vocat ſummam Eccleſiæ gubernatricem, quæque Pontificibus in rebus diuinis imperat, eiuſdem Eccleſiæ Pontificem, ac Sacerdotem rectè appellari, multòque veriùs ſacra, quàm ipſos Sacerdotes miniſtrare. Iſta eſt Acleri ſententia:

Anglicani Proteſtantes, tam Reginas, quàm reges ſuos ſuprema Eccleſię Anglicanę capita proximè ſecundùm Chriſtum in omnibus Eccleſiaſticis rebus, & cauſis conſtituunt. Hoc ego in Monarchia mea dixi, nihil eſſe aliud, quàm ſi eaſdem perſonas conſtituerent Epiſcopos, & Pontifices Eccleſiæ Anglicanæ, ex eoque intuli, & Henricum Octauum non aliter Angliæ, quàm Iulianum Apoſtatam Græcorum Pontificem dicendum, nec aliter Elizabetham apud Anglos, quàm alias fœminas apud Pepuzianos, & Collyridianos ſacerdotio fungi. Tulit hoc meum verbum indigniſſimè Aclerus, meque, qui hoc dixerim, audaciſſimum Iabulam vocat. Quoniam igitur hæc res aliquantò pleniùs explicata, & me ab infami conuitiorum tuorum nota liberare, & vel te ipſum, vel nonnullos ex tuis, detecto veſtro grauiſſimo errore faciliùs ad pænitentiam adducere poteſt, age, oſtendamus Principes tuos, qui ſuperbum illum ſupremi capitis Eccleſiæ titulum ſibi arrogant, eo ipſo Pontificatum Eccleſiæ inuadere. Lib. 7.

Nam inter Eccleſiaſticas dignitates cum nullus gradus Pontificatu maior ſit, tu verò tuis principibus, atque adeò Reginæ tuæ, maximam in rebus Eccleſiæ moderandis auctoritatem tribuas, neceſſariò efficitur, vt Regina tua ſit Pontifex, & Sacerdos.

Quòd autem in rebus diuinis moderandis nullus gradus Pontificatu maior ſit, quàm

Philip. 2. perſpicuè apparet? Humiliauit ſemetipſum
Ieſus Chriſtus vſque ad mortem Crucis, pro-
pter quod Deus exaltauit illum, & donauit
illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen; per
nomen verò in ſcripturis ſignificatur poteſtas,
ſicut cum Chriſtus iubet nos in nomine Pa-
tris, & Filij & Spiritus ſancti baptizari; & Pe-
trus ait, non eſſe aliud nomen, per quod ſal-
uemur, niſi nomen Ieſu Chriſti. Quod ergo
eſt nomen, quod Deus Pater Chriſto ob humi-
litatem paſſionis ſuæ contulit? hoc idem
Hebr. 5. Paulus optimè explicat, cum de eodem Chri-
ſto ſcribit, Didicit ex ijs, quæ paſſus eſt, obe-
dientiam, & conſummatus, factus eſt omnibus
obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ,
appellatus à Deo Pontifex iuxtà ordinem
Hebr. 8. Melchiſedech. Talem habemus Pontificem,
qui conſedit in dextera ſedis magnitudinis in
Cœlis, Sanctorum miniſter, & tabernaculi
veri, quod fixit Deus, & non homo.

Si ergo nomen, & poteſtas Pontificis
maxima omnium eſt ſecundùm humanam
Hebr. 10. Chriſti naturam, & ea, quæ in Eccleſia ge-
runtur, imago ſunt rerum cœleſtium; vtique
nulla poteſtas in Eccleſia moderanda Ponti-
ficatu maior eſſe poteſt.

In Pſal. 98. Hinc Auguſtinus cum de Pontificatu
Moyſis ageret: Si ſacerdos, inquit, Moyſes
non erat, quid erat? numquid ſacerdote ma-
ior eſſe poterat? quaſi dicat, nihil in mundo
maius eſſe Sacerdote. Eſt autem Sacerdos
idem, qui & Pontifex.

Vndè quem Dauid appellat ſacerdotem
ſecundùm ordinem Melchiſedech, cum Pau-
lus modò ſacerdotem, modò Pontificem
iuxtà eundem ordinem appellat. Cùm ergo
reginam tuam dicas, ſummum Eccleſiæ An-
glicanæ caput eſſe, ac ſummam poteſtatem
habere, nihil verò in rebus Dei gubernandis
Pontificia poteſtate maius eſſe queat; neceſſa-
riò dicis, eam eſſe Pontificem, & Sacerdo-
tem.

Deindè concedes mihi, Chriſtum eſſe ve-
rum Caput, & Pontificem Eccleſiæ, concedes
etiam in Regno Angliæ Pontifices quoſdam,
Heb. 1. & 3. & Epiſcopos Reginæ tuæ ſubiectos agere, qui
præeſſe deberent gregi Domini in ſolicitudi-
ne, & vigilare, quaſi rationem pro animabus
fidelium Deo redditurі. Et iſti quoque ſuo
modo ſunt quædam capita, & gubernatores
Eccleſiæ. Iam inter Chriſtum, & horum Pon-
tifices medium conſtituis reginam tuam in-
feriorem Chriſto; Pontificum verò non tan-
tùm in ciuilibus, verùm & in ſacris rebus
moderandis caput, & gubernatricem. Nunc
dico, poteſtatem illam Reginæ tuæ factam, &
ſacris præſidentem (vt tu ſtatuis) quæ inter
duas Pontificias dignitates media interijci-
tur, quæque alteri, nempè Chriſto, proximè
adiungitur, & patet: alteri, videlicèt Epiſco-
pis Anglicanis in rebus ſacris, quæ ad Ponti-
fices propriè ſpectant, præeſt, & imperat, ne-
ceſſariò, aut nihil, niſi Pontificiam dignita-
tem eſſe, aut certè Pontificiam dignitatem in
Heb 5. & 7. ſe ipſa complecti. Nam & certum eſt, Chri-
ſtum per æternam Pontificiam dignitatem
ſuam, Epiſcopos Eccleſiæ ſuæ tum inſtituere,
tum regere, & tu ais, proximè ſecundùm
Chriſtum ipſum, tuos Principes Chriſtianos
Epiſcopis ſuis, etiam in rebus ſacris præeſſe,
nec ab alio, vt id faciant, quàm à Chriſto
ipſo Principes tuos vmquam dices accepiſſe.
Re igitur ipſa dicis, Chriſtum Pontificem
æternum, per interiectam Principum tuorum,
atque adeò Reginæ tuæ regiam poteſtatem,
Pontifices, & Epiſcopos Eccleſiaſticos inſti-
tuere, gubernare, & moderari. Ex quo effici-
tur, vt poteſtas Eccleſiaſtica, quæ à Chriſto
Capite primo, & æterno per tuam reginam
caput ſecundum, & proximum, in Epiſcopos
Eccleſiæ, caput tertium, & vltimum defluit,
ac deriuatur in Regina tua (quam non ad
momentum, ſed iure perpetuo ſacris præſide-
re dicis, ex parte aliqua in perpetuum conſe-
derit, maioremque illam in ſecundo gradu
Epiſcopum, & Pontificem, quàm Epiſcopos
alios, quibus illa præſidet, in tertio gradu
crearit. Media enim extremis ſemper con-
gruunt, & quatenùs fieri poteſt, cum vtriuſ-
que extremi natura communicant, vt ne diſ-
ſonum aliquid, aut indecorum in Dei operi-
bus interueniat. Neque hæc mea diſputatio
Philoſophorum inſtitutis, aut humano inge-
nio, ſed diuina auctoritate nititur, & confi-
dir. Cum enim Deo Patri viſum eſſet, multos Hebr. 2.
adoptionis filios in gloriam adducere, idque
per filium ſuum naturalem efficere, & opera-
ri; homines autem, qui erant redimendi, ex
Dei iuſtiſſimo iudicio tentationi, & morti
ſubijcere, Paulus non dubitauit dicere, de-
cuiſſe Deum, propter quem, & per quem ſunt
omnia, conſummare Pontificem, & auctorem
ſalutis humanæ per paſſionem. Cùm enim,
qui ſanctificat Chriſtus, & homines, qui ſan- Hebr. 2.
ctificantur, ex vno Deo ſint omnes, quia pue-
ri (quorum mediator ſtaret, & caput etiam
ſecundùm naturam hominis aſſumptam Chri-
ſtus eſſe voluit) communicauerunt carni, &
ſanguini (vtique paſſibili, & mortali) etiam
ipſe Chriſtus ſimiliter participauit ijſdem, vt
liberaret eos, qui timore mortis per totam Hebr. 2.
vitam obnoxij erant ſeruituti: Vndè) ait
Paulus) Debuit per omnia fratribus aſſimi-
lari, vt miſericors fieret, & fidelis Pontifex ad
Deum, vt repropitiaret delicta populi. In
eo enim, in quo paſſus eſt ipſe, & tentatus, po-
tens eſt, & eis, qui tentantur, auxiliari. Ità
Chriſtus, & Deus per omnia erat cum Deo, &
cum hominibus per omnia homo, & cum
mortalibus mortalis, & cum tentatis etiam
ipſe tentatus, vt perfectus Dei, & hominum
mediator fieret. Si ergo Dei lex res medias
cum extremis connectens, tam eſt fixa, & im-
mobilis, vt neque in ipſo Chriſto ea debuerit
violari; quantò certiùs eſt, eum Regem Chri-
ſtianum, qui medius inter Pontificem Chri-
ſtum, & Pontifices Eccleſiaſticos à te conſti-
tuitur, quique ipſis Pontificibus in Eccleſia-
ſticis cauſis imperare dicitur, communicare
cum dignitate Pontificia. quæ vtrinque exi-
ſtit, & propterea etiam eſſe Pontificem? Non
ſatis erat, Chriſtum eſſe hominem, vt homi-
nes redimeret, niſi & mortalis homo fieret, vt
homines morti obnoxios redimeret. Nec igi-
tur ſatis eſt, Regem qualecumque caput eſſe, vt
Eccleſiaſticos Pontifices in cauſis Eccleſiaſti-
cis regat, niſi & caput Eccleſiaſticum, atque
adeò Pontificium ob eandem cauſam fiat.
Itàque cum tu Aclere dicas, Reginam tuam
in rebus diuinis etiam Pontificibus, & Sacer-
dotibus Eccleſiaſticis imperare; non ego, ſed
tu facis illam, & Pontificem, & Sacerdotem, vt

meri-

meritò mihi iam liceat dicere, illam cum Pepuzianorum, & Collyridianorum feminis Pontificatum adeptam, & ſacerdotio eſſe honoratam.

Præterea, ſi tu ipſe Pontificem nobis definires, vtrum aliter id faceres, quàm olim
2. Paral. 19. ſanctus ille Rex Ioſaphat fecit? Amarias, inquit, Sacerdos, & Pontifex veſter in his, quæ ad Deum pertinent, preſidebit. Porrò Zabadias filius Iſmael, qui eſt dux in domo Iuda, ſuper ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent, Regis officium hoc in loco diſcernitur à Pontificis officio: vt Regis officium
Nota. ſit circa opera ciuilia, & humana, Pontificis verò circa res diuinas, & Eccleſiaſticas. Nam ſi Zabadias erit ſuper opera, quæ ad regis officium pertinent, & tamen ſuper opera, quæ ad Deum pertinent, non erit (quia in his Amarias Pontifex præſidere dicitur) omninò regis officium non eſt, in his, quæ ad Deum pertinent, præſidere, & hoc eſt Catholicæ fidei, atque Euangelij veritas. Sed cum tu dicas, reginam tuam in his, quæ ad Deum pertinent, præſidere, ac Pontificem, & Sacerdotem eſſe illam non dicis? Das ei rem ipſam, & nomen
Hebr. 5. auferre veles? Paulus etiam definit nobis Pontificem ad hunc modum: Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in ijs, quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona, & ſacrificia pro peccatis. Tua regina ex hominibus aſſumitur; & ſecundùm te pro hominibus conſtituitur in ijs, quæ ad Deum pertinent; conſtituitur enim caput, ſeu gubernatrix Eccleſiæ in rebus, & cauſis diuinis, vt tu, ac tui omnes in Anglia, non tantùm dicunt, ſed & iurant.

Si ergo tamquam Eccleſiæ caput in ijs, quæ diuina ſunt, conſtituitur; vtique pro hominibus conſtituitur, non enim ſua, verùm Chriſtianæ plebis cauſa caput Eccleſiæ conſtituitur. Quod autem ad aliorum vtilitatem fit, pro alijs factum rectè dicitur. In eo iam omnis controuerſia erit: Vtrum regina tua offerat dona, & ſacrificia pro peccatis. Primùm dico, illam non minùs offerre dona, & ſacrificia pro peccatis, quàm cæteri Pontifices, & Sacerdotes, qui iam in Anglia res diuinas adminiſtrant. Nam cum illi omnes dicant, ſe nulla externa dona, & ſacrificia pro peccatis offerre; præter gratam mortis Domini recordationem, pluraſque preces, gratiarum actiones, & laudis ſacrificia, quæ etiam regina tua non pro ſe tantùm, ſed & pro tota plebe ſua, immò etiam pro Pontificibus, & Sacerdotibus ipſi ſubiectis, vel offert, vel offerre debet, vt non in brachio carnis ſuæ, verùm in Dei auxilio confidat, & populum ſuum per
Ierem. 17. Dei gratiam in recta fide contineat, & gubernet; profectò non minùs in donis, & ſacrificijs offerendis Pontifex eſt regina tua, quàm aut Cantuarienſis, aut Londinenſis Pontifices, qui negant, ſe alia vlla dona, & ſacrificia pro peccatis, aut ſuis, aut aliorum offerre Deo.

At Euchariſtiam, inquies, non adminiſtrabat regina mea: Quid ergo? An Euchariſtiam fateris donum, & ſacrificium eſſe, quod pro peccatis offertur? Si hoc fateris; tunc quidem cum reginam tuam adminiſtrare Euchariſtiam negas, aliquem ſaltem actum Pontificalem ei adimis. Sin Euchariſtiam neges tale donum, ac ſacrificium eſſe, quamuis non adminiſtret Euchariſtiam, tamen ob dona, & ſacrificia laudis, & gratiarum actionis, quæ vt caput Eccleſiæ pro ſe, atque alijs Deo quotidie offert, Pontifex, & Sacerdos eſt omnium in illo regno prima, & maxima.

Quid multis? & Baptiſmum, & Euchariſtiam ſecundùm tuam ipſius doctrinam adminiſtrat regina tua; & manus imponit, & Euangelium annunciat, & omnia Pontificum, ac Sacerdotum officia multò veriùs gerit, tractat, exequitur, quàm ipſi ſacerdotes, qui ore, & manibus iſta diſpenſant. Cùm enim dicas, regem auctoritate regia hæc fieri iubere, Nota.
vtique Epiſcopos, & Presbyteros, qui hæc iuſſu reginæ tuæ gerunt, facis inſtrumenta reginæ tuæ: operis autem alicuius confectio non tam inſtrumento adſcribitur, quàm opifici; nec tam opifici infimo, quàm architecto; nec tam huic ipſi, quàm Deo. Nam quo prior quæque cauſa, eo eſt, & vniuerſalior, & maior, tamquam origo, & caput cæterarum deinceps cauſarum. Magis ergo adminiſtrat Euchariſtiam Chriſtus, quàm regina tua: & magis regina tua, quæ iubet Epiſcopum id facere, quàm Epiſcopus. Itàque non ſolùm Chriſtus veriùs Pontifex eſt, quàm inferior ille Epiſcopus, verùm regina tua ſecundùm tuam doctrinam magis eſt Pontifex, & Epiſcopa, quàm Epiſcopus, qui reginæ tuæ (vt tu ais) in eo ipſo, quod Pontifex eſt, ſubijcitur. Certè cum Dauid Vriam iuberet à Ioab in ea 2. Reg. 11.
prælij parte collocari, qua facillimè ab hoſtibus occideretur, non tam his, qui Vriam manu occidit, quàm Ioab, nec tam Ioab, quàm Dauid, cui Ioab ea in re paruit, homicida fuit. Vndè etiam Dauid ſuprà omnes alios pœnas de illo homicidio dedit, Domino ad illum dicente: Vriam Hetheum percuſſiſti gladio, & vxorem illius accepiſti in vxorem tibi. 2. Reg. 12.
Non eſt dubium, Aclere, quin Deus non ſit mentitus, cum diceret, Dauidem gladio percuſſiſſe Vriam Hethæum, & tamen gladius ille, quo percuſſit Vriam, non manu Dauidis, non manu Ioab, ſed Ammonitæ alicuius manu vibratus eſt: ſed quia Dauid homicidium illud, & mente conceperat, & lingua præceperat, rei executio Dauidi maximè omnium adſcribitur. Nec igitur ego mentior Aclere, cum dico, regem, qui præcipit Pontifici, qui Pontifex eſt, vt ea, quæ Pontificis ſunt, gerat, eo ipſo Pontificem eſſe, & ea, quæ Pontifex gerit, ſimul gerere, atque adminiſtrare. Cùm ergo regina tua Epiſcopo Carliolenſi ad altare iam conſtituto præcepit, vt nouo more ſacrum faceret, illa potiùs illud factum, quàm ille Epiſcopus peregit: niſi quòd tum Epiſcopus fœminæ recuſauit parere, tunc non ipſe, verùm illa ſola facti huius peragendi rea fuit. Sed cum iam per vniuerſum Angliæ Regnum omnes Epiſcopi, & miniſtri eam precandi, & Deum colendi formam obſeruent, quam regina ſecundùm comitia publica illis præſcripſit; certè quidquid aut in hoc genere, aut in alio quopiam iſti faciunt, id multò magis facit regina; quæ id auctoritate regia fieri iubet, quàm illi ipſi miniſtri, qui reginæ iuſſum exequantur. Illa igitur per illos omnia ſacra verè gerit, & adminiſtrat. Nam ſi Chriſtus Ioan. 1 & 4.
eſt, qui baptizat, quando miniſtri eius baptizant, ſi Chriſtus ipſe in miniſtris ſuis loquitur;

tur; ſi Moyſis cathedra dicta eſt, in qua Moy-
2. Cor.13. ſes per annos mille, & ampliùs minimè con-
ſederat; ſed ideò illi adſcribebatur, quoniam
Matth.23. eius auctoritate, & miniſterio in populo Dei
collocata fuit: ſi tum Centurio amicos ſuos
Luc.7. ad Chriſtum miſiſſet rogans, vt ſanaret ſer-
uum ipſius, tamen Matthæus non dubitauit
dicere, Centurionem ad Chriſtum acceſſiſſe,
Matth.8. & cum eo collocatum eſſe: quia videlicèt
quod per alios faciebat, hoc ipſe magis facie-
bat, quàm illi: profectò etiam regina tua ma-
gis baptizat, magis concionatur, & magis
Euchariſtiam adminiſtrat, quàm illi ſacerdo-
res, quibus hoc peragendum auctoritate regia
indicit, & imperat; & tantò magis hæc An-
glicana baptizandi, & Euchariſtiam diſpen-
ſandi ratio, & forma reginæ tuæ adſcribenda
eſt; quoniam eius demùm auctoritate per co-
mitia publica de nouo nunc primùm conſti-
tuta eſt, & præſcripta. Fruſtrà igitur Aclere,
vel Pontificatum, vel Sacerdotium à reginæ
tuæ ceruicibus repellere conaris, cum illam
caput Eccleſiæ Anglicanæ, & ſummam rerum
Eccleſiaſticarum gubernatricem conſtituas.
Si hæc ſatis perſpicua non ſunt, dicam adhuc
planiùs.

Reginam Eliſabetham Pontificalem docendi, & euangelizandi actum non minore poteſtate, quàm vel Moyſes, vel Chriſtus ipſe vmquam fecerat, in Anglia exercere.

Adeò verum eſt, Aclere, mulierem apud vos Sacerdotio honorari, & Epiſcopam agere; vt præ illo, quod in Anglia fit, ſomnia videri debeant, quæ de Pepuzianorum, & Collyridianorum Sacerdotalibus fœminis traduntur. Illæ in angulo quodam placentas Mariæ immolabant, perindè ac ſi fœminas fœminæ cultum exhibere decuiſſet. Quod quidem licèt impiè facerent, tamen cum offerre externum Sacrificium ſit Presbyteris cum Epiſcopis commune, potiùs dici poſſunt in ea re Presbyteras, quàm Epiſcopas egiſſe. At verò tua Regina palàm in Regno florentiſſimo degens, & virorum omnium caput in Diuinis rebus moderandis ſe ipſam conſtituens, non Presbyteram, ſed Epiſcopam, immò etiam Epiſcoporum Epiſcopam agit; neque placentas domi ſuæ factas, ſed viuum, & efficax Dei verbum, quod de Cœlo deſcendit, offerre Deo, & ſacrificare in ſummo auctoritatis gradu audet.

Nam Dei verbum populo edicere, & ſacrificij quoddam genus eſt, & cum per modum legis edicitur, tale ſacrificium eſt, quod Epiſcopis potiùs, quàm presbyteris, atque adeò Pontifici maximo propriiſſimè tribui-
Rom. 15. tur, & reſeruatur. Gratia, inquit Paulus, data eſt mihi à Deo, vt ſim miniſter Chriſti Ieſu in gentibus ſanctificans Euangelium Dei, vt fiat oblatio gentium accepta, & ſanctificata in Spiritu ſancto. Quibus verbis Apoſtolus docet, eum qui prædicat Euangelium, Sacerdotale quoddam opus peragere, & ſacrum Dei facere. Nam quod Latina editio vertit ſanctificans Euangelium, Græcè eſt *ieroyrnoynta*, quod verti etiam poſſet, ſacrificare, ſeu conſecrare Enaugelium. Nam 1. Cor. 1.
cum Dei verbum ſit res quædam ſacra, Sacerdotali officio præditus, ſit oporter, qui eam contrectabit. Immò cum Paulus neget ſe miſſum ad baptizandum, ſed ad euangelizandum, ſignificat, munus euangelizandi Epiſcopale, atque Apoſtolicum eſse.

At Regina mea, inquit Aclerus, verbum Dei minimè annunciat; neque hoc Sacerdotale, aut Epiſcopale opus peragit. Erras, Aclere, cum id putas. Quid enim eſt annunciare Dei verbum? aut quid eſt Eccleſiaſtem, atque Euangeliſtam agere? Vtrùm è ſolo ſuggeſtu concionem ad populum habere? Quaſi verò Chriſtus non & à nauicula Petri, & in monte, & in deſerto verbum Dei annunciarit: locus igitur parùm ad rem pertinet, ac
ne modus quidem loquendi. Nam Salomon Luc. 15.
propheta cum Eccleſiaſtem ſuum ſcripſit,
concionatorem egit, quamquam nihil eorum, Matth 5.
quæ in ſcriptum retulit, ore ſuo pronunciaſſet. Non ergo, vel roſtra, vel oris elocutio ad hoc neceſsaria ſunt, vt quis populo euangelizaſſe dicatur.

Nam Matthæus, Marcus, Lucas, & Ioannes in hodiernum diem euangelizant, etiam ſi iam nec officio linguæ ad eam rem vtantur. Quid ergo eſt euangelizare? vtique verbum Dei populo in perſona Chriſti quoquo modo proponere.

Modi autem verbi proponendi ſunt plures, lingua calamus, nomen, & miniſterium. Quando enim Petrus Centurionem baptizari
iuſſit, tunc licèt nondùm verbo, ſaltem ope- Act. 10.
re ſuo mirabilem illam, & eatenùs ignotam Orbi doctrinam prædicauit, poſse videlicèt eum, qui circunciſus non eſset, ſi in Chriſtum crederet, Chriſti myſterijs initiari, & membrum Eccleſiæ fieri.

Quo audito vniuerſa Eccleſia obſtupuit. Quapropter euangelizandi veritas, nec in
modo conſiſtit, ſed in his duobus, vt & ver- 2. Cor. 5.
bum Dei eſse dicatur, quod proponitur, & cum auctoritate velut in perſona Chriſti proponatur. Iam dico, reginam tuam hoc ſibi ſumere, quòd verbum Dei populo cum auctoritate maxima in perſona ipſius Chriſti proponat. Dicit enim, ſe ob id, quòd regina ſit, diuinitùs miſsam ad hoc, vt Eccleſiam proximè ſecundùm Chriſtum gubernet. Auctoritatem igitur ſummam in rebus diuinis ſibi vendicat. Prætereà dicit, illud eſse verbum Dei, quod in legibus ſuis, quas de fide, & religione in publicis comitijs tulit, populo proponit. Hoc autem docendi genus, quod per leges fit, omnium eſt maximum, & ſupremum.
Nam cæteri concionatores hortantur, ſua- Act 28.
dent, rogant, monent, ad ſummum arguunt, & increpant. Cæterùm legiſlator, & hæc om-
nia facit, & prætereà decernit, imperat, ſan- 1. Tim.4.
cit; hoc eſt, pœnam apponit. Quale docendi genus proprium fuit in vetere teſtamento Moyſis, in nouo autem Chriſti.

Vndè Moyſes de Chriſto prædixit: Deut. 18.
Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus, ipſum audies, & ponam verba mea, inquit Dominus, in ore eius. Qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo, non audierit,

Act. 5. & 7.

ego vitor exiſtam. Quæ verba de Chriſto dicta eſſe tam B. Petrus, quàm Stephanus protomartyr atteſtati ſunt. Si ergo Moyſes cum legem veterem tulit, prædicauit Dei verbum ſi Chriſtus Dei filius in nomine patris ſui Euangeliũ Dei prædicauit; ſi vterque iſtorum Sacerdos, & Pontifex fuit, Moyſes quidem vt famulus, vnà cum Aarone in Sacerdotibus Domini, vt

Pſal. 98.

Dauid ait, Chriſtus autem vt Dominus in domo ſua; profectò cum etiam tua regina ſacram legem de cauſis fidei tulerit; eamque non modò credendam ſuadeat, vt prædicatores plerique ſolent, verùm vt pœnam apponat, niſi ea impleatur, quod ſolùm maximis Prophetis, & legiſlatoribus permiſſum erat, omninò Pontificatum non vulgarem, ſed planè præcipuum, & præcellentem ſibi arrogat. Non iam diſputo, quàm rectè id faciat, ſed quòd ità faciat, dico, Nam alioqui ſcimus,

1 Cor. 14.

Apoſtolum dixiſſe, Mulieres in Eccleſia taceant.

Iſta non tacet, verùm per omnes plateas tuba præeunte clamat; Si quis auſus fuerit, ſacrificio Miſſæ intereſſe, prima vice fiſco meo ducentos aureos, ſecunda quadringentos pendat, tertia fortunas omnes amittat, & perpetuo carceri tradatur. Si quis autem tertiò poſtulatus recuſauerit Pontificis Romani primatum abiurare, vita priuetur. Apoſtolus ait, non permittitur mulieribus in Eccleſijs loqui. At iſta primum loquendi locum in Eccleſia ſibi ſumens, omnibus preſbyteris, & Epiſcopis Catholicis loqui non permiſit, ſed ſilentium illis indixit. Apoſtolus ait; mulieres oportere ſubditas eſſe, ſicut lex dicit: At iſta dominatur in omnes viros, in omnes ſui regni Eccleſias, in omnia poſtremò ſacra, & tamen Pontificatum non adminiſtrat? Turpe eſt, inquit Apoſtolus, mulieri loqui in Eccleſia Dei: At iſta cum loquatur, & auctoritate ſumma loquatur omnibus Epiſcopis auctoritate regia, quid in ſacris rebus fieri velit præcipiens; vtique neceſſe eſt, illam Eccleſiam, in qua loquitur, non Dei, ſed diaboli Eccleſiam eſſe. Docere mulieri non permitto, ait Apoſtolus: Iſta docet non inſtar prophetæ, aut doctoris, verùm inſtar legiſlatoris. De cauſis enim fidei legem fert, ac niſi verbo ſuo pareatur, pœnas in eos, qui contradicunt, expetit. Si qua controuerſia de fide in regno Angliæ oritur, ad domum Eliſabethæ aſcenditur, tamquam illa ſit Angela Domini.

Cum ante annos ſexdecim comitia publica in Anglia ob eam cauſam celebrarentur, vt quæ fides, & religio ſectanda eſſet, planum fieret; nonnè concedis, Aclete, conuentum illum ſolemnem conſtituendæ religionis cauſa indictum Eccleſiam fuiſſe? Quo iure alioqui ſtatuit de fide Chriſti? qua poteſtate communem Eccleſiæ Dei cauſam tractandam ſuſcepit? ſin illud parlamentum iuxtà fidem tuam fuit Chriſti Eccleſia, nonnè iuxta eandem tuam fidem mulier in Eccleſia, & locuta eſt, & docuit, in viros dominatum exercuit? Mulier illam Synodum conuocauit, vtique non abſque vocis ſuæ miniſterio: Mulier conuocatam adiuit, & pro auctoritate ſua docuit, qua de cauſa conueniſſent. Neque verò ſi Cancellarius, aut ſigilli publici cuſtos orationem tunc habuit, idcircò mulier non eſt locuta, cum ille vir omnia, & nomine, & iuſſu reginæ dixerit. Porrò cum iam in illis

Heb. 5.

comitijs de incruento corporis Chriſti ſacrificio, deque eiuſdem corporis in Euchariſtia veritate, de cœlibatu Sacerdotũ, votis religioſorum, & omnibus Chriſti ſacramentis iniretur diſputatio, cum Epiſcopi ad vnum omnes fidem Catholicam tuerentur, alij autem, qui neque ſenſus in ſcripturis exercitatos ad diſcretionem boni, & mali habebant, neque poteſtatem inter ſanctum, & pollutum diſcernendi à Domino acceperant, Epiſcopis contradicerent, ac non modica diſſenſio fieret; mulier adhibuit non modò auctoritatem, ſed & artem ſuam ad perſuadendum certis principibus viris, vt à Catholicis ad proteſtantes deficerent.

Poſtremò, cum vix tandem rudes, & ignari laici Epiſcopos rerum diuinarum peritiſſimos numero ſuperaſſent, res tota ex more ad reginam delata eſt, in cuius poteſtate adhuc erat, nihil in fide innouandum decernere. Quidquid enim comitia proponunt, tractant, decernunt, ſemper in poteſtate principis poſitum eſt, verùm id velit confirmare necne. Si nolit confirmare, in legis vigorem non tranſit. Tunc igitur omnes Theologi, Presbyteri, Diaconi tam Angliæ, quàm Hyberniæ, omnes vtriuſque regni principes, & populi ſuſpenſis animis ab ore, aut calamo vnius mulierculæ pendebant, expectantes quid illa deinceps in articulis fidei non opinandum, ſed credendum præſcriberet. Illa verò tamquam dux verbi, Angelus Domini, oraculum Dei fuiſſet, tamquam Sacerdos, cuius labia diuinam ſcientiam cuſtodirent; tamquam Pontifex, qui Vrim, & Thummim,

Exod. 28.

hoc eſt, doctrinam, & veritatem in pectore portaret, poſtremò, tamquam Summum Eccleſiæ caput, & gubernatrix (qui titulus in ijſdem comitijs illi addicebatur) vltimam ſententiam tulit, vt abijceretur Catholica fides, noua Caluini doctrina dominaretur. Cum ergo hæc fecerit mulier, tamen ne in Eccleſia non eſt locuta; non docuit, non Sacerdotalem poteſtatem exercuit? Parlamentum illud ſecundùm te fuit Eccleſia, in eo præſedit, & dominata eſt regina tua, & in cauſis fidei præſedit, & definitiuam ſententiam tulit.

Igitur in Eccleſia non tantùm interrogandi (quod tamen Apoſtolus non permittit) verùm & docendi cauſa locuta eſt; velut ſi Deus ei poteſtatem Sacerdotalem inter Mundum, & immundum diſcernendi contuliſſet. Immò nullus vmquam paſtor Epiſcopus, Sacerdos, Pontifex (Moyſen, & Chriſtum excipio) nullus propheta, Euangeliſta, Apoſtolus tanta cum auctoritate in cauſis Dei à condito ſeculo docuit, & locutus eſt. Illi enim fidem Chriſti ſuadebant volentibus, iſta hæreſes Antichriſti iam inuitis populis impoſuit, illi obſecrabant, & hortabantur, iſta ſub periculo vitæ cogit, vt quod illa eis proponit id credant. Illi fidem antiquam tradebant, iſta nouam obtrudit. Illi congregabant omnes in ouile vnum, iſta rapit, diſpergit, & mactat. Illi vetabant mulierem in Eccleſia loqui, iſta ſolam mulierem in omnibus Angliæ, & Hyberniæ Eccleſijs audire iubet. Nam neque minimum verbum à quo-

quam

quam in vllo ſuggeſtu præterquàm ex Eliſabethæ ſummi capitis Eccleſiæ nutu præferri poteſt. Secus ſi factum ſit; aut quiſpiam deprehendatur, qui ſummæ Sacerdotis Imperio non obediuerit, vincula, carceres, fortunarum detrimenta: denique ſi ſe non emendauerit, mortem ex decreto ſummi capitis Eccleſiæ patietur, ſicut nuper Feltone, & Storeo laicis, & Vuoddo Presbytero euenit, qui ſunt nobiles in martyribus.

Omnes Anglicanos Proteſtantes virilis ſexus, & maximè Pſeudo-Epiſcopos, & alios Caluiniani verbi miniſtros, qui Eliſabetham fœminam Summum Eccleſiæ ſuæ caput etiam in rebus diuinis agnoſcunt, ſexus ſui dignitatem negare, & ſe ipſos velut in muliebrem ſexum transformare.

Pſal 82. Cum ſcirem ſcriptum eſſe: Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine; eò libentiùs feci, vt crimen hoc turpiſſimum Proteſtantibus Anglicanis arguendi, & conuertendi eos cauſa obijcerem. Dico enim, illos non obedientiæ ſolùm erga veram Dei Eccleſiam, verùm & naturæ ipſius, & ſexus ſui virilis, & myſterij per Chriſtum exhibiti oblitos eſſe, cum Eccleſiæ ſuæ caput ſummum in rebus etiam ſacris, & ſpiritalibus fœminam conſtituere non erubuerunt. Et hoc
1.Cor.11. dico non ex mea, ſed ex Pauli Apoſtoli auctoritate; omnis vir orans, aut prophetans velato capite, deturpat caput ſuum: omnis autem mulier orans, aut prophetans non velato capite, deturpat caput ſuum. Vnum enim eſt, ac ſi decaluetur; nam ſi non velatur mulier, tondeatur. Si verò turpe eſt mulieri tonderi, aut decaluari, velet caput ſuum; quorſùm tendit hæc oratio de capite viri cum orat, vel prophetat non velando, mulieris autem cum aliquid horum facit velando? Quid ſignificat velum, de quo agitur? Hoc ipſum Paulus paulò inferiùs declarans: Debet, inquit, mulier, *exoyſian*, ideſt, poteſtatem habere ſuprà caput ſuum. Velum ergo capiti mulieris cum orat, vel prophetat impoſitum, oſtendit, illam in orando, & prophetando, ideſt, in rebus diuinis adminiſtrandis ſub poteſtate eſſe. Nam ex antiquo ritu mulier cum in vxorem accipitur, velari, ſeu tegi, & nubi ſolet; vndè & nuptiæ à nubendo, ſeu tegendo appellatæ ſunt; eò quòd mulier in viri domum velata ducebatur, velut quæ deinceps non ſui iuris maneat, verùm in mariti poteſtatem tranſeat.

Gen. 24. Hinc Rebecca conſpecto Iſaac viro ſuo, tollens citò pallium ſuum, operuit ſe. Agnouit enim ſe, iam ſub viro velut regmine quodam, & protectore acturam.

Eſa. 4. Quod etiam aſpexit Eſaias cùm ait: Septem mulieres apprehendent virum vnum, dicentes; Inuocetur nomen tuum ſuper nos,
Ruth. 3. aufer opprobrium noſtrum.

Hinc Ruth ad Booz, quem in virum petebat, ait; Extende pallium tuum ſuper famulam tuam.

Quin etiam ſacræ Virgines cùm ſolemne caſtitatis votum emitterent; iam indè ab initio velari ſolebant, tamquam Chriſto nubentes, qui curam earum ſuſciperet, nec ampliùs iam, aut procorum ambitioni; aut ſuæ libertati locum reliquum facientes. Itaque cum Donatiſtæ olim, ſicut nunc Proteſtantes capita virginum velata denuò nudarent, vt priorem profeſſionem velut non ritè à Catholicis Sacerdotibus factam emendarent.

Optatus ante annos mille, & penè ducentos contra illos in hæc verba ſcripſit: In nuptias ſponſi Virgines iam venerant voluntate, & profeſſione ſua. Et vt ſecularibus nuptijs ſe renunciaſſe monſtrarent, ſpiritali ſponſo ſoluebant crines.

Nudaſtis denuò capita iam velata, de quibus profeſſionis detraxiſtis indicia, & quæ ſequuntur. Cum igitur velum demonſtret, mulierem, quæ velatur, ſub alteriùs poteſtate & patrocinio iam conſtitui, quando Apoſtolus dicit; Mulierem orantem, aut prophetantem debere caput ſuum velare, virum verò non debere id facere, vtique dicit, virum in orando, & prophetando velut dominium agere, mulierem verò velut ſubiectam eſſe.

Cur ità ò Paule? Vir quidem, ait, non debet velare caput ſuum, quoniam imago, & gloria Dei eſt: mulier autem gloria viri eſt. Non eſt hæc inanis, aut ſuperuacanea ceremonia, quæ ad gloriam Dei confitendam pertinet. Cum ergo vir ſit imago, & gloria Dei quia Deus eum non ad Angelorum, ſed ad ſuam ipſius imaginem condidit: quemadmodùm Deus nemini ſubiectus eſt, nec habere quicquam poteſt ſupra caput ſuum, quod gloriam eius tegat, & deprimat: Ità nec vir debet vlli creaturæ, ne Angelicæ quidem in rebus diuinis adminiſtrandis ſubijci, verùm abſque velo in conſpectu Dei ſtare. Chriſtus enim, cui omnibus Angelis infinitis partibus dignior eſt, quique non Angelos, ſed ſemen Abrahæ apprehendit, ſolis viris myſteriorum ſuorum diſpenſationem credens, Angelis eos hac in re adæquauit, ſicut in Apocalypſi Angelus ad Ioannem dicit, vide, ne adoraueris me, ſeruus enim tuus ſum, & fratrum tuorum Prophetarum, hoc eſt, eorum, qui prædicant verbum Chriſti.

Cæterùm ſi mulier totius Eccleſiæ Anglicanæ, in qua innumerabiles viri exiſtunt, ſumma in rebus, & cauſis Eccleſiaſticis gubernatrix eſſet, (vt tu Aclere, & tui omnes credunt) iam in orando, & prophetando, cæteriſq; Eccleſiaſticis cauſis mulier eſſet caput virorum, non vir mulierum; iam velum à ſuo capite rejectum, in caput virorum iniecissent, iam muliebrem ſexum ſexui virili præfeciſſent, iam turpe eſſet viris capite non velato, contraque, mulieribus turpe eſſet, velato capite, aut orare, aut prophetare, iam tondendæ mulieres, viris autem capilli eſſent promittendi: iam non mulier ex viro, aut propter virum, ſed vir ex muliere, & propter mulierem, iam denique inſtitutio Dei accuſaretur, & inſtitutio Diaboli diuinæ inſtitutioni anteferretur.

Sed pergamus in Apoſtoli verbis expli-

eandis. Cum is dixiſſet, mulierem ex viro, &
propter virum eſſe, ità priorem argumenta-
tionem concluſit, vt nouam continuam adij-
ceret.

Ideò, inquit, debet mulier velamen
habere ſupra caput ſuum, & propter An-
gelos. Beatus Ambroſius hoc in loco Angelos
intelligie vocari, Sacerdotes Dei, Epiſcopos
& Presbyteros.

Illi enim iam in Eccleſia Chriſti volun-
tatis diuinæ interpretes, & nuncij ſunt, perin-
dè, ac Angeli cæleſtes.

Itàque ſecundùm Ambroſij mentem mu-
lieres, ſi non propter alios viros, at ſaltem
1. Cor. 4. propter miniſtros Chriſti, & myſteriorum
eius diſpenſatores velaro capite orare, & pro-
phetare debene;

Nàm vtcumque maritis fortè carent,
ſub quibus domi agant, certè Angelis, & Sa-
cerdotibus, ſub quorum poteſtate in Eccleſijs
agant, numquam carent. Nàm Philippo
Diacono erant quatuor filiæ virgines pro-
phetantes. An putamus, iſtas, quia viros non
habebant, nudo capire propheraſſe? nihil
minùs. Nàm Apoſtolus ait: Omnis mulier
orans, aut propherans non velaro capite,
deturpat caput ſuum. Qui omnem mulierem
comprehendit, nullam excipit, ſiue illa ſit
vxor, ſeu virgo. Lex enim hæc, vt mulier ve-
lato capite oret, ac prophetet, tam virgini-
bus, quàm nuptis poſita eſt, quia ratio legis
ex natura muliebri, quæ omnibus ex æquo eſt
1. Tim. 2. communis, deſumitur. Non enim vir ex mu-
liere, ſed mulier ex viro, & iterùm Adam pri-
mùm formatus eſt, deindè Eua. Totus ergo
ſexus muliebris toti virili ſexui per naturam
aſt ſubiectus, & ideò tam propter naturæ con-
ditionem, quàm propter Angelos à Chriſto
in Eccleſia rebus ſacris præpoſitos velati de-
bet.

Alij Angelos hic dici putant ſpiritus
Cœleſtes, tùm qui ſemper in Eccleſijs adſunt,
tùm quibus ſingulorum cuſtodia deputatur.
Cùm enim & Angelis gratum ſit videre om-
nia ritè, atque ordine in Eccleſijs conſtitu-
ta, ingratum verò Dei ordinem violatum
conſpicere: ſaltem propter Angelos, qui Deo
in Cœlis miniſtrant, deberent mulieres caput
ſuum velare, & eo ſigno ſubiectionem ſuam
in Eccleſia, non gubernationem patefa-
cere.

Atque hìc animaduertendum eſt, Spiri-
tus Beatos, licèt naturaliter tam viris, quàm
fœminis digniores fuerint, tamen in mini-
ſterio Eccleſiæ obeundo, atque in ſacratum
rerum adminiſtratione fœminis adhùc ma-
nere digniores, viris non item: proptereà
quòd Chriſtus, qui ſemen Abrahæ apprehen-
dens primatum in omnibus tenet. Viros
conſtituit myſteriorum ſuorum diſpenſato-
res, non item fœminas. Itaque viri orant, &
prophetant nudo, atque etiam raſo capite,
velut, inter quos, & Chriſtum nullus alius or-
do interſit: verùm inter Chriſtum, & fœminas
tum Angeli, tum homines interponuntur;
non tamen velut duo diuerſi ordines, verùm
1. Cor 11. tamquam vnus ordo ex viris, & Angelis com-
poſitus. Hinc fœminæ tam propter viros,
quàm propter Angelos velari debent. Etſi
enim neque vir ſine muliere, neque mulier ſi-
ne viro in Domino, ſed vterque ſexus ex æquo
per fidem, & obedientiam ſaluari poteſt: ta-
men ipſa natura docet, minimè decere, vt mu-
lier non velata oret Deum; quoniam vir qui-
dem ſi comam nutriat, ignominia eſt illi, mulier
verò ſi comam nutriat, gloria eſt illi, quoniam
capilli pro velamine ei dati ſunt. Itaque non Gen. 2.
ſolùm intima mulieris origo, & prima crea-
tionis cauſa (in eo, quòd de viro, & propter
virum condita eſt,) verùm etiam forma cor-
poris exterior, & vſus capillorum teſtantur,
illam velari debere, cùm orat, aut negotium
aliquod Eccleſiaſticum peragit.

Si quis autem videtur contentioſus eſſe, 1. Cor. 11.
nos talem conſuetudinem non habemus, ne-
que Eccleſiæ Dei, hoc eſt, neque habemus con-
ſuetudinem contendendi, neque permitten-
di, vt mulieres non velaro capite orent.

Tot modis Apoſtolus in hoc argumento
deſudauit, vt oſtenderet, mulieres in Eccleſijs
nonniſi velatas adeſſe debere. Ille quidem de
ſumma rerum Eccleſiaſticarum præfectura
per mulierem inuadenda numquam cogita-
uit: ſed Spiritus ſanctus, qui præuidit futu-
ram aliquando mulierem, quæ pudoris omni
velo proiecto, ſeipſam nominaret non modò
caput virorum, ſed & caput Sacerdotum, &
ſummum Eccleſiæ caput; idque in cauſis, &
rebus Diuinis, hic inquam Spiritus ſanctus in
Apoſtoli mentem immiſit, vt tam ſeriò de
mulierum in Eccleſia & velo, & taciturnitate,
& ſubiectione loqueretur.

Scriptum eſt in lege Dei: Non induetur Deut. 22.
mulier veſte virili, nec vir vtetur veſte fœmi-
nea. Abominabilis enim apud Deum eſt, qui
facit hæc: non quòd de veſtibus ſit cura Deo,
ſed vt ſexum quiſque ſuum velut Dei opus
tueatur, nec alienum mentiri conetur. Viri-
lis ſexus eſt præeſſe, & dominari, muliebris
parere, & ſubijci.

Impiè quidem Ethnici Iouem, & Iuno-
nem homines neſarios, & ſceleratos pro Dijs
colebant. Sed tamen in idololatria ſua non
Iunonem Ioui, non mulierem viro, ſed virum
mulieri prætulerunt, primas Ioui adſcriben-
tes, Iunonem in ſecundis collocantes.

At nunc Chriſtiani, atque adeò (ſi ipſis cre-
dimus) Euangelici, lecta Geneſi, cognita rerum
creatione, audito Chriſti Euangelio, dicunt,
contendunt, iurant, ſub periculo vitæ iuran-
dum alijs imponunt, vt profiteantur, ſe crede-
re mulierem non in ſeculo tantùm, ſed & in
Eccleſia Dei, virorum, atque etiam miniſtro-
rum Chriſti caput eſſe in cauſis, & rebus Ec-
cleſiaſticis omnibus. Taurus præ vaccis co-
gnouit dignitatem ſuam; aper præ ſuibus;
aries dux gregis præ ouibus. Soli Proteſtan-
tes præter naturæ lumen, & liberalium diſci-
plinarum ſcientiam, perlecta lege, Prophetis,
& Euangelio, tantùm denique profecerunt,
vt mulierem viris, immò & Epiſcopis omni-
bus in ipſa rerum Diuinarum moderatione
anteponant. Nec tantùm hoc dicunt, qui ex
illis plebei ſunt, aut de fece vulgi, ſed etiam
eorum Doctores, & Prophetæ, Presbyteri, &
Epiſcopi.

Tribus autem quaſi gradibus fœminam
altiùs euexerunt, quàm Deus illam conſtituit.
Nam primùm, in Dei cauſis moderandis præ-
tulerunt illam viris priuatis, atque etiam om-
nibus politicis Magiſtratibus, cùm tamen
nullus ſit Magiſtratus, nullus de plebe vir in-
fimus,

Digitized by Google

ſimus, nullus puer, nullus poſtremò ſeruus virili ſexu prædiꝰtus, quin longè fuerit fœminæ in hac quidem re anteponendus; proptereà quòd dignior ſexus in illo dominetur, ob quem potuerit ſaltem Chriſti myſteria diſpenſare, etiamſi numquam id fecerit, facturus ſit.

Nàm mulier ne poteſt quidem vmquam ad miniſterium Euangelij per impoſitionem manuum ſegregari.

Deindè prætulerunt mulierem omnibus Diaconis, Presbyteris, Epiſcopis, quamquam iſti à Deo tamquam Aaron ad tam ſublime officium vocati ſint, quod eſt crimen multò deteſtabilius.

Tertiò, prætulerunt illam Spiritibus Beatis, qui licet poſt gratiam diſpenſandi Euangelij viris commiſſam dignius miniſterium, quàm viri non exerceant; adhùc tamen manent in natura digniore, ob quam fœminis ad miniſterium Euangelij non vocatis, ſuperiores exiſtunt.

At Proteſtantes dicunt, Eliſabetham Eccleſiæ Anglicanæ ſummam gubernatricem exiſtere proximè ſecundùm Chriſtum ipſum. Ità & viros omnes, & miniſtros Chriſti, & Angelos ipſos de medio tollunt, vt fœminam in ſummo gradu indigniſſimè conſtituant: cuius tantæ cæcitatis non alia eſt origo, & cauſa, quàm quòd ob immania flagitia ſua in reprobum ſenſum dati ſunt, vt contumeliis afficiant, & ſexum ſuum, & Angelos Dei.

Matth.19. Cùm enim eò vſque in amorem fœminarum exarderent, vt quamquam voto caſtitatis per ſacrorum Ordinum ſuſceptionem palàm emiſſo, ſeipſos propter Regnum Cœlorum caſtraſſe viderentur, tamen priorem fidem irritam facientes, non ſolùm vellent, atque optarent coniugari (quod ipſum damnabile fuiſſet) verùm etiam re ipſa coniuges, & eas quidem Chriſto publicè velatas, & deſponſatas domum ducerent. Nec iſtâ impudentia contenti, etiam dicerent, & contenderent votum caſtitatis (ad quod Chriſtus electos ſuos hortatur, dicens; Qui poteſt capere capiat;) nec ſuſcipi debere, nec præſtari poſſe: quinimmò violandum eſſe, atque adeò, qui id ſeruarent, è cœnobiis ſuis immani quadam feritate exterminarent: propterea tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, vt contra naturam ſexum ſuum virilem muliebri ſexui ſubijcerent, fœminaſque non ſolùm in ſeculi,

2. Petr.2. ſed & in Dei cauſis in capita ſibi præficerent, homines corrupti, mente reprobi circa fidem; oculos habentes plenos adulterij, & inceſſabilis delicti.

Et ſicut dignitatis virilis in rebus Dei adminiſtrandis præſtantiam meretricibus ſuis proſtituendam iudicarunt; ſic Deus opprobrio quodam externo percuſſit illos, vt Eccleſiaſticam crinium tonſuram odio habentes, non tonſo, aut raſo vertice, quod virilis eſt dignitatis, verùm capillati ſemper, & criniti, quod muliebris eſt ſubiectionis, in conſpectu Dei orarent, & prophetarent.

Cùm enim Deus virum caput mulieris per naturam conſtituiſſet, & ideò vir proximè omnium Chriſto adhæreſceret, inter viros autem Deus quoſdam ſibi ſegregaret, qui populo ſuo res ſacras miniſtrarent, in ſignum huius Sacerdotalis excellentiæ Apoſtoli, & alij Patres noſtri ſpiritales inſtituerunt, vt qui ex viris in hoc præcipuum Dei miniſterium ſegregati eſſent, verticem capitis nudum geſtarent, eo ipſo profitentes non modò nullum velamen, verùm ne capillum quidem vnum inter Chriſtum, & ipſos conſtitutum eſſe, verùm ex ipſis viris eos primatum tenere in Dei ſacris adminiſtrandis.

Magna enim dignitas eſt Diuinæ vocationis munere in conſpectu Dei raſo capite apparere, quam ob cauſam, qui votum habebant, & hoc ſanctificationi ſuæ deputabant, vt raderent capita ſua; quod Paulus poſt fidem Chriſti ſuſceptam bis feciſſe legitur. Num.6.

Qui etiam cùm ſcribit perindè eſſe mulierem non velari, ac tonderi, & decaluari, vtique ſignificat viros, qui in tres orandum, & prophetandum non velabantur, etiam tonderi ſolitos eſse. Act.18.&21

Porrò Proteſtantes cùm non modò miniſtros Dei reliquæ plebi adæquaſſent, verùm etiam totum virilem ſexum fœmineo ſexui in ſacris moderandis ſubieciſſent, meritò deſierunt radere capita ſua, vt ſicut dignitatem ipſam, ità & ſignum dignitatis proijcerent, ſeque ipſos in perpetua fœminarum mancipia deuonerent; nec aliud iam reſtat, quàm vt mulier, quæ primatum Eccleſiaſticum ſibi arrogauit, tum caput ſuum radat, vt ſignum exterius, interiori arrogantiæ reſpondeat, tum miniſtros Caluini cogat capillis promiſſis, & capite velato in Eccleſiam prodire, teſtatum omnibus faciant, ſe oblitos dignitatis, & dominationis, in qua Deus illos creauit, oblitos myſterij, quo Chriſtus viri non mulieris ſexum aſſumpſit, oblitos vocationis Eccleſiaſticæ, cui Chriſtus ſolos viros, non etiam mulieres præfecit, ità nunc degeneraſſe, vt mulierem, non dico qualem, ſed mulierem in omnibus cauſis, & rebus Diuinis caput ſibi proximè ſecundùm Chriſtum ipſum conſtituerint, nomen illius ſupra ſe Inuocantes, ſub illius vmbra in Eccleſia degentes, illius veſte caput ſuum obtegentes, vt ne nudi, ſed obnupti, & capite obuelato appareant in conſpectu Dei.

Benedictus Deus, qui iudicauit cauſam opprobrij ſui, & malitiam Proteſtantium reddidit in caput ipſorum. Benedictus Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui hoſtes Vicarij ſui, hoſtes Eccleſiæ Romanæ tam inſigniter vltus eſt, vt in ſuis ipſi cogitationibus euanuerint, & dùm altiora ſe quærentes, Eccleſiæ Chriſti myſteria tot ſeculis conſtituta conuellere nitebantur, cæci, ſtulti, atque adeò dementes effecti, non viderent ne ſexum quidem ſuum, ſed fœminas ſeipſis etiam in Eccleſia gubernanda digniores iudicarent.

CONV-

ONVPHRII PANVINII VERONENSIS

Fratris Eremitæ Auguſtiniani, Sacræ Theologiæ Profeſſoris.

DE PRIMATV PETRI, & Apoſtolicæ Sedis Poteſtate.

LIBRI TRES

Contra Centuriarum Auctores.

Onuphrius Panuinius Veronenſis excellentiſſima Veronæ gloria, vir omnium ſeculorum memoria dignus, ad omnes, & Romanas, & Eccleſiaſticas antiquitates è tenebris eruendas natus, hiſtoriarum ſtudio adhuc puer, neque ætatis duodecimum excedens annum impenſiſſimè vacare cœpit, cui præſtantiſſimi omnis æui præcones contigerunt. Perantiquæ familiæ ſtirpe oriundus, quæ ab annis quadringentis Cremona Veronam migrauit, pubes factus ingreditur ſapientiſſimam Auguſtinianorum familiam. Cùmque peracri iudicio, & indefeſſo ſtudio ſecretiores doctrinarum receſſus, & penetralia admirabiliter inuaſiſſet à Hieronymo Seripando ſupremo illius Ordinis Præfecto Romam adductus eſt, vbi egregium, & maximè eruditi ingenij ſpecimen præbuit, & Sacræ Theologiæ Baccalaureus anno 1553. 25. Decembris, & à Chriſtophoro Patauino ſtudij Romani Magiſter, & anno 1554. 20. Aprilis Florentini Cœnobij Lector deſignatur. Hiſtoricos omnes, quotquot in manus vndique cadere poſſent accuratiſſimè peruolutans, totum ſe diſcendis, conſcribendiſque hiſtorijs plauſibiliter tradidit, in quibus ſic excelluit, vt paucos habuerit pares, neminem fortaſsè ſuperiorem. Nimitùm ſatis conſtat res Romanas priorem illum è tenebris historiarum eruiſſe, in ordinem digeſſiſſe, atque in lucem eduxiſſe, pertinaci quidem ſtudio, & exquiſita rerum omnium indagatione, propter quod Hiſtorici ſtudij Princeps meritò appellatus ſemper ſummo in pretio fuit apud Summos Pontifices, Reges, Imperatoreſque ab ijſque varijs locupletatus muneribus, inter quæ Papa quingentos aureos illi liberalirer donauit. Magna quoque pars, & præcipua extitit glorioſæ illius Academiæ Vaticanæ, ex qua olim Principes, Reges, Cardinales, & Pontifices prodierunt, quæ non mediocris tanti viri laus extitit, præcipuè cùm exteri venirent ad inuiſendum potiùs Panuinium, quàm pretioſiſſima illius verè Pontificiæ Bibliothecæ Manuſcripta, ſicut olim Hiſtoricum Liuium exteri inuiſebant præ magnificentiſſima Romana Ciuitate. Adamatus eſt mirum in modum

à Mar-

à Marcello Ceruino Cardinali doctrina pariter, & ſanctitate ſpectatiſſimo, qui anno 1555. 1. Aprilis electus, & die ſecundo coronatus, ac Marcellus II. appellatus ad præaltas rerum maximarum ſpes Panuinum excitauerat, erexiſſetque munificè, & liberaliter, niſi intrà 22. dies vix dum inito Pontificatu exceſſiſſet è vita, & vix potuit ſe dicere Pontificem. Acceptiſſimus itidem vixit in contubernio Alexandri Farneſij purpuratorum Patrum munificentiſſimi, qui nihil niſi ingenio perfectum, induſtria elaboratum, virtuteque abſolutum approbare conſueuerat. Hunc dum ille ſequitur in Siciliam proficiſcentem lethali febre correptus 18. Kalendas Aprilis Panormi extinctus eſt ætatis ſuæ 39. dignus æternitate, vix oſtenſus eſt Orbi. Romæ in Templo S. Auguſtini ſepultura honeſtatus eo appoſito Epitaphio, quod Amici ſtudijs, æuoque coniunctiſſimi conſcripſerant, & Panormi habuit ſepulchrum è marmore erectum. Innumeros habuit præſtantiſſimos Panegyriſtas; Carolus Sigonius, Paulus Manutius, & Iuſtus Lipſius, viri ter maximi vocant, Magnum antiquitatis Aſſertorem, librorum helluonem, ſpectatæ iuuenem induſtriæ ingenio, vt probitate ſpectantem, virum induſtrium, diligentem, cui Romanæ memoriæ debent, debebuntque illum deprædicantes. Thuanus vocat hominem, natum ad antiquitates eruendas. Hoc vnum non minùs verè, quàm liberè dici poteſt, eum quod ſcire noluit ignoraſſe, & nihil dici tam amplum, quod ab eius virtute non ſuperetur. Supra 65. diffuſa, erudita, laborioſaque exarauit volumina, ex quibus plura Typis tum Italicis, tum Germanicis incredibili omnium commendatione excuſa cùm alia malè perierunt, alia verò alieno nomine falsò inſignita circumferuntur. Libri, qui publicam lucem viderunt, ſunt infraſcripti: Epitome Pontificum Romanorum à S. Petro vſque ad Paulum IV. Geſtorum videlicet, electioniſque ſingulorum, & Conclauium compendiaria narratio Vener. 1573. Cardinalium item nomina, dignitatum tituli, inſignia, Legationes, patria, & ſitus Venet. 1557. Platina de Vitis Pontificum reſtitutus cum 60. ad eas adnotationibus, & additione Pontificum à Sixto IV. vſque ad Pium IV. De præcipuis Vrbis Romæ ſanctioribus Baſilicis, quas ſeptem Eccleſias vulgò vocant. Coloniæ 1584. De Primatu Petri, & Apoſtolicæ Sedis poteſtate Lib. 3. Venetijs 1591. Chronicon Eccleſiaſticum à C. Iulij Ceſaris Imperio, vſque ad Imperatorem Maximilianum II. Coloniæ 1568. & Louanij 1573. De antiquo ritu baptizandi Cathecumenos, & de origine benedicendi Imagines cereas, quæ vulgò Agnus Dei vocantur lib. 1. De Sybillis, & carminibus ſybillinis lib. 1. Chronicon Ordinis Eremitarum à D. Auguſtini tempore, vſque ad annum 1550. Romæ apud Antonium Bladum, Interpretatio multarum vocum Eccleſiaſticarum, quæ vel obſcuræ, vel barbaræ habentur lib. 1. De ritu ſepeliendi Mortuos apud veteres Chriſtianos, & eorum Cœmeterijs lib. 1. De Stationibus Vrbis Romæ lib. 1. Faſti, & triumphi Romanorum à Romulo, vſque ad Carolum V. Imperatorem additis Imperatorum Occidentalium, & Orientalium Iconibus. Venet. ann. 1557. & 1573. Item Heidelbergæ 1588. lib. 5. Faſtorum appendix, in qua ſex faſtorum conſularium Auctores emendatiùs, & correctiùs excuſa ſunt. Venet. 1588. De Ludis ſecularibus lib. 1. Venet. 1588. De antiquis Romanorum nominibus, & familijs lib. 1. Venet. 1588. Comment. Reipublicæ Romanæ lib. 1. Venet. ann. 1558. & Francofurti 1597. Comment. de triumpho, Venet. in folio regali 1571. & Patauij 1642. Comment. in faſtus Conſulares Venetijs. Ciuitas Romana anno 1558. Ibidem. Pontificum Romanorum elogia, & imagiues accuratiſſimè ad virum æneis Typis delineatæ. De Imperatoribus Romanis, Græcis, & Latinis, deque ijs, qui ſuum habuere imperium in Italia, Gothis, & Longobardis, Francis, Germanis, Hiſpanis, cum eorum Genealogijs, & arboribus à Cæſare, vſque ad Ferdinandum Imperatorem lib. 4. De Ludis Circenſibus cum æneis iconibus lib. 2. Pariſijs 1600. Venetijs 1602. Patauij 1641. Libri, qui prodierunt manuſcripti, de Comitijs Imperatorijs, quibus expenduntur raris, atque adeò omnes modi eligendorum Imperatorum à Cæſare, vſque ad Maximilianum II. cum inſtitutione ſeptem Electorum Imperij lib. 5. Extant Monachij in Bauarica Bibliotheca. De Eccleſia, Baptiſterio, & Patriarchio Lateranenſi. Hiſtoria Familiæ Frangipaniæ lib. 4. Hiſtoria Familiæ Sabellæ lib. 4. Hiſtoria Familiæ Maximorum lib. 1. Hiſtoria Familiæ Cenciorum lib. 11. Hiſtoria Familiæ Matthæorum. Libri abſoluti, ſed in lucem non emiſſi. De origine ſeptem ſacrorum Ordinum lib. 1. Collecta è viginti libris ſpiritualibus, ſiue ceremonialibus. De ſacrificio Miſſæ à Chriſti Domini tempore, vſque ad annum 1300. vnà cum pleriſque declarationibus rerum

Eccle-

Eccleſiaſticarum Stationum, Indulgentiarum, ſiue condonationum interpretatione quoque rerum, ſeu verborum à Scriptoribus Eccleſiaſticis vſurpatorum. De dignitate Sedis Apoſtolicæ, & de poteſtate Summi Pontificis contra Centuriatores hæreticos. Quæ & inſcripta eſt Hiſtoria Eccleſiaſtica. De orationibus Summorum Pontificum, deque morte ipſorum, interreguo legibus; ea de re ſancitis à D. Petro, vſque ad Pium IV. De origiue Cardinalatus. Chronicon Eccleſiaſticum Summorum Pontificum, Imperatorum, Patriarcharum, Conciliorum, Virorum ſanctitate; ac doctrina illuſtrium; Vitæ Patriarcharum quatuor primarum Sedium. De antiquis, & recentioribus Eccleſijs, Monaſterijs, Cœmeterijs, & alijs pijs Locis Vrbis Romæ lib. 10. Breue Iudicium de Hiſtoricis antiquis Latinis, & Græcis. De antiquis Vrbis Romæ Ædificijs. De antiquorum ſuperſtitione, ſacrificijs, augurijs, haruſpicijs, ſortibus, ſacris epulis. De Porticibus vnà cum tribus millibus inſcriptionum Romanarum. De Antiquitate, & hiſtoria virorum illuſtrium Veronæ ſuæ Patriæ lib. 10. Libri partim delineati, partim ſemiabſoluti, partim abſoluti, ſed non recogniti. De antiquis Inſtitutis, Ceremonijs, & Vſibus Eccleſiæ Romanæ. De antiquis Officijs, & Magiſtratibus Vrbis Romæ. Breuis Collectio Conciliorum Generalium, & Prouincialium. Vitæ Archiepiſcoporum, & Primatum primariarum Eccleſiarum Occidentis, Aquileiæ, Gradenſis, Rauennæ, Mediolaui, Moguntiæ, Treuirenſis, Coloniæ, Toleri, Conturberij, Senonenſis, Lugduni, Carthaginis, & eiuſmodi aliarum, Hiſtoria Ordinis Eremitarum, & de origine aliorum Ordinum Religioſorum, qui ſunt apud Chriſtianos; Hiſtoria Eccleſiaſtica Vniuerſalis, Breuiarium Imperij Romani cum ijs quæ pace, belloue geſta ſunt Romæ, & foris à Romulo, vſque ad Iuſtinianum Imperatorem; Volumen, quo vniuerſus Mundi Status deſcribitur, tum de ijs, quæ ad Religionem, quàm quæ politiam ſpectant. Itaque & de Sectis, hæreſibus, Ethnica impietate. De vera autem Religione in primis, mox de falſis, ſeu abolitis. Iudaica, Mahumetana, & alijs. Deindè & de Imperijs, Regnis, Rebus publicis, bellis inter eas, opibus, dependentijs, vt vocant, & origine vniuſcuiuſque Principatus. Tomos duos Annalium priores, quo magno cum Eccleſiæ fructu, atque ornamento præſcripſit Cæſar Baronius Onuphrius delineaſſe anteà, & primam eorum Graphidem poſuiſſe creditur. Sunt, qui viderunt in Onuphrio MS. vel ſaltem accepit aliquod lumen. Scripſit de Onuphrio Elſius, Freherus Marc. Ant. Clod. in ep. ded. ad Antiq. Veronenſem, & innumeri alij.

LIBRI PRIMI

PARS PRIMA.

CAPVT PRIMVM.

Vnitatem, ſiue Primatum vnius in Eccleſia Chriſti neceſſarium fuiſſe demonſtratur.

VNITATEM in Eccleſia Catholica planè neceſſariam fuiſſe Ieſus Chriſtus docuit, Prophetæ prædixerunt, ſancti Patres ſanxere. Ille quidem,
Ioan.10.c dem, cùm vnum ouile, ideſt, vnam Eccleſiam, & vnum paſtorem futura prædixit: & in Cœlum aſcendens, ſummum Eccleſiæ ſuæ paſtorem conſtituit beatum Apoſtolum Petrum, à quo tanquam capite, reliqua Eccleſiæ membra regerentur; ne inuicem ipſa ſecum diſſentirent, & dicerent, alius ego ſum Apollo, alius
Cor.1.b ego ſum Cephæ, alius Pauli, quinimmò ne inter ipſos quoque magnos Apoſtolos oriretur contentio, quis eorum principem locum obtineret, ex Prophetis verò Ezechiel cap. 34. Et ſuſcitabo ſuper oues meas paſtorem vnum, qui paſcat eas. Et cap. 37. Paſtor vnus erit omnium eorum. Et Oſeæ cap. 1. Congregabuntur filij Iuda, & filij Iſrael pariter, & ponent ſibimet caput vnum.

At ex ſanctis Patribus præcipuus D. Cyprianus in epiſtola ad Iubaianum ità ſcribit. Manifeſtum eſt autem vbi, & per quos remiſſa peccatorum dari poſſit, quæ in baptiſmo ſcilicet datur. Nam Petro primùm Dominus, ſuper quem ædificauit Eccleſiam, & vnde vnitatis originem inſtituit, & oſtendit, poteſtatem iſtam dedit, &c. Et paulò poſt. An ad Eccleſiam venturus eſt? quæ vna eſt, & ſuper vnum, qui claues eius accepit Domini voce fundata eſt? &c. Et in libro de vnitate Eccleſiæ Catholicæ ſcribit. Hoc eò fit fratres dilectiſſimi dum ad veritatis originem non reditur, nec caput quæritur, nec magiſtri

giſtri cæleſtis doctrina ſeruatur.

Quæ ſiquis conſideret, & examinet, tractatu longo, atque argumentis opus non eſt. Probatio eſt ad fidem facilis compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum: Ego, inquit, tibi dico, quia tu es Petrus, & ſuper iſtam petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. Tibi dabo claues Regni Cœlorum, & quæ ligaueris ſuper terram, erunt ligata & in cœlis; & quæcunque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta, & in Cœlis. Et eidem poſt Reſurrectionem ſuam dicit; Paſce oues meas. Super illum vnum ædificat Eccleſiam, & illi paſcendas mandat oues. Matt. 16. c

Et quamuis Apoſtolis omnibus poſt Reſurrectionem ſuam parem poteſtatem tribuat, & dicat: Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos, accipite Spiritum ſanctum: Si cui remiſeritis peccata, remittentur illi: ſi cui tenueritis, tenebuntur; tamen vt vnitatem manifeſtaret, vnitatis eiuſdem originem ab vno incipientem ſua auctoritate diſpoſuit. Ioan. 20. e

Hoc erant vtique, & cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio prediti, & honoris, & poteſtatis, ſed exordium ab vnitate proficiſcitur. Et primatus Petro datur, vt vna Chriſti Eccleſia, & Cathedra vna monſtretur, & Paſtores ſunt omnes, & Grex vnus oſtenditur, qui ab Apoſtolis omnibus vnanimi conſenſione paſcatur. Quam vnam Eccleſiam, etiam in Cantico Canticorum Spiritus Sanctus ex perſona Domini deſignat, & dicit: Vna eſt Columba mea, perfecta mea, vna eſt matri ſuæ, electa genitrici ſuæ. Hanc Petri vnitatem, qui non tenet, tenere ſe fidem credit? Qui Cathedram Petri, ſuper quam eſt Eccleſia fundata, deſerit, in Eccleſia ſe eſſe confidit? Quando, & Beatus Paulus Apoſtolus hoc doceat, & ſacramentum vnitatis oſtendit, dicens. Vnum corpus, & vnus ſpiritus, vna ſpes vocationis veſtræ, vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma, vnus Deus. Quam vnitatem firmiter tenere, & vindicare debemus, maximè nos Epiſcopi, qui in Eccleſia præſidemus, vt Epiſcopatum quoque ipſum vnum, atque indiuiſum probemus. Nemo fraternitatem mendacio fallat, nemo fidei veritatem perfida præuaricatione corrumpat. Epiſcopatus vnus eſt, cuius à ſingulis in ſolidum pars tenetur. Eccleſia vna eſt, quæ in multitudinem latiùs incremento fœcunditatis extenditur: quomodo ſolis multi radij ſunt, ſed lumen vnum; & rami arboris multi ſunt, ſed robur vnum tenaci radice fundatum. Et quomodo de fonte vno plurimi riui defluunt, numeroſitas licèt diffuſa videatur exundantis copiæ largitate, vnitas tamen ſeruatur in origine. Auelle ſolis radium à corpore, diuiſionem lucis vnitas non capit: Ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit: A fonte præcide riuum, præciſus areſcet: Sic, & Eccleſia Domini luce perfuſa per Orbem totum radios ſuos porrigit, vnum tamen lumen eſt, quod vbique diffunditur, nec vnitas corporis ſeparatur: ramos ſuos in vniuerſam terram copia vbertatis extendit: profluentes largiter riuos latiùs expandit, vnum tamen caput eſt, & origo vna, & vna mater fœcunditatis ſucceſſibus copioſa. Illius fœtu naſcimur, illius lacte nutrimur, ſpiritu eius animamur. Adulterari non poteſt ſponſa Chriſti: incorrupta eſt, & pudica: vnam domum nouit, vnius cubiculi ſanctitatem caſto pudore cuſtodit, &c. Ità D. Cyprianus. Cuius verba ità citauimus, vt nuper Romæ excuſi codices habent, additis nonnullis, quæ partim in ſcriptis aliquot Cypriani exemplaribus, partim apud Bedam, Anſelmum Lucenſem, Iuonem, & Gratianum reperta ſunt. Cant. 6. Eph. 4. a

Idem libro primo epiſt. 3. ad Cornelium Papam. Quales putas eſſe eos, qui ſacerdotum hoſtes, & contrà Eccleſiam Catholicam rebelles, nec præmonentis Domini comminatione, nec futuri iudicij vltione terrentur? Neque enim aliundè hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſunt ſchiſmata, quàm indè, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur. Nec vnus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Iudex vice Chriſti cogitatur: cui ſi ſecundùm magiſteria diuina obtemperaret fraternitas vniuerſa, nemo aduerſum ſacerdotum Collegium quicquam moueret: nemo poſt diuinum iudicium, poſt populi ſuffragium, poſt Coepiſcoporum conſenſum, iudicem ſe iàm non Epiſcopi, ſed Dei faceret. Nemo diſſidio vnitatis Chriſti Eccleſiã ſcinderet: nemo ſibi placens, ac tumens, ſeorſùm foris nouam hæreſim conderet, niſi, ſi ità eſt aliquis ſacrilegæ temeritatis, ac perditæ mentis, vt putet, ſine Dei iudicio fieri Sacerdotem, cum Dominus in Euangelio ſuo dicat: Nonnè duo paſſeres aſſe veneunt, & neuter eorum cadit in terram ſine Patris veſtri voluntate? Et infrà. Petrus tamen, ſuper quem ædificata ab eodem Domino fuerat Eccleſia, vnus pro omnibus loquens, & Eccleſiæ voce reſpondens, &c. Et infrà. Poſt iſta adhùc inſuper Pſeudepiſcopo ſibi ab hæreticis conſtituto, nauigare audent, & ad Petri Cathedram, atque Eccleſiam principalem, vndè vnitas Sacerdotalis exorta eſt, à ſchiſmaticis, & profanis literas ferre, nec cogitare eos eſſe Romanos, quorum fides (Apoſtolo prædicante) laudata eſt, ad quos perfidia habere non poſſit acceſſum. Matt. 10. d

Idem libro eodem epiſt. 6. ad Magnum. Eccleſia enim vna eſt, quæ vna, & intus eſſe, & foris non poteſt. Si enim apud Nouatianum eſt, apud Cornelium non fuit. Si verò apud Cornelium fuit, qui Fabiano Epiſcopo legitima ordinatione ſucceſſit, & quem præter Sacerdotij honorem martyrio quoque Dominus glorificauit, Nouatianus in Eccleſia non eſt, nec Epiſcopus computari poteſt, qui Euangelica, & Apoſtolica traditione contempta, nemini ſuccedens, à ſe ipſo ordinatus eſt: habere namque, aut tenere Eccleſiam nullo modo poteſt, qui ordinatus in Eccleſia non eſt. Foris enim non eſt Eccleſia, nec ſcindi aduersùm ſe, aut diuidi poteſt, ſed inſeparabilis, atque indiuiduæ domus vnitatem tenet, &c. Et infrà. Dominus inſinuans nobis vnitatem, de diuina auctoritate venientem ponit, & dicit: Ego, & Pater vnum ſumus: ad quam vnitatem redigens Eccleſiam ſuam, denuò dicit: Et erit vnus grex, & vnus Paſtor. Si autem grex vnus eſt, quomodo poteſt gregi annumerari, qui in numero gregis non eſt? aut Paſtor haberi quo- Io. 10. f

modo poteſt, qui (manente vero Paſtore, & in Eccleſia Dei ordinatione ſuccedanea præſidente) uemini ſuccedens, & à ſe ipſo incipiens, alienus fit, & profanus, dominicæ pacis, ac diuinæ vnitatis inimicus, non habitans in domo Dei, ideſt, in Eccleſia Dei, in Pſal. 67. qua non niſi concordes, atque vnanimes habitant, loquente in Pſalmis Spiritu Sancto, & dicente, Deus, qui habitare facit vnanimes in domo? Denique vnanimitatem Chriſtianam firma ſibi, atque inſeparabili charitate connexam, etiam ipſa Dominica ſacrificia declarant, Nam quando Dominus corpus ſuum panem vocat, de multorum granorum adunatione congeſtum, populum noſtrum, quem portabat, indicat adunatum. Et quando ſanguinem ſuum vinum appellat, de botris, atque acinis plurimis expreſſum, atque in vinum coactum, gregem item noſtrum ſignificat, commixtione adunatæ multitudinis copulatum. Et infrà in eadem. Hi nunc Eccleſiam ſcindentes, & contrà pacem. atque vnitatem Chriſti rebelles, Cathedram ſibi conſtituere, & primatum aſſumere conantur, &c,

Idem libro eodem epiſt. 8. ad plebem. Deus vnus eſt, & Chriſtus vnus, & vna Eccleſia, & Cathedra vna ſuper Petrum Domini voce fundata. Aliud altare conſtitui, aut Sacerdotium nouum fieri, præter vnum altare, & vnum Sacerdotium non poteſt. Quiſquis alibi colligerit, ſpargit. Adulterum eſt, impium eſt, ſacrilegum eſt, quodcumque humano furore inſtituitur, vt diſpoſitio diuina violetur.

Idem libro eodem epiſtola 12. Quando, & baptiſma vnum ſit, & Spiritus Sanctus vnus, & vna Eccleſia, à Chriſto Domino ſuper Petrum origine vnitatis, & ratione fundata.

Idem lib. 2. epiſt. 10. ad Cornelium Papam. Hoc enim, vel maximè frater, & laboramus, & laborare debemus, vt vnitatem à Domino, & per Apoſtolos nobis ſucceſſoribus traditam, quantum poſſumus, obtinere curemus: & quod in nobis eſt, palabundas, & errantes oues, quas quorundam peruicax factio, & hæretica tentatio à matre ſecernit, in Eccleſia colligamus, illis ſolis foris remanentibus, qui in obſtinatione ſua, vel furore perſeuerarunt, & ad nos redire noluerunt, diſcretionis, & ſeparationis à ſe factæ, & Eccleſiæ derelictæ ipſi rationem Domino reddituri,

Idem lib. 3. epiſt. 13. ad Stephanum Papam. Cum Nouatianus ſententiam retulerit, ſe foris eſſe cepiſſe, nec poſſe à quoquam noſtrum ſibi communicari, qui Epiſcopo Cornelio in Catholica Eccleſia de Dei iudicio, & Cleri, ac plebis ſuffragio ordinato, profanum altare erigere, & adulteram Cathedram collocare, & ſacrilega contrà verum Sacerdotem ſacrificia offerre tentauerit. Et infrà. Dirigatur in prouinciam, & ad plebem Arelate conſiſtentem à te literæ, quibus abſtento Marciano alius in locum eius ſubſtituatur.

Et lib. 4. epiſt. 2. ad Antonianum. Factus eſt autem Cornelius Epiſcopus de Dei, & Chriſti eius iudicio, de Clericorum penè omnium teſtimonio, de plebis, quæ tunc affuit ſuffragio, & de Sacerdotum antiquorum, & bonorum virorum Collegio, cum nemo antè ſe factus eſſet, cum Fabiani locus, ideſt, cum locus Petri, & gradus Cathedræ ſacerdotalis vacaret, &c. vt habetur 7. q. 1. c. factus apud Gratianum. Et infrà in eadem, de eodem Cornelio loquens, ita ſcribit. Sediſſe intrepidum Romæ in ſacerdotali Cathedra eo tempore, quo Tyrannus infeſtus Sacerdotibus Dei, fanda, atque infanda comminaretur, cum multò patientiùs, & tolerabiliùs audiret leuari aduersùs ſe æmulum Principem, quàm conſtitui Romæ Dei Sacerdotem, hactenùs Cyprianus. Quibus verbis ſatis oſtenditur, & primatus vni Petro, & item ſucceſſoribus datus. Cum vnius Eccleſiæ Chriſti vnum caput ſemper fuiſſe oſtendant, ſuper alios Epiſcopos, ità vt ipſe abſtinere, ideſt, remouere, & ſubſtituere alios Epiſcopos poſſet, & non reliqui omnes ſine eo.

Idem in lib. de vnitate Catholicæ Eccleſiæ. Dominus in Euangelio, cum ſpei, & fidei noſtræ viam compendio breuiante dirigeret: Mat. 22. c Dominus Deus tuus, inquit, Deus vnus eſt, &, Diliges Dominum Deum tuum de toto corde tuo, & de tota anima tua, & de tota virtute tua. Hoc eſt primum mandatum; & ſecundum ſimile huic: Diliges proximum tuum tanquam te. In his duobus præceptis tota lex pendet, & Prophetæ. Vnitatem ſimul, & dilectionem magiſterio ſuo docuit, Prophetas omnes, & legem præceptis duobus incluſit. Quam verò vnitatem ſeruat, quam dilectionem cuſtodit, aut cogitat, qui diſcordiæ furore veſanus Eccleſiam ſcindit, fidem deſtruit, pacem turbat, charitatem diſſipat, Sacramentum profanat? &c. Et infrà. Deus vnus eſt, & Chriſtus vnus, Eccleſia eius vna, fides vna, & plebs in ſolidam corporis vnitatem concordiæ glutino copulata. Scindi vnitas non poteſt, nec corpus vnum diſſidio compaginis ſeparari, nec diuulſis laceratione viſceribus in fruſtrà diſcerpi. Quicquid à matrice diſceſſerit, ſeorsùm viuere, & ſpirare non poterit, ſubſtantiam ſalutis amittit.

Idem in libro de exhortatione martyrum, ad Fortunatum cap. 11. Cum ſeptem liberis planè copulatur, & mater origo, & radix, quę Eccleſias ſeptem poſtmodùm peperit, ipſa prima, & vna ſuper Petrum Domini voce fundata.

Idem ad Iubaianum de Hæreticis baptizandis. Quò venturus eſt, qui ſitit? vtrum ne ad hæreticos, vbi fons, & fluuius aquæ vitalis, omninò non eſt? an ad Eccleſiam, quæ vna eſt, & ſuper vnum, qui claues eius accepit Domini voce fundata eſt? Hæc eſt vna, quæ tenet, & poſſidet omnem ſponſi ſui gratiam, in hac præſidemus, pro honore eius, atque vnitate pugnamus, huius, & gratiam pariter, & gloriam fidei virtute defendimus.

Idem ad Pompeium contrà epiſtolam Stephani. Traditum eſt nobis, quòd ſit vnus Deus, & Chriſtus vnus, & vna ſpes, & vna fides, & vna Eccleſia, & baptiſma vnum, non niſi in vna Eccleſia conſtitutum, à qua vnitate quiſquis diſceſſerit, cum hæreticis, neceſſe eſt, inueniatur, quos, dum contrà Eccleſiam vindicat, Sacramentum diuinæ traditionis impugnat. Cuius vnitatis ſacramentum expreſſum videmus, etiam in Cantico Canti-

co-

Digitized by Google

Cant. 4. corum, ex perſona Chriſti dicentis: Hortus concluſus, ſoror mea, ſponſa mea, fons ſignatus, puteus aquæ viuæ, paradiſus cum fructu pomorum. Si autem Eccleſia eius hortus concluſus eſt, & fons ſignatus, quomodo in eundem hortum introire, aut bibere de fonte eius poteſt, qui in Eccleſia non eſt? Item, Petrus ipſe quoque demoſtrans, & vindicans vnitatem, mandauit, & monuit, niſi per vnum ſolum baptiſmum, vnius Eccleſiæ ſaluari non poſſe. In arca, inquit, Noe pauci, ideſt, octo animæ ſaluæ factæ ſunt per aquam, quòd & nos ſimilter ſaluos faciet baptiſma. Quàm breui, & ſpirituali compendio vnitatis ſacramentum manifeſtauit: Nam, vt in illo mundi baptiſmo, quo iniquitas antiqua purgata eſt, qui in arca Noe non fuit, non potuit per aquam ſaluus fieri, ità nec nunc poteſt per baptiſmum ſaluus videri, qui baptizatus in Eccleſia non eſt, quæ ad arcæ vnius ſacramentum Dominica vnitate fundata eſt.

D. Optatus Afer Epiſcopus Mileuitanus lib. 2. contrà Parmenianum, & alios Donatiſtas. Ergo quia probamus eam eſſe Eccleſiam Catholicam, quæ ſit in toto terrarum Orbe diffuſa, eius iàm commemoranda ſunt ornamenta, & videndum vbi ſint quinque dotes, quas tu ſex eſſe dicis, inter quas Cathedra eſt prima, vbi niſi ſederit Epiſcopus, coniungi altera dos non poterit, qui eſt annulus. Videndum, qui, & vbi, prior cathedra ſederit, ſi ignoras, diſce, ſi noſti, erubeſce. Ignorantia tibi adſcribi non poteſt. Reſtat ergo, vt noueris, ſcientem errare peccatum eſt; nam ignorantibus nonnunquam ſolet ignoſci. Igitur negare non potes, ſcire te in Vrbe Roma Petro primo cathedram Epiſcopalem eſſe collatam, in qua ſederit omnium Apoſtolorum caput Petrus, vndè, & Cephas appellatus eſt, in qua vna cathedra vnitas ab omnibus ſeruaretur, ne cæteri Apoſtoli ſingulas ſibi quiſque defenderent, vt iàm ſchiſmaticus, & præuaricator eſſet, qui contrà ſingularem cathedram, alteram collocaret. Ergo cathedra vnica, quæ eſt prima de dotibus, ſedit prior Petrus, cui ſucceſſit Linus, Lino ſucceſſit Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Euariſtus, &c. Hanc igitur Eccleſiæ ſuæ vnitatem ſapiens Dominus tanquam prudentiſſimus Dauid attendens; Eum elegit, atque inſtituit, qui ſuadente ſancta matre Berſabee ſederet ſuper ſolium ſuum, & regnaret pro ſe in Eccleſia ſancta ſua, quem non vngerent Sadoch Sacerdos, & Nathan Propheta, ſed ipſe ſummus hominum Rex, & Sacerdos, Ieſus, ſanctiſſimis ſuis verbis conſecraret. Quod vt accuratiùs perſcrutemur B. Ioannis Chryſoſtomi verba huic argumento opportuna de duabus Chriſti Eccleſijs, terrena, & cœleſti ſubijcere operæpretium duximus. is homilia 14. in pſalmum 14. ità ſcribit. Videamus autem etiam per anagogicam contemplationem, quid ſit tabernaculum, & quid ſit mons Dei, & quomodo oporteat primùm habitare in Tabernaculo, & ità habitare in monte Dei; Tabernaculum Moſis, & templum Salomonis ferebant imagines, & figuras duarum Dei Eccleſiarum, eius, quæ eſt in mundo, & eius, quæ eſt in Cælis. Eccleſiæ, quæ eſt in mundo, imago eſt Moſis Tabernaculum: Eccleſiæ autem, quæ eſt in Cęlis templum, quod eſt in monte. Duæ Eccleſiæ numero, vna autem modò fidei. De ea, quæ eſt in mundo dicebat Dominus: Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Et de cœleſti Apoſtolus, Acceſſiſtis ad montem Sion, & Ciuitatem Dei viuentis Hieruſalem cœleſtem, & ad multorum millium Angelorum frequentiam, qui conſcripti ſunt in Cœlis, hactenus Chryſoſtomus. Igitur Ieſu Chriſto ad Patrem, & ad cęleſtem Eccleſiam ea terrena reuerſuro neceſſe omninò fuit, aliquem Eccleſiæ ab ſe in terris conſtitutæ præſidem relinquere, qui eius Vicariam poteſtatem retineret, ad quem tanquam Iudicem, & Paſtorem omnes Chriſti ouiculæ in terrena Eccleſia commorantes confluerent. Cum enim (vt ſupra Ioannes Chryſoſtomus tradit) duplex Eccleſia ſit, cęleſtis, & terrena, nulli dubium, terrenam, quę alio nomine militans appellatur, & quæ adhuc in hoc ſeculo peregrinatur per fidem à Deo inſtar cęleſtis effigiatam fuiſſe, de qua loquitur Ioannes in Apocalypſi capite 21. Vidi Ciuitatem ſanctam Hieruſalem nouam deſcendentem de cœlo, à Deo paratam ſicut ſponſam ornatam viro ſuo. At nemo pius dubitat, Principatus ordinem eſſe in cęlo, vbi manſiones multæ ſunt. Ibi enim eſt Deus ipſe, tum nouem Angelorum chori, ad hæc Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli, Martyres, Confeſſores, & alij Beati ſuis ordinibus diſtincti. Eadem ratione in terrena Eccleſia ſunt Clerici, Diaconi, Presbyteri, Epiſcopi, et Supremus Pontifex. Hunc ordinem Eccleſiaſticum explicat Paulus ad Epheſios cap. 4. Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas. De eodem Dionyſius, qui duobus libris terrenæ, cœleſtiſque hierarchiæ ſimilitudinem explicauit ità ſcribit. cap. 6. Eccleſiaſt. hierar. Noſtra hierarchia à Deo traditis ordinibus ſanctè diſpoſita, ſanctis, et cœleſtibus hierarchijs conformis eſt. Nam ibi ſunt Principatus, Virtutes, Dominationes, Throni, vt teſtatur etiam Apoſtolus. Quare, longè conuenientiſſimum eſt, vt quemadmodum in cœlis eſt omnium caput paſtorum, Princeps, et primum Eccleſiæ fundamentum Chriſtus, ità in terris ſit aliud miniſteriale caput Eccleſiæ terrenæ Paſtor, et conſequens fundamentum. Qua propemodum ratione vſus eſt Diuus Gregorius Nazianzenus in apologetico ſic. Malum eſt, & inutile, vel omnes fieri velle Rectores, vt nullus, qui regi debeat, iàm ſuperſit, vel rursùm regendi officium neminem velle ſuſcipere, per quod ſcilicet claudicare continuò, et labefactari poterit omne corpus Eccleſiæ, vbi tam autem, et à quibus celebrarentur ſacroſancta myſteria, quæ ſurſùm ferunt, quod quidem maximum eorum, quæ apud nos fiunt, ac plurimi faciendum eſt, ſi non ſit Rex, neque Princeps, neque Sacerdotium, neque ſacrificium, nihil denique eorũ, quibus tanquam maximis pro ingentibus ſceleribus ſuis, Prior iſte populus incredulus mulctatus eſt? Hic D. Gregorius Magnus epiſtola 52. lib. 4. ad vniuerſos Epiſcopos Galliarum ſcribit. Ad hoc diuinæ diſpoſitionis prouiſio gradus diuerſos, et ordines conſtituit eſſe diſtinctos, vt dum reuerentiam minores potioribus exhiberét, et potiores minoribus dilectionem impenderent, vera concor-

Heb 12.

diæ fieret ex diuerſitate contextio, & rectè officiorum gereretur adminiſtratio ſingulorum. Neque enim vniuerſitas alia poterat ratione ſubſiſtere, niſi huiuſmodi magnus eam differentiæ ordo ſeruaret. Quia verò quæque creatura in vna, eademque qualitate gubernari, vel viuere non poteſt, cœleſtium militiarum exemplar nos inſtruit. Quia dum ſunt Angeli, ſunt Archangeli, liquet, quòd non æquales ſunt, ſed in poteſtate, & ordine (ſicut noſtis) differunt vnus ab altero. Si ergo inter hos, qui ſine peccato ſunt, iſtam conſtat eſſe diſtinctionem, quis hominum abnuat huic ſe diſpoſitioni libenter ſubmittere, cui nouit etiam angelos obedire? Hinc etenim pax, & charitas mutua ſe vice complectuntur, & manet firma concordiæ in alterna, & Deo placita dilectione ſinceritas. Vnumquodque igitur tunc ſalubriter completur officium, cum fuerit vnus, ad quem poſſit recurri, præpoſitus; hæc Gregorius.

Et D. Bernardus de conſideratione ad Eugenium Papam lib. 3. graphicè eadem deſcribit ſic, Nec vilem reputes formam hanc, quia in terra eſt, exemplar habet è Cœlo. Neque enim filius poteſt facere quicquam, niſi quæ viderit patrem facientem, præſertim cum ei ſub Moſis nomine dictum ſit. Vide, omnia facias ſecundùm exemplari, quod tibi in monte monſtratum eſt, viderat hoc, qui dicebat. Vidi Ciuitatem ſanctam Hieruſalem nouam, deſcendentem de cœlo, à Deo paratam. Egò enim propter ſimilitudinem dictum reor, quòd ſicut illic Seraphim, & Cherubim, ac cæteri quique vſque ad Angelos, & Archangelos ordinantur ſub vno capite Deo. Ità hic quoque ſub vno ſummo Pontifice primates, vel Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Presbyteri, vel Abbates, & reliqui in hunc modum. Non eſt paruipendendum, quòd & Deum habet auctorem, & de cœlo ducit originem. Quòd ſi dicat Epiſcopus, nolo eſſe ſub Archiepiſcopo, aut Abbas, nolo obedire Epiſcopo, hoc de Cœlo non eſt, niſi tu fortè Angelorum quempiam dicentem audiſti, nolo ſub Archangelis eſſe, aut ex alio quolibet inferiorum ordinum, alii quempiam ferentem ſubeſſe vnquam, niſi Deo. & Haſtenus Bernardus. Neque verò velim quempiam à me in his rebus demonſtrandis argumenta, & demonſtrationes mathematicas requirere, multa enim, quæ Dei voluntate contingenter conſtituta ſunt, demonſtrari humanis rationibus non poſſunt, probabiles tantum rationes aliquot afferemus, quæ cuilibet pio homini ſatere, ſatis debent, vt ſenſum ſuum obſequio Chriſti, & Eccleſiæ eius venerationi deuinciat.

Cæterùm ſuperioribus exemplis confirmandis, & hoc animaduerſione dignum eſt. Decet enim in Eccleſia Catholica eundem ordinem Eccleſiaſticum ſub vno capite Romano Epiſcopo eſſe, qui fuit ſub poſt veteris legis in Synagoga, cui omnia in figura contingebant. Et ideò tantò maior eſt vnitas in Eccleſia, quantò ſacerdotium Euangelicum eſt excellentius legali, & quantò figuratum eſt excellentius figura, quanquam inter vtraque aliqua ſit etiam ſimilitudo.

At regimen Synagogæ fuit monarchicum, in quo vnus ſummus ſacerdos, qui cunctis ſacerdotibus præeſſet, conſtitutus fuit, cuius tanta poteſtas erat, vt qui ei non obtemperaſſet morte dignus cenſeretur, quemadmodum Deuteronomij capit. 17. ſcriptum eſt. Et facies quandocumque dixerint, qui præſunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxtà legem eius, ſequeriſque ſententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad ſiniſtram. Qui autem ſuperbierit nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Deo tuo, ex decreto Iudicis, morietur homo ille, & auferetur malum de Iſrael.

Ordinatus autem eſt Aaron ſummus ſacerdos iuſſu Domini Leuitici capite 8. & à Moſe conſecratus. Hanc Eccleſię vnitatem Chriſtus maximè deſiderauit, rogans patrem, vt vnum ſimus, & ideò Apoſtolus ad Corinthios ait. Idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata. At verò cùm variæ quæſtiones in fide, & ritibus Eccleſiaſticis exoriantur, niſi eſset, is à quo cunctę hæ dubitationes explicarentur, Eccleſia innumeris iamdiù diſtracta fuiſset ſciſſuris, erroribus, diſcordijs, & vnitas Eccleſiæ diuiſa eſset, ità vt in vnaquaque diæceſi ſingularis exorta fuiſſet hæreſis, quarò rectè dixit D. Thomas Aquinas lib. ſentent, 4. d. 24. quæſt. 3. artic. 2. ad 3. quæſt.

Oportet, ſi iſta vnitas debet conſeruari, quòd ſit aliqua poteſtas regitiua reſpectu totius Eccleſiæ ſuprà poteſtatem Epiſcopalem, qua vnaquæque ſpecialis Eccleſia regitur, & hæc eſt poteſtas Papæ, & ideò qui hanc poteſtatem negant, ſchiſmatici dicuntur, quaſi diuiſores Eccleſiaſticæ vnitatis. Atque ità fides noſtra quacunque ſecta deterior eſset, ſi emergentibus rebus dubijs, vel diſcordijs, non haberemus primum, ad quem tuto poſsemus accedere, qui in rebus fidei certam, & veritati conſentaneam ſententiam proferret; quomodo etiam optimus legiſlator Chriſtus ſuam Eccleſiam ità reliquiſset truncam, & capite mutilam, cui tamen ſeſe nihil omiſiſſe ipſe per prophetam Eſaiam docet, cum ait. Quid vltra debui facere vineæ meę, & non feci? Quare, ad ſchiſmata vitanda, ad errores excindendos oportet, vt ſit in Eccleſia ſupremus quiſpiam rector, & doctor, apud quem etiam ſumma auctoritas ſit in rebus dubijs fidei definiendis, & quamuis Ieſus ſit verus ſponſus Eccleſiæ, & omnium fidelium caput, atque in cœlis exiſtens, Eccleſiam ſuam regere poſſit, tamen voluit eam viuentis, præſentiſque hominis nutu, & auctoritate gubernari, qui eius miniſteriale caput eſset, quod nobiſcum verſaretur, ad quod poſsemus accedere, & noſtras ei morum, fidei, & religionis cauſas lites, & dubitationes exponere, & quid in eis agendum, tenendum, credendumque ſit, certò, & ſine ambiguitate cognoſcere.

Hanc rem optimè explicauit D. Gregorius in epiſtola ſuprà citata, ad omnes Epiſcopos Galliæ. Quia vnumquodque ſalubriter tunc completur officium, cum fuerit vnus, ad quem poſſit recurri, præpoſitus. Idcircò opportunum eſse perſpeximus in Eccleſijs, quæ ſub regno præcellentiſſimi filii noſtri Childeberti Regis ſunt, ſecundùm antiquam conſuetudinem fratri noſtro Virgilio Arela-

tenſis Ciuitatis Epiſcopo vices noſtras tribuere, quatenùs, & catholicæ fidei integritas, ideſt, ſanctarum quatuor ſynodorũ, Deo protegente, ſollicita deuotione ſeruetur, & ſi inter fratres, conſacerdoteſque noſtros aliqua euenerit fortè contentio, auctoritatis ſuæ vigore, vicibus nempè ſedis Apoſtolicæ functus, diſcreta moderatione compeſcat.

S. Igitur Gregorius pro meliori regimine, & vt ſalua maneret fidei integritas, voluit per Gallias vnum præeſſe exemplo Domini Noſtri Ieſu Chriſti, qui tamquam prudentiſſimus legislator in perfectiſſima lege euangelica præpoſitum cunctis aliquem conſtituit, qui nihil neceſſarium in ſynagoga neglexit, ſicut iam ſuprà ex Eſaia oſtendimus. Hac ratione videtur vſus fuiſſe Leo IX. Papa aduersùs illicitas actiones Michaelis Conſtantinopolitani Epiſcopi capit. 37. cum ſcripſit. Ipſa corporis compoſitio, & membrorum nos doceat, qualiter & quanti habenda ſit Eccleſiæ vnitas. Ipſa etenim corpus eſt Chriſti. Et Apoſtolus dicit 1. Corinthiorum cap. 12. Vos eſtis corpus Chriſti, & mẽbra de membro, & ſicut in vno corpore multa membra habentur, omnia autem non eundem actum habent, ità multi vnum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra, & infrà. Si totum corpus oculus, vbi auditus, & reliqui ſenſus? nunc autem diſpoſuit Deus, ſicut voluit membra ſingula officio ſuo apta. Membrum verò officio ſuo non contentum, ſed cupiens præcipere alienum, conturbat corporis ordinem totum, velut ſi viſus voces, auditus colores, guſtus odores, olfactus aſperas res, aut lenes, tactus tentaret diſcernere ſapores, nonne fruſtrà omnes paterentur? Sic ſingulorum ornamenta, ſeu indumenta non ſunt omnibus membris accomoda, nec congrua, ſed vnumquodque requirit ſua, & abijcit aliena.

Eandem rem exponit D. Bernardus lib. 3. de conſideratione ad Eugenium; Erras, ſi vt ſummam, ità, & ſolam inſtitutam à Deo veſtram Apoſtolicam auctoritatem exiſtimas; ſi hæc ſentis, diſſentis ab eo, qui ait. Non eſt poteſtas, niſi à Deo, proindè quod ſequitur, qui poteſtati reſiſtit, ordinationi Dei reſiſtit, & ſi principaliter pro te facit, non tamen ſingulariter: denique idem ait. Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, non ait, ſublimiori tamquam in vno, ſed ſublimioribus tamquam in multis. Non ergo tua ſola poteſtas à Domino, ſunt & mediocres, ſunt, & inferiores, & quomodo quos Deus coniunxit non ſunt ſeparandi, ſic nec quos ſubiunxit comparandi. Monſtrum facis ſi manu ſubmouens digitum facis pendere de capite, ſuperiorem manui brachio collateralem. Tale eſt ſi in Chriſti corpore membra aliter locas, quàm diſpoſuit ipſe, niſi tu putas alium eſſe, qui poſuit in Eccleſia quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios Doctores, & Paſtores ad conſumationem ſanctorum in opus miniſterij in ædificationem corporis Chriſti. Atque hoc corpus, quod, vbi ipſe Paulus ſuo verè Apoſtolico figurans eloquio, & capiti conuenientiſſimè aptans, totum ex eo compactum perhibet, & connexum per omnem iuncturam ſubminiſtrationis, ſecundùm operationem in menſuram vniuſcuiuſque membri augmentum corporis faciens in ædificationem ſui in charitate.

At cuncta hæc B. Hieronymi contrà Iouinianum verbis concludamus, quibus affirmat, Petrum conſtitutum eſſe Principem Apoſtolorum. Cuius rei cauſam addit, vt capite conſtituto, ſchiſmatis tolleretur occaſio: quare ſolidè noſtra perſtitit ſententia, Primatum à Chriſto in Eccleſia conſtitutum fuiſſe. Quem cum condere decreuiſſet, admirabili planè myſterio inchoauit, & vt infrà demonſtrabo, perfecit. Tarda enim, & in plures partes opere diſtributo, longa cunctatione, & in creando ſucceſſore vſus, vi magnitudinem, & excellentiam demonſtrauit, docuitque egregiùs omnium magiſter in grauiſſimis rebus temerè non eſſe à nobis feſtinandum, & magnis cœtibus eos homines præficiendos, qui amore in Deum, prudentia in rebus agendis, & vitæ innocentia excellerent.

CAP. II.

Primatum in perſona beati Petri Apoſtoli in Eccleſia à Chriſto inſtitutum fuiſſe aliquot Euangeliorum teſtimonijs explicatis oſtenditur.

DOminus noſter Ieſus Chriſtus, vt B. Petrum, quem à mundi initio Vicarium ſuum deſtinauerat, primum in terris vidit ad ſe à fratre Andrea adductum, illicò ei vni dixit: Tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. Ioann. 1. f Res planè maxima animaduerſione digna. Nam quod ei vni, cæteris Apoſtolis non ſolùm abſentibus, ſed nec dum vocatis, promiſit Petro, ſcilicet appellationem, ei ſoli apud Cæſaream Philippi eandem contulit: tum enim Chriſtus in medio Apoſtolorum, quorum è numero Vicarium ſuum electurus erat, exiſtens, interrogatione quadam generali, & omnibus communi quæſiuiſſet, ijs verbis eos appellans. Matth. 16.b Quem me dicunt homines eſſe filium hominis? Cumque aliorum hominum de ſe ſententias illis referentibus audiuiſſet, ſubiunxit. Vos autem quem me eſſe dicitis? Ad quam interrogationem cum ſolus Petrus reſpondiſſet, dicens. Tu es Chriſtus filius Dei viui, confeſtim Chriſtus audita hac eius prima, & illuſtri de diuinitate ſua confeſſione, quam non caro & ſanguis, ſed pater eius cœleſtis ei reuelauerat, tamquam eum inueniſſet, cui primum in regenda Eccleſia ſua locum daret, quaſi manu apprehenſa eum ducens, vt in Cathedra collocaret. Et ego (ſubiecit) dico tibi, tibi inquam vni, quia quod te dixeram vocandum Cepham, tu nunc es, ſcilicet Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam, & tibi dabo claues Regni Cœlorum, & quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in Cœlis, &c. quemadmodum

modùm vni Petro nòn ſolùm Cephæ nomen indidit, ſed & claues Regni Cœlorum ſe daturum pollicitus eſt, ità ſoli Petro, cum à mortuis ſurrexiſſet claues Regni Cœlorum contradidit; Vbi cum omnes eſſent Apoſtoli, ad eum tamen ſolùm conuerſus, ait. Simon
Ioann. 21. Ioannis diligis me plùs his? paſce agnos meos. Ità vt Chriſti conſilium, & propoſitum, ſatis pateat, vt Petrum Vicarium ſuum in terris conſtitueret. Ad quod oſtendendum alia quædam cognitu digna perſequamur. Hoc enim in primis demonſtrauit, cum nomini, quod is acceperat à patre, alterum à ſuo deductum adiunxit, Petrumque à petra eum denominauit, petra autem (vt ait Apoſtolus) erat Chriſtus. Vndè liquidò conſtat, Chriſtum, dum Simoni filio Ionæ nomen ſuum impartiret, perſonam Simonis ità commutaſſe, vt ex priuata publicam, ac ſuam ipſius repreſentantem redderet. Quod etiam verba, quæ ſequuntur multò clariùs patefaciunt, cum ait; Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. His enim verbis Petro eum locum, eamque conditionem tribuit Chriſtus, quæ ipſius propria erat, vt eâ vocaretur petra, quæ pondus ædificij Eccleſiæ ſuæ ſuſtineret; ſic enim oſtendit, eum populi ſui principem fore, ſed euidentiùs multò hoc idem facit in verbis ſubſequentibus, cum enim dixiſſet: Et portæ inferi non præualebunt aduersùs eam, ſtatim adiunxit. Et tibi dabo claues Regni Cœlorum, & quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in Cœlis, & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in Cœlis.

His enim videtur, eam auctoritatem, poteſtatem, ac iuriſdictionem, quæ Chriſto ſoli, vt vero Eccleſiæ capiti conuenit, ab ipſo fuiſſe ore proprio ſingulariter Petro conceſ-
Luc. 22. ſam. Hunc Matthæi locum Lucas maximè explicat, cum enim in nouiſſima Cęna facta eſſet contentio inter Apoſtolos, quis eorum maior eſſe videretur, ille poſtquam eos ſuper inani hac altercatione obiurgaſſet, monuiſſetque humilitatem ſectandam eſſe imminente paſſionis tempore, quo ipſe è mundo tranſiturus erat ad patrem, ad Petrum ſtatim conuerſus, ipſum cæteris maiorem, & omnium caput affirmat futurum. Ad eum enim, quem non Petri, ſed Simonis nomine appellauit, ſic dixit. Simon Simon, ecce Sathanas expetiuit vos, vt cribraret tamquam triticum; ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua; & tu aliquand oconuerſus, confirma fratres tuos. In quibus verbis hoc primùm conſiderandum, quòd Chriſtus de periculo impendente vniuerſo gregi loquens, non ad multitudinem, ſed tantùm ad vnum Petrum verba facit, illum vnum admonens de eo, quod omnibus euenturum erat, quid ita? niſi quia hoc fieri ſemper ſolet (vbi multitudo aliqua ab vno regitur) vt quicquid ad rem multitudinis pertinet, ſi periculum immineat, ad illum, qui præeſt, primùm refratur, vt per vnum multorum ſaluti prouideri poſſit. Hoc ſanè animo Chriſtus de communi Eccleſiæ periculo Petrum vnum admonuiſſe declarant eius verba, quæ ſtatim ſequuntur. Cum iam de remedio loquens ad eundem Simonem verba dirigit. Ego autem pro te rogaui, vt non deficiat fides tua; & tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos. An hæc verba interprete indigent, vt intelligantur? Cùm ità ſint aperta, vt etiam quæ ſuprà ex Matthæo citaui, exponant? Quod enim ille ſcribit, Simoni Bariona fidem ſuam de Chriſto filio Dei viui profitenti ipſum Chriſtum dixiſſe; Tu es Petrus, idem Chriſtus eundem Simonem alloquens alijs verbis exprimit, cum dicit. Ego autem rogaui pro te, ne deficiat fides tua; cum enim fides eius corroborata fuit oratione Chriſti, ne deficeret, tum is ex Simone tamquam ex lapide fragili factus eſt firma petra. Quod autem ibi dictum eſt ei à Chriſto. Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, idem ſic alijs verbis dicitur; Et tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos, quorum fides infirma, vel vacillans firma Petri fide confirmatur, & ſuper eum iam petram factum ædificari dicuntur. Cum denique contrà periculum, quod imminet à portis inferi, vt exprimit Matthæus, & Lucas contrà Sathanam expetentem cribrare Eccleſiam, vt triticum, ideſt contra, omnes diaboli inſidias expetentis Eccleſiæ ruinam vnum à Chriſto remedium proponatur, quod conſiſtit in vnius Petri fide, ipſius Chriſti oratione corroborata, ne vllis tentationibus victa ſuccumbat, & deficiat, vt in eadem poſſet fratres ſuos confirmare. Hoc apertè declarat, eum poſitum eſſe tanquam petram in fundamento Eccleſiæ, & ſuper eam Eccleſiam ædificari. Quòd autem is ſit verus ſenſus illorum verborum, & hic ordo in Eccleſia Chriſti pro ea conſeruanda inſtitutus fuerit, vt cum ipſe, qui eſt verus, & ſummus Pontifex, & Paſtor omnium ſuis precibus Vicarium ſuum in fide confirmarit, per eum confirmentur reliqui Epiſcopi, & Paſtores, qui propriè appellantur fratres eius, vt per eos poſteà vniuerſa fidelium multitudo ædificetur, & in fide confirmetur, pleniùs intelligitur, ſi conſuetudinem Eccleſiæ optimam verborum Chriſti interpretem conſuluerimus; hoc autem ſemper reperietur Sathana numquam non expetente Eccleſiæ pacem turbare, quod ſtatim oſtendere cœpit, poſtquam Chriſtus corporalem ſuam præſentiam à grege ſubtraxerat, vt quęque pars eius laborare cępit, per Petri fidem fratres confirmantem à vexatione liberatum fuiſſe; huius rei exemplum in Concilio Hieroſolymitano primùm eſt demonſtratum, in quo cùm Petro pręſente magna conquiſitio de fide fieret, Sathana iam Eccleſiam cribrante, & in diuerſas ſectas trahente; tum tandem illa ſeditio eſt ſedata, & pax Eccleſiæ reſtituta, cùm Petrus in medio fratrum ſuam fidem profeſſus, reliquos paſtores in eadem confirmauit, per quos poſteaquam vacillare cœperat, pars gregis in fide confirmata fuit, hoc deinceps factum eſt per Petri ſucceſſores fidem eius ſequentes. In reliquis omnibus, quæ ſecuta ſunt Concilijs, in quibus multò illuſtriùs, quàm Petro viuente compertum fuit, & quales eſſent Sathanæ conatus expetentis cribrare Eccleſiam, & quanta ad eos reprimendos extiterit vis huius ſingularis remedij, quod Chriſtus verbis illis ſignificauit, cum ad Petrum ſermonem dirigens, dixit. Et tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos, vt enim omnia remedia quęrantur, quæ vmquam Eccleſia eſt experta contra Sathanæ malitiam nunquam ceſſantis omni tentationis genere

eam

eam vexare, nullum cum hoc comparari poterit, qood in Concilijs generalibus adhiberi eſt ſolitum, cum ſingularum Eccleſiarom paſtores, tamquam Petri fratres per eius ſucceſſores fidem ipſius ſequentes confirmarentur, ad quod in omni grauiore periculo tamquam ad ſingulare, & vnicum omnium malorum remedium vniuerſa Eccleſia ſemper confugere conſueuit, oeque vllum vnquam præſentiùs iouenit, aut inuentura eſt, quia in eo ſumma omnium remediorum continetur.

Hęc autem veriſſima eſſe veteres hactenùs hiſtorias Eccleſiaſticas perſcrutanti manifeſtum erit, quibus liquidò patet ſenſum Chriſti in conſtituendo ſuo Vicario verbis ſuprà citatis ſignificatum, & rerum euentu comprobatum fuiſſe. Ad Matthæi, & Lucæ teſtimonia, Ioannes cap. 21, tem planiùs demonſtraturus accedit; quo in loco promiſſas ei antè mortem claues verbis illis ter repetitis; Paſce agnos meos, paſce oues meas, conceſſit, paſtoremque, & Eccleſiæ ſuæ principem illum conſtituit. Quæ Apoſtoli Ioannis verba magnis myſterijs referta, & rei ſummam attingentia accuratiùs conſiderare, & interpretari libet. Cum ergo (inquit Ioannes) prandiſſet Ieſus, dicit Simoni Petro; Simon Ioannis diligis me plùs his? Cunctis, quæ ad æternam, diuinamque Ieſu generationem attinerent admirandis operibus, quæ in humana natura ab eo geſta ſunt, ſalutaribus doctrinæ eius præceptis, quibus oos inſtruere voluit, à magno Euangeliſta accuratiſſimè deſcriptis, cum ad extremum mortis myſteria, & manifeſta reſurrectionis argumenta perdiligenter explicuiſſet, nil reliquum erat ad Euangelicæ narrationis explicationem, quàm vt Eccleſiæ ſuæ ſanctæ inſtitutionem, neceſſariamque cuilibet reipublicæ gubernationem, quemadmodùm ab ipſo Chriſto corporalem ſuam præſentiam à grege ſubtracturo, ordinata fuerat, diſſereret. Ipſum itaque Eccleſiæ initium, quod nimirùm ex Iudæo, & Gentili populo conſtitit, magno illo ſuo prandio, quod paulò ante retulit Euangeliſta, deſignauit. In eo namque priùs piſcis ille prunis ſuperpoſitus, Iudęus videlicèt populus, qui & ſingulari numero exprimitur, antè Diſcipulorum Chriſti aduentum deſcribitur; deindè verò piſces illi, quos Apoſtoli cœperunt, gentium ſcilicet populi Græcus, Romanus, Barbarus, qui rectè multitudinis numero deſignantur ex cunctis mundi regionibus capti, vnam Ieſu Eccleſiam conſtruunt. Quapropter, & vnus ille prunis ſuperpoſitus, & plures alij, quos cœperunt Apoſtoli, vnus tantummodò piſcis ab Euangeliſta nuncupatur, ità enim ait. Et venit Ieſus, & accipit panem, & dat eis, & piſcem ſimiliter.

Hæc eſt itaque Eccleſia noſtra, beatum illud conuiuium, in quo panis apponitur Dominus ipſe noſter Ieſus Chriſtus, atque vnus, ac multi piſces Iudaicus, & Gentium populi in vnum, non Iudaicum, aut Gentilem, ſed Chriſtianum populum conflati, & vnus piſcis, atque vnum corpus effecti. Quoniam verò nulla domus, nulla Ciuitas, nulla omninò reſpublica ſine legitimo Principe, ac gubernatore conſiſtit; ſicut nec vllum aliquod corpus ſine capite, Dominus eum eligere conſtituit, qui poſt ipſius corporalem abſentiam Eccleſiæ ſuæ præſideret. Hoc igitur eſt, quod beatus Euangeliſta ait. Cum ergo prandiſſent, cum iam videlicèt ab ipſo ex pane, & piſcibus conſtructa eſſet Eccleſia, & iam tempus adeſſet, quo exigi videbatur, vt Chriſtus animum ſuum aperiret (ſtatuerat enim anteà munus illud, quod ipſe in terris gerebat, alicui homini aſcendens in Cœlum committere) Petrum eo nomine appellauit, quod à patre carnali impoſitum habebat, eique dixit. Simon Ioannis diligis me plùs his? Non interrogat Ieſus Petrum, vt ſciat, an ſe amet, qui noſcit ſecreta hominum, atque ipſas etiam cogitationes, ſed vt exemplo ſuo doceret in conſtituendis Eccleſiarum paſtoribus, quid potiſſimùm obſeruandum eſſet, & quærendum, Simon, inquit, Ioannis diligis me plùs his? Non quærit Ieſus in Petro, neque in rectoribus Eccleſiæ ſuæ nobilitatem generis, patriæ ſplendorem, fumoſas maiorum imagines. Nihil horum curæ eſt Ieſu, quæ ad rem Eccleſiæ non pertinent. At quid? Simon Ioannis diligis me? Felix Eccleſia ſi in eligendis eius paſtoribus ſanctiſſima hæc obſeruaretur forma, quam obſeruauit Chriſtus in Petro; vt ille ordinaretur in Eccleſia, qui diligeret, non qui degluberet Eccleſiam.

Nihil magis requirit Ieſus in Paſtore, quàm amorem. Oues Chriſti docere poteſt, & malus paſtor, & qui eas odit, & rapit: paſcere non poteſt, niſi qui diligit; doctos multos, & nobiles facilè eſt reperire paſtores, amatores Eccleſiæ paucos. Hos potiſſimùm elegit ad Eccleſias ſuas Ieſus, qui potiſſimùm diligunt: Diligit Ioannem, elegit Petrum, diligit ſibi cariorem, elegit Eccleſiæ vtiliorem. Diligit innocentem, elegit lapſum, vt qui ipſe pœnituerit, faciliùs pœnitenti indulgeat, ac benigniùs nouerit miſereri, qui ſecum miſericorditer actum meminerit. Dicit ei, etiam Domine, tu ſcis, quia amo te. Amorem profitetur Petrus, & eum teſtem citat amoris ſui, quem ſciebat auctorem, etiam Domine, ex conſcientia ſua dicit. Tu ſcis, quia amo te ex ſcientia Ieſu; ſcientię Ieſu magis credidit, quàm conſcientiæ ſuæ, ac ſi diceret. Ego quidem exiſtimo me vehementer te ipſum amare; nam in amorem tuum propenſum eſſe me ſentio, tu tamen pleniùs noſti, num verè te amem, ideircò non aliud mihi promitto, non aliud tibi quicquam reſpondeo, quàm quod ex tuo pendet iudicio. Tu ſcis Domine, quia amo te. Quòd ego te amem, amoris mei mihi conſcius profiteri non dubito; quòd verò te plùs cęteris amem, affirmare non audeo. Dicit ei: Paſce agnos meos.

Nullum gratius, iucundius, acceptiuſue Deo obſequium eſt, quàm animarum cura. Paſce, inquit, amanti Petro Ieſus agnos meos. Nihil à te pro me requiro Petre. Pro Eccleſia tantùm mea laboro, pro agnis, & ouibus meis ſollicitus ſum. Gratis tibi trado agnos meos, gratis eos paſce. Paſce agnos meos, quod ego plùs omnibus diligo, cui potiùs commendem, quàm tibi, qui me plùs omnibus diligis? Commendaui Matrem meam Diſcipulo, quem plùs quàm cęteros diligo. Commendo tibi Eccleſiam meam, à quo plùs, quàm à cęteris diligor. Magnum eſt, quod commendaui Ioanni, maius omnibus eſt,

quod

Digitized by Google

quod commendo tibi. Maior eſt enim Eccleſia vniuerſa, quàm mater mea, cum ipſa quoque maior ſit pars Eccleſiæ meæ,

Vide igitur cui obnoxius eris penæ, ſi malè babueria Eccleſiam meam, cum in ea malè tractanda multò grauiùs peccaturus ſis, quàm ſi malè habeas matrem ipſam meam. Vide, quantum tibi trado. Trado tibi amanti, & Matrem meam, & fratres mos, qui trado agnos meos, & oues meas. Trado tibi terrarum iura, Cœlorum ſceptra. Paſce agnos meos. Mei ſunt agni, non tui, meæ ſunt oues, non tuæ, mea eſt Eccleſia, non tua; Hanc tibi committo cuſtodiendam, eius hodie paſtorem te conſtituo; charitatem à te exigo; Paſce agnus meos: Paſce verbo, paſce exemplo, paſce moribus, paſce doctrina, quos ſi non paueris, occidiſti. Quippè alimenta negare, eſt necare. Nihil tibi ſit antiquiùs, quàm incolumitas gregis mei, quem tibi do paſcendum, non deuorandum. Hunc omni cura paſce; Paſce agnos, paſce oues, paſce infirmos, paſce fortes, paſce omnes. Dicit ei iterùm, Simon Ioannis diligis me? Iterùm interrogat, quod ſciebat, & quod potiſſimùm àb illo volebat. Ait illi; Etiam Domine, tu ſcis, quia amo te. Idem interroganti, idem reſpondet, dicit ei; Paſce agnos meos. Dicit ei tertio; Simon Ioannis amas me? Ter interrogat, repetit, inculcat, an ſe diligat, vt ei declararet quanta ſollicitudine, deſiderioque expeteret, quod toties interrogaret, ſimulque omnes admoneret, ardentiſſimum ſui amorem in paſtore requiri; maximè enim quæritur, quod maximè deſideratur.

Ter exigit amorem à Petro Ieſus, nec quemlibet amorem, ſed ardentiorem, quàm aliorum Apoſtolorum ſit, priuſquam gregis ſui curam illi committat; cui namque plus committitur, plus & ab eo exigitur: Chriſtum verò interrogaſſe Petrum de amore, quo ille erga ſe tamquam erga Dominum gregis affectus erat, & valdè diligenter eum interrogaſſe ex ijſdem verbis liquet.

Tertiò enim eandem interrogationem repetit, quorsùm autem hoc? niſi quia rei omnium cariſſimè, quàm Cœlum petens, in terris relicturus eſſet, ideſt, gregis ſui curam amanti relinquere voluit.

Hoc enim verba Chriſti, quæ ſequuntur, apertè declarant, cùm ter Petro amorem ſuum erga illum profitenti, ter ipſe paſcendi munus ei commendauit; bis quidem agnos, tertiò autem oues, eum paſtorem vniuerſi gregis ſuo loco relinquens. Quod vt melius percipiatur, animaduertenda ſunt cùm forma interrogationis, tùm tempus, & locus; forma quidem hæc fuit, quòd de amore interrogans, non de illo amore, quem Petrus cum reliquis Diſcipulis communem habebat, & ſine quo nemo ne minimæ quidem partis gregis idoneus paſtor eſſe poteſt, eum interrogauit, ſed cum tunc adeſſent filij Zebedæi, & Thomas, qui ipſi etiam partis gregis paſtores futuri eſſent; de amore ſingulari, quo præ cæteris eum amaret, Petrum interrogauit: vt in quo ſingularem amorem ſupra reliquos paſtores inueniſſet, ſingularem ei locum inter eos daret, vt quidem illorum in partem, eius autem in vniuerſum, erga gregem cura emineret. Eo verò tempore hoc Chriſtus ab eo quæſiuit, quo iam Petrus eius corporalem præſentiam ſe præ cœteris amare ſingulari quodam, & præcipuo ſigno oſtendit: cum enim illi vnà cum alijs Diſcipulis in mari piſcationi operam darent Chriſtus poſt Reſurrectionem ſuam ſe conſpiciendum præbuiſſet, eoſque etiam è littore appellaſſet, rogans numquid pulmenti haberent? Petrus, vt primùm à dilecto Diſcipulo admonitus, Dominum eſſe cognouit, non expectans dum nauis, qua vecti erant, ad littus appelleret, ſtatim ſe in mare miſit, vt citiùs alijs ad eum ipſe perueniret, qui amore eius corporalis præſentiæ omnes iam præuenerat; quemadmodùm non hoc ſolo ſigno, ſed multis alijs, antequam Chriſtus moreretur, oſtenderat; in quo ergo Chriſtus maius deſiderium, & maiorem amorem corporalis ſuæ præſentiæ cum grege inuenerat, eidem illud munus in terris commiſit, ipſe paulò poſt humanis oculis ſuam præſentiam ſubtracturus; in quo munere eius perſonam tamquam in terris ſemper præſentis in cura dilecti gregis repræſentaret. Io.21. b

Vt autem teſtimonio à me ſupra ex Luca citato, cum Chriſtus de fide Petri loqueretur, quæ eſt fundamentum paſtoralis officij, oſtendit, ſe non ſolum eam fidem in eo requirere, quæ non deficeret, ſed quæ tanta eſſet, vt fratres in fide infirmos, vel vacillantes confirmare poſſet; ſic nunc de amore verba faciens, qui eſt tamquam principium omnis rectæ adminiſtrationis paſtoralis officij, cum ab eo ſingularem ſupra reliquos paſtores amorem requirat, vtrumque oſtendit, in animo conſtitutum apud ſe habuiſſe paſcendi officium Petro, non commune cum alijs, ſed ſingulare, & eximium ſupra alios committere; cuius rei, vel hoc etiam maximum argumentum eſt, quòd cum ſermo haberetur, vt dixi, præſentibus illis, qui in parte gregis paſcendi ſuam operam nauaturi eſſent, numquam ad illos, ſemper verò verba ad vnum Petrum direxit; quod ſanè non feciſſet, ſi nihil præter paſcendi munus cum alijs commune illi committere in animum induxiſſet; præſertim à Petro interrogatus, vt ſaltem de Ioanne quid ſtatuiſſet, declararet, ſed hæc infra diſſeram: ſequitur Euangeliſta. Contriſtatus eſt Petrus, quòd dixit ei tertio, amas me? Non fruſtrà, aut ſine maxima omninò cauſa contriſtatus eſt, quia dixit ei tertia vice Ieſus, amas me? Timuit nimirùm ne fortè non amaret Ieſum, quantum Ieſus ab illo ſe vellet amari. Timuit ne ſimile quid audiret ab illo, quod audierat, cùm ei dixiſſet. Quare non poſſum te ſequi modò? Animam meam pro te ponam. Reſponditque ei Ieſus, Animam tuam pro me pones? Amen amen dico tibi, non cantabit Gallus, donec ter me neges. Io.13. d. Iam didicerat, nihil ſibi confidere, & plus ſcientiæ Ieſu, quàm conſcientiæ ſuæ credere.

Certè non mentiebatur animo ſuo Petrus, cùm ad Ieſum diceret, Animam meam pro te ponam, qui ſe facturum eſſe ſibi perſuadebat, quod dicebat, & verè paratus erat in carcerem, & in mortem cum illo ire. Nec tamen fecit, quod ſe facturum dixerat, ſed quod dixit ei Ieſus, hoc fecit. Nunc quoque conſcius quidem ſibi erat ardentiſſimi in Ieſum amoris ſui, quem iam ſemèl, & iterùm

pro-

profeſſus erat, audiens tamen Ieſum tertiam vice interrogantem, an ſe amaret, contriſtatus eſt, non idcircò, quod Ieſus amorem ſuum non crederet, quem ſciebat falli non poſſe, ſed quod non tantum amorem in ſe ipſo Chriſtus eſſe intelligeret, quantum habere ſe crederet. Quare ſibi timens contriſtatus eſt, nec audaci (vt antea) animo, ſed tam humili voce, quàm mente reſpondit. Domine tu omnia noſti. Tu ſcis, quia amo te. Qui bis interrogatus hoc tantùm dixerat, quod verum ſe dicere putabat. Tu ſcis, quia amo te. Nunc ſapienter præmittit, Domine. Tu omnia noſti. Ego falli poſſum, qui amare me dico. Tu qui omnia noſti, ſcis, num verum ſit, quod dico. Certè tu ſcis, te à me amari; ego verò neſcio, an tantùm à me ameris, quantùm amari à me velis. Dicit ei Ieſus. Paſce oues meas. Interrogatio mea, Petre, non amoris in me tui dubitatio, ſed manifeſtatio eſt; vt nouerint omnes me tibi paſcendas oues meas non fuiſſe daturum, niſi me à te mirificè amari certò ſcirem. Noui namque neminem eas benè paſcere poſſe, qui me non vehementer amet. Rapere quidem poteſt eas mercenarius, & latro; paſcere verò non poteſt, niſi qui animam ſuam pro eis ponere paratus ſit.

Propterea, qui dixi tibi, paſce agnos meos; dico pariter, paſce oues meas. Iidem enim ſunt agni mei, quæ & oues meæ. Sicut quoque, & agnus ſum, & ouis. Agnus, qui verè Paſcha immolatus peccatum mundi tuli; ouis, quæ ad occiſionem ducta, non aperuit os ſuum. Amen amen dico tibi, cum eſſes iunior cingebas te, & ambulabas quo volebas; cùm autem ſenueris extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quo tu non vis. Quod facere non potuiſti, cum de te ipſo confidebas, vt animam tuam pro me poneres, hoc mea munitus gratia aliquando facturus es, & animam tuam pro me pones; ne viribus, ac meritis tuis tribuas, quod beneuolentiæ meæ debetur, & gratiæ. Cùm eſſes iunior, nec tibi cura paſtoralis incumberet, cingebas te, & ambulabas quo volebas, non enim tibi imminebat euangelizandi neceſſitas, ſed multa tibi agere licebat, quæ nunc agere paſtorem non licet.

Ne leue eſſe putes paſtoris officium, cum ſenueris, & paſtoris munia exercebis, alius te cinget, & ducet, quo tu non vis, non quo non velit ſpiritus promptus, ſed quo non velit infirma caro. Cùm ſenueris cinget te Nero, cingent te Romani Lictores, & ducent quo tu non vis; qui te extenſis manibus tuis Cruci affigent, quam vtique nolit, & abhorreat hominis natura. Ideo te interrogaui, num me diligeres; vt oſtenderes quanta oporteat eum, qui me diligat, & oues meas paſcat, pro me pati, & animam ſuam dare pro ouibus ſuis.

Quod cum à Ieſu obſcurius dictum fuiſſet, Euangeliſta manifeſtare voluit; qui verba Ieſu declarans ait. Hoc autem dixit, ſignificans qua morte clarificaturus eſſet Deum. Conſueuit nimirum Ioannes, quæ nonnunquam quaſi ænigmaticè à Ieſu dicebantur, dilucidè interpretari; ne pretioſus nos lateret verborum Ieſu theſaurus. Quis enim vnquam intelligeret de Spiritu ſancto dici, quod ſcriptum eſt. Qui credit in me flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ, niſi ipſe addidiſſet: Hoc autem dicebat de ſpiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Quippè quis vnquam audiuit de ventre viuentis hominis aquarum flumina emanare? Necnon & cum dixit: Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Quis intelligeret in ipſo Iudæorum templo concionantem, de corpore ſuo loqui? Nunc quoque cingendum Petrum, & extenſis manibus ducendum quò nolit audiens, quis exiſtimet de morte illius, & de crucis morte ſermonem haberi? Hoc tamen ſic interpretatur Euangeliſta. Hoc autem dixit (inquiens) ſignificans, qua morte clarificaturus eſſet Deum. Quibus verbis non ſolùm mortem, ſed & mortis genus, crucem ſcilicet, ſignificatum oſtendit, quam manuum extenſione demonſtrat; quod ſequentia Ieſu verba manifeſtant. Nam cum hoc dixiſſet, dicit ei, nimirùm Petro: Sequere me. Quod certè non de inceſſu corporis, ſed de imitatione, & ſimilitudine mortis dixit, per ſupplicium crucis. Sequere, inquit, me. Hodie vnxi te Regem ſuper Iſrael. Hodie conſtitui te principem populi mei. Hodie te maiorem cunctis regibus terræ, & magnis Cæſaribus feci. Hodie terrarum imperium, atque ipſorum ſceptra Cœlorum tradidi tibi. Nunc laudatam, quam agas tibi vitam, præſcribo; nunc honeſtos te mores omnes edoceo; nunc cunctarum virtutum culmen, quod amplexari te volo, vnico verbo impero: Sequere me.

Trium igitur Euangeliſtarum teſtimonijs, & quidem apertiſſimis, primatum Petri in Eccleſia inſtitutum fuiſſe à Chriſto vidimus; in quo conſtituendo, maximè animaduertendus ipſe Chriſti ordo videtur; qui primum Simonis nomen in Cephæ mutandum pollicetur; deindè cum Simon, eum Chriſti Dei viuentis filium eſſe, dixit, Petri quidem nomen ei indidit, ſuper eum Eccleſiam ſuam ſe ædificaturum exponit; pro eius ſe fide rogaſſe dicit, & eum, vt fratres ſuos confirmaret, hortatus eſt: & longè maiora promittens, claues Regni Cœlorum, cum ſumma ligandi, & ſoluendi poteſtate ſe ei daturum pollicetur. Ea omnia à mortuis excitatus, trina illa repetitione, Paſce agnos, & oues meas, Petro tribuit, cum multa de eius ardenti amore, fide, & integritate documenta accepiſſet; atque ità ampliſſimum hoc munus, ſiue ſummam poteſtatem, perfectè, cumulatèque in Eccleſia ſua conſtituit. Petro verò ſoli, non omnibus Apoſtolis dictum fuiſſe, Paſce oues meas, ex priori interrogatione manifeſtè patet, Diligis me plus his? quæ ad omnes referri non poteſt, ſicut & illa verba, Tu es Petrus, quemadmodum ſupra expoſui. Paſcere verò idem eſt, quod regere; reges enim paſtores in ſacris literis appellantur. Paſcere autem, vel regere tribus potiſſimum in rebus conſtare, ſancti Patres docent, quæ ſunt hæc; Euangelij prædicatio, Sacramentorum exhibitio, improborum hominum excommunicatio. Alij alia tria, paſcendi genera conſtituunt; exemplo, verbo, & opere.

Prælatus enim, & vitæ integritate, & ſana doctrina gregis ſui animas, eleemoſynis verò corpora paſcere debet. Summi igitur in Ec-

Eccleſia Dei Sacerdotis eiuſmodi munus eſt. Is enim ante omnia curare debet, vt oues ſibi creditæ, piè, integrè, & ſine querela vitam traducant, vt Dei verbum ſincerè prædicetur, vt peruerſa hæreticorum dogmata diſſipentur, vt controuerſiæ de fide exortæ, congregato Chriſtianorum Sacerdotum concilio diſcutiantur, & ſedentur; vt Sacramenta ritè ab inferiorum ordinum miniſtris tradantur, gregibuſque Epiſcopi & paſtores ij præficiantur, qui exemplo, verbo, & miſericordia populos ſuæ fidei creditos regere, & paſcere ſciant. Improbos poſtremo homines Eccleſiæ monita contemnentes, excommunicare, & (vt docet Apoſtolus) corpus eorum Sathanæ tradere, vt ſpiritus ſaluus fiat: eoſdem verò reſipiſcentes, ſalutari adhibita pœnitentia, Eccleſiæ vnitati reſtituere, & Eccleſiaſticas pœnas, in quas peccando inciderant, condonare.

Hæc omnia præclarè explicat ex ſanctis Patribus Beda inter homilias æſtiuales de Sanctis, homilia in vigilijs Apoſtolorum Petri, & Pauli; vbi docet, multiplex eſſe paſcendi genus. Quamuis, inquit, ſolertius intuendum, quòd eadem paſtio gregis Dominici non vniformi, ſed multimoda eſt ſollicitudine gerenda. Nam & terrena ſubſidia neceſſè eſt, vt ſubditis rector ne deſint diligenter prauideat, & exempla virtutis ſimul cum verbo prædicationis eiſdem ſollicitus impendat: & ſi quos, aut ſpiritalibus, aut etiam communibus eorum commodis aduerſantes deprehenderit, horum violentiæ (quantum valet) obſiſtat: ipſos quoque, cum fortè errauerint, ſubiectos (iuxta Pſalmiſtæ vocem) corripiat iuſtus in miſericordia increpet, neque oleo noxiæ conſenſionis eorum corda demulceat. Et hoc enim ad pij paſtoris officium pertinet.

Et infra. Commiſſione ouium Petro facta, ſi diligis me, paſce oues meas, meas, inquit, non tuas; meas tibi oues commendatas ſcito, & has quaſi meas regere, ſi me perfectè amas, recole.

Et infra, poſtquam paſcendas ſuas oues Petro, hoc eſt, plebes docendas, gubernandaſque commiſit, ſubſequenter addit. His igitur agendis Summi Sacerdotis in Eccleſia munus eſt, in quibus rectè tractandis tantam à Chriſto poteſtatem Petrus accepit, quantam is cognouit Eccleſiæ ſuæ opus eſſe, & ea quidem eſt, qua nulla maior excogitari poteſt; dum tamen ea rectè Pontifices vtantur; ſcilicet ad ædificandam, non ad deſtruendam Eccleſiam. Petro autem iure, & merito eam poteſtatem præ cæteris tradidit, quia ipſum Petrus præ omnibus amauit Apoſtolis; cuius amoris radices altiores in Petro fuiſſe, quam in alijs, multa teſtantur; conſtans eius animus, cum omnia pro eo relinquere, & paratum ſe eſſe pro Chriſto mori palam conteſtaretur, cum diſtricto gladio Chriſtum defendere ſolus eſt auſus, poſtquam in horto à miniſtris Sacerdotum eum captum vidit; officia, quæ Ieſu mortuo exhibuit, ad ſepulturam cum Ioanne profectus. Eius verò
Matth. 17. a primariæ poteſtatis, præter trium ſupra citata Euangeliſtarum teſtimonia, magna argumenta extant. Quod cum Ieſus inter tres, vnum eſſe voluit, admirabilis transfigurationis ſuæ teſtes, cùm, cunctarum gentium magiſterium Moſe, & Elia cum eo loquentibus, à patre voce cœlitus delapſa ſuſcepit, & eum in horto potiſſimum cum iiſdem duobus à cæteris ſecreuit, ſuarum paſſionum teſtem; ipſum vnum præ omnibus tributum pendere apud Capharnaum iubens, ſibi æquauit; cum ſolum ſuper aquas maris ambulare expetentem ad ſe acciuit: & cum alijs diſcipulis, vt laxarent retia imperauit, ſoli Petro dixit, duc in altum. Vnus ſemper ab Euangeliſtis primus recitatur, cum in alijs Apoſtolorum nominibus alioqui varient. Facta reſurrectione, Angeli mulieribus, ex Dei mandato, præcipiunt, vt Petro hoc Euangelium, vel in primis annuntiarent; Ieſum, ſcilicet reſurrexiſſe; quemadmodum antea prædixerat. Ipſe vnus pro omnibus ſæpè reſpondit, & ſoli à Chriſto dictum eſt: Simon dormis? ipſum poſtremo Dominus paulò ante paſſionem, iuxta prædictionem ſuam, ſe ter negantem, & benignè reſpexit, & cum amarè fleuiſſet, ignouit, vt Eccleſiæ caput, magiſter, & Paſtor futurus, fratrum quoque erratis, magiſtri ſui exemplo diſceret ignoſcere. Multa demum ex ſacris literis afferri poſſent de eadem re teſtimonia, quæ in hęc 17. loca ſequenti capite connumerata contraxi: quibus tamen poſtea rite ex Sanctorum Patrum ſententia explicatis, vniuerſam hanc quæſtionem tandem abſoluemus.

CAP. III.

Primatum in perſona beati Petri Apoſtoli inſtitutum fuiſſe probatur 17. Euangeliſtarum teſtimonijs.

PRimò. Inuenit Andreas primum fratrem ſuum Simonem, & dixit ei. Inuenimus Meſſiam, quòd eſt interpretatum Chriſtus. Et adduxit eum ad Ieſum. Intuitus autem eum Ieſus, dixit. Tu es Simon filius Ionæ: tu vocaberis Cephas, quòd interpretatur Petrus. Ioan. 1. f

Secundò. Reſpondens Petrus dixit. Tu es Chriſtus filius Dei viui. Matth. 16. e

Reſpondens autem Ieſus dixit ei. Beatus es Simon Bariona, quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater meus, qui in Cœlis eſt. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Et tibi dabo claues Regni Cœlorum; & quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in Cœlis: & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in Cœlis. Matth. cap. 16.

Hic animaduerſione dignum eſt, vt ſupra oſtendimus, Simoni mutato nomen, eumque Petrum appellatum. At verò nominis mutatio in ſacris literis, altioris cuiuſdam myſterij ſignum fuit; quòd Tertullianus annotauit; vt in Abraham, Sara, Iſrael, Ioſue; ità vt rectè exiſtimandum ſit, Chriſtum non ſine magno myſterio Simoni nomen nouum indidiſſe. Tribus ſiquidem Apoſtolis, qui

præ

præ cęteris apud Chriſtum Principem locum obtinebant Simoni, Iacobo, Ioanni, ſolis Chriſtus nomen addidit; Simoni ſcilicet, vt Petrus, illis verò, vt Boanerges, ideſt filij tonitrui vocarentur. Quod cap. 3. tradit Marcus.

His verò tribus Chriſtus familiarius vſus eſt; quos ſæpè ſolos ſecum comites aſſumpſit mirabilium ſuorum teſtes; hi ſoli eius transfigurationi in monte, Iairi filiæ ſuſcitationi, & in horto, dum paulò ante mortem prolixiùs orauit, interfuerunt: & ideò peculiare ijs nomen impoſuit. Simon verò, quò eius ſingularis prærogatiua magis pateret; non ab alio, quàm à ſe ipſo deriuatum habuit; Chriſtus enim, vt docet Paulus, Petra fuit, nomen ſuum Petro communicauit; vt hac nominis deriuatione Chriſtus nobis oſtēderet, ſe Petro ſuas vices, & poteſtatem aliquando commiſſurum.

Tertiò. Ab Euangeliſtis Mattheo 10. Marco 3. & Luca 6. qui nomina Apoſtolorum enumerant, ſemper primo loco recenſetur Petrus, etſi vocatione primus non fuerit (nam primus omnium Andreas vocatus eſt) & ſępè nominatim præ alijs commemoratur. Qua ratione exiſtimandum non eſt Euangeliſtas ſuo arbitrio quemquam, qui vocatione poſterior fuerat, enumeraſſe primum; niſi certò ſciſſent, eundem à Chriſto fuiſſe cæteris prælatum.

Lucæ 22. Quartò. Facta eſt autem contentio inter eos, quis eorum videretur eſſe maior, quos cùm Ieſu obiurgaſſet, & exemplo ſui docuiſſet, quem in modum is ſe geſturus eſſet, qui maior inter eos eſſet futurus; contentionem illam penitùs tollere volens, conuerſus ad Petrum ait. Simon, ecce Sathanas expetiuit vos, vt cribraretur ſicut triticum. Ego autem pro te rogaui, vt non deficiat fides tua; & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. An non his verbis clariſſimè Chriſtus Petro maiorem præ cæteris tribuit poteſtatem?

Matth. 17. d Quintò. Et cum veniſſet Capharnaum, acceſſerunt qui didrachma accipiebant ad Petrum, dixerunt ei; Magiſter veſter non ſoluit didrachma? ait: etiam. Et cùm intraſſet in domum præuenit eum Ieſus, dicens. Quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum, vel cenſum? à filijs ſuis, an ab alienis? & ille dixit: Ab alienis; dixit illi Ieſus; ergo liberi ſunt filij. Vt autem non ſcandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle, & aperto ore eius inueniens ſtaterem, illum ſumens da eis pro me, & te.

Luc. 5. a Sextò. Aſcendens autem Ieſus in vnam nauim, quæ erat Simonis, rogauit eum à terra reducere puſillum, & ſedens docebat de nauicula turbas; vt ceſſauit autem loqui, dixit ad Simonem, duc in altum, & laxate retia veſtra in capturam.

Matth. 18. c Septimò. Tunc accedens Petrus ad eum dixit. Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei, vſque ſepties? Dixit illi Ieſus. Non dico tibi vſque ſepties, ſed vſque ſeptuagies ſepties.

Matt. 19. d Mar. 10. d Octauò. Tunc reſpondens Petrus dixit ei. Ecce nos relinquimus omnia, & ſequuti ſumus te; quid ergo erit nobis? Ieſus autem dixit illis. Amen dico vobis, quòd vos, qui ſecuti eſtis me, in regeneratione, cùm ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael. Vbi notandum ſolùm Petrum, vt caput & Principem reliquorum Apoſtolorum pro omnibus ſollicitum, auſum eſſe à Chriſto petere, qua mercede ipſum ſequuturi eſſent.

Nonò. Ex hoc multi diſcipulorum eius abierunt retro, & iam non cum illo ambulabant, dixit ergo Ieſus ad duodecim. Nunquid & vos vultis abire? Reſpondit ergo ei Simon Petrus. Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes, & nos credimus, & cognouimus, quia tu es Chriſtus filius Dei. Et hìc vides Petri auctoritatem, qui omnium nomine, tamquam caput, audacter reſpondet. Ioann. 6. g

Decimò. Venit ergo ad Simonem Petrum. Ioann. 13. a Et dicit ei Petrus: Domine, tu mihi lauas pedes? Reſpondit Ieſus, & dixit ei. Quòd ego facio, tu neſcis modò, ſcies autem poſteà. Vbi primum conſiderandus ordo eſt, cum à Petro initium, tamquam à capite, & maiore fecerit, deindè verba ſingulariter Petro dicta expendenda ſunt, tamquam vni Paſtori, qui Chriſti ipſius exemplo cæteris præfuturus, humilitatem eius imitaretur.

Vndecimò. Et venit, & inuenit eos dormientes, & ait Petro. Simon dormis? non potuiſti vna hora vigilare mecum? vigilate & orate, vt non intretis in tentationem. Mar. 14. Matth. 26.

Duodecimò. Videntes autem hi, qui circà ipſum erant, quòd futurum erat, dixerunt ei. Domine ſi percutimus in gladio? & percuſſit vnus ex illis, is autem fuit Petrus, ſeruus Principis Sacerdotum: & amputauit auriculam eius dexteram. Reſpondens autem Ieſus, ait. Sinite vſque huc. Et cùm tetigiſſet auriculam eius ſanauit eum. Luc. 22. e Matth. 26. e Mar. 14 e Ioann. 18. b

Decimotertiò. Et introeuntes mulieres Mar. 16. b in monumentum, viderunt iuuenem ſedentem in dextris, coopertum ſtola candida: & obſtupuerunt. Qui dixit illis, nolite expaueſcere: Ieſum quęritis Nazarenum crucifixum: ſurrexit, non eſt hìc: ecce locus vbi poſuerunt eum. Sed ite, dicite Diſcipulis ſuis, & Petro, quia præcedet vos in Galileam: ibi eum videbitis, ſicut dixit vobis. Magnum certè etiam hoc excellentiæ Petri indicium fuit, quòd eum vnum Angelus ſpeciatim nominauit.

Decimoquartò. Vna autem Sabbathi, Ioann. 20. a Maria Magdalena venit manè, cùm adhùc tenebræ eſſent, ad monumentum: & vidit lapidem ſublatum à monumento. Currit ergo, & venit ad Simonem Petrum, & ad alium Diſcipulum, quem amabat Ieſus: & dicit illis. Tulerunt Dominum meum de monumento, & neſcimus vbi poſuerunt eum. Exijt ergo Petrus, & ille alius Diſcipulus, & venerunt ad monumentum. Currebant autem duo ſimul, & ille alius Diſcipulus præcucurrit citius Petro, & venit primus ad monumentum. Et cùm ſe inclinaſſet, vidit poſita linteamina: non tamen introiuit. Venit ergo Simon Petrus ſequens eum, & introiuit in monumētum, & vidit linteamina poſita, & ſudarium. Tunc ergo introiuit, & ille Diſcipulus, qui venerat primus ad monumentum, & vidit.

Hoc verò haud exiguum eſt indicium præſtantiæ Petri, ſcilicet, quod primus in mo-

monumentum Chriſti intrauerit, qui primus Chriſti vice, ideſt auctoritate. & poteſtate in Eccleſia eſſet functurus; potuerat enim Ioannes prior ingredi.quippèqui curſu preuenerat Petrum. ſed id muneris omnium maiori Petro permiſit,

Ioann. 21. a Decimoquintò. Erant ſimul Simon Petrus, & Thomas, qui dicitur Didymus, & Nathanael, qui erat à Cana Galileæ, & filij Zebedęi, & alij ex Diſcipulis eius duo, Dicit eis Simon Petrus, Vado piſcari. Dicunt ei, Venimus & nos tecum. Et exierunt, &c. Vbi manifeſtè apparet, Apoſtolos reliquos eum vnum caput omnium, & ducem agnouiſſe, & ſecutos illicò eſſe.

Ioann. 21. c Decimoſextò. Simon Petrus cùm audiſſet quia Dominus eſt:tunica ſuccinxit ſe, erat enim nudus, & miſit ſe in mare. Alij autem Diſcipuli nauigio venerunt (non enim longè erat à terra, ſed quaſi cubitis ducentis) trahentes rete piſcium.

Ioann. 21. c Decimoſeptimò. Cùm ergo prandiſſent, dixit Simoni Petro Ieſus, Simon Ioannis, diligis me plus his? dicit ei, etiam Domine:tu ſcis quia amo te. Dicit ei, paſce agnos meos. Dicit ei iterùm, Simon Ioannis diligis me? Ait illi, etiam Domine, tu ſcis quia amo te, Dicit ei, paſce agnos meos. Dicit ei tertiò, Simon Ioannis, amas me? Contriſtatus eſt Petrus, quia dixit ei tertiò, amas me? & dixit ei, Domine, tu omnia noſti: tu ſcis quia amo te. Dicit ei, paſce oues meas. Amen dico tibi, cum eſſes iunior, cingebas te, & ambulabas vbi volebas: cùm autem ſenueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu non vis. Hoc autem dixit, ſignificans qua morte clarificaturus eſſet Deum; & cum hoc dixiſſet, dicit ei; ſequere me, &c.

Chriſtum certè ſequuti ſunt in morte omnes Apoſtoli; ſed Petrus propriori mortis ſimilitudine, nimirùm vt ſimili quodam præ cæteris eum imitaretur mortis genere, cuius in Eccleſia vices præ cæteris erat adminiſtraturus.

Quiſquis igitur 17. hæc Euangelij loca accuratè contemplabitur, haud dubiè rem ità eſſe intra ſe ipſum fateri cogetur:Chriſtum ſcilicet voluiſſe, Petrum maiori præ cęteris poteſtate ornare; ideòque illi vni totius Eccleſiæ ſuæ curam, & regimen tradidiſſe.

His porrò auctoritatibus ſanctorum Patrum ſententijs explanatis, manifeſtè oſtendam, ſummam paſcendi poteſtatem ipſum Petrum ſolùm àChriſto conſecutum eſſe;alios verò Petri interuentu. Non quòd à Petro alij Apoſtoli conſtituti fuerint, ſi quidem eos Chriſtus ipſe conſtituerat: ſed quia ipſe pręcipuè vt omnium paſtor, alij verò vt dignitate proximi eam obtinuerint.

Quamquam enim omnes à Chriſto ſimul Sacerdotes, & Epiſcopi facti fuerint,vt Diuus Auguſtinus in libris quęſtionum ex nouo Teſtamento, capite vltimo, auctor eſt, cùm ſcripſit. Nàm nemo ignorat Saluatorem Epiſcopos Eccleſijs inſtituiſſe; ipſe enim, priùſquam in Cœlos aſcenderet, imponens manum Apoſtolis, ordinauit eos Epiſcopos, Petrus tamen iuriſdictione omnium Princeps, & Paſtor fuit, quod certiſſimis iam teſtimonijs oſtendam.

CAP. IV.

De clauibus Eccleſiaſticis ſancto Petro à Chriſto traditis.

PEtri Primatus duplici potiſſimùm clauium vſu, & paſcendi iure conſtat. De paſcendi iure ſupra ſatis abundè diſſerui;hoc loco de clauibus breuiſſime dicam, quas à Chriſto Petro traditas fuiſſe Euangeliſtæ docent,

Duas igitur claues eſſe ſancti Patres affirmant, ſcientiæ vnam, poteſtatis alteram; vel vt alij, ordinis, & iuriſdictionis. Clauem ſcientiæ Dominus profitetur, cùm illius abuſum Scribis,& Phariſęis exprobrat dicens. Luc. 11. g Væ vobis legis peritis, qui tuliſtis clauem ſcientiæ: ipſi non introiſtis, & eos qui introibant prohibuiſtis. Math. 23. a

De claue verò poteſtatis, Super Cathedram Moyſis, inquit, ſederunt Scribæ,& Phariſęi. Omnia ergo quęcunque dixerint vobis, ſeruate, & facite: opera verò eorum nolite facere.

De claue ſcientiæ, quæ peccata ſoluit Chryſoſtomus libro tertio de Sacerdotio mentionem ſic facit. Nàm ſi quis conſideret quantum id ſit myſterium, vt is ſcilicet qui homo ipſe ſit carne, ac ſanguine etiamnum conſtans,ijſque inuolutus,beatę atque immortali naturæ illi fieri propior queat: tùm probè intelliget quanto Sacerdotes honore, quanta dignitate Spiritus ſancti gratia dignata fuerit exornare.

Et infrà. Etenim qui terram incolunt, atque in ea verſantur, ijs datum eſt, vt ea quæ in Cœlis ſunt, diſpenſent, ijs datum eſt, vt poteſtatem habeant. quam Deus optimus, neque Angelis, neque Archangelis datam eſſe, voluit: neque enim ad illos dictum eſt: quæcunque alligaueritis in terra, erunt alligata & in Cœlo. Habent quidem, & terreſtres Matth. 16. & 18. Principes vinculi poteſtatem, verùm corporum ſolùm; id autem quòd dico Sacerdotum vinculum, ipſam etiam animam contingit, atque ad Cœlos vſque peruadit: vſqueadeò vt quęcunque infernè Sacerdotes confecerint, illa eadem Deus ſupernè rata habeat, ac ſeruorum ſententiam Dominus confirmet.

Etenim quidnam hoc aliud eſſe dicas, niſi omnem rerum Cœleſtium poteſtatem illis à Deo conceſſam? Quorumcunque enim, aic, peccata remiſeritis, remittuntur eis, & quorumcunque retinueritis, retenta ſunt.

Cedò quęnam poteſtas hac noſtra maior eſſe queat? Pater omne iudicium dedit filio, & video à filio totum Sacerdotibus eſſe commiſſum.

Et paulò poſt: Rex aliquis ſi cui ex ſubditis ſuis honorem hunc detulerit, vt poteſtatem habeat quoſcunque velit in carcerem conijciendi, eoſdemque rursùs laxandi, beatus ille, & admirandus omnium iudicio fuerit. At verò, qui à Deo tantò maiorem accepit poteſtatem, quantò Cœlum terra pretioſiùs eſt, quantò etiam animæ corporibus pręſtant; non is contemnendum miniſterium accepiſſe putandus eſt.

Cer-

Certè inſania manifeſta eſt tanrum deſpicere priucipatum, ſine quo neque ſalutis, oeque prooiſſorum bonorum compores fieri poſſumus: nàm pręter Baptiſmum, & ſacroſanctam Euchariſtiam, quæ manibus Sacerdotis perficinnrur, condonandorum etiam peccarorum ſaculratem habent.

Idem Chryſoſtomus in illud Matthęi 16. Tibi dabo claues Regni Cœlorum, ait. Quare ab Ijs libenter quęrerem, qui digoitatem filij oiinorem, quàm Patris dicunt; quęnam ſibi maiora dona videantur, quæ pater, aut quæ filius Petro largitus eſt? Pater quidem reuelationem ei filij ſui dedit, filius autem partim, vt tàm patris, quàm filij ſui reuelationrm vbique rerrarum poſſet ſeminare, partim, vr quamuis homo eſſet mortalis, Cœleſti ramen poteſtate polleret, & claues haberet Regni Cœlornm: ità Petrus Eccleſiam per vniuerſum Orbem amplificatam, Cœlo etiam ipſo validiorem monſtrauit. Tranſibunr enim, inquir, Cœlum, & terram: verba autem mea non traoſibunr.

C A P. V.

Cui potiſſimùm claues Eccleſiæ traditæ fuerint, & de differentia poteſtatis ſancto Petro, & cæteris Apoſtolis, vel Eccleſiæ datæ.

ECcleſiæ claues, ideſt ordinis, & iutiſdictionis, ſiue etiam ſcientiæ, & poteſtatis, Petro præcipuè, & pet eum Eccleſiæ datas fuiſſe, ſanctorum Patrum reſtimonijs facile probari poteſt. Quanquam enim cunctis Apoſtolis in communi ligandi, & ſoluendi facultas data ſir; rameo vr in hac poteſtate ordo aliquis ſignificaretur, oſtenderetuque poreſtarem clauium per Petrum ad alios transferendam, vr Eccleſiæ vnitas conſeruari poſſet: primùm ſoli Petro conceſſa eit, deindè cæteris per eum.

In quam ſententiam verba D. Auguſtini omninò intelligenda eſſe opinor: qui ſuper Ioannem ſcribens tract. 50. Quæcunque, inquir, ligaueris in terra, erunt ligata, & in Cœlo: ſi hoc Petro tantùoi dictum eſt, non facit hoc Eccleſia, ſi aurem in Eccleſia fit, vt quæ in rerra ligantur, in Cœlo ligentur; & quæ ſoluuotur in rerra, ſolnantur in Cœlo: qnia, cum excommunicat Eccleſia, in Cœlo ligatur excommunicatus, cum reconciliatur ab Eccleſia in Cœlo ſoluitur reconciliatus. Si hoc ergo in Eccleſia fit, Petrus, quando claues accepit, Eccleſiam ſanctam ſignificauit.

Itrm in Pſalmum 108. Initio enarrationis. Sicut enim, inquit, quædam dicuntur, quæ ad Apoſtolum Petrum propriè videntur pertinere, nec tamen habenr illuſtrem intellectum, niſi cum referuntur ad Eccleſiam: cuius ille agnoſcitur in figura geſtaſſe perſonam, propter Primatum, quem Diſcipulis habuit: ſicur eſt, tibi dabo claues Regni Cęlorum, & ſi qua huiuſmodi, &c. Illuſtris enim intellectus eſt, Petrum accepiſſe claues: illuſtrior Eccleſiam per eum ſignificatam, eaſdem obtinuiſſe; cum datæ ſuerint Petro propter Eccleſiam, potiſſimum tamen, & primùm Petro, & Eccleſiæ per Petrum, & in Petro, vt in Principe.

Idem eſt, quòd Auguſtinus ipſe de agone Chriſtiano cap. 30. dixit. Non ſine cauſa inter omnes Apoſtolos Catholicæ Eccleſiæ perſonam ſuſtinet Petrus. Huic enim Eccleſiæ claues Regni Cœlorum datæ ſunt, cùm Petro datæ ſunt.

Idem in quæſtionibus ex nouo Teſtamento, quæſt. 75. ioquens de ſolutinne didrachmæ, ſic ait, Saluator cum pro ſe, & Petro dari iuber, pro omoibus exoluiſſe videtur; quia ſicut in Saluatore erant omnes cauſæ magiſterij, ità & poſt Saluatorem in Petro omnes contioentur: ipſum enim conſtituit eſſe caput eorum, vt Paſtor eſſet gregis Dominici.

Et paulò poſt, illum locum adferens, ego rogaui pro te, & ait. Manifeſtum eſt io Petro omnes contineri: rogaus enim pro Petro, pro omnibus rogaſſe dignoſcitur: ſemper enim in præpoſito, populus, aut corripitur, aut laudatur, &c. Hæc ille.

Cauſa ergo à D. Auguſtioo reddita, cur Petrus figuram geſſerit Eccleſiæ, ſeu Eccleſiæ perſonam, & cur in ipſo, & per ipſum Eccleſiæ ſint datæ claues, hæc eſt; quia primatum obtinebat inter diſcipulos, quia caput, quia Prioceps. Ex quibus teſtimonijs manifeſtiſſime reuincuntur Hæretici.

Quæ cùm ità ſint, illud rectè intelligendum eſſe exiſtimo, quod quamquam Petrus Eccleſiæ perſonam ſuſtineat, & eam repreſentans, illius figura eſſe videatur; illud ramen non ſolùm uon conſequitur, vr non pro ſe, aut in ſe, ſed rantùm pro Eccleſia ſuſceperit claues: ſed contra potiùs ex D. Auguſtini ſententia; quod primùm ipſe in ſe, vtporè primatu, & capite illas acceperit: & deindè per ipſum Eccleſia; vt res figurato, non figuræ tribuatur.

Illa enim verba, tibi dabo claues, primùm ſunt ad ipſum Petrum referenda, quia ipſi ſoli facta eſt promiſſio clauium; cum etiam ipſi ſoli reuelatum ſir, Chriſtum eſſe filium Dei viui: atque ideò ipſi ſoli quoque dictum fuerit, Beatus es Simon, non autem alijs, beati eſtis. Ad hæc alius ſenius admittendus eſt: promiſſas ſcilicet Eccleſiæ claues in perſona Petri: quamquam enim omnes interrogati fuerint, quem vos me eſſe dicitis: Petruſque pro omnibus reſpoonderit, non tamen omnibus ex æquo Chriſtus reſpondit, vobis dabo claues, ſed ſoli Petro, tibi dabo, poſteà alijs per Petrum. Nec his repugnant, quæ dixit ipſe Auguſtinus in ſermone de Apoſtolis.

Has claues non homo vnus, ſed vnitas accepit: quoniam intelligendum non eſt hominem vnum claues ità accepiſſe, vt nemo alius prærer ipſum acceperit: vel de ſole dicitur, quod oon ſolus luceat, quia lucem ſuam alijs communicat; tamen ſolus dicitur eſſe, & ſolis nomen obtiouit, qnia ſolus propria virtute lucet, ſic Petrus ſolus accepit claues, quia principali ratione, & ſine alicuius interuentu: alij verò per ipſum, à quo in alios poteſtas clauium deriuata eſt. Quem ſenſum

Ge-

Gelaſius, & Leo Pontifices confirmant: ille enim in communi vnitate ad Fauſtum, &c. ait. Et qui tantum faciendi, ſolus habuit poteſtatem, beato Petro Apoſtolo principaliter mandauit.

Hic verò videlicet ſanctus Leo ſic ſcribit epiſtola 89. ad Epiſcopos Vieunenſis prouinciæ. Ità Dominus huius muneri Sacramentum ad omnium Apoſtolorum officium pertinere voluit, vt in beatiſſimo Petro Apoſtolorum omnium ſummo principaliter collocaret; vt ab ipſo quaſi quodam capite dona ſua, velut in corpus omne diffunderet: & exortem ſe myſterij intelligeret eſſe diuini, qui auſus fuiſſet, à Petri ſoliditate recedere, &c.

Et ſermone 3. in anniuerſario die aſſumptionis ſuæ & tamen de toto mundo vnus Petrus eligitur, qui & vniuerſarum gentium vocationi, & omnibus Apoſtolis, cunctiſque Eccleſiæ Patribus præponatur: vt quamuis in populo Dei multi ſacerdotes ſint, multique paſtores, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit, & Chriſtus. Magnum & mirabile dilectiſſimi huic viro conſortium potentiæ ſuæ tribuit diuina dignatio, & ſi quid cum eo commune cæteris voluit eſſe principibus, numquam niſi per ipſum dedit, quicquid alijs non negauit, &c.

Et paulò infrà. Tranſijt quidem in alios Apoſtolos ius poteſtatis iſtius, & ad omnes Eccleſiæ Principes decreti huius conſtitutio commeauit: ſed non fruſtra vni commendatur, quòd omnibus intimatur. Petro enim ideò hoc ſingulariter creditur, quia cunctis Eccleſiæ rectoribus Petri forma præponitur. Manet ergo Petri priuilegium, vbicumque ex ipſius fertur æquitate iudicium. Beda in homilia de feſto Apoſtolorum ſuper illud Matthæi 16. Quodcumque ligaueris, &c. Qui regem Cœlorum maiori præ cæteris deuotione confeſſus eſt, meritò præ cæteris ipſe collatis clauibus regni cœleſtis donatus eſt.

Sed non fruſtra vni conceditur, quod omnibus intimatur, Petro enim ſingulariter creditur, quia cunctis Eccleſiæ rectoribus Petri forma præponitur, vt ſcripſit Leo. Illud adde, quod etſi omnibus Apoſtolis dictum ſit, quodcumque ligaueritis ſuper terram, &c.

Nulli tamen ſine ipſo, ſed ipſi ſine alijs tributa eſſe intelligitur ligandi, & ſoluendi à Deo facultas, vt quod non alij ſine ipſo, ipſe ſine alijs poſſet ex priuilegio ſibi à Domino collato. Cùm autem eiuſmodi claues præcipuè à Chriſto beato Petro conceſſæ à ſanctis Patribus Eccleſiæ claues vocentur, hoc ſenſu illud intelligendum eſt, quòd datæ ſint à Chriſto Petro, & ſucceſſoribus Eccleſiæ commodo, quemadmodum Sacramenta, dicuntur Eccleſiæ Sacramenta, quòd ad eius vtilitatem ſint inſtituta, & ſi eorum collatio, nec ſingulis, nec vniuerſis, ſed miniſtris Eccleſiæ tributa ſit. Petro autem præcipuè claues datas fuiſſe, deindè per eum Eccleſiæ, præter loca ſupra citata, & quæ infrà addam, facilè quoque intelligi poterit ex eius, & cæterorum Apoſtolorum poteſtatis, & prærogatiuæ collatione.

Nam quamquam multi, vt Natanael, & qui cum eo in nauicula aliquando erant, & alij, ipſum eſſe filium Dei confeſſi ſunt; ipſe tamen ſolus eſſe filium Dei viuentis, ideſt natura, non adoptione, teſtificatus eſt. Vnde ob egregiam illam confeſſionis gloriam audire meruit, Beatus es Simon Bariona, &c. quod alijs dictum non eſt, Petro etiam ſoli dixit Chriſtus, Rogaui pro te Petre vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. Vbi reliquos Apoſtolos illius curæ commendaſſe manifeſtè liquet, & quamuis Dominus poſt reſurrectionem omnibus Apoſtolis dixerit: Quorum remiſeritis peccata, &c. non propterea æquam cum Petro iiſdem tributam poteſtatem cenſendū eſt: quoniam cum ſoli Petro, & non vlli alij Apoſtolorum dictum ſit, paſce oues meas; ſoli Petro vt omnium paſtori data eſt auctoritas alios regendi, alijs verò Apoſtolis, vt ouibus de ouili expreſſa parendi neceſſitas: qui etſi ſacerdotes omnes, & Epiſcopi iam eſſent, poſſentque ex Apoſtolatus officio vbique locorum verbum Dei prædicare, Epiſcopos alios inſtituere; Eccleſias fundare, & Dominicum gregem paſcere; mandante eis Domino, vt docerent omnes gentes, nemo tamen eorum præter Petrum in alterum vlla vlla fungebatur poteſtate, neque nominatim à Chriſto paſtor eſt conſtitutus, vt paulò poſt exemplis ex hiſtoria repetitis confirmabo.

Pares itàque erant omnes ſacerdotio, ordine, Apoſtolatus officio; impares verò dignitate, iuriſdictione, & adminiſtratione, quarum rerum ratione Petrus ipſis omnibus à Chriſto prælatus eſt. Ex qua re facilè Cypriani locus explicari poteſt. Hoc erant vtique, & cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio præditi, & honoris, & poteſtatis, vt ex ſupra citatis eiuſdem ſancti teſtimonijs capit. 1. & ijs quæ infrà ſubijciam conſtat. Item quæ dixit Hieronymus ſuper ea verba, Quodcumque ligaueris, &c. Beda in homilia in feſto Apoſtolorum Petri, & Pauli, habet ſimilem ſententiam, non iiſdem verbis, ſed gloſſ. ord. in Matth. cap. 16. habet omnia verba, quæ S. Thom. in catena aurea, & in 4. ſent. d. 19. Rabano tribuit, extat huius ſententiæ pars 24. qu. 1. cap. Quicumque. Habent quidem eandem poteſtatem iudiciariam alij Apoſtoli, quibus poſt reſurrectionem Dominus dixit. Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, &c. Habet Eccleſia in Epiſcopis, Presbyteris, & Clericis, ſed ideò Petrus ſpecialiter accepit, vt omnes intelligant; quod quicumque ab vnitate fidei, & ſocietate eius ſe ſeparauerit; nec à peccatis ſolui, nec Cœlum ingredi poteſt. Hæc enim verba interpretanda ſunt de poteſtate iudiciaria ligandi in foro pœnitentiæ, & conſcientiæ, & de iudicio diſcernendi inter lepram, & lepram, quæ poteſtas potiùs eſt ordinis, quam iuriſdictionis in foro exteriori. Hoc illa verba exponunt, quæ poſt reſurrectionem Dominus ad omnes Apoſtolos fecit, cum ait. Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, &c.

Hoc docent omnes veteres, recentioreſque Theologi, ad peccatorum ſolutionem duplicem requiri poteſtatem ordinis, & iuriſdictionis, quarum primam ex æquo habuerunt omnes Apoſtoli, & habent nunc omnes ſacerdotes, non autem ſecundam, & præſertim in foro exteriori, quam Petrus præ cæte-

ris

ris habuit; ſicut nunc Romanus Pontifex præ cæteris Epiſcopis, & Epiſcopi ſupra cæteros ſacerdotes: & hac ratione intelligendæ ſunt ſententiæ omnes Euangelicæ, & ſanctorum Doctorum, in quibus de poteſtate dimittendi peccata Apoſtolis omnibus tradita, mentio eſt; quæ quidem ordinis poteſtas duas præcipuas facultates habet: primam conſecrandi corpus, & ſanguinem Domini: & hæc ijs in nouiſſimà cœna à Chriſto conceſſa eſt: alteram dimittendi, & retinendi peccata, quæ ipſis poſt reſurrectionem fuit tributa. Hac igitur poteſtate, omnes, vt dixi, Apoſtoli pares fuerunt: iuriſdictione verò, & adminiſtratione impares, quia beatus Petrus cunctis Apoſtolis eſt prælatus.

CAP. VI.

Quanam ratione ſacræ Scripturæ auctoritates, & teſtimonia dubia, vel in controuerſiam reuocata, ſint intelligenda.

QVamquam expetenda non eſſent teſtimonia humana, vbi diuina eloquia tam manifeſta præcedunt: recentiorum tamen falſas interpretationes, qui ſcripturarum ſententias peruersè exponentes, eas ad ſuos ſenſus detorquent repellere, piorumque animos pro virili confirmare cupientes, ſanctorum Patrum auctoritates de Petri poteſtate ſubijciemus; ſacrarum enim Scripturarum non is eſt vſus, vt quod nobis commodum eſt, ſacris verbis vſurpatis confirmare velimus: ſed eorum ſenſus, & interpretationes potiſſimum ſequendæ ſunt, quas probatiſſimi quique veterum ſcriptorum, quos Catholica recepit Eccleſia, proſequuti ſunt.

Quod etiam à ſanctis Patribus confirmatur, quorum antiquiſſimus quiſpiam ait. Multa enim ſunt in ſcripturis verba, quæ poſſunt ad eum ſenſum trahi, quem ſibi vnus quiſque præſumpſerit: vnde diligenter obſeruandum eſt, vt cum lex Dei legitur non ſecundum propriam ingenij intelligentiam legatur, vel doceatur: & ideò omnem intelligentiam diſcendarum ſcripturarum ab eo expetenda eſt, qui eam à maioribus ſecundum veritatem ſibi traditam ſeruat. Vnde maximè temerarium eſt, immò ſtulta, & terribilis eſt temeritas contradicere ſenſui per ſanctos Patres ad intelligentiam ſacræ Scripturæ dato.

Et Diuus Hieronymus in epiſtola ad Galatas cap. 5. in verbo hæreſes, Quicunque aliter ſcripturam intelligit, quàm ſenſus Spiritus ſancti efflagitat, quo ſcripta eſt licèt de Eccleſia non receſſerit, tamen Hæreticus appellari poteſt. Idem quoque ſuper illud Sa-
Prou 3. 2 lomonis, Ne innitaris prudentiæ tuæ, in eandem ſententiam dixit. Prudentiæ ſuæ innititur, qui ea quæ ſibi agenda, vel dicenda videntur, Patrum decretis præponit. Et Leo Papa in epiſtola 89. ad Epiſcopos Prouinciæ Viennenſis ſic ſcribit. Verum, hanc petræ ſacratiſſimam firmitatem Deo ædificante contractam, nimis impia vult præſumptione violare, quiſquis eius poteſtatem tentat infringere; fauendo cupiditatibus ſuis, & id quod accepit à veteribus non ſequendo: cui etiam rei ratio manifeſtè ſuffragatur, nam ingentia ex contrario naſcerentur incommoda, nempè periculum ingens eſſet fidei, & errorum occaſio; nam quot capita, tot ſententiæ.

Hinc religionis confuſio, aut potiùs impietatum, & ſuperſtitionum omnium hoſtium aperiretur. Sic demùm omnes hæreſes, & ſectæ ortæ ſunt, & hic mos fuit perpetuo hæreticorum, relicto videlicet Patrum, & ſacrorum Eccleſiæ Doctorum ſenſum, proprium ſequi.

CAP VII.

Sanctorum Patrum ante Concilium Nicanum ſententiæ, & interpretationes de ſupradictis 17. Euangeliſtarum locis, quibus Primatus Petri conſtituitur.

VEteres autem ſancti Patres Euangeliorum teſtimonia de Petri Primatu, eadem qua ego ratione, vt modo oſtendam, interpretati ſunt. In quorum ſententijs recitandis, temporum, quibus ſinguli vixere, ordinem ſequar; vt eius primo afferantur auctoritates, qui priore ſeculo vitam ægit: qua ratione illud fiet, vt cum omnium Doctorum tempora cognouerimus, quantùm ſingulis tribuendum ſit, intelligamus. In hac enim diſputatione vetuſtiores ſcriptores maioris auctoritatis cenſentur: quippè cum eorum quæ dicturi ſumus, bona pars ea antiquitate, & Patrum traditionibus pendeat.

Inter omnes autem, qui de hac rè ſcripſerunt, vetuſtiſſimus eſt Dionyſius Areopagita (qui in actis 6. Synodi Athenarum Epiſcopus, vt ſæpè alibi appellatur, in Lateranenſi ſub Martino I. & apud Euſebium in Eccleſ. hiſt. cap. 4.) ità ſcribit de diuinis nominibus ad Timoth. Namque apud ipſos diuino ſpiritu plenos Pontifices noſtros cum, & nos, vt noſti, & plerique ex ſanctis fratribus noſtris ad contuendum corpus illud quod auctorem vitæ Deumque ſuſcepit conueniſſemus: Aderat autem, & frater Domini Iacobus, & Petrus excelſus decus, & antiquiſſimum Theologorum culmen, vbi poſt contuitum placuit, vt infinitè potentem diuinæ infirmitatis bonitatem Pontifices laudarent omnes, quiſque pro captu ſuo, &c. Et alibi ſæpè vocat. Petrum ſummum, & verticalem Apoſtolum.

Q. Septimius florens, Tertullianus Afer, apud Carthaginem proconſulari Patre natus, inter latinos, qui nunc extant, Theologos primus omnium Eccleſiarum, vt inquit Euſebius, dum adhuc viueret ſermone celebratus, qui vixit anno Chriſti 200.

Hic in libro, quem de præſcriptionibus aduerſùs hæreticos ſcripſit, ait. Latuis aliquid

quid Petrum ædificandæ Eccleſiæ petram dictum, claues Regni Cœlorum conſecutum, & ſoluendi, & alligandi in Cœlis, & in terris poteſtatem.

Idem libro de Monogamia. Petrum ſolum inuenio maritum per ſocrum, Monogamum præſumo per Eccleſiam, quæ ſuper illum ædificata, omnem gradum ordinis ſui de Monogamis erat collocatura.

Idem in libro de pudicitia. Claues ſoli Petro commiſſas, & Eccleſiam ſuper ipſum extructam eſſe ità tradit. De tua nunc ſententia quæro, vnde hoc ius Eccleſiæ vſurpes: ſi quia dixerit Petro Dominus: Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; tibi dedi claues regni cœleſtis, vel quæcunque alligaueritis, vel ſolueritis in terra, erunt alligata, vel ſoluta in Cœlis, idcircò præſumis & ad te deriuaſſe ſoluendi, & alligandi poteſtatem, ideſt ad omnem Eccleſiam Petri propinquam? Qualis es, euertens, atque commutans manifeſtam Domini intentionem perſonaliter hoc Petro conferentem. Super te, inquit, ædificabo Eccleſiam meam; & dabo tibi claues, non Eccleſiæ; & quæcunque ſolueris, vel alligaueris, non quæ ſoluerint, vel alligauerint. Sic enim & exitus docet. In ipſo Eccleſia extructa eſt, ideſt per ipſum, ipſe clauem imbuit, vides quam; viri Iſraelitæ auribus mandate, quæ dico. Ieſum Nazarenum virum à Deo vobis deſtinatum, & reliqua.

Ipſe denique primus in Chriſti baptiſmo reſerauit aditum cœleſtis regni, quo ſoluuntur alligata retro delicta, & alligantur, quæ non fuerint ſoluta, ſecundum veram ſalutem, & Ananiam vinxit vinculo mortis, & debilem pedibus abſoluit vitio valetudinis: ſed & in illa diſceptatione cuſtodiendæ legis primus omnium Petrus ſpiritu inſtinctus, & de nationum vocatione præfatus. Et nunc, inquit, cur tentaſtis Dominum? de imponendo iugo fratribus, quod neque nos, neque patres noſtri ſufferre valuerunt? Sed enim per gratiam Ieſu credimus nos ſalutem conſecututos, ſicut & illi. Hæc ſententia, & ſoluit quę ommiſſa ſunt legis, & alligauit, quæ reſeruata ſunt. Adeo nihil ad delicta fidelium capitalia poteſtas ſoluendi, & alligandi Petro emancipata. Cui ſi preceperat Dominus etiam ſeptuagies ſepties delinquenti in eum fratri indulgere; vtique nihil poſtea alligare, ideſt retinere mandaſſet, niſi fortè ea quæ in Dominum, non in fratrem quis admiſerit.

Idem lib. 4. aduerſus Martionem. Mutat & Petro nomen de Simone, quia & Creator, Abrahæ & Saræ, & Auſeæ nomina reformauit, hunc vocando Ieſum, illis ſyllabas adijciendo. Sed & cur Petrum? Si ob vigorem fidei: multæ materiæ ſolidæque nomen de ſuo accommodarent. An quia & petra & lapis Chriſtus? Siquidem, & legimus poſitum eum in lapidem offendiculi, & in petram ſcandali: Omitto cætera. Itàque affectauit chariſſimo Diſcipulorum, de figuris ſuis peculiariter nomen communicare, puto propiùs quàm de non ſuis.

Idem libro Scorpiaco. aduerſus Gnoſticos. Nam, & ſi adhuc clauſum putas Cœlum; memento claues eius hic Dominum Petro, & per eum Eccleſiæ reliquiſſe, quas hic vnuſquiſque interrogatus, atque confeſſus feret ſecum.

Adamantius Origenes Presbyter Alexandrinus Leonidis martyris filius; Clementis Alexandrini quondam Diſcipulus, qui vixit circa annum Chriſti 250. In Ioannem commentariorum tom. 4. ità ſcribit. Et ſtatim Andreas adducit fratrem Simonem ad Chriſtum, quem vt munere Ieſus ſingulari remuneraretur, in ipſum intuitus eſt; per illum intuitum declarans, ſe Simonis curam gerere, animæ illius parte præſtantiſſima illuſtrata: potuitque Simon, eo quod Ieſus in ipſum intuitus eſt, eo vſque ſtabiliri, vt ab opere ſtabili, firmoque cognomen traheret, & vocaretur Petrus. Sic habet verſio Ambroſij monachi Mediolanen: Simoni Ieſus hoc dedit, vt eum intueretur, quod eſt aſpectu ipſo inſpicere, & partem illam eius, quæ principatum obtinet, illuſtrare: vimque eam accepit Simon Petrus quod à Chriſto viſus eſſet, vt confirmaretur. Itàque facti confirmationis, & corroborationis quaſi gentilis factus eſt, appellatuſque eſt Petrus.

Idem in Euangelium Ioannis commentariorum tomo 32. Si verò etiam vſque ab eis quæ minima ducuntur ſcriptura indaganda, & inueſtiganda eſt, quæret aliquis, cur tandem cum Petrus primus ſit delectus in duodecim numerum, fortaſſis vt cæteris præſtantior, quandoquidem Iudas etiam, qui verè poſtremus erat, propter vitioſam conſtitutionem in extremum locum proiectus eſt: Ieſus cùm Diſcipulorum pedes abluere, & linteo quo cinctus erat detergere cœpiſſet, non à Petro initium fecerit.

Idem tract. 1. in Matth. capit. 16. vide, inquit, quantam poteſtatem habet petra, ſuper quam ædificatur Eccleſia; vt etiam iudicia eius maneant firma, quaſi Deo iudicante per illam: vt in hoc ipſo quod iudicat non præualeant aduerſus eam inferorum portæ.

Idem tractatu eodem Matth. capit. 16. ait. De veritate quidem dicebat, Tu es Chriſtus filius Dei viui: in quo & beatificatus eſt, & per promiſſionem meruit fieri Eccleſię fundamentum.

Idem tractatu 6. in ipſum 16. caput. Tamen & illa, quæ ſupra ſoli Petro ſunt dicta, videntur & omnibus Apoſtolis dicta (videlicet: Quæcunque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in Cœlis, & quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in Cœlis.) Sed quoniam oportebat aliquod maius habere Petrum præ alijs: ideò illi quidem ſic dixit Dominus. Et tibi dabo claues Regni Cœlorum, & quæcunque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta & in Cœlis, & quæcunque ligaueris ſuper terram, erunt ligata & in Cœlis.

Non ergo modica differentia eſt, quòd Petro quidem datæ ſunt claues non vnius Cęli, ſed multorum Cœlorum; vt quæcunque ligauerit ſuper terram, non tantùm ſint ligata in vno Cœlo, ſed etiam in Cœlis omnibus; & quæcunque ſoluerit ſuper terram ſint ſoluta non tantùm in vno Cœlo, ſed in omnibus Cœlis. Ad eos autem qui multi ſunt ligatores; & ſolutores in terra, ſic dixit vt ſoluerent, & alligarent non in Cœlis, ſicut Petrus;

trus; ſed in vno Cœlo: quia non ſunt in tanta perfectione ſicut Petrus, vt alligent, vel ſoluant in omnibus Cœlis.

Idem in expoſitione primi Pſalmi. Petrus verò ſuper quem Chriſtus fundauit Eccleſiam, contra quam portæ inferorum non prævalebunt, duas tantummodò ſcripſit epiſtolas, vt refert Euſebius lib. 6. cap. 18. hiſt. Eccleſ. & homilia 5. in Exodum. Magno illi Eccleſiæ fundamento petræque ſolidiſſimæ ſuper quam Chriſtus fundauit Eccleſiam.

Idem in capite 6. epiſtolæ ad Romanos lib. 5. circa finem. A Petro cum ſumma de paſcendis ouibus poteſtas ei traderetur, & ſuper ipſum tanquam ſuper petram fundaretur Eccleſia, nullius alterius virtutis confeſſio niſi charitatis exigitur.

Idem tractatu 5. ſuper Matthæum vbi ait. Ieſus mittit Petrum cum hamo comprehendere piſcem, in cuius ore dicebat inueniendum eſſe ſtaterem, vt daretur pro ſe, & Petro, ego arbitror quoniam maximum hunc honorem æſtimantes in Petrum à Chriſto collatum, quaſi per hoc iudicaſſet eum cæteris Diſcipulis meliorem, cupiebant quòd ſuſpicabantur cautè cognoſcere, ſimul autem etiam ſperabant, quod & cauſam ipſam interrogationis reuelantes indicarent. Hoc ergo volens oſtendere Matthæus adijcit propter illud quod ait. Hunc accipiens da propter me & te.

Idem homilia 2. in diuerſos: Dic quæſo cui talis, ac tanta donata eſt gratia? fortaſſis quis dicet ſummo vertici Apoſtolorum, Petro dico, qui Domino interroganti, quem ſe exiſtimaret eſſe, reſpondit; Tu es Chriſtus filius Dei viui, &c.

Et infrà. Verumtamen primò intrat Petrus in monumentum, deindè Ioannes, ac ſic ambo currunt ambo intrant, Petrus ſiquidem fidei eſt ſymbolum. Ioannes ſignat intellectum, ac per hoc quoniam ſcriptum eſt. Niſi credideritis non intelligetis, neceſſariò præcedit fides in monumentum ſanctæ Scripturæ: deindè ſequens intrat intellectus, cui per fidem præparatur aditus, Petrus quidem Chriſtum Deum, & hominem iam factum in temporibus cognoſcens & dicens, Tu es Chriſtus filius Dei viui. Altiſſimè volauit, ſed Ioannes altiùs illo, qui eundem Chriſtum Deum de Deo ante omnia tempora genitum intellexit, dicens. In principio erat verbum. Nemo nos exiſtimet Petro Ioannem præferre, Quis hoc fecerit? Quis eſſet altior Apoſtolorum illo, qui eſt, & dicitur vertex eorum? Nos præferimus Petro Ioannem, ſed conferimus actioni contemplationem purgandum adhuc animum perfectè purgato, aſcendenti adhuc virtuti ad incommutabilem habitum peruenientem iam virtutem. Non enim nunc conſideramus Apoſtolicarum perſonarum dignitatem, ſed inueſtigamus pulcherrimam diuinorum myſteriorum differentiam. Petrus itàque (hoc eſt actio virtutum) Dei filium mirabili, & ineffabili modo carne circumſcriptum per virtutem fidei, & actionis conſpicatur. Ioannes verò hoc eſt altiſſima veritatis contemplatio Dei verbum per ſe ante carnem abſolutum, & infinitum in principio ſuo, hoc eſt in Patre miratur, Petrus æterna ſimul ac temporalia in Chriſto vnum facta diuina reuelatione introductus inſpicit, Ioannes ſola eius æterna in notitiam fidelium animarum introducit.

Idem in Lucam homilia 17. Ergo ſcandalizati ſunt vniuerſi in tantum, vt Petrus quoque Apoſtolorum Princeps eundem tertiò denegarit.

Diuus Cæcilius Cyprianus Epiſcopus Carthaginenſis inter noſtræ religionis Patres laudatiſſimus, Apoſtolici ſpiritus odore vbique flagrans, martyrij gloria conſpicuus, antiquitate, & Apoſtolicæ Sedis approbatione fide dignus, qui anno 250. vixit, non vno in loco hanc veritatem explicauit, ex quibus præcipuas tantum ſententias citabo.

Libro enim primo epiſtolarum epiſt. 3. ad Cornelium Papam ſic ſcribit: Petrus tamen, ſuper quem ædificata ab eodem Domino fuerat Eccleſia, vnus pro omnibus loquens, & Eccleſiæ voce reſpondens, ait: Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.

Idem libro 4. epiſt. 9. Loquitur illic, inquit, Petrus, ſuper quem ædificanda fuerat Eccleſia, Eccleſiæ nomine docens, & oſtendens, quia etſi contumax, ac ſuperba ob audire nolentium multitudo diſcedat, Eccleſia tamen à Chriſto non recedit, & illi ſunt Eccleſia, plebs Sacerdoti adunata, & Paſtori ſuo grex adhærens.

Idem in ſermone 3. de bono patientiæ ait: Item Petrus, ſuper quem Eccleſia Domini dignatione fundata eſt, in epiſtola ſua ponit, & dicit: Chriſtus paſſus eſt, &c.

Idem in epiſtola ad Iubaianum: Nàm Petro, inquit, primum Dominus, ſuper quem ædificauit Eccleſiam, & vndè vnitatis originem inſtituit, & oſtendit, poteſtatem iſtam dedit, vt id ſolueretur in terris, quod ille ſoluiſſet.

Idem tractatu 2. de habitu virginum: Petrus etiam, cui oues Dominus paſcendas, tuendaſque commendat, ſuper quem poſuit, & fundauit Eccleſiam, aurum quidem ſibi, & argentum eſſe negat, ſed eſſe ſe dicit Chriſti gratia diuitem.

Idem ad Iubaianum: Quo venturus eſt, qui ſitit, vtrùm ne ad Hæreticos, vbi fons, & fluuius aquæ vitalis omninò non eſt? An ad Eccleſiam, quæ vna eſt, & ſuper vnum, qui claues eius accepit Domini voce fundata eſt?

Idem in libro de vnitate Eccleſiæ, qui & de ſimplicitate Prælatorum inſcribitur: Loquitur Dominus ad Petrum: Ego tibi dico, inquit, quia tu es Petrus, & ſuper iſtam petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferorum non vincent eam; & tibi dabo claues Regni Cœlorum; & quæ ligaueris ſuper terram, erunt ligata & in Cœlis, & quæcumque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta & in Cœlis. Et eidem poſt reſurrectionem ſuam dicit, paſce oues meas: ſuper illum vnum ædificat Eccleſiam, & illi paſcendas mandat oues. Et quamvis Apoſtolis omnibus poſt reſurrectionem ſuam parem poteſtatem tribuat, & dicat: Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos: accipite Spiritum ſanctum; ſi cui remiſeritis peccata, remittuntur illis; ſi cui tenueritis, tenebuntur; tamen, vt vnitatem manifeſtaret, vnitatem eiuſdem originem ab vno

vno incipientem ſua auctoritate diſpoſuit. Hoc erant vtique & cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio præditi, & honoris, & poteſtatis, ſed exordium ab vnitate proficiſcitur. [Et Primatus Petro datur, vt Eccleſia vna Chriſti, & Cathedra vna monſtretur, & Paſtores ſunt omnes, ſed grex vnus oſtenditur, qui ab Apoſtolis omnibus vnanimi conneſſione paſcatur.

Cùm vnam Eccleſiam etiam in Cantico Canticorum Spiritus ſanctus ex perſona Domini deſignat, & dicit: Vna eſt Columba mea, perfecta mea, vna eſt Matri ſuæ, electa Genitrici ſuæ.

Hanc Petri vnitatem, qui non tenett tenere ſe fidem credit? Qui Cathedram Petri, ſuper quam eſt Eccleſia fundata deſerit in Eccleſia ſe eſſe confidit? &c.

Hunc librum deprauatum fuiſſe multa reiecta verba ſatis demonſtrant. Ego eum reſtitüi ex antiquo ſcripto codice Marcelli II. Papæ. Et quò faciliùs, quæ reſtituta ſunt, cognoſci poſſint, quæ ego ex antiquo exemplari addidi, literis maiuſculis ſcripſi.

Ne quis verò exiſtimaret verba illa conficta fuiſſe, Gratiani Canonum Collectoris locum ex eo Cypriani libro citabo, qui in eius vulgatis codicibus ità legitur; quemadmodùm ego ex antiquo exemplari reſtitui. Quod vt magis pateat primum Cypriani locum deprauatum addam, deindè ex vetuſto codice reſtitutum, quem Gratiani teſtimonio confirmabo.

Ità porrò in vulgatis Cypriani libris legitur. Qui Eccleſiæ renititur, & reſiſtit, in Eccleſia ſe eſſe confidit?in antiquo vero libro ità eſt: Qui Cathedram Petri, ſuper quam eſt Eccleſia fundata deſerit in Eccleſia ſe eſſe confidit?

Gratianus porrò diſtinctione 93. cap.3. hunc Cypriani locum recitans, ità ait; Qui Cathedram Petri, ſuper quam fundata eſt Eccleſia deſerit, in Eccleſia ſe eſſe non confidat.

Vbi quod in Cypriano interrogatione ſcribitur,illè ad propoſitum ſuum accommodans addita negatione Non aſſertiuè protulit. Ex quo ſanè loco facilè intelligere poſſumus non ſolùm ſacras Scripruras falſis interpretationibus adulterari; ſed & ipſos ſanctorum Patrum libro dedita opera deprauari. Quod Hæreticorum maximè familiare fuiſſe ſæpè ſancti Patres, & in his Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus, & martyr apud Euſebium conqueruntur, hiſtor. Eccleſiaſt. lib.4. cap.22.

Arnobius in commentarijs Pſalmi 138. ſanctum Petrum Apoſtolum Epiſcopum Epiſcoporum vocat.

CAP. VIII.

Sanctorum quatuor Doctorum Latinæ Eccleſiæ ſententiæ, ſuper eadem 17. loca, & de Petri Primatu.

PRæcipuorum quatuor Eccleſiæ Doctorum, qui latinè ſcripſerunt ſententias de Petri Primatu, ab alijs ſeorſum digerendas ideò duxi, tùm ne Lectori tædium longa ſententiarum continuatione afferrem, tùm quod maximam horum teſtimonia in Eccleſia vniuerſali habent auctoritatem. Quorum antiquior eſt.

Sanctus Ambroſius Mediolanenſis Archiepiſcopus vir ſanctiſſimus, qui anno Domini 370. floruit. Is ſermone 47. de Petri Apoſtoli fide diſſerens ait: Aſtruximus ſuperiore Dominica ſanctum Petrum in Saluatoris paſſione ſuis erroribus profeciſſe, & poſteaquam negauit Dominum Deum, fuiſſe meliorem. Fidelior enim factus eſt, poſtquam fidem ſe perdidiſſe defleuit, atque ideò maiorem gratiam reperit,quam amiſit. Tamquam bonus enim Paſtor tuendum gregem accepit, vt qui ſibi antè infirmus fuerat, fieret omnibus firmamentum. Et qui ipſe interrogationis tentatione nutauerat, cæteros fidei ſtabilitate fundaret. Denique pro ſoliditate deuotionis Eccleſiarum petra dicitur, ſicut ait Dominus: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Petra enim dicitur, eò quod primus in nationibus fundamenta fidei poſuerit, & tamquam ſaxum immobile totius operis Chriſtiani compagem, molemque contineat. Petra ergo pro deuotione Petrus dicitur, & pro virtute Dominus nuncupator, ſicut ait Apoſtolus: Bibebant autem de ſpirituali conſequenti eos petra, petra autem erat Chriſtus. Rectè conſortium meretur nominis, qui conſortium meretur & operis. In eadem enim domo Petrus fundamentum poſuit, Petrus plantat, Dominus incrementum dat, Dominus irriguum ſubminiſtrat. Petrus enim tentationibus ſuis proficit, fletibus ſuis gaudet, periculis ſuis creſcit.

Idem ſermone 11. de mirabilibus: Propterea dicitur Petro, Duc in altum, hoc eſt in profundum diſputationum generationis Diuinæ. Quid enim tam profundum, quàm quod ait Petrus ad Dominum: Tu es Chriſtus filius Dei viui. Quidam terrenum, quàm quod de Domino dixerunt Iudæi: Nonne hic eſt filius Ioſeph fabri? Ille altiore conſilio natiuitatem Chriſti diuintus approbauit, hi mente viperea generationem cæleſtem carnaliter exiſtimant. Vndè ait Saluator Petro: Quia non caro, & ſanguis tibi hoc reuelauit, ſed Pater meus, qui in Cœlis eſt. Phariſæis autem dicit: Quomodò poteſtis bona loqui, cùm ſitis nequam? Hanc igitur ſolam Eccleſiæ Nauem aſcendit Dominus, in qua Petrus Magiſter eſt conſtitutus, dicente Domino: Super hanc petram ędificabo Eccleſiam meã. Quæ Nauis in altum ſęculi iſtius ità natat, vt

vt pereunte Mundo, omnes, quos ſuſcepit ſeruet illæſos. Cuius figuram iam in veteri videmus Teſtamento. Sicut enim Noe arca naufragante Mundo cunctos, quos ſuſceperat, incolumes reſeruauit, ità & Petri Eccleſia conflagrante ſeculo, omnes, quos amplectitur repræſentabit illæſos. Et ſicut tunc tranſacto diluuio, ad arcam Noe columba ſignum pacis detulit, ità & tranſacto iudicio ad Eccleſiam Petri Chriſtus gaudium pacis referet, quia ipſe columba vel pax eſt, ſicut promiſit dicens. Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor veſtrum.

Idem libro 5. ſuper Lucam in cap. 5. Denique & ſi alijs imperatur, vt laxent retia ſua, ſoli tamen Petro dicitur: Duc in altum; hoc eſt in profundum diſputationum. Quid enim eſt tam altum, quam altitudinem diuitiarum videre, ſcire filium Dei, & profeſſionem Diuinæ generationis aſſumere? Quam licèt mens non queat humana plenè rationis inueſtigatione comprehendere, fidei tamen plenitudo complectitur. Et priùs dixerat: Non turbatur Nauis, quæ Petrum habet, turbatur illa, quæ Iudam habet. Per Nauem enim Petri, quam Chriſtus aſcendit, Eccleſia ſignificatur.

Idem ſuper 24. cap. Lucæ: Petrus ergo vidit ſolus Dominum. Deuotio enim parata ſemper, & prompta credebat, & ideò ſtudebat frequentiora fidei ſigna colligere. Alibi cum Ioanne, alibi ſolus, vbique tamen impiger currit, vbique aut ſolus, aut primus, non contentus vidiſſe, quæ viderat, repetit intuenda, & quærendi Domini amore ſucceſus, non ſatiatur videndo. Vidit cum ſolus, vidit cum vndecim, vidit cum ſeptuaginta, vidit & quando Thomas credidit, vidit cum piſcaretur; ſed non vidiſſe contentus, impatiens deſiderij, negligens captionis, immemor periculi, non tamen immemor reuerentiæ. Vbi Dominum vidit in littore, veſte ſe texit; ferum æſtimans, ſi cum cæteris nauigio perueniret, ſic cum in Mari Dominus ambularet, ſuper vndas Maris naturæ ſuæ oblitus occurrit. Sic cum à Iudæis Dominus teneretur, aduerſum turbas gladium ſolus exeruit, ſic & nunc cùm Dominus ſtetiſſet in littore periculoſo compendio, religioſum maturauit obſequium. Non eſt igitur dubium crediſiſſe Petrum, & crediſiſſe quia dilexit, dilexiſſe quia credidit. Vndè & contriſtatur, quia & tertio interrogatur: Amas me? Is enim interrogatur, de quo dubitatur; ſed Dominus non dubitat, qui interrogabat, non vt diſceret, ſed vt doceret, quem eleuandus in Cœlum amoris ſui nobis velut Vicarium relinquebat. Sic enim habes: Simon Ioannis diligis me? Vtique, tu ſcis Domine, quia amo te. Dicit ei Ieſus; Paſce agnos meos. Bene conſcius ſui, non ad tempus aſſumptum, ſed iam dudum Deo cognitum Petrus teſtificatur affectum. Quis eſt alius, qui de ſe hoc facilè profiteri poſſit? Et ideò, quia ſolus profitetur ex omnibus, omnibus antefertur. Maior enim omnibus charitas. Illud quoque diligentiùs intuendum cur, cum Dominus dixerit; Diligis me? Ille reſpondit. Tu ſcis Domine quia amo te. In quo videtur mihi dilectio habere animi charitatem, amor quendam æſtum conceptum corporis, ac mentis ardorem, & Petrum opinor, non ſolùm animi, ſed etiam corporis ſui, circa Dei cultum, ſignare fragrantiam. Denique tertio Dominus non iam, Diligis me, ſed amas me interrogauit, & iam non agnos, vt primo quodam lacte veſcendos, nec ouiculas vt ſecundo, ſed oues paſcere iubetur perfectiores, vt perfectior gubernaret. Et ideò quaſi perfecto in omnibus, quem caro iam reuocare non poſſet à gloria paſſionis corona decernitur, &c.

Idem ſermone 46. de pœnitentia Apoſtoli Petri. Denique imitemur Petrum. Cum enim tertio interrogaretur à Domino. Simon amas me? Reſpondit tertiò. Domine tu ſcis quia diligo te, ait Dominus, Paſce oues meas, & hoc tertio, quod quidem dictum ad compenſationem prioris, profecit erroris, qui enim Dominum tertio negauerat, tertio confitetur, & quoties culpam delinquendo contraxerat; toties gratiam diligendo conquirit. Videte ergo quantum fletus profecerit, Petrus antequam fleret lapſus eſt, poſteàquam fleuit; electus eſt, qui ante lachrymas præuaricator extitit, poſt lachrymas paſtor aſſumptus eſt, & alios regendos accepit, qui priùs ſe ipſe non rexit.

Idem lib. comment. 10. in cap. 22. Lucæ Tollit ergo Petrus aurem, quare Petrus? quia ipſe eſt, qui accepit claues Regni Cœlorum. Ille enim condemnat, qui & abſoluit, quoniam ligandi idem, & ſoluendi adeptus eſt poteſtatem. Tollit autem male audientis, tollit autem gladio ſpirituali aurem interiorem male intelligentis. Caueamus ne cui tollatur auricula. Legitur paſſio Domini; ſi ad diuinitatem eius referimus infirmitatem corporeæ paſſionis, exciditur auricula, & exciditur à Petro, qui non paſſus eſt Chriſtum prophetam æſtimari, ſed Dei filium docuit fideli confeſſione ſignari.

Idem ſermone in pſalmum 40. Vbi Petrus ibi Eccleſia, vbi Eccleſia, ibi nulla mors, ſed vita æterna.

Idem cap. 1. ad Galatas. Dignum fuit vt cuperet videre Petrum, quia primus erat inter Apoſtolos, cui delegauerat Saluator curam Eccleſiarum.

Et cap. 2. Petrum Paulus ſolùm nominat, & ſibi comparat, quia primatum ipſe accepit ad fundandam Eccleſiam.

Et paulò poſt in eodem cap. 2. Soli Petro gratia primatus inter Apoſtolos conceſſa.

Et in cap. 12. epiſt. 2. ad Corinthios. Andreas prior ſequutus eſt Saluatorem, quàm Petrus, & tamen primatum non accepit Andreas, ſed Petrus.

Idem libro de Incarnationis dominicæ ſacramento c. 4. Taces ergo Simon, & reſpondẽtibus alijs adhuc taces? Cũ ipſe ſis primus, qui etiam non interrogatus interrogas, nec times ne reprehendaris à Domino, quia non reſpondes interroganti? Ideò, inquit, non reſpondeo, quia non interrogor meam, ſed alienam ſententiam.

Et infrà paulò. Hic inquam vbi audiuit. Vos autem quid me dicitis? ſtatim loci non immemor ſui, primatum egit, &c.

Lux Doctorum, Hæreticorum malleus, & lucerna in Dei Eccleſia perpetuò ardens Au-

Auguſtinus Afer Epiſcopus Hipponenſis, Hieronymi, & Ambroſij contemporaneus, cum varie interpretatus eſſet locum illum. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram, &c. Per petram enim quandoque Petrum, quandoque ipſum Chriſtum, quem dixerat filium Dei viui, intellexerat, in retractationum tamen libro priore cap. 21. Poſtquam meminit libri ab ſe ſcripti contra Donatum, hæc verba adiecit. In hoc libro dixi in quodam loco de Apoſtolo Petro, quod in eo tamquam in petra fundata ſit Eccleſia, qui ſenſus etiam cantatur ore multorum, in verſibus beatiſſimi Ambroſij, vbi de gallo gallinacio ait. Hoc ipſa petra Eccleſia canente, culpam diluit. Sed ſcio me poſteà ſæpiſſimè ſic expoſuiſſe, quod à Domino dictum eſt: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, vt ſuper hanc intelligeretur, quem confeſſus eſt Petrus dicens. Tu es Chriſtus filius Dei viui, ac ſi Petrus ab hac petra appellatus, perſonam Eccleſiæ figuraret, quæ ſuper hanc petram ædificatur, & accepit claues Regni Cœlorum. Non enim dictum eſt illi: Tu es petra, ſed tu es Petrus, petra autem erat Chriſtus, quem confeſſus Simon, ſicut eum tota Eccleſia confitetur, dictus eſt Petrus. Harum autem ſententiarum duarum, quæ ſit probabilior eligat lector, &c. Illud ſcitu dignum, quod ſiue hic, ſiue alter ſenſus eligatur, tamen ſemper ex eodem loco Primatus Petri colligitur. Nam ſuper petram, ideſt ſuper fidem non cuiuſuis, ſed Petri. Non (inquam) ſupra fidem Ioannis, vel Andreæ, aut Iacobi, ſed ſuprà Petri fidem, ſuprà illam (inquam) pro qua, ne deficeret, orauit.

Idem tractatu 118. in cap. 19. Ioannis. Inconſutilis autem tunica ne aliquando diſſuatur, & ad vnum peruenit, quia in vnum omnes colligit, ſicut in Apoſtolis, cum eſſet etiam ipſe numerus duodenarius, ideſt, quadripartitus in ternos, & omnes eſſent interrogati, ſolus Petrus reſpondit. Tu es Chriſtus filius Dei viui, & ei dicitur: Tibi dabo claues Regni Cœlorum, tamquam ligandi, & ſoluendi ſolus acceperit poteſtatem, cùm & illud vnus pro omnibus dixerit, & hoc cum omnibus tamquam perſonam gerens ipſius vnitatis acceperit. Ideò vnus pro omnibus quia vnitas eſt in omnibus: vnde hic cum dixiſſet, deſuper contexta, addidit per totum, quod ſi referamus ad id, quod ſignificat, nemo eius eſt expers, qui pertinere ad totum inueniatur, à quo toto ſicut Græca indicat lingua Catholica vocatur Eccleſia. In ſorte autem quid niſi Dei gratia commendata eſt? Sic quippè in vno ad omnes peruenit, cum ſors quoque omnibus placuit, quia & Dei gratia in vnitate ad omnes peruenit, & cum ſors mittitur non perſonæ, vel cuiuſcunque meritis, ſed occulto iudicio Dei ceditur. Ità ille.

Ecce igitur vnus reſpondit pro omnibus, & vnus accepit pro omnibus, & alij in ipſo, & per ipſum. Nam qui perſonam ſuſtinet omnium, & totius communitatis primatum habet, vt princeps, Rex paterfamilias ſui regni, vel familiæ; & Dux exercitus. Et hoc ipſo quia omnium aliorum ſuſtinet perſonam, ſed nec Ioannes dilectus, nec Iacobus frater Domini acceperunt pro omnibus, ſed vnus Petrus tantum. Quod idem intelligendum eſt in ſimilibus alijs teſtimonijs diui Auguſtini, in quibus vbique Petrum primum Apoſtolorum præpoſitum Eccleſiæ principatum Apoſtolatus habere confitetur, vocatque eum ſubindè principem, caput, verticem, & ſimilibus nominibus.

Idem tractatu 124. ſuper caput Ioannis 21. Hoc agit Eccleſia, ſpe beata, in hac vita ærumnoſa: cuius Eccleſiæ Petrus Apoſtolus propter Apoſtolatus ſui Primatum gerebat, figurata generalitate perſonam, quod enim ad ipſum propriè pertinet, natura vnus homo erat, gratia vnus Chriſtianus, abundantiore gratia, vnus idemque primus Apoſtolus, ſed quando ei dictum eſt. Tibi dabo claues Regni Cœlorum, & quodcumq; ligaueris ſuper terram erit ligatum & in Cœlis, & quodcumq; ſolueris ſuper terram erit ſolutum & in Cœlis, vniuerſam ſignificat Eccleſiã, quæ in hoc ſeculo diuerſis tentationibus velut imbribus, fluminibus, tẽpeſtatibuſq; quatitur, & non cadit, quoniam fundata eſt ſuper petram vnde & Petrus nomen accepit, non enim à Petro petra, ſed Petrus à petra, ſicut non Chriſtus à Chriſtiano, ſed Chriſtianus à Chriſto vocatur. Ideò quippè ait Dominus, ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, quia dixerat Petrus: Tu es Chriſtus filius Dei viui, ſuper hanc ergo petram, inquit, quam confeſſus es, ædificabo Eccleſiam meam. Petra enim erat Chriſtus, ſuper quod fundamentum etiam ipſe ædificatus eſt Petrus, fundamentum quippè aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. Eccleſia ergo, quæ fundatur in Chriſto claues ab eo Regni Cœlorum accepit in Petro, ideſt poteſtatem ligandi ſoluendique peccata, quod enim eſt per proprietatem in Chriſto Eccleſia, hoc eſt, per ſignificationem Petrus in petra, qua ſignificatione intelligitur Chriſtus petra, Petrus Eccleſia, hæc igitur Eccleſia, quam ſignificabat Petrus quamdiù degit in malis amando, & ſequendo Chriſtum, liberatur à malis, ità ille. Simili ratione, vt dictum eſt quia Petri perſona repræſentabat Eccleſiam, neceſſario colligitur Petrum primum in ea obtinuiſſe locum & primatum inter reliquos, vt Rex regnum repreſentat, & regni totius ſuſtinet perſonam, & Gubernator, aut Princeps Ciuitatis, paterfamilias domus ſuæ, quem eſſe germanum eius ſenſum ipſe diuus Auguſtinus alibi ſæpè exponit in teſtimonijs, quæ paſſim hoc loco citaui.

Fundamentum quoque primum vnum Chriſtum eſſe, & angularem lapidem, idem diuus Auguſtinus docet, at poſt ipſum primum ſubſequentia fundamenta alia eſſe oſtendunt diuus Paulus, & Ioannes in Apocalypſi. Ità igitur nihil obſtat ſolum Chriſtum primum fundamentum eſſe, poſt Chriſtum Petrus, quod ei impoſitum à petra nomen indicat, ac reliqui deindè Apoſtoli. Quibus certè hoc nomen negari non poteſt.

Idem ſermone 13. de verbis Domini, in Euangelium ſecundùm Matthæum, de Chriſto ambulante ſuper aquas maris, & Petro titubante. Euangelium, quod recentiſſimè recitatum eſt de Domino Chriſto, qui ſuper

aquam

aquam maris ambulauit, & de Apoſtolo Petro; qui ambulans timendo titubauit, & diffidendo merſus, confitendo rursùs emerſit, admonet nos, intelligere mare præſens ſeculum eſſe. Petrum verò Apoſtolum Eccleſiæ vnicæ typum. Ipſe enim Petrus in Apoſtolorum ordine primus, in Chriſti amore promptiſſimus, ſæpè vnus reſpondit pro omnibus. Ipſe denique Domino Ieſu Chriſto requirenti, quem nam homines dicerent eum eſſe, & opiniones varias hominum diſcipulis reſpondentibus, rursùsque Domino interrogante, & dicente. Vos autem, quem me eſſe dicitis?

Reſpondit Petrus. Tu es Chriſtus filius Dei viui. Vnus pro omnibus dedit reſponſum, vnitas in multis: Tunc ei Dominus ait. Beatus es Simon Bar-Iona quia non reuelauit tibi caro, & ſanguis, ſed pater meus, qui eſt in Cœlis. Deinde addidit. Et ego dico tibi, tamquam diceret, quia tu dixiſti mihi: Tu es Chriſtus filius Dei viui, & ego tibi, tu es Petrus (Simon quippè ante vocabatur) hoc autem nomen ei vt Petrus appellaretur à Domino impoſitum eſt, & hoc, vt ea figura ſignificaret Eccleſiam. Quia enim Chriſtus petra, Petrus populus Chriſtianus; petra enim principale nomen eſt. Ideò Petrus à petra, non petra à Petro, quomodo non à Chriſtiano Chriſtus, ſed à Chriſto Chriſtianus vocatur. Tu es ergo, inquit, Petrus, & ſuper hanc petram, quam confeſſus es, ſuper hanc petram, quam cognouiſti dicens: Tu es Chriſtus filius Dei viui, ædificabo Eccleſiam meam: ideſt ſuper me ipſum filium Dei viui, ædificabo Eccleſiam meam, ſuper me ædificabo te, non me ſuper te. Nam volentes homines ædificari ſuper homines dicebant. Ego quidem ſum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ, ipſe eſt Petrus. Et alij, qui nolebant ædificari ſuper Petrum, ſed ſuper petram, ego autem ſum Chriſti. Apoſtolus autem Paulus vbi cognouit ſe eligi, & Chriſtum contemni, diuiſus eſt, inquit, Chriſtus?

Numquid Paulus pro vobis crucifixus eſt, aut in nomine Pauli baptizati eſtis? Quomodo non in Pauli, ſic nec in Petri, ſed in nomine Chriſti, vt Petrus ædificaretur ſupra petram, & non petra ſuper Petrum. Idem ergo Petrus à petra cognominatus B. Eccleſiæ figuram portans, Apoſtolatus principatũ tenens, cõtinuò poſt paululũ iam audito, quod beatus eſſet, iam audito, quod Petrus eſſet, iam audito, quod ſupra petram ædificatus eſſet, poſteàquam audiuit futuram Domini paſſionem, quia prædixerat eam citò futuram diſcipulis ſuis, diſplicuit ei; timuit ne perderet morientem, quem confeſſus fuerat vitæ fontem. Turbatus eſt, abſit à te, inquit, Domine, ne fiat iſtud. Propitius eſto tibi Domine, nolo te mori. Petrus dicebat Chriſto, nolo te mori, ſed melius dicebat Chriſtus volo pro te mori.

Idem ſermone 28. de ſanctis, qui quartus eſt in Apoſtolorum Petri, & Pauli natali, in fine. Ex piſcatore fecit Dominus Apoſtolorum principem; ex perſecutore fecit Apoſtolicum confeſſorem. Præſtitit paſſio ſocios, quos fecerat fidei prædicatio copulatos. Veneremur, ergo principes gregis noſtri, ſi volumus caulas intrare paſtoris.

Idem ſermone 29. qui eſt quintus de feſto Apoſtolorum Petri, & Pauli. Hic eſt quoque beatus Petrus in illa cœleſtium diſcipulorum ſchola præcipuus; ac primus idoneus, qui verba vitæ ex Chriſti ore ſuſcipiens per Euangelij poteſtatem Iudæorum gentem perditam quæreret, & abdicatos ad hæreditatem vocaret, interpres legis, aſſertor gratiæ, deſtructor Synagogæ, Eccleſiæ reparator, & ideò ſolus inter Apoſtolos meruit audire; Amen dico tibi quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Dignius certè, qui ædificandis in domo Dei populis, lapis eſſet ad fundamentum, columna ad ſuſtentaculum, clauis ad regnum. De hoc ait ſermo diuinus. Et ponebant, inquit, infirmos ſuos, vt vmbra ſaltem tranſeuntis Petri obumbraret eos, Si tunc opem ferre poterat vmbra corporis, quantò magis nunc plenitudo virtutis? Si tunc ſupplicantibus proderat aura quædam pertranſeuntis: quantò magis gratia nunc permanentis?

Idem ſermone 26. de ſanctis Apoſtolis Petro, & Paulo.

Primùm ſignum mirabile, quod beatus Apoſtolus Petrus fecit, claudo pedum reſtituendo vt diximus veſtigia. Audiſtis frequenter ipſum Petrum à Domino petram nuncupatum, ſicut ait. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Si ergo Petrus petra eſt, ſuprà quam ædificatur Eccleſia, rectè priùs pedes ſanat, vt ſicut in Eccleſia fidei fundamentum continet, ità & in homine membrorum fundamenta confirmet. Rectè, inquam, primum pedes Chriſtiano curat, vt iam non trepidus quis nec imbecillis poſſit ſuprà petram Eccleſiæ ſtare, ſed robuſtus, & fortis incedere.

Idem ſermone de tempore 124. Credendæ erant Petro Apoſtolo claues Eccleſiæ, immò creditæ ſunt ei claues Regni Cœlorum, credenda quoque ei erat populorum innumera multitudo, quæ eſſet pro ſuæ naturæ vitijs, paſſionibus, culpis inuoluta, atque peccatis. Denique ſic ad eum Saluator dicit. Tibi, inquit, dedi claues Regni Cœlorum. Deinde ſequitur dicens: Quæcunque ligaueris ſuper terram, erunt ligata, & in Cœlo, videlicet vt in clauibus fidelis ianitor, in ſententijs eſſet clementiſſimus diſpenſator. Erat enim reuera hic Petrus paulò durior, & ſeuerus, ſicut eius auſteritatem truncata ob Chriſti iniuriam ſerui principis Sacerdotum declarat auricula. Hic igitur tam durus, tamque ſeuerus ſi donum non peccandi à Domino fuiſſet indeptus, quæ venia commiſſis populis donaretur? Sed idcircò diuinæ prouidentiæ ſecretum ità temperauit atque permiſit, vt primus ipſe laberetur, ac rueret in peccatum, quo erga peccantes duriorem ſententiam proprij caſus intuitu temperaret. Quantum igitur diuini muneris erga ſalutem hominum, quantum curæ, quantumque ſollicitudinis impendatur, aduertite. Totius corporis morbum in ipſo capite curat Eccleſiæ, & in ipſo vertice componit membrorum omnium ſanitatem in ipſa confeſſionis Chriſti crepidine, in ipſo immobilis fidei fundamento, in Petro ſcilicet illo, qui dixerat; Etiamſi me oporteat mori tecum,

non

non te negabo. Hic eſt Petrus, qui diuina reuelatione prior omnium veritatem meruit confiteri dicens: Tu es Chriſtus filius Dei, hic tantus, & talis venit ad illam noctem, in qua Dominus tradebatur, & cum ſe calefacere vellet ad prunas, acceſſit ad eum puella, & dixit ei. Et tu heſterno die cum homine hoc eras, at ille mox reſpondit, neſcio hominem iſtum. Quid agis ô Petre futuræ rector Eccleſiæ, quid loqueris? Intuere quid ſis interrogatus, vel quid interroganti reſpondes; vox tua repente mutata eſt, hoc eſt omne illud, quod cito, ſed non cauto ſermone promiſeras; hoc eſt totum, quod etiam omnibus negantibus, te vſque ad mortem perſeuerare iuraueras?

Idem in ſermone 15. de ſanctis, qui eſt de Cathedra Petri 1. Inſtitutio ſolemnitatis hodiernæ à ſenioribus noſtris Cathedræ nomen accepit, ideò quod primus Apoſtolorum Petrus hodie Epiſcopatus Cathedram ſuſcepiſſe referatur. Rectè ergo Eccleſiæ natalem illius Sedis colunt, quàm Apoſtolus pro Eccleſiarum ſalute ſuſcepit, dicente Domino. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: Petrum itàque fundamentum Eccleſiæ Dominus nominauit: Et ideò dignè fundamentum hoc Eccleſia colit ſupra quod Eccleſiaſtici ædificij altitudo conſurgit. Vndè conuenienter, pſalmus qui lectus
Pſal. 116. eſt dicit. Exaltent eum in Eccleſia plebis, & in Cathedra ſeniorum laudent eum. Benedictus Deus, qui exaltari in Eccleſia hoc præcepit, quia dignum eſt, vt fundamentum hoc in Eccleſia honoretur, per quod ad Cœlum aſcenditur.

Idem in pſalmo contra partem Donati. Numerate Sacerdotes, vel ab ipſa Petri Sede & in ordine illorum patrum, quis cui ſucceſſit: videte, ipſa eſt petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ.

Idem in quæſtionibus noui teſtamenti, quæſtione 75. Accedentes exactores ad Petrum, qui primus inter Apoſtolos erat, cum ſolui debere ab eorum magiſtro dicerent di-
Matt. 17. drachmam, & infrà. Dicunt ergo exactores didrachmæ ad Petrum Apoſtolum: Magiſter veſter non ſoluit didrachma, &c. Quo dicto magiſtrum vt pro omnibus diſcipulis ſolueret, conuenerunt. Saluator autem cum pro ſe; & Petro dari iubet, pro omnibus exoluiſſe videtur. Quia ſicut in Saluatore erant omnes cauſa magiſterij, ità & poſt Saluatorem in Petro omnes continentur. Ipſum enim conſtituit caput eorum, vt paſtor eſſet Dominici gregis. Nam inter cætera dicit diſci-
Matt. 26. pulis: vigilate, & orate, ne intretis in tentationem. Et Petro dicit. Ecce Sathanas ex-
Lucæ 21. poſtulauit, vt vos ventilet ſicut triticum: Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu tandem conuerſus confirma fratres tuos. Quid ambigitur? Pro Petro rogabat, & pro Iacobo, & Ioanne non rogabat, vt cæteros taceam. Manifeſtum eſt in Petro omnes contineri; rogans enim pro Petro, pro omnibus rogaſſe dignoſcitur. Semper enim in præpoſito populus, aut corripitur, aut laudatur; quia & alio loco di-
Ioann. 17. cit. Ego pro his rogo quos mihi dediſti pater, & volo vt vbi ego ſum, & ipſi ſint mecum.

Idem lib. 2. quæſtionum Euangelicarum cap. 2. Quod Dominus de nauicula docet Lucæ 5.
turbas, ſignificauit hoc tempus, quando Dominus de auctoritate Eccleſiæ docet gentes, quin & illud verbum Petri. Exi à me quia homo peccator ſum, & quod tamen quia Chriſtus non fecit? Docet, inquit, munus Eccleſiaſticum, non deferendam peccatorum turbatione: vnde & alij laxant retia, ſed priùs id Petrum facere conſpiciunt. In verbo tuo, ait, laxabo rete.

Idem tractat. 27. ſuper cap. 6. Ioannis. Reſpondit Petrus pro omnibus, vnus pro multis, vnitas pro vniuerſis. Reſpondit ergo ei Simon Petrus; Domine ad quem ibimus? Repellis nos à te, da nobis alterum te. Si à te recedimus, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes. Videte quemadmodum Petrus dante Deo, recreante Spiritu ſancto, intellexit. Vnde niſi quia credidit? Verba vitæ æternæ habes. Vitam enim æternam habes, in miniſtratione corporis, & ſanguinis tui.

Idem ſermone de tempore 117. Percuſſit ergo Petrus autem pueri principis. Quare Petrus? quia ipſe accepit Regni Cœlorum rum claues, & ſoluendi, ligandique ipſe adeptus eſt poteſtatem.

Idem tractatu 47. ſuper Ioannem. Ideò Petro, quem volebat paſtorem bonum, ait. Petre amas me? paſce oues meas.

Idem ſerm. de verbis Domini 49. in Euangelium ſecundū Ioannem. Cum ergo nunc loqueretur dixit ſe eſſe paſtorem, dixit ſe eſſe, & ianuam. Vtrumq; ibi habes, & ego ſum Ianua, & ego ſum paſtor. Ianua eſt in capite, paſtor eſt in corpore. Dicit enim Petro, in quo vno format Eccleſiam, Petre amas me? Reſpondit. Domine amo te. Paſce oues meas. Et tertio. Petre amas me? contriſtatus eſt Petrus, quod eum tertio interrogauit, quaſi ille, qui vidit conſcientiam negatoris, non videbat fidem confitentis.

Idem in libro de Paſtoribus cap. 13. in ipſo Petro vnitatem commendauit. Multi erant Apoſtoli, & vni dicitur, [paſce oues meas.

Idem in ſermone 2. de cathedra Beati Petri, qui eſt 16. de Sanctis. Tamquam bonus enim paſtor tuendum gregem accepit, vt qui ſibi anteà infirmus fuerat fieret omnibus firmamentum, & quia ipſe interrogationis tentatione negauerat, cæteros fidei ſtabilitate fundaret.

Idem de agone Chriſtiano cap. 30. ait. Non enim ſine cauſa inter omnes Apoſtolos huius Eccleſiæ catholicæ perſonam ſuſtinet Petrus; huic enim Eccleſiæ claues regni cœlorum datę ſunt; & cum ei dicitur, ad omnes dicitur amas me? paſce oues meas. Debet ergo Eccleſia catholica correctis, & pietate firmatis filijs libenter ignoſcere, cum ipſi Petro perſonam eius geſtanti, & cum in mari titubaſſet, & cum Dominum carnaliter à paſſione reuocaſſet, & cum aurem ſerui gladio præcidiſſet, & cum ipſum Dominum ter negaſſet, & cum in ſimulationem poſteà ſuperſtitioſam lapſus eſſet, videamus veniam eſſe conceſſam, eumque correctum, atque firmatum, vſque ad Dominicæ paſſionis gloriam per-

perueniſſe, itá ille. In Petro porrò Eccleſia claues accepit, tamquam in capite, & ex hoc colligitur caput eſſe, quia ei datæ ſunt Eccleſiæ perſonam ſuſtinenti, & in ipſo ad omnes paſtores dictum, paſce oues, vtpotè quia ipſe primus paſtor, & quia aliorum forma, ex hoc etiam ſequitur eum primum eſſe paſtorem, atque ſupremum, quia in ipſo vno, ad omnes illa dicuntur, & in ipſo omnium forma præſcribitur, quia videlicet primus erat, & ſummus, ideò eius ad omnes forma ſe extendit.

Idem in Ioannem tractatu 56. Quis enim neſciat primum Apoſtolorum eſſe beatiſſimum Petrum?

Idem tract. vlt. ſuper illis verbis Ioann. cap. 21. Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? Duas itaque vitas ſibi diuinitus prædicatas, & commendatas nouit Eccleſia, quarum vna eſt in fide, altera in ſpecie, & infrà, Vna ſignificata eſt per Apoſtolum Petrum, propter ſui primatum, altera &c.

Idem lib. 2. cap. 1. de Baptiſmo contrà Donatiſtas. Commemorat, inquit Cyprianus, quod etiam nos in ſcripturis ſanctis didicimus, Apoſtolum Petrum, in quo primatus Apoſtolorum tam excellenti gratia præeminet, aliter, quam veritas poſtulabat de circumciſione agere ſolitum à poſteriore Apoſtolo Paulo fuiſſe correptum, & paulò infrà. Puto quod ſine vlla ſui contumelia Cyprianus Epiſcopus Petri Apoſtolo comparatur quantum attinet ad martyrij coronam; Cæterum magis vereri debeo, ne in Petrum contumelioſus exiſtam. Quis enim neſcit illum Apoſtolatus principatum cuilibet Epiſcopatui præferendum? Sed & ſi diſtat cathedrarum gratia, vna eſt tamen martyrum gloria.

Idem lib. 7. cap. 1. de baptiſmo contrà Donatiſtas. Sicut ergo Nazarei, circumciſi, Petro in primatu Apoſtolorum, martyrij gloria coronato, in ſui peruerſitate præciſi ab Eccleſia remanſerunt, ſic & iſti Cypriano, per abundantiam charitatis in ſorte ſanctorum paſſionis claritate ſuſcepto, ſe ipſos exules vnitatis agnoſcunt, & contrà vnitatis patriam pro ſuis calumnijs ciuem vnitatis opponunt.

Idem ſermone 3. in feſto Apoſtolorum Petri, & Pauli, qui eſt 27. de ſanctis. Cum omnes beati Apoſtoli parem gratiam, apud Dominum ſanctitatis obtineant, neſcio quo tamen pacto Petrus, & Paulus videntur præ cæteris peculiari quadam in Saluatore fidei virtute præcellere; Quod quidem ex ipſius Domini iudicio poſſumus approbare. Nam Petro ſicut bono diſpenſatori clauem regni cœleſtis dedit, Paulo tamquam idoneo Doctori gentium magiſterium Eccleſiaſticæ inſtitutionis iniunxit; ſcilicet vt quos iſte erudierit ad fidem, ille ſuſcipiat ad ſalutem; vt quorum corda Paulus patefecerit doctrina verborum, eorum animabus Petrus aperiat regna Cœlorum. Clauem enim quodammodo à Chriſto ſcientiæ, & Paulus accepit: Clauis enim dicenda eſt, qua ad fidem pectorum dura reſerantur, mentium ſecreta panduntur, & quicquid intrinſecus tenetur clauſum, in palam rationabili manifeſtatione producitur. Clauis (inquam) eſt quæ, & conſcientiam ad confeſſionem peccati aperit, & gratiam ad æternitatem myſterij ſalutaris includit. Ambo igitur claues à Domino perceperunt, ſcientiæ iſte, ille potentiæ. Diuitias immortalitatis ille diſpenſat, ſcientiæ theſauros iſte largitur. Sunt enim theſauri ſcientiæ ſicut ſcriptum eſt, In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi. Ergo beati Petrus, & Paulus eminent ſuper vniuerſos Apoſtolos, & peculiari quadam prerogatiua præcellunt.

Sanctus Hieronymus Stridonenſis Dalmata presbyter, qui anno Domini 395. florebat.

Is libro primo contrà Iouinianum: At dicis, Super Petrum fundatur Eccleſia, licet ad ipſum in alio loco ſuper omnes Apoſtolos fiat, & cuncti claues regni Cœlorum accipiant, & ex æquo ſuper eos Eccleſiæ fortitudo ſolidetur tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite conſtituto, ſchiſmatis tollatur occaſio. Sed cur non Ioannes electus eſt virgo? ætati delatum eſt, quia Petrus ſenior erat; ne adhuc adoleſcens, & penè puer, progreſsæ ætatis hominibus præferretur: & magiſter bonus qui occaſionem iurgij debuerat auferre diſcipulis, & qui dixerat eis pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis, & qui voluerit inter vos maior eſſe minimus omnium ſit: in adoleſcentem, quem dilexerat, cauſam præbere videretur inuidiæ.

Idem libro primo contrà Pelagianos. Quid Platoni, & Petro? vt ille enim princeps philoſophorum, ità, & hic Apoſtolorum, fuit, ſuper quem Eccleſia Domini ſtabili mole fundata eſt, quæ nec impetu fluminis, nec vlla tempeſtate concutitur.

Idem ſuper Matthæum cap. 16. Ego (inquit) dico tibi. Quid eſt quod ait, Et ego dico tibi? Quia tu mihi dixiſti: Tu es Chriſtus filius Dei viui: Et ego dico tibi, non ſermone caſſo, & nullum habente opus, ſed tibi dico, quia meum dixiſſe, & feciſſe eſt: Quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Sicut ipſe lumen Apoſtolis donauit, vt lumen mundi appellarentur, cæteraque ex Domino ſortiti ſunt vocabula; ità, & Simoni qui credebat in petram Chriſtum, Petri largitus eſt nomen; ac ſecundùm metaphoram petræ, rectè dicitur ei, ædificabo Eccleſiam meam ſuper te.

Idem ad Damaſum in Epiſtola 57. Ego nullum primum, niſi Chriſtum ſequens, beatitudini tuæ, ideſt, cathedræ Petri communione conſocior, ſuper illam petram fundatam Eccleſiam ſcio.

Idem ad Marcellum aduerſus Montanũ. Si igitur Apoſtolus Petrus ſuper quem Dominus fundauit Eccleſiam, in prophetiam, & permiſſionem Domini illo tempore completam memorauit.

Idem in Matthæum cap. 18. poſt inuentum ſtaterem, poſt tributa reddita: quid ſibi vult Apoſtolorum repentina interrogatio? In illa hora acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum dicẽtes: Quis putas maior eſt in regno Cœlorum? Quia viderant pro Petro, & Domino idem tributum redditum: ex æqualitate pretij, arbitrati ſunt Petrum omnibus Apoſtolis eſſe prælatum: qui in redditione tributi Domino fue-

fuerat comparatus : ideò interrogant : quis maior ſit in regno Cœlorum. Videnſque Ieſus cogitationes eorum, & cauſas erroris intelligens : vult deſiderium gloriæ, humilitatis contentione ſanare.

Idem in eundem cap. 10. Ordinem (inquit) Apoſtolorum, & meritum vniuſcuiuſq; illius fuit diſtribuere, qui cordis arcana rimatur &c. Cum à Matthæo primus Apoſtolorum appellatur Petrus, id dignitate intelligendum eſt. Nam vocatione, & ordine Andreas, eo prior fuit.

Idem in expoſit. Pſal. 13. Petrus Apoſtolorum princeps, & caput Eccleſiæ fuit.

Idem epiſtola 89. ad Auguſtinum. Hanc autem explanationem quam primus Origenes in 10. Stromatum libro, vbi epiſtolam Pauli ad Galatas interpretatur, & cæteri deinceps interpretes ſunt ſequuti : illa vel maximè cauſa ſubintroducunt, vt Porphyrio reſpondeant blaſphemanti, qui Pauli arguit procacitatem, quod Principem Apoſtolorum Petrum (quem ipſe Porphyrius appellat principem ſectæ ſuæ) auſus ſit reprehendere, & arguere in faciem, & ratione conſtringere, quod male fecerit : ideſt, in eo errore fuerit, in quo fuit ipſe, qui alium arguit delinquentē.

Idem in com. epiſt. ad Galat. cap. 1. Nam, & quod viſus ſit ire Hieroſolymam, ad hoc iſſe vt videret Apoſtolum, non diſcendi ſtudio, quia & ipſe eundem prædicationis habebat auctorem, ſed honoris priori Apoſtolo deferendi.

Idem in ſermone de vinculis Sancti Petri ad Euſtochium, quem quamquam quidam Hieronymi fuiſſe negent, ſatis tamen antiquus eſt, & tempore haud longe Hieronymo inferior, ſic ſcribit in perſona Conſtantini Imperatoris : Notum eſſe volumus omnibus Chriſtum pie colentibus, beatum Petrum Apoſtolum à Deo nobis datum paſtorem, & Principem ſummo ſtudio venerari velle aſſiduè, & maximè in hoc die kal. Auguſtarum, in quo vt Deus à vobis ſoliti eramus adorari : ità ipſe pius paſtor precibus Deo fuſis, nos & imperium noſtrum adiuuare dignetur. Et infrà. Ecce Apoſtolo pœnitenti ſuccurritur, qui eſt Epiſcoporum Epiſcopus, & maior gradus redditur ploranti quam ſublatus eſt neganti. Quod vt doceam, illud oſtendo quod nullus Apoſtolorum paſtoris nomen accepit : ſoli enim huius nominis poteſtatem poſt reſurrectionem ſuam Petro pœnitenti Dominus conceſſit, & negatus, quam ſolus habuit, Petro tribuit poteſtatem : vt non ſolùm recuperaſſe, quod amiſerat probaretur, verum, & multò ampliùs pœnitudo, quam negando perdiderat, acquiſiſſe, &c. ſcilicet, & gratiam & poteſtatem, qui eſt aduerſariorum error, ſed gratiam tantùm, quàm pœnitendo recuperauit, & poſt reſurrectionem vniuerſalem poteſtatem accepit.

B. Gregorius Magnus Papa Regiſtri epiſtola 33. lib. 3. Anno 590. ad Theodelindam Longobardorum Reginam. Cùm itaque integritatem noſtram ex aperta mea traditione, ſeu profeſſione cognoſcitis dignum eſt, vt de Eccleſia beati Petri Apoſtolorum Principis nullum vlterius ſcrupulum dubietatis habeatis, ſed in vera fide perſiſtite, & vitam veſtram in petra Eccleſiæ, hoc eſt in confeſſione beati Petri Apoſtolorum principis ſolidate.

Idem alio loco. Sanctæ Romanæ Eccleſię auctoritatis ſanctionem omnes teneant ſacerdotes, qui noluerint ab Apoſtolicæ Petræ ſuper quam Chriſtus vniuerſalem Eccleſiam fundauit, ſoliditate conuelli.

Idem Regiſtri lib. 3. epiſtola 41. ad Bonifacium. Hortor vos vt dum vitæ ſpatium ſupereſt, ab eiuſdem beati Petri Eccleſia, cui claues cœleſtis regni commiſſæ ſunt, & ligandi, & ſoluendi poteſtas attributa, veſtra anima non inueniatur diuiſa : ne ſi hic beneficium eius deſpicitur, illic vitæ aditum claudar. Hic autem, qui dubitationis veſtræ participes ſunt, ſi ad me venire voluerint, nullam ex me quaſi ex poteſtate prodeuntem violentiam pertimeſcant. Nam nos (licet in omnibus cauſis) in ijs tamen præcipuè, quæ Dei ſunt, ratione magis ſtringere homines, quam poteſtate feſtinamus.

Idem lib. 4. epiſtola 32. ad Mauritium Auguſtum. Cunctis enim Euangelium ſcientibus, liquet, quod voce Dominica ſancto, & omnium Apoſtolorum Principi Petro Apoſtolo totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt. Ipſi quippe dicitur : Petre amas me? paſce oues meas. Ipſi dicitur : Ecce Sathanas expetijt cribrare vos ſicut triticum, & ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua : & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. Ipſi dicitur; Tu es Petrus, & ſuper hanc petrā ædificabo Eccleſiam meā, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam. Et tibi dabo claues Regni Cœlorū; & quodcumq; ligaueris ſuper terrā erit ligatū & in cęlis, & quodcumq; ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis. Ecce claues regni cœleſtis accipit, poteſtas ei ligandi, & ſoluendi tribuitur. Cura ei totius Eccleſiæ, & principatus committitur.

Idem libro 6. epiſt. 5. ad Cyriacum Patriarcham Conſtantinopolitanum. Et paſtori ſanctæ Eccleſiæ dicitur : Simon Ioannis amas me? Paſce oues meas. Ex quibus verbis colligitur : quia ſi is qui valet, omnipotentis Dei oues renuit paſcere, oſtendit ſe paſtorem ſummum minimè amare.

Idem libro ſexto epiſtola 37. ſeu c. 201. ad Eulogium Epiſcopum Alexandrinum. Quis enim neſciat ſanctam Eccleſiam in Apoſtolorum Principis ſoliditate firmatam, quia firmitatem mentis traxit in nomine, vt Petrus à petra vocaretur? Cui veritatis voce dicitur : Tibi dabo claues Regni Cœlorum.

Idem homilia 21. ſuper cap. 16. Marci de Dominica reſurrectione. Quærendum nobis eſt cur nominatis diſcipulis, Petrus deſignatur ex nomine. Sed ſi hunc Angelus nominatim non exprimeret, qui magiſtrum negauerat : venire inter diſcipulos non auderet. Vocatur ergo ex nomine, ne deſperaret ex negatione. Qua in re conſiderandum nobis eſt, cur omnipotens Deus eum, quem cunctæ Eccleſiæ præferre diſpoſuerat, ancillæ vocem pertimeſcere, & ſeipſum negare permiſit. Quod nimirum magnæ eſſe actum pietatis diſpenſatione cognoſcimus, vt is qui futurus erat paſtor Eccleſiæ; in ſua culpa diſceret, qualiter alijs miſereri debuiſſet. Prius itaq; eum oſtendit ſibi : & tunc præpoſuit cæteris, vt ex ſua infirmitate cognoſceret quàm miſericorditer aliena infirma toleraret.

Idem

Digitized by Google

Idem homilia 24. ſuper cap. vltimum Ioannis. Captis autem tam magnis piſcibus, aſcendit Simon Petrus, & traxit rete in terram. Iam credo quòd veſtra charitas aduertat: quid eſt quod beatus Petrus rete ad terram trahit, ipſi quippe ſancta Eccleſia eſt commiſſa ipſi ſpecialiter dicitur. Simon Ioannis amas me? paſce oues meas. Quod ergo poſtmodum aperitur in voce, hoc nunc ſignatur in opere. Quia ergo prædicator Eccleſiæ nos à mundi huius fluctibus ſeparat, nimirum neceſſe eſt, vt rete plenum piſcibus Petrus ad terram ducat. Ipſe enim piſces ad ſoliditatem littoris pertrahit: quia ſanctè prędicationis voce ſtabilitatem ęternæ patriæ fidelibus oſtendit.

Idem libro moralium 17. cap. 16. in cap. Iob. 26. Scimus enim quod ille Apoſtolorum, ideſt, cœlorum primus, ante acceptam Spiritus Sancti gratiam, quoties dum mori timuit, vitam negauit.

Idem Dialogorum lib. 1. cap. 12. Numquid nam neſcis, Petre, quoniam Paulus Apoſtolus Petro Apoſtolorom primo in principatu Apoſtolico frater eſt? itá ille in Apoſtolico principatu ait; non vero in paſtorali officio, & poteſtate; & ideo Petrum Apoſtolorum primum vocauit.

Idem libro 26. Moralium cap. 22. in caput 36. Iob. Petrus namque auctore Deo. Eccleſiæ principatum tenens: à bene agente Cornelio, & ſeſe ei humiliter proſternente, immoderatiùs venerari recuſauit, ſeque illi ſimilem recognouit, dicens: Surge ne feceris, & ego ipſe homo ſum. Sed eùm Ananiæ, & Saphiræ culpam repetit, mox quanta ſuper cæteros potentia excreuiſſet, oſtendit. Verbo enim eorum vitam perculit, quam ſpiritu perſcrutante deprehendit: & ſummum ſe intrà Eccleſiam contrà peccata recoluit, quod honore ſibi vehementer impenſo, coram benè agentibus fratribus non agnouit. Illic communionem æqualitatis meruit ſanctitas actionis, hic zelus vltionis ius aperuit poteſtatis.

CAP. IX.

Aliorum Sanctorum Patrum Græcorum, & Latinorum, qui poſt Concilium Nicænum, & pacem Eccleſiæ datam, vixerunt, de Petri primatu ſententiæ.

SAnctus Hilarius Pictauorum in Gallijs Epiſcopus, Ann. 350. multis perſecutionibus ſub Imperatore Conſtantio pro fide catholica ab Arianis conſtanter toleratis illuſtris, in commentarijs in Matthæum canone 14. In Petro conſiderandum eſt, fide eum cęteros anteiſſe. Nam ignorantibus cæteris primus reſpondit: Tu es filius Dei viui. Primus paſſionem, dum malum putat, deteſtatus eſt. Primus, & moriturum ſe, & non negaturum ſpopondit. Primus lauari ſibi pedes prohibuit. Gladium quoque aduerſus eos, qui Dominum comprehendebant, eduxit. Aſcenſu autem eius in nauim ventum, & mare eſſe ſedatum, poſt claritatis ſuæ reditum, æterna Eccleſiæ pax, & tranquillitas indicatur. Et quia tum manifeſtus adueniet, rectè admirantes vniuerſi loquuti ſunt: Verè filius Dei eſt. Confeſſio enim vniuerſorum tum, & abſoluta, & publica erit, Dei filium non iam in humilitate corporea, ſed in gloria cœleſti pacem Eccleſiæ reddidiſſe.

Idem in commentarijs in Matthæum canone 16. Æditis itaque, quæ diuerſæ de eo erant, hominum opinionibus, quid ipſi de ſe ſentiat quærit. Petrus reſpondit: Tu es Chriſtus filius Dei viui. Et infrà. Et dignum planè confeſſio Petri præmium conſequuta eſt, quia Dei filium in homine vidiſſet. Beatus hic eſt, & vltrà humanum modum oculos intendiſſe, & vidiſſe laudatus eſt, non id quod ex carne, & ſanguine erat, contuens, ſed Dei filium cœleſtis patris reuelatione cōſpiciens, dignus iudicatus, qui quod in Chriſto Dei eſset, primus agnoſceret. O in nuncupatione noui nominis felix Eccleſiæ fundamentum: dignaque ędificatione illius petra, quæ infernas leges, & tartari portas, & omnia mortis clauſtra diſſolueret. O beatus celi ianitor, cuius arbitrio claues æterni aditus traduntur cuius terreſtre iudicium præiudicata auctoritas ſit in cęlo, vt quæ in terris aut ligata ſunt, aut ſoluta, ſtatuti eiuſdem conditionem obtineant, & in cœlo.

Idem in Pſalmum 52. Neganti quidem Petro, claues tamen regni cęlorum non ademit.

Idem in Pſalmum 131. Cum Ieſus quædam de paſſione ſua loquutus ad diſcipulos fuiſſet, & Petrus tamquam indignum hoc Dei filio deteſtatus eſſet: Petro cui ſuperius claues regni Cœlorum dederat, ſuper quem Eccleſiam ædificaturus erat, aduerſus quam portæ inferi nihil valerent, qui quæ in terris, vel ſoluiſſet, vel ligaſſet, ea in cœlis, vel ſoluta perſiſterent, vel ligata. Hunc itaque tali conuitio deteſtantem hoc ſacramentum paſſionis excepit. Vade poſt me Sathana, ſcandalum mihi es. Tanta enim ei religio fuit pro humani generis ſalute patiendi, vt Petrum primum filij Dei confeſſorem Eccleſiæ fundamentum, cœleſtis regni ianitorem, & in terreno iudicio iudicem cœli, Sathanæ conuitio nuncuparet.

Idem lib. 2. de Trinitate, qui locus citatus iam pridem fuerat à Leone Papa Primo ad Leonem Imperatorem epiſtola 97. cap. 3. Vnum igitur hoc eſt immobile fundamentum, vna hæc eſt fęlix fidei petra Petri ore confeſſa: Tu es filius Dei viui, tanta in ſe ſuſtinens argumenta veritatis, quantæ peruerſitatum quæſtiones, & infidelitatis calumniæ mouebuntur.

Idem libro 6. de Trinitate ſic ſcribit. Et poſt ſacramenti confeſſionem beatus Simon ædificationi Eccleſiæ ſubiacens, & claues Regni cœleſtis accipiens, &c. Et multò infrà. Hæc fides, Eccleſiæ fundamentum eſt, per hanc fidem infirmæ aduerſus eam ſunt portæ inferorum. Hæc fides Regni cœleſtis habet claues. Hæc fides, quæ in terris ſoluerit, aut ligauerit, & ligata ſunt in Cœlis, & ſolu-

ſoluta: Et paulò infrà. O miſeræ ſtultitiæ furor impius, non intelligens beatæ ſenectutis, fideique martyrem, & martyrem Petrum, pro quo Pater rogatus eſt, ne fides eius in tentatione deficeret, qui iterata à ſe dilectionis in Deum poſtulata profeſſione tentari ſe adhuc tanquam ambiguum, & incertum tertia interrogatione congemuit. Per id quoque à Domino poſt tertiam tentationis infirmitatem, paſce oues meas, ter meruit audire, qui in cunctorum Apoſtolorum ſilentio Dei filium reuelatione Patris intelligens, vltrà humanæ infirmitatis modum, ſupereminentem beatæ fidei ſuæ confeſſione gloriam promeruit.

S. Baſilius Cæſarienſis Epiſcopus vetuſtiſſimus poſt Gentilium perſecutiones, inter Græcos Theologus, qui circa annum Domini 370. floruit, lib. 2. contra Eunomium ſic ſcribit. Statim enim ex hac voce petra intelligimus Petrum Ionæ filium, qui fuit ex Bethſaida, Andreæ fratrem, qui ex Piſcatore ad Apoſtolatus miniſterium vocatus eſt, qui per fidei excellentiam Eccleſiæ ædificationem in ſe ipſum ſuſcepit.

Idem in proemio præceptionum latiùs diſputatarum. Ad hæc ſcitum fuerit, ſi illud Principis Apoſtolorum recordemur, meminerimuſque, cùm poſt tot præclarè, ac fœliciter geſta, toties fuiſſet beatus appellatus, ei
Ioan.13. b dictum fuiſſe illud. Niſi lauero te, non habebis partem mecum.

Idem homilia 57. de pœnitentia. Petrus ter abnegat, & in fundamento iacet, &c. Et infrà. At Petrus cùm dixiſſet, & benedictionem accepiſſet, dixiſſet: Tu es filius Dei altiſſimi, & audiſſet, Tu petra es: encomijs celeber factus eſt. Nam etiam ſi petra eſt, non vt Chriſtus petra eſt, ſed vt Petrus petra: Chriſtus enim reuera petra eſt inconcuſſa: Petrus verò propter petram.

Idem ex oratione 3. de peccato. Adminiſter, inquit, talis ac tantæ ſententiæ eſt beatus Petrus, qui alijs omnibus Diſcipulis antepoſitus fuit, & qui teſtimonium maius, ac beatitudinem longè ampliorem adeptus erat, cui denique claues Regni Cælorum erant concreditæ, ille inquam cùm audiat à Domino, niſi te lauero, &c.

Idem ex ſermone de iudicio Dei. Quid verò talis, ac tanti iudicij appatitor, atque adeò vehemens ſententiæ Dei aduersùs peccati auctorem miniſter Petrus? ille inquam beatus, qui & cæteris antelatus Diſcipulis fuit, cuique magnificentiùs, quàm reliquis omnibus datum teſtimonium eſt, magiſque quàm reliquis omnibus beatus appellatus, cui claues Regni cœleſtis commiſſæ, is, cum ei dicitur à Domino, niſi lauero te, non habebis partem meum, &c.

Cyrillus Epiſcopus Hieroſolymorum apud D. Thomam ex perſona Chriſti loquens, dicit Petro. Tu cum fine, & ego ſine fine cum omnibus, quos loco tui ponam, plenè, & perfectè ſacramento, & auctoritate ero ſicut ſum, & tecum.

Idem ex Catecheſi ſecunda. Nemo deſperet de ſua ſalute, Princeps Apoſtolorum excellentiſſimus, coram ancilla ter negauit Dominum: ſed ad ſe rediens, fleuit amarè. Fletus enim verè, ſeu ex corde pœnitentiam deſignat. Atque ideò non ſolùm negationis illius accepit condonationem, verùm etiam dignitatem Apoſtolicam non ablatam retinuit.

Idem in Catecheſi 11. Omnibus, inquit, Apoſtolis reticentibus (ſupra vires enim humanas hæc erat doctrina) Petrus Princeps Apoſtolorum, & ſupremus Eccleſiæ præco, non comminiſcens ſibi, neque ratione humana perſuaſus, ſed à Patre Deo, in mente illuminatus, dicit ad ipſum: Tu es Chriſtus, &c.

Idem in Cathecheſi 14. Teſtatur, inquit, Reſurrectionem Chriſti Petrus, qui anteà quidem negauerat, poſteà verò ter confeſſus eſt, & paſcere oues ſpiritales iuſſus.

Idem in Catecheſi 17. In eadem, inquit, Spiritus ſancti virtute, & Princeps Apoſtolorum, & Regni Cœlorum clauiger Petrus. Lyddæ, quæ nunc Diapolis vocatur, in Chriſti nomine paraliticum Æneam curauit.

S. Gregorius Nazianzenus Epiſcopus, in ſermone de moderandis diſputationibus. Ordo etiam in Eccleſijs ità ſtatuit, vt alij ſint oues, alij verò paſtores: ita vt hi quidem imperent, illi verò obediant, & poſt multa. Vides ne Chriſti Diſcipulos, qui omnes ſublimes ſunt, & electione digni? Petrus enim petra vocatur, eique Eccleſiæ fundamenta concreduntur; ille verò Ioannes plus diligitur, ac ſupra pectus Ieſu recumbit, & reliqui præeminentiam hanc æquo animo ferunt, &c.

Idem ex Apologetico ad patrem ſuum Gregorium, præſente Baſilio Magno. Occurrunt, inquit, hinc antiquus ille Iudex Manne, hinc deindè Petrus Eccleſiæ columen, quorum alter eum præſtantiorem, quàm natura ipſius, vireſque ferrent, viſionem ſenſiſſet. Actum eſt, inquit, de nobis vxor, alter Saluatoris præſentiam, &c.

Idem ex ſermone ad Iulianum tributorum exæquatorem. Nunc, inquit, Chriſtus tibi naſcitur, & Deus eſt, & homo efficitur, & cum hominibus conuerſatur. Quid autem ſibi vult hæc oratio? nimirùm, niſi me ſententia fallit, eos quibus huiuſmodi munera commiſſa ſunt, admonet, Deum ſemper maximis rerum adminiſtrationibus intereſſe. Et quidem vt deſcriptorum animos flecteret, tum demùm carnem ſumit, & cum hominibus verſatur: vt autem ſeruienti noſtræ ſolatium afferret, animique facilitatem, & æquitatem veluti lege ſanciret (nam ne id quidem contemptim prætereundum eſt) non modo ſuo, ſed etiam Petri Diſcipulorum omnium chariſſimi nomine, didrachmum pendit.

S. Gregorius Nyſſenus Epiſcopus, Magni Baſilij frater, in Opuſculis, titulo, vt petra vitæ Chriſtus, in diuinis Scripturis prædicatus eſt. Petra verò fidei, tanquam fundamentum: vt ipſe Dominus ait ad Principem Apoſtolorum: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: ſuper confeſſionem ſcilicet Chriſti: quia dixerat, Tu es Chriſtus filius Dei viui, &c. ita ille. Ecce Principem Apoſtolorum appellat, & ſuper eius confeſſionem, qua Chriſtum confeſſus eſt fundatam dicit Eccleſiam: non certè ſuper alterius Apoſtoli confeſſionem, ſed beati Petri.

Ma-

Digitized by Google

Maximus Conſtantinopolitanus Epiſcopus, in epiſtola ad Orientales. Omnes fines terræ, quæ Dominum ſincerè receperunt, & vbique terrarum Catholici veram fidem confitentes in poteſtatem Romanorum Pontificum tanquam in Solem reſpiciunt, & ex ipſa lumen Catholicæ, & Apoſtolicæ fidei recipiunt, nec immeritò, quia Petrus legitur primò perfectam fidem eſſe confeſſus, Domino reuelante, cùm dixit, Tu es Chriſtus filius Dei viui.

Et infrà. Decebat tantæ dignitatis, & ſapientiæ virum, non ab alio cœleſtis myſterij arcana requirere, niſi ab eo potiſſimùm, quem non potuit caro, & ſanguis inſtruere, ſed cui Dominus ipſe ſua ſecreta dignatus eſt aperire. Beatus es, inquit, Simon Bar-Iona, quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui in Cœlis eſt. Hunc enim ex cæteris mortalibus de toto Orbe conditor Orbis elegit, cui cathedram magiſterij principaliter poſſidendam tenere perpetuo priuilegij iure conceſſit, vt quiſquis diuinum aliquod, aut profundum noſſe deſiderat, ad huius præceptionis oraculum, doctrinamque recurrat, nec illi humiliter offerre, quod ſoluendum eſt erubeſcat, etiam ſi ipſe, quod quæritur non ignoret, numquid Angelus de Cęlo veniens erat neſcius docere Cornelium, quem videlicet vt id quod ſibi agendum eſſet ediſceret, deſtinauit ad Petrum: poterat planè ſanctus Angelus docere hominem gentilem, quid ſibi opus eſſet ad ſalutem, ſed eius nolebat vſurpare officium, cui docendi magiſterium fuerat commiſſum.

S. Optatus Afer Epiſcopus Mileuitanus, qui ſuperiorum tempore vixit, in ſecundo aduerſus Donatiſtas libro, ita ſcribit. Igitur negare non potes, ſcire te in Vrbe Romà primò Cathedram Epiſcopalem eſſe collocatam, in qua ſederit omnium Apoſtolorum caput Petrus, vnde & Cephas appellatus eſt, in qua vna Cathedra vnitas ab omnibus ſeruaretur, &c. Et infrà. Qui inferi portas ſuas habere noſcuntur, contra quas portas claues ſalutares accepiſſe legimus Petrum Principem ſcilicet noſtrum, cui à Chriſto dictum eſt. Tibi dabo claues Regni Cœlorum, & portæ inferorum non vincent eas. Vnde eſt ergo, quod claues Regni vobis vſurpare contenditis, qui contra Cathedram Petri (de Romana loquitur Sede) veſtris præſumptionibus, & audacijs ſacrilegio militatis?

Syricius Papa epiſt. 4. quæ inſeritur Concilio Telenſi, appellaturque epiſtola tractatoria, ad Epiſcopos Afros. Cùm in vnum plurimi fratres conueniſſemus, ad ſancti Petri Apoſtoli reliquias, per quem & Apoſtolatus, & Epiſcopatus in Chriſto cepit exordium, placuit nobis, &c.

Prudentius, qui cum Ambroſio, Hieronymo, & Auguſtino floruit in libro *peri ſtephanon* hymno in honorem Diui Laurentij ita ſcribit.

Et iam tenemus obſides
Fidiſſimos huius ſpei,
Hic nempè iam regnant duo
Apoſtolorum Principes,
Alter vocator Gentium,
Alter Cathedram poſſidens
Primam, recludit creditas
Aeternitatis ianuas.

Ioannes cognomento Chryſoſtomus Conſtantinopolitanus Epiſcopus, qui ſuperiorum ſeculo vixit, ſanctitate admirandus, doctrina celebris, facundia illuſtriſſimus, ſententiarum grauitate clarus, profunda ſenſuum interpretatione diuinus, ſæpè in ſuis commentarijs, hanc veritatem profeſſus eſt.

Primum homilia 9. de pœnitentia. Petrus ille Apoſtolorum Princeps, in Eccleſia prior amicus Chriſti, qui reuelationem ab hominibus non accepit, ſed à Patre, ſicut ſibi teſtimonium Dominus reddit: Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui in Cœlis eſt. Hic idem Petrus, Petrum cum dico, petram nomino indelebilem: crepidinem immobilem, Apoſtolum magnum, primum Diſcipulorum, primum vocatum, & primum obedientem.

Idem homilia 16. id eſt vltima ex varijs locis in Matth. de diuite, & paupere. Princeps Apoſtolorum Petrus, ſuper quem Chriſtus fundauit Eccleſiam, verè immobilis petra, & firma confeſſio. Et infrà. Et Petrus pro hamo piſcatorio, accepit claues Regni cœleſtis.

Idem homil. 2. in Pſal. 50. Audi denique quid Petro dixerit Chriſtus columnæ, & fundamento fidei, qui ob robur confeſſionis appellatus eſt Petrus, dicente Domino. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Et iterùm: Simon, inquit, quoties voluit Sathanas cribrare vos ſicut triticum, & ego rogaui pro te, ne deficeret fides tua.

Idem ſuper Matthæum homil. 55. Quid igitur Petrus omnium Apoſtolorum os, vertex conſortij totius? cum omnes interrogati eſſent ipſe ſolus reſpondet. Et quandoquidem de ſententia vulgi petebat, omnes reſponderunt; cum verò de ſua eos rogaret: Petrus confeſtim præſiliuit, ac præueniens ait. Tu es Chriſtus filius Dei viui, & infra. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Hic apertè prædixit magnam eorum, qui credituri, & erant, & ſunt multitudinem fore, & ſublimiora ſapere ipſum facit, & Eccleſiæ futuræ Paſtorem conſtituit. Et infrà. Et ego tibi dabo claues Regni Cœlorum. Animaduertis quo pacto ipſe etiam ad altiorem de ſe opinionem Petrum adducit, & ſeipſum duabus his pollicitationibus reuelando filium Dei oſtendit. Nam quæ Deus ſolus concedere poteſt, peccatorum ſcilicet remiſſionem, & vt futura Eccleſia tot tantiſque fluctibus impetu irrumpentibus immobilis permaneat, cuius caput, & Paſtor piſcator homo, atque ignobilis terrarum Orbe reluctante, adamantis naturam firmitate ſuperet; Hæc, inquam, omnia quæ ſolius Dei ſunt, ſe pollicetur daturum. Ità & Pater ad Hieremiam dicebat: Sicut columnam ferream, & ſicut murum æneum poſui te. Sed ipſum quidem genti viſi Pater, hunc autem vniuerſo terrarum Orbi Chriſtus prepoſuit. Et paulò infra ait: Tu verò mecum es, eis omnibus quanta ſit Petri poteſtas intellige. Ego tibi dico, inquit, Tu es

es Petrus, & ego ſuper te ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claues Regni Cœlorum, &c. Quamquam enim multa ſunt alia in eadem homilia, quæ excellentiam primatus Petri vehementer extollunt, ad reliqua tamen teſtimonia mihi properanti ſatis hæc viſa ſunt, quæ in medium afferrentur.

Idem homil. 33. in eundem. Et Marcus quidem, ex dignitate ipſos numero collocauit, Si ergo alij non curauerunt ſeriem dignitatis contexere Apoſtolorum, ſaltem cum Marcus illam obſeruauit, indicat nobis Petrum eſſe omnibus prælatum.

Idem homil. in Pſal. 129. Quid verò ſummum illum Petrum, non poteſt innumerabilia ſigna, & miracula, tantamque admonitionem, & exhortationem arguit in grauiſſimum illum lapſum cecidiſſe? Illud tamen prætermiſit, & Apoſtolorum eum primum conſtituit: & ideò dixit: Simon, Simon ecce expetiuit Satanas cribrare te tanquam triticum: ego autem oraui pro te, ne deficiat fides tua. Et in Pſal. 108. appellat Petrum Apoſtolorum Principem.

Idem ſuper Matth. homil. 59. in cap. 17. Vidiſti honoris excellentiam, vide nunc quãta philoſophia vtitur Petrus. Hunc enim locum Marcus, qui Petri diſcipulus fuit, ideo non ſcripſiſſe videtur, quoniam ingens hinc honor magiſtro deferebatur. Et infrà. Pro me verò, inquit, & te, quoniam & Petrus primogenitus erat. Miraris omnipotentiam Chriſti, mirare etiam diſcipuli fidem, qui ad rem ità natura incredibilem illicò paruit, cuius quidem fidei retributionem confeſtim habuit, Chriſto in ſolutione tributi coniunctus. In illa hora adierunt diſcipuli ad Ieſum dicentes. Quis putas maior eſt in Regno Cælorum? Humanum quid paſſi diſcipuli ſunt, quòd Euangeliſta quoque ſignificauit dicens: In illa hora, quando ſcilicet cæteris omnibus Petrum prætulit. Nam eum, & Iacobus, & Ioannes primogeniti eſſent, nihil tamen tale pro ipſis feciſſe videtur; veriti autem turbationem profiteri ſuam, non apertè Petrum præponi ſibi, ſed confusè. Quis ergo maior eſt? interrogauerunt. Quando certos præferri conſpexerunt, nihil tale paſſi ſunt: cum verò ad vnum delatus eſt honor, tunc mirum doluerunt: quamuis non ex hac re ſolum, ſed ex alijs quoque multis inflammati fuerunt. Tum quia dixit illi: Dabo tibi claues Regni Cœlorum; tum quia Beatus es Simon Bar Iona. Tum etiam hic, Da eis pro me, & te: Tum denique quia liberius eum Chriſto colloqui conſpiciebant, &c.

Idem homil. 55. in Matthæum, ſuper illa verba: Ecce nos reliquimus omnia, &c. Interrogat Petrus, vt tu inops diſcas quoniam in nullo huic diminutus eſt. Et infra: Qui enim claues Regni Cęlorum acceperat, pro his, quæ ibi ſunt confidit, & pro Orbe terrarum interrogat.

Idem alibi. Inſtante quoque tempore paſſionis ſoli Petro dixit, Simon dormis? non potuiſti vna hora vigilare mecum, quaſi Dominus voluiſſet oſtendere, ipſum præ cæteris ex commiſſione ſui officij vigilare debuiſſe.

Idem homil. 4. de verbis Eſaiæ. Vidi Dominum. Quid autem Petrus baſis Eccleſiæ, ille vehemens amator Chriſti, ille ſermone indoctus, & rhætorum victor, ille imperitus, qui tamen philoſophis obturauit os, ille qui Græcamque ſapientiam non aliter, quam aranearum telam diſſoluit, qui terrarum Orbem peragrauit, qui ſagenam miſit in mare, & piſcatus eſt Orbem terrarum.

Idem ſuper Ioan. homil. 87. Quid tandem alijs omiſſis his dumtaxat Petrum affatur? Os erat Apoſtolorum, & Princeps: propterea & Paulus eum præter alios viſurus aſcendit, ſimul vt ei oſtenderet iam ſibi fiduciam habendam; tanquam enim negationis obliuiſceretur, fratrum ei curam committit, neque negationis meminit, neque exprobrat, tantùm dicit: Si amas me, fratrum curam ſuſcipias; & quam in omnibus dilectionem oſtendiſti, & qua delector, nunc oſtende, & animam, quam pro me poſiturum dixiſti, hanc pro ouibus meis trade, & infra. Ter autem interrogat, & ſemper idem præcipit, vt demonſtret quanti ouium ſuarum curam faciat, & quòd hoc maximum ſit amoris argumentum, & infrà. Et cùm hoc dixiſſet, inquit, ei, ſequere me. Quibus verbis iterum curam, & familiarem in eum affectum oſtendit. Quòd ſi quis percontaretur, quomodo igitur Iacobus ſedem Hieroſolymis acceperit? reſponderem hunc totius Orbis magiſtrum præpoſuiſſe. Et infra. Nam cùm magna Chriſtus Petro communicaſſet, Orbis terrarum curam demandaſſet, martyrium prædixiſſet, & maiorem erga eum dilectionem teſtatus eſt: ità ille.

Idem ſuper acta Apoſtolorum Petrus à filio, ſuper omnes, qui filij ſunt, poteſtatem accepit.

Idem homilia de Iona Propheta. Quantum meritum lachrymarum Petri fuerit, nullus poterit verbo explicare; ſed rerum demonſtrat euentus. Poſt lapſum enim illius denegationis, cui nullum malum poterit comparari, priori eum Chriſtus reddidit Eccleſiæ, & totius Orbis Eccleſiæ ſolicitudinem, curamque ei commiſit. Et quod plus eſt, vltra omnes Apoſtolos, erga Dominum eum oſtendit habere charitatem, Petro namque ait, Amas me? Quid hoc verbo glorioſius?

Idem in ſermone de præmijs Sanctorum. Ieſus Petrum reliquis prætulit dicens: Petre amas me plus his? &c.

Idem homil. 1. de pœnitent. Et qualis, inquit, quantáque fuerit lachrymarum vis, ſermo non potuit explicare; ipſe autem rerum exitus manifeſtè oſtendit. Etenim crudelem poſt illum caſum (nam nullum negationi par malum) ſed tamen poſt malum, iterum eum ad priorem honorem reuehit, & Eccleſiæ primatum gubernationemque ſibi per vniuerſum mundum tradidit; quodque omnium eſt ſublimius, oſtendit eum nobis ad Dominum maiorem Apoſtolorum omnium charitatem habuiſſe. Petre, inquit, diligis me plus his? Huic autem ad virtutis rationem nihil ſanè par fuerit, &c.

Idem homil. 2. in Pſal. 50. Petrus amarè negato Chriſto fudit lachrymas, abſterſit peccatum ſuum, & accepit priſtinam dignitatem.

Idem homil. 80. ad populum Antiochenum.

num. Petrus poſt illum grauem caſum (negationi namque nullum eſt malum æquale) rurſùm eum ad priorem dignitatem reduxit pœnitentia, & ei per totum Orbem terrarum Eccleſiæ pręſidentiam tradidit; & quòd omnibus maius eſt, illum nobis maiorem omnibus Apoſtolis in Dominum habere charitatem oſtendit.

Idem oratione 5. in Iudæos. Petrus itàque poſt illam nefariam abiurationem, quoniam celeriter ſuum ipſius peccatum recordatus eſt, nulloque accuſante dixit peccatum, fleuitque amarè, adeo abluit illam abnegationem, vt etiam primus Apoſtolorum fuerit factus, ac terrarum Orbem totum ſubiecerit.

Idem ex homilia vltima de varijs locis in Matth. quatuor mirabiles mutationes fecit Deus, de Piſcatore primum Eccleſiæ Paſtorem; de perſecutore Doctorem gentium, & Magiſtrum; de publicano primum Euangeliſtam; & de latrone primum Cœlicolam.

Idem in cap. Matth. 26. homil. 38. Ideo ſe Chriſtus ipſum Apoſtolorum verticem negare permiſit. Et infra. Vt diſceret in omnibus Chriſto parere.

Idem homil. 4. in cap. 2. actuum Apoſtolorum. Communem vocem vndecim edebant, ac Petrus omnium erat os, ſed aſtabant illi vndecim teſtimonio ſuo comprobantes, quæ ab illo dicebantur.

Idem de locis varijs in Matth. Petrus hoc interrogabat, in quo vniuerſalis Eccleſia
Matt.18. c fundata eſt; & infra. Ideo de ſepteuario numero interrogabat primus Apoſtolus Petrus, &c.

Idem homil. 3. ad populum Antiochenum. Petrus primus inter Apoſtolos Chriſtum prædicauit.

Idem alibi ſæpiſſimè Petrum principis Apoſtolorum epitheto ornat: ſed præcipuè homil. 38. in cap. 15. epiſt. primæ ad Corinth.

D. Epiphanius Salaminæ Cypriorum
Anno 400. Epiſcopus, Superiorum Sanctorum Patrum Coætaneus, in lib. 2. contra hæreſes, de hæreſi 59. Catharorum, ſcribens ait. Sanctus ille Petrus, ac Summus Apoſtolorum, qui verè factus eſt nobis firma petra fundans fidem Domini, ſuper quam ædificata eſt Eccleſia per omnes modos, primum quidem, quia confeſſus eſt Chriſtum filium Dei viuentis, & audiuit, ſuper hanc petram firmæ fidei ædificabo Eccleſiam. Quandoquidem manifeſtè confeſſus eſt ipſum filium Dei verum. Nam quòd dixit filium Dei viuentis, oſtendit filium genuinum eſſe, cum appoſitione viuentis, velut in omni fermè hæreſi de hoc à me dictum eſt. Sed & de Sancto Spiritu idem nos munit, dicens ad Ananiam, & vxorem eius; cur tentauit vos Satanas, vt mentiremini Spiritui Sancto? Non hominimentiti eſtis ſed Deo. Quia ex Deo eſt ſpiritus, & non alienus à Deo. Sed & hic firma petra ædificationis, & fundamentum domus Dei factus eſt, in eo quòd abnegauit ipſum, & rurſùs conuerſus eſt, & à Domino inuentus, ac dignus factus vt audiret, paſce oues meas: & paſce agnos meos: & paſce oues meas.

Idem in libro cui Ancorati nomen eſt. Petrus, inquit, Apoſtolorum dignus factus eſt, vt beatus prædicaretur à Domino, quòd pater ipſi reuelaſſet. Et paulò poſt. Ipſe autem Dominus conſtituit eum primum Apoſtolorum, petram firmam ſuper quam Eccleſia Dei ædificata eſt, & portæ inferorum non valebunt aduerſùs illam. Portæ autem inferorum ſunt hæreſes, & hæreſiarchæ. Iuxta omnem enim modum in ipſo firmata eſt fides, qui accepit clauem Cœlorum, & ſoluit in terra, & ligat in Cęlo. In hoc enim omnes quæſtiones, & ſubtilitates fidei inueniuntur. Hic eſt, qui ter negauit, & ter ſe deteſtatus eſt antequam gallus caneret. Hic excellentiam ſuæ erga Dominum ſuum dilectionis ſignificans, affirmans dixit: Etiam ſi omnes negabunt te, ego non negabo: quantum in homine eſt, dico. Hic eſt, qui plorauit ad vocem galli, vt verè confiteretur filij Dei conceptionem, non in apparentia eſſe, ſed veram: vt diceret ipſum verum hominem, in plorando ob eum, qui propter conceptionem ſuam traditus eſſet. Hic eſt ſocius eius, qui ſuper pectus Domini recubuit. Ille enim à Domino diſcens, & à filio accipiens cognitionis facultatem, reuelauit. Hic verò à patre accepit, certitudinem fidei fundans. Hic in naui, in mari Tiberiadis nudus rurſùs vbi vocatus fuit, piſcatus eſt. At diſcipulus quem diligebat Ieſus, ob verbum quòd dixit Saluator, pueri nunquid obſonij habetis? Et ait; Mittite in dexteram nauigij partem, & inuenietis. Ob hoc, inquam verbum, conſternati illi ſunt. Et dicit Ioannes quem diligebat Ieſus, Dominus eſt: homo quidem ſecundum carnem à Maria genitus in veritate, non apparentia: Deus autem ſpiritus exiſtens, qui a cœleſtibus ex patre venit, hic eſt qui audiuit ex ipſo, Petre paſce agnos meos, cui concreditum eſt ouile: qui benè deduxit per virtutem Domini ſui; qui confitetur de carne, qui verè quæ patris ſunt denunciat de filio: qui ſpiritum indicat, & dignitatem ipſius in deitate: qui dexteram porrexit Paulo, & Barnabæ ſocietatis, cum Iacobo, & Ioanne, vt per tres teſtes ſtet omne verbum. Nihil enim ſine duobus, aut tribus teſtibus eſſe poteſt.

Innocentius Papa epiſt. 2. ad Victricium Anno 402.
Rothomagenſem Epiſcopum, Incipiamus ergo adiuuante Deo, & ſancto Apoſtolo Petro, per quem & Apoſtolatus, & Epiſcopatus in Chriſto cępit exordium, &c.

Paulinus quoque eorum temporum, Anno 410.
Epiſcopus Nolanus, hunc Petri primatum, in Felicis natali 4. ſic expreſſit.

. . . . ſic ipſa piorum
Gratia concordat, veterem remeare recenti
Hiſtoriæ video ſpeciem, qua iuſſus adiri
Biſſeno Princeps ſuper agmine diſcipulorum
Petrus, ſponte ſua vinclis labentibus, è que
Carcere proceſſit clauſo, qua prauius illum
Angelus Herodi prædam furatus agebat.

Cyrillus Epiſcopus Alexandrinus lib. 2.
ſuper Ioan. cap. 12. Chriſtus Petrum inſtituit, Anno 430.
eum ſe eſſe, qui cuncta etiam antequam fiant nouit; nec Simon fore iam ſibi nomen, ſed Petrus prædicit: vocabulo ipſo commodè ſignificans, quod in eo, tamquam in petra lapide-

que

que firmiſſimo ſuam eſſet ædificaturus Eccleſiam, &c.

Ioann. 6. g Idem lib. 4. cap. 28. in illud Ioannis: Domine, ad quem ibimus? Per vnum qui præerat, omnes reſpondent, ſanctam profectò, ſanctiſque congruentem diſciplinam optin.è conſeruantes; & poſterioribus prudentiæ, & modeſtiæ laudabilia præbentes exempla. Decet enim non omnes confusè, nec proſilientes imprudenter, quaſi rapta vti oratione; ſed cedere ijs, qui & conſilio, & ordine præpoſiti ſunt.

Idem lib. 9. cap. 15. Per Petrum, qui omnibus præerat, interrogare maluerunt.

Ioann. 13. d Idem lib. eodem cap. 25. Petro quia maior erat; cæteri diſcipuli committebant; vt Chriſtum rogaret, quo ire vellet.

Idem lib. eodem cap. 29. Cum Chriſtus vna nocte ter negaturum eſſe Petrum dixit, tunc breuiſſimè magnitudinem periculorum antè oculos poſuit. Vndè alij quoque Diſcipuli commoti, cogitabant qualis, quantaque tentatio illa futura eſſet, qua primus eorum adeò quatietur, vt in breuiſſimo tempore ter in negationem lapſurus eſſet, quomodò ergo minores nos euademus? aut quis feret Petro ſuccumbente?

Idem lib. 9. ſuper Ioannem cap. 35. Diſcipuli non dubitarunt exclamare per Principem conſortij ſui. Tu es Chriſtus filius Dei viui.

Idem lib. 10. ſuper Ioannem c. 41. Beatus enim Petrus Diſcipulorum omnium Princeps, narranti quæ paſſurus erat Saluatori reMatt. 16. d ſiſtebat clamans: Propitius tibi eſto Domine, ne fiat tibi hoc.

Idem ſuper Ioannem. Chriſtus omiſſis cæteris venit ad Petrum, cæteris prælatum, neque admittam aliquem temerarium verba de Ieſu infringere volentem, quaſi oratio eius exaudita non fuerit.

Idem lib. 12. cap. 63. Trahit autem Petrus rete, per quem labor Apoſtolorum non eſſe inanis intelligitur. Nimirum quia ſine capite nullius vigoris membra eſſe poſſunt.

Idem lib. 12. cap. 64. in eumdem Ioannem. Vos autem quem me eſſe dicitis? Petrus vt Princeps caputque cæterorum primus exclamauit. Tu es Chriſtus filius Dei viui, &c. Ex quibus apparet (vt Cyrillus teſtatur) Petrum fuiſſe Principem, & Caput omnium Apoſtolorum. Vbi deindè addit: Tertia confeſſione Petri, trinæ negationis delictum euacuatum eſt. Dixit autem, paſce agnos meos: Apoſtolatus ſibi renouans dignitatem, ne propter negationem, quæ humana infirmitate accidit, labefactata videretur.

Idem lib. 14. Theſaur. cap. 2. vbi agit de Spiritu ſancto, qui eſt Deus. Petrum Apoſtolorum apicem vocat, & lib. 4. de Trinitate, & alibi, ſæpè beatum Petrum cæteris prælatum ſcribit.

Anno 430. Ex Concilio Epheſino tom. 2. cap. 16. Philippus Presbyter Apoſtolicæque Sedis Legatus, in Concilio Epheſino dixit: Nulli dubium, immò ſeculis omnibus notum eſt, ſanctum beatiſſimumque Petrum Apoſtolorum Principem, & Caput, fideique columnam, Eccleſiæ Catholicæ fundamentum, à Domino Ieſu Chriſto Saluatore noſtro, humanique generis Redemptore cœleſtis regni claues accepiſſe, ſoluendique, atque ligandi poteſtate, quam acceperat, vſum fuiſſe, nec non per ſucceſſores ſuos hucuſque ſemper viuere, cauſaſque decernere, ſemperque victurum eſſe.

In eiuſdem Concilij tom. 6. cap. 13. ſuper illa verba. Vos autem quem me eſſe dicitis? Vos, inquit, qui me tres iam annos ſequuti eſtis, quique meam virtutem, & prodigia vidiſtis, & ſuper mare ambulantem ſpectaſtis, & in eadem menſa mecum communicaſtis, quem me eſſe dicitis? Mox Petrus Apoſtolorum coriphæus, eorumdemque os reſpondit; Tu es Chriſtus filius Dei viui.

In eiuſdem Concilij tom. 2. cap. 15. Philippus presbyter, & Apoſtolicæ Sedis Legatus, dixit. Gratias agimus ſanctæ venerandæque huic Synodo, quod literis Cœleſtini ſanctiſſimi, beatiſſimique Papæ vocis recitatis, ſancta Eccleſiæ membra, ſanctis veſtris vocibus, pijſque præconijs, ſancto veſtro capiti vos exhibueritis, non enim ignara eſt veſtra beatitudo, totius fidei, cæterorumque omnium Apoſtolorum Caput beatum Apoſtolum Petrum extitiſſe.

Sanctus Leo Papa ſermo 2. anniuerſarij electionis ſuæ. Manet ergo diſpoſitio veritatis, & beatus Petrus in accepta fortitudine petræ perſeuerans, ſuſcepta Eccleſiæ gubernacula non reliquit. Sic enim præ cæteris eſt ordinatus, vt dum petra dicitur: dum fundamentum pronuntiatur: dum Regni Cœlorum ianitor conſtituitur: dum ligandorum ſoluendorumque arbiter, manſura etiam in Cœlis iudiciorum ſuorum definitione, præficitur, qualis ipſi cum Chriſto eſſet ſocietas, per ipſa appellationum eius myſteria noſceremus. Anno 440.

Idem epiſt. 89. ad vniuerſos Viennenſis Prouinciæ Epiſcopos. Ità Dominus noſter Ieſus Chriſtus humani generis Saluator inſtituit, vt veritas, quæ anteà legis, & prophetarum præconio continebatur, per Apoſtolicam tubam in ſalutem vniuerſitatis exiret, ſicut ſcriptum eſt: In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines Orbis terræ verba eorum. Pſalm. 18. Sed huius muneris ſacramentum ità Dominus ad omnium Apoſtolorum officium pertinere voluit, vt in beatiſſimo Petro, Apoſtolorum omnium ſummo, principaliter collocaret; vt ab ipſo quaſi quodam capite, dona ſua velut in corpus omne diffunderet, vt exortem ſe myſterij intelligeret eſſe diuini, qui auſus fuiſſet à Petri ſoliditate recedere. Hunc enim in conſortium indiuiduæ vnitatis aſſumptum, id quod ipſe erat, Dominus voluit nominari, dicendo: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; vt æterni ædificatio templi, mirabili munere gratiæ Dei in Petri ſoliditate conſiſteret; hac Eccleſiam ſuam firmitate corroborans, vt illam, nec humana temeritas poſſet appetere, nec portæ contra illam inferi præualerent. Verùm hanc petræ iſtius ſacratiſſimam firmitatem, Deo (vt diximus) ædificante conſtructam, nimis impia vult præſumptione violare, quiſquis eius poteſtatem tentat infringere, fauendo cupiditatibus ſuis, & id, quod accepit à veteribus, non ſequendo.

Idem ſermone primo de Aſcenſione Domini. Petro, inquit, Apoſtolo ſupra cæteros

poſt

poſt Regni claues, ouilis Domini cura mandatur.

Idem ſermone habito in Synodo. Admonente diuinæ vocis imperio, quo beatiſſimus Apoſtolus Petrus trina admonitione, miſticis ſanctionibus, imbuitur, vt Chriſti oues, qui Chriſtum diligit paſcat, & ipſius ſedis, cui per abundantiam diuinæ gratiæ præſumus, pro reuerentia coarctamur, ne profeſſio ſummi Apoſtoli non inueniatur in nobis, quia quoties quis negligenter paſcit Dominicum gregem commendatum, toties conuincitur ſuum non amare paſtorem.

Idem ſerm. 3. de anniuerſario die aſſumptionis ſuæ ad Pontificatum. Vnus de toto mundo Petrus eligitur, qui & vniuerſarum gentium vocationi, & omnibus Apoſtolis, cunctiſque Eccleſiæ patribus præponatur; vt quamuis in populo Dei multi ſacerdotes ſint, multique paſtores, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit, & Chriſtus. Magnum, & mirabile huic viro dilectiſſimi conſortium potentiæ ſuæ tribuit diuina dignatio; & ſi quid cum eo commune cæteris voluit eſſe principibus, numquam niſi per ipſum dedit, quicquid alijs non negauit. Omnes denique Apoſtolos Dominus, quid de ſe opinentur homines, interrogat: & tamdiù ſermo reſpondentium communis eſt, quamdiù humanæ intelligentiæ ambiguitas explicatur. At vbi, quid habeat ſenſus Diſcipulorum, exigitur, primus eſt in Domini confeſſione, qui eſt primus in Apoſtolica dignitate, & poteſtate. Qui cum dixiſſet: Tu es Chriſtus filius Dei viui: reſpondit ei Ieſus: Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater meus, qui in cœlis eſt. Ideſt, ideò beatus es, quia pater meus te docuit, nec terrena opinio te fefellit, ſed inſpiratio te cœleſtis inſtruxit; & non caro, & ſanguis, ſed ille me tibi, cuius ſum vnigenitus filius, indicauit. Et ego, inquit, dico tibi; hoc eſt, ſicut meus pater tibi manifeſtauit diuinitatem meam: ità & ego tibi notam facio excellentiam tuam, quia tu es Petrus. Ideſt, cùm ego ſim inuiolabilis petra, ego lapis angularis, qui facio vtraque vnum, ego fundamentum, præter quod nemo poteſt aliud ponere: tamen tu quoque petra es, quia mea virtute ſolidaris, vt quæ mihi poteſtate ſunt propria, ſint tibi mecum participatione communia. Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam. Super hanc, inquit, fortitudinem æternum extruam templum; & Eccleſiæ meæ Cœlo inſerenda ſublimitas, in huius fidei firmitate conſurgit. Hanc confeſſionem portæ Inferi non tenebunt, mortis vincula non ligabunt; Vox enim iſta, vox vitæ eſt. Et ſicut confeſſores ſuos in cœleſtia prouehit: ità negatores ad inferna demergit. Propter quod dicit beatiſſimo Petro: Tibi dabo claues Regni Cœlorum; & quæcumque ligaueris ſuper terram, erunt ligata & in Cœlis. & quæcumque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta, & in Cœlis. Tranſiuit quidem in alios Apoſtolos vis poteſtatis iſtius, & ad omnes Eccleſiæ Principes decreti huius conſtitutio commeauit: ſed non fruſtrà vni commendatur, quod omnibus intimatur. Petro enim ideò hoc ſingulariter creditur, quia cunctis Eccleſiæ rectoribus Petri forma præponitur. Manet ergo Petri priuilegium, vbicumque ex ipſius fertur æquitate iudicium. Nec minima eſt, vel ſeueritas, vel remiſſio, vbi nihil erit ligatum, nihil ſolutum, niſi quod beatus Petrus, aut ſoluerit, aut ligauerit.

Inſtante autem paſſione ſua Dominus, quæ Diſcipulorum erat turbatura conſtantiam, Simoni inquit: Simon, ecce Sathanas expoſtulauit vos, vt cribraret ſicut triticum: ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos, vt non intretis in tentationem. Commune erat omnibus Apoſtolis periculum de tentatione formidinis, & diuinæ protectionis auxilio pariter indigebant. Quoniam Diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere, & tamen ſpecialis à Domino Petri cura ſuſcipitur, & pro fide Petri propriè ſupplicatur, tanquam aliorum ſtatus certior ſit futurus, ſi mens Principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, & diuinæ gratiæ ità ordinatur auxilium, vt firmitas, quæ per Chriſtum Petro tribuitur, per Petrum Apoſtolis conferatur.

Cum itàque dilectiſſimi tantum nobis videamus præſidium diuinitus inſtitutum, rationabiliter, & iuſte in Ducis noſtri meritis, & dignitate lætamur, gratias agentes ſempiterno Regi Redemptori noſtro Domino Ieſu Chriſto, qui tantam potentiam dedit ei, quem totius Eccleſiæ Principem fecit: vt ſi quid etiam noſtris temporibus rectè per nos agitur, rectèque diſponitur, illius operibus, illius ſit gubernaculis deputandum, cui dictum eſt: Et tu conuerſus, confirma fratres tuos. Et cui poſt reſurrectionem ſuam Dominus ad trinam æterni amoris profeſſionem myſtica inſinuatione ter dixit: Paſce oues meas. Quod nunc quoque procul dubio facit, & mandatum Domini pius paſtor exequitur, confirmans nos cohortationibus ſuis, & pro nobis orare non ceſſans, vt nulla tentatione ſuperemur.

Si autem hanc pietatis ſuæ curam omni populo Dei, ſicut credendum eſt, vbique prætendit; quantò magis nobis alumnis ſuis opem ſuam dignatur impendere, apud quos in ſacro beatæ dormitionis thoro, eadem qua præſedit carne, requieſcit? Illi ergo hunc ſeruitutis noſtræ natalitium diem, illi aſcribamus hoc feſtum, cuius patrocinio, ſedis ipſius meruimus eſſe conſortes, auxiliante nobis per omnia gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui viuit, & regnat cum Deo Patre, & Spiritu ſancto in ſecula ſeculorum amen. Et penè eadem ſcripſit ſerm. 2. in natiuit. Apoſtolorum Petri, & Pauli.

Idem in homil. de Transfiguratione Domini. Interrogauerat Dominus Diſcipulos ſuos, inter diuerſas aliorum opiniones, quid ipſi de eo crederent, quidue ſentirent; vbi Petrus Apoſtolus per reuelationem ſummi Patris corporea ſuperans, & humana tranſcendens, vidit mentis oculis filium Dei viui, & confeſſus eſt gloriam deitatis: quia nō ad ſolam reſpexit carnis ſubſtantiam & ſanguinis, tantumq; in hac fidei ſublimitatē complacuit, vt beatitudinis fœlicitate donatus, ſacram inuiolabilis petræ acciperet firmitatē, ſuper quam fundata Eccleſia, portis inferi,

. &

& mortis legibus prævaleret: nec in ſoluendis, & ligandis quorumcunque cauſis, aliud ratum eſſet in Cœlis, quàm quod Petri ſediſſet arbitrio.

Idem epiſt. 84. ad Anaſtaſium Epiſcopum Theſſalonicenſem. Hæc connexio totius quidem corporis vnanimitatem requirit, ſed præcipuè exigit concordiam Sacerdotum. Quibus, & ſi dignitas non ſit communis, eſt tamen ordo generalis, quoniam, & inter beatiſſimos Apoſtolos in ſimilitudine honoris fuit quædam diſcretio poteſtatis, & cum omnium par eſſet electio, vni tamen datum eſt, vt cæteris præemineret. De qua forma, Epiſcoporum quoque eſt orta diſtinctio, & magna diſpoſitione prouiſum eſt, ne omnes ſibi omnia vindicarent, ſed eſſent in ſingulis Prouincijs ſinguli, quorum inter fratres haberetur prima ſententia.

Et rursùs quidam, in maioribus Vrbibus conſtituti, ſollicitudinem ſuſciperent ampliorem, per quos ad vnam Petri Sedem vniuerſalis Eccleſiæ cura conflueret, & nihil vnquam à ſuo capite diſſideret. Qui ergo quibuſdam ſcit ſe eſſe præpoſitum, non moleſtè ferat, aliquem ſibi eſſe prælatum: ſed obedientiam quam exigit, etiam ipſe dependat. Et ſicut non vult grauis oneris ſarcinam ferre, ità non audeat alijs importabile pondus imponere.

Beatus Maximus Epiſcopus Taurinen. in ſerm. 1. de natali Apoſtolorum Petri, & Pauli. Hic eſt Petrus, inquit, cui Chriſtus Dominus communionem ſui nominis libenter indulſit; vt enim (ſicut Apoſtolus Paulus edocuit) petra erat Chriſtus, ità per Chriſtum Petrus factus eſt petra, dicente Domino: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Nàm ſicut in deſerto iuſſu Dominico, ſitienti populo aqua fluxit è petra, ita vniuerſo Mundo perfidiæ ariditate laſſato, de ore Petri fons ſalutiferæ confeſſionis emerſit. Hic eſt Petrus cui Chriſtus aſcenſurus ad patrem, paſcendas ouiculas ſuas agnoſque commendat, vt quos ille pietate, miſeratioueque redemerat, hic fidei ſuæ virtute ſeruaret.

Et rectè ſanè ei arbiter occultorum Dei filius paſcendas oues ſuas, tuendaſque commiſit, cui nouerat in nutriendo grege Dominico, nec ſtudium deeſſe, nec fidem.

Idem in homil. 3. de Apoſtolis. Quanti ergo meriti apud Dominum ſuum Petrus erat, vt ei poſt nauiculæ paruæ remigium totius Eccleſiæ gubernacula traderentur?

Proſper Aquitanicus Epiſcopus Regien. lib 2. cap. 9. de vocatione gentium, qui liber inter opera quoque D. Ambroſij excuſus iam pridem fuerat ità ſcripſit. Quis ergo ambigat, quis ignoret, hanc fortiſſimam petram (de Petro autem loquitur) quæ ab illa principali petra communionem, & virtutis ſumpſit & nominis, hoc deſiderium ſemper habuiſſe, vt ei moriendi pro Chriſto conſtantia donaretur?

Idem libro de ingratis in principio.

. . . peſtem ſubeuntem prima recidit
Sedes Roma Petri, quæ Paſtoralis honoris
Facta caput Mundo, quicquid non poſſidet armis
Relligione tenet.

Ità Proſper qui Auguſtini Diſcipulus fuit.

Ex Concilij Chalcedonenſis Actione prima.

Poſt lectionem epiſt. Leonis Papæ. Reuerendi Epiſcopi clamauerunt: Hæc Patrum fides, Hæc Apoſtolorum fides, omnes ità credimus, Orthodoxi ità credimus, Anathema qui ità non credit. Petrus per Leonem ità locutus eſt.

Ex eiuſdem Concilij Actione 3. Sanctiſſimus & beatiſſimus Archiepiſcopus magnæ, & ſenioris Romæ Leo. Per nos, & per præſentem Synodum, vnà cum ter beatiſſimo, & omni laude digno beato Petro Apoſtolo, qui eſt petra, & crepido Catholicæ Eccleſiæ, & ille qui eſt rectæ fidei fundamentum, nudauit Dioſcorum, tàm Epiſcopatus dignitate, quàm etiam & ab omni Sacerdotali alienauit miniſterio.

Ex eiuſdem Concilij Actione 16. in reſponſione, ſeu allocutione ſancti & vniuerſalis Chalcedonenſis Concilij, habita apud Marcianum pijſſimum, & amatorem Chriſti Imperatorem.

Quòd non innouans, inquit, aliquid aduersùs Nicænam fidem nunc ſanctiſſimus Archiepiſcopus Leo ſcripſit epiſtolam ad ſanctæ memoriæ Flauianum Conſtantinopolitanæ regiæ Vrbis Epiſcopum: ſed ſanctos Patres ſecutus ſit, qui & poſt magnam Synodum Nicænam, hæreſes, quæ per vnumquodque tempus exortæ ſunt, ſimiliter refutauerunt: & hoc veſtrum decebat Imperium, vt circà ſubiectos ſibi prouidentia ex his, quæ ad Deum pertinent, initium ſumeret, & prima contra Diabolum proprietate militia conueniret. Vnde nobis impenetrabilem in omni errore propugnatorem Deus prouidit, & Romanæ Eccleſiæ Papam ad victoriam præparauit, doctrinis eum per omnia veritatis adſtringens, vt (quemadmodùm Petrus) & hic affectu feruentiore decertans, omnem ad Deum ſenſum, intelligentiamque perducat.

In fine Concilij eiuſdem in exemplari epiſt. Paſchaſini, & aliorum de damnatione Dioſcori Alexandrini quondam Epiſcopi, hæc ſcripta leguntur.

Sanctiſſimus, ac beatiſſimus Papa, caput vniuerſalis Eccleſiæ Leo, per nos, vt Legatos ſuos, Sancta Synodo conſentiente, Petri Apoſtoli præditus dignitate, qui Eccleſiæ fundamentum, & petra fidei, & Cœleſtis Regni ianitor nuncupatur; Epiſcopali eum dignitate nudauit, & ab omni Sacerdotali opere fecit extorrem.

Gelaſius Papa epiſt. 4. ad Epiſcopos Dardaniæ, in tom. Concil. 2. quamquam in ijſdem verbis. Cuncta per mundum nouit Eccleſia, quod ſacroſancta Romana Eccleſia fas de omnibus habeat iudicandi, neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio.

Et infrà, & hoc nimirùm pro ſuo Principatu, quem beatus Apoſtolus Petrus Domini voce, & tenuit ſemper, & tenebit.

Idem in Concilio 70. Epiſcoporum in principio. Quamuis vniuerſæ per Orbem Catholicæ Eccleſiæ vnus thalamus Chriſti ſit. Sancta tamen Romana Catholica, & Apoſtolica Eccleſia, nullis Synodicis conſtitutis cæteris Eccleſijs prælata eſt, ſed Euangelica voce Saluatoris noſtri Primatum obtinuit.

Tu

Tu es, inquiens, Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.

Symmachus Papa ex libro Ennodij tomi 2. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ędificabo Eccleſiam meam, & quæcumque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta & in Cœlis.

Et rursùs ſanctorum voce patet Pontificum dignitatem ſedis eius factam toto Orbe venerabilem, dum illi quicquid fidelium eſt, vbique ſubmittitur: dum totius corporis caput eſſe deſignatur: de qua mihi videtur dictum per Prophetam: Si hæc humiliatur, ad
Eſa. 10. a cuius confugietis auxilium, & vbi relinquetis gloriam veſtram?

Ex 5. Synodo Conſtantinopolitana, Actione prima, ex epiſtola Felicis Papæ ad Petrum Antiochiæ Epiſcopum, deponentis ipſum ab Antiochena Eccleſia. Quoniam non ſtatuiſti credere veritati, & literis noſtris ad te ſcriptis, nunc incepi ſententiare contra te: immò ille, qui vertex eſt omnium paſtoralium ſedium, in ſanctis laudibus florens, Apoſtolorum verè primus Petrus, cuius tu nomine æqualis es, ſed ſententia neque fide, quoniam ab iſtius recta intentione, & immaculata fide valdè delineaſti.

Ex eadem epiſtola propè finem. Quis, inquit, non defleret ſic dicentes de intemerato triſagio, quod mihi valdè conueniè refutare, & fletum meritò dare in hos animarum ſimplicium cauillatores, ac impium facinus fingentes, quos & alienos cenſemus ab Orthodoxa fide, & Catholica Eccleſia, & à communione ducis noſtris glorioſi prædeceſſoris Petri, qui claues Regni à Saluatore noſtro recepit?

Ex eadem actione ex epiſt. Felicis Romani Pontificis miſſa ad Zenonem Imperatorem. Quoniam, inquit, fideli mente credidiſti, nec ambigis, & temporalis ſolij poteſtatem, & æternæ vitæ retributionem ſuperno ex momento pendere; per noſtram etiam paruitatem dignare ſuſcipere, venerabilem, ac diuinam beatiſſimi Petri confeſſionem, Apoſtolorum ſcilicet Principis, cui & Regni claues à Saluatore traditæ ſunt, qui etiam præparabit Chriſtianiſſimo Imperio veſtro locum in Cœlo, cum ſanctis Angelis: quique immutabilem, & immaculatam fidem in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Dei filium vnigenitum primus exponens, à Saluatore ipſo beatus eſt dictus. Nàm cum ipſe dixiſſet ad Dominum, Tu es Chriſtus filius Dei viui, ab ipſo audire meruit, Beatus es Simon Bariona, &c.

Pelagius epiſtola ad Vigilium Epiſcopum, in fine tom. 2. Conc. Memor enim ſum, me ſub illius nomine Eccleſiæ præſidere, cuius à Domino noſtro Ieſu Chriſto eſt glorificata confeſſio, & cuius fides omnes quidem hæreſes deſtruit, ſed maximè impietatem præſentis erroris expugnat.

Ex 6. Synodi actione 4. ex epiſtola Agathonis Romani Pontificis ad Conſtantinum maiorem Imperatorem, Heraclium, & Tiberium Aug. epiſtolæ ipſius initium eſt. Conſideranti mihi, &c.

Cum corde contrito, & profluentibus lachrymis exoro, vt porrigere dignemini clementiſſimam dexteram Apoſtolicæ doctrinæ, quam cooperatur piorum laborum veſtrorum beatus Petrus Apoſtolus tradidit, non vt ſub modio condatur, ſed turba clariùs in toto Orbe prædicetur; quia eius vera confeſſio, à patre de Cœlis eſt reuelata, pro qua à Domino omnium beatus eſſe pronunciatus eſt Petrus: qui & ſpiritales oues Eccleſiæ ab ipſo Redemptore omnium, terna commendatione paſcendas ſuſcepit: cuius adnitente pręſidio, hæc Apoſtolica eius Eccleſia nunquam à via veritatis in qualibet erroris parte deflexa eſt, cuius auctoritatem, vtpotè Apoſtolorum omnium Principis, ſemper omnis Catholica Chriſti Eccleſia, & vniuerſales Synodi fideliter amplectentes, in cunctis ſecutæ ſunt, omneſque venerabiles Patres Apoſtolicam eius doctrinam amplexi, per quam & probatiſſima Eccleſiæ Chriſti luminaria claruerunt, & ſancti quidem Doctores venerati, atque ſecuti ſunt, hæretici autem falſis criminationibus, ac derogationum odijs conſecuti. Hæc eſt Apoſtolorum Chriſti viua traditio, quam vbique eius tenet Eccleſia.

Et paulò poſt in eadem epiſt. Agathonis Papæ. Hæc eſt, inquit, veræ fidei regula, quam & in proſperis, & in aduerſis, viuaciter tenuit ac defendit hæc Spiritualis mater veſtri tranquilliſſimi Imperij, Apoſtolica Chriſti Eccleſia: quæ per Dei Omnipotentis gratiam à tramite Apoſtolicæ traditionis numquam erraſſe probabitur, nec hæreticis nouitatibus deprauata ſuccubuit: ſed vt ab exordio fidei Chriſtianæ percepit ab auctoribus ſuis Apoſtolorum Chriſti principibus, illibata finetenus permanet, ſecundum ipſius Domini Saluatoris diuinam pollicitationem, quam ſuorum diſcipulorum Principi in ſacris Euangelijs fatus eſt: Petre Petre, inquiens, ecce Sathan expetiuit, vt cribraret vos, ſicut qui cribrat triticum; ego autem pro te rogaui, vt non deficiat fides tua.

Et tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos. Conſideret itáque veſtra tranquilla clementia, quoniam Dominus & Saluator omnium, cuius fides eſt, qui fidem Petri non defecturam promiſit, confirmare eum fratres ſuos admonuit. Quòd Apoſtolicos Pontifices meę exiguitatis prędeceſſores, confidenter feciſſe ſemper, cunctis eſt cognitum: quorum & puſillitas mea, licet impar & minima, pro ſuſcepto tamen diuina dignatione miniſterio, pediſſequa cupit exiſtere.

Ex Synodo 7. quæ eſt Nicæna ſecunda, in Actione prima ex epiſt. Conſtantini, & Irene matris Rom. Imperat. Quandoquidem, inquit, ex vniuerſo terrarum Orbe Deus vos coniunxit, propriam voluntatem confirmare volens, depoſitis in medio ſanctis Euangelijs, veraciter & prudenter clamantibus: iuſtè iudicate, ſtate firmi pietatis propugnatores, & omnem vaniloquentiam, nuperamque inductionem excindere, animo prompto contendite. Quemadmodum, & Petrus Apoſtolicę Sedis primus Dux, ſeruilem & temerariam inſaniam verberans, Iudaicæ auditus inſtrumentum gladio amputauit.

Ex eiuſdem Synodi Actione 2. ex epiſt. Adriani ſanctiſſimi Papæ, ad Taraſium Patriarcham Conſtantinopolitanum. In primis veſtra ſanctitas pijſſimis, & triumphatoribus noſtris Imperatoribus alacriter ſuggerat, vt falſam congregationem illam ſiue conſenſu,

ac præſeotia Apoſtolicæ Sedis, cootra omnem Patrum venerabilium rraditionem, contra Venerandas Imagines, ſine ordine & debita conuocatiooe factam execrerur, & anathematizaram præſentibus Apocriſarijs noſtris cognoſcat; quo omne ziaanium ab Eccleſia eradicerur, & Ieſu Chriſti Domini noſtri verbum impleatur, cùm ait: & portæ inferi non præualebunr aduerſùs eam.

Er alibi: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claues Regni Cœlorum; & quæcumque ligaueris ſuper terram, erunt ligata & in Cœlis; & quæcumque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta & in Cœlis. Cuius etiam ſedes in omnem terrarum Orbem Primatum tenens refulger, & caput omnium Eccleſiarum Dei conſiſtit, Vnde & ipſe beatus Petrus Apoſtolus, Domini Eccleſiam paſcens, nihil diſſolutum dimiſit, ſed renuit ſemper & retinet principatum, cui ſi adhærere cupit veſtra ſanctitas, & noſtræ Apoſtolicæ Sedis (quæ eſt omnium Eccleſiarum Dei caput) ſacram & Orthodoxam formam incorruptè, atque incontaminare ex profundo corde, & ſinceritate meotis cuſtodire ſtudet: vt reuera Orthodoxa Dei cultrix conſiſtens, hoc primum Omnipotenti Domino ſacrificium offerar, & vt ex perſona noſtra prædictorum pijſſimorum Imperatorum à Deo coronatorum ſublimia veſtigia obſecret, & vt in conſpectu Dei per terribile illos adiuret iudicium, vt ſacras Imagines in ipſa à Deo conſeruata & regia Vrbe, & in omni loco in antiquum reſtiruere, & ſtabilire iubeanr, conſeruantes traditionem huius ſacræ, ac ſanctiſſimæ noſtræ Romanæ Eccleſiæ, & perſequentes, atque abhominantes malignorum, & hæreticorum errorem per certamen veſtrum, & fidelium ſolicitudinem. Si autem ſacras & Venerabiles Imagines illis in partibus non reſtituerint, conſecrationem veſtram modis omnibus recipere non audemus, & maximè ſi ſectatus fueris eos, qui non credunt veritati.

Huius rei cauſa ſummo labore, fidei, & conatu in his omnibus indubitanter conuenit veſtræ ſanctitati ſacroſanctas Imagines Domini & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, & ſanctæ ipſius genetricis, ſemperque Virginis Mariæ, & ſanctorum Apoſtolorum, & omnium ſanctorum Prophetarum, atque martyrum ſimul, & confeſſorum illis in partibus in antiquo erigere ſtatu, quatenus vno conſenſu digne propheticum canamus canticum, dicentes: Domine ſaluos fac pijſſimos Reges, & exaudi nos in die, qua inuocauerimus te, quia dilexerunt decorem domus tuæ, & locum tabernaculi gloriæ tuæ, &c.

CAP. X.

Sanctorum Patrum intrà milleſimum annum de eadem re ſententiæ.

Conſilium noſtrum non erat eorum Patrum, qui poſt D. Gregorium Papam fuere, ſententias contexere, quia eo nomine apud noſtri temporis ſectarios ſuſpecti haberi poſſunt, quod multa, vt aiunt, in Eccleſię Romanæ gratiam ſcripſerint, quam poſt Gregorij tempora omnium Eccleſiarum Primatum ſibi vendicaſſe ſectarij ipſi falsò aſſerunt.

Cæterùm propter hanc vnam ineptam, falſamque eorum calumniam ab his recitandis me reuocare non potui, præſertim cum ſanctiſſimi, & doctiſſimi fuerint, vt eorum ſcripta teſtantur, & miraculis clari, & vita inſignes, & tanto deindè (quod plus eſt) eiuſdem ſemper continuatæ doctrinæ, per tot ætates conſenſu, & quamuis ab aduerſarijs negentur, tamen adhibemus illis velut tormentum quoddam, cum oſtendimus, omnes illos, tot, tamque illuſtres ſanctos, contrarium ſenſiſſe.

Demûm quia ſunt longè digniores, quibus fidem habeamus, quam ipſi ſectarij: & poſtremò quia plurimum ſplendoris huic meo labori ſuis teſtimonijs aſſerre poſſint. In gratiam igitur piorum hominum (non quod contra aduerſarios horum auctoritate multum me proficere poſſe ſperem) eorum ſententias ſuggeram, qui & magni nominis in Eccleſia Dei fuerunt, & de ipſorum ſcriptis à nullo vnquam dubitatum eſt. Sunt autem inter alios hi Martinus Papa I. Agatho Papa, Venerabilis Beda, Alcuinus, Nicolaus Papa, octaua Synodus, Theophylactus Bulgariæ Archiepiſcopus, Ignatius Patriarcha Conſtantinopolitanus, Leo IX. & Alexander II. Romani Pontifices, ſanctus Bernardus, Innocentius Papa III. & poſtremò gloſa ordinaria, quæ aut Strabi, aut Rabani, aut alterius cuiuſpiam vetuſti patris opus eſt.

Martinus Papa I. poſt Gregorium annis quadraginta, in Lateranenſi Synodo Act. 2. in fine. Donec iudicium de eo noſtræ Apoſtolicæ auctoritatis, hoc eſt Principis Apoſtolorum Petri cognoſcat, vtpotè quoniam ſolus atque præ omnibus creditus eſt, atque accipere meruit à Rege Regum Chriſto Deo claues Regni Cœlorum, ad aperiendum rectè credentibus in eundem Dominum noſtrum, & claudendum infidelibus hæreticis.

In eodem Concilio extant teſtimonia idem probantia Stephani Dorienſis Epiſcopi, & Sergij Cyprienſis ead. act. 2. tom. 2. 772. 778. & teſtimonium Africani Concil. ibi 780.

Agatho Papa Imperatori Conſtantino ſcribens, ait; Hæc Apoſtolica Chriſti Eccleſia per Dei Omnipotentis gratiam à tramite Apoſtolicæ traditionis nunquam erraſſe probatur.

Beda Presbyter, homil. in die feſto Apoſtolorum Petri, & Pauli, cap. 16. Matth. Qui, inquit, Regem Cœlorum maiori præ cæteris deuotione confeſſus eſt, meritò præ cæteris ipſe collatis clauibus regni cœleſtis donatus eſt: ſed non fruſtra voi commendatur, quod omnibus intimetur. Petro enim ſingulariter creditur, quia cunctis Eccleſię Rectoribus Petri forma præponitur.

Idem in capit. 22. Lucæ. Rectè primus Apoſtolorum de amore requiritur, qui enim Regem Cœlorum maiori dilectione præ cæteris confeſſus eſt, meritò præ cæteris ipſe collatis clauibus regni cœleſtis donatus eſt.

Idem in homil. in vigilia Apoſtolorum Petri, & Pauli. Quod enim dicit hic, paſce oues meas, hoc eſt vtique quod ei ante paſſionem

nem

nem dixerat apertiùs: Ego pro te rogaui, vt non deficiat fides tua.

Idem in cap. 22. Lucæ. Sicut ego tuam fidem ne Sathana tentante deficiat protexi, ità & tu infirmiores quoſque fratres exemplo tuæ pœnitentiæ ne de venia forte deſperent, erigere & confortare memento, &c.

Idem homil. 1. hiemali de Sanctis, & refertur in catena aurea S. Thomæ, ſuper cap. 1. Ioannis. Intuitus autem Simonem Ieſus non exterioribus ſolùm oculis, ſed & interno diuinitatis intuitu. Vidit cordis eius ſimplicitatem, vidit animi ſublimitatem, cuius meritò cunctæ eſſet præferendus Eccleſiæ.

Alcuinus Caroli Magni Imperatoris præceptor, ac Gymnaſij Pariſienſis fundator, qui ſuper quatuor Euangelia ſcripſit ſuper Ioannem, ſic ait. Trinæ negationi redditur trina confeſſio, ne minùs amori lingua ſeruiat, quam timori: & ſicut fuit indicium timoris negare paſtorem, ſic officium amoris paſcere Domini gregem.

Et infrà. Paſcere oues eſt, credentes ne deficiant confortare: terrena ſubſidia ſi neceſſe eſt ſubditis prouidere; exempla virtutum præbere; aduerſarijs obſiſtere; peccantes corrigere.

Nicolaus Papa in epiſt. ad Mediolanen. Eccleſiam, inquit, Romanam ſolus ipſe fundauit, & ſuper petram fidei mox naſcentis erexit; qui beato Petro æternæ vitæ clauigero, terreni ſimul & cœleſtis imperij iura commiſit. Non ergo quælibet terrena ſententia, ſed illud verbum quo conſtructum eſt Cœlum & terra, per quod denique omnia condita ſunt elementa, Romanam fundauit Eccleſiam. Illius certè priuilegio fungitur, cuius auctoritate fulcitur.

Vnde non dubium eſt; quia quiſquis cuilibet Eccleſiæ ius ſuum detrahit, iniuſtitiam facit. Qui autem Romanæ Eccleſiæ priuilegium ab ipſo ſummo omnium Eccleſiarum capite traditum auferre conatur, hic proculdubio in hæreſim labitur, & cum ille vocetur iniuſtus, hic eſt dicendus hæreticus.

Theophylactus Bulgariæ Archiepiſcopus, in commentarijs cap. 22. in Lucam. Ideò, inquit, Chriſtus ante Petri caſum, pœnitentiam & reſtitutionem, & priorem ſtatum, ei dicit. Et tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. Ac ſi dicat: Poſtquam me negato ploraueris, ac te pœnituerit, corrobora cæteros, cum te Principem Apoſtolorum deputauerim, hoc enim decet te, qui poſt me, Eccleſiæ petra es fundamentum.

Et infrà. Cum eſſet Apoſtolus denegauit, ac iterùm per pœnitentiam obtinuit primatum, vt eſſet antiſtes mundi.

Idem ſuper Ioan. cap. vltimo. Cum ergo prandiſſent, finito prandio, commiſſionem ouium commendat Petro, & non alij. Et ſuper illud ſequere me, ait. In hoc, quod dixit Dominus Petro, ſequere me, cunctorum fidelium prælaturam ei conſtituit. Et infrà; Cùm Dominus dixit Petro, ſequere me: non modo intellexit de genere martyrij, ſed & ordinem magiſterij. Vnde quidam alius ait, ſequere me, gerendo vices meas, & in officio paſtorali, & in martyrio, &c. Et infrà. Super illud donec veniam ait, ideſt, dum hunc ſcilicet Ioannem volens dirigam ad prædicandum, te nunc dirigam ad orbis terrarum Pontificatum, & in hoc ſequere me, &c. Item ſuper illud Lucæ: Domine ad nos dicis hanc parabolam, an ad omnes? Petrus, inquit, cui iam commiſſa Eccleſia fuerat, quaſi omnium curam gerens inquirit, vtrum ad omnes Dominus parabolam protuliſſet.

In octaua Synodo Conſtantinopolitana quarta, ſub Ioanne VIII. & Hadriano II. Nicolai ſucceſſoribus celebrata, actio. 1. in libello ab omnibus Concilij patribus ſubſcripto, qui Nicolai Papæ fuerat, ità continetur.

Prima ſalus eſt rectè fidei regulam cuſtodire, & à conſtitutis patrum nullatenus deuiare. Quia non poteſt Domini Dei Saluatoris noſtri ſententia prætermitti dicentis. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Hæc quæ dicta ſunt, rerum probantur effectibus, quia in Sede Apoſtolica immaculata ſemper eſt obſeruata religio. Iſte liber per Hadrianum Papam miſſus eſt ad 8. Synodum Conſtantinopolitanam quartam, & omnes Concilij patres ſe ſub hac forma ſubſcripſerunt.

Sequimur autem ſanctam Synodum, & amplectimur, quàm beatæ recordationis Papa Nicolaus (cui & ipſe Domine euangelice ſumme Pontifex Hadriane ſubſcripſiſti) ante ſacratiſſimum Petri Apoſtolorum eximij corpus celebrauit, ſimul & quam tu ipſe ibinuper egiſti, & omnia quæ in eis ſtatuta ſunt, ſecundùm decreti veſtri moderationem venerabiliter conſeruabimus, recipientes quos recipiunt; & damnantes omnes qui in illis damnati ſunt.

Ignatius Patriarcha Conſtantinopolitanus, qui eidem Concilio interfuit, in epiſtola ad Hadrianum Papam II. ſic ſcribit. Omnium magiſter Deus dicit Petro magno, & ſummo Apoſtolorum: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Tales enim beatas voces, non ſecundùm quandam vtique ſortem, Apoſtolorum Principi Petro ſolum circumſcripſit, & definiuit, ſed ad ſucceſſores quoque deriuari voluit.

Leo IX. Papa, in libro quem contra Michaelem Conſtantinopolitanum, & Leonem Acridanum Epiſcopos ſcripſit, ait cap. 7. Taliter ſancta Eccleſia ſuper petram, ideſt Chriſtum, & ſupra Petrum, vel Cepham filium Ioannis, qui priùs Simon dicebatur ædificata eſt, quod inferi portis diſputationibus ſcilicet Hæreticorum, qui vanos ad interitum introducunt, nullatenùs foret ſuperanda. Sic pollicetur ipſa veritas, per quam ſunt vera quæcumque vera ſunt, portæ inferi non præualebunt aduerſùs eam, cuius promiſſionis effectum ſe precibus impetraſſe à patre, ipſe filius profitetur, dicendo ad Petrum; Simon ecce Sathanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum: Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. Erit ergo quiſquam tantæ dementiæ, qui orationem illius, cuius velle eſt poſſe, audeat in aliquo vacuam putare?

Idem epiſtola ad Petrum Epiſcopum Antiochenum. Poſtquam multa de dignitate Petri, & Romanæ Sedis prærogatiua locutus eſt: Nimirum ſolus eſt, inquit, pro quo ne deficeret fides eius Dominus, & Saluator aſſe-

aſſeruit ſe rogaſſe dicens: Simon Simon ecce Sathanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum. Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. Quæ venerabilis, & efficax oratio obtinuit, quod hactenùs fides Petri non defecit, nec defectura creditur in throno illius in ſeculum ſeculi, ſed confirmabit corda fratrum varijs concutienda fidei periclitationibus, ſicut vſque nunc confirmare non ceſſauit.

Anno 1061. Alexander II. Papa, qui paulò poſt Leonem IX. vixit, in quodam canone Concilij Romæ à ſe celebrati. Cum omnibus Diſcipulis, inquit, parem ligandi, atque ſoluendi poteſtatem Dominus daret, Petro præ omnibus claues Regni Cœleſtis ſe daturum promiſit. Quicumque ergo ab vnitate Eccleſiæ, quæ per Petrum intelligitur fuerit alienus, execrare poteſt, conſecrare non poteſt.

Anno 1120. Sanctus Bernardus Abbas Clareuallenſis in ſermone tertio de ſeptem miſericordiarum fragmentis. Teſtis eſt, inquit, Paulus gentium Doctor, qui plùs omnibus cum diuina gratia laborauit. Teſtis, & Matthæus de teloneo electus in Apoſtolum, cui etiam Noui Teſtamenti primum ſcriptorem eſſe donatum eſt. Teſtis & Petrus, cui poſt trinam negationem totius Eccleſiæ paſtoralis cura commiſſa eſt.

Idem lib. 2. de conſideratione ſui ad Eugenium III. Papam. Cui enim non dico Epiſcoporum, ſed etiam Apoſtolorum ſic abſolutè, & indiſcretè totæ commiſſæ ſunt oues? Si me amas Petre paſce oues meas. Quas? illius, aut illius populos ciuitatis, aut regionis; aut certè regni? Oues meas, inquit. Cui non planum non deſignaſſe aliquas, ſed aſſignaſſe omnes? Nihil excipitur vbi diſtinguitur nihil. Et fortè præſentes cęteri condiſcipuli erant, cum committens vni, vnitatem omnibus commendaret, in vno grege, & vno paſtore, ſecundùm illud: Vna eſt columba mea, formoſa mea, perfecta mea. Vbi vnitas, ibi perfectio. Reliqui numeri perfectionem non habent, ſed diuiſionem, recedentes ab vnitate. Inde eſt, quod alij ſinguli ſingulas ſortiti ſunt plebes, ſcientes ſacramentum. Denique Iacobus, qui videbatur columna Eccleſiæ, vna contentus eſt Hieroſolyma: Petro vniuerſitatem cedens. Pulcrè verò ibi poſitus eſt ſuſcitare ſemen defuncti fratris, vbi occiſus eſt ille: Nam dictus eſt frater Domini. Porrò cedente Domini fratre, quis ſe alter ingerat Petri prærogatiuæ? Ergo iuxtà canones tuos, alij in partem ſollicitudinis, tu in plenitudinem poteſtatis vocatus es. Aliorum poteſtas certis arctatur limitibus; tua extenditur, & in ipſos, qui poteſtatem ſuper alios acceperunt. Nonne ſi cauſa extiterit, tu Epiſcopo Cœlum claudere, tu ipſum ab Epiſcopatu deponere, etiam & tradere Sathanæ potes? Stat ergo inconcuſſum priuilegium tuum tibi, tam in datis clauibus, quàm in ouibus commendatis. Accipe aliud quod nihilominùs prærogatiuam confirmat tibi. Diſcipuli nauigabant, & Dominus apparebat in littore: quodque iucundiùs erat, in corpore

Ioann.21. c rediuiuo. Sciens Petrus, quia Dominus eſt; in mare ſe miſit, & ſic venit ad ipſum, alijs nauigio, peruenientibus. Quid iſtud? Nempè ſignum ſingularis Pontificij Petri, per quod non nauem vnam, vt cęteri quique ſuam, ſed ſeculum ipſum ſuſceperit gubernandum. Mare enim ſeculum eſt: naues Eccleſiæ. Inde eſt, quod altera vice inſtar Domini gradiens ſuper aquas, vnicum ſe Chriſti Vicarium deſignauit, qui non vni populo, ſed cunctis præeſſe deberet. Siquidem aquæ multæ, populi multi. Ità cum quiſque cęterorum habeat ſuam, tibi vna commiſſa eſt grandiſſima nauis, facta ex omnibus, ipſa vniuerſalis Eccleſia toto Orbe diffuſa, &c.

Idem in epiſt. 190. ad Innocentium II. Papam, contra Petrum Abailardum. Oportet ad veſtrum referri Apoſtolatum pericula quæque, & ſcandala emergentia in Regno Dei, ea præſertim quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi potiſſimum reſarciri damna fidei, vbi non poſſit fides ſentire defectum. Hęc quippe huius prerogatiua ſedis. Cui enim alteri aliquando dictum eſt: Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua? Ergo quod ſequitur, à Petri ſucceſſore exigitur: Et tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. Id quidem modo neceſſarium. Tempus eſt, vt veſtrum agnoſcatis pater amantiſſime principatum, probetis zelum, miniſterium honoretis. Luc.21. c

Idem epiſt. 237. prima ad Eugenium Papam. Locus, inquam, in quo ſtas, terra ſancta eſt; locus Petri eſt, locus Principis Apoſtolorum, vbi ſteterunt pedes eius. Locus illius eſt, quem conſtituit Dominus dominum domus ſuæ, & principem omnis poſſeſſionis ſuæ. Et paulò infrà. Meritò tali paſtori, tali nutricio commiſſa eſt Eccleſia; cum adhuc tenera, adhuc incunabulis eſſet.

Et epiſt. 242. ad Romanos, quando diſceſſerunt ab Eugenio III. Papa, ait. Cur Regem terræ, cur Dominum Cœli, furore tam intolerabili, quàm irrationabili in vos pariter prouocatis, dum ſacram, & Apoſtolicam Sedem diuinis, regalibuſque priuilegijs ſingulariter ſublimatam, auſu ſacrilego inceſſere, ſuoque minuere honore contenditis? &c.

Idem epiſt. 131. ad Mediolanenſes, de plenitudine poteſtatis Apoſtolicæ, ait. Romana Eccleſia valdè clemens eſt: ſed nihilominùs potens. Fidele conſilium, & omni acceptione dignum: Noli abuti clementia: ne potentia opprimaris. Sed dicit aliquis. Debitam ei reuerentiam exhibebo; & nihil ampliùs. Eſto. Fac quod dicis; quia ſi exhibeas debitam, & omnimodam. Plenitudo ſiquidem poteſtatis ſuper vniuerſas orbis Eccleſias, ſingulari prerogatiua Apoſtolicæ Sedi donata eſt. Qui igitur huic poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. Poteſt ſi vtile iudicauerit, nouos ordinare Epiſcopatus, vbi hactenus non fuerunt. Poteſt eos qui ſunt, alios deprimere, alios ſublimare, prout ratio ſibi dictauerit, ita vt de Epiſcopis creare Archiepiſcopos liceat: & è conuerſò ſi neceſſe viſum fuerit; poteſt à finibus terræ ſublimes quaſcumque perſonas Eccleſiaſticas euocare, & cogere ad ſuam præſentiam, non ſemel, aut bis, ſed quoties expedire videbit. Porrò in promptu eſt ei omnem vlciſci inobedientiam; ſi quis fortè reluctari conatus fuerit, &c.

Innocentius III. Papa in lib. 1. myſterio; Anno 1198.

riorum miſſæ cap. 8. de Primatu Romani Pontificis. Omnibus autem Apoſtolis Chriſtus vnum præpoſuit, videlicet Petrum, cui totius Eccleſiæ principatum, & ante paſſionem, & circa paſſionem, & poſt paſſionem commiſit. Ante paſſionem cum dixit. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, &c. Licèt enim vniuerſis Apoſtolis communiter dixerit, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt; principaliter tamen Petro commiſit cum dixit, quodcumque ligaueris ſuper terram, &c. Et infrà. Circa paſſionem autem, cum pluraliter dixiſſet de omnibus, Simon, ecce Sathanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum; ſingulariter tamen pro Petro ſubiunxit: Ego autem pro Luc. 22. c te rogaui, vt non deficiat fides tua. Statimque ſubiunxit: Et tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.

Ad Petrum igitur tamquam ad magiſtrum pertinet cæteros confirmare, cuius fides in nulla tentatione defecit. Fides enim Apoſtolicæ Sedis ſupra firmam petram ſtabili ſoliditate fundata, nullis vmquam errorum ſordibus potuit inquinari: ſed abſque ruga manens, & macula, pro neceſſitate temporum, à cæteris maculas deterſit errorum. Poſt paſſionem autem, cum tertio quæſiſſet à Ioann. 21. c Petro; Simon Ioannis diligis me plus his? & ille tertiò reſpondiſſet; Domine tu ſcis, quia amo te. Tertióque præcepit: paſce oues meas: ſtatimque ſubiunxit; Sequere me. Petrus enim ſequutus eſt Chriſtum, non ſolum in genere martyrij, ſed & in ordine magiſterij. Hæc ille.

Idem regiſtri lib. 5. epiſt. 101. ad Ioannem Patriarcham Conſtantinopolitanum Apoſtolicæ Sedis primatus, quem non homo, ſed Deus, immò verius Deus homo conſtituit, multis quidem, & Euangelicis, & Apoſtolicis teſtimonijs comprobatur: à quibus poſtmodum conſtitutiones Canonicæ proceſſerunt, concorditer aſſerentes, ſacroſanctam Romanam Eccleſiam in beato Petro Apoſtolorum Principe conſecratam, quaſi magiſtram, & matrem cæteris præeminere. Hic enim cum interrogaret Dominus, quem homines eſſe dicerent filium hominis, alijs referentibus opiniones aliorum, ipſe velut inter cæteros primus, cum eſſe Chriſtum Dei vini filium reſpondiſſet, audire promeruit: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Et poſt pauca: Tibi dabo claues Regni Cœlorum.

Nam licèt primum, & præcipuum Eccleſiæ fundamentum ſit vnigenitus Dei filius Ieſus Chriſtus, iuxtà quod dicit Apoſtolus: quia fundamentum poſitum eſt, præter quod aliud poni non poteſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. Secundum tamen, & ſecundarium Eccleſiæ fundamentum eſt Petrus; & ſi non tempore primus, auctoritate tamen præcipuus inter cæteros; de quibus Paulus Apo- Eph. 2. d ſtolus inquit; Iam non eſtis hoſpites, & aduenæ, ſed eſtis ciues ſanctorum, & domeſtici Dei, ſuperædificati ſupra fundamentum Pſal. 86. a Apoſtolorum, & Prophetarum. Quos & fundamenta eſſe in montibus ſanctis, Dauid Propheta teſtatur. Huius etiam primatum veritas per ſeipſam expreſſit, cum inquit ad eum. Tu vocaberis Cephas, quod & ſi Petrus interpretatur, caput tamen exponitur, vt ſicut caput inter cætera membra corporis, velut in quo viget plenitudo ſenſuum, obtinet principatum, ſic & Petrus inter Apoſtolos, & ſucceſſores ipſius, inter vniuerſos Eccleſiarum prælatos prærogatiua præcelleret dignitatis, vocatis ſic cæteris in partem ſolicitudinis, vt nihil ei de poteſtatis plenitudine deperiret.

Huic Dominus oues ſuas paſcendas, vocabulo tertio repetito, commiſit, vt alienus à grege Dominico cenſeatur: qui eum etiam in ſucceſſoribus ſuis noluerit habere paſtorem. Non enim inter has, & illas oues diſtinxit, ſed ſimpliciter inquit: Paſce oues meas, vt omnes omninò intelligantur ei eſſe commiſſæ. Iacobus frater Domini, qui videbatur eſſe columna, Hieroſolymitana ſola contentus, vt ibi ſemen fratris præmortui ſuſcitaret, vbi fuerat crucifixus, Petro non ſolum vniuerſam Eccleſiam, ſed totum reliquit ſeculum gubernandum: quod ex eo etiam euidenter apparet, quia cum Dominus apparuiſſet in Ioann. 21. c littore Diſcipulis nauigantibus, ſciens Petrus quod Dominus eſt, ſe miſit in mare, ac alijs nauigio venientibus, ipſe ſine beneficio nauis ad Dominum feſtinauit. Cum enim mare mundum deſignet, iuxtà verbum Pſalmiſtæ dicentis: Hoc mare magnum, & ſpatioſum, Pſal. 103. c illic reptilia, quorum non eſt numerus: per hoc quod Petrus ſe miſit in mare, priuilegium expreſſit Pontificij ſingularis, per quod vniuerſum Orbem ſuſceperat gubernandum: cæteris Apoſtolis vt vehiculo nauis contentis, cum nulli eorum vniuerſus fuerit Orbis commiſſus, ſed ſingulis ſingulæ Prouinciæ, vel Eccleſiæ potiùs deputatæ.

Iterùm etiam vt ſe vnicum Chriſti Vicarium deſignaret, ad Dominum ſuper aquas maris mirabiliter ambulantem, & ipſe ſuper aquas maris mirabiliter ambulauit. Nam cum aquæ multæ ſint populi multi, congregationeſque aquarum ſint maria, per hoc quod Petrus ſuper aquas maris inceſſit, ſuper vniuerſos populos ſe poteſtatem accepiſſe monſtrauit. Pro eo Dominus ſe oraſſe fatetur inquiens, in articulo paſſionis. Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.

Ex hoc innuens manifeſtè, quod ſucceſſores ipſius à fide Catholica nullo vmquam tempore deuiarent, ſed reuocarent magis alios, & confirmarent etiam hæſitantes, per hoc ſic ei confirmandi alios poteſtatem indulgens, vt alijs neceſſitatem imponeret obſequendi: quod & tunc Petrus agere cœpit, quando quibuſdam ex diſcipulis abeuntibus retro, & durus eſt hic ſermo dicentibus, cum dixiſſet Ieſus ad duodecim: Numquid & vos Ioann. 6. g vultis abire? Solus ipſe reſpondit pro cæteris: Domine verba vitæ æternæ habes, & ad quem ibimus?

Huic præterea dictum in Euangelio, & audiſti ſæpiùs & legiſti; Quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in Cœlis, & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in Cœlis. Quod ſi omnibus etiam Apoſtolis ſimul dictum eſſe reperias, non tamen alijs ſine ipſo; ſed ipſi ſine alijs attributam eſſe cognoſces ligandi, & ſoluendi à Domino

mino facultatem; vt quod non alij ſine ipſo, ipſe ſine alijs poſſet ex priuilegio, ſibi collato à Domino, & conceſſa plenitudine poteſtatis.

Ad quod nimirùm videtur illud non in-
Matth. 18. c congrue pertinere, quod ipſe ſolus legitur interrogaſſe Ieſum: Si peccauerit in me frater meus, dimittam ei vſque ſepties? Et ei ſoli Ieſus legitur reſpondiſſe. Non dico tibi vſq; ſepties, ſed vſq; ſeptuagies ſepties. Quia profectò ſeptenarius vniuerſitatis eſt numerus, eò quòd omne tempus ſeptenario dierum numero noſcitur comprehendi. Septenarius ergo numerus in ſe ipſum multiplicatus, in hoc loco ſignificat vniuerſorum vniuerſa peccata; quia ſolus Petrus poteſt non ſolum omnia, ſed omnium crimina relaxare. Demùm poſt paſſionem ſuam Dominus Petro dixiſſe legitur. Tu me ſequere: quod vtique, non tàm de ſequela perferendæ paſſionis, quàm creditæ diſpenſationis debet intelligi, cum & Andreas, & quidam alij præter Petrum, ſicut Dominus fuerit crucifixi; ſed ſolum Petrum ſubſtituit ſibi Dominus, & in officio Vicarium, & in magiſterio ſucceſſorem. Vnde poſt Aſcenſionem Domini Petrus velut ſucceſſor ipſius tegere cœpit Eccleſiam, ad complendum duodenarium Diſcipulorum numerum loco Iudæ præuaricatoris ex verbis Prophetæ, alium inſtituens, & faciens ſubrogari, & recepto paraclito Diſcipulos non muſto repletos, ſed Spiritus ſancti gratia illuſtratos, ex verbis
Act. 3. a Ioelis apertiùs comprobauit. Hic pœniten-
Act. 5. a tiam agere iuſſit, & baptizari credentes. Hic inter Diſcipulos curando claudum primus fuit miraculum operatus; & in Ananiam, & Sapphyram vxorem ipſius tamquam primus, & præcipuus inter eos, qui mentiti fuerant Spiritui ſancto, mortis ſententiam promulgauit. Hic Simoniacæ peſtis radicem contra primitiuam Eccleſiam pullulantem Apoſtolica falce ſuccidit; ſolus in Simonem Magum ſententiam damnationis promulgans, licèt
Act. 8. d non ei ſoli, ſed omnibus communiter pecu-
niam obtuliſſet. Ipſe præterea cum in eum
Act. 10. b mentis cecidiſſet exceſſus, vidit Cœlum apertum; & deſcendens vas quoddam, velut linteum magnum, quattuor initijs in terram de Cœlo ſubmitti, quod omnia quadrupedia, & & ſerpentia terræ, ac Cœli volatilia continebat. Et cum facta eſſet vox, dicens ad eum; Surge Petre, macta, & manduca: Reſpondit, abſit Domine, quia numquam immunda, & communia manducaui; Et vox ad eum eſt facta ſecundò: Quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris: per quod innuitur manifeſtè, quod Petrus prælatus fuerit populis vniuerſis: cum vas illud Orbem, & vniuerſitas contentorum in eo, vniuerſas ſignificet, tàm Iudæorum, quàm gentium nationes.

Qui licèt poſtmodùm ex reuelatione diuina ab Antiochia fuerit translatus ad Vrbem, non tamen conceſſum ſibi Primatum deſeruit; ſed ſecum potiùs cathedræ tranſtulit Principatum; cum Dominus eum nullatenùs minorare voluerit, quem Romæ præuiderat martyrio coronandum.

Sanè cum ipſe poſtmodùm, immò Dominus potiùs, qui ſe in eo pati aſſeruit. Venio (inquit ad eum) Romam iterùm crucifigi. Romanam Eccleſiam ſuo ſanguine conſecraſſet, Primatum Cathedræ ſucceſſori reliquit; totam in eo transferens plenitudinem poteſtatis. Pro patre ſiquidem nati ſunt ei filij, Pſal. 44. d
quos Dominus Principes ſuper omnem terram conſtituit.

Sanè cum per nauem Petri Eccleſia figuretur, tunc Petrus, iuxtà præceptum Dominicum, nauim duxit in altum, laxans prædicationis retia in capturam; cum ibi poſuit Eccleſiæ Principatum, vbi vigebat ſecularis potentiæ altitudo, & imperialis monarchia reſidebat; cui ferè ſingulæ nationes, ſicut flumina mari tributa ſoluebant certis temporibus conſtituta. Ipſe quidem primus Iudæos; ipſe quoque primus Gentiles poſt Aſcenſionem Chriſti conuertit ad fidem, vt ſuper vtroſque fideles ſe Primatum accepiſſe monſtraret. Cum ipſo die Pentecoſtes ad verbum exhortationis ipſius circiter tria millia Iudæorum Act. 2. g
baptiſmi receperint Sacramentum: ac deindè Cornelium Centurionem, & ſuos quaſi primitias gentium, ad reuelationem Angelicam Act. 10. a
baptizarit. Cum autem inter Apoſtolos ad conſultationem credentium magna fieret conquiſitio, vtrum oporteret circuncidi fideles, & legem Moſaicam obſeruari, Petrus, principali fretus auctoritate, reſpondit. Quid tentatis Deum imponere iugum ſuper ceruicem Diſcipulorum, quod neque patres noſtri, Act. 15. b
neque nos portare potuimus?

Cuius ſententiam ſubſecutus Apoſtolicum ſuper ipſa quæſtione decretum Iacobus promulgauit. Paulus etiam poſtquam abijt in Arabiam, & iterùm redijt in Damaſcum, Gal. 1. d
deindè poſt tres annos venit Hieroſolymam, vt Petrum videret, cum eo Euangelium, quod in gentibus prædicauerat, collaturus; ne forte in vacuum curreret, aut etiam cucurriſſet. Cuius etiam ſingularis Apoſtolatus priuilegium recognoſcens, Antonomaſicè ſcribit de illo; Qui operatus eſt Petro in Apoſtolatu, Galat. 2. h
operatus eſt mihi inter gentes. Vt autem, quem Dominus cæteris præfecit priuilegio dignitatis, præ cæteris quoque virtutis priuilegio decoraret, tantam ei contulit poteſtatem, quod ad vmbram eius ſanabantur infirmi, vt in eo intelligatur eſſe completum, Ioann. 14. h
quod Dominus dixerat. Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipſe faciet; & maiora horum faciet.

Hæc autem non idcircò præmiſimus, vt nos, qui ei, licèt indigni, ſucceſſimus in Apoſtolatus officio, extraneos ambulare velimus in magnis, aut ſuper nos in mirabilibus exaltare; cum à Domino dictum eſſe nouerimus. Omnis qui humiliat, exaltabitur, & qui ſe exaltat, humiliabitur. Vnde cum inter Diſcipulos eius quæſtio de maioritate fuiſſet exorta, reſpondit: Qui maior eſt inter vos, erit omnium ſeruus: & qui præceſſor, tamquam miniſtrator, ſeipſum in exemplo proponens, quia filius hominis non venit miniſtrari ſed miniſtrare; propter quod, & ipſe Petrus aiebat: Non quaſi dominantes in clero, ſed forma facti gregis ex animo; nam & alia dicit ſcriptura; Quantò maior es, hu- Eccl. 32. a
milia te in omnibus; & iterùm, Principem te conſtituere noli extolli: eſto in illis, quaſi vnus ex illis. Deus enim ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam, &c.

Gloſſa ordinaria Matth. 16. ex Rabano, ci-

citata à D. Thoma in catena aurea. Habent quidem, inquit, eandem iudiciariam poteſtatem alij Apoſtoli, quibus poſt Reſurrectionem ait. Accipite Spiritum ſanctum, &c. Habet etiam omnis Eccleſia in Epiſcopis, & Preſbyteris; ſed ideò ſpecialiter Petrus accepit, vt omnes intelligat, quod quicumque ab vnitate fidei, & ſocietate eius ſe ſeparauerit, nec à peccatis ſolui, nec Cœlum poteſt ingredi.

Et alia Gloſſa ordinaria, apud D. Thomam in catena eodem ſtatim loco. Specialiter illam poteſtatem Deus Petro conceſſit, vt ad vnitatem nos inuitaret. Ideò enim eum Principem Apoſtolorum conſtituit, vt Eccleſia vnum principalem haberet Chriſti Vicarium, ad quem diuerſa membra recurrerent, ſi forte inter ſe diſſentirent.

Alia Gloſſa Moralis in cap. 21. Ioann. Ter dictum eſt, inquit, Paſce; ad ſignificandum, quod habens curam animarum, debet, ſubditos paſcere, paſtu Verbi Dei, & boni exempli, & prout poteſt, etiam ſubſidio temporali.

Alia Gloſſa Venerabilis Bedæ in cap. 5. epiſt. 1. Petri. Paſcite, qui eſt in vobis, gregem Dei; ſicut Dominus beato Petro totius gregis eius, hoc eſt Eccleſiæ, curam habere iuſſit, ità ipſe Petrus ſequentibus Eccleſiæ Paſtoribus iure mandat, vt eum quiſque, qui ſecum eſt, gregem Dei ſollicita gubernatione tuetur.

Alia Gloſſa Moralis in cap. vlt. Ioann. Amen dico tibi, cum eſſe iunior, &c. Per hoc quod hic dicitur, paſſio Petri futura ſignificabatur, eò quod tunc Eccleſiæ præficebatur. Nàm in primitiua Eccleſia ille, qui populis præficebatur, primus ad tormenta ducebatur.

Et alia Gloſſa ordin. Ideò voluit Dominus Apoſtolorum Principem priùs alio nomine vocari, et ex commutatione nominis Sacramenti viuacitas commendaretur.

Alia Gloſſa quæ eſt Rabani. Simon, ideſt obediens, qui propter primatum Apoſtolici ordinis vocatur Petrus, ideſt firmus.

CAP. XI.

Eorum quæ contra Petri Primatum à Centuriarum auctoribus ex ſacris literis afferuntur, diſſolutio.

NOn ſatis eſt nobis, quæ inſtituimus, accuratiſſimè tot ſanctorum Patrum teſtimonijs probaſſe, niſi etiam ea, quæ contra noſtram ſententiam ex ſacris literis argumenta à Centuriarum auctoribus afferuntur, diſſoluerimus, quæ in hæc quattuor contraximus, ità verò ſcribunt.

Primùm. Chriſtus aliquoties contendentibus Apoſtolis de Primatu, negauit eos debere imperare, & regnare; inquit enim: Reges gentium dominantur eis, vos autem non ſic. Nec tantum eos non vult dominari, ſed etiam vult eos ſeruire, & ſubiectos eſſe, cum inquit. Qui vult eſſe maximus, ſit minimus. Et quidem præponit ſe is pro exemplo; qui venit in terram, non vt alij ei ſeruiant, ſed vt ipſe alijs miniſtraret: idque ſumma, & duriſſima ſeruitute; ac negat planè, ſe eſſe conſtitutum Iudicem; prohiberque ſeueriter, ſe quemquam magiſtrum, Patrem, aut Dominum appellare; conſonat huic ſententiæ, & Pauli doctrina 1. Corinth. 3. & 4. qui dicit. Petrum, & Paulum omnes Apoſtolos eſſe Eccleſiæ, & non eſſe Eccleſiam ipſorum, eos eſſe tantum miniſtros quoſdam Euangelij Chriſti, per quorum prædicationē homines ad Deum conuertuntur, ſic & Petrus docet in prima epiſt. cap. 5. Non dominantes, ſed forma ſacti gregis. Non conſtituit igitur Chriſtus Petrum Dominum ſuper Eccleſiam, & omnes Chriſtianos, multò minùs alios, qui ſiue Antiochiæ, ſiue Romæ, ſiue in Ponto, aut Galatia, aut Cappadocia à Petro ordinati ſunt, quibus omnes Chriſtiani ſub pœna æterni exitij obedire cogantur.

Secundum. [Illud obſeruandum eſt, quod poſtquam Chriſtus dixerat ad Petrum. Tu es Petrus, &c. ſæpiùs orta eſt inter Apoſtolos dubitatio, & contentio de primatu; quiſnam primus inter eos eſſe in poſterum debeat, & ſemel Lucæ cap. 22. iam in vltima cœna. Quæ profectò dubitatio, & contentio orta non fuiſſet, ſi Chriſtus ſemel, vnum reliquis omnibus præfeciſſet: Ad hæc, & Chriſtus eis reſpondiſſet, ſe iam vnum Petrum ſemel cæteris præpoſuiſſet, & reliquos omnes ei obtemperare debere, nec de re à ſe penitùs concluſa adhuc litigare, verum illud, &c.

Ibidem Lucæ cap. 22. contrarium reſpondet, neminem illorum debere alteri præferri, verùm omnes ſibi mutuo, ac omnibus alijs Chriſtianis promptè miniſtrare: ſed adſcribam, & verba Euangeliſtæ; Orta eſt autem, & contentio inter eos, quis eorum videretur eſſe maior, dixit autem eis. Reges gentium dominantur eis, & qui poteſtatem habent in eos benefici vocantur: Vos autem non ſic, ſed qui maior eſt inter eos, fiat æqualis iuniori, & qui princeps eſt; æqualis miniſtranti. Nam vter maior eſt, qui accumbit, an qui miniſtrat? nonnè qui accumbit? At ego in medio veſtrum ſum, vt qui miniſtrat. Hinc igitur manifeſtè apparet, tum Petro ante paſſionem non fuiſſe datum primatum, tum etiam Chriſtum planè noluiſſe conſtitui ſuperioritatem inter Apoſtolos.]

Reſponſio.

Quoniam hæc duo argumenta ex eodem capite, loco, & ijſdem rationibus manant, vnica reſponſione vtrique ſatisfaciam. Centuriarum auctores Petri primatum deſtruere, demoliri, & omninò extirpare conati, tanta vi furoris efferuntur, vt neque quid dicant, conſiderent, neque ab alijs ſcripta, vel oſcitanter examinent; ſed impetu quodam impulſi, quicquid in buccam venit, modò ad rem ſuam facere ex leuibus quibuſdam argumentis videatur, enomunt, exaggerant, repetunt, inculcant, nulla diſtinguendi ratione cognita, verba, res, tempora, ordinem, confundunt. Antè omnia, verba illa ſuauiſſima, quibus paſſim Ieſus Chriſtus, & Apoſtoli de Petri primatu vtuntur paſcere, regere, & gubernare, ad inſtar paſtoris, patris,

Epi-

Epiſcopi, confundunt; cum verbis ab Euangelio penitùs alienis, neque ab vllo vmquam vſurpatis, dominari, regnare, & imperare, ritu Tyrannorum, Regum, & Imperatorum. Conſtat ſanè Chriſtum ambitionem, faſtum, tumorem, mentis elationem, iniuſtum principatum, tyrannidem, appetitum ſuperbè dominandi ſicut Principes gentium, non legitimam, & Eccleſiaſticam poteſtatem damnaſſe, quæ à Deo, ad vnitatem Eccleſiæ ſeruandam inſtituta eſt, & cui qui reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. Voluit quidem ipſe præſidentium humilitatem docere, non auferre æquam poteſtatem, quemadmodùm in Eccleſiaſtico cap. 32. ſcriptum eſt: Rectorem te poſuerunt, noli extolli, ſed eſto quaſi vnus ex ipſis, curam illorum habe, & ſic conſidera, & omni cura explicita recumbe, vt læteris propter illos.

Et cap. 3. Quantò maior es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam.
1. Pet. 5. a Et diuus Petrus, non dominantes in Clero; ſed forma facti gregis ex animo. Neminem profectò tam delirum eſſe opinor, qui ità argumentari auſit. Quoniam & Chriſtus miniſtrauit, & alios maiores miniſtrare minoribus ſuo exemplo docuit,& præcepit. Nullam itàque Chriſtus præ cæteris poteſtatem habuit; aut legitimum Principatum abrogauit? qui dixit; Data eſt mihi omnis poteſtas in Cœlo, & in terra; & per os Pauli Chriſtianos ſuos docuit eos præpoſitis ſuis obedire, & ſubiacere debere, qui peruigilant rationem pro animabus eorum reddituri. Et quidem, cùm Chriſtus dixit: Qui maior eſt veſtrum, fiat ſicut minor; & qui Princeps eſt, ſicut miniſtrator; ſatis expreſsè conſtat, ipſum inter eos aliquem poteſtate cæteris præſtantiorem eſſe voluiſse; quamquam ea verba adiunxerit: [ſit ſicut iunior,] ob miniſterij exhibitionem.

Hinc optimè diuus Hieronymus in comment. cap. 20. in Matth. ſcribit: Chriſtus voluit ſuos ad ſummitatem virtutum non potentia, ſed humilitate peruenire. Nàm exiſtentes in poteſtate, debent ſe intùs humiliare, ac ſi non eſſent in poteſtate conſtituti; vt paruuli fiant humilitate quidem, non ſenſu, vel ætate; qui maior eſt (inquit) Chriſtus ſcilicet prælatione, fiat ſicut iunior per humilitatem, & exhibitionem miniſterij; & ità non delet, ſed confirmat prælationem, & ei modum imponit.

Nàm quod Reges gentium faciunt, violenter homines ſeruitio præmentes, hoc Paſtores Eccleſiæ facere non debent; ſed (vt tradit tract. 12. in Matth. Origenes) ſubditis ſuis potiùs miniſtrare.

Rectè igitur Chriſtus contendentibus aliquoties de principatu ſine humilitate, non de primatu cum charitate Apoſtolis, & aliquando, quis maior eſt in Regno Cœlorum ineptè quærentibus, vel ad dexteram, & ad ſiniſtram illius ſedere imperitè petentibus, illos admonuit prælationem non eſſe temerè vſurpandam, & ambiendam: inſuper obiurgauit illos, negauitque eos debere imperare, & regnare, ritu Regum, cùm ait: Reges gentium dominantur eis, & qui poteſtatem habent in eos benefici vocantur, vos autem non ſic; ſed qui maior eſt inter vos, ſcilicet poteſtate, fiat ſicut iunior, humilitate, & qui princeps eſt, tamquam miniſtrator, mei exemplo. Nàm quis maior eſt, qui accumbit, an qui miniſtrat? nonne qui accumbit? At ego in medio veſtrum ſum, vt qui miniſtrat. Ergo quia miniſtro nullam habeo poteſtatem? Abſit. Hactenùs Chriſtus diſcipulos, inaniter de Principatu, quem more gentium comiſcebantur, grauiſſimè redarguit; & iure; non enim eorum poteſtas regia, & tyrannica futura erat; ſed tamquam patris in filios; paſtoris in oues; gubernatoris ſuæ fidei creditos: humilitatem quoque, quam paſtor Eccleſiæ gerere debet,oſtendit; & profectò Chriſti verba apertè explicant, de quo principatu ipſe loqueretur, cùm ait: Reges gentium, quoniam illorum eſt ambire imperium, quod ſcite exponit diuus Ioannes Chriſoſtomus: prima quæque appetere, tyrannica paſſio eſt. Hunc verò eſſe legitimum verborum Chriſti ſenſum, ex ſui, quod exhibet, exemplo liquet. Quis enim ignorat, ipſum eſſe totius Eccleſiæ caput, omnibus prælatum? & tamen ſumma docuit humilitate, alijs miniſtrando; etſi per hoc alijs ſuperior eſſe non deſierit, docens alios præfectum dignitate non ſuperbire; ſed humiliter alijs miniſtrare, quod ſuper eo loco docet, & diuus Baſilius in reg. lat. diſput. interrog. 30. Non extollat præſidentem dignitas, ne ab humilitatis beatitudine corruat.

Quare vanum eſſet exemplum, ſi auctorum Centuriarum intelligentiam caperemus, verba ſcilicet Domini prohibentia eſſe prælationis, cùm ipſe fuerit veriſſimus prælatus. Dicamus igitur, Chriſtum non prohibuiſſe prælationem; ſed docuiſſe in prælatione humilitatem.

Sequuntur Centuriarum auctores.

[Hinc igitur manifeſtè apparet, tùm Petro antè paſſionem non fuiſſe datum primatum;] rectè, quia poſt paſſionem, cùm ei dictum eſt: paſce oues meas; quamvis tamen antè paſſionem promiſſus eidem fuerit. Matth. 16. Tibi dabo, &c. [Tùm etiam Chriſtum planè noluiſſe conſtitui ſuperioritatem inter Apoſtolos;] hoc falſiſſimum: quia ſtatim finita obiurgatione, per quam illos capaces, & humiliores fecerat, eos ſuæ voluntatis admonuit; & ſtatim exponens, quis ſit ille maiòr futurus, poſt mortem ſuam, qui tamen debeat eſſe ſicut iunior, ad Petrum conuerſus, ſubijcit hæc verba, quæ ipſi reticuerunt: Simon, ecce Sathanas, expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum; ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua; & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.

Et apud Ioann. cap. vlt. poſt reſurrect. Simon diligis me plùs his? paſce oues meas. Chriſti igitur verbis non inducta eſt inter Apoſtolos æqualitas, excludens prælationem, ſed magiſter humilitatis, ipſos ad humilitatem exhortans, omnem ſuperioritatem excluſit ſuperbæ, & iniuſtæ poteſtatis. Interdicitur enim dominatio, & inducitur adminiſtratio.

Ad id verò, quod auctores Centuriarum pro ſua ſententia contra Petri primatum ex Lucæ cap. 22. attulerunt, ſcitiſſimè diui Auguſtinus, & Gregorius reſpondent. Ille quidem homil. 4. cuius verba commodiùs infrà in

In reſponſione ſimilis argumenti adijciam; hic verò regiſtri lib. 1. epiſt. 24. ad quatuor Patriarchas, ità: Rurſùs cùm me ad conſiderandum confero, qualis in humilitate, qualiſque eſſe rector debeat in diſtrictione perpendo, quoniam neceſsè eſt, vt & benè agentibus ſit per humilitatem ſocius, & contra delinquentium vitia per zelum iuſtitiæ erectus, quatenùs & bonis in nullo ſe præferat, & cùm prauorum culpa exigit, prioratus ſui poteſtatem agnoſcat, vt & honore ſuſpenſo æqualem ſe ſubditis benè viuentibus deputet, & contra peruerſorum culpas ex zelo iuſtitiæ excreſcat.

Hinc eſt namque, quod Petrus auctore Deo ſanctæ Eccleſiæ principatum tenens à benè agente Cornelio, & ſeſe ei humiliter proſternente immoderatiùs venerari recuſauit, ſeque illi ſimilem recognouit, dicens: Surge, ne feceris, & ego homo ſum. Sed cùm Ananiæ, & Sapphyræ culpam reperit, mox quanta potentia ſuper cæteros excreuiſset, oſtendit. Verbo namque eorum vitam perculit, quam ſpiritu perſcrutante deprehendit; & ſummum ſe intrà Eccleſiam contra peccata recoluit, quod honore ſibi vehementer impenſo coram benè agentibus fratribus non agnouit. Hic communionem æqualitatis meruit ſanctitas actionis, illic zelus vltionis vim aperuit poteſtatis, hinc eſt, quòd Paulus benè agentibus fratribus prælatum ſe eſſe neſciebat, cùm diceret: Non quia dominamur fidei
2. Cor. 1. d
veſtræ, ſed adiutores ſumus gaudij veſtri. Ad quæ ideò adiunxit: fide enim ſtatis, ac ſi id, quod præſul erat, aperiret, dicens; ideò non dominamur fidei veſtræ, quia fide ſtatis, æquales enim vobis ſumus, in quo vos ſtare cognoſcimus, quaſi prælatum ſe eſſe fratribus
1. Theſ. 2. b
neſciebat, cùm diceret: Facti ſumus paruuli in medio veſtrum.

1. Cor. 4. b
Et rursùs: Nos autem ſeruos veſtros per Chriſtum; ſed cùm culpam, quæ corrigi debuiſſet, inuenit, illicò ſe magiſtrum eſſe reco-
1. Cor. 4. d
luit, dicens: Quid vultis, in virga veniam ad vos?

Summus itaque locus benè regitur, cùm is, qui præeſt, vitijs potiùs, quàm fratribus dominatur. Benè acceptam poteſtatem regit, qui & tenere illam nouit, & impugnare. Benè hanc regit, qui ſcit per illam ſuper culpas erigi, ſcit cùm illa cæteris in æqualitate componi. Sic autem ſeruanda eſt virtus humilitatis, vt non ſoluantur iura regiminis; nedùm prælatus quiſque plùs ſe, quàm decet, deijcit, ſubditorum vitam reſtringere, ſub diſciplinæ vinculo non poſſit, & ſic ſeruanda eſt diſciplinæ ſeueritas, nedùm plusquàm neceſsè eſt zelus accenditur, manſuetudo funditus amittatur.

Sæpè namque vitia, virtutes ſe eſſe mentiuntur, vt tenacia parſimonia, effuſio largitas, crudelitas zelus iuſtitiæ, remiſſio pietas velit videri. Diſciplina ergo, vel miſericordia multum deſtituitur, ſi vna ſine altera teneatur. Sed magna diſcretionis arte ſeruanda eſt, & iuſtè conſulens miſericordia, & piè feriens diſciplina.

Hinc namque eſt, quod docente veritate per Samaritani ſtudium ſemiviuus in ſtabulum ducitur, & vinum, atque oleum vulneribus eius adhibetur, ſcilicet, vt per vinum mordeantur vulnera, & per oleum foueantur.

Neceſsè quippè eſt, vt is, qui ſanandis vulneribus præeſt, in vino morſum doloris adhibeat; in oleo molliciem pietatis; quatenùs per vinum mordeantur putrida, per oleū ſananda foueantur. Sic ergo amor, ſed non emolliens, ſit rigor, ſed non exaſperans. Quod benè illa tabernaculi arca ſignificat: in quà cùm tabulis, virga ſimùl, & manna eſt; quia cùm ſcripturæ ſacræ ſcientia; in boni rectoris pectore, ſi eſt virga diſtrictionis, ſit & manna dulcedinis.

Suſcepto itaque paſtoralis curæ onere, cùm cuncta hæc, atque alia huiuſmodi multa conſidero, videor, quod eſſe non poſſum; maximè quia hoc in loco quiſquis paſtor dicitur, curis exterioribus grauiter occupatur, ità vt ſæpè incertum fiat, vtrùm paſtoris officium, an terreni proceris agat.

Et quidem quiſquis regendis fratribus præeſt, vacare funditus à curis exterioribus non poteſt; ſed tamen curandum magnopere eſt, ne ab ijs immoderatè deprimantur, &c. Ità ille.

Quibus verbis nihil aptiùs argumentis ſupradictis reſponderi poteſt; ſequuntur auctores: [Et certè Chriſtus noluit Apoſtolos dominari more Regum; ſed voluit eos ſeruire ouiculis ſuis,] hactenùs rectè, [& ſubiectos eſſe,] hoc nimiùm eſt, cui nàm quæſo? aut quo ſubiectionis genere? ſi omnes ſubiecti ſunt, quis rector? Cùm inquit [qui vult eſſe maximus, ſit minimus] falſa illatio: quia dicit, ſit ſicut minimus, ideſt, ità ſe gerat per humilitatem, ac ſi minimus eſſet. [Vult quidem Chriſtus Apoſtolos ſuos miniſtrare, proponens ſe eis pro exemplo, qui venerit non vt alij ſeruiant, ſed vt ipſe alijs miniſtret,] non tamen ità ſubiectos eſſe, vt eius iuſſu tollant regimen Eccleſiaſticum, quod inter rectores & ſubiectos eſt; [idque ſumma, & duriſſima ſeruitute.] Hic fruſtrà exaggerant verba, [ac negat planè ſe eſſe conſtitutum iudicem,] tamen dixit: Data eſt mihi omnis poteſtas in Cœlo, & in terra, [prohibetque ſeueriter, ſe quemquam magiſtrum, patrem, aut Dominum appellare,] ſuapte natura ſcilicet, qua ſolus Deus eſt, & pater, & magiſter, & Dominus, non participatione, qua multi magiſtri, & patres eſſe poſſunt, Paul. 1. Thimot. in Euangelio poſitus ſum ego prædicator, & Apoſtolus, & magiſter gentium, adde eamdem appellationem Chriſtum non prohibere quando alicui cura patris, aut magiſtri tradita eſt.

Addunt [illud verò in primis obſeruandum eſt, quòd poſtquam Chriſtus dixerat ad Petrum: Tu es Petrus, ſæpiùs orta eſt inter Apoſtolos dubitatio, & contentio de primatu,] falſum; quia de principatu, more gentium [quiſnam primus inter eos eſſe in poſterùm debeat,] falſum, quia maior, ritu regum, [vt ſemel Lucæ 22. in vltima cœna, quæ profectò dubitatio, & contentio orta non fuiſſet, ſi Chriſtus ſemel vnum reliquis omnibus præfeciſſet.]

O peruerſum ſcripturarum ſenſum: ideò contentio orta, quia eis ſæpè Petrum inſinuauerat paſtorem, non tamen præfecerat: quod optimè his verbis exponit Origenes homil. 5. ſu-

ſuper Matthęum, vbi ait: Ieſus mittit Petrum cum hamo comprehendere piſcem, in cuius ore dicebat inueniendum eſſe ſtaterem, vt daretur pro ſe,& Petro. Ego arbitror,quoniam maximum hunc honorem exiſtimantes, in Petrum à Chriſto collatum, quaſi per hoc indicaſſet, eum cæteris diſcipulis meliorem, cupiebant, quod ſuſpicabantur, cautè cognoſcere, ſimul autem ſperabant, quod & cauſam ipſam reuelationis interrogantes indicarent.

Hoc ergo volens oſtendere Matthæus adijcit propter illud, quod ait: Hunc accipiens da propter me, & te. In illa die, vel hora acceſſerunt Diſcipuli ad Ieſum, dicentes: Quis putas maior eſt in Regno Cœlorum? &c. Preterea multæ poruerunt eſſe cauſæ, cur dubitarent ſic, & contenderent Apoſtoli, etiamſi nouiſſent, ijs prælatum fuiſſe diuum Petrum Apoſtolum. Id enim primò fieri poteſt, eos contendiſſe de meritorum dignitate; vel dubitaſſe de altiori gradu in Regno Cœlorum poſteà obtinendo, non de poteſtate paſtorali.

Vndè inter alia Saluator tunc eos reprehendens, de hoc quoque reſpondit Lucæ 22. Ego diſpoſui vobis, vt edatis,& bibatis ſuper menſam meam in Regno meo; & ſedeatis ſuper thronos, iudicantes duodecim tribus Iſrael: aut etiam abſolutè, aut in genere dubitaſſe: Quis maior? non habita ratione huius, vel alterius rei. Non quis poteſtate maior, vel dignitate, vel ſapientia, & virtute, aut honore, vel præmio, ſed abſolutè: quis maior? atque hoc quidem dubitare potuerunt, & de eo contendere, etiamſi ſcirent Petro promiſſam poteſtatem; & ideò ibidem Saluator eis reſpondit, & de poteſtate, ritu, & more gentium, & de merito, ac præmio futuro, præterquamquod non ità antè Spiritus ſancti ſuſceptionem erant perſpicaces, & ſpirituales, vt ſingula Chriſti verba vel memorarentur, vel conſiderarent diligentiùs, vel clarè intelligerent; & præſertim, quia ex parte ſimilia eis verba dicta videbant, Matth. 8. licèt non eadem: Quæcumque ligaueritis, erunt ligata,&c. & factos omnes eſſe Apoſtolos, & miſſos ad prædicandum; & ideò cauſam habere dubitationis potuerunt, & contentionis, ac maximè quia proprium eſt ambitionis homines excæcare, vt iſtos Centuriarios odium in Apoſtolicam Sedem, & ambitio, ac malitia excæcaſſe videntur, vt videntes non videant, & intelligentes non intelligant.

[Ad hæc & Chriſtus eis reſpondiſſet, ſe iam vnum Petrum ſemel cæteris præpoſuiſſe, & reliquos omnes ei obtemperare debere, nec de re ab ſe penitùs concluſa ampliùs litigarent. An non id fecit Chriſtus, & tunc cùm illico dixerit: Simon, ecce Sathanas, expetiuit vos vt cribraret,ſicut triticum; ego autem rogaui pro te,vt non deficiat fides tua; & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. Et paulò antè: Tu es Petrus,&c. tibi dabo claues, tibi vni, non alijs.

Item paucis diebus poſt reſurrectionem longè aperriſſimè: Simon,diligis me plùs his; paſce oues meas; quod illi ſoli,non alijs dixit Apoſtolis, qui tunc præſentes aderant.

Quid igitur hi poſtulant, centies dici à Saluatore oportere? Sed nec tunc locus erat inter reprehendendum hæc dicendi,ne eadem fortaſſe re, vnius ſcilicet prælatione, commemorata, magis eos irritaſſet.

Immò è contra aduerſarij ſi aliquid ſenſus ſpiritualis haberent, oporteret eos contrarium colligiſſe; ſcilicèt, ideò cœpiſſe de hoc dubitare Apoſtolos, quia audierant illa verba, à Chriſto diuo Petro dicta, Matth. 16. Et indè occaſionem ſumpſiſſe ipſam ambitionem, vel curioſitatem, ſicut ſenſerunt aliqui Doctores ex ſupra citatis, & Origenes homilia 5. ſuper Matthęum, vt paulò ſupra citaui. Vndè Matth. 17. poſtquam Saluator iuſſit ſolui pro ſe, & Petro, ſtatim ſubiunxit Euangeliſta Apoſtolorum contentionem: Quis putas maior eſt in Regno Cœlorum? ſicut etiam indignè tulerunt filiorum Zebędei poſtulatum, vt vnus ſederet à dextris, & alius à ſiniſtris in Regno Chriſti, Matth. 20. & Marci 10. Addunt. [Verùm ille contrarium reſpondet Lucæ cap. 22. Neminem illorum debere alteri præferri,] hoc falſum; neque eius rei veſtigium vllum in Euangelio extat [verùm omnes ſibi mutuo, ac omnibus alijs Chriſtianis promptè miniſtrare.] Hoc rectè,nec nos negamus. Malè igitur faciunt, qui legitimi primarus iuſtam, & humilem poteſtatem, quam Chriſtus ſanxit, Petrus exercuit, cum iniquo, & ambitioſo dominatu à Petri moribus alieno à Chriſto damnato, confundunt.

[Conſonat huic ſententiæ Pauli doctrina prima epiſtola Corinth. cap. 3. & 4. qui dicit, Petrum, & Paulum, & omnes Apoſtolos eſſe Eccleſiæ, non eſſe Eccleſiam ipſorum] Eſto, ergo inter hos primus nullus eſse debet Eccleſiæ Apoſtolus? non video, quanam ratione ex ijs verbis id conſequi poſſit [eos eſſe tantùm miniſtros quoſdam Euangelij Chriſti, per quorum prædicationes homines ad Deum conuertantur.] Quid ex his verbis ſequatur, quod Petri primarui repugnet, non agnoſco, [ſic & Petrus docet prima epiſtola cap. 5. non dominantes, ſed forma facti gregis.] Non dominantes, quia Chriſtus dominatum more Regum prohibuit, ergo non paſcentes? Abſit, quia, paſcite, qui in vobis eſt, gregem Dei, prouidentes non coactè, ſed ſpontaneè ſecundùm Deum. [Non conſtituit igitur Chriſtus Petrum dominum ſuper omnem Eccleſiam, & ſuper omnes Chriſtianos.] ſi in Domini verbo tyrannum intelligas,certè non conſtituit: ſi principem, & paſtorem, ipſiſſimum fecit, quia ei ter dixit: Paſce oues meas; & Eccleſia omnis eum Principem Apoſtolorum vocat.

Tertium. Chriſtus dixit ad Diſcipulos, Ioan. 20. [Sicut me miſit viuens Pater, ità & ego mitto vos. Certò certiùs eſt, Chriſtum non miſſum à Patre, vt conſtituat Regna, ac politias, nec habuiſſe gladium politicum. Negat enim ſuum Regnum eſſe de hoc Mundo, aut ſe hic conſtitutum Iudicem. Igitur nec vllus Apoſtolorum, aut Chriſti Vicarius debet ſibi quicquam tale vſurpare, quod ipſi Chriſto, à Patre demandatum, non fuit. Ad hæc eodem iure dixit, ſe ſingulos mittere, nulli igitur dat aliquam prærogatiuam.

Reſ-

Reſponſio.

Quid contra Petri primatum locus hic Ioannis faciat; non liquet: Chriſtus cui data eſt poteſtas in cœlo, & in terra, miſſus eſt à patre in Mundum, vt doceret veritatem; genus humanum de poteſtate Sathanæ redimeret; Eccleſiam conſtitueret; & nos ad Cœlum per fidem, & charitatem reuocaret; qua ratione vt eadem per prædicationem operentur ipſe Apoſtolos, & diſcipulos miſit: Quibus Petrum vice ſua præfecit, cum ei dixit, paſce oues meas. Vt verò eorum verba excutiamus; cum dicunt: Chriſtum non miſſum eſſe à patre, vt conſtituat regna, & politias; nec eum habuiſſe gladium politicum, & ità nec reliquiſſe Apoſtolis; hic diſtinctione opus eſſe videtur: Aut enim ipſi intelligunt in his, quæ ad animam ſpectant, fidem, & religionem, & æternam denique ſalutem conſequendam, & hoc falſiſſimum eſt; cum ad hoc venerit ipſemet Chriſtus, & ad hoc ipſos Apoſtolos miſerit, & reliquerit, & Petrum paſtorem conſtituerit, vt conſtat ex mille Euangelij locis: Aut intelligunt ſecularem gubernationem, & ſecularem poteſtatem, & temporalium rerum, & corporum dominium & ad hoc non dicimus, eſſe reges alienorum regnorum directè conſtituros, vel Apoſtolos, vel diuum Petrum. At indirectè: Quantum ad illum ſupremum finem ſalutis animarum, ipſis commiſſam, etiam ad hoc ſe extenderet quatenùs, vel impediret, noceret, vel prodeſſet, vel eſſet neceſſarium ad illum finem: ſiquidem ex fine, omnia, quæ ſunt ad finem pendent, & hæc omnia ad illum finem, tum ex Deo ipſo, tum ex natura ipſa rerum ad fœlicitatem ordinantur. Ea porrò temporis conditio, & Chriſti aduentus cauſa; tunc non permittebant, vt nec Chriſtus, nec Apoſtolorum aliquis conſtituerent regna, & politias; aut vt gladio politico vterentur, ſed Eccleſiam ædificarent, qua conſtituta Petri & Apoſtolorum ſucceſſores Epiſcopi, ſi è Reipublicæ Chriſtianæ commodo, & vtilitate Eccleſiæ eſſet, ens regna, & politias condere, vel reformare, quo animarum ſaluti conſuleretur, obnoxij erant, hactenùs id munus eorum eſt, cum paſtoribus non minor cura incumbat publicæ tranquillitatis, & pacis tuendæ, conſeruandæque, quàm animarum, & prædicationis Euangelij; quæ procuidubio ſine publica pace parum exerceri poteſt. Ad hæc eodem iure dixit, ſe ſingulos mittere. Non verentur, quò ſua mendacia aſtruant, Euangelia falſare; hoc namque falſum eſt, nec in Euangelio reperitur. Sed faciamus ità eſſe; Eodem iure, & poteſtate Apoſtolatus, & ordinis ſingulos mittit, quibus dixit: accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittentur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt, non verò iuriſdictionis, & paſtoralis poteſtatis; quia ſoli Petro dictum eſt in vniuerſum, paſce oues meas. [Nulli igitur dat aliquam prærogatiuam] falſum. An non ſunt iſtæ vnius Petri prærogatiuæ? Beatus es Simon Bar-Iona; quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater meus, qui in Cœlis eſt. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo

Matth. 16. c

Eccleſiam meam; tibi dabo claues Regni Cœlorum; quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in Cœlis; & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in Cœlis. Rogaui pro te, Petre, vt non deficiat fides tua; & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. Simon quia diligis me plus his, paſce agnos meos: iterùm paſce agnos meos: tertiò, paſce oues meas: iterùm, ſequere me. Quæſo ſi aliqua Petrum præ cæteris Apoſtolis prærogatiua Chriſtus inſigniret, quaſnam verborum formulas ijs illuſtriores, præſtantioreſque concipere potuiſſet? Ad hæc ſi veritatem quis fateri velit, neceſſe eſt, vt concedat, Chriſtum Saluatorem noſtrum re ipſa, etiam regem fuiſſe, immò regem regum, & Dominum dominantium etiam ſecundum humanitatem, idque ex vi vnionis ad verbum, vnde dicit Ioannis 5. de ſe ipſo, Pater omne iudicium dedit filio, & qui dicit omne nihil excludit, & id dixit ante reſurrectionem, & Matthæi 17. de petentibus didrachma dixit: Ergo filij ſunt liberi, ſed ne ſcandalizemus eos, &c. Item turba acclamans, quam Chriſtus approbauit; Benedictus, qui venit in nomine Domini Rex Iſrael. Item Magi, vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum? Vidimus enim, &c. & Magorum adoratio trino oblato munere; ex communi omnium patrum ſententia inter alia teſtati ſunt, auro Regem, thure Deum, myrrha hominem, vel etiam Sacerdotem, Regem, & Prophetam ſignificari. Sed & in Apocalypſi etiam vocatur Rex Regum, & Dominus dominantium.

Lucæ 22. c

Ioan. 21. e

Ioan. 12. b

Matth. 2. a

Apoc. 19. c

Et diuus Paulus ait: Deum patrem ſubieciſſe omnia filio ſub pedibus eius, & ipſemet filius ait; Omnia mihi tradita ſunt à patre meo. Ergo omnium Dominus. Item poſt reſurrectionem, antequam miſiſſet Apoſtolos, ait: Omnis poteſtas mihi tradita eſt in Cœlo. & in terra à patre meo; ſed quemadmodum etiam erat Summus Sacerdos, ità decebat, vt eſſet Summus Rex. Item meritò ſapientiæ, & virtutis, ac dignitatis, quam habebat etiam ante mortem dignus erat vt pater omnium Regem, & Imperatorem conſtitueret: Nam & hoc nouit Ariſtoteles lib. 1. Politicorum. Quoſdam eſſe natura ſeruos; & alios liberos, & Dominos, & quibus naturæ debeatur, vt cæteris præſint, &c.

Cor. 15. d

Matth. 11. d

Lucæ 10. d

Et 3. Polit. ait: Quod ſi quis ſic virtute, & ſapientia longè cæteros excelleret, ei iure Regnum, & Imperium deberetur. Et interrogatus à Pilato dixit: Quoniam Rex ſum ego; & tu dixiſti. Nec obſtat, quod dixerit, Regnum ſuum non eſſe de hoc Mundo; & alibi, Filium non veniſſe, vt iudicet quemquam; nam id, non de Regni poteſtate, aut iudiciaria poteſtate dixit, ſiquidem erat, & erat conſtitutus iudex viuorum, & mortuorum; ſed de eius vſu dumtaxat dixerat, & intellexerat, quod ſcilicet ea vti nollet, dum noſtræ redemptionis myſterium exerceret, non verò, quòd non haberet, quemadmodum rectè dixit D. Thom. inſignis doctrinæ vir part. 3. quæſt. 59. artic. 2. & 4. & part. 3. quæſt. 22. art. 1. ad 3. & ſecunda ſecundæ quæſt. 67. art. 1. ad 2. Nam non dixit filius non habet poteſtatem iudicandi, ſed non venit iudicare.

Ioan. 18. g

Quartum. ¶ Quod attinet ad locum Matthæi 16. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, &c. Haud dubio veriſſima eſt interpretatio Pauli, Auguſtini in multis locis, Hieronymi, Lirani ſuper hunc locum. Item Eſaiæ, ac ipſius Petri; qui dicunt petra erat Chriſtus, ſupra Chriſtum enim, qui eſt firma petra, non ſupra Petrum, ædificata eſt Eccleſia, qui etiam poſt Aſcenſionem Chriſti perniciosè nutauit, & eodem 16. Matthæi cap. paulò poſt Sathanas appellatus eſt; non poteſt aliud fundamentum ædificij Eccleſiæ poni, teſte Spiritu ſancto, præter Chriſtum. Quòd porrò ſequitur eodem loco; tibi dabo claues rectè patres explicant, quod ad Petrum ſermo dirigatur, tamquam omnium Apoſtolorum perſonam gerentem: quod etiam ex eo apparet, quod ius clauium hic promiſſum, Ioannis cap. 20. omnibus Apoſtolis ex æquo datur.

Reſponſio.

Cum quid de ſupradicto Matthæi teſtimonio, Tu es Petrus, tot veterum ſanctorum patrum nobiliſſimus cœtus ſcripſerit accuratè attulerimus: quicquid Centuriarum auctores modo dicant nihil moramur. Illud animaduerſione dignum, eos Lyrani recentiſſimi auctoris in ſuis mendacijs aſſerendis ſententiam falsò interpretatam modo citare, qui Irenæi, Origenis, Tertulliani, Cypriani, Auguſtini, Hieronymi, Baſilij, Ioannis Chryſoſtomi, vetuſtiſſimorum, probatiſſimorumque, aut aliorum omnium patrum teſtimonia, cum ſententiæ ſuæ repugnant, omninò reijciunt, eos porrò falsò Lyrani, & aliorum patrum auctoritates citaſſe dixi, quoniam, quanquam hi aliquando ſcribant ſuper petram Chriſtum ædificatam principaliter Eccleſiam, non tamen negant, eam etiam ſupra Petrum, Chriſtum confitentem, eſſe conſtructam: quemadmodum illi more ſuo ex ſe addiderunt. Nam & Petrum poſt Aſcenſionem perniciosè nutaſſe omninò falſum eſt, vt infrà oſtendam, quemadmodum etiam, quod Sathanæ appellatio fidem eius abſtulerit. Plura autem Eccleſiæ fundamenta eſſe, principale ſcilicet, præter quod non poteſt aliud principale fundamentum poni, & ſuccedentia, ſacræ literæ docent, ſancti

Pſalm. 86 a patres affirmant. Illæ quidem fundamenta in montibus ſanctis eſſe commemorant, & Ioannes in Apocalypſi capit. 21. duodecim fundamenta Eccleſiæ profitetur, duodecim

Epheſ. 2. d Apoſtolos ſignificantia, quæ Paulus ad Epheſios repetit, cum ait; Fundati ſupra fundamentum Apoſtolorum, & prophetarum.

Hilarius verò in commentarijs in Matth. canone 16. de Petro loquens, ait. O in nuncupatione noui nominis fœlix Eccleſiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius petra, quæ inferni leges, & tartari portas, & omnia mortis clauſtra diſſolueret. Ad locum porrò Matthæi, Tibi dabo claues Regni Cœlorum: vt ommittam Origenis teſtimonium, qui Petro claues Regni Cælorum, cæteris verò Apoſtolis vnius tantùm Cœli traditas myſteriosè nimis annotauit, propterea magnum inter Petrum, & alios Apoſtolos poteſtatis diſcrimen eſſe affirmat: Illud ſcitu dignum, non parum præſtantiæ Petri conferre, quod cunctis Apoſtolis non ſine Petro clauium poteſtas data eſt, Petro tamen ſine alijs conceſſa legitur. Poſtremò notatu longè digniſſimum eſt: Chriſtum quoties ad Petrum ſolùm ceteris excluſis ſermonem facit, ſoluſque Petrus pro ſe tantùm Chriſto reſpondet, ſingularis numeri verbis vti, quemadmodum ſic. Tu es Chriſtus filius Dei viui, &c. Beatus es Simon Bar-Iona, &c. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, &c. Tibi dabo claues Regni Cœlorum, &c.

Item Ioannes cap. 21. Petre amas me plus his? Domine tu omnia noſti, tu ſcis, quia amo te, paſce agnos meos: & ſimilia. Vbi verò Chriſtus Petrum, vel viciſſim Petrus Chriſtum nomine omnium diſcipulorum alloquitur, multitudinis vocibus vtuntur, Matthæi cap. 19. & Marci cap. 10. tunc reſpondens Petrus dixit ei: Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te: quid ergo erit nobis? Ieſus verò dixit non Petro ſoli, qui eum nomine omnium interrogauerat; ſed illis videlicet Apoſtolis: In regeneratione ſedebitis ſuper duodecim ſedes iudicantes duodecim tribus Iſrael.

Et Ioannis cap. 6. ex hoc multi diſcipulorum eius abierunt retro, & iam non cum illo ambulabant; dixit ergo Ieſus ad duodecim: Nunquid & vos vultis abire? Reſpondit ei Simon Petrus, nomine ſcilicet omnium; Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes, & nos credimus, & cognouimus, quia tu es Chriſtus filius Dei.

Item Matthæi cap. 15. Reſpondens autem Petrus dixit Chriſto, ediſſere nobis parabolam iſtam: At ille dixit, adhuc, & vos ſine intellectu eſtis?

Poſtremò Lucæ cap. 5. Ieſus dixit ad Simeonem, duc in altum, & laxate retia veſtra in capturam; & reſpondens Petrus, dixit illi Præceptor per totam noctem laborantes nihil cœpimus, in verbo autem tuo laxabo retia. Clarè ex hiſce, & compluribus huiuſmodi locis, quæ ſupra diximus, perſpicua ſunt; quia vbi Chriſtus ad Petrum aliorum nomine reſpondit, vel ipſe diuus Petrus Chriſtum alloquitur, pluralis numeri verbis vtuntur: cum verò ipſum Petrum cæteris excluſis, ſingularis tantum numeri nomine. Hine illud etiam apertè intelligitur; Hoc ipſo, quod aliorum reſpondet nomine, & quod aliorum perſonam ſuſtinet, eum omnium principem eſſe.

LIBRI

LIBRI SECVNDI.

DE VSV PRIMATVS, ET POTESTATIS Beati Petri.

PARS SECVNDA.

CAPVT PRIMVM.

Quod Petrus Primatus poteſtatem ſibi à Chriſto traditam, actu in Eccleſia exercuerit, ex aliquot Actuum Apoſtolorum locis probatur.

AD ea, quæ ſupra ex hiſtoria Euangelica de Petro paſtore vniuerſi gregis Chriſtiani à Chriſto conſtituto deprompſimus confirmanda, rerum euentum, vſum, & conſuetudinem Eccleſiæ addere operæ pretium duximus, quæ optima Chriſti verborum interpres, primatum primum in Petri perſona, deindè in ſucceſſoribus eius apertè oſtendit: itá vt iure dubitari non poſſit de Chriſti voluntate, in vno paſtore conſtituendo, qui ſuam perſonam in terris repreſentans, Eccleſiam ſuam regeret; nec de ea perſona cui primùm hoc munus commendatum fuerit; nec de illis, in quos poſtea per ſucceſſionem idem munus deriuatum eſt.

Petrum verò, & ante, & poſtquam illud; quod inſigne eſt paſtoris ouium Chriſti per effuſionem Spiritus ſancti commune cum reliquis Apoſtolis, & Paſtoribus acceperat, ſtatim illud ſuum ſingulare officium ſupra vniuerſum gregem exequi cæpiſſe, ex Actis Apoſtolorum ſatis conſtat; cum gentium ſimùl, & Iudæorum tamquam agnorum, & ouium paſcendi munus, Chriſto in Cœlis abeunte, exercere cæpit; quod duodecim ex Actis Apoſtolicis, epiſtolis Pauli, & Petri Actis, repetitis locis facilè, & apertè demonſtrari poteſt.

Cæterum cum aliqua, prima facie, his, quæ de primatu Petri dicturi ſumus nonnihil aduerſari videantur, ea tamen ſi accuratiùs examinentur, non ſolùm non officiunt, ſed plurimum conducunt. Illud ſcitu dignum, non omninò ſemper Petro viſum fuiſſe plenaria ſua poteſtate vbique vti: Immò ei ad multa condeſcendere neceſſè fuit, tum humilitatis exercendæ, tum vnitatis Eccleſiaſticæ conſeruandæ cauſa; quippè cui maximè curæ fuerit, fratrum infirmitati, & nouorum in fide imbecillitati ſubuenire. Nam qui fidelium tenuitate itá vrgebantur, vt immutarint ea, quæ Chriſtus ipſe in Cœlum iamiam aſcenſurus nouiſſimis ſuis verbis conſtituerat (ſcilicet de baptizandis gentibus in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti) cum eas in nomine Chriſti baptizarent. Quid mirùm ſi de ſuo iure quiſquam non nihil imminui pateretur? quibus oſtenditur, Petrum vbi opus fuit vbique ſic traditam ſibi à Chriſto poteſtatem exercuiſſe, vt lyppis, & tonſoribus manifeſtiſſimum eſſe potuerit illum Principem, & Caput Eccleſiæ fuiſſe.

Principio quidem illicò poſt Chriſti Aſcenſionem Petrus veluti ipſius ſucceſſor, regere cæpit Eccleſiam, & cum ipſe oportunum eſſe iudicaſſet, vt in locum Iudæ alius ſubrogaretur, quo ſacer ille duodenarius numerus à Chriſto inſtitutus expleretur, habuit de ea re grauiſſimam concionem ad reliquum exorientis tunc Eccleſiæ cœtum: erant enim tunc Act. 1. c aſtantes circiter 120. quibus Petri perſuaſio placuit, atque itá duobus propoſitis, fortè Mathiam in Iudæ locum ſuffecerunt. Dicet quis, non igitur eum Petrus delegit.

Itá quidem; ſed videndum qua nam ratione id alijs permiſerit, quibuſdam enim Ioſeph Barſabas iuſtus, quibuſdam verò Mathias ea functione digni videbantur; nam in eos duos conſenſerat omnis Eccleſia. At Petrus, ne ſuo ſenſui nimis inniti videretur, vel vnitatem læderet, atque ſucceſſores ſuos erudiret, hoc primo Primatus ab ſe exerciti exemplo, neminem ſcilicet in Eccleſiaſticis muneribus tradendis proprios affectus debere ſequi, aut nimis imperiosè agere, rem forte tranſigi curauit; quatenus in hoc longè ſinceriſſimo Concilio nullus humano affectui locus pateret, ſed id diuinitùs fieri crederent.

Quod optimè Dionyſius Eccleſiaſticæ Hierarchiæ cap. 5. exponit his verbis: Oportet Pontificem ſanctum non motu proprio

Sacer-

Sacerdotales actiones conficere, ſed ſub Deo agens has pontificaliter, cœleſtique celebrare munditia. Itá ille.

Ob has igitur rationes, ſuæ poteſtatis amplitudine tunc Petrus ſic vti noluit, qui præcipuus totius rei geſtæ auctor fuit: quemadmodum ex Actorum cap. 1. manifeſtè conſtat. Nam & ipſe primus, & ſolus ſufficiendum eſſe aliquem in locum Iudæ definiuit, quod fuit omnium maximum; & præterea præſcripſit, ex quibus is eligi deberet: nempè non ex omnibus, ſed ex ijs ait, qui nobiſcum ſunt congregati; nec hoc ſolum, ſed ait in omni tempore, quo intrauit, & exiuit inter nos Dominus Ieſus incipiens à baptiſmate Ioannis, vſque in diem, qua aſſumptus eſt. Ecce, præſcripſit eis, ex quibus perſonis eligi ille deberet.

Deindè ipſemet aſtantibus præſcripſit, vt quærerent, & viderent, quem ſcilicet ex illis dictis, dignum eligendum putarent. Poſtremò, cùm ſtatuiſſent duos, noluit alterutram partem contriſtare, aut imperioſè præiudicare; ſed ſuauitate quadam gubernationis, & præſertim in initio (quod ſic expediebat) ſorte definiendum eſſe expedire iudicatum eſt; atque id etiam meritò, vt Deus ſigno ſuo teſtificaretur, quem eligeret. Immò etiam vt eodem ſigno planè oſtenderetur, quæ à diuo Petro facta, & ordinata fuerant in ea electione, Spiritum quoque ſanctum approbare.

Secundò. Huic exemplo proximum eſt, & illud, quod cum completis diebus Pentecoſtes, omnium nationum ad diem feſtum confluentium, linguis totus ipſe Apoſtolorum cœtus dono Spiritus ſancti, in eoſdem Cœlo miſſi, loqueretur, confluentibus ad prodigij nouitatem populis, ac ſtupentibus cunctis, qui tunc aderant ex omnibus nationibus, Iudæis, & multis id miraculi temulentiæ adſcribentibus; ſolus Petrus, vt princeps & caput cæterorum concionem habuit, qua ſtultam illorum opinionem ex Scripturis confutauit aperriſſime, perſuaſitque pluribus, Ieſum, quem ipſi crucifixerant, conſcenſis Cœlis ſanctum inde Spiritum iuxta prędictionem ſuam, & aliorum Prophetarum vaticinia ſuper credentes tum effudiſſe: qua concione, ſic commota fuit ipſa multitudo, vt conuerſi ſint ex auditoribus ipſa hora circiter tria millia, Actorum cap. 2.

Hìc notatu dignum, quem in modum Scriptura ſeorſum à cæteris Petrum nominatim exprimit. Stupebant, inquit, omnes, & mirabantur ad inuicem dicentes, quid nam vult eſſe hoc? Alij autem irridentes, dicebant, muſto pleni ſunt iſti. Stans autem Petrus cum vndecim, &c. quod & cap. 5. ſimiliter facit. Vbi itá ſcriptum eſt: Et interrogauit eos princeps ſacerdotum, &c. Reſpondens autem Petrus, & Apoſtoli dixerunt, &c. Profectò eum non itá ſeiungeret à cæteris Lucas niſi maior in eo, quàm in alijs fuiſſet auctoritatis vis, præſertim in iudicio cum reſpondere deberent, & in re omnibus communi.

Tertiò. Non prætereundum, quòd proximè ſequitur Actorum 3. cum occaſione claudi, quem Petrus in nomine Ieſu Chriſti ſanauit, ſecundam ad plebem, tertiam ad Pontifices publicè habuit conciones, quarum priore ex eis quinque millia conuertit. At dicet quiſpiam, Ioannem etiam adfuiſſe. Adfuit vtique & Ioannes, ſed ſolus Petrus hominem ſanauit. Argentum, inquit Petrus, & aurum non eſt mihi, quod autem habeo, tibi do: In nomine Ieſu Chriſti Nazareni ſurge, & ambula. Ecce, Petrus in ſua ipſius perſona ſolus claudo loquitur; nec potuit eam res latere populum; cum is, quem ſanauerat, claudus fuiſſet ab vtero matris ſuæ, vt & opera ſuorum quotidie baiularetur, & ad quandam Templi portam, ſpecioſam nomine, eleemoſynæ petendæ cauſa collocaretur. Hoc porrò inſigne miraculum primum, quod ab aliquo Apoſtolo poſt Chriſti reſurrectionem factum legitur, ipſi Petro velut Apoſtolorum Principi adſcriptum eſt; ſimulque & conciones quot quot hactenus habitæ ſunt, non aliunde manauerunt, quàm ab eodem Petro.

Quarto loco. Succedit, quòd de Anania, & Sapphyra traditum eſt, Actorum cap. 5. in quorum fraudolentiam Petrus, tamquam primus, & præcipuus inter Apoſtolos, ſeuerè animaduertit. Nam illi rebus ſuis, & poſſeſſionibus diuenditis, non vniuerſum pretium attulerunt ad pedes Apoſtolorum, quemadmodum cæteri faciebant, ſed aliquam partem ſibi repoſuerunt. Quo factum eſt, vt primum vir, deinde pauló poſt, & vxor, quæ facinoris etiam conſcia fuerat, Petro fraudem vtrique palàm exprobante, diuino iudicio percuſſi protinus expirarent, Petro in eos ſententiam mortis, quod mentiti eſſent Spiritui ſancto, proferente. Quis hic iam non apertiſſimè cernit eximiam præ cæteris in Petro fuiſſe poteſtatem? cum ad eius verbum vterque, alter poſt alterum, trium tantum horarum internallo, ſententiam mortis exceperint: vt Petri iuriſdictio indicetur. Quis iam non videt, ſummam in diuo Petro fuiſſe poteſtatem, qui vitæ etiam, & mortis poteſtatem acceperit?

Quintò. Cùm Apoſtoli cæteri multa ſigna, prodigiaque palàm in populo ederent, de nullo tamen id Scriptura nominatim expreſſit, præterquam de ſolo Petro: ſic enim de illis ſcriptum eſt Actorum 5. per manus Apoſtolorum fiebant ſigna, & prodigia multa in plebe: de Petro verò ſubiungitur: quod tam viri, quàm mulieres in plateas infirmos exportabant, illicque in lectulis, & grabatis eos reponebant, vt illac tranſeuntis Petri, vel vmbra ſaltem, obumbraret illorum quemquam; nam cuncti ægrotantes, & qui vexabantur à ſpiritibus immundis, quos multitudo vicinarum Ciuitatum eius rei gratia Hieroſolyma afferebat, omnes ſanabantur.

Vide quantum diſcriminis inter Petrum, cæteroſque Scriptura facit. Iſti per manuum impoſitionem ſanabant: Petrus verò per ſuam ipſius vmbram; illi confuſim, & indiſtinctè narrantur; Petrus verò ſolus, & nominatim; denique, cum plures eſſent, plurimos; at Petrus ſeorſum omnes quotquot ex vicinis Vrbibus ad eum ſanandi cauſa confluebant.

Sextò. Addenda ſeptem Diaconorum ordinatio, quem ſanè locum hi, qui Petri prærogatiuæ detrahunt, nobis obijcère ſolent; atque ſi res accuratiùs examinetur, perſpicuum erit eam nihil propoſitum à nobis argu-

argumentum labefactare; immò iunate plurimum.

Primùm. Non erat ea res magni momenti, vt ſolius eſſet ſummi paſtoris, quàm à quocumque Epiſcopo fieri quotidie cernimus.

Deindè Apoſtoli ſeptem hos Diaconos non ipſi per ſe elegerunt; ſed id negocij vniuerſo Diſcipulorum cætui permiſerunt.

Tertiò. Obſeruandum, quod res ipſa ità exigebat. Fuit enim murmur Græcorum aduersus Hebræos, eo quod non ſatis accuratè ſuarum viduarum indemnitati proſpiceretur; quamobrem horum miniſtrorum electio tunc cunctæ multitudini permiſſa eſt, ne ſi fortè quiſquam parum diligens huic officio præpoſitus eſſet, maioris in ipſos Apoſtolos murmuris occaſio inde ſurrexiſſet.

Quartò, & illud animaduertendum, quod non alia ratione id referri videtur à Luca, niſi vt nobis pateret, Stephanum & Philippum, quorum res geſtas eſſet deſcripturus, ex numero ſeptem Diaconorum fuiſſe. Quid enim de conſtitutis vbique locorum Epiſcopis non meminit potiùs, quàm de ſeptem illis miniſtris? Siquidem Diuus Petrus Epiſcopos, & Presbyteros eligere poterat; ſicut etiam elegit Diuus Paulus, vt conſtat ex Actis Apoſtolorum, & ex eius epiſtolis ad Titum, & Timotheum; haud dubiè igitur à fortiori ſequitur Petrum potuiſſe quoque Diaconos, qui longè ſunt inferiores, creare.

Neque enim quiſquam Apoſtolorum, aut Diſcipulorum ſibi ſuo arbitrio ſuſcepiſſe, credendum eſt, Epiſcopatum: quod Euſebius, & Hieronymus tradunt. De qua tamen re nihil certi refert Lucas. Atqui notum eſt, Paulum Epiſcopos inſtituiſſe Titum, & Timotheum, quibus & poteſtatem fecit presbyteros locis opportunis ordinandi. Quid igitur dicemus? licuiſſe iſtud Paulo, Petro non licuiſſe? Quid dici poteſt abſurdiùs? Sed & Chryſoſtomus affirmat, ſe credere Iacobum à Petro totius Orbis terrarum magiſtro fuiſſe Hieroſolymis Epiſcopum conſtitutum.

Quis ergo dubitare poteſt, quin & de cæteris quibuſdam idem à Petro ſit factum? nec tamen iſta memorat Lucas. Nihil ergo nobis obeſt electio miniſtrorum; ſed magis prodeſt; id quod iam claruit, maiores fuiſſe Petro reſeruatas functiones. Animaduerſione præterea dignum eſt, quod populus hic non aſſumit ſibi eligendi poteſtatem; ſed id agunt, quod eis præſcribunt Apoſtoli.

Item neque eis dant Apoſtoli eos ordinandi poteſtatem, ſed tantùm vt conſiderarent viros boni teſtimonij ſeptem: quia videlicet habere debeant bonum teſtimonium, tum à noſtris; tum ab ijs, qui foris ſunt: vt ait Diuus Paulus ad Timotheum. Quos conſtituamus, dicunt Apoſtoli, ſuper hoc opus. Itaque illi quæſiuerunt, ſed Apoſtoli conſtituerunt, & ita Gloſſa interlinearis in verbo, conſtituamus, ait: vos eligite, nos conſtituamus. At vos, ò Lutherani, & veſtri miniſtri conſtituuntur, & ordinantur à plebe, populo, & ſecularibus magiſtratibus, non ab Apoſtolis, vel eorum ſucceſſoribus; immò vos pro eodem reputatis eligere populum, & poſt populi electionem conſtituere, ſeu ordinare: & idem (errantes) eſſe exiſtimatis vocari à populo, ſeu nominari, & præfici, contra hanc Apoſtolorum ordinationem: quia Apoſtoli conſtituerunt, non populus. & eos ordinarunt per manus impoſitionem, vt ibidem dicitur, Apoſtoli, non populus.

Item hoc, quod populo inquiſitionem, & nominationem eorum permiſerunt Apoſtoli, id fecerunt ob euitandum ſcandalum, & ſeditionem, vt conſtat ibidem ex Actis Apoſtolorum; non verò quod aliter facta irrita fuiſſet electio.

Item Apoſtoli manifeſtè ibi præcipiunt, & imperant, & præſcribunt alijs, quid debeant facere; nam conuocant multitudinem, & conſtituunt, ac definiunt, vt eligantur aliqui Diaconi, & eis præſcribunt eligendi modum, & numerum ſcilicet ſeptem, & qualitatem perſonarum, ſcilicet boni teſtimonij, ac plenos Spiritu ſancto, & ſapientia, non alios. At vos Lutherani contra; & electionem, & numerum, & modum electionis in veſtris miniſtris, à magiſtratibus, & ſecularibus poteſtatibus, ac plebe accipitis; contra Apoſtolorum ordinationem: ſed non ſic fecit populus ille; nihil enim aliud eſt credendum feciſſe populum, quàm quod eis Apoſtoli præſcripſerunt; nempè vt conſiderarent perſonarum qualitatem, vt ſupra.

Item, quale id fuit genus electionis, declarat ipſemet ſanctus Lucas, ſubiungens, & hos ſtatuerunt coram Apoſtolis. Ad quid? vt ſcilicet ipſi Apoſtoli eos conſtituerent ſuper id opus, ad quod fuerant electi; & eos ordinarent per manuum impoſitionem, quos multitudo elegiſſet: ideſt ſeparaſſet, ac nominaſſet, tanquam viros boni teſtimonij. Non ergo populus ipſe, vt vos Lutherani, ſed Eccleſiaſticæ poteſtates verè elegerunt, & ordinarunt, vt nos noſtros miniſtros Eccleſiæ ordinamus. Adhuc dicet quiſpiam, non ſolum Petrum eis manus impoſuiſſe, ſed vnà cum Petro cæteros etiam Apoſtolos, eſto: At quid hoc auctoritati Petri deroget, non video: hoc enim, ideò factum eſt, vt quo plures eſſent comprecatores, qui manus imponerent tanto copioſior in electos deſcenſura gratia ſperaretur.

Septimum argumentum, quod ad rem noſtram maximè pertinet, affertur ex Actorum cap. 8. de rebus geſtis Petri in Samaria, id quod etiam Centuriarum auctores, vt Petri Primatum labefactent, nobis imperitè opponunt. Nimirùm qui ſic argumentatur. Petrus ab Apoſtolis in Samariam miſſus eſt; ergo nullam præ cæteris Apoſtolis poteſtatem habuit, immò minorem: nam qui mittitur, minor eſt eo, à quo mittitur. Attamen ſi accuratiùs rem totam contemplemur, facilè perſpiciemus, id maximum eſſe pro Petri auctoritate teſtimonium. Primùm eorum argumento reſpondentes dicimus, falſum eſſe, maiorem eſſe, qui mittit, quàm qui mittitur; quia ſic falsò argumentabantur Ariani: Pater miſit filium, ergo maior eſt filio; vterque miſit Spiritum ſanctum, ergo maior Spiritu ſancto: qua re nihil pernicioſiùs.

At ad rem ipſam redeamus, quæ erat vehementer ardua; cùm propter Magum quemdam nomine Simonem, qui miris illam gentem præſtigijs illuſerat, vſque adeò, vt

cre-

crederent in illum omnes à minimo vſque ad maximum, appellantes illum Dei virtutem, quæ vocatur magna. Tum propter Chriſti verbum, qui prædixerat, Apoſtolos etiam in Samatia teſtes ſibi fututos. Et quanquam Philippus ipſos Samaritas ſua prædicatione ſimul, & miraculis conuertiſſet, non potuit eis ſigno ſenſibili, conferre Spiritum ſanctum, & metus erat, ne mox in priſtinos errores relaberentur. Ob has igitur, aliaſque rationes, neceſſaria fuit præſentia Petri, cui comes erat maximus aliorum Apoſtolorum Ioannes adiunctus. Nam cum his duobus hactenùs præcipuè cooperatum fuiſſe Spiritum ſanctum, Apoſtoli compertiſſimum habebant: fuerant enim hi duo pariter in ſanatione claudi præſentes ad portam ſpecioſam Templi: fuerant ſimul quando ad Petri prædicationem conuerſi ſunt ex Iudæis quinque millia: fuerant & pariter in carcerem coniecti: ſed & vnà coram ſacerdotibus, & Pontificibus examinati die poſtera, facti ſui rationem reddiderunt.

Quid ſi alicuius negotij difficultas præſentiam Romani Pontificis expoſceret, à Cardinalibus, vel pro pace publica ab aliquo Rege, ad iter cogaretur: num ea profectio derogaret auctoritati ſuæ? minimè omnium: immò eam augeret; perindè ac magni momenti moles, ſine tantæ maieſtatis præſentia tranſigi non poſſet. Sic profectò prærogatiua Petri magis ex hoc Itinere innotuit. Nam à Philippo priùs baptizati, protinùs vt in eos Petrus manus impoſuit, Spiritum ſanctum acceperunt: id quod Philippus, vir alioqui ſanctiſſimus, & Spiritu ſancto plenus præſtare non valuit. Sed & inſignem illum Magum Simonem pecunia cupientem emere donum ſancti Spiritus, ità repreſſit: vt etiam adegerit ad veniam implorandam, ac ſimoniacæ peſtis radicem contra Eccleſiam pullulantem Apoſtolico gladio ſuccidit; solùm in Simonem Magum ſententiam damnationis pronuncians: licèt non ei ſoli, ſed alijs communiter pecuniam obtuliſſet.

Octauò. Maximè enitet auctoritas Petri ex viſione cęlitus oſtenſa, Actorum 9. 10. qui poſitus in mentis exceſſu vidit Cœlum apertum, atque inde vas quoddam veluti lintheum ſummitti è Cęlo in terram, in quo erant omnia quadrupedia, & ſerpentia terræ, beſtiæque, reptilia, & volatilia Cœli. Et cum facta eſſet vox ad eum; ſurge Petre macta, & manduca: Reſpondit; Abſit Domine, quia nunquam immunda, & communia manducaui. Et vox ad eum facta eſt ſecundo, quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris. Qua certè viſione manifeſte innuitur, quod Petrus prælatus fuerit cunctis gentibus. Ipſeque admonebatur, omnes gentes, ſuæ fidei commiſſas, Chriſti Eccleſiæ vnire, & inſerere: cum vas illud Orbem terrarum, & vniuerſa in eo contenta animalia, vniuerſas ſignificaret, tam Iudęorum, quàm gentium nationes; gentium enim immunditiæ per quadrupedia terræ, perque beſtias, reptilia, & volatilia Cœli ſignificabantur, & illas iàm Deus intra lintheum Eccleſiæ recipiendas decreuerat. Propter quòd, & Petro iuſſum erat, vt mactares eas primum, hoc eſt per verbum Dei, quod gladio quouis bicipite penetrantius eſt, rerum peccati ſanguinem effunderet, eiſque ſubinde veſceretur, hoc eſt, more cibi, traduceret eas in Eccleſiæ corpus, & incorporaret eas Chriſto. Quamobrem ipſe vt primus Iudæos, ità quoque & gentiles conuertit ad fidem, vt ſupra vtroſque fideles, ſe paſtoralem curam accepiſſe monſtraret. An hæc non indicant, Petrum totius Eccleſiæ caput fuiſſe? cui vni primum iuſſum eſt, gentes in Eccleſiam recipere, & eas Corpori Chriſti adunare? ſimul & cui admirabile hoc miſterium, quod adhuc cęteros Apoſtolos latuerat, tam aperte fuerit monſtratum, & ne ſcrupulus aliquis dubitationis eum teneret, ter fuit admonitus. Inſuper è veſtigio poſt viſionem venerunt à Cornelio, viro Gentili, quidam, qui Petrum accerſerent, quatenus illum in fide Chriſti erudiret. Nam ità præmonitus ab Angelo Cornelius fuerat, vt quoſdam eius rei cauſa mitteret ad Petrum; Petroque viciſſim à Spiritu Sancto iuſſum erat, ne quicquam heſitaret, vnà cum illis ire. Cùm igitur acceſſiſſet ad Cornelium Petrus, habita concione, nondum finitis verbis, cecidit illicò ſuper omnes gentes, quæ tum aderant Spiritus Sanctus, atque hæ tum primum Petri miniſterio, ad Chriſtum traductæ ſunt, & baptizatæ.

Nonò. Cum inter Paulum, & pſeudoapoſtolos ob exortam quæſtionem ſuper obſeruatione Circumciſionis, & legalium moſaicorum habita fuiſſet Hieroſolymis auguſtiſſima Apoſtolorum Synodus, in hac Petrus, vt Princeps, & Caput cæterorum, ſuam ſententiam de fide pronuncians, primus dixiſſe refertur, & ſuo eam exemplo comprobauit; ſcilicet quòd gentibus ad Chriſti fidem per os ſuum Dei iuſſu conuerſis, non eſſet hoc iugum imponendum, & maximè cum per ipſius verba, Deo ſic eum prę cæteris ad hoc munus eligente, gentes aliquæ credidiſſent, ſanctumque (quemadmodum Iudæi) ſpiritum recepiſſent. Ait enim Actor. 15. Nunc autem quid tentatis Deum, imponere iugum ſuper ceruices diſcipulorum, quod neque Patres noſtri, neque nos portare potuimus? ſed per gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti credimus ſaluari, quemadmodum, & illi. Quam ſententiam ſubinde Paulus, & Barnabas confirmarunt. Et poſtremo Iacobus (quippe quem ità decuit, quod in ſua ſede eſſet) totius Sinodi decretum promulgauit. Fuit enim is, vt ſupra diximus (Auctore Chriſoſtomo) per Petrum illic inſtitutus Epiſcopus, quamquam ab alijs referatur, id à Petro, Iacobo, & Ioanne fuiſſe factum, & ſanè credibile eſt, Petrum id feciſſe ex conſenſu cæterorum.

Decimò. Multum confert id, quod ad Galatas cap. 1. Paulus ſcribit; poſt annos tres ſe veniſſe Hyeroſolima Petri viſendi cauſa; & apud eundem manſiſſe dies quindecim. Animaduerſione dignum quanam epiſtola Paulus id teſtetur. Nimirum in ea, qua cæteris Apoſtolis ſuam auctoritatem æquare, vel enixiſſimè conatur, & qua ſe ipſum contraponit Petro: nempè quod erat ipſe in gentium Apoſtolatum miſſus, quemadmodum Petrus in circumciſionem: cum certè non potuit ignorare Paulus Petro, ſpirituali quadam reuelatione fuiſſe commiſſum, vt per eum

in

Digitized by Google

in gentesSancti Spiritus gratia infunderetur, & maximè cum interfuit Concilio Hyeroſolimitano, vbi Petrum audierat hanc ſibi reuelatiooem factam, expoſuiſſe toti Concilio, cum dixit: Vos ſcitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum Euangelij, & credere. Cæterum ne ſuam D. Paulus apud Galatas auctoritatem minueret, non quod Petro Chriſtus, ſed quod ſibi copioſè donauerat, retulit. Et certè quidem id facere potuit, quando pſeudoapoſtoli ſpecie nominis Petri, magnos induxerint inter Galatas errores. In hac tamen epiſtola tantum honorem ſe Petro detuliſſe, vel ingenue confitetur, quod eius viſendi gratia (vtpotè primo inter Apoſtolos) ſe Hyeroſolima veniſſe teſtatur. Nam vt Hieronymus ait, quamquam non diſcendi ſtudio Petsum conueniſſet, qui & ipſe eandem prędicationis habebat auctoritatem; honoris tamen deferendi cauſa id fecit. Quam rem, & Ambroſius pariter atteſtatur: Dignum, inquit, ſuit vt cuperet videre Petrum, quia primus erat inter Apoſtolos, cui delegauerat Saluator cura Eccleſiarum, non vtique vt aliquid ab eo diſceret, qui iàm ab auctore didicerar, à quo, & ipſe Petrus fuerat inſtitutus; ſed propter affectum Apoſtolatus, & vt ſciret Petrus hanc illi datam licentiam, quam & ipſe acceperat. Hæc Ambroſius.

Vndecimò. Clemens lib. 6. Hipotypoſeon, & Papias Apoſtolorum diſcipulus auctores ſunt: Petrum Marci Euangelium approbaſſe, idque ſua auctoritate legendum Eccleſiæ tradidiſſe.

Duodecimò. Huc referri poſſunt D. Ambroſij verba in oratione de Baſilicis tradendis lib. 5. epiſt. poſt epiſt. 32. Petrus inſtante paſſionis ſuæ tempore, rogatus à fratribus nocte muro egredi cœpit, & videos ſibi in porta Chriſtum occurrere, vrbemque ingredi, ait: Domine quo venis? Reſpondit Chriſtus; Venio iterum crucifigi. Intellexit Petrus ad ſuam crucem diuinum pertinere reſponſum. Chriſtus enim non poterar iterum crucifigi, qui carnem paſſione ſuſceptæ mortis exuerat, quod enim mortuus eſt, mortuus eſt ſemel: quod autem viuit, viuit Deo. Intellexit ergo Petrus, quod iterum Chriſtus crucifigendus eſſet in ſeruulo. Itàque ſponte remeauit. Interrogantibus Chriſtianis reſponſum reddidit, ſtatimque correptus per crucem ſuam honorificauit Dominum Ieſum, &c. qua in re Chriſtus Petri excellentiam oſtendere voluit, dum ſe in eo iterum crucifigi imperauit.

Quis iàm non certò certiùs ex tot his locis, partim ex Actis Apoſtolorum ità enucleate expreſſis, partim ex adeo diligenti, & præcipua cura, circa tunc exorientem Eccleſiam, ab eo vno præſertim ſemper adhibita, non intelligat, Petrum fuiſſe Principem, & Caput totius Eccleſiæ? quæ hæc omnia ità perſpicuè præſferunt, vt nullum ſanæ mentis hominem id inficiari poſſe exiſtimemus. Niſi enim caput Eccleſiæ fuiſſet, Chriſti promiſſiones irritæ excitiſſent; & Spiritus Sanctus hanc rem in diuinis ſcripturis toties non repetiſſet, totque modis non inſinuaſſet, niſi hanc rem à cunctis Chriſtianis certiſſimè credi voluiſſet. Sed ne quis fortè exiſtimet huius grauiſſimæ quæſtionis ſanctiſſimos quoque viros aſſertores non eſſe, repetamus, quid veteres Patres de ea re memoriæ prædiderunt.

CAP. II.

Sanctorum Patrum ſententiæ de vſu ſummæ poteſtatis Apoſtoli Petri.

DE Petri porrò primatu poſt Chriſti mortem multi veteres Scriptores mentionem faciunt, qui aperriſſimè Petrum, eum actu vſurpaſſe demonſtrant, inter quos primus occurrit nobis.

Anno 78.

Dionyſius cap. 3. de diuinis nominibus ad Thimotheum ſupra citatus, vbi refert Apoſtolos in morte B. Virginis conueniſſe: Petri omnium ſupremi meminit, inter eos ibidem adfuiſſe, quia videlicet decebat in tantæ rei munere pontificali, in qua funus Matris Dei efferendum erat, ſummus ipſe intereſſet Pontifex cum cæteris. Sic ergo ait: Namque, & apud ipſos diuino Spiritu plenos Pontifices noſtros, cum vt nos, vt noſti, & plerique ex ſanctis fratribus noſtris ad contuendum corpus illud, quod auctorem vitæ Deumque cœperat conueniſſemus, aderat autem, & frater Domini Iacobus, & Petrus ſupremum decus, & antiquiſſimũ Theologorum columen. Vbi poſt contuitum placuit, vt infinitè potentem diuinæ infirmitatis bonitatem Pontifices laudarent omnes, quiſque pro captu ſuo. Hæc ille. Itàque non ſolum ex hoc loco ſummam Petri poteſtatem, ſed eius quoque vſum merito colligimus.

Anno 250.

D. Cyprianus in epiſt. ad Quintum, vbi ait. Nam nec Petrus, quem primum Dominus elegit, & ſuper quem ædificauit Eccleſiam ſuam, cum ſecum Paulus de circunciſione diſceptaret, poſtmodum vindicauit ſibi aliquid inſolenter, aut arroganter aſſumpſit, vt diceret, ſe primatum tenere, & obtemperari à nouellis, & poſteris ſibi potius opportere. Nec deſpexit Paulum, quòd Eccleſiæ prius perſequutor fuiſſet, ſed conſilium veritatis adminiſtrationi legitimè, quam Paulus vindicabat, facilè conſenſit: documentum, ſcilicet nobis, & concordiæ, & patientiæ tribuens, vt non pertinaciter noſtra amemus, ſed quæ aliquando à fratribus, & Collegis noſtris vtiliter, & ſalubriter ſuggeruntur, ſi ſint vera, & legitima, ipſa potius noſtra ducamus; cui rei Paulus quoque proſpiciens, & concordiæ, & paci fideliter conſulens, in epiſtola ſua poſuit, dicens, prophetæ autem duo, aut tres loquantur, & cæteri dijudicent, ſi autem alij reuelatum fuerit ſedenti, ille prior taceat.

Anno 370.

D. Ambroſius in oratione in Auxentium de baſilicis tradendis poſt epiſt. 32. ait. Idem Petrus poſtea, victo Simone, cum præcepta Dei populo ſeminaret, doceret caſtimoniam, excitauit animos gentilium; quibus eum quærentibus, Chriſtianæ animæ deprecatæ ſunt, vt paulisper cederet. Et quamuis eſſet cupidus paſſionis, tamen contemplatione populi precantis inflexus eſt. Rogabatur enim, vt ad inſtituendum, & confirmandum populum ſe reſeruaret.

D. Hieronymus epiſt. 89. ad Auguſtinum Epiſcopum, ait. Ruršùs cum multo poſt tempore Paulus, & Barnabas veniſſent Antiochiam, & congregata Eccleſia, retuliſſent, quanta feciſſet Deus cum illis, & quia aperuiſſet Deus gentibus oſtium fidei, quidam deſcendentes de Iudęa, docebant fratres, atque dicebant: Niſi circumcidamini ſecundum morem Moiſi, non poteſtis ſalui fieri. Commota igitur ſeditione non minima aduersùs Paulum, & Barnabam, ſtatuerunt aſcendere, & ipſi, qui accuſabantur, & ij, qui accuſabant ad Apoſtolos, & Presbyteros Hieroſolymam ſuper hac quæſtione: Cumque Hieroſolymam perrexiſſent, exurrexerunt quidam de hæreſi Phariſeorum, qui crediderant in Chriſtum, dicentes; Oportet circumcidi eos, & præcipere illis, vt ſeruent legem Moyſi. Et cum magna ſuper hoc verbo oriretur quæſtio, Petrus ſolita libertate, Viri, inquit, fratres, vos ſcitis, quoniam ab antiquis diebus in nobis elegit Deus per os meum audire gentes verbum Euangelij, & credere, & qui nouit corda Deus teſtimonium perhibuit, dans illi Spiritum ſanctum, ſicut & nobis, & nihil diſcreuit inter nos, & illos, fide purificans corda illorum, nunc autem quid tentatis Deum imponere iugum ſuper ceruicem Diſcipulorum, quod neque patres noſtri, neque nos portare potuimus? ſed per gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti credimus ſaluari, quemadmodum & illi. Tacuit autem omnis multitudo, & in ſententiam eius Iacobus Apoſtolus, & omnes ſimul Presbyteri tranſierunt. Hæc non debent eſſe moleſta lectori, ſed & mihi, & illi vtilia, vt probemus ante, Apoſtolum Paulum non ignoraſſe Petrum Principem huius decreti, legem poſt Euangelium non eſſe ſeruandam.

Denique tantæ auctoritatis Petrus fuit, vt Paulus in epiſtola ſua ſcripſerit: Deindè poſt annos tres veni Hieroſolymam videre Petrum, & manſi apud eum diebus quindecim. Ruršumque in conſequentibus. Poſt annos quatuordecim aſcendi iterùm Hieroſolymam cum Barnaba aſſumpto & Tito: Aſcēdi autem ſecundum reuelationem, & contuli cum eis Euangelium, quod prædico in gentibus. Oſtendens ſe non habuiſſe ſecuritatem prædicandi Euangelij, niſi Petri, & cæterorum Apoſtolorum, qui cum eo erant, fuiſſet ſententia roboratum: Ità Diuus Hieronymus. Vbi inter alia, hæc duo ſunt maximè ponderanda: alterùm, quod diuus Petrus Princeps fuerit illius decreti Hieroſolymitani, cuius omnes ſententiam ſequuti fuerint: alterum, quod diuus Paulus oſtendit ſe non habuiſſe ſecuritatem prædicandi Euangelium, niſi Petri, & qui cum eo erant ſententia fuiſſet roboratum. Cum tamen & Apoſtolus eſſet, & ex Deo per reuelationem Euangelium accepiſſet. In quo ſanè ſumma Petri paſtoralis poteſtas oſtenditur, eiuſque vſus, iuxtà præceptum Saluatoris confirmantis fratres, eorumque fidem & prædicationem.

D. Auguſtinus Eccleſiæ ſanctæ lumen, ſerm. 3. de natali ſanctorum Petri, & Pauli, ità ſcribit. Cum omnes beati Apoſtoli parem gratiam apud Dominum ſanctitatis obtineant, neſcio, quo tamen pacto Petrus, & Paulus videntur pręcæteris peculiari quadam in Saluatorem fidei virtute præcellere: quod quidem ex Ipſius Domini iudicio poſſumus approbare.

Nam Petro ſicut bono diſpenſatori, claues regni cœleſtis dedit, Paulo tamquam idoneo Doctori gentium, magiſterium Eccleſiaſticæ inſtitutionis iniunxit; ſcilicet, vt quos iſte erudiret ad fidem, ille ſuſcipiat ad ſalutem; vt quorum corda Paulus patefecerit doctrina verborum, eorum animabus Petrus aperiat Regna Cœlorum, & infrà. Ergo beati Petrus, & Paulus eminent ſuper vniuerſos Apoſtolos, & peculiari quadam prærogatiua excellunt.

Idem in enarratione Pſal. 108. in principio: quædam à Chriſto dicuntur, quæ ad Apoſtolum Petrum propriè pertinere videntur, nec tamen habent illuſtrem intellectum, niſi cum referuntur ad Eccleſiam; cuius ille agnoſcitur in figura geſtaſſe perſonam, propter Primatum, quem in Diſcipulis habuit, ſicuti eſt; tibi dabo claues Regni Cœlorum, &c.

Idem cap. 1. ad Galatas in commentarijs, ait. Nam & quod viſus ſit ire Hieroſolymam ad hoc iſſe, vt videret Apoſtolum, non diſcendi ſtudio, qui & ipſe eandem prædicationis haberet auctoritatem, ſed honoris priori Apoſtolo deferendi.

Sanctus Leo Papa in ſermone 2. de anniuerſario die aſſumptionis ſuæ. Manet ergo diſpoſitio veritatis, & beatus Petrus in accepta fortitudine perſeuerans, ſuſcepta Eccleſię gubernacula non reliquit.

Idem ſermone 3. de eadem re. Et cui poſt reſurrectionem ſuam, Chriſtus ad trinam æterni amoris profeſſionem, miſtica inſinuatione ter dixit, paſce oues meas, quod nunc quoque proculdubio facit, & mandatum Domini pius paſtor exequitur, confirmans nos cohortationibus ſuis, & pro nobis orare non ceſſans, vt nulla tentatione ſuperemur. Si autem hanc pietatis ſuę curam omni populo Dei, ſicut credendum eſt, vbique prætendit; quanto magis nobis alumnis ſuis, opem ſuam dignatur impendere, apud quos in ſacro beatæ dormitionis thoro, eadem qua pręſedit carne, requieſcit. Illi ergo hunc ſeruitutis noſtræ natalitium diem, illi adſcribamus hoc feſtum, cuius patrocinio, ſedis ipſius meruimus eſſe conſortes.

D. Gregorius Papa epiſt. 24. lib. 1. ad quatuor Patriarchas. Petrus namque (auctore Deo) ſanctæ Eccleſiæ principatum tenens, à bene agente Cornelio, & ſeſe ei humiliter proſternente, immoderatiùs venerari recuſauit, ſeque illi ſimilem recognouit, dicens: Surge ne feceris, & ego homo ſum. Sed cùm Ananiæ, & Sapphiræ culpam reperit, mox quanta potentia ſuper cæteros excreuiſſet, oſtendit: Verbo namque eorum vitam percuſſit, quam ſpiritu perſcrutante deprehendit, & ſummum ſe intrà Eccleſiam contra peccata recoluit, quod honore ſibi vehementer impenſo, coram benè agentibus fratribus non agnouit. Hìc communionem æqualitatis meruit ſanctitas actionis, illic zelus vltionis vim aperuit poteſtatis. Eadem reperit capit. 19. expoſitionis in Iob. Item moralium lib. 26. cap. 22. in 30. caput Iob. Item par. 2. c. 6. libri paſtoralis curæ.

Idem

Digitized by Google

Idem lib. 4. epiſt. 38. Ioanni Patriarchæ Conſtantinopolitano. Certè Petrus Apoſtolus primum membrum ſanctæ, & vniuerſalis Eccleſiæ eſt, Paulus, Andreas, Ioannes, quid aliud quam ſingularium ſunt plebium capita? Et tamen ſub vno capite, omnes membra ſunt Eccleſiæ.

Idem regiſtri libro 9. ep. 39. ad Theotiſten patriciam. Certè enim Petrus poteſtatem regni cœleſtis acceperat, vt quæque in terra ligaret, vel ſolueret, eſſent in Cœlo ligata, vel ſoluta, ſupra mare ambulauit, ægrotantes vmbra curabat, peccantes verbo occidebat, mortuos oratione ſuſcitabat. Et quia ex admonitione ſpiritus ad Cornelium gentilem fuerat ingreſſus, contra eum quæſtio à fidelibus facta eſt: Cur ad Gentiles intraſſet, & comediſſet cum eis; cur eos in baptiſmate ſuſcepiſſet.

Et tamen idem Apoſtolorum primus tanta donorum gratia repletus, tanta miraculorum poteſtate ſuffultus, querelæ fidelium non ex poteſtate, ſed ex ratione reſpondit, cauſam per ordinem expoſuit, quomodo vas quoddam velut lintheum in quo quadrupedia terræ, & beſtiæ, reptilia, atque volatilia inerant, de cœlo ſubmitti viderit, vocemque audierit: Surge Petre, occide & manduca: qualiter tres viri venerint eum ad Cornelium vocantes, qualiter Spiritus ſanctus hunc cum eis ire præceperit. Qualiter idem Spiritus ſanctus qui venire in baptizatos in Iudæa poſt baptiſmum conſueuerat, in gentibus ante baptiſmum venit.

Si enim cum à fidelibus culparetur, auctoritatem quam in ſancta Eccleſia acceperat, attendiſſet, reſpondere poterat, vt paſtorem ſuum, oues quæ ei commiſſæ fuerant, reprehendere non auderent: Sed ſi in querela fidelium aliquid de ſua poteſtate diceret, profectò doctor manſuetudinis non fuiſſet. Humili ergo eos ratione placauit, atque in cauſa reprehenſionis ſuæ, etiam teſtes exhibuit, dicens: Venerunt autem mecum ſex fratres iſti.

Si ergo paſtor Eccleſiæ, Apoſtolorum Princeps, ſigna & miracula ſingulariter faciens, nō dedignatus eſt, in cauſa reprehenſionis ſuæ rationem humiliter reddere, quanto magis nos peccatores, cum de re aliqua reprehendimur, reprehenſores noſtros ratione humili placare debemus?

Idem lib. 28. cap. 16. expoſitionis moralis in Iob cap. 38. Penſemus quale Eccleſiæ oſtium extitit Petrus, qui inueſtigantem fidem Cornelium recepit, pretio quærentem miracula, Simonem repulit, *illi* dicens: In veritate comperi, quoniam non eſt perſonarum acceptor Deus, ſecreta regni benigne aperuit, huic, inquiens, Pecunia tua tecum ſit in perditionem, per diſtrictæ damnationis ſententiam cœleſtis aulæ aditum claudit.

Occumenius Act. cap. 2. Surgit Petrus, non Iacobus, & tamquam feruentior, & velut is cui diſcipulorum præſidentia commiſſa erat.

Et infrà ſtatim: Vide autem quomodo vniuerſa communi decreto faciat, & non ex Primatu, neque ſua auctoritate.

Idem cap. 1. ad Galatas. Deindè redij Hieroſolymam, vt viderem Petrum, conſidera animi modeſtiam, poſt tot, tantaque certamina, abijt vt videret Petrum tamquam maiorem; vt autem etiam maneret, cauſa honoris, quem Petro deferebat, actum eſt. Denique pleraque alia teſtimonia antea allata pro ipſo Petri Primatu, eius quoque vſum oſtendunt, quæ hic iterum repetere non eſt opus, ne faſtidium lectori generetur.

CAP. III.

Ad ea, quæ contra vſum Primatus Petri à Centuriarum auctoribus ex ſacris literis afferuntur, reſponſio.

QVamquam Centuriarum auctores omnia argumenta, quæ contra Petri Primatum, & eius vſum, ex ſacris literis afferunt in vnum congeſſerint, nos tamen ea ſeorſum ordine recto diſtinximus, vt faciliùs pio lectori illorum artes pateant, & accuratiùs tota hæc diſputatio explicetur. Has porrò eorum ſecundi generis ratiocinationes in ſex partes diſtribuimus.

Argumenta contra vſum Primatus Petri.

Paulus aliquoties in epiſtola ad Galatas clarè teſtatur, ſe quidem eſſe Apoſtolum gentium, Petrum verò Iudæorum, eiuſque Apoſtolatum inter Iudæos, ſuum inter incircumciſos eſſe: verba eius cap. 2. hæc ſunt. [Cognoſcentes quod mihi ſit concreditum Euangelium præputij, ſicut Petro circumciſionis (nam qui in Petro efficax fuit ad Apoſtolatum circumciſionis, efficax fuit & in me erga gentes) cumque cognouiſſent gratiam mihi datam Iacobus, Cephas, & Ioannes, qui videbantur eſſe columnæ, dexteras dederunt mihi, ac Barnabæ ſocietatis: vt nos in gentes, ipſi vero in circumciſionem Apoſtolatu fungeremur.

Primùm diuinam ordinationem, deindè ſanctiſſimam dexteram pactionem ſtatuiſſe, ait: Vt alter ſit Iudæorum, alter gentium Apoſtolus: hæc profectò clariſſimè, ac ſine omni ambiguitate oſtendunt, Petrum non eſſe ſummum Epiſcopum in tota Eccleſia; nam ſi Chriſtus vniuerſalem eum Apoſtolum ſupra omnes gentes conſtituiſſet, obſecro quomodo vel ipſemet, vel Paulus auſus fuiſſet eius functionem decimooctauo demùm poſt paſſionem Chriſti anno tantopere coarctare, idque tam ſancto pacto? ſed ſupra clarè teſtatus eſt Paulus, Petro diuinitus eas metas circumſcriptas, vt ſit circumciſorum Apoſtolus.

Itâ ex his locis Pauli, animaduertimus Petrum diuino & humano iure particularem, & non vniuerſalem Epiſcopum conſtitutum. Item quam latè ſe extendat illud Ioannis 21. Paſce oues meas. Nec hoc ius, hancque functionem diſtinctionem irritam facit, quod aliquando per occaſionem, & Paulus Iudæis, & Petrus gentilibus eſt concionatus, de iure enim hic, non de facto diſputamus.]

Reſponſio.

Centuriarum auctores Primatus Petri, & vnitatis Eccleſiasticæ vehementiſſimi hoſtes, ſex argumenta contra eius prærogatiuas tam paruoi aptè, quàm ſcripturæ locis malè explicatis, promunt; vt verò primo ſatisfiat ipſius Pauli verba integra capit. 2. ad Galatas priùs ſubijciamus. Ait vero: Ab ijs aut qui videbantur eſſe aliquid (quales aliquando fuerint nihil mea intereſt; Deus enim perſonam hominis non accipit) mihi enim qui videbantur eſſe aliquid nihil contulerunt.

Sed contra, cum vidiſſent quod creditum eſt mihi Euangelium præputij, ſicut & Petro circumciſionis (qui enim operatus eſt Petro in Apoſtolatum circumciſionis, operatus eſt & mihi inter gentes) & cum cognouiſſent gratiam, quæ data eſt mihi, Iacobus & Cephas & Ioannes, qui videbantur columnæ eſſe, dexteras dederunt mihi & Barnabæ, ſocietatis, vt nos in gentes, ipſi autem in circumciſionem; tantum vt pauperum memores eſſemus, quod etiam ſollicitus fui hoc ipſum facere. Omitto hic, quod Paulus, Petrum non ſolum eſſe aliquid in Eccleſia Dei, ſed etiam columnam cum alijs duobus Apoſtolis Iacobo Epiſcopo Hieroſolymitano, & Ioanne Euangeliſta diſcipulo dilecto appellat: nonnè etiam apertè ipſum caput in Eccleſia eſſe confitetur cum dicit, illum eundem magiſterium habere inter Apoſtolos, & in circumciſione, quem ipſe habebat inter gentes.

Certò certiùs eſt Paulum gentium non tantum Apoſtolum, ſed etiam magiſtrum ſummum fuiſſe. Sic ergo fuit Petrus inter Apoſtolos omnes, quibus primo circumciſio concredita eſt. At cum penes Eccleſiam circumciſionis, tunc ſumma rerum, & maxima dignitas eſſet, ab ea namque gentium Eccleſia exorta: coalita, & nutrita fuerat. Idcircò ſequi videtur, totius gregis Dominici magiſtrum, & caput fuiſſe Petrum, à quo & Eccleſia gentium dependebat, vt legitur in Actis Apoſtolorum, in Concilio Hieroſolymitano, & disertè explicat ipſe Paulus cap. 2. ad Galatas, cum ait: Deindè poſt annos quatuordecim, iterùm aſcendi Hieroſolyma cum Barnaba, aſſumpto & Tito, aſcendi autem ſecundum reuelationem, & contuli cum illis Euangelium, quod prædico in gentibus, ſeorsùm autem ijs qui videbantur aliquid eſſe, ne fortè in vanum currerem, aut cucurriſſem, &c.

Vt ſcilicet decerneretur à Patribus Eccleſiæ circumciſionis, in Hieruſalem quid agendum, quid ſuſcipiendum, quidue reijciendum eſſet; quod explicatur in 15. capit. Actuum, vbi recitatur, cur Paulus aſcenderit Hieroſolyma, ſicut ſcripſit ad Galatas: Quidam enim deſcendentes de Iudæa, docebant fratres, quia niſi circumcidamini ſecundum morem Moyſis, non poteſtis ſaluari. Facta ergo ſeditione non minima Paulo, & Barnabæ aduersùs illos, ſtatuerunt vt aſcenderent Paulus, & Barnabas, & quidam alij ex illis ad Apoſtolos, & Presbyteros in Hieruſalem, ſuper hac quæſtione: quo cum veniſſent, facta ſynodo ſuper hac re, quicquid decreuit ſanctus ille circumciſionis ſenatus, Apoſtolus Paulus, non tantum cum Eccleſia ſua gentium ratum habuit, ſed id vbique obſeruari mandauit: vt ex Actorum cap. eodem liquet.

Præterea illud maximè notatu dignum eſt, quod & ſi Paulus ſcribat ſe gentium Apoſtolum eſſe, tamen longè ante, hoc officio Petrum functum, & id à Deo ſibi commendatum fuiſſe, Paulum autem à Deo quidem, ſed ex Petri conſenſu, idem munus vſurpaſſe, vtriuſque verba oſtendunt, ſic enim apud Lucam Apoſtolum in Actis Apoſtolorum, Petrus de ſua cura in gentes dicit; ſicut elegit Deus gentes per os meum audire verbum eius: quod factum eſt, cum per lintei de cœlo deſcendentis viſionem, ipſe primus omnium, gentibus prædicare Euangelium iuſſus eſt, cum Cornelium Centurionem primus docuit: at Paulus cum de eodem munere loquitur, iubente quidem Deo, ſed conſenſu Petri, & illorum Apoſtolorum qui cum eodem aderant, ſe illud exequutum fuiſſe, teſtatur, cum dicit: Cepham cum alijs, ſibi dexteram dediſſe ſocietatis, vt Petrus in circumciſione, ipſe autem in gentibus euangelizaret. Petrus verò, nullo aliorum conſenſu requiſito, id exequutus eſt, cui ſummus paſtor vniuerſi gregis curam tradiderat, & Iudæorum præcipuè, quorum Eccleſia tunc gentium Eccleſiæ Princeps, & magiſtra erat.

Cùm igitur in duabus Eccleſijs, circumciſionis videlicet, & gentium, duo capita ſint, & magiſtri, certum eſt eum eſſe præcipuum, & primum, qui principalioris Eccleſiæ, & dignioris eſt Epiſcopus. Hic autem eſt Apoſtolus Petrus, quem ex comparatione Pauli, caput in ea fuiſſe conſtat; ipſamque Eccleſiam tunc principaliorem eſſe demonſtraui, quippè quæ mater, nutrix & magiſtra eſſet Eccleſiæ gentium. Animaduerſione autem dignum eſt, quod quamquam Petro Apoſtolatum circumciſionis, Paulo verò gentium magiſterium conceſſum fuiſſe diximus, id tamen non ità intelligi debet, vt Paulus gentium, Petrus verò Iudæorum tantùm doctores fuerint: Petrus enim ſæpè Gentilibus prædicauit, Paulus verò Iudæos ſæpiùs docuit, Actorum capitibus 9. 13. 14. Damaſci, Salaminæ, Antiochiæ, Iconij, & alibi. Et Diuus Hieronymus auctor eſt: Nec Petro adeò circumciſionis Eccleſia præſcripta fuit, quin & Gentilibus quoque quotieſcumque opus eſſet, prædicare non poſſet; nec Paulo ità gentium Apoſtolatus datus eſt, vt Iudæos etiam, quando oportuiſſet, docere nequiret: ſed id præcipuè quadam ratione factum fuiſſe eſt intelligendum: principaliter enim Petro circumciſionis, deindè gentium cura commiſſa; Paulo vero ſecus, quia præcipuè gentibus, deindè Iudæis Euangelizabat, quę principalitas ad officium Apoſtolatus referri debet, quo omnes Apoſtoli æquales fuerunt, non quo ad iuriſdictionem: quia, vt ſupra dixi, Paulum multoties Iudæis, & Petrum gentibus prædicaſſe reperitur.

Et non ſolùm Petrus gentibus prædicauit, ſed etiam primus fuit, qui ijſdem ad Chriſti gratiam reuocatis, & admiſſis, ſacrum baptiſmatis Sacramentum porrigeret, Cornelio ſcilicet Centurioni Cæſarienſi, omnique eius familiæ, qui Gentiles erant: quod Diuus Auguſtinus tradit, de ſanctis, ſerm. 16. is eſt 2. de Cathedra ſancti Petri. Eſt 47.

Am-

Digitized by Google

Ambroſij: & 35. Maximi, Petrus petra dicitur, eo quod primus in nationibus fidei fundamenta poſuerit, & tamquam ſaxum immobile, totius operis Chriſtiani compagem molemque contiueat.

Porrò autem initio exorientis Eccleſiæ, cùm pauci admodum eſſent Chriſtiani, hique infirmi, imbecilles, & adhuc in fide, & Chriſti religione rudes, & noui, tum propter hominum credentium paucitatem, tum ſchiſmatis tollendi cauſa, munia prædicationis inter duos ſummos Apoſtolos diuiſa ſunt: ne ſi duo eſſent primarij, in vtraque gente Apoſtoli alius (vt iam cæperant) Cephæ, alius verò Pauli, ſe eſſe diceret, quod ſeuere & aſpere reprehendit Paulus; atque ità Eccleſiam Chriſti ſcinderent.

Voluit igitur Paulus plus conuerſioni gentium vacare, Petrus verò Iudęorum; quamuis vter vtri prædicaret, quando opportunitas daretur nullum eſſet diſcrimen. Cùm autem plures ad Chriſti fidem conuerſi fuiſſent, hique in Chriſtiana religione eruditiores, & perfectiores euaſiſſent, ità vt ſchiſmatis periculum nequaquam amplius immineret, tunc gentium, & Iudæorum, confundi Eccleſia cæpit; atque ea diſtinctione ſublata, & Paulus Iudæorum, & Petrus gentium, Apoſtoli fuerunt: Petrus enim & Paulus in Vrbe Roma ambo Euangelizantes, occiſi; Ioannes in Aſia gentibus ſimùl, & Iudæis prædicans, Epheſi iam ſenex obijt. Philippus in Aſia, Andreas in Achaia, ambo Iacobi Hieroſolymis, & cæteri Apoſtoli per diuerſas Orbis partes, Iudæis, & Gentilibus prædicando peragentes, in Domino dormiere.

Cæterum, quæ ſuprà diximus, etiam Chriſti auctoritate confirmari poſſunt, dicentis: Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; non quidem tantùm ex Iudæis, ſed ex gentibus quoque collectam, ideſt vniuerſalem; ſi enim tantùm Iudæi ſub Petri primatu conſtituti fuiſſent, & non gentes, fruſtrà dixiſſet Dominus: Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, quòd non tantùm ex Iudæis, ſed etiam pro maiori parte ex gentibus erat congreganda.

Ad hæc alioqui res abſurdiſſima, & quę nulla ratione fieri poteſt ſequeretur; Petrum ſcilicet à gentium prædicatione reiectum eſſe, quod ne Diſcipulorum quidem vlli Chriſti factum legitur; poſtremò Ioannes & Iacobus cunctis alijs Apoſtolis minores eſſent, quibus & ad gentes, & ad Iudæos prædicare interdictum fuiſſe, non legitur; quos tamen cæteris præſtantiores fuiſſe, ex eo liquet, quod Paulus illos columnas Eccleſiæ, & qui videbantur eſſe aliquid, vocat: à quibus dexteram ſocietatis accepit, cum quibus contulit Euangelium ſuum, ne in vanum curreret, aut cucurriſſet.

Hinc beatus Hieronymus in comment. cap 2. epiſt. ad Galatas. Occulta hic oritur quæſtio, quid igitur? Petrus ſi inueniſſet ex gentibus, non eos adducebat ad fidem? aut Paulus ſi ex circumciſione aliquos reperiſſet, non eos ad baptiſmum Chriſti prouocabat? Quæ ità ſoluitur, vt dicamus, principale ſingulis in Iudæos, & gentes fuiſſe mandatum, vt qui defendebant legem, haberent quem ſequerentur, qui legi gratiam præferebant, non deeſſet eis doctor, & præuius. In commune verò hoc eos habuiſſe propoſiti, vt Chriſto ex cunctis gentibus, Eccleſiam congregarent. Legimus enim, & à diuo Petro Gentilem baptizatum fuiſſe Cornelium; & à Paulo in ſynagoga Iudæorum Chriſtum ſæpiſſimè prædicatum. Hæc Hieronymus.

Stat ergo inuicta Patrum ſententia: Petro non ſolùm paſturam ouilis Iudaici commiſſam, etiam ſi Apoſtolatus ei, & ſors obuenerit in circumciſionem; ſi ergo, vt credendum eſt, Chriſtus ſuper Petrum, ſeu Petri fidem, vniuerſalem Eccleſiam ædificauit; dicere etiam nos conuenit, ipſum omnium fidelium, tam ex Iudæis, quàm ex gentibus, congregatorum caput fuiſſe: Paulique ſententiam intelligendam, quemadmodum nos ex ſanctorum Patrum ſcriptis explicauimus. Vbi illud etiam annotare placuit, in eo loco diuum Paulum non loqui de poteſtate ipſa per ſe Apoſtolatus, aut eius latitudine, quanta in Petro fuerit, aut quanta in ſe ipſo; nam non ſolùm diuus Petrus, ſed cæteri etiam Apoſtoli poteſtatem à Chriſto acceperunt Apoſtolatus prædicandi Euangelium omni creaturæ, & docendi omnes gentes.

Quod quidem manifeſtè conſtat ex Euangelio Matth. vltimo, cum ait: Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti; docentes eos ſeruare omnia, quæ mandaui vobis.

Et Marci 16. Euntes in Mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Non ergo loquitur diuus Paulus de poteſtate Apoſtolatus ſua & aliorum, de eiuſue latitudine, quæ omnium erat vniuerſalis in omnes gentes, à Chriſto Domino noſtro conceſſa; ſed loquebatur diuus Paulus de eius poteſtatis opere, & exercitio, erga hos, vel illos populos: quia creſcente numero gentium, & cum latè paterent, indiguerunt particularibus quibuſdam perſonis, qui eorum prædicationi incumberent; & meritò, cum vnus omnia præſtare non poſſet, nec omnes omnia; etiam ſi ad id poteſtatem haberent; ſed neceſsè erat diſtribui munera, & poteſtatis exercitia.

Secundò, nec de ipſo tantum opere, & exercitio poteſtatis Apoſtolicæ loqui diuum Paulum ſimpliciter, ſed de primo tantùm, in quo ſe exercuerunt, & ad quod primo deſtinati erant, vt illic laborarent. Nam primò ad ſaluandas reliquias Iſrael miſſi ſunt Apoſtoli, deindè ad ſalutem Gentilium. Nam & Saluator ait; Salus ex Iudæis eſt; & malè ex hoc infertur non habuiſſe poteſtatem erga alios. Nam & ipſemet Chriſtus ait, de ſe: Non ſum miſſus niſi ad oues, quæ perierunt ex Iſrael, ſcilicet primo: & tamen alibi etiam ait: Alias oues habeo, & illas oportet me adducere: & alibi, ſe effundere ſanguinem pro illis, & pro multis. Et in cruce orat pro ombus, qui credituri ſunt in nomine eius. Atque ideò initio, prædicatio Euangelica ad eos potiſſimum, qui erant ex circumciſione fiebat, vt habetur in Actis Apoſtolorum, nemini loquentes verbum, niſi ijs, qui erant ex circumciſione; atque ità ſimiliter primi Apoſtoli, & diuus Petrus Chriſti Vicarius, ipſummet Chriſtum imitantes, & eius voluntatem

ſe-

ſequentes, prius procurarunt ſalutem Iſrael, & deindè Gentilium; aperto iam latè Gentilium hoſtio, delecti ſunt aliqui priuatim ad eos particulatim conuertendos, ſcilicet diuus Paulus, & diuus Barnabas extra numerum duodecim, qui huic operi primò, & per ſe incumberent.

Alijs nihilominùs poſt Iudæos, in idem quoque opus incumbentibus. Immò & ipſemet diuus Paulus, & eius comes Barnabas, in Actis Apoſtolorum cap. 13. cum ibi Iudæis prædicarent, & eorum prædicationem non reciperent, Iudæis dicunt: Vobis oportebat primùm loqui Regnum Dei, ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternę vitæ, ecce conuertimur ad gentes.

Ergo ſenſus diui Pauli eſt, ſibi creditum eſſe Euangelium præputij, & Petro circumciſionis; ideſt, ſicut Petrus primò ſe exercuit circa Iudæos, & ad id primum fuit munus deſtinatum ſui Apoſtolatus ex Dei voluntate; ità diuus Paulus electus primò, vt ſe exerceret erga Gentiles conuertendos, quia tunc iam erat latè apertum Gentilium hoſtium; At nihilominùs, & diuus Petrus in Gentilium, & diuus Paulus in Iudæorum conuerſione, poteſtatem exercebant, & habebant: vt ex Actis Apoſtolorum ſatis conſtat, & ex Euangelio, vt oſtendimus.

Ad ea verò verba, quæ Centuriarum auctores Pauli loco, ex ſe, more ſuo adiungunt, faciamus ſatis: ſcribunt enim [Pauli verba ad Galatas, profectò clariſſime, ac ſine omni ambiguitate oſtendunt, Petrum non eſſe ſummum Epiſcopum in tota Eccleſia] Quantum id oſtendant, ſupra ſatis ex eiſdem Pauli verbis, ſanctorum Patrum ſententia, rectiſſime & ſcitiſſime interpretatis expoſuimus [nam ſi Chriſtus Petrum vniuerſalem Apoſtolum ſupra omnes gentes conſtituiſſet, &c.] Eſto, vniuerſalis Apoſtolus non diceretur, at erat vniuerſalis omnium paſtor, à Chriſto electus.

Deindè etiam diſtinguendum eſt quo ad Apoſtolatum; Negamus eum vniuerſalem Apoſtolum eſſe, aut vnquam vocatum, ea ſcilicet ratione, vt ille ſolus, & non alij ſint Apoſtoli: at rectè vniuerſalis Apoſtolus, & vniuerſale omnium caput à ſanctis Patribus dicitur; quod ſcilicet erga omnes, tum officium, & poteſtatem Apoſtolatus exercere; tum paſtorali cura vti poterat; ex poteſtate ſibi diuinitus tradita; qua fuit Princeps Apoſtolorum, & ſummus Eccleſiæ paſtor. [obſecro quomodo vel ipſemet, vel Paulus auſus fuiſſet eius functionem tantoperè coarctare, idque tam ſancto pacto, ſed ſupra clarè teſtatus eſt, Paulus Petro diuinitùs eas metas circumſcriptas, vt ſit circumciſorum, Apoſtolus, &c.]

Miror eos non addidiſſe vocem, tantum, quo eum omninò à magiſterio gentium arcerent. Petro ne diuinitùs præſcripta eſt Iudęorum cura? cui dictum eſt, ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meã, paſce agnos meos, & oues meas, ideſt Iudæos, & Gentiles, qui gentes non ſolùm docuit, ſed iiſdem primus (Dei iuſſu) Euangelium prædicauit, vt ex his, quæ ſupra dicta ſunt, ſatis patet. [Ità ex his locis Pauli animaduertimus, Petrum, diuino & humano iure, particularem, & non vniuerſalem Epiſcopum conſtitutum] Quod planè, & iure, ex his, quæ dicta ſunt ſupra; negamus; quantum hæ verborum ambages præſtant, pij lectores viderint. [Item quam latè ſe extendat illud Ioannis, paſce oues meas] cuperem vehementer id à vobis explicatum fuiſſe; longè meliùs argumentatum eſſet, ex clariſſimis Ioannis verbis ter repetitis, paſce oues meas: Intelligi poteſt Pauli locus ſupra citatus, quo in ſenſu accipiendus ſit, & recta eius intelligentia; an fortaſſe pro ouibus, Chriſtus Iudæos tantùm intelligi voluit; qui primo per Petrum Gentiles ad ſe conuertit? quod planè animaduerterunt, cum à veritate coacti, ſequentia verba ſubiunxere. [Nec hoc ius, hancque functionum, diſtinctionem irritam facit, quod aliquando per occaſionem, & Paulus Iudæis, & Petrus Gentilibus concionati ſunt. De iure enim hic, non de facto, diſputamus] Ergo vterque Apoſtolus malè, & contra ius fecit, in meſſem alienam manus mittendo.

Et qui poteſtatem in omnes gentes diuino iure, ex Chriſti ore acceperunt Euangelium prædicandi Apoſtoli, contra ius faciunt; & longè minore authoritate fuit Petrus, quam alij Apoſtoli, quibus metæ prædicationis non fuerunt circumſcriptæ. Quibus rebus nihil abſurdiùs, nec dici, nec excogitari quidem poteſt.

Argumentum ſecundum.

[Petrus haud dubiè functione ſibi à Chriſto mandata, verè, & integrè functus eſt, fuit enim fidelis, ac bonus Chriſti miniſter, ac ſincere oues Chriſti pauit. Iam conſtat eum neque voluiſſe dominari Apoſtolis, & clero, ſed ſe cæteris Presbyteris exæquaſſe, appellat enim ſe Compresbyterum 1. Petri cap. 5. Multo minus gladium, & politicam functionem ſibi vſurpaſſe, & Reges, & Cæſares ſibi ſubiectos contendiſſe: quin potiùs mandaſſe Chriſtianis omnibus, vt ſint ſuis magiſtratibus ſubiecti. 1. Pet. cap. 11. Si igitur Petrus integrè ſua functione functus eſt, neque tamen ſuperioritatem ſuper Apoſtolos vſurpauit, immò etiam patienter Pauli obiurgationem tamquam inferior tulit, neque politicam gubernationem ſibi rapuit, ſequitur neceſſario, quod illa non pertinuerint ad Petri officium.]

Reſponſio.

Petrus haud dubiè functione ſibi à Chriſto mandata, verè & integrè functus eſt. Fuit enim fidelis, ac bonus Chriſti miniſter, ac ſincere oues Chriſti pauit. Iam conſtat eum, nec voluiſſe dominari Apoſtolis, nec Clero] Optimè hactenus, dominatu ſcilicet importuno, iniquo, & tyrannico, ſed paſtoralis curæ ſollicitudine præ omnibus laborauit, cæteris præfuit: quod totus liber Actuum Apoſtolorum teſtatur [ſed ſe cæteris Presbyteris exæquaſſe, appellat enim ſe Compresbyterum] Malè intellecta exæquatio, quia appellatio illa non eſt dignitatis, aut magiſtratus, ſed humilitatis ordinis, vel ætatis. Nam & Compresbyter fuit, & Princeps aliorum Apoſtolorum: Compresbyter ætate, vel ordine;

ptin-

princeps paſcendi iure: in bonos humilis miniſter, in malos ſeuerus Prælatus, & iudex.

Quod his verbis homil. 4. libro 50. homiliarum ſcitiſſime docet D. Auguſtinus, cum ait: Vt autem bonitatis huius, diſciplinæque magiſterium in noſtris fuiſſe maioribus plenius perfectiuſque diſcamus, pauca de pluribus venerabilium Patrum recenſeamus exempla. Implenit ſine dubio bonitatis, ac diſciplinæ iſtius formam beatus Petrus, cum ſicut vere bonus, oblatos ſibi dicitur curaſſe infirmos, & vt diſciplinæ cœleſtis amator, iuſta vltione puniſſe mendaces, perhibetur. Nimirum bonitatis eius gratiam teſtatur Æneas ille debilis, qui claudus ab infantia ſedens in porta Templi Domini, atque mendicans, in nomine Chriſti Ieſu Apoſtoli curantis imperio, antiquam recepit ſanitatem. Probauerunt, & diſciplinæ eius ſeueritatem Ananias, & Sapphira, qui diſtrahentes agrũ, quem vendere nemo cogebat, dum de pretij quantitate mentiuntur Apoſtolo, mortem ſibi falſitate mercati ſunt. Quo facto, edocuit glorioſiſſimus Petrus, ineſſe ſibi bonitatem, ac diſciplinam, dum remedium præſtat infirmo; & competentem ſumit de mendacibus vltionem; quod eum recte, ſancteque feciſſe cœleſtis iudicij conſenſus oſtendit. De perfectione verò ſcientiæ eius, quis ambigat, qui Chriſtum Dominum viui Dei filium eſſe de Cœlo (ſibi Patre reuelante) cognouit? Et quia bonitas, ac diſciplina ſcientiaque non deerat, paſcendas illi Dominus commendauit oniculas, &c.

D. Gregorius regiſtri lib. 1. epiſt. 24: eandem ſententiam iiſdem propemodum verbis refert. Sequuntur auctores Centuriarum [multò minùs gladium, & politicam functionem ſibi Petrum vſurpaſſe conſtat, & Reges, & Cæſares ſibi ſubiectos contendiſſe] optimè ſcilicet, quia illorum temporum conditio id non ferebat [at potiùs mandaſſe omnibus Chriſtianis, vt ſint ſuis magiſtratibus ſubiecti] & id rectè [ſi igitur Petrus integre ſuo munere functus eſt, neque tamen ſuperioritatem ſuper Apoſtolos vſurpauit] Hoc falſum, quia præter Actuum Apoſtolorum loca; Ioannes Chriſoſtomus auctor eſt, Iacobum ab eo fuiſſe creatum Epiſcopum Hieroſolymitanum.

Et Clemens Alexandrinus lib. 6. & 7. Hipotypoſeon tradit Petrum, Iacobum, & Ioannem pręcipuos Apoſtolos, columnas Eccleſiæ, ſcientiam ſibi à Domino traditam alijs Apoſtolis communicaſſe. Quibus Patribus, magis quàm auctoribus Centuriarum credendum opinor. [Immò etiam patienter Pauli obiurgationem tanquam inferior tulit] falſiſſimum, cum enim id factum propter quod Petrus reprehenſus à Paulo eſt, pertineret ad ædificationem fidei, quæ erat munus Apoſtolatus, non mirùm ſi Paulus reprehendit Petrum, & iure in re (Apoſtolatu ſcilicet) qua erant pares; quanquam regimine, & poteſtate Petrus emineret, neque enim inconueniens eſt, vbi id neceſſitas requirit, maiores etiam à minoribus reprehendi, & moneri.

Et ſic intelligenda ſunt verba Diui Ambroſij, relata in gloſſ. ord. in cap. 2. epiſtolæ ad Galatas, in verbo reſtiti. 2. q. 7. Paulus Petrum reprehendit, quod non auderet, niſi ſe non imparem ſciret: non imparem intelligo in Apoſtolatu: qua ratione fit, vt ſi vnus è duodecim Apoſtolis nunc in terris eſſet, ille in his, quæ ſunt fidei, nec Romano Pontifici, nec generali Concilio ſubiaceret: in his verò quæ ad regimen, & Eccleſiaſticam poteſtatem pertinent maximè. Ea ratione Petrus fuit, & æqualis, et ſuperior Paulo, qui Petrum quamquam eum in rebus fidei reprehendiſſet, tamen velut Eccleſiæ caput venerabatur: et vt eum vnum videret Hieroſolyma aſcendens, apud eum diebus quindecim manſit.

Et vt docte examinat Hieronymus in epiſtola ad Auguſtinum, quæ 89. eſt apud Hierony. apud Auguſt. verò 11. anno 14. poſt iterum Hieroſolyma ad Petrum reuerſus eſt, quaſi ſecuritatem non haberet prædicandi Euangelium, niſi eſſet Petri ſententia confirmatus. Itàque facilè concedi poteſt, vbi imminet periculum fidei, ſuperiorem ab inferiori melius ſentiente, emendari poſſe. Certò autem certiùs eſt, Paulum æqualem fuiſſe Petro in Apoſtolatu, & fidei defenſione. Quare Irenæus Lugdunenſis reprehendit Victorem Papam vehementiùs in Aſianas Eccleſias inſurgentem. Euſeb. hiſt. Eccleſ. lib. 5. cap. 24. Et Michael Cęſenas ordinis Minorum generalis miniſter, acerrime reſtitit Ioanni 22. Papæ, aliquando affirmanti animas ſanctorum perfecta beatitudine non frui, quouſque iterum corpus aſſumerent.

Hanc rem optimè explicat beatus Gregorius lib. 2. ſuper Ezechielem homil. 18. vbi ità ait. Cum Petrus Apoſtolus ſeruari adhuc in circumciſione legis conſuetudinem vellet, ei in faciem reſtitit, eumque hac in re fuiſſe reprehenſibilem dicit. Et in hoc eius ſtudium diſcipulis loquens non ſolum culpam, ſed quod eſt magis hypocriſim, ideſt ſimulationem nominat, dicens. Cum veniſſet Petrus Antiochiam in faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat. Et paulò poſt, & ſimulationi eius conſenſerunt cæteri Iudæi. Idem verò Apoſtolorum primus cum multa diſcipulos admoneret, atque à quibuſdam detrahi Pauli ſcriptis agnoſceret dicit; Sicut cariſſimus frater noſter Paulus ſecundum datam ſibi ſapientiam ſcripſit vobis, loquens in ea, de his, in quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & inſtabiles deprauant, ſicut cæteras ſcripturas, ad ſuam ipſorum perditionem. Ecce Paulus in epiſtolis ſuis ſcripſit Petrum reprehenſibilem: Et ecce Petrus in epiſtolis ſuis aſſerit Paulum in his, quę ſcripſerat admirandum. Certè enim niſi legiſſet Petrus Pauli epiſtolas, non laudaſſet; ſi autem legit, quia illic reprehenſibilis dicitur, inuenit.

Amicus ergo veritatis laudauit etiam, quod reprehenſus eſt, atque ei hoc ipſum placuit, quia in his non placuerat, quæ aliter, quam debuerat ſenſit, ſeque etiam minori fratri ad conſenſum dedit, atque in eadem re factus eſt ſequens minoris ſui, etiam vt in hoc præiret, quatenus qui primus erat in Apoſtolorum culmine, eſſet primus, & in humilitate. Penſate, fratres cariſſimi, in quo mentis vertice ſtetit, qui illas epiſtolas laudauit, in quibus ſcriptis ſe vituperabilem

in-

Inuenit, quæ illa manſuetudo tanta eſſe potuit? quæ quies animi, quæ ſoliditas atque imperturbatio cogitationis? Ecce à minore ſuo reprehenditur, & reprehendi non dedignatur, non ad memoriam reuocat, quod primus in Apoſtolatum vocatus eſt, non quod claues Regni cœleſtis acceperit, non quod peccata quæcumque in terra ſoluerit, eſſent ſoluta, & in Cœlo, non quod in mari pedibus ambulauit, non quod paraliticos in Ieſu nomine iubendo erexerat, non quod ægros corporis ſui vmbra ſanauerat, non quod mentientes verbo occiderat, non quod mortuos oratione ſuſcitabat. Ex hoc ergo loco (quia reprehenſus eſt Petrus) non poſſunt Centuriarum auctores probare, eum non fuiſſe vniuerſalis Eccleſiæ Paſtorem.

Argumentum tertium.

Iſta quæſtio iàm dudum à Paulo definita eſt. [Nam pſeudoapoſtoli quidam, inimicique gratuitæ iuſtitiæ Chriſti, tempore Apoſtolorum omnes Eccleſias pie à Paulo inſtitutas, hoc potiſſimum telo inſtructi perturbant. Petrus, & Iacobus ſunt ſupremi Apoſtoli, illi cum Domino Ieſu multum verſati, & ab eo tanquam Principes Apoſtolorum facti ſunt, illis potius credendum eſt, quam Paulo, qui eis nullo modo par eſt. Nos porrò ſumus illorum diſcipuli, iàm recta ab eis venimus; ſic illi ſeruant, & docent. credite nobis, & cætera. Contra hos ſeductores, iuſtitiæque Chriſti ſubuerſores, acerrime pugnat Paulus in Galatas, & Corinthios, contendens ſe nullam prorsùs ſuperioritatem, vel Petri, vel aliorum dignoſcere, ſe docere ſine Petri ordinatione, aut permiſſione; ſe nihil ab eo didiciſſe, aut accepiſſe, ſe adeo non agnoſcere eum ſuperiorem, vt etiam in faciem coram pluribus auſus ſit eum obiurgare: Neque ſe, neque Petrum eſſe dominum Eccleſiæ, nec pro ea crucifixum, ſed omnes Apoſtolos ex æquo eſſe Eccleſiæ miniſtros, Eccleſiam verò eſſe Chriſti, Chriſtum autem Dei.

Reſponſio.

[Contra hos ſeductores iuſtitiæque Chriſti ſubuerſores acerrimè pugnat Paulus, & in Galatas, & Corinthios contendens, & cætera] Dico Pauli non fuiſſe intentionem increpare eos, qui eſſent ſecuti Petrum per obedientiam, vti à Chriſto Principem, & Vicarium conſtitutum: ſed quia ſingularitatem aſpiciebant perſonarum, quaſi ad baptiſmum pluris momenti eſſet perſona vnius, quam alterius, quaſi non eſſet idem ſacramentum baptiſmatis ab vno Chriſto originem, & vim habens, à diuerſis miniſtris impartitum, & hanc eſſe Pauli ſententiam clarè indicant verba diuiſionis, & ſchiſmatis, nam paulò ante cap. 1. dixerat; Obſecro vos fratres per nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt id ipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata, Vt verò Theophilactus ex D. Ioan. Chriſoſtomo eo loco meminit, priùs enumerat ſe Paulus, quam Petrum, non vt ſe præferat Petro, ſed vt eum ſibi potius anteponat, quemadmodum Chriſti deinceps nomen honoris gratia ſubdit. Docuit igitur Paulus eo, loci ſchiſmata vitanda, quæ res adeò primatum non labefactat, vt eum potiſſimum aſtruat, quoniam ſchiſmata meliùs tolli non poſſunt, quam ſi ab omnibus, vno capiti obediatur.

Ideò D. Hieronymus ſcribit, vnus eligitur, vt capite conſtituto, ſchiſmatis tollatur occaſio. Tota ergo Pauli intentio eſt, diſſidentes fratres ad vnitatem reuocare, ſacramenta non ex miniſtris, ſed ex Chriſto manaſſe oſtendere, quæ res primatui Petri nihil omninò officit. Addunt. [Paulus ſe nullam prorsùs ſuperioritatem vel Petri, vel aliorum cognoſcere] Hoc falſum; quia aſcendit ad eum videndum honoris ergo, Hieroſolymam [ſe docere ſine Petri ordinatione, aut permiſſione, ſe nihil ab eo didiciſſe, aut accepiſſe.] Et hoc ex parte falſum, quia iterum profectus eſt Hieroſolymis, & contulit cum eo Euangelium, quod prædicabat in gentibus, ne forte in vanum curreret, aut cucurriſſet [ſe adeò non agnoſcere Petrum ſuperiorem, vt etiam in faciem coram pluribus eum auſus ſit obiurgare] hoc primatui Petri nihil officiſſe ſupra oſtendimus. [Neque ſe, neque Petrum eſſe dominum Eccleſiæ, nec pro ea crucifixum, ſed omnes Apoſtolos ex æquo eſſe Eccleſiæ miniſtros] ſcilicet quo ad prædicationem, doctrinam, Apoſtolatum, & ſacramentorum exhibitionem, non quo ad iuriſdictionem, quia Petrus reliquis prælatus eſt [Eccleſiam verò Chriſti, Chriſtum autem Dei] optimè dictum eſt.

Argumentum quartum.

[Actorum cap. 8. ſcriptum eſt, quod Apoſtoli miſerint Ioannem, & Petrum in Samariam. Non mittit autem inferior ſuperiorem, ſed contra, quare ſequitur Petrum non fuiſse ſuper omnes Apoſtolos dominum, ſed ſingulis Apoſtolis æqualem, toto autem Concilio inferiorem.]

Reſponſio.

Oportet mendacem eſſe memorem; ſuperiori argumento Petrum Paulo inferiorem faciunt, hoc loco æqualem, & nos certè cunctis Apoſtolis ex eodem met argumento faciemus Dei auxilio ſuperiorem; aiunt enim [Petrus ab Apoſtolis in Samariam miſſus eſt, non mittit autem inferior ſuperiorem] hoc falſum [ſed è contra; quare ſequitur Petrum non fuiſſe ſuper omnes Apoſtolos dominum] Nec nos dominum dicimus, ſed paſtorem [ſed ſingulis Apoſtolis æqualem, toto autem Concilio inferiorem] falſum, & falſa eſt argumentandi formula, non enim admodum diuerſo argumentationis genere ratiocinabantur Arriani, quia pater miſit filium, Ioannis cap. 6. & 20. & ad Galatas 4. igitur pater maior eſt filio; quia mittens maior eſt eo, qui mittitur.

Hæc quo ad argumentandi formulam. Ad rem, dicimus hanc miſſionem Petri, & Ioannis ab Apoſtolis maximè quadrare cum Petri poteſtate. Nonnè dixit Chriſtus miniſtrum illum eſſe debere, qui futurus eſſet inter Apoſtolos maior? Sic ergo decuit Petrum magiſtri monita implere, vt miniſtrum ſe cæteris exhiberet. Falſum porrò eſt ſemper miſſos minores eſſe iis, qui mittunt; frequens

enim

Digitized by Google

enim vſus eſt, præſtantiores è Collegio, & Senatu ad res arduas tractandas mitti, conſilio, vel amore, non auctoritate inferiorum; quare in Ioſue 22. cap. legitur, quod cum audiſſent Iſraelitæ Rubenitas, Gadditas, & Manaſſitas aram erexiſſe ſuper Iordanis tumulos contra ſe, conuenerunt omnes in Silo, vt bellum ijs indicerent. Interea miſerunt ad illos in Galaaditidem Legatos Phinees filium Eleazari Pontificis, & decem Principes cum eo, ſingulos ex ſingulis tribubus, vt eos de hoc ſacrilegio reprehenderent. Ecce filij Iſrael inferiores populi miſerunt Phinees eorum coram Domino ducem (vt ſcriptum eſt primo Paralipomenum cap. 9.) & decem Principes ſuos, ex qua re manifeſtè patet, illud in diuinis literis non conſequi. Eſt miſſus, ergo mittentibus eſt minor. Illud porrò negocium pro quo Petrus miſſus eſt, tanti fuit, vt vel maximè Petri perſonam requireret, in quo profecto Petri præſtantia varijs modis illuſtrior euaſit, partim ex Simonis magi reprehenſione, partim ex Sancti Spiritus quem Philippus Diaconus præſtare non potuit collatione; partim ex Ioannis comitatu, qui cum eſſet inter cæteros poſt Petrum illuſtrior, vnà cum eo miſſum fuiſſe conſtat, vt ex tam egregiorum Legatorum Collegio, negocium ſummi momenti eſſe, apertiùs intelligeretur: ſed quia plura de his paulò antè, alia proſequamur.

Argumentum quintum.

[Quod Paulus cum toties faciat mentionem capitis Eccleſiæ, nuſquam Petri meminerit 1. Cor. 12. ad Epheſ. 1. Col. 1. & 2. & quidem ipſe 1. epiſt. cap. 2. Chriſtum angularem lapidem Eccleſiæ facit.

Reſponſio.

Falſum; quia bis Petrum honorificè commemorat, & Eccleſiæ paſtorem agnoſcit ad Galatas cap. 1. & 2. vt accurate ſupra demonſtraui. Ad hoc argumentum à negatione non concludit. Non enim ſequitur id non legitur, aut eius mentio non eſt, ergo non fuit. Eadem eſt reſponſio de Chriſto angulari lapide Eccleſiæ, quæ & de Chriſti fundamento ſupra data eſt, primario ſcilicet, & conſequente.

Argumentum ſextum.

[Refert Euſebius ex 6. & 7. Hipotypoſeon Clementis, quod Dominus poſt reſurrectionem ſcientiam tribuerit Iacobo iuſto, & Ioanni, & Petro: ij verò reliquis Apoſtolis tradiderunt, & Apoſtoli ſeptuaginta diſcipulis. Quod ſi verum eſt, ſatis indè apparet Iacobum iuſtum, Ioannem, & Petrum æquales à Chriſto eſſe conſtitutos, & nulli primatum ſigillatim competere. Euſebius lib. 2. cap. 1.

Reſponſio.

Si hoc verum eſt, in traditione ſcientiæ fuerunt æquales Petrus, Ioannes, & Iacobus, & alijs nouem Apoſtolis ſuperiores, & in paſtorali cura Petrus, & cæteris, & illis duobus præfuit; quia illi ſoli dictum eſt, paſce oues meas. Cæterum optima admodum eſt conſecutio: Tradidit illis tribus Dominus poſt reſurrectionem ſcientiam: ergo illi tres ſunt æquales in poteſtate. Tenet illatio, vt dicitur, ab angulo ad parietem; ſcilicet à ſcientiæ infuſione, vel traditione ad poteſtatem: qua ratione omnes prophetę ſuperiores eſſent, & poteſtate, & ſacerdotio. Item ridicula eſt alia illatio. Tradidit illis ſcientiam ergo, & æqualiter, & æqualem ſcientiam ſingulis, cum certum ſit, & D. Petrum ex Dei patris reuelatione didiciſſe, & D. Ioannem, vt aquila in Euangelij ſui conſcriptione euolaſſe. Tam inepte igitur fucatis argumentis ſunt ne decipiendi Chriſtiani?

LIBRI TERTII

DE ADVENTV PETRI AD VRBEM ROMAM, eiuſque ibi Sede, & morte.

PARS TERTIA.

CAPVT PRIMVM.

Quòd Petrus Romam venerit, & Romanam Eccleſiam fundauerit, eamque cum Paulo Apoſtolo ſanguine ſuo conſecrauerit, probatur, ex multis vetuſtis ſanctorum Patrum, Græcorum, & Latinorum monumentis.

PORRO autem Petrum Chriſti Vicarium, & (vt ſupra oſtendimus) ſummum Eccleſiæ ſuæ caput, Romam non tantùm veniſſe, ſed etiam Romanam ipſam Eccleſiam fundaſſe; morte deindè, ac ſanguine ſuo eam cum Paulo Apoſtolo conſecraſſe, ità clarum eſt, & totius terrarum Orbis, cunctarumque Eccleſiarum omnibus ſeculis, maximo ſemper conſenſu confirmatum; vt id, aliquo teſtimonio indigere, minimè opus eſſe crediderim: niſi noſtrorum, & ſuperiorum temporum aliquot hæretici, huic quoque certiſſimæ, & clariſſimæ rei quemadmodum in alijs etiam diſciplinæ Chriſtianæ ſacris inſtitutis fecerunt, fucum facere impudentiſſimè conarentur, adeò tamen friuolis, & infirmis argumentis, vt viros huiuſmodi ità hæſiſſe non ſummoperè admirari non poſſimus.

Pettum portò, Hieroſolymis relictis, ideò Vrbem Romam pro Sede delegiſſe (præter Dei voluntatem, quæ cauſam non habet) exiſtimandum eſt, quod ibidem conſtituerit ſucceſſorem relinquere, vbi Chriſti Eccleſiæ ædificandæ magis poſſet proficere; alioqui Perrus Spiritu ſancto plenus, ſuum munus perfectè in re adeò ardua, vtili, & neceſſaria (in ſucceſſore ſcilicet deligendo, & ordinando) non agnouiſſet: cùm tamen Chriſtus Apoſtolis promiſerit Spiritum Paracletum, qui doceret eos omnem veritatem.

Nullo enim Orbis terrarum loco, Petrus & eius Succeſſores tantùm conferre potuiſſent ædificationi Eccleſiæ Chriſti, quam omninò expetebant, quantùm Romæ; quæ tunc, & diù poſt, Orbis terrarum imperium obtinuit; ſic enim aptiſſimè, quod alibi ita commodè fieri non poterat, ab Vrbe fides in vniuerſum Mundum permanare poterat; quemadmodùm etiam vſu venit. Et cùm circa caput præcipuè laborandum ſit, vt reliqua membra rectè conſtituantur: idcircò Petrus pro Vrbe Mundi domina, & capite, vt in ea ſucceſſores deſignaret, præcipuè laborauit; à qua facillimè Chriſti pietas, & religio, in reliquas ei ſubiectas Prouincias, quæ magna, & nobilior pars Mundi erant, traduci poſſet.

Quòd mox Conſtantino Imperatore ad Chriſti fidem conuerſo, manifeſtum fuit: tunc enim eius iuſſu, & edictis, Chriſtianis (quod ante Imperialibus Conſtitutionibus prohibitum fuerat) primùm licuit, Chriſtum publicè profiteri, & adorare. Ab Vrbe igitur, prima publica fidei Chriſtianæ profeſſio exiuit, cuius exemplum, reliquæ Prouinciæ ſequutæ, eam imitatæ ſunt, & quæ eis fuerat magiſtra erroris, poſteà facta eſt magiſtra veritatis, & imperiali Romani principis auxilio freti Doctores Chriſtiani, tutiùs fidem Catholicam prædicarunt. Alia etiam apparet cauſa, conſtituendi Primatus in Eccleſia Romana, quòd Dominus Romæ permiſurus eſſet ſanguinem Martyrum copioſiſſimè effundi, ob id, vt gloriaretur vniuerſalis Eccleſia. quoniam gloria loci, congruit excellentiæ præſidentis.

Priorem cauſam innuere videtur beatus Papa Leo in ſerm. 1. de natali Apoſtolorum Petri, & Pauli, vbi ita ait: Beatiſſimus Petrus princeps Apoſtolici ordinis, ad arcem Romani deſtinatur Imperij, vt lux veritatis, quæ in omnium gentium reuelabatur, ſalutem efficaciùs ſe ab ipſo capite, per totum Mundi corpus effunderet. At Romanæ Eccleſiæ hoſtes, non contenti, contra tot ſacræ Scripturæ teſtimonia, tot ſanctorum Patrum ſententias, primatum Petro adimere voluiſſe, maiora mendacia fabricare auſi, eum Romæ aliquando vixiſſe, aut in ea Vrbe, quam videre nunquam potuerit, obijſſe, omninò in-

ficiantur : etſi omnes veteres Patres, nemine diſſentiente, contrarium clament; ita vt, ne vnum quidem eorum ſententiæ ſuffragatorem habeant.

Quo fit, vt contra tantam impudentiam, Tertulliani verba aduersùs Hermogenem hæreticum ſcripta, à D. Hieronymo contra Iouinianum reperita, afferre cogat. Homo in ſeculo hæreticus, etiam turbulentus eſt, qui loquacitatem facundiam exiſtimet, impudentiam conſtantiam deputet, maledicere ſingulis officium bonæ conſcientiæ iudicet. Primus omnium hoc mendacium, diabolico aſtu, celebris ille impietate Marſilius Patauinus (quod ſciam) inuenit. Qui contra Ioannem XXII. Papam, à quo ob hæreſim excommunicatus fuerat, opus edidit, & contra Romani Pontificis poteſtatem. Rem ab eo potiùs inchoatam, quàm perfectam, craſſius extulit. Ante annos quinquaginta, Vlricus quidam Velenus Minhonienſis, qui libello ſcripto, Petrum non modò Romæ non mortuum, ſed nec aliquando Romam vidiſſe affirmare conatur : libro in capita diuiſo, quas perſuaſiones appellat. Et ſi ſuſpicionem mihi iniecerit, eum non tam ex animo id feciſſe, quodque ipſi ita perſuaſum foret; quàm vt tali facinore nomen, & famam apud poſteros produceret: conſilium ſiquidem, animumque ſuum viſus eſt ipſemet declaraſſe, cum fronti operis vulgata illa carmina inſeripſerit Iuuenalis, ſatyra prima.

Aude aliquid breuibus Gyaris, & carcere dignum
Si vis eſſe aliquis, probitas laudatur & alget.

Aduersùs hunc perſuaſorem, & eius inania commenta, duo præſtantiſſimi Patres accuratiſſimè ſcripſerunt, ante annos circiter 40. Gregorius Corteſius Mutinenſis, tunc monachus Caſinas; & Ioannes Fiſcherius Anglus Epiſcopus Roſenſis, ambo poſteà S.R.E. Cardinales à Paulo Tertio Pontifice Maximo, omnem induſtriam liberaliter exornare ſolito, virtutis ergo creati: quorum pro maiori parte argumenta, & ſolidas reſponſiones, huic operi includam.

In hac igitur quæſtione, illud mihi commune eſt, cum ijs, qui Petrum Romæ fuiſſe negant, aliquid quo manifeſtè, & apertè in alterutram partem iudicare poſſimus, in diuinis libris reperiri. Quare id ſolùm quærimus, potuerit ne Petrus Romam aliquando veniſſe, ita vt ex eiuſmodi profectione nihil contrarium, nihil repugnans his, quæ in ſacris literis habentur omninò reſultet.

Quod cum (vt ſpero) enucleatè oſtenſum fuerit, reliquum erit, vt tantùm illorum ſententijs innitamur, qui proximè ad Apoſtolos, & tempore, & ſanctitate accedunt, qui omnes vno ore, eiuſmodi profectionem ad Vrbem Romam, tam verè, quàm conſtanter aſſeruerunt. A Ieſu Christi morte, vſque ad Petri obitum, qui fuit (auctoribus penè cunctis conſentientibus) 3. Kalendas Iulij, nouiſſimo Neronis anno, non quidem Iuliano, ſed Imperij, ideſt tertiodecimo, Chriſti verò 68. vt ex noſtris Faſtis Conſularibus conſtanti temporum ratione liquet, triginta quatuor anni, & menſes tres interſunt. Siquidem Chriſtus decimonono Tiberij anno, ætatis verò ſuæ 33. menſe tertio, 7. Kalendas Aprilis, Cruci affixus fuit : vt accuratiſſimè in Faſtorum Conſularium Commentarijs probaui.

Superſunt autem integri quatuor Tiberij (tres enim, & viginti imperauit annos) totidem propemodùm Caij, quatuordecim Claudij non integri, treſdecim Neronis, qui annos reddunt plus minus 35. aliquot ſcilicet menſibus detractis, in quibus non ſemel tantùm, ſed iterùm, ac tertiò potuiſſe Petrum Romam proficiſci, manifeſtiſſimis argumentis conuinci poteſt. Sed quoniam primam eius profectionem in ſecundum Claudij annum reijciunt Euſebius, & Hieronymus, qua ratione id fieri potuerit, diligentius inquirendum eſt. Cùmque omnes conſentiant Paulum anno primo à Chriſti morte (is fuit 35. ab initio) ad fidem Chriſti vocatum fuiſſe, & idem, anno quarto eum Hieroſolyma veniſſe, & vidiſſe Petrum, concedant neceſſe eſt.

Siquidem triennio poſt illam euocationem, vt ipſe ait cap. 1. ad Galatas, aſcendit Hieroſolyma videre Petrum, & manſit apud eum dies quindecim; anno ſcilicet Chriſti 38. forte azymorum tempore, quo ad 6. Kalend. Aprilis Tib. Cæſari mortuo, C. Caligula Imperator ſucceſſerat. Ad quam vſque diem, Euſebij in Chronico auctoritate, & varijs inſuper coniecturis, aſſequi poſſumus, Petrum ex Iudæa, & finitimis locis non diſceſſiſſe. Qui Paulo Cæſaream primùm, deindè Tarſum dimiſſo, Hieroſolymis diſcedens, terram Paleſtinam euangelizando circuiuit; Lyddæ Æneam paralyticum ſaluti reſtituit: accerſitus deinceps à Diſcipulis Ioppen, Tabitham mortuam reuocauit ad vitam.

Cùmque multos dies (vt ait Lucas) apud Simonem Coriarium hoſpitatus eſſet, accitus Cæſaream Angeli iuſſu, à Cornelio Centurione, tunc primùm ex gentibus (gentium enim nomine appellant ſacræ literæ eos, qui ex Iudæorum populo non eſſent) trophæum erexit. Quibus in functionibus eum ferè biennium (Chriſti ſcilicet 39. & 40.) conſumpſiſſe, Acta Apoſtolorum accuratiùs contemplanti liquebit : Anno demùm ſexto à Paſſione Chriſti finito, is fuit quadrageſimus currens natalis eiuſdem, Hieroſolyma redijt. Superſunt porrò duo anni, vſque ad carcerem Petri, quam anno 43. Chriſti fuiſſe oſtendam, quibus Petrus, vel Hieroſolymis, vt ego opinor, ſemper manſit, vel etiam Antiochiam accedere potuit; vbi mira incrementa religio noſtra cœperat: iam inde ab obitu Stephani, eò enim ex Iudæa peruenerant Diſcipuli quidam profugi natione Iudæi.

Quò deindè iuſſu Apoſtolorum profectus Barnabas, adiuncto ſibi Paulo, qui à fuga ex Hieroſolymis ad eam vſque diem in Cilicia ferè ocioſus ſederat, eiuſmodi adiumentum, iam inualeſcentibus rebus, & vtriuſque magiſterio numeroſa Eccleſia ex Iudæis, & gentibus collecta, præſtitit, vt Diſcipuli Antiochiæ primùm Chriſtiani appellati fuerint. Petrus verò ſi modò, vt prædixi, Antiochiam venit; Hieroſolyma redijt ſub initium Imp. Claudij, quod fuit anno Chriſti 42.

Qua in re illud animaduerſione dignum eſt, ſeptennij ſpatium, quo Petrum Antiochiæ fuiſſe Damaſus, & Gregorius auctores ſunt; alio ab hoc tempore quærendum eſſe, quod infrà ego enucleate aperiam.

Porrò autem nono à Chriſti Paſſione anno exacto, is fuit 43. natalis eius, Imperij verò Claudij ſecundus paulò ante inchoatus, cùm æſtate ſuperiori Iacobus Ioannis frater ab Agrippa Rege occiſus fuiſſet, ipſe Petrus azymorum tempore carceri incluſus eſt, & diuinitùs ab Angelo liberatus. Hæc verò hoc ipſo anno accidiſſe, certiſſima ratione probare poſſum.

Duo fuerunt eodem tempore Herodes, alter cognomine Antipas tetrarcha Galileæ, eius Herodis filius, qui pueros Betlheemiticos, Chriſto nato, nefarie trucidauit. Hic Chriſto paſſionis tempore veſte alba illuſit; hic violato ſanguinis, & hoſpitij iure, vxorem Herodiadem à fratre Philippo abduxit; hic denique humana, & diuina cuncta permiſcens, in Macherunte caſtello iugulauit Ioannem Baptiſtam. Alter natus Ariſtobulo filio Herodis maioris Regis, cognomine Aſcalonitæ, & Mariammes, Agrippa in gratiam M. Agrippæ generi Auguſti Cæſaris vocatus.

Qui à C. Caligula Imperatore, duarum tettarchiarum Itureæ, & Traconitidis regionis, quæ Philippi, & Abilinæ, quæ Lyſaniæ fuerant, Rex appellatus; magnæ apud Caium auctoritatis erat. Inter hos Herodes diu occultæ inimicitiæ, inteſtinaque odia interceſſerunt, nutriente potiſſimùm Herodiade alterius ſorore, vxore alterius, fœmina vehementis ingenij, & ſupra muliebres ſpiritus.

Poſtremò Agrippæ accuſatione Antipa, à Caio tetriarchiæ Galileæ multato, & cum Herodiade Lugdunum Galliæ perpetuò exilio relegato, ea quoque Paleſtinæ pars ceſſit Agrippæ; Qui ſub exitu Imperij Cai, Romam pro gente Iudæorum, pro patrijs ritibus tuendis, & ne templum Cæſaris imagine profanaretur deprecaturus accedens, paulò poſt eum ſuorum conſpiratione, menſe Ianuario extinctum vidit.

Maximo autem in adipiſcendo Imperio Claudio vſui fuit, à quo beneficij accepti memore, tribus ei à Caio donatis tetrarchijs confirmatis, regno Iudææ, & Samariæ, Hieroſolymis additis auctus eſt; primuſque poſt Herodem Idumeum auum, partem Syriæ longè maximam, quam in tetrarchias Auguſtus diuiſerat, ſolus obtinuit: fœdereque publicè medio foro priſco ritu cum Claudio cæſo, Hieroſolyma anno primo Imperij Claudij ineunte, verè redijt.

Qui quo munitior eſſet, ad omnes caſus, contra vires, doloſque, & ſororis, & Antipæ, & popularium animos ſibi conciliaret, gentem Iudæorum ſtatuit inſigni aliquo munere demereri, remiſſo eis tributo, quod ſoliti erant in ſingulas ædes pendere. Cum verò vehementer illos infenſos Chriſtianis ſciret, iniecit manus (ait Lucas Act. 12.) vt malis affiiceret quoſdam de Eccleſia.

Trucidato igitur Iacobo fratre Ioannis. Petrum initio ſequentis anni, qui fuit ſecundus Claudij, & Regni ſui vniuerſalis; Chriſti verò 43, azimorum tempore, coniecit in carcerem; vt feſto celebrato, eum necaret. Qui diuino beneficio Angeli opera eductus, exiens abijt in alium locum. Tunc enim, proculdubio, Romam iter inſtituit, quo Herodis iram euitaret, & Simonem magum ab ſe, Iudæa exactum, Romæ ritu Dei cultum, denuo expugnaret. Quæ omnia ſecundo anno Claudij contigiſſe: ex eo intelligitur, quod ea ſub Claudio facta fuiſſe, à Luca memorantur, qui deſcripta famis acerbitate, qua ſub eo principe per vniuerſum Orbem terrarum laboratum eſt, ſtatim ſubiunxit; illud tempus ſcilicet, quo fames inualuiſſet. Nec illud ante, aut poſt accidere potuit. Non ante: quia anno ſuperiore, azimorum tempore, Herodes Romæ (vt ex Tranquillo in Claudio, & Ioſepho libro 19. antiquitatum liquet) non Hieroſolymis erat. Non ſuperioribus ſub Caio, à quo trium tetrarchiarum rex conſtitutus fuerat; quod tunc nihil ei iuris Hieroſolymis eſſet, quæ à procuratore Romano adminiſtrabantur. Id verò nec ſequenti anno Claudij ſcilicet tertio fieri potuit; quoniam (vt Ioſephus ſcribit) eodem anno Agrippa ipſe Cæſareæ fato conceſſit. Sed nec 25. anni, quibus Petrus Romanam Sedem obtinuiſſe conſtanti omnium ſcriptorum teſtimonio liquet, correſponderent. At verò Petrus, vt Herodis, cuius tum latè patebat imperium, vim furoremque declinaret ſimul etiam vt Simonis Samaritæ veſtigijs inſiſteret, Romam, tunc liber factus, profectus eſt.

Nec eius vlla eſt deinceps in Actis Apoſtolorum mentio, vſque ad tempora conuentus Hieroſolymitani, in quo de circumciſione actum eſt.

Cum igitur ex Iudæa azimorum tempore anno Chriſti 43. currente, ſecundi verò Claudij initio (nam is Imperium 9. Kal. Februarij obtinuerat) diſceſſiſſet (annua peregrinatione habita, per eas gentes, ad quas priorem epiſtolam ſcripſit, Cappadoces ſcilicet, Galatas, Aſianos, Ponticos, & Bithynos) Romam anno qui ſecutus eſt, venit. Is fuit Chriſti 44. adhuc verò ſecundus Imperij Claudij penè exactus non erat, tantùm enim ſupererant ſeptem dies, ſiquidem Petrus Vrbem primum inijt 15. Kal. Februarij, vt in martyrologio, ex antiqua patrum traditione auctor eſt diuus Hieronymus.

Cum igitur Romam perueniſſet, per initia Imperij Claudij, vt Oroſius lib. 7. c. 4. ſcribit, ſiue (quod nequaquam diuerſum eſt, anno ſecundo, vt Hieronymus, & Euſebius tradunt) eiuſmodi religionis fundamenta iecit: vt poſteà ad Romanos ſcribens Paulus, gratias agit Deo, quod illorum fides in vniuerſo Mundo nuntiaretur.

Iam verò, ſi ab hoc tempore ſupputetur annorum ratio, vſque ad poſtrema Neronis tempora, & 3. Kal. Iulij, anni Chriſti 68. anni 24. menſes quinque dies duodecim inuenientur.

Tot, nempè, quot ſcribunt Euſebius, Hieronymus, Ruffinus, & alij, vt illorum verbis vtar, Cathedram Sacerdotalem Romæ tenuiſſe. Non autem vltimo Neronis anno, Iuliano ſcilicet, ſed Imperij, vt Diuo Hieronymo placet, interfici potuit; ſi tamen (vt

Eccleſiæ traditio habet) 3. Kal. Iulij ſub Nerone exceſſit: quod paulò ante eodem menſe ad 4. idus Iunij Nero iam (vt Dio refert) ſe ipſe interfecerat. Et ſi autem veteres ſcribant, Petrum Romæ annis 25. Cathedram Sacerdotalem tenuiſſe, non tamen illico conſequitur, illum toto eo temporis ſpatio ſemper in Vrbe permanſiſſe. Inciderunt namq; ea tempora circa ſextum Claudij annum, quibus Iudæi tumultuantes, impulſore Chreſto quodam (vt ſcribit Suetonius in Claudio cap. 25.) cum in proprium excidium præcipites ferrentur, Roma expulſi ſunt. Quæ res præcipuè male intellecta eos fefellit, qui Petrum Romam veniſſe negant, id ſibi pro certo conſtituentes, totis 25. annis quibus Petrum Romæ ſediſſe veteres auctores affirmant, eum Romæ perpetuo fuiſſe: quæ omninò res falſa eſt: & certum auctorem, qui eam explodat habet Epiphanium, qui contra 27. Carpocratitarum hæreſim ſcribit, Petrum ſæpè Pontum, & Bithyniam viſitaſſe.

Et Sophronius tradit, eum in Hiſpaniam aliquando profectum fuiſſe. Iudæos porrò magno Romanorum odio conflagraſſe, teſtimonia multa ſunt: nam Tyberius eos Vrbe primum eiecit, cuius exemplum Claudius imitatus eſt.

Cum enim conſueuiſſent Iudæi magnam auri vim ad templi ornatum ex omnibus prouincijs quotannis Hieroſolyma portare Marco Tullio Cicerone Conſule (vt ipſe ait in oratione pro Flacco) iudicauit Senatus, aurum exportari non oportere: quod cum ſub Tyberio feciſſet quidam ex Iudæis, Roma omnes expulſi ſunt, Ioſepho, & Tacito auctoribus.

Quos publicè odio fuiſſe præter ea, quæ ſunt apud Trogum, etiam ex Quintiliano lib. 3. cap. 7. conijcimus. Eſt conditoribus, inquit, Vrbium infamiæ, contraxiſſe aliquam perniciosam cæteris gentem, qualis eſt primus Iudaicæ ſuperſtitionis auctor. Minimè autem mirum eſt, in tam magna Ciuitate Iudæos tumultum excitare potuiſſe, cum multi forent ex Romanis illorum ſuperſtitioni addicti. Vnde illud Iuuenalis ſatyra 14.

Quidam ſortiti metuentem Sabbata patrem
Nil præter nubes, & Cœli numen adorant.

Quod manifeſtiùs ipſe teſtatur Cicero pro Flacco: ſequitur, inquit, auri illa inuidia Iudaici, hoc nimirum eſt, quod illa turba quæſita eſt: ſcis quanta ſit manus, quanta concordia, quantum valeant in concionibus ſubmiſſa voce loquar, tantùm vt iudices audiant. Neque enim deſunt, qui iſtos in me, atque optimum quemque incitent. Nihil igitur mirum, ſi ſub Claudio quoque tumultus, & nouarum rerum cupidi, non ſecus, atque ſub alijs Imperatoribus vexati ſunt, maximè cum (vt Tacitus ait Annal. 12. Oroſ. 7. cap. 4. illis ipſis diebus, Cumano procuratore Iudææ, non tumultum modo, ſed penè etiam iuſtum bellum in Syria excitarint. Quare à principe, vt ingenij obtuſi, & ſtupidi, ſic præcipiti iracundia, Roma expulſi fuere; quod Apoſtolorum quoque Acta teſtantur. Denique Tranquillus in Claudio cap. 25. Iudæos, inquit, impulſore Chreſto quodam aſſiduè tumultuantes Roma expulit. Cum namque nouum illud nomen ex Iudæa audiret, vulgoque iactaretur, nuper Chriſtianorum exortam factionem, in quam ipſe, & Dio, & Tacitus adeò impiè inuehuntur, credidit, tumultus illos à Chriſtu, qui tamen multis iam ante annis obierat, excitari. Vt erant ferè omnes ignari, eorum quæ de Chriſto loquerentur, quod probat contra Celſum Origenes: & apud Tertullianum, ridiculus ille Ononychites, & quod quidam Galilæos, & Nazarenos Chriſtianos appellabant. Quin & emendati codices Tranquilli non Chriſtum, ſed Chreſtum habent; cum namque cauſam ignorarent ſacroſancti nominis, non *apò toy chrieſtai Chriſton*, *all' apò chraſtai Chriſton* dici putabant: quod Lactantius in libro de vera ſapientia, & Tertullianus in Apologetico teſtantur.

Expulſos etiam à Claudio non Chriſtianos, ſed Iudæos, illud maximè probat, quod (vt Tertullianus ait, & cæteri conſentiunt) non ille, ſed Nero primus in Chriſtianos deſæuijt, quo nomine Petrus, qui gente Iudæus erat, ex Bethſaide vico Galilææ, ſimul cum cæteris diſcedere eſt coactus; quod Priſcillæ quoque, & Aquillæ accidiſſe ſcimus, ex Apoſtolorum Actis. Eo igitur tempore, qui fuit annus Chriſti 47. ſextus Imperij Claudij, quo ſeditionem Iudæorum fuiſſe, & Bedas in Chronico teſtatur; & ex Cornelio Tacito apertè elicitur, quartus aduentus Petri ad Vrbem, Simone Mago extincto, & Eccleſia Romana conſtituta, Roma diſcedens, Hieroſolyma rurſus redijt. Et (Agrippa cuius metu, ex Iudæa aufugerat, iam vita functo) morti beatiſſimæ Virginis, quæ anno ſequenti accidit (vt Euſebius tradit in chronico) interfuit.

Cæterùm anno, qui ſecutus eſt, Chriſti 49. Claudij VIII. Is erat à Pauli conuerſione 14. finitus, Paulus Hieroſolyma abijt, & quæſtione de circumciſionis neceſſitate à Pſeudo-Apoſtolis excitata, Concilio Hieroſolymitano interfuit; cum Petro & alijs Apoſtolis contulit Euangelium ſuum, ne forte in vanum curreret, aut cucurriſſet, à quo, & à Ioanne, Iacoboque fratre Domini Epiſcopo Hieroſolymitano, dexteras ſocietatis accepit.

Indè Antiochiam redijt; Ad quam, cum Hieroſolymis (relicto ibidem Iacobo Epiſcopo) acceſſiſſet Petrus, ea reprehenſio Petri à Paulo facta accidit, quam ipſe in epiſtola ad Galatas cap. 11. commemorat. Manſit verò Petrus Antiochiæ ab 8. anno Claudij, vſque ad eius obitum, & Neronis Imperium annis continuis ſeptem; atque ità neceſſarium erit ſeptem Epiſcopatus Antiochenis annos, intra numerum annorum 25. Pontificatus Romani includere. Hi verò ſunt ſeptem illi anni, quibus eum Antiochiæ Epiſcopum manſiſſe, Damaſus, & Hieronymus affirmant.

Conſtans enim fama eſt, veterum auctorum ſententijs confirmata, Petrum Apoſtolum Antiochiæ annis ſeptem, Romæ verò 25.

Epi-

Epiſcopatum tenuiſſe; quod ſi ſeptem anni Epiſcnpatus Antiocheni diſtinguantur à vigioriquinqne Pontificatus Romaoi, nulla ratione fieri poterit, vt hæc ipſa, Actis Apoſtolorum, epiſtolis Pauli, & temporum tatiooi reſpondeant.

Eruot ergo 7. anni Epiſcopatus Antiocheni Petri, illi ſcilicet quibus Vrbe à Claudio exactus, io Orieote permanſit. Ab anno enim Imperij Claudij 8. qui 14. imperauit, vſque ad primum Neroois, totidem numerantur, quæ ſeptem annorum digeſtio veritati ipſi, & cunctis vererum auctorum monumentis mirificè quadrat. Quod etiam ionuere videtur Damaſus, cum in Petri vita ſcribit: Bearus Pettus Apoſtolus primo ſedit in Cathedra Epiſcopatus Antiochiæ anuis 7. Hinc ingreſſus eſt Vrbem Romam, Neroce Ceſare (ſecundum eius aduentum intelligens cum poſt Claudij mortem Romam Neronis Imperij initio, ab Antiochia iterim cum Marco Euangeliſta redijt: & eam Eccleſiam ſua abſentia collapſam reſtituir: Linum, & Cletum ſibi coadiutores ordinauit: à Marco ſcriptum Euangelium probauit, priorem epiſtolam ſcripſit.

Er hæc primo Netonis anno, vt ex Damaſo intelligitur, tranſegit: inde diſcedeos, torom Occidentem, & Africam docendo peragrauit: ad extremum nooiſſimis Neronis annis, eo in Chriſtianos tamquam publici inceodij auctores deſæuiente, Romam redijt: Vbi de morte eius, & Paoli, ea ſubſecuta ſuot, quæ cnoſeoſu omnium ſcriptorum memoriæ ſuot commendata.

Porrò aurem ſi vitæ eius decurſum ſic diſtinxerimus, nihil eſt, vt opinor, qood ſacris literis tepugner, & maximorum, ſanctiſſimorumque auctorum de illius profectiooe ad Vrbem, & obirus, tam pie, quam verè tuta erit opinio.

Supereſt igitur, vt qnooiam nihil obſtare diuinos libros aſſertioni noſtræ oſtendimus, auctores quoque veteres enomeremus, qui io hac nobiſcum opiuione fueruot. Quorum veruſtiſſimus eſt.

Philo Alexaodrinus Vir eruditiſſimus, Sacerdos Iudæus, de quo ità in libro de viris illuſtribus tradir diuus Hieronymus: Aiune Philonem ſub C. Caligula Romæ periclitatum, quò Legatus genris ſuæ miſſus fuerat: cum ſecunda vice veniſſet ad Claudium, in eadem Vrbe locutum eſſe cum Apoſtolo Petro, eiuſque habuiſſe amicirias, & ob hanc cauſam, etiam Eccleſiam Marci diſcipnli Petri, apud Alexandriam ſectarores ornaſſe laudibus.

Eadem refert Euſebius hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lib. 2. cap. 16. & 17.

Papias Hieropolitanus iu Aſia Epiſcopus Ioannis Apoſtoli, & Euangeliſtæ auditor, Polycarpique Smyrneorum Epiſcopi, & Martyris condiſcipolus, quinque libros ſcripſit, quos prænotauit Explaoatiooes verborum Domini, io quibus cùm in præſatione aſſerar, ſe noo varias opiniones ſequi, ſed Apoſtolos auctores habere, ait: Conſiderabam quid Andreas, quid Petrus dixiſſeot, quid autem Philippus, vel Thomas, quid verò Iacobus, quid Ioanoes, aut quid Matthæus, vel alius quis ex Diſcipulis Domini, quæve Ariſtion, vel Ioannes Presbyter, cæterique Diſcipuli dicebanr: Nec enim rantùm mihi librorum lectiones prodeſſe credebam, quantùm viuæ vocis, præſentiſque magiſterium, &c. Is in altero horum librorum, poſtquam Petrum Romam veniſſe, Romanamque Eccleſiam fundaſſe per longum deſcripſerat, inquit: Petrus io epiſtola ſua, quam de Vrbe Roma ſcripſit meminit Marci, io qoa tropice Romam Babylnnem nnminauit, cùm dixit: Salutat vos ea, quæ in Babylone collecta eſt Eccleſia, & Marcus filius meus. Ità Euſebios hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lib. 3. cap. 39. & Hieroymus io libro de viris illuſtribus.

Bacchius Iuſtinus Philoſophus, & Martyr io Apologetico ad Antooinum Pium, ſcripſit enim & alterum ad gentes, omoia illa, quæ de Simone Samarira à cæteris dicta ſunt, diffusè perſecutus eſt.

Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus Apoſtolicis remporibus vicinus, quod Petrus, & Paulus eodem tempore paſſi ſiot Romæ, diſputans, ità ſcripſir: Sed & vos habentes commonitiooem à Petro, & Paulo, planrariooem Romaoæ, & Corinrhiorum Eccleſię coniunxiſtis. Ambo etenim ſimul adueotantes, & io noſtra Corinrhiorum Eccleſia docuerunt, & per omoem Italiam, atque in Vrbe hac ſimul doceotes, etiam martyrio pariter vno, eodemque rempore coronari ſunt. Hæc ille, vt refert Euſebius hiſt. Eccl. lib. 2. cap. 25.

Irenæus Epiſcopus Lugdunenſis Polycarpi Smyrnei Epiſcopi, Ioannis Euangeliſtę auditoris diſcipulos, vetuſtiſſimus inter omoes noſtræ Religionis Scriptoees, quorum opera ad haoc vſque noſtram ætatem, poſt Apoſtolos peruenerunt lib. 3. aduersùs Valentini, & aliorum hæreſes cap. 1. ſic ait: Matthæus io Hebræis ipſorum lingua ſcriptum edidit Euangelium, cùm Perrus, & Paulus Romæ Euangelizarent, & fundarent Eccleſiam.

Idem fuſiùs eodem libro cap. 3. refert his verbis: Sed quoniam valdè longum eſt, in hoc rali volumine omnium Eccleſiarum enumerare ſucceſſiones, maximæ, & antiquiſſimæ, & omnibus cognitæ à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ, & conſtitutæ Eccleſiæ, eum quam habet ab Apoſtolis tradirionem, & aonunciatam hominibus fidem, per ſucceſſionem Epiſcoporum peruenientem, vſque ad nos, indicantes confundimus omnes eos, qui quoquo modo vel per ſui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam ſeoteotiam, prærer quam oporret colligunt. Ad hanc enim Eccleſiam propter poteotiorem principalitarem, oeceſſe eſt omnem conuenire Eccleſiam, hoc eſt, eos, qni ſunt vndique fideles, in qua ſemper ab ijs, qui ſunt vbique conſeruata eſt ea, quæ ab Apoſtolis traditio. Fundantes igitur, & inſtruentes beati Apoſtoli Eccleſiam, Lino Epiſcoparum admioiſtrandæ Eccleſiæ tradiderunt.

Clemens Presbyter Alexandrinus Origeois præceptor floruit ſnb Commodo, qui cùm ſenex iàm ſcriberet, potuerat certam memoriam babere Hadriani, & Aotonioi Pij temporum, Neronianis vicinorum, vt veriſimile ſit, temporibus Hadriani aliquos ſuper-

fuiſſe,

Digitized by Google

fuiſſe, qui Petrum viderant, quoſque Dionyſius, Irenæus, Clemens, Tertullianus, & cæteri, quos teſtes accerſemus, alloqui potuerunt. Clemens igitur Alexandrinus Petrum Romæ fuiſſe profitetur. In cuius nomine errauit noſter hic nouæ opinionis aſſertor, nàmq; eum, qui librum Hipotypoſeon ſcripſit Clementem Romanum Pontificem fuiſſe exiſtimat. Quare idcircò eius auctorem redarguit,quod non ſit tutum illius libris credere, quod ſuppoſititij ſint, quod falsò Clementi adſcripti, quod denique ab Hæreticis magna ex parte deprauati.

Qui ſi, vt falsò diſtinguere voluit inter duos Marcos, ſic verè duos Clementes diſtinxiſſet, non vtique in tam manifeſtum incidiſſet errorem. Duo ſiquidem Clementes fuerunt, alter Romanus, & Petri diſcipulus, qui librum ſcripſit recognitionum, apud quem nihil eorum reperitur, quæ perſuaſor citat, nec eius nos opera ab Hæreticis, potiſſimùmque Eunomianis in quibuſdam, quæ ad dogmata ſpectant, corruptos negamus. Alter Alexandrinus præceptor Origenis, qui cum alia plurima, tùm eum, quem iàm diximus librum compoſuit, ab Hieronymo latinè informationum appellatum. Quod opus, (ſicut & alia eiuſdem, extant enim etiam ad hanc diem complura accuratè latinè edita) non corruptum fuiſſe mihi perſuadeo. Nàm cùm id affirmare voluiſſet Ruffinus, in opere, quod inſcripſit de adulteratione librorum Origenis, eo potiſſimùm argumento, quod nequaquam illi credibile videretur, eruditum adeò, Catholicorumque virum, vel ſibi contraria ſenſiſſe, vel ea, quæ de Deo credere impium eſt, ſcripta reliquiſſe. Hieronymus Apolog.2. contra Ruffinum, in hæc ferè verba reſpondet: Si conceditur, vt quicquid in libris omnium reperitur, ab alijs corruptum ſit, nihil eorum erit, quorum fertur nominibus.

Et infrà: Et quomodò (inquies) in libris eorum vitioſa nonnulla ſunt, ſi me cauſam vitiorum neſcire reſpondero, non ſtatim illos Hæreticos iudicabo. Fieri enim poteſt, vt vel ſimpliciter errauerint, vel alio ſenſu ſcripſerint, vel a librarijs imperitis eorum paulatim ſcripta corrupta ſint, vel certè antequam in Alexandria, quaſi dæmonium meridianum, Arrius naſceretur, innocenter quædam, & minùs cautè locuti ſunt; & quæ non poſſunt peruerſorum hominum calumniam declinare.

Cum Hieronymo igitur non modò Clementis Alexandrini ſcripta adulterina non eſſe opinor, ſed eo magis illis fidem adhibendam puto, quod Alexandrinus patria, nec ità multum diſtans à Marci Euangeliſtæ temporibus, ea, quæ ſcripſit, ab illis potuit accepiſſe, qui rebus geſtis interfuiſsent; ait verò: Cùm Petrus Romæ Euangelium diuulgaret, rogatum Marcum ea, quæ à præceptore dicebantur excepta publicaſſe. Quòd cùm intellexiſſet Petrus tantùm abfuit, vt grauatè tulerit, vt etiam mirùm in modum ſit delectatus.

Ità ille libro 6. Hipotypoſeon, ex quo ſancti Marci Euangeliſtæ vitam deſcripſit in libro de viris illuſtribus diuus Hieronymus ſic: Marcus diſcipulus, & interpres Petri, iuxtà quod Petrum referentem audierat, rogatus Romæ à fratribus, breue ſcripſit Euangelium; quòd cùm Petrus audiſſet, probauit, & Eccleſiæ legendum ſua auctoritate tradidit: aſſumpto itaque, quod ipſe confecerat Euangelio, perrexit Ægyptum, & primus Alexandriæ Chriſtum annuncians Eccleſiam conſtituit; ità diuus Hieronymus.

Euſebius verò hiſtoriæ Eccleſiaſticæ libro 6. cap. 11. hanc rem ex eodem Clemente, ſic tradit: Cùm Petrus Romæ publicè prędicaſſet verbum Dei, & in ſpiritu expoſuiſset Euangelium, auditores rogaſſe Marcum, qui olim iàm ſectator ipſius fuiſſet, conſcribere ea, quæ ſciebat ab Apoſtolo prædicata, cùmque id factum Petrus poſtmodùm cognouiſſet, licèt fieri ipſum non iuſſerit, tamen factum non prohibuit.

Septimius Florens Tertullianus Afer apud Carthaginem Proconſulari patre natus acerrimi ingenij vir, quem Cyprianus martyr præceptorem ſolitus eſt appellare; & Lactantius in omni literarum genere peritum fuiſſe ſcribit; & Euſebius Cæſarienſis omnium Eccleſiarum ſermone, dùm adhùc viueret, celebratum aſſerit, in libro de præſcriptionibus aduersùs Hęreticos ſic ait: Si autem Italiæ adiaces, habes Romam, vndè nobis quoque auctoritas praſto eſt.

Fœlix Eccleſia, cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt; vbi Petrus paſſioni Dominicæ adæquatur; vbi Paulus Ioannis exitu coronatur; vbi Apoſtolus Ioannes poſtquàm in oleum igneum demerſus nihil paſſus eſt, in inſulam relegatur.

Idem in eodem libro paulò antè retulerat: Hoc enim modo Eccleſiæ Apoſtolicæ cenſus ſuos deferunt; ſicut Smyrnæorum Eccleſia habens Polycarpum ab Ioanne collocatum refert; ſicut Romanorum Clementem à Petro ordinatum edit, proindè vtique, & cæteræ exhibent, quos ab Apoſtolis in Epiſcopatum conſtitutos Apoſtolici ſeminis traduces habent.

Idem libro 4. aduersùs Marcionem: Videamus, inquit, quod lac à Paulo Corinthij hauſerint, ad quam regulam Galatæ ſint recorrecti: quid legant Philippenſes, Theſſalonicenſes, Epheſij, quid etiam Romani de proximo ſonent, quibus Euangelium & Petrus, & Paulus ſanguine quoque ſuo ſignatum reliquerunt.

Idem in libro de Baptiſmo: Nec quidquam refert inter eos, quos Ioannes in Iordane, & quos Petrus in Tyberi tinxit.

Idem in libro Scorpiaco aduersùs Gnoſticos: Vitas Cæſarum legimus, Orientem fidem Romæ primus Nero cruentauit, tunc Petrus ab altero cingitur, cùm cruci adſtringitur: tunc Paulus Ciuitatis Romanæ conſequitur natiuitatem, cùm illic martyrij renaſcitur generoſitate.

Caius quidam vetuſtus Scriptor, cùm Zephyrino Papa apud Euſebium hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lib. 2. cap. 24. aduersùs Proclum quendam cataphrygam Hæreticum diſputans, ità ait: Ego trophæa Apoſtolorum habeo, quæ oſtendam, ſiue enim via triumphali pergas, quæ ad Vaticanum ducit, ſiue via Hoſtienſi, trophæa eorum inuenies defixa,

qui-

quibus ea vtraque parte locatis Romana communitur Eccleſia.

Origenes libro 3. explanationum in Geneſim, ait; Petrus in Ponto, Galatia, Bythinia, Cappadocia, & Aſia diſperſis Iudæis prædicaſſe videtur, qui & circa vitæ finem Romæ conſtitutus capite demiſſo cruci eſt affixus, eo quod ipſe hunc paſſionis modum expetijſſet.

Diuus Cyprianus Epiſcopus Carthaginenſis martyrio, doctrina, & ſanctitate illuſtris epiſt. 3. lib. 1. ad Cornelium Papam ſcripta, de Eccleſia Romana loquens, ait: Nauigare inſuper audent ad Petri Cathedram, atque Eccleſiam Principalem, vndè Sacerdotalis vnitas exorta eſt.

Idem epiſtola 5. lib. 4. ad Antonianum: Factus eſt Cornelius Epiſcopus de Dei, & Chriſti eius iudicio, cùm nemo antè ſe factus eſſet, cùm Fabiani locus, ideſt, cùm locus Petri, & gradus Cathedræ Sacerdotalis vacaret.

Idem in libro de vnitate Catholicæ Eccleſiæ, de Romana Eccleſia loquens, ait: Qui Cathedram Petri, ſuper quam eſt Eccleſia fundata, deſerit, in Eccleſia ſe eſſe non confidat.

Petrus Archiepiſcopus Alexandrinus, quem Græci ſacrum Martyrem vocant, regulas quaſdam edidit ab illis obſeruandas, qui minùs conſtantes in martyrio fuiſſent, in earum nona ſic ait; Petrus Apoſtolus præfectus ſæpè captus, & coniectus in carcerem, & ludibrio habitus, poſtremò Romæ affixus eſt cruci: æquè etiam ſplendidiſſimus Paulus in eadem Vrbe capitali ſupplicio eſt affectus.

Dicamus cunctos hos præſtantiſſimos Patres mentiri: falſamque vulgi opinionem ſecutos, qui omnes antè pacem Eccleſiæ datam perſequutionum tempore vixere, cùm adhùc Petri prædicatio in memoria ſcripta permaneret.

Arnobius Afer Rhetor in eo opere, quod aduerſus gentes ſcriptum reliquit, libro 2. Enumerari, inquit poſſunt atque in vſum computationis venire ea, quæ in India geſta ſunt, apud Seras, Perſas, & Medos, in Arabia, Ægypto, Aſia & Syria apud Galatas, Parthos, Phrygas, in Achaia, Macedonia, Epiro, in Inſulis, ac Prouincijs omnibus, quas ſol Oriens, atque Occidens luſtrat, ipſam denique apud dominam Romam; in qua cum homines ſint Numæ regis artibus, atque antiquis ſuperſtitionibus occupati, non diſtulerūt tamen res patrias linquere, & veritati coaleſcere Chriſtianæ: viderunt enim curſum Simonis Magi, & quadrigas igneas Petri ore difflatas, & nominato Chriſto euanuiſſe; viderant; inque, fidentem dijs falſis, & ab eiſdem metuentibus proditum pondere præcipitatum ſuo cruribus iacuiſſe præfractis: poſt deindè Prælatum Brundum cruciatibus, & pudore defeſſum ex altiſſimi culminis ſe rursùm præcipitaſſe faſtigio: quæ omnia vos geſta neque ſcitis, neque ſcire voluiſtis, neque vmquam vobis neceſſaria indicaſtis, ac dum veſtris fiditis cordibus, & quod Typhus eſt, ſapientiam vocatis, dediſtis circumſcriptoribus locum.

L. Cælius Lactantius Firmianus Arnobij Diſcipulus Rhetor etiam, & declamator egregius, qui in poſtrema ſenectute Criſpum Cęſarem Conſtantini filium liberalibus diſciplinis erudiuit, vir omnium Chriſtianorum diſertiſſimus in libro 4. de vera ſapientia ad Conſtantinum maximum Auguſtum ſcribens capite 21. ſic ait: Diſcipuli verò per Prouintias diſperſi fundamenta Eccleſiæ vbique poſuerunt, facientes & ipſi in nomine Magiſtri Dei magna, & penè incredibilia miracula, quia diſcedens inſtruxerat eos, virtute, ac poteſtate qua poſſet nouæ annuntiationis ratio fundari, & confirmari: ſed & futura aperuit illis omnia, quæ Petrus, & Paulus Romę prędicauerunt: & ea prędicatio in memoriam ſcripta permanſit, in qua cum multa alia mira, tum etiam hoc futurum eſſe dixerunt, vt poſt breue tempus immitteret Deus regem, qui expugnaret Iudæos, & Ciuitates eorum ſolo adæquaret: ipſos autem fame ſitique confectos obſideret: & paulò poſt, itàque poſt illorum obitum, cum eos Nero interemiſſet, Iudæorum nomen, & gentem Veſpaſianus extinxit, fecitque omnia quæ illi futura prædixerant.

Euſebius Cæſarienſis Epiſcopus vir in diuinis ſcripturis eruditiſſimus, & in indaganda temporum veritate dirigendiſque rerum geſtarum ſeculis ità diligens, vt non erubuerit D. Hieronymus eius Chronicum multis etiam in fine additis interpretari, lib. 2. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 13. de Petro Apoſtolo, & Simone Mago loquens. Hunc igitur, inquit, talium malorum patrem, & opificem Simonem per id temporis malitioſa illa potentia, honeſtique hoſtis, & humanæ ſalutis inimica tamquam magnum eximiorum, ac diuinorum Apoſtolorum aduerſarium producens ad Vrbem maximam ire compulit Romam; vt ibi potentiſſimis athletis Domini, ac Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti Apoſtolis in hoc ipſum ab eo ſubrogatis, obſiſteret: Verùm diuina virtus, & ſupra Cœleſtis gratia in maximo præcipuè certamine miniſtris ſuis opem ferens per illorum apparitionem, ac præſentiam accenſam mali flammam confeſtim extinxit, humiliataque per eos, ac deturbata quęuis ſublimitas, quæ ſe contra Dei potentiam extollebat.

Qua propter, nec Simonis obluctatio, nec cuiuſquam alteriùs illorum, qui tunc prodibant Apoſtolicis illis temporibus ſubſiſtere potuit. Veritatis enim ſplendor, ac diuinus ille ſermo, qui iampridem hominibus ob eorum ſalutem diuinitùs illuxerat, in omnique terra obtinebat, per Apoſtolos ſuos totius mendacij diſcuſſa caligine ex humanis mentibus cuncta vincens, ac ſuperans, ignorantię tenebras effugabat: prędictus vero magus confeſtim maius diuino quodam, & inopinato fulgore percuſſus, cęcitatem continuò malè ſanæ mentis incurrit, Qui poſtquam primum in Iudæa malitioſè contra Petrum Apoſtolum egiſſe deprehenſus fuerat, maximo, ac tranſmarino itinere ab Oriente ad Occidentem vſque profugit, eam dumtaxat fugam ad hoc ſatisfacturam ratus, vt animi ſui ſententia viueret.

Vrbem igitur Romam ingreſſus auxilio potentię eius, qui in hoc ſeculo pręſidet adiutus plurimum breui tempore conatus eius vſque

Digitized by Google

que adeò profeceruot, vt decreto ſimulacro cum alijs illic conſtitutis velut Deus ſit honoratus. Sed non in longum permanſit fraude quæſita diuinitas, eueſtigio namque ſub ipſo Claudij Principatu optima illa Dei omnium & homano generi amica prouidentia probatiſſimum omnium Apoſtolorum, & maximum fidei magnificeotia, & virtutis meritò reliquorum omnium Principem Petrum ad Vrbem Romam velut aduerſus humani generis communem perniciem repugnaturum deduxit; ducem quidem, & magiſtrum militię ſuę ſcientem diuina prælia gerere, & virtutum caſtra ductare: iſte adueniens ex Orientis partibus, vt Cœleſtis quidam negotiator, diuina munitus armatura, pretioſiſſimam ſpiritualis lucis negotiationem, & ſalutarem animarum lucem, ac doctrinam, prædicationem videlicet Regni Cœleſtis prædicans aduexit, ſalutariſque prædicationis verbo primus in Vrbe Roma Euangelij ſui clauibus ianuam Regni Cœleſtis aperuit. Igitur cum Romanę Vrbi clarum Verbi Dei lumen fuiſſet exortum, confeſtim Simonis vnà cum ipſo potentia extincta eſt, atque deſtructa: Sermo autem veritatis, & lucis qui per Petrum prædicabatur, vniuerſorum mentes placido illuſtrauit auditu, ità vt quotidiè audientibus eum nulla vnquam ſatietas fieret.

Idem libro eodem cap. 25. de Petri, & Pauli morte loquens ſic ſcribit. Igitur Nero vt apertum ſe hoſtem diuinitatis, pietatiſque profeſſus eſt, ipſorum priùs Apoſtolorum, quippè qui duces, & ſigniferi erant in populo Dei, expetit neces, Et Paulum quidem capite in ipſa Vrbe Roma truncauit; Petrum verò crucis patibulo condemnauit. Horum teſtimonium quærere extrinſecus ſuperfluum puto, cum rem geſtam inſignia, vſque in hodiernum, & ſplendidiſſima eorum monumenta teſtantur, illic enim cœmiteria habentur, in quibus Petri, & Pauli nuncupatio adhùc vſque obtinet.

Idem libro 3. de demonſtratione Euangelica capite quinto, ait, Petrus Romæ capite in terram verſo cruci affigitur, & Paulo caput abſcinditur.

Idem in chronico ſecundo anno Claudij: Petrus Apoſtolus natione Galilæus Chriſtianorum Pontifex primus, cum primum Antiochęnam Eccleſiam fundaſſet, Romam proficiſcitur, vbi Euangelium prædicans 25. annis eiuſdem Vrbis Epiſcopus perſeuerat.

Idem paulò poſt: Vltimo Neronis anno, primus Nero ſuper omnia ſcelera ſua etiam perſecutionem in Chriſtianos facit, in qua Petrus, & Paulus glorioſè Romæ occubuerunt.

Idem: Poſt Petrum primus Romanam Eccleſiam tenuit Linus annis 11.

D. Athanaſius Alexandrinus Epiſcopus in Apologia de fuga ſua: Petrus quoque, inquit, qui ob metu Iudæorum in latebris ſe habuit, & Paulus Apoſtolus in ſporta demiſſus, & ità fugiens, cum audiſſent oportere ſe Romæ martyrium ſubire, non abiecerunt eam profectionem, ſed potiùs cum gaudio abierunt.

D. Hieronymus, quo nemo fuit in hiſtoriarū veritate indaganda diligentior, in explicanda eloquentior, cautior in conferenda; ille qui modo hoc fabulam, modo illud confictum mendacium, vt erat veritatis aſſertor ingenuus, dicere non verebatur, ipſius nempè illus eſt; quæ de diuinis Scripturis teſtimonium non habent, eadem facilitate contemni qua probari; ipſius quoque in libro de viris illuſtribus: Baptizati Leonis, rurſuſque in Daniele, Belis Draconiſque fabula, hic ipſe Hieronymus, vt ſibi contrarius, vt malos ſecutus auctores in hac cauſa reprehenditur, vir certè vt omnibus latinis multorum iudicio pręferendus, ità fortaſſe cuiuis græco, iudicio, doctrina, & eloquentia comparandus.

Hic, quod ipſe in opere contra Iouinianum teſtatur, annis quadriogentis elapſis à Chriſti morte, iam ſenex ſcribebat, vt certum ſit ad id tempus, quo primo adoleſcens adhùc Romam venit à morte Petri; qui annis 35. poſt Chriſtum vixit, non plus annis trecentis fluxiſſe, vt ferè adhùc Romæ veſtigia mortis Petri impreſſa eſſent; cum igitur locum illum in epiſtola ad Galatas tractaret, quo ſe ſcribit Paulus in faciem Cephæ reſtitiſſe, ſic ait: Sunt qui Cepham non putent Apoſtolum, ſed alium de 70. Diſcipulis iſto vocabulo nuncupatum; & dicunt nequaquam Petrum à conuictu gentium ſe potuiſſe ſubtrahere, qui Centurionem Cornelium baptizauit, & infrà; maximè cum Lucas ſcriptor hiſtoriæ nullam huius diſſenſionis faciat mentionem, nec dicat vnquam Petrum Antiochiæ fuiſſe cum Paulo, & paulò poſt: Non mirùm eſt, inquit, ſi Lucas hanc rem tacuerit, cum & alia multa quæ Paulus ſuſtinuiſſe ſe replicat, hiſtoriographi licentia prętermiſerit, denique primum Epiſcopum Antiochenæ Eccleſiæ Petrum fuiſſe accepimus, & Romam exindè translatum, quod Lucas penitùs omiſit.

Poterat vel hic tantum locus ſilentium imponere cuilibet ſecus opinanti; ſed longè expreſſiora ſunt, quæ in libris de viris illuſtribus ſcripſit, vbi cum id tantum ageret, curaretque vir omnium diligentiſſimus, vt quæ de vno quoque certa erant, affirmaret, notaretque dubia, nequaquam ſit veriſimile, aut vulgi tantum opinionem, aut quod Petrus ait, doctas fabulas ſecutum: præſertim cum id nequaquam de Hieronymo dici poſſit, quod paſſim nunc in Theologos, nec ſatis ſcio an falſo iactant, non ſatis ſcilicet verſatum fuiſſe hominem in ſacris literis, vt conſequentia pugnantiaque non videret, ſic verò in libro de viris illuſtribus in vita beati Petri ait. Simon Petrus filius Ioannis Prouinciæ Galilææ vico Bethſaida frater Andreæ Apoſtoli, & Princeps Apoſtolorum poſt Epiſcopatum Antiochenſis Eccleſiæ, & prędicationem diſperſionis eorum, qui de circumciſione crediderant in Ponto, Galatia, Cappadocia, Aſia, & Bithynia, ſecundo Claudij anno ad expugnandum Simonem Magum Romam pergit, ibique 25. annis Cathedram Sacerdotalem tenuit vſque ad vltimum annum Neronis, id eſt 14. à quo & affixus cruci martyrio coronatus eſt, capite ad terram verſo, & in ſublime pedibus eleuatis, aſſerens ſe indignum, vt ſic crucifigeretur vt Dominus ſuus: & paulò poſt: Sepultus Romæ in Vaticano iuxtà viam triumphalem totius Orbis veneratione celebratur.

Idem in vita Pauli ait, Hic ergo Paulus

lus 14. Neronis anno eodem die quo Petrus Romæ pro Chriſto capite truncatus ſepultuſque eſt in via Oſtienſi anno poſt paſſionem Domini 37.

Idem in Clementis Papæ vita, Clemens de quo Apoſtolus Paulus ad Philippenſes ſcribens ait, cum Clementi, & cęteris cooperatoribus meis, quorum nomina ſcripta ſunt in libro vitæ quartus poſt Petrum Romæ Epiſcopus, ſi quidem ſecundus Linus fuit, & tertius Anacletus, tametſi plerique latinorum ſecundum poſt Petrum Apoſtolum putent fuiſſe Clementem.

Idem ſuper Eſaiam cap. 52. inquit. Clemens vir Apoſtolicus poſt Petrum Romanam rexit Eccleſiam.

Idem contra Luciferianos ſcribens ait, beatus Cyprianus ad Stephanum, tunc Romanæ Vrbis Epiſcopum, qui à beato Petro 27. fuit.

Diuus Ambroſius libro 3. capite 1. de Sacramentis, vtique ipſe auctor eſt nobis huius aſſertionis Petrus Apoſtolus, qui Sacerdos fuit Eccleſiæ Romanæ.

Idem ſermone 66. in natali Apoſtolorum Petri, & Pauli: Non enim ſine cauſa factum putemus, quod vna die, vno in loco, vnius tyranni tolerauere ſententiam, vna die paſſi ſunt, vt ad Chriſtum pariter peruenirent, vno in loco, ne alteri Roma deeſſet, ſub vno perſecutore, vt æqualis crudelitas vtrumque conſtringeret: dies ergo pro merito, locus pro gloria, perſecutor decretus eſt pro virtute, & in quo tandem loco martyrium pertulerunt in Vrbe Roma, quæ principatum, & caput obtinet nationum; ſcilicet vt vbi caput ſuperſtitionis erat, illic caput quieſceret ſanctitatis: & vbi gentilium principes habitabant, illic Eccleſiarum principes morarentur eſt.

Item oratione in Auxentium de Baſilicis tradendis poſt epiſt. 32.

Idem Petrus poſteà victo Simone cum præcepta Dei populo ſeminaret, doceret caſtimoniam, excitauit animos gentilium, quibus eum quærentibus Chriſtianæ animæ deprecatæ ſunt, vt pauliſper cederet, & quamuis eſſet cupidibus paſſionis, tamen contemplatione populi precantis inflexus eſt. Rogabatur enim, vt ad inſtituendum, & confirmandum populum ſe reſeruaret: Quid multa? nocte muro egredi cępit, & videns ſibi in porta Chriſtum occurreret, Vrbemque ingredi, ait: Domine quò venis? reſpondit Chriſtus, venio iterùm crucifigi: Intellexit Petrus ad ſuam crucem diuinum pertinere reſponſum, Chriſtus enim non poterat iterùm crucifigi, qui carnem paſſione ſuſceptæ mortis exuerat, quod enim mortuus eſt, mortuus eſt ſemel, quod autem viuit, viuit Deo: Intellexit ergo Petrus, quod iterùm Chriſtus crucifigendus eſſet in ſeruulo; Itàque ſponte remeauit, interrogantibus Chriſtianis reſponſum reddidit; ſtatimq. correptus per crucem ſuam honorificauit Dominum Ieſum: Simonem autem à Petro in Vrbe Roma victum, cum ex ipſo Ambroſio in pręcitato ſerm. 66. tum ex communi ſcriptorum omnium ſententia planiſſimè conſtat.

Rufinus Presbiter Aquileienſis Diui Hieronymi contemporaneus in inuectiua contra eundem Hieronymum ait, Petrus per 24. annos Romanæ Eccleſiæ præfuit.

Optatus Afer Epiſcopus Milenitanus lib. 2. contra Donatiſtas: Ignorantia tibi adſcribi non poteſt, & infrà. Igitur negare non potes ſcire te in Vrbe Roma Petro primo Cathedram Epiſcopalem eſſe oblatam, in qua ſederit omnium Apoſtolorum Caput Petrus (vndè Cephas appellatus eſt) in qua vna Cathedra vnitas ab omnibus ſeruaretur, ne cæteri Apoſtoli ſingulas ſibi quiſque defenderent, vt iam ſchiſmaticus, & peccator eſſet, qui contra ſingularem Cathedram alteram collocaret: Ergo Cathedra vnica, quæ eſt prima de dotibus, in qua ſedit prior omnibus Petrus, cui ſucceſſit Linus, Lino ſucceſſit Clemens, &c.

Epiphanius Salaminæ Cypriorum Epiſcopus contra Carpocratitas hæreſi 27. ait. Etenim in Vrbe Roma fuerunt primi Petrus, & Paulus Apoſtoli ijdem, ac Epiſcopi, deindè Linus, &c. & paulò infrà; Paulus poſtquam venerat Romam, in Hiſpaniam profectus eſt, Petrus verò Pontum, & Bithiniam viſitauit: & infrà; Qui ambo 12. Neronis anno Romæ mortui ſunt.

Ioannes Antiochenus Epiſcopus Conſtantinopolitanus ob eloquentiam Chryſoſtomus cognominatus, quo apud Græcos nemo eloquentior, nemo grauior, nemo conſtantior fuit, in commentarijs epiſtolæ ſecundæ ad Timotheum cap. 4. homilia 10. ait: Aiunt quidam hunc Linum ſecundum poſt Petrum Romanæ Eccleſiæ Epiſcopum fuiſſe, ità ille: Quo in loco verbum, aiunt, de quo tam multa verba perſuaſor facit, vt etiam ad grammaticos deſcendat, præter id, quod de te multis iam annis præterita aliter loqui non poterat Chryſoſtomus, patet etiam non ad Petri in Romana Vrbe ſacerdotium, ſed quod tunc agebat, ad Lini ſucceſſionem referendum eſſe; dubitarique non verum Linus ſecundus fuerit à Petro Romanæ Eccleſiæ Pontifex, ſed an vnus idemque ille eſſet, de quo Paulus in Epiſtola meminit, & is qui Pontifex Romanus fuit.

Idem in demonſtratione aduersùs gentiles, quod Chriſtus eſt Deus: Romæ, quæ inter alias Vrbes maximè regia eſt, omnibus poſthabitis, ad ſepulchra piſcatoris, & Coriarij currunt reges.

Idem homilia in Pſal. 48. Piſcator autem Petrus, quam virtutem eſt conſecutus, & Ciuitatem maximè regiam (Romam ſcilicet) occupauit, etiam poſt mortem reſplendet ſole clariùs.

Idem in commentarijs epiſtolæ ad Romanos cap. 16. homilia vltima ideſt 32. Ego, & Romam propterea diligo, tametſi, & aliundè queam illam laudare nempè à magnificentia, ab antiquitate, à pulchritudine, & multitudine, à potentatu, à diuitijs, & à rebus in bello fortiter geſtis, ſed relictis iſtis omnibus ob id illam beatam depredico, quod erga illos Paulus dum viueret, adeò fuit beneuolus, adeò illos amauit, coram diſſeruit, & poſtremò vitam apud eos finiuit, vndè & Ciuitas iſta hinc facta eſt inſignis, pluſquam à reliquis omnibus, & quemadmodum corpus magnum, ac validum, duos habet oculos illuſtres, ſanctorum videlicèt illorum corpora:

Non

Non ità cœlum ſplendeſcit, quando radios ſuos Sol ex ſe ſe dimittit, quemadmodum Romanorum Vrbs duas illas lampades, vbique terrarum effundens. Hinc rapietur Paulus, hinc Petrus; conſiderate, & horrete quale ſpectaculum viſura ſit Roma Paulum, videlicèt, repentè ex theca illa cum Petro reſurgentem in occurſum Domini ſurſum ferri. Qualem roſam Chriſto mittet Roma? qualibus coronis duabus ornatur Vrbs iſta? qualibus catenis aureis cincta eſt? quales habet fontes? Propterea celebro hanc Vrbem, non propter copiam auri, non propter columnas, neque propter aliam phantaſiam, ſed propter columnas illas Eccleſiæ. Quis mihi nunc dabit circumfundi corpori Pauli, affigi ſepulchro, videre puluerem corporis illius, quæ adhuc in Chriſto deerant, adimplentis? ſtigmata illius geſtantis: prædicationem Euangelij vbique ſeminantis? puluerem, inquam, oris illius, per quod Chriſtus locutus eſt, per quod lux emicuit quouis fulgore clarior, & vox exilijt dæmonibus, quouis tonitro terribilior, per quod beatum illud verbum locutus eſt: optabam anathema eſſe pro fratribus meis, per quod locutus eſt coram regibus, & non eſt confuſus, per quod Paulum didicimus, per quod Pauli dominum.

D. Aurelius Auguſtinus Epiſcopus Hipponen. libr. 2. contra literas Petiliani Donatiſtæ cap. 51. Verùm tamen ſi omnes per totum Orbem tales eſſent, quales vaniſſime criminaris, Cathedra tibi quid fecit Eccleſiæ Romanæ in qua Petrus ſedit, & in qua hodie Anaſtaſius ſedet?

Paulus Oroſius lib. 7. cap. 6. Tiberius, inquit, Claudius ab Auguſto Quartus Regnum adeptus eſt; manſitque in eo annus 14. exordio Regni eius Petrus Apoſtolus Domini noſtri Ieſu Chriſti Romam venit, & ſalutarem cunctis credentibus fidem fideli verbo docuit, potentiſſimiſque virtutibus approbauit, atque exindè Chriſtiani Romæ eſſe cœperunt: ſenſitque hoc collatum fidei ſuæ Roma beneficium.

Idem eodem lib. cap. 7. Primus Romæ Nero Chriſtianos ſupplicijs, & mortibus affecit, ac per omnes Prouincias pari perſecutione excruciari imperauit, Ipſumque nomen extirpare conatus; beatiſſimos Chriſti Apoſtolos Petrum cruce, Paulum gladio occidit.

Leo Papa ſermone primo de Apoſtolis, Beatiſſimus Petrus Princeps Apoſtolici ordinis ad arcem Romani deſtinatur Imperij, vt lux veritatis, quæ in omnium gentium reuelabatur ſalutem, efficacius ſe ab ipſo capite per totum mundi corpus effunderet, & paulò poſt; Iam populos, qui ex circumciſione crediderant erudieras: iam Antiochenam Eccleſiam, vbi primum Chriſtiani nominis dignitas eſt orta, fundaueras: iam Pontum, Galatiam, Cappadociam, Aſiam, atque Bithiniam legibus Euangelicæ prædicationis impleueras, nec aut dubius de prouentu operis, aut de ſpatio tuæ ignarus ætatis Trophæum Crucis Chriſti Romanis arcibus inferebas, quo te diuinis præordinationibus anteibant, & honor poteſtatis, & gloria paſſionis.

Beda in libro de ratione temporum: Petrus Apoſtolus cum priùs Antiochenam fundaſſet Eccleſiam Romam pergit, ibique 25. annis Cathedram tenet Epiſcopalem, id eſt vſque ad vltimum Neronis annum, & infrà. Nero primus ſuper omnia ſcelera ſua etiam Chriſtianos perſequitur, quorum eximios Romæ Petrum cruce, Paulum occidit gladio.

Idem in commentarijs prioris Epiſtolæ Catholicæ Petri cap. 5. in fine Salutat vos Eccleſia, quæ eſt in Babilone collecta, & Marcus filius meus: Babilonem typice Romam dicit. videlicèt propter confuſionem multiplicis idololatriæ; in cuius medio ſancta Eccleſia iam rudis, & perparua fulgebat iuxtà exemplum plebis Iſraeliticæ, quæ quondam parua numero, & captiuata ſuper flumina Babylonis ſedens abſentiam ſanctæ terræ deflebat, nec canticum Domini in terra aliena cantare volebat: & paulò poſt: Marcum autem filium ſuum Euangeliſtam dicit, qui eius in baptiſmate dicitur filius effectus. Vndè patet, quod priuſquam Marcum Alexandriam de Roma ad Euangelizandum mitteret, epiſtolam hanc ſcripſit; tempore autem Claudij Principis, & Petrus, & Marcus Romam venerunt, & ipſe Marcus deſcripto Romæ Euangelio ſuo Alexandriam miſſus eſt, vndè colligitur, quia epiſtolam hanc Petrus dum quæritur vbi vel quando ſcripſerit, locus erat Romæ, tempus Claudij Cæſaris.

Theophilactus Bulgarorum Pontifex cuius commentarios rectè, quis Chryſoſtomi epitomas dixerit, nihil enim ferè apud ipſum eſt, non à Chryſoſtomo ſumptum, nam eadem prorsùs repetit verba: corpus præterea Pauli, de quo æque, ac de Petro negat perſuaſor Romæ quieſcere, idem Chryſoſtomus ait, in ea actione, quam habuit contra obſeruantes Neomenias. Nuper, inquit, cum Paulum laudarem, non ſecus geſtiebatis, ac ſi ipſum vidiſſetis præſentem, & quidem corpus eius in regia Roma poſitum eſt.

Hi ſunt auctores, quorum fidei hæc veritas innititur; hos omnes redarguat neceſſe eſt, qui diu inclitam opinionem infirmare voluerit, iſtis obijcienda eſt ſacrarum literarum ignorantia, acta Apoſtolorum, & Petri Epiſtolas non ſatis diligenter euoluiſſe dicendi ſunt, quorum plerique, vel in Paulum ediderant commentarios, vel proprijs commentationibus Reipublicæ Chriſtianæ mirum in modum profuerunt, dicendi erunt temporum rationem non habuiſſe, qui vt nos qua quidque ætate geſtum eſt, ſciamus, labore, & diligentia ſua perfecerunt. Ad ſummum ea, quæ penè viderunt; dicendi ſunt ignoraſſe: Enimuerò ſi hoc temerarium, ſi omninò alienum à Chriſtiana moderatione eſt, ſi denique impium tot ſacris auctoribus fidem abrogare, diuinis libris, vt ſatis patuit, non aduerſantibus, eorum opinioni omninò eſt accedendum: Nec committendum eſt, vt vel odio in Romanum Pontificem, vel in mores Deo dicatorum hominum ſi fortaſsè à priſca ſeueritate diſceſſerunt, mendacij alicuius patrocinium aſſumamus; ſtudium magis omne, & cura ad id conuertenda ſunt, vt vel noſtris moribus caſtigatis cæteris exemplum vitæ eſſe poſſimus, cum pleroſque ſciamus aliquando labentibus, & pene iam euerſis Chriſtia-

norum rebus morum magis integritate, quam aduersùs peccantes contumelijs, & opprobrijs tuliſſe opem: Adhibenda eſt quidem ſeueritas orationis, pauló etiam incitatiores adhortationes habendæ, caſtigatio denique vehementior cum grauitate coniuncta, & hæc omnia, ſi ità priùs nos inſtituerimus, vt cum ardua, cum difficilia; denique cum Chriſtianæ religioni conſentanea nos oſtenderimus deſiderare, nobis ipſis pareamus decretiſque noſtris, ne cum vita pugnet oratio: Quod ij mihi facere videntur, qui non pia eruditione, ſed conuicijs, & maledictis libros referciunt, ſi enim index vitæ morumque eſt oratio, ſatis patet eos, qui mente effrenata, animoque præcipiti ad maledicendum feruntur, interius æſtu, tumultuque peſſimorum affectum laborare. Quam autem diximus nihil nobis illis perſuaſionibus perſuaſum eſſe, rationem quoque quare id dixerimus afferre neceſſe eſt.

CAP. II.

Quæ ab Hæreticis contra Petri ad Vrbem aduentum afferuntur, ſingillatim, & per capita diluuntur.

IN hoc libello grauiſſimis, certiſſimiſque, & in ſacra Scriptura fundatis rationibus varijs probatur, Apoſtolum Petrum Romam non veniſſe, neque illic paſſum, proindè ſatis friuole, & temerè Romanus Pontifex ſe Petri ſucceſſorem iactat, & nominat.]

[Liber hic duas habet particulas, quarum prior decem, & octo comprehendit perſuaſiones, quod Petrus numquam poſt Chriſti paſſionem Romæ fuerit, & quod Hieroſolymis, & non Romæ paſſus ſit.]

[Altera particula ſeptem habet cauillos, quibus Romana Curia illis perſuaſionibus occurrere conſueuit, quibus tamen viciſſim ſeptem correſpondent reſponſiones eos, non aliter, atque rudera quædam diſſipantes.]

Prima Perſuaſio.

CVm diligentiſſimè euoluerim, quotquot ad manum fuerant hiſtoricorum, ac Theologorum, eoſque non infimæ conditionis libros de aduentu Petri Romam, de paſſione, & auctore mortis ipſius, nihil aliud quam meras controuerſias illic reperire potui, cum nemini ferè cum altero ſatis conueniat, ſed quilibet ſuum proferat iudicium, vel hoc ſolo ſuſpectum, quod à cæteris diſſentiat omnibus, & vt paucos commemorem è multis. Quidam in exordio Imperij Claudij Petrum Romam veniſſe contendunt, quorum è numero eſt Oroſius hiſtoricus non triuialis. Quidam anno Claudij ſecundo, & illi ſunt Hieronymus, & qui ſuæ innituntur auctoritati. Quidam anno eiuſdem Imperij quarto; atque eſt liber ille, qui temporum hiſtorias, ceu faſciculo quodam comprehendit; præterea ab his omnibus diſſentit liber ille, qui ſanctorum vitas enarrat, & communiter, paſſionale, nominant. Is enim anno poſt paſſionem Chriſti 20. Petrum Romam applicuiſſe teſtatur, quod quidem annus tredecimus fuiſſet Imperij Claudij; ſimiliter quod annos mundi, & annos ab Vrbe condita recenſent, vſque ad aduentum Petri Romam, vel eius paſſionem quam mutuo pugnent, nemini obſcurum eſt, quàm enneades Antonij Sabellici, hiſtoriam Pontificum Platinæ, ipſumque Oroſium viderit. Quæ quidem diuerſitas, & ſi nil aliud eſſet teſtimonio, ſuſpectum tamen Petri Romam aduentum redderet, & falſam hanc probaret coniecturam, quod Petrus nunquam Romæ fuiſſet.

Quæ tamen adeò inoaluit, vt tot ſeculis, qui ei reclamare auſus fuiſſet, habuerit adhuc neminem: & parum abfuit ne Romanenſium aulicorum Tyrannis in fidei articulos eam retulerit, vt quod nulla ratione probari poteſt, ſola neceſſitate credi videatur: Accedit ad hoc licèt neuter hiſtoricorum cum altero ſentiat, tamen aduerſùs legem Chriſti quaſi ex compoſito omnes decertant, vt vel hoc vnum vanas eorum fabulas, ac deliramenta prodat, quod cum Paulo Apoſtolorum omnium in ſcribendo locupletiſſimo, cum Luca Euangeliſta ſimul, & Apoſtolicarum actionum hiſtoriographo inexcuſabiliter contendant, vt inferiùs liquidò probabitur, ſi nulla eſt ſacræ Scripturæ adſtipulatio qua id confirmari poſſit, & tam remota hiſtoria adeò confuſa eſt, & fallax, non ſtultè Petrum nunquam poſt Chriſti paſſionem Romæ fuiſſe creditur. Alioqui ſi illic eum aliquando fuiſſe verum eſſet, vero omnia, dicente Philoſopho; conſonarent: At diſſonante lege, diſſidentibus mutuo hiſtoricis, quis niſi emotæ mentis verum hoc aliquandò putauerit? Quãta ſit enim in tam vetuſtiſſimis rebus, tam remotæ hiſtoriæ fides argumento eſt Bartholomæus ille Platina, qui Romanorum Pontificum res geſtas deſcribens, ac multo etiam poſteriora iſtis tempora tractans, ſæpiùs conquæritur variationem hiſtoriæ, maiorum neglectum, temporum perturbationem, quibus diſtrictus nihil interea affirmare audet.

Nempè ſi Petrus Romanorum fuerat Epiſcopus, dicant, quem ſibi ſucceſſorem nominauerit, & quis in locum ipſius fuiſſet ſuffectus? Si Linum dixerint, Latinorum turba obiter reclamabit, quoue id probet, diem dicet, immò & Græcorum plurimi in hac cauſa Latinos non deſtituent; Chryſoſtomo in ſecundam ad Timothæum epiſtolam dicente, Hunc Linum aiunt quidam ſecundum poſt Petrum Romanæ Eccleſiæ Epiſcopum fuiſſe. Donatus verò Terentianus interpres, inquit, aiunt, vſurpatur de re incerta, quam nos dicimus eſſe falſam; Sin autem Clementi hic honor dabitur, quod multis placet, plures adhuc erunt, quàm id improbent, & hanc gloriam erga Linum reponant: Clemente non primo, nec ſecundo, ſed tertio gradu primum poſt Petrum ſtatuentes, deindè Pius ne Anicetum, vel Anicetus Pium præceſſerit? Vrbanus ſub Diocletiano ne, vel ſub Aurelio Antonino degerit? Cornelius ſub Gallo, an ſub Voluſiano, vel fortè Decio paſſus ſit? hiſtoria variat, vel aliquid certi de nec rebus definiri poteſt.

Nec

Nec mirum ſi & multo his poſteriora tempora, eorumque geſta adeò ſunt hiſtoricorum figmentis deprauata, vt nemini poſthac integrum ſit res grauiores eorum libris tueri, ſi quidem id mereretur, vt habet prouerbium, mendax, ne ſi vera tandem dixerit, ei credatur.

Porrò ſi nec Theologi eadem hic ſentiunt, falſitas exindè illorum emergit: Diſcordia enim in ſcriptoribus, vt dixit ille, teſtimonium eſt falſitatis: Immò Auguſtinus veritatem ex eo cognoſci docet, ſi ſcriptores concorditer in ea conuenerint, neque vnus diſſentiat ab altero, vel à pluribus plurimi. Et idem Auguſt. cum in multis alijs locis ad Hieronymum, & Fortunatum cum, & hic ad Vincentium de quorumlibet etiam ſanctiſſimorum hominum ſcriptis loquitur.

Hoc genus, inquit literarum ab auctoritate canonum diſtinguendum eſt, non enim ſic leguntur, tamquam ex eis ità teſtimonia proferantur, vt contra ſentire non liceat. Et nos Theologis dumtaxat in eiuſmodi rebus ex ſacra Scriptura non deducibilibus, & ex eorum varietate dubitabilibus credere non adſtringimur, ſed nec Eccleſiæ quidem, vt Thomas in quod libetis diſputat: Ea propter ad hunc modum ſermonem claudere licet, quod Petrus numquam poſt paſſionem Chriſti Romæ fuerit, de cuius aduentu illuc diuina ſcriptura ſilet, hiſtoria ſecum diuariat, Doctores minùs digni ſunt, quàm quibus hic credant; præſertim dum ità mutuo diſcrepent.

Diſſuaſio prima.

PRima igitur perſuaſio diuerſitati, quam inter auctores eſt, inniti videtur: Quæ argumentandi ratio parum valida eſt, quam plurima, quæ à præclariſſimis hiſtoricis memoriæ commendata ſunt, & ſanè quàm veriſſima, facillimè hac ratione falſa eſſe aut omninò ficta probarentur, cum nihil apud veteres hiſtoricos magis deſideretur, quàm temporum ratio, Cœterum nos nihil inter veteres Patres de Petri ad Vrbem aduentum diuerſum eſſe iam diximus, Quod ſi maximè eſſet, non tamen illico eſſet conſequens, falſum eſſe quod aſſerunt; Quot namque hiſtorias legimus quas qui ſcripſere, non omninò in temporibus conſentiunt, cum de rebus ipſis nulla ſit ambiguitas, & vt omittamus cætera Romana, Græca & Barbara in temporum rationibus mire diſcordantia; nonnè idem in ſacris hiſtorijs contigit? in quibus, quoniam neque Moſes, neque Ieſus naue, neque Samuel, neque Eſdras, neque auctores libri Regum, neque Euangeliſtæ, nec cæteri qui ſcripſerunt, aut olympiadibus, aut annis, aut alia ſimili ratione (vt Græci Latinique ſcriptores annotarunt tempora) varia deinceps de rerum geſtarum temporibus auctores, prodiderunt. In annis mundi conſtituendis, inter ſe ipſos Hebræi non conſentiunt. Ioſephus qui ab Orbe terrarum condito, vſque ad diluuium annos 1781. alias 2756. enumerat, ab Hebraicis biblijs diſſentit, quæ 1656. edunt.

Cùm his non conueniunt 70. interpretes qui antè diluuium omnes 2262. aliàs 2242. profitentur, multa annorum centenaria ſupra Hebraica biblia addentes. Qui etiam in generationibus poſt diluuium enumerandis, Cainam inter Arphaxad, & Sala interponunt, quem Lucas Euangeliſta cap. 3. commemorat, Hebræi non agnoſcunt. Moſen, ſcribit Tertullianus annis 300. antè Troiæ excidium fuiſſe; nongentis Lactantius, ducentis Euſebius, aliter alij. Quanta, bone Deus, in ſeptuaginta Danielis hebdomadibus interpretandis eſt ſcriptorum controuerſia? Aliter enim Africanus, aliter Hippolytus Portuenſis Epiſcopus, aliter Clemens Alexandrinus, aliter Origenes; aliter Tertullianus, aliter Apollinaris Laodicenus, aliter Euſebius, aliter Hieronymus ipſe in commentarijs in Danielem, earum myſteria & tempora interpretantur.

Poſtremò non minor de tempore mortis Ieſu Chriſti controuerſia eſt. Tertullianus, & qui illum ſecuti ſunt Lactantius, Oroſius, Paulus Diaconus, & alicubi, diuus Auguſtinus eum 31. ætatis anno mortuum ſcribunt. Ignatius, Auguſtinus alibi, Apollinaris, Victor Lemouicenſis Epiſcopus; & ex recentioribus Petrus comeſtor, Marianus Scotus, Rogerius Bacco, Ioannes de Muro, Nicolaus Lyranus, Paulus Burgenſis, Ioannes Lucidus Gallus, Petrus Piratus Veronenſis anno 33. Ioannes Chryſoſtomus, Niceta Græcus ſcriptor, Bedas; ex recentioribus Albertus Magnus, Gerlandus Hlotharingus, Ioannes de Monte Regio, Bernardus Mutinenſis, Campanus Nouarienſis, Paulus Epiſcopus Foroſempronienſis, Lucas Gauricus & alij 34. Irenæus vetuſtiſſimus auctor 40. alij, vt D. Auguſtinus tradit, 46. Quæ cum ità ſint, ſi perſuaſoris argumentatio vera eſſet, neque mundus creatus, neque Moſes vnquam fuiſſet, neque Danielis hebdomadæ veræ, neque Chriſtus paſſus eſſet, quia varia de his auctores prodidere. Quibus rebus nihil abſurdiùs excogitari poteſt.

Cùm igitur tam variæ ſint, tamque in multis diuerſæ ſententiæ, illud quidem fieri non poteſt, vt plus vna vera ſit, nec tamen contra neceſſe eſt, vt falſæ ſint omnes: quoniam non de re geſta, ſed de tempore tantum dubitari contigit. Id verò quod nos quærimus de prima Petri profectione ad Vrbem Romam, nihil habet controuerſiæ. Hieronymus namque, & Euſebius anno Claudij ſecundo: Oroſius per initia imperij eius veniſſe ſcribunt: quibus in verbis, quid contrarium ſit, non video.

Nam de faſce illo temporum à perſuaſore citato, & ſi is ego ſum, qui non libenter de ſcriptore aliquo grauiùs iudicare velim, cum omnes quoad ipſorum fieri poteſt, pro communi hominum vtilitate laborent: Illud tamen nunc cogor dicere, in faſce illo, non ordinis, non temporum, non denique veritatis vllam rationem haberi, & ſi ſingula exequi vellemus, in quibus peccaſſe conuincitur, doctis, vt opinor, ſuperuacuum videri poſſet, apud quos iam eiuſmodi de illo præiudicium factum eſt; vt quoſdam audierim, qui faſcem mendaciorum, non temporum appellarent. Picus certè in defenſione Origenis feſtiuè ſimul, & grauiter opus illud exagitat.

Nam de eo libro, qui ſanctorum vitas con-

continet, à perſuaſore citato, ſuperfluum eſt omninò loqui; cum & ſi in tempore non nihil variet, tamen non ideò res ipſas geſtas falſas eſſe neceſſe ſit. Eiuſmodi igitur auctori, ſiquis in temporum ratione, fidem habere voluerit, per me habeat, licet nos certè æmulos non habebit, cæteri verò qui poſteriùs ſcripſere, & quos perſuaſor hic citat, Sabellicus, Platina, & alij, ab Hieronymo, Euſebio, Oroſioque ne latum quidem vnguem diſſentiunt, vt vbi mirus ſit auctorum nemine diſſentiente, conſenſus, vbi hic noſter potiſſimum ſuper eorum diſſenſione innitebatur. Imprudens igitur eſt argumentatio, vt ſiqua fuerit inter auctores in annorum ſupputatione diſcordia quiſquam ob eam rem auſit affirmare Petrum nunquam Romam veniſſe.

Nam quod Perſuaſor ait; ſi Petrus Romanorum fuit Pontifex, dicant quis in locum ipſius ſit ſuffectus. Nihil eſt quod faciliùs explicare poſſim, Clementem enim dicam; & eo potiſſimùm auctore, qui proximus fuit temporibus Apoſtolorum Tertulliano inquã, in libro de præſcriptionibus aduerſus hæreticos. Qui cum aliquot Apoſtolicos viros enumeraſſet (ſic enim ipſe Diſcipulos Apoſtolorum nominat) qui præceptoribus in Pontificatu ſucceſſiſſent, ordinatum ſcribit à beato Petro Clementem Romanum Epiſcopum. Chryſoſtomus quoque in eo loco epiſtolæ ad Timotheum, quem citauimus; Aiunt, inquit, ſecundum à Petro Linum fuiſſe Romanum Pontificem, ſciens ſcilicet priorem illo fuiſſe Clementem. Hieronymus porrò in Petri, & Clementis vitis, nihil affirmat, pleroſque tamen Latinorum ait, Tertulliano acceſſiſſe, alibi tamen Clementem Petro ſufficere videtur. Damaſus in Petri, & Clementis vitis disertè Petrum, Clementem ſucceſſorem ſuum in Epiſcopatu deſignaſſe ſcribit: quod infrà latiùs aperiam: Enimuero ipſemet Clemens in epiſtola ad Iacobum Epiſcopum Hieroſolymitanum, ſi illam recipere velimus, illud ipſum quod Tertullianus, & Damaſus ſcribunt, affirmat, demùmque totidem ferè verbis repertum eſt à Simeone, quem Græci Metaphraſten vocant.

Addamus præterea Eucherium Epiſcopum Lugdunenſem, qui eadem ætate, qua Auguſtinus vixit, non minùs celebrem eloquentia, quàm ſanctitate, qui in epiſtola ad Valerianum ait: Clemens vetuſta proſapia Senatorum, atque etiam ex ſtirpe Cæſarum omni ſcientia refertus, omniumque liberalium artium peritiſſimus, ad hanc iuſtorum viam tranſijt, itàque in ea excellenter effloruit, vt Principis quoque Apoſtolorum ſucceſſor extiterit.

Nec in hac parte Græci à Latinis diſcrepant; etiam ſi aliqui dixerunt, in exercendo pontificatu, Linum, Cletumque præceſſiſſe; ſiquidem omnes conſentiunt, viuente adhuc Petro, qui ferè toto tempore ſui pontificatus abſens fuit, illos Romanæ Eccleſiæ curam geſſiſſe. Mortuo deindè Petro, Clementem qui ab illo deſignatus fuerat, ſucceſſiſſe. Hoc Rufinus in prohemio interpretationis ipſiuſmet Clementis recognitionum, compluresque alij affirmauere.

Quod ſi daremus neſcire nos, quis Petro ſucceſſerit, num idcirco ſtatim ſequeretur Petrum Romæ non fuiſſe? quæro quis locus hic ſit argumentandi, aut qualis ſit hæc obiectio, quam ſi conceſſerimus, nihil tamen inferior cauſa noſtra futura ſit? quod rurſus dicemus de illa nominum Pontificalium congerie, de quorum temporibus dubitat Perſuaſor noſter. Quam tamen nos in hiſtoria Eccleſiaſtica noſtra concluſimus.

Cæterùm vt totam hanc controuerſiam expediamus, quæ de prima Romanorum Pontificum ſucceſſione alibi ſcripſimus, hic ſubijcere commodum erit.

De ordine ſex Pontificum Romanorum, qui primi eam Eccleſiam gubernarunt.

Cùm de Lini, Cleti, Clementis, Anacleti, & Euariſti, qui poſt Petrum Apoſtolum Romæ Pontifices numerantur ſucceſſione, diuerſæ admodum veterum ſcriptorum ſententiæ ſint, alijs ſucceſſores Petri, alijs verò Petri in Eccleſiæ gubernatione ſocios, & coadiutores eos appellantibus, alijs etiam Cletum pro Anacleto accipientibus, eorumque ſeriem, alterum alteri variè præponendo enumerantibus: conſtitui, hoc loco vbi perſuaſor hanc mihi obtulit occaſionem, breuiter de hac re verba facere, & quid vnuſquiſque veterum ſcripſerit demonſtrare.

Vt rebus his accuratè explicatis, ex ſingularum inter ſe collatione, quæ verior, & probabilior ſententia fuerit intelligatur. Varia enim hæc ſucceſſio Pontificum apud eos eſſe videtur, qui de ea ſcripſerunt, quam diuerſis ſuis opinionibus ambiguam reddunt. Ego tamen probabiliorem ſequutus opinionem, quæ Damaſi Papæ eſt, reliquas omiſi. De quibus omnibus nunc diligenter diſputabo: vt ſingularum fundamentis, & auctoribus cognitis, vniuſcuiuſque ratio intelligatur, probabiliorque cæteris ſuſcipiatur: cum veritas vna fuerit.

In his enumerandis opinionibus à vetuſtiſſima, quæ Irenæi eſt incipiam. Is lib. 3. cap. 3. aduerſùs hæreſes ſuorum temporum, hanc rem ità tradidit: Fundantes & inſtruentes beati Apoſtoli Petrus, & Paulus Eccleſiam, Lino Epiſcopatum adminiſtrandæ Eccleſiæ tradidere.

Huius Lini, Paulus in his, quæ ſunt ad Timotheum epiſtolis meminit. Succeſſit autem ei Anacletus, poſt eum, tertio loco ab Apoſtolis Epiſcopatum ſortitur Clemens. Clementi ſucceſſit Euariſtus, & Euariſto Alexander, ac deinceps ſextus ab Apoſtolis conſtitutus eſt Xyſtus.

Hanc Irenæi opinionem ſequitur Euſebius, tam in chronico, quàm in libris hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. Qui poſt Petri mortem Linum annis 11. vel 12. deindè Anacletum annis 12. poſteà Clementem annis 9. demùm Euariſtum annis 8. vel 9. Romanos Pontifices enumerat.

In reliquis conuenit ſanctus Hieronymus in libro de viris illuſtribus, in vita ſancti Clementis Papæ, vtriuſque ſententiam ſequi videtur cum ait: Clemens quartus poſt Petrum Romæ Epiſcopus, ſiquidem ſecundus

Li-

Digitized by Google

Linus fuit, & tertius Anacletus, quamquam Tertullianus in libro de præſcriptione aduerſus hæreticos, diſertè Clementem à Petro Epiſcopum Romanum factum fuiſſe tradit. Idem Hieronymus lib. 1. aduerſus Iouinianum meliores auctores fortaſsè ſecutus Clementem ſtatim Petro ſubijcit.

Quod etiam facere videtur ſuper Eſaiam cap. 52. Optatus Afer Epiſcopus Mileuitanus libro ſecundo contra Donatiſtas,& qui ab eo accepit aduersùs eoſdem epiſtola 165. D. Auguſtinus, Irenæi, Euſebij, & Hieronymi ſententiam ex parte ſecuti videntur, nam & ipſi cum ijſdem Cletum Pontificem non agnoſcunt, verum in eo diſcrepant, & veritati magis (vt opinor) adhærent, quod Anacleto Clementem præponunt ſic: Petrus, Linus, Clemens, Anacletus, Euariſtus. D. Epiphanius lib. 1. Tom. 2. hæreſi 27. Petrum,& Paulum primos Romæ Epiſcopos facit. His Linum, Cletum, Clementem, & poſtremò Euariſtum ſubijcit.

In qua re ab Irenæo, & Optato differt, quod pro Anacleto Cletum habet, ab Optato vero, & Auguſtino tantum, quod eundem Cletum Clementi præponit. Sic autem ſcribit: In Vrbe Roma fuerunt primi Petrus, & Paulus Apoſtoli ijdem, & Epiſcopi, deindè Linus, deindè Clemens, qui contemporaneus fuit Petri, & Pauli.

Huius mentionem Paulus in epiſtola ad Romanos facit, & nemo miretur, quod antè ipſum alij Epiſcopatum aſſumpſerunt, cum ſub Apoſtolis hic fuerit contemporaneus Petri, & Pauli, nam & illi contemporanei Apoſtolorum fuerunt. Siue igitur, ipſis ſuperſtitibus, à Petro accepit impoſitionem manuum Epiſcopatus, & eo recuſato remoratus eſt, dicit enim in vna epiſtola ſua, ſecedo ab eo, erigatur populus Dei.

Hoc enim in quibuſdam commentarijs reperimus: ſiue poſt Apoſtolorum ſucceſſionem à Cleto Epiſcopo hic conſtituitur, non ità clarè ſcimus. Verumtamen etiam hic potuit ſuperſtitibus adhuc Apoſtolis Petro, & Paulo, alios Epiſcopos conſtituere; propterea quod Apoſtoli ſępè ad alias terras ablegabantur, propter Chriſti prædicationem.

Non potuit autem Vrbs Roma, ſine Epiſcopo eſſe; Paulus enim in Hiſpaniam profectus eſt: Petrus verò ſæpè Pontum, & Bithyniam viſitauit. Poſſibile eſt autem, poſtquam diſceſſit, ac recuſauit Clemens (ſi modo ſic factum eſt, rationem enim ſic in eo non decerno) poſteà, poſt obitum Lini, & Cleti, quorum vterque ad 12. annos Epiſcopatum tenuit, poſt ſanctorum Petri & Pauli obitum, qui contigit duodecimo anno Neronis, hunc rursùs coactum eſſe ad recipiendum Epiſcopatum.

Attamen Epiſcoporum Romæ ſucceſſio hanc conſequentiam habuit: Petrus & Paulus, Linus, Cletus, Clemens, Euariſtus, &c. Hæc Epiphanius. Latinorum quidam (vt idem Hieronymus eo loco tradit,) quorum primus eſt Tertullianus, ſecundum poſt Petrum Apoſtolum putant fuiſſe Clementem. Quos ipſe libro primo, vt dixi, contra Iouinianum, & in Eſaiam ſecutus eſt. Cùm illic ſcripſerit: Clemens ſucceſſor Apoſtoli Petri ſcribit epiſtolas, omnemque penè ſermonem ſuum de virginitatis puritate contexuit. Hic verò Clemens vir Apoſtolicus poſt Petrum Romanam Eccleſiam rexit.

Hos ex parte agnoſcit Ioannes Papa III. in epiſtola decretali ad Epiſcopos Germaniæ & Galliarum: Vbi ſi autem, inquit, Petrus Princeps Apoſtolorum adiutores ſibi adſciuit Linum, & Cletum, non tamen Pontificis poteſtatem, aut ſoluendi, aut ligandi normam eis tradidit: ſed Clementi ſucceſſori ſuo, qui Sedem Apoſtolicam poſt eum, & poteſtatem Pontificalem, tradente ſibi beato Petro Apoſtolo, tenere promeruit. Linus verò & Cletus miniſtrabant exteriora, Princeps autem Apoſtolorum Petrus, verbo & orationi inſiſtebat. Linum namque, & Cletum nihil vmquam legimus ex pontificali miniſterio, poteſtatiue egiſſe: ſed quantum eis à beato Petro præcipiebatur, tantum ſolummodo agebant. Illud inter Ioannem hunc, & Tertullianum, Latinoſque, quos citat diuus Hieronymus, & ipſum etiam Hieronymum diſcrimen eſt: quod quem illi Anacletum, hunc cum Epiphanio, & Damaſo, Cletum Ioannes vocat. Tertulliani & Ioannis Tertij ſententiam ſequitur, auctor ille qui Rufini nomine vulgatus eſt, quique libros 10. recognitionum Clementis è Græco in Latinum vertiſſe traditur, qui ait: Quidam requirunt quomodo Linus, & Cletus in Vrbe Roma ante Clementem fuerint Epiſcopi, cum ipſe Clemens ad Iacobum ſcribens, ſibi dicat à Petro docendi Cathedram traditam, cuius rei hanc accepimus eſſe rationem, quod Linus, & Cletus fuerunt quidem antè Clementem Epiſcopi in Vrbe Roma, ſed ſuperſtite Petro, videlicet vt illi Epiſcopatus curam gererent, ipſe vero Apoſtolatus impleret officium: ſicut inuenitur etiam apud Cæſaream feciſſe, vbi cum ipſe eſſet præſens, Zacheum tamen ab ſe ordinatum habebat Epiſcopum, & hoc modo vtrumque verum videbitur, vt & illi ſcilicet ante Clementem numerentur Epiſcopi, & Clemens tamen poſt obitum Petri docendi ſuſceperit ſedem. Idem propèmodum Marianus Scotus, antiquo in chronico, quod rudimentum nouitiorum dicitur, Sabellicus, & alij quidam recentiores referunt.

Quam etiam opinionem confirmare videtur Anaſtaſius Bibliothecarius, vel potiùs Damaſus Papa in vita ſancti Clementis, vbi ait: Hic ex præcepto beati Petri ſuſcepit Eccleſiæ pontificatum gubernandum, ſicut ei fuerat à Domino Ieſu Chriſto Cathedra tradita, vel commiſſa, quare in epiſtola, quæ ad Iacobum ſcripta eſt, qualiter ei commiſſa eſt à beato Petro Eccleſia reperies. Ideò Linus, & Cletus ante eum conſcribuntur, quia ab ipſo Principe Apoſtolorum ad miniſterium ſacerdotale exhibendum ſunt Epiſcopi ordinati.

Quamquam verò in libro de Romanis pontificibus, qui Damaſi nomine eſt publicatus, poſt Petrum ſtatim Linus, deindè Cletus, quarto loco Clemens, quinto Anacletus, ſexto Euariſtus relati ſint: id tamen ab Anaſtaſio Bibliothecario, qui & Damaſum ſuppleuit, vitas Romanorum Pontificum vſque ad ſua tempora ſcribens, & librum Damaſi multis de ſuo inſertis, quemadmodum Paulus Diaconus de Eutropio fecerat, non parum im-

immutauit,prçter Damaſi ſententiam factum fuiſſe oſtendam.

Nam vt ex Imperatorum, & Conſulatuum ſerie,quam in recenſenda Romanorum Pontificum ſucceſſione, religioſè admodùm Damaſus & integrè refert, liquet: quod Linus, viuente Petro, Epiſcopatum Romanum adminiſtrauit. Clemens Petro ſucceſſit, huic Cletus, poſtea Anacletus, deindè Euariſtus, demùm Alexander, vt ego etiam in meis chronicis, & in hoc libro rectè conſtitui. Quç ità eſſe, vt conſtet, Conſulum, & Imperatorum nomina, in meis Faſtis diligentiſſimè collecta ſubijciam; iiſque Damaſi verba apponam, vt ex vtriuſque rei collatione, magis res ipſa elucidetur. Ordo igitur Imperatorum, & Conſulum ſequens eſt.

Imperat. Cæſar Auguſtus, ſub quo natus eſt Ieſus Chriſtus.

Tib. Cæſar Auguſtus, cuius Imperij anno 19. Ieſus Chriſtus eſt crucifixus.

C.Cęſar Auguſtus Caligula quartus Romanorum poſt C. Iulium Cæſarem, Princeps.

Tib. Claudius Cæſar Auguſtus Germanicus in cuius Imperij anni ſecundi fine, cum ſanctus Petrus Apoſtolus Romam veniſſet, Cathedram ſacerdotalem, tam ſub eo, quàm ſub eius ſucceſſore Nerone, annis 25. tenuit, de quo ità ſcribit Damaſus: ſanctus Petrus ingreſſus eſt Vrbem Romam Nerone (alias Claudio Cæſare, qui & ipſe Nero vocatus eſt) ibique ſedit in Cathedra Epiſcopatus annis 25. Fuit autem temporibus Tiberij Cæſaris, Caij, Claudij, & Neronis. Martyrio verò cum Paulo coronatus eſt poſt paſſionem Domini anno 35. Ità Damaſus.

IMP. NERO CLAVDIVS AVGVSTVS CAESAR GERMANICVS.

Anni Chriſti.	Anni Imp.	Conſules Romani ſub Imperatoribus.		
56	1	Nero Cæſar Auguſtus	Vetus	
57	2	Saturninus	Scipio	*Linus natione Italus, ſedit an. 11. menſes 3. dies 12. Fuit tẽpore Neronis à Conſulatu Saturnini, & Scipionis, vſq; ad Capitonẽ, & Rufum Conſules, ità Damaſus Papa.*
58	3	Nero Cæſar II.	Piſo	
59	4	Nero Cæſar Auguſtus III.	Meſſala	
60	5	Apronianus	Capito	
61	6	Nero Auguſtus IV.	Lentulus	
62	7	Pætus	Turpilianus	
63	8	Celſus	Gallus	
64	9	Regulus	Rufus	
65	10	Baſſus	Craſſus	
66	11	Nerua	Veſtinus	
67	12	Paullinus	Teleſinus	
68	13	Capito	Rufus	*Hoc anno 3. Kal. Iulij Petrus, & Paulus occiſi ſunt. D. Hieronimus. Eodem anno Linus Epiſcopus martyrio coronatus 9. Kalen. Octobris Damaſus.*
69	14	Tracalus	Italicus	*Clemens natione Romanus, &c. Sedit annos 9. Fuit temporibus Galbee, & Veſpaſiani à conſulatu Tracali, & Italici vſque ad Veſpaſianum VII. & Titum (deeſt nota) V. Conſules, ità Damaſus Papa.*
		His Conſulibus 4. Idus Iunij Nero Imperator ſe ipſe interfecit.		
		Ser. Galba Imperator Cæſar Auguſtus.		
70	1	Ser. Galba Auguſtus II.	T. Vinius.	
		Imp. M. Saluius Otho Cæſar Auguſtus.		
		A. Vitellius Germanicus Imp. Auguſtus.		

IMP. CAESAR VESPASIANVS AVGVSTVS, ET TITVS CAESAR.

71	1	Veſpaſianus Auguſtus II.	Titus Cęſar.	
72	2	Veſpaſianus Aug. III.	Nerua.	
73	3	Veſpaſianus Aug. IV.	Titus Cęſ. II.	
74	4	Domitianus Cæſar II.	Meſſallinus.	
75	5	Veſpaſianus Aug. V.	T. Cæſar. III.	
76	6	Veſpaſianus Aug. VI.	Tit. Cæſar IV.	
77	7	Veſpaſianus Aug. VII.	Titus Cęſ. V.	*S. Clemens obijt Mar. 9. Kal. Decembris. Damaſus. Cletus natione Romanus &c. ſedit ann. 7. menſ. 1. dies 11. Fuit temporibus Veſpaſiani, & Titi, à Conſulatu Veſpaſiani VII. & Domitiani V. vſque ad Domitianum IX. & Rufum (deeſt nota) II. Conſules ità Damaſus.*
		Domitianus Cæſar V. ſuffectus.		
78	8	Veſpaſianus Aug. VIII.	Titus Cæſ. VI.	
79	9	Verus	Priſcus.	
80	10	Veſpaſianus Aug. IX.	Tit. Cæſ. VII.	

IMP. TITVS CAESAR VESPASIANVS AVGVSTVS.

81	1	Titus Cæſ. Aug. VIII.	Dom. Cęſ. VII.
82	2	Siluanus.	Pollio.

IMP. CAESAR FL. AVGVSTVS GERMANICVS.

Anni Chriſti.	Anni Imp.			
83	1	Domitianus Auguſtus VIII.	Sabinus.	
84	2	Domitianus Auguſtus IX.	Rufus II.	*S. Cletus obijt 6. Kalen. Maij vacauit Sedes dies 20. Damaſus.*
85	3	Domitianus Aug.X.	Sabinus.	*Anacletus natione Græcus, &c. ſedit annos 12. menſes 2. dies 10. Fuit tempore Domitiani à conſulatu Domitiani XI & Sabini vſq; ad Domitianum XVII. & Clementem Conſules. Damaſus.*
86	4	Domitianus Aug.XI.	Fuluus.	
87	5	Domitianus Aug.XII.	Dolabella.	
88	6	Domitianus Aug. XIII.	Saturninus.	
89	7	Domitianus Aug.XIV.	Rufus.	
90	8	Fuluus II.	Atratinus.	
91	9	Domitianus Aug.XV.	Nerua II.	
92	10	Traianus.	Glabrio.	
93	11	Domitianus Aug.XVI.	Saturninus.	
94	12	Collega.	Priſcinus.	
95	13	Torquatus.	Clemens.	
96	14	Domitianus Aug.XVII.	Clemens.	*S. Anacletus obijt 3. Idus Iulij vacauit ſedes dies 13 Damaſus.*
97	15	Valens.	Vetus.	

Euariſtus natione Græcus, &c. ſedit annis 12. menſis 10. dies 12. Fuit temporibus Domitiani, Neruæ, Traiani à conſulatu Valentis, & Veteris vſque ad Gallum, & Braduam Conſules. Damaſus.

IMP. NERVA CAESAR AVG.

98	1	Nerua Auguſtus III.	Rufus III.
99	2	Nerua Auguſtus IV.	Traian.Cæ.II.

IMP. CAESAR NERVA TRAIANVS OPTIMVS AVGVSTVS.

100	1	Senecio II.	Palma.	
101	2	Traianus Auguſtus III.	Fronto III.	
102	3	Traianus Auguſtus IV.	Pætus.	
103	4	Senecio III.	Sura II.	
104	5	Traianus Aug. V.	Maximus II.	
105	6	Suranus II.	Marcellus.	
106	7	Candidus II.	Quadratus II.	*S.Euariſtus occiſus 6. Kal. Nouemb. vac ſedes dies 17 Damaſus. Alexander natione Romanus &c. Fuit tempore Traiani, vſque ad Ælianum, & veterum conſules. Damaſus.*
107	8	Verus.	Cerealis.	
108	9	Senecio IV.	Sura III.	
109	10	Gallus.	Bradua.	
110	11	Palma II.	Tullus II.	
111	12	Criſpinus.	Orfitus.	
112	13	Piſo.	Bolanus.	
113	14	Traianus Auguſtus VI.	Africanus II.	
114	15	Celſus II.	Criſpinus.	
115	16	Haſta.	Vopiſcus.	
116	17	Meſſalla.	Pedo.	*S.Alexander Papa obijt 5. non. Maij vac. ſedes dies 25 cui ſubrogatus eſt Xyſtus. Damaſus.*
117	18	Ælianus.	Vetus.	
118	19	Niger.	Apronianus.	

His Conſulibus Traianus Imperator mortuus eſt.

Ex hoc ergo Conſulum, & Imperatorum indice à Damaſo Papa tam accurate obſeruato in Romanorum Pontificum annis, & temporibus recenſendis, ordo quem in deſcribenda hac ſucceſſione obſeruaui, ſatis manifeſtus eſt, quamquam ordinem ipſum à Dama-

Damaſo traditum, Bibliothecarius parum immutarit, Cletum Clementi præponendo; qui etiam cauee legendus eſt; cum multa allena, Damaſi libello interpoſuerit, quæ enarrare modò ſuperuacaneum eſt. His igitur omnibus conſtitutis, illud nunc ſupereſt, vt oſtendam ordinem à cæteris ſeruatum, minus probabilem eſſe: Tertullianì verò, & Damaſi, firmum, & legitimum. Quod diſcrimen ex Cleti, & Anacleti confuſione, item ex primaria Lini, & Cleti inſtitutione, Epiſcopique Romani Clementis ſucceſſionis ignoratione, accidiſse exiſtimo. Atque in primis ab Iræneo incipiam, quem Euſebius ſecutus eſt. Qui propter nominis ſimilitudinem, vel Cletum omiſerit, vel cum Anacleto confuderit: cum tam ex Damaſo, quàm ex Eccleſiaſtica traditione (quam omnibus auctoribus præpono) manifeſtè liqueat, Cletum ab Anacleto, nomine, patria, patre, rebus geſtis, mortis tempore, & die, diuerſum eſſe. Ille enim fuit natione Romanus, Æmiliani filius, ſub Veſpaſiano creatus, & initio Imperij Domitiani 6. kalen. Maij occiſus. Hic verò natione Græcus, patria Athenienſis, patre Antioco, nouiſſimis Domitiani temporibus tertia idus Iulij interfectus. Vetiuſque tamquam diuerſum celebrat. Quod ſi duo fuerunt Cletus, & Anacletos, totque annis ſinguli ſederunt, quot referuntur; profectò poſt Petri mortem nulla ratione rectè conſtitui poterunt, Linus, Cletus, Clemens, & Anacletus, cum 11. minimum anni ſuperfluant.

Irenæus igitur quamquam illis temporibus ſatis vicinus, aduena tamen, & Græcus, ex nominum ſimilitudine, falli potuit: ità vt Cletum, cum Anacleto confunderet, eoſque Clementi tamquam Pontifices præpoſuerit, quod illos à Beato Petro viuente, coepiſcopos; ſiue coadiutores ordinatos fuiſſe intellexerat. Sed neque Latinorum veterum, quos D. Hieronymus citat, ciuſdemque contrà Iouinianum, & in Eſaiam ſententia omninò ſequenda eſt, quamquam Clementem ſtatim Petro ſubijciant, tum quod etiam ipſi Cletum cum Anacleto confundant, tum etiam quod Linum poſt Clementem Epiſcopum faciant, cum ante Clementem obierit. Eadem ratione neque Epiphanij, neque Optati, vel Auguſtini opiniones (vt opinor) ſequendæ ſunt. Quamquam hi duo poſteriores veritatem magis attingerint, Clementem Lino ſubijcientes. Ioannis Tertij Papæ ſententia, quamquam ex parte vera, nequaquam omninò recta eſt, quod Linum, & Cletum Pontificatu Romano omninò excludat, quia ſi ità eſſet, numerus annorum Pontificatus Cleti ſuperflueret, quod eſt falſum. Multò minus Epiphanij, Bibliothecarij, Platinæ, & aliorum quorumdam ſententias ſequi debemus, qui Linum, & Cletum Petro poſtponunt, & Clementem vtriſque ſubijciunt, aſſeruntque B. Petrum Clementem quidē ſucceſſorem ſuū deſignaſſe; verum ipſum, cum omnium modeſtiſſimus eſſet, Linum, & Cletum ante coepiſcopos, ſiue coadiutores ordinatos, ſponte ſibi in tanto honore quamquam inuitos penè, ac reluctantes prætuliſſe, coegiſſeque vtrumque ante ſe munus Pontificatus obire, ne poſteris hæc principatus ambitio perniciosi exempli haberetur, tametſi eidem Petrus quaſi ex teſtamento ſucceſſionis locum tradiderit. Quæ ſi vera ſunt, quamquam ab Epiphanio, vt dubia referantur, aut pontificatuum tempore contrahere præter ſcriptorum ſententiam neceſſe eſt, aut vnus omninò excludendos vtrumq; verò eſt per abſurdum. Neque ego vmquam exiſtimarim Clementem onus ſibi à Petro impoſitum, vlla ratione recuſaſſe: præſertim, cum eius rei multa in alijs Ciuitatibus exempla haberet; neque tanti feciſſe malum, rudi adhuc, & ſimpliciſſima Chriſtiana pietate poſteriorum temporum exemplum, in ſuſcipiendo pontificatu, qui tum potius cruciatus erat, & maximè neceſſaria cauſa negligeret: ipſumque id parum conſideratè egiſſe oſtenderet, Lino ſibi, & Cleto ob eam potiſſimum cauſam præpoſitis, præſertim cum hoc à nemine vetuſto ſcriptore præter vnum Epiphanium, qui id dubitans dixit (quod ſciam) referatur: cum eiuſmodi inuentum renunciationis, tempore Cœleſtini V. Papæ tum primum confirmatum fuerit. Damaſi igitur eiuſdem Romanæ ſedis Epiſcopi, viri doctiſſimi, & diligentiſſimi, qui tam accuratè per Imperatorum, & Conſulum ſeriem breues Romanorum Pontificum vitas (Sancti Hieronymi rogatu) vſque ad ſua tempora conſcripſit, opinionem ſequi tutiſſimum exiſtimo: qui libris, archiuijs, epiſtolis, actionibus, reſcriptis & alijs vetuſtis Romanæ Eccleſiæ monumentis inſtructiſſimus, ante mille, & ducentos annos ex inſtituto hæc perſequutus eſt. Quod vero de ſacro miſſæ canone obijci poſſet, de Petro, Lino, Cleto, Clemente, &c nihil officit. Illic enim, vt coepiſcopi, & Petri coadiutores ei ſtatim ſubiunguntur, Clementi prælati, cum ante ipſum etiam ſine ſummæ tamen poteſtate Romanæ Eccleſiæ præfuerint. Linus igitur, quamquam omninò Papalem non habuerit auctoritatem cum ſub Petro vixerit, & duo ſimul ſupremi Pontifices eſſe non poſſint, vices tamen Petri in omnibus, eo abſente, Romæ egit tamquam Epiſcopus: non ita claro, & manifeſto adhuc tantæ poteſtatis, vſu, & munere. Ceterum quod ego Damaſi ſententiam ſecutus fuerim, apertè ex ſupra citato Conſulum catalogo, Damaſique verbis eidem adiunctis, liquet. Quam Damaſi, ex Turtulliano opinionem, D. Hieronymus contrà Iouinianum, & in Eſaiam, veteres illi, quos idem citat Latini, Ioannes Tertius, Epiphanius alicubi, Optatus, & Auguſtinus ex parte, Rufinus item, Marianus Scotus, & alij recentiores, ſequi voluiſſe omninò videntur: Sed ordinem ipſum, ex conſulatuum ignoratione, non omninò intellexiſſe.

Secunda Perſuaſio.

I Petrum Romam veniſſe in exordio, vel ſecundo, vel quarto Imperij Claudij Cæſaris, hoc eſt octauo, nono, vel vndecimo poſt paſſionem Chriſti anno dicentes, eorum in primis refellit opinio, qui Petrum in Oriente quinque, vel ſecundùm alios, ſeptem annis ſeſe continuiſſe, tandem Antiochiam diuertentem ſeptem annis in Epiſcopali ſede reſe.

reſediſſe, & in Ponto, Galatia, Bithynia, ac circumiacentibus Aſiæ prouincijs,aliquam moram eum feciſſe adſtruunt. Non enim ſi id verum eſſet, Romam venire, niſi poſt quatuordecim, aut quindecim annos, hoc eſt ſeptimo, vel octauo Claudij anno potuiſſet, Quibus patrocinatur geſtorum Apoſtolicorum ſcriptor Lucas cap. 15. controuerſia enim inter quoſdam de hæreſi Phariſeorum ex vna, & Paulum, ac Barnabam ex altera parte, de circumciſione, obſeruationeque legalium habita, eas ob res diſcutiendas, in Hieruſalem illi deſcenderunt, & factum eſt concilium Apoſtolorum, & ſeniorum, inter quos Petro primæ loquendi porrectæ ſunt partes, quanquam Iacobi Hieroſolymitanorum presbyteri ſententiæ omnes tandem ſubſcripſerint, eiuſque approbauerint oratiunculam.

Quæ res manifeſtat Petrum nondùm Romam diuertere potuiſſe, ſed vnà cum Iacobo, & quibuſdam alijs Hieroſolymis manſiſſe, vel fortè in partibus Iudeæ Chriſtum aliquandiù docentem Hieroſolymam tunc temporibus redijſſe. Et tamen multorum eſt opinio, Hieronymo ſuper Epiſtolam ad Galatas dicente, quod circiter decimum octauum annum poſt Chriſti in Cœlum Aſcenſionem, id factum fuiſſet. Quod facillimum eſt creditu, ſi quis modo ſeriem rerum ab Apoſtolis geſtarum diligentiùs examinauerit.

Cui ergo maior habenda fides, Lucæ ne Euangeliſtæ, qui rebus ab Apoſtolis factis, vel interfuerat ipſe, vel à Paulo Apoſtolo, cuius indiuiduus fuerat comes, & quo præſente hanc ſcripſerat hiſtoriam erat edoctus, an iſtis bellantibus mutuo hiſtoricorum, ac Thelogorum opinionibus? Quod ſi id neceſſario mihi dabitur, vt Claudij primùm nono, aut vndecimo Imperij anno Petrus Romam venerit, & ibidem vigintiquinque annis Epiſcopatum tenuerit, iam non à Nerone, ſed Veſpaſiano potiùs martyrium paſſus fuiſſet, quòd neminem adhuc vnquam vel dixiſſe, vel ſcripſiſſe comperi. Et hinc manifeſtarium eſt, ad nonum Claudij annum, Petrum Romam venire non potuiſſe.

Diſſuaſio Secunda.

Quod verò ad ſecundam perſuaſionem attinet, & ſi ſatisfacere poterant, quæ ſupra diximus, rursùs tamen quædam repetere non grauabimur. Ita à nobis digeſta ſunt Petri tempora, vt nouem annis poſt Chriſti mortem dixerimus eum in Iudæa, & finitimis Regionibus permanſiſſe. Demùm anno decimo ineunte, Hieroſolymis à fuga carceris profectum, Romam annua peregrinatione perueniſſe, anni ſecundi Claudij fine, Chriſti verò 44. ibique propè quadriennio fuiſſe. Inde edicto Claudij, Roma exire coactum, Hieroſolyma, mortuo Agrippa, redijſſe, vbi exequijs Beatæ Virginis, & Concilio Hieroſolymitano interfuit. Quæ temporum accurata, cèrtaque diſtinctio, totam vno ictu perſuaſionem ſecundam labefactat.

Mirifica deindè ſequitur perſuaſoris huius argumentatio, quoniam, inquit, anno duodecimo à Chriſti morte Hieroſolymis erat Petrus, patet illum non anteà Romam potuiſſe proficiſci. At verò iſtud nos non dicimus, neque dicet Hieronymus, qui & ſecundo Claudij anno Romam profectum, & Hieroſolymis duo de vigeſimo à Chriſti morte fuiſse ſcribit; vt niſi impudenter dicere velimus, Hieronymum ſibimet contrarium; neceſse ſit conſiteri, Roma Hieroſolymas reuertiſse.

Quod nos tunc accidiſse dicimus, cùm ab Vrbe expulſi fuere Iudæi, quanquam vt apertè in Pauli vita oſtendimus, annus ille Claudij quintuſdecimus à Chriſti Paſſione, non decimuſoctauus fuit, ſed faciamus eum etiam decimumoctauum fuiſſe, ſi Petrum Romæ quadriennio tantùm primum manſiſſe conſtituemus, nihil illa noſtræ ſententiæ annorum digeſtio oberit. Libertima porrò erunt nobis tempora de Petro iudicandi, à quintodecimo à Chriſti morte anno, vſque ad quintum, & trigeſimum. Nec enim vlla in Actis Apoſtolorum Petri mentio fit, poſt id tempus, in quo quæſtio incidit de circumciſione.

Quod verò legimus Petrum Romanum Pontificem annis vigintiquinque fuiſſe, miror quid in mentem venerit perſuaſori, opinari conſequens eſſe, illum eo interuallo, non alio in loco, quàm Romæ moram trahere potuiſſe. Quaſi minus futurus fuerit Romanus Pontifex, ſi quod Paulo contigit, cura omnium Eccleſiarum ſollicitaretur. At verò Petrum aſſiduum non fuiſſe Romę,Hieronymus quoque, quod paulò ante diximus, Epiphanius, & Sophronius teſtatur; ille enim vbi ſecundo anno Claudij Romam profectum dicit, & Cathedram annis vigintiquinque tenuiſſe, rurſùs autem in epiſtola ad Galatas quæſtionem illam de circumciſione, & congreſſum Petri, & Pauli Hieroſolymis, reijcit in annum duodeuigeſimum à Chriſti morte: cùm tamen quintuſdecimus meo iudicio ſit, ſextus ſcilicet ab eo, quo primùm Romam peruenerit. Nihil igitur obſtant ſacræ literæ, quin dicamus, & ſecundo Claudij anno Romam profectum, & octauo, Hieroſolymitano Concilio interfuiſse, & poſtremò Neronis,qui fuit à ſecundo Claudij, quintus & vigeſimus, actum in Crucem eſse.

Tertia Perſuaſio.

Denique quod ne nono quidem eiuſdem Imperij Claudij anno, illuc venire potuiſſet Petrus, Tranquillus in Claudio eſt auctor, qui Chriſtianos tunc temporis Roma fuiſse pulſos ſcribit; Claudius, inquit, Iudæos, impulſore Chreſto, aſſiduè tumultuantes, Roma expulit. Vbi Oroſius addubitat vtrùm contra Chriſtum tumultuantes Iudæos coerceri, & comprimi iuſſerit, an etiam Chriſtianos ſimul, velut cognatæ religionis homines voluerit expelli. Qui profectò ſi vel hiſtoriam rerum geſtarum ab Apoſtolis, vel ſaltem Paulinas legiſset Epiſtolas, non ambigeret Chriſtianos Iudæorum impietate, & verſutia Cæſarem, ac populum Romanum ad vindictam excitante, vnà cum eiſdem Roma expulſos fuiſse.

Quip-

Quippe vel Apoſtolo ad Romanos in epiſtola id teſtante: inter alios namque Chriſtianos, quos ſaluere iuſſerat, ſalutate, inquit, Priſcillam, & Aquilam adiutores meos in Chriſto Ieſu, qui pro anima mea ſuas ceruices ſuppoſuerunt, quos ſanè niſi Chriſtianos Apoſtolus nouiſſet, in Cathalogo ſalutandorum Chriſtifidelium, neutiquam repoſuiſſet; attamen quomodo Iudæus genere Aquila ille fuerat, quamuis in Chriſtum vnà cum coniuge crediderit, nihilominùs hunc tamen Lucas in Actibus Iudæum Ponticum nominat in hæc verba. Poſt hæc, inquit, egreſſus ab Athenis Paulus, venit Corinthum, & inueniens quemdam Iudęum nomine Aquilam Ponticum genere, qui nuper venerat ab Italia, & Priſcillam vxorem eius, eò quod præcepiſſet Claudius diſcedere omnes Iudęos à Roma, acceſſit ad eos, & quia eiuſdem erat artis, manebat apud eos, & operabatur; & nequis dubitet Chriſtianos eos fuiſſe, addit Lucas in calce capitis duodeuigeſimi dicens, Iudæus quidam Apollo nomine, Alexandrinus genere, vir eloquens, deuenit Epheſum, potens in ſcripturis, hic erat doctus viam Domini, & feruens ſpiritu loquebatur, & docebat diligenter ea, quæ ſunt Ieſu, ſciens tantùm baptiſma Ioannis, quem cùm audiuiſſet, Priſcilla & Aquila, aſſumpſerunt eum, & diligentius expoſuerunt ei viam Domini. Hæc Lucas ad verbum, & totum hoc caput declarat Priſcillam, & Aquilam Chriſtianos ex Iudæis factos, Roma vnà cum alijs expulſos fuiſſe.

Quod iterùm docent Paulinæ literæ, quas nouiſſimè iam vbi tempus reſolutionis ſuæ propinquauerat, ad vnice dilectum diſcipulum Timotheum ſuum miſerat, ſaluta, inquit, Priſcillam, & Aquilam: vnde non ſolùm Chriſtianos, ſed ſinceriſſimos quoque Chriſtianos eos fuiſse conſtat, vtpotè quos Apoſtolus data modo occaſione nunquam non ſalutabat. Nihil hic moror, quod Stapulenſis tam in hac ad Timotheum, quàm ad Romanos epiſtola innouat, verba Apoſtolica ad hunc modum exponens, ſalutat vos Priſcilla, & Acyla, vel Priſca, & Acyla, Origenem, Chryſoſtomum, Ambroſium, & tot doctiſſimos alios interpretes, immò & veterem ipſam traductionem, cui in hac parte Eraſmus nihil derogat, hic ſequi malo.

Quid reſtat igitur aliud dicere, quàm Petrum ad nonum vſque Claudij annum Romam non veniſſe. Qui enim illac veniri tunc potuerit, cùm cæteri omnes cùm Iudæi, tum Chriſtiani inde pellerentur, eoſque in tantum ſtomacharetur Roma; qui ſi poſthàc Romam aliquando venerit, ac vigintiquinque illic delituerit annis, Veſpaſiano eius imputaretur martyrium, quod de benigniſſimo erga omnes principe, credere nefas eſt, & nemo eſt omnium, qui hoc affirmare audeat.

Diſſuaſio Tertia.

Quod de exturbatione Iudæorum ab Vrbe Roma ſcribunt Lucas, & Tranquillus; nequaquam de ijs Chriſtianis, qui ex gentibus conuerſi eſsent intelligi debere, manifeſtis, vt exiſtimo, argumentis oſtendimus; quandoquidem, vt Tertullianus, cæterique teſtantur, primus Nero Chriſtianos pœnis affligi iuſſit, & tunc denique per tempora illius calamitatis meminerunt Chriſtianorum, Tacitus, Dio, & Tranquillus, cum ante nulla apud ipſos gentis noſtræ mentio ſit. Petrus verò Priſcilla, & Aquila, & quotquot gente erant Iudæi tam Chriſtiani, quàm Moſaicæ religionis cultores, quorum nulla tunc apud Romanos diſtinctio erat, Roma coacti ſunt diſcedere.

Quòd ſi edicto Claudij vtrique comprehenſi eſsent, poterat quidem Tranquillus, vel certè Lucas, vt Iudæos, ſic & Chriſtianos nominare. Cùm verò ego optimis argumentis conſtituerim, Petrum penè quadriennio ante Claudij edictum ad Vrbem acceſſiſse, indeque ſexto Claudij anno exactum fuiſse, cunctis, quæ perſuaſor attulit, factum ſatis eſse opinor.

Quod verò ipſe ait de Aquila, & Acyla, miror hominem non vidiſse, quod omnibus, & lippis notum, & tonſoribus eſt, vt Flacci vtar verbis, nihil illa inter ſe differre, & alterum Latinum, alterum Græcum eſse, cùm enim ſecundo nominis Aquilæ careant Græci elemento, ſimilem effectum, ſpeciemque eſse ſcribit Fabius eius, quod ſecundum eſt in nomine Acyla, quare quod nos dicimus Quintum illi *coyinton* Varrone quoque id atteſtante, in initio libri quinti de lingua Latina, vt patet apud Ioſephum de Cyrino, qui Quirinus eſt apud Latinos, licèt apud Lucam Cyrenius legatur, & apud Paulum in *coyarto*, qui eſt Quartus.

Perſuaſio Quarta.

Pergamus iam eo ordine oſtendere ne ad vigeſimum quidem annum poſt Chriſti paſſionem, vel in Cœlum aſcenſionem, Petrum Romam venire potuiſſe. Quod ex verbis Apoſtoli, à ſuſpicione apud Galatas ſeſe purgantis clariſſimum eſt: Dicit enim in ea, quam ad Galatas dedit epiſtola, non à quoquam hominum, ſed ſolo Chriſti munere Euangelicum miniſterium ſibi contigiſſe, & quod dixerat, ne cuiquam videretur falſum, probat, inquiens, poſt miraculoſam ſuam ad fidem Chriſti conuerſionem, non in Hieruſalem ad Apoſtolos eſſe profectum, ſed protinùs in Arabiam abijſſe, tandem iterato Damaſcum repetijſſe; & tum tertio loco primùm tribus reuolutis annis, Hieroſolymam videndi Petri gratia petijſſe: poſt quindecim autem dies, cùm Petrum, & Iacobum fratrem Domini vidiſſet, iterùm Hieroſolymis relictis, in partes Syriæ, & Ciliciæ deueniſſe.

Qui deindè aſſumpto Barnaba, & Tito, poſt integros quatuordecim annos rursùm Hieroſolyma redijt, quo Euangelium, quod in gentibus prædicauerat, cum his, qui videbantur columnæ conferret, & iterùm Petrum vnà cum Iacobo, & Ioanne illic reperit, & ſic certum eſt, totis illis ſeptemdecem annis Hieroſolymis, & in circumuicinis Regionibus Petrum ſeſe continuiſſe, nec vnquam Romam acceſſiſse. Additis enim quatuordecim annis, poſt quos Hieroſolyma reuerſus erat ad annos tres, quibus proximè poſt conuerſio-

nem

nem ſuam viſitauerat Hieroſolyma decem, & ſeptem anni proueniunt.

Demùm poſtquam Petrus aliquandiù citrà Paulum moraretur, Antiochiam veniens, in eum incidit, quem ille acerrimè illic obiurgauit, & eidem in faciem reſtitit, eò quod non rectè ambulaſset ad veritatem Euangelij, & ſimulationi non modò ipſe fuit obnoxius, ſed ad hanc alios quoque iam tum pertraxerit: Dixi, inquit, Cephæ coram omnibus, ſi tu cùm Iudæus ſis, gentiliter viuis, & non iudaicè, quomodo gentes cogis iudaizare? Inter quam reprehenſionem Petri, & priſtinam eorum ab inuicem diſeſſionem, aliquid temporis certè interuenerat. Ad hæc poſt Chriſti aſcenſionem, non mox Paulus Chriſtum agnouit, nimirùm qui dum Stephanus ſaxis obrueretur, enecareturque aſſiſtens, mortem ipſius in delicijs habuerat, dicitur enim Actorum cap. 7. Teſtes autem depoſuerunt veſtimenta ſua ſecùs pedes adoleſcentis, qui vocabatur Saulus, & ipſemet infrà cap. 22. ad Chriſtum queribundus loquitur; cùm funderetur ſanguis Stephani teſtis tui, ego aſtabam, & conſentiebam, & cuſtodiebam veſtimenta interficientium illum.

Vide quàm hoc tempus ab Aſcenſione Chriſti ad vſque obiurgationem Petri Antiochiæ à Paulo factam, facile viginti etiam annos ſuperet, quibus tamen Petrum certum eſt Romæ nondùm ire potuiſſe, quamuis nec poſteà vnquam illic fuerit. Verùm demùm hoc aduerſarijs quod Petrus anno vigeſimo Romam appuliſſet, iam ad tredecimum vſque annum Imperij Claudij ille aduentus prorogaretur. Quod ſi huc trahantur 25. anni, quibus Romanam moderatus eſt Eccleſiam, interim Veſpaſiani tempori eius mors irrogaretur.

Quod omnes omnium hiſtoricorum libri, vt falſiſſimum, auerſantur. Producamus huc Romanorum Imperatorum tempora, quo res fiat euidentior. Lucas Euangelij ſui capit. 3. anno Imperij Cæſaris Tiberij quintodecimo Chriſtum dicit verbum Dei prædicare incœpiſſe, qui tandem poſt tres annos, & aliquot menſes, prædicationis ſuæ mortem tulit, anno eiuſdem Imperij decimnoctauo, vel vltra, Tiberio, poſt paſſionem ipſius, anni tribus imperante, poſt hunc, C. Caligula annis tribus, menſibus decem, & octo diebus imperans, vita functus eſt. Claudius anno quartodecimo Imperij moritur. Nero totidem annos in Imperio expleſſe dicitur. Otho Saluius infrà nonagintaquinque dies Imperium alteri ceſſit. A. Vitellius octo menſibus imperauit; poſt hunc Veſpaſianus ſeſe Imperatorem præſtitit, ſub quo Chriſtiani pacificè Romæ degebant, nullis ab eo vexati perſecutionibus. Quæ igitur iniquitas in tam benigniſſimum Principem hanc reijcere iniuriam, tanquam ille Petri interfector aliquando fuerit.

Diſſuaſio Quarta.

Nec ita multum laborandum erit in quarta (vt iſte opinatur) perſuaſione, iam enim conceſſimus duodeuigeſimo poſt Chriſti mortem anno, vt Hieronymus ſcribit, vel quintodecimo, vt ego accuratè probaui, Petrum, Paulumque ſimul Hieroſolymis congreſſos. Illud verò mirum eſt, quod ait, certum eſt totis illis ſeptemdecem annis Hieroſolymis, & in confinitaneis Regionibus Petrum ſeſe continuiſſe, nec vnquam Romam acceſſiſſe; Vnde iſtud tibi adeò certum? opinor, Petrus dum claudum curaret, claudus ipſe euaſerat.

Qui non potuerit tot annorum ſpatio Antiochia Romam, rursùſque Roma Hieroſolyma proficiſci: quin etiam obiurgationem Pauli, quam iſte anno vigeſimo à Paſſione accidiſſe auguratur; ego verò 15. fuiſſe ſupra probaui, in alterum, & vigeſimum, ſi illi commodum ſit reijciemus (multa enim nos de iure noſtro concedere perſuaſori conſtituimus) nihil noſtræ oberit ſententiæ; qui Petrum ab octauo Claudij anno 15. ſcilicet Paſſionis Chriſti, vſque ad eius obitum Antiochiæ commoratum fuiſſe iam diximus. At ſi contentioſè agere animus eſſet, poteramus certè, vt Beda, ante primum Petri aduentum ad Vrbem omnia hæc accidiſſe contendere.

Poteramus etiam cum his, quos Euſebius recitat, alterum Cepham, alterum Petrum eſſe affirmare: quid quod Sophronius ille adeò laudatus à Hieronymo, Petrum etiam dicit ad Hiſpanias acceſſiſſe, nonne eodem itinere Romam profectum potuiſſemus aſſerere, quod ſe facturum Paulus ad Romanos ſcribit, attamen id omninò vitare eſt animus, quod tantoperè in alijs ducimus reprehendendum, cum perſpecta, ſcilicet, iamque cognita veritate luctari.

Accidit igitur hæc Pauli redargutio, non modò poſt id tempus, quo Petrus Roma profectus eſt Hieroſolymas, verùm etiam poſt ipſius Pauli cum Petro, Iacoboque pacti conuentionem, cuius cum Lucas non meminerit licentia (vt Hieronymus inquit) hiſtorici, mentio habetur in epiſtola ad Galatas. Hac igitur ratione, quod perſuaſori tantoperè iniquum videtur, nulla fiet Veſpaſiano iniuria, cautumque erit, ne eo nomine à quopiam tanti criminis expoſtuletur.

Perſuaſio Quinta.

Sub hæc neque tunc temporis, quando Paulus Romanis ſcripſerat, Petrum Romæ fuiſſe, hæc ipſa epiſtola ad Romanos porrecta argumento eſt, quam quidem ſatis longo tempore ab Apoſtolo non fuiſſe deſcriptam conſtat, in qua ipſa, vt Origenes meminit, omnibus numeris abſolutior fuerat, quàm dum Corinthijs ſcripſerit, & idcircò poſt vtramque ad Corinthios epiſtolam hanc ſcriptam fuiſſe contendit Origenes. Athanaſius verò, & poſt primam quoque ad Theſſalonicenſes, attamen alteram ad Corinthios, non mox poſt eam, quæ prior eſt, exarauit. Apoſtolus, ſiquidem in ea, quæ prior eſt, inceſtum quendam Corinthiorum Eccleſiæ ſeniorem, qui cum vxore patris rem habuerat, acriter taxat, & ex vnitate fidelium emancipandum præcipit, huncque ſpiritui maligno in poteſtatem tribuit, modo ſpiritus in diem Domini Chriſti Ieſu ſaluus fieret.

In

Digitized by Google

In altera verò, poſtquam ille reſipuit, ac admiſſum digna compunctione, atque pœnitudine defleuit, sursùm vnitati, membrorumque Chriſti communioni reſtitutus eſt. Ac tandem poſt miſſas ad Theſſalonicenſes literas, vbi iam tertio Corinthum venerat, per Phœbem Cenchreenſem fœminam ad Romanos epiſtolam direxit, in cuius calce multos fratrum nominatim ſaluere iubet, & qui pridem illius opera in Chriſtum crediderunt, & qui quapiam in eum dexteritate vſi ſunt. Tum qui Eccleſia illius antiſtites, ac ſeniores fuerunt, veluti Narciſum, Andronicum, Iuniam, Priſcillam, & Aquilam, qui igitur fieri potuit, ſi Paulus Petrum tunc Romæ fuiſſe credidiſset, vt digna hunc ſalutatione non dignaretur, cuius ille obſeruantiſſimus eſse, & nihil honoris ei non deferre pro ſua canicie, & Apoſtolatus honeſtate debuerat; ſed ineluctabilis hæc eſt ratio, Petrum Romæ tunc temporis non fuiſse.

Diſſuaſio Quinta.

Sequitur difficile illud, & ineluctabile argumentum, quod ad Romanos ſcribens Paulus, Petrum non ſalutarit, omninò parum vrbane, & ab officio diſcedens: ſiquidem tunc Petrus Romæ fuit. Quid verò? peccatum ne Pauli confitebitur, qui nec ad Hebręos ſcribens, nominatim Iacobum ſalutauit? ſed dicent neminem ibi ſalutari: fortaſſe etiam Pauli negabunt eſſe epiſtolam. At Paulus multas epiſtolas ſcripſit, quibus neminem ſingillatim ſalutauit; vt in duabus ad Corinthios, apud quos per annum, & ſex menſes manſerat; totidem ad Theſſalonicenſes, ad Galatas, ad Epheſios, ad Philippenſes, ad Coloſſenſes, ad Hebræos, ad Titum, priore ad Timotheum, ad Philemonem.

Quid igitur mirum, ſi in vna hac reliqua, ad Romanos data epiſtola, Petrum non ſalutauit? At dices, Eccleſiæ ipſius Doctores ſaluere iuſſit nominatim.

Alio igitur confugiendum eſt. Nec enim illud dicere audebimus, aut immemorem Paulum, aut ab eo Petrum contemptum. Fortaſſe per Phœbem miniſtram Eccleſiæ priuatim ſalutauit, aut priuatas Petro literas ſcripſit, quæ cum multis alijs Paulinis epiſtolis interciderunt. Sed nec iſta perſuaſori quadrabunt.

Cæterùm cum is confiteatur, poſt ſecundam ad Corinthios, prioremque ad Theſſalonicenſes epiſtolam, ad Romanos ſcriptam fuiſſe, cum iam tertiò Corinthum veniſſet, ipſe idem ferè nondùm ſoluit, qui antè implicuerat, quamquam rem ipſam non omninò aſſecutus fuiſſe videatur, quam nos breuibus expediemus. Illud enim ſcitu dignum, Paulum Neronis tempore multis annis poſt ſuam ex vrbana cuſtodia liberationem nouiſſimam eorum, quæ extant, epiſtolam ad Romanos ſcripſiſſe. Quam rem cognitu iucundam, nec ab vllo, quod ſciam, hactenùs probè cognitam, libenter hoc loco aperiemus. Cuius rei explicandæ occaſione, breuiſſime tempora, quibus Paulus ſingulas epiſtolas ſcripſit, exponemus. De eo verò tempore quo Paulus epiſtolam ad Romanos dedit, paucis agemus.

Quatuordecim ſuperſunt Pauli epiſtolæ, plures enim edidit, quarum quæ prima eſt ſcripta ad Theſſalonicenſes eam per Timotheum, Tichycum Diaconum, & Oneſimum Acoluthum cum Athenis eſſet miſit, anno ſalutis 50. quod ipſe cap.3. in ea epiſtola indicat. Actorum cap. 17.

Secundam ſcripſit poſteriorem ad Theſſalonicenſes, Corinthi agens, per Titum Diaconum, & Oneſimum Acoluthum anno Chriſti 51. Actorum 18.

Tertiam epiſtolam ſcripſit ad Galatas, Epheſi agens, anno ſalutis 53. Actorum cap. 19.

Quartam epiſtolam ſcripſit, priorem ad ad Corinthios per Timotheum ex Epheſo anno Chriſti 54. Act. cap. 19.

Quintam epiſtolam ſcripſit, priorem ad Timotheum ex Laodicea, cum Epheſo diſceſſiſset, antequam in Macedoniam traijceret, per Tichycum, anno ſalutis 54. Actorum cap. 20.

Sextam ſcripſit, poſteriorem ad Corinthios ex Troade, poſt reditum ex Macedonia, per Titum, anno ſalutis 55. Actorum capite 20.

Has porrò ſex ſcripſit, antè cuſtodiam, in qua tùm Hieroſolymis, tùm in Vrbe per quadriennium detentus eſt.

Romæ verò ex carcere, primum ſcripſit ſeptimam ad Epheſios per Tichycum Diaconum Epheſum proficiſcentem, anno Chriſti 59.

Primò ſcilicet cuſtodiæ Vrbanæ, cum biennio antè, poſt Claudij mortem, & Neronis Imperij initio, Petrus ad Vrbem reuerſus Romanam Eccleſiam conſtituiſſet, & Lino, Cletoque Epiſcopis ordinatis, per Occidentem iter ſuum prædicando inſtituiſſet.

Octauam epiſtolam ex eadem cuſtodia ſcripſit, poſteriorem ad Timotheum Epheſi agentem, qua eum ad ſe euocat, eodem anno quo ſuperiorem ad Epheſios.

Hanc porrò epiſtolam hoc tempore ſcriptam fuiſſe, & non, vt aliquot putarunt, paulò antè mortem quia ipſe dixiſſet tempus ſuæ reſolutionis inſtare, ex eo liquet, quod multarum rerum in ea mentionem facit, quæ manifeſtè pertinent ad ea tempora, quibus ex Gręcia nauigans Hieroſolymis caput eſt, & Romam miſſus, quales ſunt, Lucas eſt mecum ſolus, Tichycum miſi Epheſum, quem certum eſt ex epiſtola ad Epheſios miſſum in Aſiam, in hac prima Pauli captiuitate, & non vltima.

Item ſaluta Priſcam, & Aquilam, qui tunc erant Epheſi, Eraſtus remanſit Corinthi, Trophimum reliqui infirmum Epheſi, quamquam ipſe maximarum calamitatum preſſura exterritus, ſe breui à Nerone damnatum iri, & moriturum ſuſpicaretur, cum dixit, mortis ſuæ tempus inſtare, & poſteà abſolutus, ea verba quæ antè ſcripſerat non expunxit. Liber enim dimiſſus decennio ferè ſuperuixit.

Nonam porrò epiſtolam ad Philippenſes ſcripſit, cum Timotheo ad ſe, ex Epheſo reuerſo, per Epaphroditum anno Chriſti 60.

Decimam epiſtolam ad Coloſſenſes, paulò

lò antè eius liberationem, cum Timotheo ſcripſit per Tichycum Diaconum ad ſe ex Epheſo reuerſum.

Vndecimam ad Philemonem, per Oneſimum Philemonis ſeruum, cum ea quæ ad Coloſſenſes cum Timotheo ſcripſit, anno Chriſti 60.

Quo anno liber factus, Hieroſolyma rediturus, Timotheum ex Italia præmiſit, & ad Hebræos duodecimam epiſtolam dedit.

Tertiamdecimam ad Titum, ex Nicopoli epiſtolam ſcripſit, cum ex Aſia rediſſet, in Græciam, & Illyricum.

Qua ratione fit, vt in nulla epiſtolarum quas ex Vrbe ſcripſit, Petri mentionem fecerit, qui tum Roma aberat, nec ad eam quod ſciamus, vſque ad nouiſſimum Neronis tempus redijt, quo cum Paulo occiſus eſt.

Hæc porrò cuncta in viris Petri, & Pauli Apoſtolorum à nobis editis, firmiſſimis argumentis ex Actis Apoſtolicis, & iiſdem Pauli epiſtolis, antiquorum probatiſſimorumque patrum teſtimonijs promptis copioſè probauimus.

Nouiſſimam verò eorum quæ extant, id eſt decimamquartam epiſtolam; Paulus ad Romanos ſcripſit, ex Cenchreis Corinthiorum portu, per Phœben miniſtram eius Eccleſiæ, anno circiter quinto, vel ſexto, poſtràquam ex Vrbe diſceſſerat, Chriſti verò circiter 65.

Nàm liber factus, ex Italia, per Ionium in Græciam nauigans, Chriſti Euangelium per Illyricum, Epirum, Achaiam, Inſulam Cretam vbi Titum Epiſcopum conſtituit, Aſiam, Syriam, poſtremò Hieroſolymis, & in Iudæa prædicauit. Indè ex Syria Euangelizando ſoluens, confirmatis Aſianis Eccleſijs, in Macedoniam, Epirum, & Illyricum redijt.

Nicopoli ad Titum ſcripſit epiſtolam. Indè Corinthum tertiò petijt, vbi ad Romanos epiſtolam, vt ſupra diximus, fecit, circiter Neronis Imperij annum nonum, vel decimum, quod cum multis argumentis, tunc hoc maximè probatur.

Certò certiùs eſt, eam epiſtolam ex Cenchreis Corinthiorum portu ſcriptam fuiſſe. At bis tantum Paulum Corinthi fuiſſe in Actis Apoſtolorum legimus, in primis cum ex Aſia primum diſceſſit, Actorum 17. vbi annum, & ſex menſes manſit: iterùm Epheſo digreſſus, Actorum cap. 20. paulò antè captiuitatem ſuam, vbi per tres menſes fuit. Indè diſcedens, in Iudæam redijt, vbi captus, Romamque miſſus, biennio in carcere ſub Nerone manſit.

Indè liber factus, in Syriam redijt, mox in Græciam reuerſus eſt quod ipſe indicat cap. 15. ad Romanos, eo conſilio, vt Hieroſolymis inuiſis, Romam rediens, in Hiſpaniam nauigaret. At Corinthum tum tertiò venit.

Prima porrò vel ſecunda vice quibus Corinthi fuit, epiſtolam illam eum non ſcripſiſſe, magno eſt teſtimonio, quod Aquilam, & Priſcam quos Corinthum primum accedens inuenerat, Italia cum Petro à Claudio pulſos, honorificentiſſimo elogio tanquam de ſe optimè meritos, & longa conſuetudine coniunctiſſimos, ſalutare iubet, Romæ tunc commorantes, cum ait, ſalutate Priſcam, & Aquilam adiutores meos in Chriſto Ieſu, qui pro anima mea, ſuas ceruices ſuppoſuerunt, quibus non ſolus ergo gratias ago, ſed & cunctæ Eccleſiæ gentium, &c.

Qui vt ex Actis Apoſtolorum, & epiſtolis prima ad Corinthios, Epheſo ſcripta, & ad Timotheum ſecunda Romam miſſa, apertiſſimè intelligitur, à ſexto anno Claudij quo Vrbe fugati ſunt, vſque ad quintum Neronis, quo Paulus Vrbe liber factus è carcere exiuit, Romæ nunquam fuerunt, quod ex eo liquet, quia eos anno Neronis quinto, Epheſi adhùc agentes, in epiſtola ex cuſtodia ad Timotheum ſcripta ſalutat.

Quo temporis interuallo, ſi antè captiuitatem ſuam epiſtolam illam Paulus ſcripſiſſet, non ſalutaſſet illos tanquam Romę commorantes, qui toto eo tempore in Græcia, & Aſia permanſeruut, & nondùm pro Paulo ceruices ſuppoſuerant, quos ille Corinthum primùm veniens nactus eſt, cum Roma profugi in Achaiam perueniſſent, vt Acta Apoſtolorum reſtantur.

Si igitur, vt manifeſtè oſtendimus, neque prima, neque ſecunda vice, cum Paulus Corinthum venit, ſcripta eſt ea epiſtola, illud conſequens eſt, vt Neronis tempore exaratam dicamus, & longo tempore poſt eius liberationem, qua tempeſtate Petrus, vt dixi, Roma diù anteà aberat, & propterea Petrum non ſalutauit, ſcribens ad Romanos, qui octo antè annis Vrbem non viderat.

Adijcit Origenes in commentarijs epiſtolæ ad Romanos, Priſcam, & Aquilam ex Epheſo Romam rediſſe, ſcilicet circà quintum, vel ſextum Neronis annum, Paulo iam liberato, & Vrbe abſente. Quos vt de Eccleſia Chriſti optimè meritos, ipſe demum ſalutat.

Nec illud apertiſſimo huic argumento obſtat, quòd Paulus cap. 1. ad Romanos ſcribat: Teſtis eſt mihi Deus, quod ſine intermiſſione memoriam veſtri facio ſemper in orationibus meis obſecrans ſi quo modo tandem aliquando proſperum iter habeam in voluntate Dei, veniendi ad vos. Deſidero enim videre vos, vt aliquid impartiar vobis gratiæ ſpiritualis, ad confirmandos vos, ideſt, ſimul conſolari in vobis per eam, quæ inuicem eſt, fidem veſtram, atque meam. Nolo autem vos ignorare fratres, quia ſæpè propoſui venire ad vos, & prohibitus ſum vſque adhùc, vt aliquem fructum habeam in vobis, ſicut & in cæteris gentibus, &c.

Et infrà cap. 15. propter quod. & impediebar plurimum venire ad vos, & prohibitus ſum adhùc. Nunc verò vlteriùs locum non habens in his regionibus, cupiditatem autem habens veniendi ad vos ex multis iam præcedentibus annis, cum in Hiſpaniam proficiſci cœpero, ſpero quòd præteriens videam vos, & à vobis deducar illuc, ſi vobis primum ex parte fruitus fuero. Quæ verba non nihil innuere videntur, Paulum Romæ antè eam ſcriptionem non fuiſſe, quod tamen ità eſſe non poteſt.

Nam fuerat quidem; ſed non liber, non ſui iuris, vinctus (vt ipſe dicit) in vinculis, in carcere, & ante multos annos, quorum interuallo permotus, ea verba, perindè ac diue

tiſſi-

Digitized by Google

tiſſimè abſuiſſet, ſcribit. Accedit quod ea tam diligens enumeratio eorum, quos ſalutat, prædicatio eius, vſque ad Illyricum facta, & eundi in Hiſpaniam propoſitum (quæ omnia tempori, quod ante carcerem fuit non correſpondet) minimè permittunt, alio quàm à nobis dicto tempore, eam epiſtolam ſcriptam eſſe. Eniinuerò quod perſuaſor dixit de ordine epiſtolarum Pauli ex Athanaſio, fateor me nunqnam opus illud Athanaſij legiſſe, ſed nec Hieronymus, qui omnium ferè eius ætatis commentationes enumerat, nec in Athanaſij Epicedio Nazianzenus, nec is, qui ferè illius auctoritate vtitur Damaſcenus, eiuſmodi commentatiorum meminere: video autem Perſuaſorem credidiſſe commentarios Theophylacti, qui paſſim conuerſi habentur, eſſe Athanaſij, quod falſum eſſe, ex auctoribus, qui in eo opere citantur, cautus lector animaduertere poterit, cùm quidam illorum poſteriores Athanaſio fuerint. Deoenerunt autem ad manus meas Theophylacti commentarij in totum nouum Teſtamentum Græcè ſcripti, in quibus illi quoque ſunt, qui Latinè ſub nomine Athanaſij circumferuntur, ea præcipuè de cauſa, quod ita ab interprete ſunt inſcripti, accedente etiam Theodori Balſamonis auctoritate. Quæ res autem errori cauſam dederit, ſatis conſtituere nondùm potui.

Perſuasio Sexta.

Accedit & iſtud, ad corroborandum, quod Petrus ad ea tempora, quibus Paulus Romanis literas deſtinauerat, Romæ non fuiſſet; quia Diuus Ambroſius, ſuper epiſtolam ad Romanos in quibuſdam vetuſtis codicibus dicit ſe legiſſe, Narciſſum illo tempore Romæ presbyterum fuiſſe, cuius domum ſaluere iubet; hic tamen, inquit Diuus Hieronymus, officio peregrini fungebatur, exhortationibus firmans credentes. Quod ſanè Nuperus Romanus presbyter neutiqnam faceret, à quo nihil tam eſt alienum, quam verbi diuini prædicatio. Et id propter velut claudus, vt Plautino vtar dicterio) Sutor domi totos ſeder dies cupediarum delicijs Voratrinam explens, niſi fortè oſtentandæ pompæ cauſa ad Lateranenſe palatium interdum prorepat. Porrò vt ad rem veniamus, hic ſcito eſt opus, apud primitiuam Eccleſiam nullos fuiſſe, qui dicerentur Summi Pontifices, Cardinales, Patriarchæ, Archiepiſcopi: Nempè quæ duos ſolum Eccleſiaſticos habuit ordines, Presbyteros videlicèt, & Diaconos, vt ex ea claret, quam Philippenſibus Apoſtolus è Roma dederat epiſtola. Paulus, inquit, & Timotheus ſerui Ieſu Chriſti, omnibus ſanctis, qui ſunt in Chriſto Ieſu, qui ſunt Philippis cum Epiſcopis, & Diaconibus; nam ijdem vocabantur presbyteri Epiſcopi, vel ſeniores, vt ex epiſtolis Paulinis eſt manifeſtiſſimum. Quin in Actis quoque Apoſtolorum ad Epheſinæ Eccleſiæ presbyteros, inquit: Quia vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, & Petrus, qui & ipſe presbyter multarum Eccleſiarum fuerat, ad presbyteros diſperſionis Ponti, Galatiæ, Cappadotiæ, Aſiæ, & Bithyniæ ſcribens, ſeniorem ſe nominat, dicens: Seniores, ergo qui in vobis ſunt obſecro conſenior, & teſtis Chriſti paſſionum. Ignorauerat credo, tum adhuc ſuperciliosum ſummorum Pontificum nomen, vel abhorruerat planè. Et vt regrediamur ad priora, presbyteri dicebantur, qui Eccleſijs veluti quidam proceres præerant. Vndè Apoſtolus in priori ad Timotheum epiſtola: Qui benè, inquit, præſunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, & ad Titum: Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea quæ deſunt corrigas, & conſtituas per Ciuitates presbyteros, ſicut ego præſcripſi tibi. Igitur hic per Narciſſum presbyterum, ſeniorem, aut Epiſcopum Romanæ Eccleſiæ fuiſſe intelligimus. Qui non modo eius, ſed & aliarum circumiacentium Eccleſiarum, & Chriſtifidelium curam gerebat, cuius etiam familiam, ob ingenuas eius virtutes, Paulus ſalutare præcepit. Inſuper Andronicus, & Iunia duo è ſeptuagintaduorum Apoſtolorum numero, vt Origenis eſt opinio, Romæ ea tempeſtate fuerant, quos hac prærogatiua honoris, ad Romanos in Epiſtola ſalutat Apoſtolus; ſalutate, inquit, Andronicum, & Iuniam cognatos meos; & concaptiuos meos, qui ſunt nobiles in Apoſtolis, qui & antè me fuerunt in Chriſto Ieſu. Adde Priſcilla, & Aquila, vt Ambroſij ſuffragatur auctoritas, non otioſè Romam venerunt, qui quoniam propenſiores erant in deuotione, ideò ad confirmationem Romanorum miſſi fuiſſe intelliguntur: de quibus ad hunc modum Paulus loquitur; ſalutate Priſcillam, & Aquilam adiutores meos in Chriſto Ieſu, qui pro anima mea ſuas ceruices ſuppoſuerunt. Ea propter quid opus Roma tunc habuerit Petro veterano, & iam viribus defecto non conijcio. Nempè cum habuerit legitimum presbyterum Narciſſum, Apoſtolos Chriſti doctrina inſignes, Andronicum, & Iuniam, & cooperatores in Euangelio, non contemnendos Aquilam, & Priſcillam; ſed hoc citrà omnem controuerſiam verum eſt, quod Romæ tunc temporis non fuerit: nam ſi neminem non ſalutat eorum Apoſtolus, vel qui ſeniores fuerant, vel qui cognati, & cogniti, quomodò vnum Petrum non ſalutaſſet, quo cum firmiſſimam amicitiam, & ſocietatem iampridem inierat, & eius videndi deſiderio anteà Hieruſalem petere non dubitauerat? Et hinc apparet, vſque ad Neroniani Imperij tempora Petrum Romam non fuiſſe. Quod ſi viginti, & quinque annis illic reſederit, à quo tandem mortem paſſus eſt? Hic tuſſiunt Romani Sycophantæ, non ſecùs, ac indocti quique cantores, qui locum fecerunt prouerbio, hæſitatio cantorum (vt communiter dicitur) tuſſis eſt.]

Diſſuaſio Sexta.

Nulla mihi cum perſuaſore controuerſia eſt de Archiepiſcopis, & Patriarchis, ſiquidem Apoſtolorum temporibus hæc nomina in Eccleſia non extitiſſe opinor, cum ſuperefſent ipſi Apoſtoli, ad quos omnia referebantur; ſed & quandoque eoſdem fuiſſe vocatos Epiſcopos, & Presbyteros Hieronymus in commentarijs epiſtolæ ad Titum, di-

lucidius ad Euagrium ſcribens, nos admonuit: quamquam Tridentino Concilio decretum ſit, nomina tantùm communia fuiſſe, non verò officia: atque ad tollenda diſſidia, & regendam multitudinem, toto Orbe decretum fuiſſe, vt vnus cæteris præeſſet: quod item exiſtimo poſteà de ijs, quos nunc Archiepiſcopos, & Patriarchas vocant accidiſſe. Ordinatos, ſcilicet ad tollendas controuerſias, quæ in vnaquaque prouincia oriebantur. Hieronymus enim contra Luciferianos, & Byzacenæ, & Piceni Prouinciarum Epiſcopos nominat. Illud verò mihi commune eſt cum perſuaſore, quod iam diximus, Petrum eo tempore Romæ non fuiſſe, cum ad Romanos ſcripſit Apoſtolus. Quod verò Epiſcopum Romanum quempiam Narciſſum nominat, vix mihi perſuadere poteſt, eadem crediſſe, quæ ſcripſit; diu enim credidi dum hæc legerem, Petro Vrbis Romæ ſacerdotio deiecto, & velut redacto in ordinem, vel Apoſtolum quempiam, vel aliquem ex ijs, qui proximè ad Apoſtolos auctoritate accedebant ſuffectum iri. In Vrbe enim totius Orbis terrarum longè Principe, & omnium penè gentium victrice, & rerum domina, quo ex omnibus regionibus infinita hominum multitudo confluebat, vbi ſtatim ab ipſius Chriſtiani nominis prædicatione conuentus, pro copia Ciuitatis, ampliſſimi ſunt inſtituti, vbi denique futurum erat, vt primò aduersùs impetum, gladios, cruces, ignesque Neronis, non verbis iam, ſed ceruicibus, & ſanguine decertarent: conſentaneum eſt, parem tanto oneri, & non ſolùm moribus, & ſanctitate, ſed loco etiam, & auctoritate inter cæteros præcipuè ordinatum, at hic noſter, Narciſſum quemdam expiſcatus eſt, vt duplicem iam de Narciſſo fabulam habeamus, quem nec Ambroſius omninò affirmare audet presbyterum fuiſſe, ſed tamquam vagum quemdam, & vt ità dicam, peregrinum deſcribit, qui ſæpiùs vrbe egrederetur, vt ſuis monitis Chriſtianos in fide confirmaret: Cuius rei gratia etiam tunc abſuiſſe creditur, cum ad Romanos ſcripſerit Paulus. Mirum prætereà, cum adeò exactè omnes Romani Pontifices à doctiſſimis diligentiſſimiſque viris enumerati ſint, illi ſaltem faſciculo temporum, aut ſupplemento alicui, Narciſſum, nec inter tot ſomnia, aliquando obuerſatum. Quatuor certè inſignes Eccleſias videmus, dum adhuc fides adoleſceret celebrari, hæ potiſſimum fuere, quæ in ſplendidioribus, amplioribuſque ciuitatibus congregatæ erant. Rationi quoque conſentaneum eſt, quo plures mortales confluebant, ibi cæteris honoratiores fuiſſe præfectos. Quare qui fuere Pontifices eo ordine, quo ſibi ſingulatim ſucceſſerunt à maioribus noſtris memoriæ ſunt commendati, quod non item de cæteris accidit. Hieroſolymis poſt Iacobum Simeon Iuſtus, Marcus, Caſſianus, Publius. Alexandriæ, quæ ea tempeſtate (vt Strabo, Ioſephus, & Marcellinus teſtantur) poſt Romam principem locum in vniuerſo Orbe terrarum obtinebat, Marcus, Anianus, Abilius, Cerdol. Antiochiæ autem, vbi primo Chriſtiani appellati ſunt, poſt Apoſtolum Petrum Euodius, Ignatius, Heros. Similis quoque cura fuit Romanos Pontifices recenſere, & eo diligentius, quo plus cæteris omnibus Vrbs ipſa præſtabat. Cum igitur numerant Petrum, Clementem, Linum, Clerum, & qui ſequuntur, quis iſtius Narciſſi vnquam nomen audiuit? Rogo quæ noua hæc fingendi licentia eſt, hiſtoriaſque euertendi? vt quicquid nobis in mentem venerit (etiam contra receptas ſanctorum opiniones, nec quicquam diſſidentes à ſacris literis) illicò verum eſſe contendamus. Hac certè ratione nemo erit, qui non ſibi ex cubiculo hiſtoriam poſſit proferre. Sed videamus, Perſuaſor hic, quibus argumentis vtitur, Chriſtum, inquit, prædicabat Narciſſus: audio; Non Romæ, ſi credis Ambroſio; age verò Romæ etiam prædicauit, quaſi non cæteri idem facerent, Andronicus, quem inſignem inter Apoſtolos, & ante ſe in Chriſto fuiſſe Paulus ſcribit, Vrbanus illius auditor, Priſca, & Aquila, cæterique complures, quos longum eſt enumerare: dicamus, & quempiam illorum, vel certè (ſi ità libuerit) omnes ſimul Romanos Pontifices fuiſſe? Dum Petrus exturbetur, turba non deerit eorum, qui Pontifices dici poſſint. At faciamus hos omnes, & Pauli cooperarios, & ſi vis, & presbyteros, & Epiſcopos; Non ob id, Roma Petro non indiguiſſet? quaſi nec Epheſijs Paulus fuiſſet vtilis, etiamſi Timotheum haberent Epiſcopum, aut Corinthijs prodeſſe potuiſſet, quod apud eos Apollo vir excellens eſſet. Fruſtra etiam cæteras ipſe Paulus tum literis, cum viua voce docuiſſet Eccleſias, in quibus aliqui presbyteri, & Epiſcopi viri egregij erant. Sed & Romam cur ſe venturum pollicetur, vt ijs impartiret donum aliquod ſpirituale, quandoquidem illic adeſſe noſſet tam egregios, & præceptores, & Epiſcopos? Quod ſi Pauli perſona Romanis neceſſaria fuit, tametſi Roma tales haberet presbyteros, cur itidem non & Petri? Viribus defectus erat, inquit. Vndè hoc noſti? Quod ſi fuiſſet non eum ingenium deſtituerat, neque Spiritus ſanctus, qui eum agebat, in eo loquebatur, eum confirmabat. Cætera perſuaſoris verba, parum ad inſtitutum noſtrum.

Perſuaſio Septima.

[Hic producam quod Apoſtolus ad Galatas narrat in epiſtola. Creditum eſt, inquit, mihi Euangelium præputij, ſicut & Petro circumciſionis. Qui namque operatus eſt Petro in Apoſtolatum circumciſionis, operatus eſt, & mihi inter gentes, tandem manifeſtat, quomodò pactus fuiſſet cum Iacobo, Petro, & Ioanne in Synodo, quæ Hieroſolymis ſuper legalium obſeruatione habita eſt, vt ipſi in circumciſionem, hic verò inter gentes cum Barnaba prædicatum proficiſceretur. Quomodò itaque tàm citò Petrus pacti immemor fieri potuit, & alienas partes ſibi vſurpare, cum Roma totius paganiſmi mater tunc fuerit? Quinimmò ſi circumciſionis fuerat Apoſtolus, quomodò Romæ tot annis, ſi vſque ad Pauli videmus illuc aduentum, cum Iudæis nihil ei fuerat negotij? Adueniente namque illuc Paulo, vt Lucas in Actis Apoſtolorum ait, dicunt Iudæi ad eum: De ſecta hac notum eſt nobis, quia vbique ei con-

contradicitur, rogamus etiam te audire, quæ ſentis: nos enim neque literas accepimus de te, neque aduenięns aliquis fratrum nunciauit, aut loquutus eſt, quid de te malum. Quos tandem copioſa illa, ac vberrima oratione ſua alloquutus eſt Paulus à mane, vſque ad veſperam, ſermonem protrahens. E quibus aliqui dictis crediderunt, quidam verò renuerunt credere, & numquam anteà audita auribus audientes, ad inuicem tumultuabantur, & multam inter ſe habebant quæſtionem. Quid ergo Romæ tanto temporis interuallo faceret Petrus, ſi Iudæis ea, quæ à Paulo audierant, noua & inaudita videbantur, nec aliquem ſe priùs audiuiſſe dixerunt, qui eius ſectæ inſtituta, & ritus eis declaraſſet? & proindè Paulum, vt quæ ſentiat, diceret, velut vno ore poſtulabant omnes. Videat qui vult, quam ſit tutum Romæ Petrum aliquando fuiſſe credere.]

Diſſuaſio Septima.

Quod adhuc maxima cum animi tranquillitate à me factum eſt, vt maledictis, & calumnijs temperarem, id vſque ad calcem diligentiſſimè me obſeruaturum eſſe confido, quando nullo odio, ſtomachoue perſuaſoris huius, aut aliorum, ſed veritatis amore, ad ſcribendum acceſſi. Enimuerò ſi vmquam locus fuit, in quo conuicijs agendum eſſet, hic potiſſimum occurrebat, vbi adeò manifeſtè verbis Lucæ contradicit, vt omninò ipſorum alterum mendacij reum oporteat conſtituere: ait namque Iudæos, qui Romæ Pauli orationem audiuerunt, aliquos quidem credidiſſe, aliquos verò renuiſſe credere. Hactenùs rectè, quod vero ſubdit, & numquam anteà audita auribus audientes ad inuicem tumultuabantur, iſtud certè omninò apud Lucam non legi. Quinimmò id quod magis contrarium videri poſſit, de hæreſi autem hac notum eſt nobis, inquiunt, quod vbique contradicitur, quomodò ergo nobis notum, ſi anteà inaudita? Nonne illud prætereà certum eſt, Paulum cum ad Romanos ſcriberet, quorum fidem annunciari dicit in vniuerſo mundo, pleroſque eſſe omni ſcientia, vt cæteros admonere poſſent, id potiſſimum tentaſſe, vt Iudæos, Gentileſque qui crediderant inuicem conciliaret. Nempè illi Iudæi erant, qui audito primùm Petro, deindè ipſo Paulo crediderant. Illa omnis Romana Eccleſia, fidem ſecundum Deum acceptam, referebat Petro. Et ſi enim, auctore Clemente, anno à Chriſti morte ſeptimo, Barnabas Romæ Chriſtum nunciauerat. Conſtat tamen ad pauciſſimos eius prędicationem perueniſſe. Nam quod ait Perſuaſor, ſi ità dixerimus conſequens eſſe, vt Petrus temerè in alienas poſſeſſiones inuaſerit. Tam facilis obuiaque eſt reſponſio, quàm obiectio ipſa leuis, & inconſiderata. Quæ & in ipſum perſuaſorem longè validiùs retorqueri poteſt. Nam ſi circumciſionis Apoſtolus erat Petrus, & non paruus circumciſorum numerus Romæ eſſet, vt ex Actorum nouiſſimo capite intelligitur, iure debuit, & ex pacto ſe Petrus Romam conferre, nimirum vt Iudæis Romæ agentibus prædicaret, præſertim cum Hieroſolymis Iacobum reliquiſſet, Antiochiæ Euodium, Alexandriam Marcum miſiſſet, Barnabam in Cypro: Ioannem in Aſia eſſe noſſet. Inſuper non ignoraret Paulum cunctas illas finitimas regiones ſedulò perluſtrare: qua ratione neceſſe fuit Petro Romam adire. At pactum illud non minùs aduersùs Paulum, quàm contra Petrum facit. Quid enim ille tam citò pacti immemor, vbique Iudæorum Synagogas concionaturus ingreditur. Et primum ſtatim finita illa Synodo in qua pactum initum eſt Theſſalonicæ Berrhoææ Athenis, Act. 17. Corinthi, Epheſi Act. 18. 19. Qua ratione fit, vt pactum illud ità intelligi oportere cenſeam, non vt vtrique non licuerit, vbicumque commodum accidiſſet annunciare Euangelium, ſed vt præcipua cura eſſet Pauli in gentibus, Petri autem inter Iudæos; alioquin circumſcriptis ſibi quibuſdam veluti cancellis, Petrus ipſe cæteris longè inferior inueniretur, quibus aliquo pacto interdictum non erat, vbi libuiſſet prædicare. Nonne, & ipſa Babylon, & Arabia vbi annunciaſſe Petrum dixit ſe credere perſuaſor gentium erant, & non Iudæorum? Quin & Paulus deindè in ſynagogis, & Iudæa publicè annunciauit. Notum eſt prætereà quod Petrus dixerit in Actis: Vos ſcitis, quod ab antiquis diebus Deus in vobis elegit per os meum, vt audirent gentes Euangelij verbum. Num pactum Apoſtoli inirent, quod diuinis decretis eſſet contrarium, vt Petrus Iudæis ſolum, non etiam alienigenis Chriſtum annunciaret? ſed hæc ſupra ſatis explicaui.

Perſuaſio Octaua.

[Iam ad ea vſque peruenimus tempora, quibus Iudæorum coactus inſolentia Paulus, ad Cæſarem appellauit, ac Romam deductus, catenis horrendis in carcerem coniectus eſt, illicque in conducto ſuo, quod ei carceris fuerat loco, toto biennio permanſit. Nec profectò parua hæc erat manſio, vt Hieronymus in epiſtola ad Philemonem loquitur, ad quam Iudæorum turbæ quotidiè confluebant. Nam ſuſcipiebat omnes, vt in Actis Lucas ſcribit, qui ingrediebantur ad eum, prædicans regnum Dei, & docens quæ ſunt de Domino Ieſu Chriſto, cum omni fiducia ſine prohibitione, allectans ad fidem Chriſti homines, vt verbis, ità & literis: multos enim, eo concionante, non modò plebeos, ſed & de regia Neronis, Chriſti fidem ſuſcepiſſe, ipſius epiſtolæ oſtendunt: ad Philippenſes enim è conducto ſuo ſcriptitans, ſalutant vos, inquit, omnes ſancti, ac quidem maximè, & qui de Cæſaris domo ſunt. Quin epiſtolas quoque aliquot in vinculis dictauerat, pia admonitione, & Chriſtiana pietate plenas, ne Eccleſiæ Chriſti pulchrè ab eo inſtitutæ, eius abſentia, in deteriùs laberentur. Nam quos viua voce conuenire non poterat, ſcriptis tantiſper admonebat, ne ſuæ profeſſionis obliti, à Chriſto aliquando exciderent: præcipuè Galatis, poſt pſeudoapoſtolos retro à Chriſti fide, ac ſuis rudimentis abeuntibus, epiſtolam è Roma ſcribere non dubitauit; verbis etiam aſperioribus eos commonefaciens, ne vaſtitia, & aſtu à Chriſto abduci ſeſe pateren-

rentur. Deum obteſtans, quod quæcumque illis in mandatis dederat, ea non ab hominibus, neque per homines nactus vmquam fuiſſet, ſed ſola benignitate Ieſu Chriſti, nimirum quibus tam firmiter credi oporteat, vt ſi Angelus quoque, vel ipſemet, ſecundario ad eos aliquando venerit, ac diuerſum quiddam docere voluerit profanum, ac execrabile id fieret; in qua epiſtola, Petri aliquot locis meminit, cuius teſtimonium in hoc negotio, vt Galatis quod dixerat faciliùs perſuaderet, mirum in modum illi fuerat neceſſarium. Non tamen vſpiam eius mentionem facit, an Romæ ipſum tunc habuerit collegam, vel ſi eis quæ ſcripſerat, & ille ſubſcribere voluerit. Qui certè ſi tum Romæ fuiſſet, ſaltem eius nomine eos ſalutaſſet, quo faciliùs tam eminentis Apoſtoli vocabulo permoti reſipiſcerent, & ab extranea doctrina ſegregati, ad mentem redirent quandoque. Attamen nihil horum fecerat Apoſtolus, quod maximo eſt teſtimonio, neque ea tempeſtate Petrum Romæ fuiſſe, tamen vigintiquinque anni, vel ſecundùm quoſdam vigintiſeptem à Chriſti paſſione, aut Aſcenſione præterierint: cæterum neque in ea, quam ad Epheſios Romæ ſcripſerat, epiſtola, vllam eius mentionem facit, cuius tamen hæc ſemper aliàs fuerat conſuetudo, vt collegarum ſuorum nomine, in Chriſtum credentes ſalutaret.

Diſſuaſio Octaua.

Quod quatuor deinceps capitibus perſuadere nititur perſuaſor, paucis omninòque iiſdem verbis diſſuaderi poteſt. Iam enim diximus, ab altero Neronis anno, quo Petrus in Vrbem rediit, & conſtituta Eccleſia, Linoque Epiſcopo ordinato, receſſit, vſque ad poſtrema Neronis tempora, eum ad Vrbem non amplius reuertiſſe: quare nec quando Paulus à Iudæa vinctus in Vrbem deductus eſt, Petrus Romæ erat. Accidit enim aduentus Pauli, tertio Neronis anno, vt in eius vita demonſtrauimus.

Siquidem Lucæ hiſtoriam, vſque ad quartum, vel quintum illius annum perueniſſe dixit diuus Hieronymus. Nec tamen ita diu Romæ permanſit, profectus iterùm in Orientem. Minimè igitur mirum ſi in epiſtolis, quas Romæ Paulus conſcripſit, nulla prorsùs de Petro mentio habeatur. Hæc verò reſponſio, tres etiam ſequentes perſuaſiones tollit. Illud tamen ſcitu dignum epiſtolam ad Galatas ex Vrbe ſcriptam non fuiſſe, ſed longè ante Pauli carcerem ex Epheſo. Quod & antiquum argumentum epiſtolæ indicat, & nos ex eadem epiſtola, in Pauli vita probauimus.

Perſuaſio Nona.

Indicio ſunt Petrum tempore Pauli Romæ non fuiſſe, & literæ quas per Epaphroditum ad Philippenſes dederat Apoſtolus, in quibus multorum eos admonet, & quæ erga illum tunc temporis gerebantur, manifeſtat; maximè autem quantùm illic in Euangelio profecerit, dicens, ſua occaſione Romæ Euangelium prædicari ab omnibus, eodem quidem impetu, quamuis diuerſo ſtudio. Quidam enim vinculis, & conſtantia ipſius animati, ſyncero affectu, & vera Chriſtiana intentione fidem Chriſti omni timore exuto, inuulgabant, quidam verò ſola cupiditate noccendi Paulo, ad Euangelizandum Chriſtum trahebantur, putabant enim fore, quod Neronis Tyrannis, cui nomen Chriſti fuerat peroſum, prouocata iracundia, Paulinæ gloriæ in Euangelio faceſſeret, ac Tyrannus in eum, vti eius profeſſionis auctorem: grauius animaduerteret. Fit enim, quæ maximè nobis nocitura ſciuerint, ſiue hoc ad noſtram perniciem inici palàm euulgant.

Tum ait Paulus, ſibi non eſſe curæ, dum quouis modo Euangelium annuncietur, & Chriſtus Orbi innoteſcat, ſiue hoc ad vitam, ſiue ad mortem illi ſit ceſſurum. Maluit enim cum Euangelij lucro mori, quàm ex profectu viuere. Res profectò miraculo digna, ſi Petrus tunc Romæ fuerat, quemadmodum multis iam annis inibi agere debuerat, quomodo Chriſti nomen tam moleſtè à Paulo Roma audierit, vt ſubornati in hoc etiam plerique omnes doloſi, ſub Chriſti prædicationis obtentu, Pauli exitium quærerent. Num verò otioſus tot annis illic delituerat, & Chriſti occultauerat, fidem Petrus, timens ne in eum ſæuiſſet Tyrannus, vtque facilius eorum inſidias, qui aduerſabantur Chriſto ſubterfugerit? Nam ſi annuatim Euangelium Romæ prædicauerat, ea res non debuit eſſe Paulo timori, ſiquidem Roma tot iam annis anteà Chriſtum patientiſſimè à Petro audierit. Immò quantumcumque tumultuante Roma, Tyrannus ad vindictam irritaretur in Petrum, primitus reſulraſſet hæc iniuria; vtpotè qui caput eius negotij fuerit. Ecquid igitur formidarat Paulus ne faba hæc in ſuo, quod dicitur, cuderetur capite, non video. Ad hæc in fine eiuſdem epiſtolæ ſubdit, ſalutant vos omnes ſancti, maximè vero, qui de Cęſaris aula ſunt; maximè prorſus dicere debuit, Petrus omnium noſtrum veluti quidam anteſignanus. En quam inſecurum eſt dicere, etiam tunc temporis Petrum Romæ fuiſse, dum Paulus captiuus illic teneretur, hac perſuaſione clariſſimum eſt.

Diſſuaſio Nona.

Quam fallax ſit argutia, quæ ex eo loco petitur, quod non Petri nomine Paulus eos ad quos ſcripſerat ſalutarit, opinor ſatis dilucide enucleatum fuiſse, ex ea diſsuaſione, quam proximè ſupra attulimus: vnde nec operæpretium erit, pro poſteriori perſuaſionis parte, quicquam amplius in medium afferre. Ad priorem tantum reſpondebimus, quæ profectò nihil habet momenti, quo perſuadere poſſit, Petrum non fuiſse Romæ. Neque enim repugnat, vt antequam Paulus Romam aduenifset, Petrus vna cum alijs illic Euangelium aliquandiù docuiſset, quamquam pauco tempore permanſerit, & idem tamen pręſentia Pauli magis inflammati, vehementius, & ardentius idipſum facerent,

quod

quod ante cœperunt. An non experimur, quotidie, ligna quæ paulò ante in fornace lentius arſerunt, per appoſitionem aridioris cuiuſque materiæ, magis, ac validius accendi? neque iam excitatum ardorem, prioribus lignis imputari, ſed huic potiùs, quod poſtremo fuit adiectum? ità quid prohibet, quominùs Chriſti prædicati iam recens exorta flamma, Paulo magis adſcriberetur, quàm Petro, cæteriſq; qui Paulum in hoc negotio præceſſerunt? vt interim ſileã quantus ignis, præ cęteris omnibus concionatoribus, in ipſius Pauli pectore flagrabat: vt nemini mirum eſse debeat, ſi per acceſſum Pauli, Euangelij prædicatio magis, ac magis incaluerit.

Sed & Iudęi maiori odio diuum Paulum, quam diuum Petrum proſequebantur: Item quia falſis prophetis, & falſis Euangeliſtis, qui ex Iudęis conuerſi volebant circumciſionem, & legem ſimul cum Euangelio ſeruari, acerrime diuum Petrum odio proſequebantur.

Poſtremò quid prohibet ità verba Pauli interpretari; vt, & ſi quæ ſibi perſecutio excitabatur, communis erat cum Petro; ſibi tantum id diſcriminis à Pſeudo-Apoſtolis creari tamen ſcripſerit, quo eorum cœcam imprudentiã manifeſtiorem faceret; qui priuato in eum odio, Euangelij pręedicatione abutebantur? Nihil certè ob eam rem æquus iudex Petri dignitati ademptum exiſtimare poterit, ſi ſuam cauſam agens Paulus, reticendum, quod ſibi commune erat cum Petro (ità fortaſſe re poſtulante, & tempore) ſapientiſſimè, & vidit, & ſtatuit.

Perſuaſio Decima.

Coloſſenſibus per Tychicum, ac Oneſimum ſcribens Paulus, in receſſu epiſtolæ addit: Salutat vos Ariſtarchus concaptiuus meus, & Marcus conſobrinus Barnabæ, & Ieſus, qui dicitur Iuſtus, qui ſunt ex circumciſione, hi ſoli ſunt adiutores mei in Regno Dei, qui mihi fuerunt ſolatio. Salutat vos Epaphras, qui veſtras eſt, ſeruus Ieſu Chriſti: ſalutat vos Lucas medicus chariſſimus, & Demas. Vide quam omnes nominatim enumerat, qui tunc ei aderant, & cooperatores eius erant in Regno Dei. Hæc eſt Eccleſia Chriſti: Gregorius enim, inquit, ſępè in ſacro eloquio, Regnum Cœlorum præſentis temporis, Eccleſia dicitur. Et Chriſtus apud Lucam: Regnum Dei, inquit, intra vos eſt. Quas ob res Paulus dicit: Si ſoli ſunt adiutores mei in regno Dei. Quid ergo Petrus? nunquid tanquam veteranus quidam, ac emeritus miles in otium ſe receperat, vt non pro ſua virili euangelicas adiuuaret partes, cooperatque in Regno Chriſti non fieret? Quod de Petro ſentire, horret animus: proinde non te habuit tunc Roma Petre: Nam ſi fuiſſes Romæ, & Paulum eundem Chriſtum pręedicantem non iuueris, eius iam factionis fuiſſes Apoſtolus, quæ non Chriſtum ædificaret, ſed deſtrueret, ac demoliretur; omne enim regnum (Chriſto dicente) in ſe diuiſum deſolabitur, ac domus ſupra domum corruet.

Diſſuaſio Decima.

Huic perſuaſioni, eadem quæ ſupra diſſuaſio facit ſatis, Petrum per hæc tempora Romæ non fuiſſe; qua in re cum perſuaſore ipſo conſentimus, tunc Petrum non fuiſſe Romæ.

Perſuaſio Vndecima.

Oneſimus, quem Phrygem genere quidam fuiſſe putant, Philemonis Coloſſæi ſeruus, compilatis rebus quibuſdam ipſius, Romam fugitiuus venerat, illicque Paulo de Chriſto concionante audito, Chriſti nominis factus eſt candidatus, ac baptiſmate in Chriſticolarum conſortium aſcitus.

Porrò ne quid labis priſtinæ ſceleſtæ vitæ in eo remaneret, conſcientiam Apoſtolo aperuit, & iniuriam quam Domino ſuo intulit; rebus quibuſdam illius ſurreptis, confeſſus eſt; quem Paulus, quia nimium adamarat, non ſibi temperare potuit, quin protinus benigno, ac ſcito epiſtolio eum Philemoni reconciliaſſet, hanc ſibi iniuriam in Philemonem bene meritus donari poſtulans, & ſi quid damni in re pecuniaria, aut alia quauis Oneſimi profugio acceperit, pro eo ſe vadem ponens, omniaque ſe depenſurum eius loco promittens, & in epiſtolij principio Philemonem Apphiam vxorem ipſius, & Archippum Coloſſenſis Eccleſiæ Epiſcopum ſalutans, quo id faciliùs pro quo interpellauerat, vt ſenſit Chryſoſtomus, impetraſſet, Timothei nomen adiungit, dicens: Paulus ſeruus Chriſti Ieſu, & Timotheus frater Philemoni, &c.

Cur hic Petri nomen in ſalutatione Paulus ſupprimit, ſi Timothei appoſuit, qui facilius tam magni Euangelici pręconis auctoritate motus, offenſam fortè Oneſimo condonaſſet? Proh pudet me tot ſeculorum, quibus Paulinæ literæ tineis corroſæ, ſitu, ac pędore fœdatę, intra angulos delituerant, paſſimque ab omnibus negligebantur, quarum lectio tot erroribus, ne in Eccleſia ſubnaſcerentur, vel ſola occurrere potuerit. Quid enim tam manifeſtè oſtendere potuit; Petrum Romæ non fuiſſe, quàm hęc ad Philemonem & Presbyterum Coloſſenſem Archippum, nomine Petri ſaluere iubet Apoſtolus? ad finem epiſtolæ properemus; Salutat te Epaphras, inquit, concaptiuus meus, Marcus, Ariſtarchus, Demas, & Lucas adiutores mei. O infelicem Petrum, ſi tum Romæ fuerat, & Paulum in hoc honeſtiſſimo deſtituit negotio.

Diſſuaſio Vndecima.

Supra oſtendimus, nihil ex ea argumentatione conſequi, Petrum Romæ non fuiſſe, quod inde ſcribens Paulus, eius non meminiſſet: ſiquidem Romæ tunc eo biennio, neque longo tempore poſt fuit, & ſanè quiſquis obſeruarit, quanta diligentia Paulus, vbique ſuam tueri ſtudeat auctoritatem, is facilè per-

perſpiciet, quod neque etiam illud repugnaret Pettum Romæ tunc fuiſſe, & nihilominùs Paulum nullam eius omninò mentionem feciſſe.

Quoties enim ad Epheſios literas mittit ſemel licet ad ipſam Eccleſiam, & bis ad Timotheum, eo loci commorantem, & tamen Ioannis Apoſtoli, qui tunc erat Epheſiorum Epiſcopus, nuſquam meminit.

Et rurſùm ex Italia ſcribens ad Hebræos, Iacobi tamen Hieroſolymitanorum Epiſcopi nullam omninò mentionem facit. Sed & ad Epheſios cùm ſcriberet è Roma, quemadmodum ante diximus, ne verbo quidem Timothei meminit, qui tunc Epheſi erat. Cæterùm cum, neque tanti fuiſſet ea res, quam Paulus ab ipſo Philemone poſtularat, neque ſatis apparet, quam Petrus cum Philemone conſuetudinem ante habuiſſet, nulla ratio videtur, cur Petri nomen in ea epiſtola debuiſſet adiungi.

Ineptè igitur hic perſuaſor exclamat inquiens, proh pudet me tot ſeculorum, quibus Paulinæ literæ, tineis corroſæ, ſitu ac pędore fœdatæ, intra angulos delituerant, paſſimque ab omnibus negligebantur, quarum lectio, tot erroribus ne in Eccleſia ſubnaſcerentur, vel ſola occurrere potuerit; quaſi non eſſent hæ literæ priſcis illis Theologis noctu, diùque manibus verſatæ Origeni, Tertulliano, Athanaſio, Chryſoſtomo, Ambroſio, Hieronymo, Auguſtino, & cęteris Gręcis, Latiniſque ſcriptoribus; quorum nemo ità oculatus fuit, vt hunc errorem deprehendere potuerit, quem iam ſi Deo placet reperit velenus; quod ſi lectio ſola cauſa fuit, cur ille his erroribus potuiſſet occurrere, mirum eſt, qua nam ratione tot, & tam præclara ingenia, quæ nulla in re, magis quam in Paulinis epiſtolis exercitata fuerunt, vſque adeò cęcutierint, vt non potuerint id deprehendere, quod tam acutè reperit perſuaſor, tot ſcilicet locis Paulinis repugnare, Petrum vnquam Romæ fuiſſe.

Perſuaſio Duodecima.

Peracto iam dicto biennio, multiſque Romæ ad fidem Chriſti conuerſis, ac epiſtolis hinc inde per Eccleſias tranſmiſſis, tandem Paulum in libertatem aſſeruit Nero, è compedibuſque dimittere fecit, quod ipſemet ad Timotheum teſtatur Paulus, dicens: Liberatus ſum de ore Leonis. Captiuitas etenim hæc intra hoc quinquennium fuerat, de quo Traianum Imperatorem, Sex. Aurelius Victor dicere ſolitum memorat, procul diſtant cuncti principes à Neronis quinquennio, adeò enim comis, benignus, affabilis, & modeſtus quinque primis ſui Imperij annis Nero fuerat; vt de eo Tranquillus ſcribens, à pietate hunc Imperij exordia feciſſe dixerit, & tantùm aberat, vt inſtà hoc quinquennium Nero morti deuoueret quempiam quod moleſtè, & indignaretur eis, qui mortis ſententiam in aliquem pronunciauerint, pro conſuetudine ſubſcribere etiam fuerat ſolitus.

Nam ſemel admonitus, vt in ſupplicio cuiuſdam capite damnati, ex more ſubſcriberet, quam vellem; inquit, neſcire literas. Hic igitur pro ſua erga omnes beneuolentia, Paulum tunc temporis dimiſit liberum; Reliquis autem nouem imperij ſui annis, in omnem luxum: turpitudinem, truculentiam adeò ſe effudit, vt impietate omnes facilè, ſceleſtiſſimos etiam homines ſuperaſſet: quamuis Ioſephus libro antiquitatum vigeſimo, capite ſexto, nimis incertam de Nerone eſſe hiſtoriam tradat.

Dicit namque, multi de Nerone hiſtoriam conſcripſerunt, quorum quidam pro gratia beneficiorum eius, neglexere veritatem, alij verò propter odium, & eius inimicitias, ſic imprudenter mendacijs inuoluti ſunt, vt aperta reprehenſione ſint digni; ideò ſęuiente iam Nerone, ac Tyranno, non Imperatore exiſtente, poſt decennium iterum Paulus in vincula relapſus eſt, & peius quam vnquam antea ab eo habitus. Vnde epiſtolam illam, quæ ad Timotheum habetur alteram ſcribens, prioris captiuitatis meminit his fermè verbis: In prima mea defenſione nemo mihi aſtitit, ſed omnes me dereliquerunt, non illis imputetur, Dominus autem mihi aſtitit, & confortauit me, vt per me prædicatio impleatur, & audiant omnes gentes, & liberatus ſum ex ore Leonis. Vbi tunc Petrus fuiſſe cenſendus eſt? Romæ re vera non fuit: alioqui Paulo cauſam pro capite apud Neronis tribunalia peroranti, & ſeſe defendenti eum non adfuiſſe, iniquum prorſùs fuiſſet. Quem ſi ex induſtria quoque dereliquerit, nulla excuſatione deinceps dignus haberetur; Ego tamen millies tollerabilius iudico, Petrum nunquam Romæ fuiſſe credere, quam hanc calumniam, quod Paulum deſtituiſſet, in tam ſublimem Apoſtolum reijcere.

Diſſuaſio Duodecima.

Huic perſuaſioni, ſatis ſupra diſſuaſione quinta factum eſt, qua manifeſtè oſtendimus, poſteriorem epiſtolam ad Timotheum ex prima cuſtodia Vrbana ſcriptam fuiſſe, anno ſcilicet quarto, vel quinto Neronis, quo certiſſimè tum Petrus Vrbe diu ante abſuerat. Quæ cum ità ſint, ſuperfluum eſt quærere, cur Petrus Paulo coràm Nerone in ſua defenſione non aſtiterit. Inſignis hoc loco annotatur perſuaſoris error, qui in epiſtola ad Timotheum, vt ipſe ſentit, nouiſſimo Neronis tempore ſcripta; Paulum ea commemorare facit, quam decennio ante Romæ in prima cuſtodia peregiſſet.

Perſuaſio Tredecima.

Notum eſt Lucam Euangeliſtam, & Apoſtolicarum actionum hiſtoriographum; indiuulſum totius peregrinationis Paulinæ fuiſſe ſocium, quem ille filij ſemper dilexit loco, honorificamque eius mentionem pleriſque facit in locis, dicens, illius maximam laudem in Euangelio fuiſſe. Nam cum omnes etiam à Paulo defecerint, hic ſolus nunquam ei non adhærebat, non minis, non vinculis, non ſexcentis perturbationibus per-

Digitized by Google

territus; cuius hiſtoria ad hęc vſque tempora, quibus Paulus vinctus è Hieroſolymis Romam perductus, ibique in conducto à milite cuſtoditus eſt, peruenit: veluti eius rei, capite vltimo copioſè meminit; quomodo videlicet Paulus Romam perductus fuerit; quomodo fratres, qui eo tempore Romæ fuerant, ad Appij forum ei obuiam venerint: quomodo trium dierum ſpacio euoluto, Iudæos ad ſe accitos habuerit; quomodo colloquuturus cum eis fuerit: quomodo eos confutauerit, & ſingula ordinatim proſequitur: Nullam tamen alicubi mentionem de Petro facit, an vel alloquio Paulum aliquando dignatus fuiſſet toto hoc biennio, vel quid rerū Petrus Romæ fecerit interim, dum Paulus verbum Dei ardentiſſimè illic tum prædicaſſet.

Et tamen tunc temporis hanc hiſtoriam fuiſſe ſcriptam creditur, quando Paulo Romæ in cathenis degenti, ille intrepide miniſtrauerat, qui vſque adeò Pauli ſtudioſus fuerat vt quicquid hactenus de eo comperεrat, cuncta in ſuam hiſtoriam diligentiſſimè congeſſerit: etiam Hieronymo de viris illuſtribus atteſtante; Lucæ, inquit, hiſtoria vſque ad biennium Romæ commorantis Pauli peruenit, ideſt vſque ad quartum Neronis annum, ex quo intelligimus, in eadem Vrbe librum compoſitum.

Igitur viſionem Pauli, & Teclæ, & totam baptizati leonis fabulam, inter Apocryphas ſcripturas computamus. Quale enim eſt, vt indiuiduus comes Apoſtoli, inter cęteras eius res, hoc ſolum ignorauerit? Hactenus Hieronymus.

At quid hoc? nonnè non ſolum Apocryphum, ſed plus, quam falſiſſimum erit Petrum Romam ſecundo Claudij anno veniſſe, ibique vigintiquinque annis Epiſcopatum tenuiſſe? Cuius Lucas in tam præſtantiſſima, diligentiſſimaque hiſtoria nullam mentionem facit, qui dubio procul ſi tunc Romæ fuiſset, non hoc toto biennio otioſus complicatis, vt dicitur, manibus illic ſediſset, vel ſaltem non ſic detuliſset, quin à Paulo, vel Luca conſpici, inuenirique interdum potuerit.

Diſſuaſio Tertiadecima.

Eadem, quæ ſuperiori ſuaſioni reſponſio data eſt, 13. ſuaſionem interimit: Cùm enim Paulus vinctus Romam duceretur, Petrus tunc ab Vrbe abſens erat. Quid igitur mirùm ſi eius Lucas Euangeliſta non meminit? Sed faciamus Petrum tunc Romæ fuiſse; non omninò neceſsaria argumentatio eſt, Lucas eius non meminit, poſtremo Actuum Apoſtolorum capite, ergo ibidem non erat. Quid enim Lucas de ijs, quæ toto illo biennio Paulus egit, commemorat, niſi ſummatim, & quam pauciſſimis verbis? Manſit, inquit, Paulus biennio toto in ſuo conducto, & ſuſcipiebat omnes, qui ingrediebantur ad ipſum, prædicans Regnum Dei, ac docens, quæ ſunt de Domino Ieſu, cum omni fiducia, nemine prohibente. Hactenùs ipſe Lucas; neque aliud quicquam de hoc toto biennio narrat. Nihil de illis omninò dixit, quos ex domo Cæſaris, magna ſibi neceſſitudine coniunxit Paulus, quorum etiam nomine Philippenſes auſus eſt ſalutare. Salutant, inquit, vos omnes Sancti, maximè autem, qui ex Cæſaris domo ſunt. Nihil de literis, quas certum eſt Paulum ex conducto ſuo miſiſſe varijs Eccleſijs, ſcilicèt, Epheſiorum, Philippenſium, Coloſſenſium, Timothei, Philemonis. Nihil de Pauli raptu ad prætorium, aut de ſua defenſione, cùm tamen Paulus ad Philippenſes teſtetur, vincula ſua manifeſtè facta fuiſſe in omni prætorio, ac cæteris omnibus. Quamobrem ſi negatiuum argumentum valeret, nihil horum aliquando fuiſſe, pari efficacia conuinceremus. Sed vt propius ad rem veniamus, eadem ſuaſione paucis probare poterimus, Petrum numquam Antiochiæ fuiſſe. Quod tamen falſiſſimum eſſe, Paulus ad Galatas apertiſſimè docet, qui refert, Petrum ab ſe Antiochiæ reprehenſum. Qua de re, Lucas ne verbum quidem ſcripſit. Quamobrem iuxtà perſuaſoris Cauillum, numquam fuiſſet Antiochiæ Petrus.

Sed Hieronymus eiuſmodi ſophiſtas præuidens, eos, hunc locum, in epiſtola ad Epheſios tractans, his proſternit verbis: Nec mirùm eſſe, ſi Lucas hanc rem tacuerit, cùm & alia multa, quæ Paulus ſuſtinuiſſe, ſe replicat, hiſtorici licentia prætermiſerit.

Et paulò poſt: Denique primum Epiſcopum Eccleſiæ Petrum fuiſſe accepimus, & Romam ex indè translatum, quod Lucas penitùs omiſit. Malè igitur perſuaſor colligit, non fuiſſe Romæ Petrum, quod Lucas eius nullam fecerit mentionem. Ad hæc omnes teſtantur: Epheſi Ioannem ſediſſe, ibique rogantibus eum Aſianis Epiſcopis, Euangelium ſcripſiſſe: tamen cùm ſæpiùs Epheſum veniſſet Paulus, ibique triennium, vt acta Apoſtolorum perhibent, commoratus eſſet, nihil de Ioanne Lucas meminit. Quis igitur iàm non perſpiciat, quam ineptè rhetoricatur perſuaſor noſter, colligere ſatagens Petrum numquam Romæ fuiſse, ex eo quod Lucas aduentum Pauli Romam deſcribens, nullam de Petro fecerit mentionem? An non legitur apud Lucam vltimo capite, quod cùm audiſsent fratres de Paulo, prodierunt in occurſum eius, vſque ad Appij forum, ac tres tabernas? Et quis ſcit, an inter iſtos fuiſset Petrus, præſertim cùm indiſcriminatim omnes appellari fratres conſueuerunt? Sed inquies, tùm expreſſiſſet Petrum nominatim. Nihil oportet; nàm & alios poſsum commemorare locos, in quibus ità non facit. Sed neque deinceps ad finem vſque libri cuiuſquam alteriùs, præter quam vnius Pauli nomen appoſuit, cùm non ſit dubium, viros egregios, & inſignes in ea nihilominùs fuiſse multitudine. Sed iàm abundè ſatis labefactatus eſt cauillus iſte.

Perſuaſio Quartadecima.

[Circiter vigeſimumſeptimum poſt aſcenſionem Chriſti ad Patrem, ac Neroniani imperij quartum, aut quintum annum, Petrum Romæ nondùm fuiſſe, tam manifeſtum, quàm quod manifeſtiſſimum eſt; ſed quia neque vltimo Neronis anno, hoc eſt poſt paſſionem Chriſti, & eius ad parentis dexteram

tam aſcenſionem trigeſimoſeptimo illuc venire potuerit, hoc deducitur. Quoniam Paulus è manibus Neronia alapſus, io Hiſpaniam, vt Lyra, & alij quidam volunt, & partes Occidentis iter adornauerat. Eius enim intentionis Apoſtolum fuiſse, etiam cùm Romanis literas ſcripſerat certum eſt.

Peractis autem ibi decem annis, rursùm ad Neronis manus deuenit, & mortem accelerare videns, ſcripto Timotheum commonefacit, vt aſsumpto ſecum Marco, Romam ſeſe recipiat, eo quod præter Lucam, nullus iàm ei reſiduus fuerit collega. Sed quomodò tuis dictis mi Paule fidem habere potero, cùm tota hæc Romana colluuies, à ſecundo Claudij anno, vſque ad finem Imperij Neroniani, Petrum perpetuò Romæ duraſse, exorta voce proclamet? Qui ergo fieri potuit, vt ſolus cùm Luca Romæ fueris? O Doctor gentium, facilè id tuæ credo veracitati, Petrum Romæ numquam te vidiſse, & alijs recedentibus, ſolum cum Luca remanſiſse.

Nihil me mouent verba ſacræ Scripturæ tyrannorum, qui Chriſtum, ac tua dicta adulterare, fœdiſſimèque proſtituere in delitijs habent.

Cæterùm eadem epiſtola ſcribit; Det miſericordiam Dominus Oneſiphori domui, quia ſępè me refrigerauit, & cathenam meam non erubuit; ſed cùm Romam veniſset, ſollicitè me quæſiuit, & inuenit. Det illis Dominus inuenire miſericordiam à Deo in illa die. Non obſcurum eſt ex his verbis, quantæ gratitudinis erga eos fuerit Apoſtolus, qui officium aliquod in eum contulerint, vt non poſſit hìc ſatis gratulari, ac ſuum gaudium verbis exprimere, quod ei conciliauerat Oneſiphorus ſuo aduentu, qui peregrè veniens, non tamen conquieuit, donec hunc inueniſſet, potuit certè Oneſiphorus hìc à Petro, ſi tunc fuerat Romæ, certior effici, quo locorum Paulus Romæ ſeſe continuerit, & liberatus fuiſset multum anxia illa ſollicitudine, qua Paulum, hinc indè per Romam diſcurrendo, inueſtigauerat.

Mirùm ſi Paulum neminem præterit, à quo aliquot perſentiſset beneficium, quod Petrum Romanum, vt aiunt, incolam ſuum, numquam ſcribit aduiſitaſse carcerem, quem tamen amantiſſimum ſui ſemper habuerat fratrem, nempè à quo in Catholica illa ſua Paulus chariſſimus nominatur frater.

Quamobrem veriſſimum eſt ad vltimum vſque Neronis annum, Petrum Romæ non fuiſse, cùm nec ſaluere iubens Timotheum fratrum, qui Romæ tunc aderat nomine, Petrum admemoret: Salutant te Eubulus, & Pudens, & Linus, & Claudia, & fratres omnes; non video cur ex induſtria ſupprimere Petri nomen voluiſset, cuius alioqui ſemper fuerat obſeruantiſſimus. Quomodò idcircò viginti & quinque annis Romæ egit? Quomodò à Nerone paſsus eſt, cùm nec ſub eius imperio venire quoque ille potuerit?

Decimaquarta Diſſuaſio.

Dicat per me Romana colluuies (ſic enim appellat perſuaſor) Petrum à ſecundo Claudij anno, vſque ad poſtremum Neronis, aſſiduum Romæ fuiſse, tantùm enim abeſt, vt colluuiem illam diſcutiam, vt etiam me neſcire fatear, quos hoc nomine admodum certè contumelioſo, perſuaſor velit intelligi.

Hieronymus certè, qui, vt puto, ex illa colluuie non fuit, idem non dicet, qui ſecundo Claudij anno Romam profectum, & octauodecimo à Chriſti morte (quod ſæpè iàm diximus) ſiue quintodecimo, quod ad rem noſtram confirmandam nihil officit, Hieroſolymis fuiſse ſcribit.

At quæ nàm (inquiet aliquis) paſtoris hæc erat diligentia, tot annis à grege abeſſe: Illud ſcilicet nequaquam animaduertens, non ſpontè, ſed Claudij edicto, primùm coactum diſceſſiſse. Deindè, eo mortuo, primo Neronis anno, ad Vrbem redijſse, Eccleſiaque Romana conſtituta, iterùm euangelizando ad alias terras ſpontè acceſſiſse, quia non ſolùm fidem propagabat per varias Prouincias vt Apoſtolus, ſed etiam vt Paſtor vniuerſalis, etiam ab alijs conſtitutas Eccleſias, inuiſebat; & maximè Hieroſolymitanam, tempore omnium primam, & Antiochenam, vbi primùm Chriſtiani vocati, ex quibus initia fidei ad alios permanarent, & ex quibus conſeruatio, & propagatio fidei Chriſtianæ tunc pendebat. Et pro feſto Romanę Eccleſię, nullum tunc periculum imminebat, ne abſentis locum occuparet alius, quãdo & Linus, & Cletus à Petro ordinati, ſacrorum procurationem habebant, & æmulus aderat Narciſus, nec minus ipſe Petrus Romanorum erat Epiſcopus, Hieroſolymis, vel alibi agens, quàm Romæ.

Conueniens profectò Principi Apoſtolorum non erat, vno in loco totum vitæ tempus degere, ſed quemadmodum faciebat Paulus, totum terrarum Orbem Euangelizando, & Eccleſiàs plantando circumire. Quod Petrum feciſse, nobiliſſimos auctores habeo, Origenem, Epiphanium, & Metaphraſtem, qui affirment. At eum Eccleſia ſua abeſse neſas erat: id de Apoſtolo rectè dici non poteſt.

At numquid non Athanaſius eo tempore Alexandrinorum Epiſcopus fuit, quo Arrij factione, impietate Conſtantij, coactus eſt in exilium proficiſci; quorum ſententijs, cùm noluiſset Liberius Romanus Pontifex ſubſcribere, ipſe quoque (vt Ammianus ait) eſt deportatus: at de Athanaſio ſcribit Nazianzenus, quod non exilium, ſed peregrinatio illa fuerit: nempè, quod aliquandiu exul pro fide, demùm reuertens, totius Ægypti humeris ſit reportatus.

Numquid non idem Euſebius Pontifex Vercellenſis erat, cùm eadem actus tempeſtate, ab Occidente in Orientem delatus eſt: ille inquam Euſebius, ad cuius reditum Hieronymus ſcribit, veſtes lugubres, lętis vniuerſam Italiam commutaſſe.

Numquid non Hilarius Pictauenſis erat Pontifex, cùm à propria ſede exul, vniuerſam Galliam diſceſſu ſuo afflictam, & conſternatam reliquit? Quod ſi omninò abſentes, Pontifices dicendi non ſunt; videamus ne illi trecenti decem & octo à Conſtantino Magno euocati tantiſper Epiſcopi non fuerint, quo ad Nicææ pro Chriſtiana Republica conſtitu-

tuu-

Digitized by Google

tuenda, ſunt commorati. Ideireòque nihil eo nomine potuerint ſtatuere.

Porrò autem, quod ad epiſtolam ad Timotheum attinet, ſatis ſupra oſtendi, eam nnn 14. Neronis anno, ſed quarto, vel quinto, ex prima Pauli cuſtodia ſcriptam eſſe: quo tempore, cùm Petrus Romæ non eſſet, non eſt mirum ſi eius nomine Paulus diſcipulum non ſalutat, vel aliquam eius mentionem faciat. Sed faciamus Petrum tunc Romæ eſſe potuiſſe, quod mirùm perſuaſori videtur, Paulum Timotheum Petri nomine non ſalutare; id mibi nequaquam mirum eſt: vt enim mirum fortaſsè confiteremur, ſi eum aliundè Romam ſcriberet, onn ſalutaſſet Petrum, qui Princeps in ea Eccleſia erat, ſic cùm Roma alio ſcribit, non neceſsè eſt omnium, qui Romæ ſunt nomine ſalutem adſcribere. Priùs namque illud, niſi faceret alienum, ab officio poſſet videri, at verò alieno nomine ſalutare, ita demum conſueuimus, cùm ab ipſis, quorum nomine ſalus eſt adſcribenda, id acceperimus in mandatis.

Niſi fortaſsè Paulum per præconem annunciaſſe credimos; quotieſcumque literas daturus erat, vt illis omnium nomina adſcriberentur: Pudet pudet profectò in puerilibus (vt leuiſſimè dicam) coniecturis refellendis operam ludere, ſi enim ſola antiquitate reſte vti vellemus, maximum robur haberet, ſacris etiam literis atteſtantibus.

Quo enim propius aberat à Petri obitu, eò certius, quæ vera erant ſcire poterat, quæ deinceps per manus tradita, ad nos vſque deuenere.

Nunc verò cùm ad longiſſimi temporis perſuaſionem, ſanctiſſimi quoque, & antiquiſſimi auctores accedant, ſimile eſt huic opinioni contradicere, ei quod de Gigantibus poetæ fingunt, cum Dijs pugnare.

Perſuaſio Quintadecima.

Præter epiſtolas iàm dictas Pauli è Roma miſſas, ſunt quædam aliæ familiares reſponſiuæ epiſtolæ ipſius, ad Senecam Neronis Imperatoris præceptorem ſcriptæ, quas ego nònnullis argumentis, tunc fuiſſe ſcriptas arbitror, cùm Paulus ſecundò iam Neroni præſentaretur.

Primùm quia iam Nero Cæſar furibundus, atrox, petuleus, adulter, & omni propè vitiorum contagio fuerat pollutus, quod de priori eius quinquennin oullus credere poteſt.

Secundò, quia id temporis, Paulinæ quædam epiſtolæ, quas vbi in priori captiuitate Romæ teneretur, ad quaſdam Eccleſias direxerat, ad manus Senecæ iam tunc deuenerant, ex quibus, ille non nihil profecit, quod priori biennio, quo Romæ tenebatur Paulus, fieri non potuit.

Tertiò, quod Seneca in vna epiſtolarum ad Paulum deſcriptarum, Romani incendij à Nerone facti meminit, quod ad finem declinante Neronis Imperio factum eſt; cùm Oroſius, non ità multò poſt, Petrum, & Paulum communi mendacio deceptus, à Nerone martyrium paſſos ſcribat; & ſequenti mox autumno, peſtilentiam Romæ obortam adeò magnam, vt vno autumno, ad triginta millia hominum vita deceſſerint, quam peſtilentiã, Neronis Imperio decreſcente factam, Suetonius in vita ipſius deſignat, illis itaque ambobus Romæ degentibus, Paulo in carcere, Seneca in Regia Neronis, cùm alter de altero, magna ſibi polliceretur, & neuter neutrum alloqui potuiſſent, vel quod indè vtrique immineret periculum, quandoquidem lege cautum fuerat, ne quiſpiam Chriſtianum, aut Iudæum alloqueretur, vel quod Senecæ non fuerat integrum, Paulum in carcerem aduiſitare, nequid ex indè Tyrannum offenderet, aut ipſe quoque conijceretur in carcerem.

Quapropter epiſtolijs hanc colloquendi ſarciebant penuriam, & quidem mutuum amorem vtrinque præſeferentibus, neuter tum Petri alicubi meminit, qui vigintiquinque annis tum Romæ agere debuerat, nondùm tamen fuerat Senecæ doctiſſimo, in Chriſtianoſque benigniſſimo homini cognitus, cui proculdubio nonnihil gratificatus fuiſſet, ſi quod Paulus ob carceris impedimentum non poterat, ipſe eius deſiderio ſatisfeciſſet, & de Chriſto ſecum confabulatus, in numerum Chriſti-fidelium aſſeruiſſet: quod Paulus etiã facere debuit, vt ablata ſibi Senecam alloquendi copia, eum ad Petrum nulli Apoſtolorum poſtponendum relegaret, qui nihilo deterius fidei Chriſtianæ primordia ei tradiderit.

Sed quis ni fortè exoculatus non videat, omnia hic repugnare peſtiferę huic opinioni, quod Petrus Romam vmquam venerit à Nerone paſſurus, cùm tot rationibus conuincatur.

Ad vltimum vſque Neronis Imperij annum, Petrum Romam numquam veniſſe, tantùm abeſt, vt martyrium ab eo paſſus fuerit; nàm legitur & Inca, quæ tertia eſt Senecæ ad Paulum epiſtola, quod eius plurimum rei cauſa, Nero, Apoſtolo fuerat indignatus, quod à ritu, & ſecta priſtina Iudæorum, qui Phariſæus olim fuerat, non ſolum ipſe receſſerit, ſed & alijs hoc ſuaſerat faciendum. Quod planè Petrus prior Paulo Romæ facere debuerat, ſi tot annis antè aduentum in Vrbem ipſius illic reſederit.

Diſſuaſio Decimaquinta.

Quod ad epiſtolas Senecæ, & Pauli attinet, credo vtique dicenti diuo Hieronymo aliquando extitiſſe eas, quæ veræ, germanæque putarentur. At, quæ nunc circumferuntur, neutrius eſſe magnopere contenderim (ſi tamen ibi ſit contendendum, vbi ſiue ità ſit, ſiue non ſit, nihil cauſam hanc noſtram vel promoueat, vel impediat) eaque potiſſimum coniectura, quæ plurimum ſemper apud doctiſſimos quoſque valuit, ſtyli ſcilicet, & elocutionis; ſi enim lectioni mixtum debet eſſe iudicium, qui Senecam, qui Apoſtolum paulò diligentius legerit, iſtud ipſum, vt puto, ſtatim non verebitur affirmare; & tamen quiſquis fuit auctor, hoc egit, vt nobis perſuaderet Senecam fuiſſe Chriſtianum, & vt eius libros lectu cum primis dignos commendaret Chriſtianis; qui tamen maiore cum fructu legentur, ſi legantur vt hominis pagani.

Cum autem hæc ſcribantur clanculum inter ipſos, quàm nihil eſt in Paulinis epiſtolis illo Pauli ſpiritu dignum? quam, vix vſquam audias nomen Chriſti, cum ille non ſoleat aliud vbique intonare, quam Ieſum Chriſtum? Deindè illum fortiſſimum Euangelij propugnatorem, quam facit in his epiſtolis formidoloſum? Obiurgat enim Senecam Paulus, quod Neroni indicaret epiſtolas ipſius, quas tamen in hoc ſcripſerat, vt in omnibus Eccleſijs legerentur; atque adeo ſeipſum redarguit Apoſtolus, quòd epiſtolis ſuis nomen ſuum ſoleat ſubſcribere; & hic ſcilicet allegatur illud, omnibus eſſe placendum, & domino nempè Cæſari gerendum morem; Paulus ne cuiquam placeret, diſſimulato Euangelio, cum multò antè Romanis miſiſſet liberam, & prolixam epiſtolam? Aut hoc docuit Paulus celandum Chriſtianiſmum, vt placeat impio Domino?

Deindè Seneca nunciat Paulo, quod Cæſar immanibus ſupplicijs ſæuiret in Chriſtianos, quaſi hoc Romæ cuiquam eſſet ignotum. Ad hæc, ſi quid metuebant, tutius poterant ore colloqui quam epiſtolis. Nec Paulus amore Euangelij, grauatus fuiſset, vel in Saljuſtianos hortos venire, ſi Seneca metuebat venire Romam.

Quanta copia, quanto affectu, Paulus ſcribit vni Philemoni de re vulgari; & Senecæ tam celebri viro ſcribit tam ieiunè, tam frigide de complectendo Chriſtum? hoc eſt de re omnium maxima.

Quando verò ſic loqueretur diuus Paulus: & ſi ſors proſperè annuerit, non auſus eſt ſcilicet, nominare Deum, quem Seneca paganus toties nominat in ſcriptis ſuis? Illud inſignitæ cuiuſdam ſtultitiæ, quod Seneca mittit Paulo librum de copia verborum, quo poſt hac melius ſcribat Romanè. At qui, ſi Paulus neſciebat Latinè, poterat Græce ſcribere, cum Græce noſſet: maximè verò cum Seneca doceat, Philoſophi dictionem ſententijs grauem potius, quàm verbis ornatam eſſe debere: nunc tamen in Paulo requirat ornati ſermonis copiam.

Illud parum accuratè, quod cum faciat Senecam in Apoſtolo deſiderantem copiam, & cultum ſermonis, tamen in his epiſtolis nihilo cultius ſcribit Seneca ipſe, quàm Paulus, ſed par eſt vtriuſque balbuties, & ſenſum frigus, ſaltem aliqua ex parte Senecæ phraſim æmulari debuerat; aliquid ex Paulinis epiſtolis effingere, vel vehementia, & ſubtilitate dictionis.

Sed ego nimis multa de re nihili; nolim tamen perſuaſorem idcircò hæc dicta eſſe opinari, quod aliter non potuerim reſpondere, & quidem veriſſime. Nàm & ſi illorum eſse concedimus, quorum nomine Inſcribuntur, nihil ea propter fit noſtra cauſa deterior, quandoquidem ex Tacito certum eſt, Senecam duobus ſaltem annis antè Neronis mortem obijſse.

D. Hieronymus quoque de viris illuſtribus; Seneca, inquit, biennio antequam Petrus, & Paulus coronarentur martyrio, à Nerone interfectus eſt. Nos verò poſtremo denique Neronis anno Romam Petrum aduenisse iàm diximus; nec tamen ſi Romæ fuiſſet eo tempore Petrus, quo ſcriptæ dicuntur, protinus neceſſe eſſet Petri mentionem fieri, quod ſatis oſtendimus, cum de epiſtola ad Timotheum loqueremur.

Perſuaſio ſextadecima.

[Neminem adeò hebetem, ac ſtupidum puto, quin intelligat Petrum non modo Romæ paſſum non fuiſſe, ſed ne eum fuiſſe illic quidem; & ne quis moueatur inuerecunda illa Romanæ Curiæ voce, tot teſtimonia proferentis, perpendat ſecum, quam item de paſſione Petri, & Pauli alterutrum conueniant auctores. Ambroſius ſermone illo ſexageſimo ſeptimo de Petri, & Pauli martyrio differens, dicit: Vna die, vno in loco, vnius tyranni tolerauere ſententiam, & hæc, cum multis alijs, communis eſt ei opinio: immò totius Romanæ Eccleſiæ in eorum ſolemnitate decantantis, Glorioſi principes terræ, quomodo in vita ſua dilexerunt ſe, ità & in morte non ſunt ſeparati. Falſa verò hæc eſſe, paſſiones vtriuſque ſub nomine diſcipulorum Pauli confictæ produnt: dum neque cum iſtis, neque ſecum conueniant. Quod enim hic dicitur, vna die eos paſſos fuiſſe, id Linus apertiſſimè negat, & hoc, vana quidem ratione, quas ego ob prolixitatem, huc non adduco: verùm lectorem, ad paſſiones illas per commentitium Linum deſcriptas, & à Iacobo Stapulenſe Latinitate donatas, remitto.

Dionyſius verò, non ille Pauli diſcipulus, ſed neſcio, quis mendaciſſimus nebulo, priori opinioni ſubſcripſit: ſed nunquid, & vno in loco paſsos, concorditer omnes ſcribunt? Hic vide mendaciorum portenta: Quidam enim hoc fatentur ingenue, cantante etiam Romana Eccleſia, ne in morte eos fuiſſe ſeparatos: ſed ſicuti vna die, ità in vno loco, morti ſuiſse traditos: ac Linus Petrum in loco, qui Naumachia appellabatur, cruci præpoſtere affixum ſcribit; in quo autem Paulus ceruicem amiſerit, non meminit: ſed hoc vno ſatis teſtatur, noluiſse ſe dicere, vno in loco paſsos, cum alios apparitores, & carnifices, & alios mortis ſpectatores eorum vtrique aſſignet.

Porrò Dionyſius ille, apertis verbis ab eorum diſſentit ſententia: nam, inquit, cum ad mortem ducerentur, & ad inuicem ſepararentur, Petro dixiſse Paulum, pax tecum fundamentum Eccleſiarum, & paſtor ouium, & agnorum Chriſti; deinde quod Neronis edicto, ambo ad exitium peruenerint: ne hic quidem conſentiunt. Nam cum omnes eius rei Neronem pronuncient auctorem; ſolus tamen Linus Agrippam Petrum interimere imperaſse teſtatur; ſcribit namque, quod Petro Romæ degente, multæ ſexus fœminei, monitu Petri, illecebris luxuriæ abrenunciauerunt; inter quas Agrippæ concubinæ quatuor fuere, quarum continentia indignationis materiam Agrippæ præbuerit, ità vt Petrum cruce interimere iuſserit: hæc de re, quamuis tota Roma tumultuaretur, Imperatore tamen nihil ſciente: & multa ſunt figmenta, quibus illi mutuo diſſident, dum nihil certi ſuper ea re pronunciare nouerint: quæ ibi ergo fides, vbi nulla eſt concordia? Nam vel hoc ſolum diſſidium, mendacium eorum prodit, nec

dum

Digitized by Google

dum vnum vidimus arbitrum, qui hanc intolerabilem inter eos litem dirimere aliquando auſus fuiſſet. Hiſtoriæ enim, quam de Nerone quidam nobis reliquerunt, inſecurum eſt credere, vt iam Ioſephi adſcripſimus verba: immò res profectò miranda, quod Ioſephus ipſe, qui à Veſpaſiano, expugnata Hieroſolyma, Romam productus eſt, ibidemque agens, Domitiani ferè ſuperauit tempora, & hiſtoriam Iudaici belli in Vrbe conſcribens, Veſpaſiano, eiuſque filio Tito nominatim dicauit, in eaque à Nerone interemptorum, vt etiam aliàs in antiquitatibus meminit, nec vllam mentionem de Petro, ac Paulo facit, qui tamen erga Chriſtianos fauentiſſimus fuerat, & arrepta occaſione, non ſine honoris prœmio eorum ſolebat meminiſſe; velut Ioannis Baptiſtæ in Macherunte Caſtello obtruncati, libro antiquitatum 18. & Iacobi Apoſtoli fratris Chriſti Ieſu, ac Hieroſolymitanorum Presbyteri lib. 20. id propter crediderim ego vitæ exitum Hieroſolymis vna cum Iacobo, & quibuſdam alijs Petrum accepiſſe; ſi quidem Ioſephus, & alios nonnullos tunc temporis, cum Iacobo, ab Anano Iudęorum Pontifice interfectos ſcribit. Nam reclamat ratio, Petrum vna die interitum cum Paulo habuiſſe. Qui à Chriſto vocatus, vxorem, & liberos. immò ſocrum, quam Chriſtus à febre vexatam, priſtinæ ſanitati reddidit, habuiſſe legitur: & omnium Apoſtolorum annoſiſſimus, vtpotè cuius canitiem Paulus, vt Athanaſio placet, reueritus, poſt tres conuerſionis ſuæ annos, eius videndi gratia Hieruſalem acceſſit; cum tamen ipſe adoleſcens adhuc fuerit, vt Actorum habetur cap. 7. attamen in Euangelica functione tandiu verſatus eſt, vt ad diſcipulos vnicè ſibi dilectos ſcribens, ætate ſe iàm confectum aliquoties fateretur. Quis ſe committat labyrintho huic inextricabili, quem nobis tortuoſiſſimis ſuis opinionibus, velut muſcipulas quaſdam adornant ſcriptores, nec quippiam tam certi alicubi occurrit, quo ceu filo quodam ducti, ad exitum earum perueniamus.

Diſſuaſio ſextadecima.

Iacobum Fabrum Stapulenſem, non minus moribus, quàm doctrina ſuperiori ætate celebrem, eius candoris fuiſſe ex ijs, quæ ſcripſit, vt moribus ſuis cæteros fingens, non facilè ſibi perſuadere poſſit, aliquos fuiſſe, qui à ſe conſcripta ſub aliorum nomine publicarent, quod vt modeſtè ipſe credidit, vtinam ità verè nobis poſſit perſuaderi. Rectè enim Nazianzenus inquit, eum qui mala facere paratus non ſit, nihil temere etiam, vel de alijs opinari. Minimè igitur mirandum, ſi vir candoris ingenui, Petri, & Pauli vitas ab eo ſcriptas credidit, cuius nomine erant inſcriptæ, licèt eiuſmodi non ſint, vt Petri ſucceſſoris, non auctoritate tantum, ſed doctrina etiam, & ſanctitate dignas eſſe ſuſpicemur. Quare id quod perſuaſor ſcribit, etiam nos ſentimus: D. enim Ambroſij, & Eccleſiæ cum eo ſentientis, opinionem ſuſcipimus. Petrum, & Paulum vna die, vno in loco, Romæ ſcilicet, vnius Tyranni toleraſſe ſententiam. A quibus verbis, & ſi Lini, & Dionyſij paſſiones in die diſſentirent, non tamen illico conſequens eſſet, totam de Petri, & Pauli paſſionis hiſtoriam falſam eſſe. Nam, & de die quo Chriſtus paſſus eſt, maxima inter veteres Patres eſt controuerſia: Nam Tertullianus, Chryſoſtomus, & Cyrillus eum 8. Kal. Aprilis paſſum ſcribunt. Niceta Græcus auctor 10. Kal. Theophilus Cæſarienſis 11. Kal. Victorinus Lemouicenſis Epiſcopus, Lactantius, & Badas 7. Kal. Aprilis: alij ex recentioribus, aliter ſentiunt. Quare ſi ſcriptorum varietas, detrahere fidem hiſtoriæ poteſt, nec Chriſtum fuiſſe crucifixum, argumentari poterimus; at Linus ab Ambroſio de die non diſcrepat, nec de loco, cum Ambroſius generaliter locum, Vrbem ſcilicet intelligat; Linus particulariter vias, ſcilicet Oſtienſem, & triumphalem. De iudice verò, quid prohibet, Petrum ab Agrippa, Neronis edicto, necatum fuiſſe? Sed nec à Lino, aut ab Ambroſio Dionyſius diſcrepat. At ſi vt Lini, & Dionyſij ſuppoſitas vitas perſuaſor intellexit, ſic eodem iudicio cauiſſet, ne argumento vteretur, quod contra ſe poſſet retorqueri, nequaquam tam longus fuiſſet in ijs enarrandis, quæ Ioſephus ſcripſit: Mirum, inquit, quod qui libenter Chriſtianos nominat, Petrum Romæ occiſum non dixerit, qui tamen neque Stephani lapidibus obruti, aut alterius Iacobi decollati, nullam mentionem fecerit, quare par eſt credere, Hieroſolymis trucidatum eadem tempeſtate, qua Iacobus, & alij ab Anano, quorum in vigeſimo antiquitatum Ioſephus mentionem facit: quam tamen rem nemo vnquam ne ſomniauit quidem. At verò illud magis mirandum, ſi Petrus Hieroſolymis trucidatus eſt, vbi & Iacobus, cur illius, ſicut & Iacobi obitum, Ioſephus non deſcribit? Nec id quidem aduertit perſuaſor, cum tanta Chriſtianorum cædes extiterit; vt etiam apud Romanos, auctore Tacito, orta ſit miſeratio; eius tamen rei, Ioſephum omnino non meminiſse: Pereuntibus, inquit, addita ludibria, vt ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammis traditi, atque vbi defeciſſet dies, in vſum nocturni luminis ſunt adusti. Sumpſerat nempè Ioſephus Iudæorum res, non Romanorum narrandas. Quod verò ſcribit perſuaſor de filijs, vxore, & ſocru Petri, nondum planè intelligere potui, quid ſibi velit, auguror tamen ea ætate ſibi Petrum confixiſse, vt ad Neronis poſtremum annum peruenire non potuerit. Nos verò ſi qua Sibylla nobis in explicanda ſententia acceſserit, tum demum cum ea declarata fuerint, reſponſionem accommodabimus; interim cum nihil ea de re certum acceperimus, perſuaſori, & eius ſententiæ defenſoribus, lapidem hunc relinquimus commouendum.

Perſuaſio decimaſeptima.

[Oſtenſo, quod Petrus Romæ mortem non receperit, reſtat dicere, vbi locorum pro Chriſti nomine paſsus ſit, & antequam id probem, id teſtor prius, nullum teſtimonium diuina ex literatura huc trahi poſse, quo quis Pau-

Paulum indubiè Romæ paſsum fuiſse à Nerone oſtendat: Nam dum poſtremò iàm Neroni oblatus fuerat, & ad Timotheum ſcribens, hæc interpoſuit verba: Ego iàm delibor, & tempus reſolutionis meæ inſtat. In eis Paulus decrepitam, & non martyrium ſuum intellexit, quem interea dum hæc ſcripſerat, valdè ſenio detritum, & decrepitum planè fuiſse: ſi non alio teſtimonio, certè vel hoc ſolo conſtat, quoniam ante decem annos Philemoni ſuo ſcribens, ſenem ſe nominauit: Cum talis ſim, inquiens, vt Paulus ſenex. Quantum verò putas intra hoc decennium, continuis laboribus, omnium Eccleſiarum ſollicitudine, corpuſculum Pauli exhauſtum, & maceratum, vt indicare Timotheo ſuo cariſſimo cogeretur, quo Romam accelerarer, ſuoque aduentu mortem ipſius præuerteret, quia ipſe breui fuerat reſoluendus. Nam quod Spiritu Sancto illuſtratus, liberationem ſui è carcere præuiderit, verba ipſius indicant: ſignificans enim quomodo in priori autè Neronis tribunal ſtatione, cauſam ſuam ſolitarius, & omni patrono deſtitutus perorauerit, à Neroneque ereptus fuerit, ſub hæc ità loquitur; Liberatus ſum de ore leonis, & liberabit me Dominus ab omni opere malo, & ſaluum faciet in Regnum ſuum cœleſte. hoc ad miniſterium corporis ſui myſtici Eccleſiæ ſanctæ.

Quemadmodùm per Regnum Cœleſte, Gregorij auctoritate, Eccleſiam in ſacris Scripturis ſæpiuſcule nominari diximus, ſicut enim ſua ſpes, non illum fefellit, vbi in priore captiuitate conſtitutus, Philemoni ſcripſerat, para mihi hoſpitium, nam ſpero per orationes veſtras donari me vobis, ità neque hic eum decepit.

Sunt enim pleraque alia teſtimonia, eum à Nerone liberatum etiam ſecundariò fuiſſe, veluti epiſtola illa Senecæ, quæ Apoſtolo in carcere degenti, miſerat ipſe; ex quibus procliue eſt creditu, Neronis violentiam Paulum euaſiſſe: verùm ne hic longiùs iuſto immoremur, iam Petrum & Paulum Hieroſolymis paſſum, teſtimonijs irrefragabilibus confirmabimus; Primitùs ſolius Chriſti verbis, ad Scribas, & Phariſeos, immò ipſam Hieroſolymam apud Matthæum & Lucam loquentis: Væ vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritę, qui ædificatis ſepulchra Prophetarum, & ornatis monumenta, & dicitis, ſi fuiſſemus in diebus patrum noſtrorum, non eſſemus filij eorum in ſanguine Prophetarum, itàque teſtimonio eſtis vobiſmetipſis, quia filij eſtis eorum, qui Prophetas occiderunt, & vos implete menſuram patrum veſtrorum. Ideò dico vobis, ecce ego mitto ad vos prophetas, & ſapientes, & ſcribas, & ex illis occideris, & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in Synagogis veſtris, & perſequemini de Ciuitate in Ciuitatem, vt veniat ſuper vos, & cætera. Tandem dicit Hieruſalem, Hieruſalem; quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt, &c.

Hæc loquutum Chriſtum, non de Prophetis legis veteris, ſed de Apoſtolis: exponit Ioannes Chryſoſtomus homilia in Matth. 75. ac irà dicit; ſignificat ijs verbis Chriſtus, Apoſtolos, & eos, qui cum Apoſtolis, & poſt Apoſtolos fuerunt, ex quibus multi etiam prophetabant.

Quod diuus Hieronymus literarum ſydus, clariùs erga hæc verba Chriſti immoratus interpretatur, dicitque ſimul hic obſcura iuxta Apoſtolum ſcribentem, varia eſſe dona Diſcipulorum Chriſti, alios ſapientes, qui nouerunt quando debeant proferre ſermonem, alios ſcribas in lege doctiſſimos, ex quibus lapidatus eſt Stephanus, Paulus occiſus, crucifixus Petrus, flagellari in Actibus Apoſtolorum Apoſtoli, & perſequuti eos ſunt de Ciuitate in Ciuitatem, expellentes de Iudæa, vt ad gentium populum tranſmigrarent.

His verbis Hieronymus clariſſimè, ità & Paulum & Petrum Hieroſolymis paſſos declarat: & ne cuius teſtimonium deſideretur, Nicolai Lyræ horum Chriſti verborum interpretationem ſubnectamus; ex eis occidetis exponit Lyra, ſicut Iacobum fratrem Ioannis Actuum capite 12. & Stephanum Actuum capite 7. & multos alios, & crucifigetis, vt Petrum, & Andream fratrem eius, & multos alios flagellabitis, ſicut Paulum, & Sylam, vt Actuum 16. cap. & ſecunda ad Corinth. cap. 11. traditur. Quis contra hæc firmiſſima teſtimonia, vel hiſcere deinceps poterit? quis reclamare? Quis non modò Hieronymum, Chryſoſtomum, Nicolaum Lyranum; ſed & Chriſtum mendacij arguere poterit? cum ipſemet apud Lucam eadem repetierit verba, de Petro, Andræa, & alijs quibuſdam Apoſtolis, ea ſeſe loquutum deſignat inquiens: Dico autem vobis amicis meis, ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, & poſt hæc non habent ampliùs quid faciant; oſtendam autem vobis quem timeatis, timete eum, qui poſtquam occiderit, habet poteſtatem mittere in gehennam. Prętereà dicit Chriſtus Hieroſolymis, & non Romæ, à Scribis, & Phariſæis, & non ab Imperatoribus Romanis, occidendos ſuos Apoſtolos, quamuis non negem, quoſdam etiam extra Hieruſalem fuiſſe interemptos.]

Diſſuaſio decimaſeptima.

Benè habet, tandem aperuit perſuaſor eam, quam de Petri morte haberet opinionem, nec eam ipſam Phrygis, aut Myſi teſtimonio ſubniſam, ſed Hieronymi, inquit, literarum ſyderis, illius, inquam, Hieronymi, qui non ſemel tantùm, ſed iterùm, & ſæpiùs Romæ Petrum fuiſſe, & à Nerone trucidatum ſcripſit. Illius inquam, qui cum nuper, ipſius perſuaſoris ſententia, mendax eſſet, & ſibi contrarius, in cœleſte ſydus repente eſt immutatus. Nempè, quod tandem adhibebitis fidiculis, & eculeo, viſus eſt perſuaſori aliquid confiteri, ijs quæ ſæpius ante dixerat contrarium, & repugnans: ſed Hieronymi verba audiamus, Paulus occiſus, crucifixus Petrus; Vbi nam rogo Hieronyme, num Hieroſolymis? Minimè id quidem; eſſem enim hac ratione mihimetipſi contrarius, ſed Romæ ſub Nerone, poſtquam de Ciuitate in Ciuitatem, & de Iudæa à Iudæis expulſi, ad gentium populum tranſmigrarunt: ſed hæc fortaſſe ità intelligi debere, negat perſuaſor.

Accedat rurſus ipſe Hieronymus declarator verborum ſuorum, qui in epiſtola contra

tra

tra Vigilantium, in commentarijs epiſtolæ ad Galatas, in libro de viris illuſtribus, & pleriſque in alijs locis, non per verborum inuolucra, & quæ interprete indigeant, ſed maniſeſtè Romæ dicit, iugulatum Paulum, crucifixum Petrum: ſed nimirùm nihil eſt contra ſemetipſum tam munitum, tamquam armatum, quam mendacium, quam veri diſſimulatio, extorſit nempè veritas ipſa ab imprudente perſuaſore, vt quem prius ſi non verbis, re certè ipſa tam malè acceperat, nunc (vt verè eſt) literarum ſydus appellaret, vt verum illud, quod nos aſſeruimus, eius teſtimonio innitatur, qui etiam aduerſarij verbis tantoperè ſit commendatus, vt nemo deindè credere poſſit, eum mentitum, cui etiam aduerſarij tam magnificum titulum adhibere non vereantur.

At Chriſti verba à perſuaſore citata, paululùm excutiamus. Nihil ex ijs Chriſti verbis conijci poteſt, Petrum, & Paulum Hieroſolymis paſſos eſſe. Neque enim Chriſtus in verbis illis, alterutrius nomen exprimit: ſed tantum affirmat, quod ex ijs, quos ipſe miſſurus eſſet, Iudæi aliquos eſſent occiſuri, aliquos crucifixuri, aliquos in ſynagogis ſuis flagellaturi, aliquos de Ciuitate in Ciuitatem perſecuturi; quæ verba, quid ad Petri, Paulique mortem faciunt? Quanam argumentationis formula, ſequitur vtroſque à Iudæis Hieroſolymis fuiſſe occiſos?

Illud verò, quod ex Chryſoſtomo citat, etiam ſi ipſe negaret, nos vtique verùm eſſe contenderemus; per Prophetas ſcilicet à Chriſto mittendos, & occidendos, Apoſtolos intelligi, eoſque ventura prædixiſſe, & aliquot quoque ex ijs Hieroſolymis trucidatos, vt Iacobum, Simonem Cananeum, & Stephanum, omnes verò flagellatos, & ea Vrbe fugatos. Quare in re non dubia, teſtibus vtitur minimè neceſſarijs.

Lyrani verò nobis non vacat, nec planè ſi vacaret, liberet excutere verba, quem iam ſæpiùs perſuaſor ipſe tam acerbè inſectatus eſt, vt nobiſcum ne, an cum ipſo faciat, ſatis perſpicuum ſit, nihil interſit. Præcipuè cum idem ipſe Lyranus ſæpiùs dicat, vt in commentarijs ſuper Exodum, cap. 15. epiſtolæ ad Romanos, vltimo Actorum, & alibi, Petrum, Paulumque Romæ ſub Nerone occiſos: ſed ſi numquam id dixiſſet, aduerſarenturque omninò opinioni noſtræ; ſexcenti ſupereſſent, quos eidem opponere poſſemus; Vincentius ſcilicet Gallus, Iacobus Varagineus, Ioannes Beleth, & eius generis complures, vt quod vulgò in prouerbio eſt, cum Bitho Bacchius. Cæterùm demus aduerſario ex ſupra à ſe citatis teſtimonijs, Petrum & Paulum à Iudæis occiſos; non tamen illicò conſequetur eos Hieroſolymis eſſe interfectos; quemadmodum non ſequitur Chriſtus à militibus Romanis crucifixus eſt, igitur Romæ crucifixus fuit. Quare omnium præcipua perſuaſio, in ſpongiam incubuit.

Perſuasio duodeuigesima.

Videre mihi videor, ſatis prolixè eorum me ſubneruaſſe opinionem, qui Petrum, vt Romanum Epiſcopum celebrant, & hoc nomine Romanis Pontificibus nihil non tribuunt, dum in ſummi Apoſtolorum Principis (vt aiunt) ipſi locum ſuffecti ſint, hancque deſultoriam poteſtatem, ceu per manus ſibi tradant. At verò ſi quis roget quomodo hæc falſiſſima perſuaſio in Eccleſiam obrepſerit, dicam compendio; ſi alia quoque non minus nociua, quorum recens eſt adhuc memoria, negligentia temporum rata habentur, vt nihilominus pro articulis fidei reponantur; quamquam & hiſtoricorum de his taceant libri, & Chriſti dogmata, velut ex diametro cum eis decertent; ſolo tamen Eccleſiæ prætextu non minùs quam quæuis alia, ſine quibus hominibus, ſalus non contingit credi præcipiuntur; quibus ſi quiſpiam bono fretus teſtimonio occurrere voluerit, æquè hæreticus habetur, quam, qui in legem Chriſti fuerit impius.

Quid ergo de tam remotis, ac perturbatiſſimis temporibus, Romanæ curiæ palpones, circa Petri Romam aduentum, paſſionem, & Pontificatum confingere non poterant: putas ne Eccleſiam, quam egenus conſtituit Chriſtus, quam omnium facilè pauperimi auxere Apoſtoli, opibus ditari oportere, vnum in ea cæteris omnibus dominari, immò Eccleſiam non aliud, quam tyrannidem fieri debere? ecquis hoc dixerit? At verò hodie ſolemne id habetur, hoc glorioſum putatur, vt vnius arbitrio omnia fiant, circa vnum ſumma, & caput Reipublicæ Chriſtianæ conſiſtat, vnius iuſſu, aut iniuſſu, ſingula gerantur, ex vnius nutu, cuncta pendeant.

Quod ſi quis minùs reuerenter hos Eccleſiæ proceres inceſſerit, ſi corripuerit, ſi annuere noluerit, continuò fremunt claſſica, vndelibet plebs Chriſtiana conclamatur ad arma capeſſenda: ad omnes Chriſtianos principes id, aiunt, pertinere, ne expolietur Chriſtus, neue iacturam patiatur Eccleſia, dum aliquot annui cenſus denarij eis decreuerint, omnia ſurſum, ac deorſum verſare non verentur; at tot Chriſtianorum fœda dilacerationem, & ſtupendam perniciem interim ne pili quidem faciunt.

Adeo Tyrannis hæc Romanæ curiæ, iſta pernicioſa opinione inualuit, dum Primatum, mediante Petro, ſupra omnes alias Eccleſias ſeſe accepiſſe iactitat; & Romanus Pontifex, vniuerſalis Eccleſiæ catholicæ Epiſcopus cenſetur, repugnantibus omnibus omnium fermè libris, voce ipſiuſmet Chriſti, & ritu, ac exemplo primitiuæ Eccleſiæ, cumque recens adhuc ſit memoria, quando hæc tyrannis exordium ſumpſerit.

Nonne tamen inueniuntur plerique, qui id perpetuò fuiſſe ſcribant? id probent; pro eoque ad aras vſque (quod ſolet dici) digladientur, quibus non aliter, quam ſolius Chriſti verbis paſſim vulgus credit; prætereà, Silueſtrum à Conſtantino Imperatore honeſtis muneribus donatum, in ſedeque Imperatoria repoſitum, quis hoc hodie è populo non credit? reſiſtentibus omnibus hiſtoriographis, eorumque commentitias bullarum nugas fortiſſimis rationibus, doctiſſimiſque viris reprobantibus.

Quantum tamen veritatem promoueant, apud hanc futilem plebeculam, Pſeudo-ſacerdotum præſtigijs deluſam, in propatulo eſt omni-

omnibus, cum non minùs reuerenter in has opiniones, quam in Chriſti verba iurent ipſi. Non difficile eſt ex indè diuinare, quantum illis procliue fuerit, quæ hodie de Petro feruntur confingere, cum eorum temporum nullam certam habeamus hiſtoriam, præter commentitias illas de Petro & Paulo paſſiones, quæ adeo ſibi non conſtant, vt omnibus etiam tacentibus, ipſæ ſe ſatis confutent.

Præſertim, quæ Græcorum lingua conſcriptæ ſunt: quod vel ſolum argumento eſſe poſſit, eas falſiſſimas eſſe, cum hæc natio, ab omnibus paſſim ſcriptoribus, in hiſtoria mendacij accuſetur; Iuuenale dicente: Quicquid audet Græcia mendax in hiſtoria: & alibi, non ſine ioco, mendacem Græculum nominat; & breuiter nemo miretur, hoc apertiſſimum mendacium, ſuos patronos habere; cum non deſint etiam, qui Tuſciam patrimonium Petri appellant; qua voce, nunquam delitius dici, aut cogitari aliquid potuit; & Plinius haud ignobilis auctor, nullum tam impudens mendacium inueniri dicit, quod teſte careret.]

Diſſuaſio duodeuigeſima.

Error, ſiue res commentitia fuerit, nec ne, quæ de Primatu Romani Pontificis, aut donatione Conſtantini feruntur, ſatis ſupra docuimus, ità, vt rem luce clariorem oſtenderimus.

Porrò autem quantum ad Apoſtolicam Sedem ſpectat, non video, cur ea poteſtas, res commentitia dici poſſit; quæ Auctores habet viros lectiſſimos, probatiſſimos, & Apoſtolicis temporibus æquales, vel vicinos, de quibus nulla omninò ſuſpicio ſuboriri poteſt, cur eis hoc fingere in mentem veniſſet; ſed & cur Græcis auctoribus à nobis ſupra citatis, hac præſertim in ſe fides adhiberi non debeat, ratione omni prorsùs caret. Quid enim ſi profani Græcorum ſcriptores, imperiti tamen, mendaces aliquando dicti ſunt, num & ſacri pariter eodem vitio laborabunt? Num mendacij arguemus Dionyſium Corinthiorum Epiſcopum, Caium, Origenem, Euſebium, Ioannem Chryſoſtomum, Cyrillum, & alios eiuſmodi ſexcentos? abſit.

Cùm enim ex Chriſtianiſmo veritatem hi profeſſi ſint, qui credi poſſunt mendacia legenda Chriſtianis tradidiſſe? Sed neque vllam probabilem rationem id habet, Græcos quantumlibet mendaciſſimos, voluiſſe comminiſci, quod Petrus Græcia, & Oriente relictis, Romam ſe contulerit, cathedram ſacerdotalem ibi locaturus: cum ea res, magnam Græcis gloriæ ſpeciem eripiat. Quare, & Græcis, hac in re, maximè fides eſt adhibenda, & ijs potiſſimùm Latinis, qui Apoſtolicis temporibus vicini fuerunt, quorum nomina, ſupra huius opuſculi initio citauimus.

At ſolam Tertulliani auctoritatem repetere non grauabimur, qui in libro de præſcriptionibus aduersùs Hæreticos ſcriptum reliquit: Percurre Eccleſias Apoſtolicas, apud quas, ipſæ adhuc Cathedræ Apoſtolorum ſuis locis præſidentur, apud quas, ipſæ autenticę literę eorum recitantur, ſonantes vocem, repræſentantes faciem. Proxima eſt tibi Achaia, habes Corinthum: ſi non longè es a Macedonia, habes Philippos: ſi potes in Aſiam tendere, habes Epheſum: ſi autem Italiæ adiaces, habes Romam, vnde nobis quoque auctoritas præſto eſt ſtatuta. Felix Eccleſia, cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt: vbi Petrus paſſioni Dominicæ adæquatur: vbi Paulus Ioannis exitu coronatur: vbi Apoſtolus Ioannes, poſteaquam in oleum igneum demerſus, nihil paſſus eſt, in Inſulam relegatur. Hæc Tertullianus; quibus in verbis multa animaduerſione digna ſunt:

Primùm. Quod ex Eccleſijs, quas hic commemorat, ſola tantùm in Fide Catholica ſupereſt Eccleſia Romana.

Deindè. Quod cum Eccleſiæ aliæ florerent, ex Eccleſia Romana tantùm, in cæteras fluxit auctoritas.

Tertiò. Quod etiam ad noſtrum inſtitutum facit, Petrum Romæ paſſioni Dominicæ adæquatum fuiſſe; hoc eſt cruci affixum.

Quartò. Paulum illic, Ioannis Baptiſtę exitu, hoc eſt capitis truncatione fuiſſe coronatum.

Quintò. Ioannem Euangeliſtam, poſtquam in feruens oleum eſſet demerſus, cum nihil ex damni paſſus eſſet, in Pathmos inſulam fuiſſe relegatum.

Sextò. Trium horum Apoſtolorum pręſentia Romanam Eccleſiam nobilem, ac illuſtrem eſſe redditam, ſed ex eo præcipuè felicem, quod Apoſtoli duo Petrus & Paulus totam huic Eccleſiæ doctrinam vnà cum ſanguine ſuo profuderunt.

Supra 25. veteres, tum Gręcos, tum Latinos Scriptores citauimus, qui omnes maximo conſenſu Petrum Romæ Epiſcopum obijſſe confirmant. Si igitur hæc veritas tot nobiliſſimis Auctoribus iam recepta eſt, quis iam niſi mente captus, ac penitùs delirans eam ampliùs in controuerſiam reuocare audebit? Cùm præſertim nemo omninò ante mille quingentos annos præter Marſilium, Velenum, & neſcio quos recentiores ne contrarium quidem ſomniauerit. Quo fit, vt riſu digniſſimum ſit, quod perſuaſor opinatur Petrum Hieroſolymis fato conceſſiſſe: id quod nemini ſcriptorum vnquam antea in mentem venerat.

Repetantur omnes ad hanc vſque diem ſcriptæ hiſtoriæ, legantur ſacrarum literarum interpretes quotquot Gręce Latineque ſcripſerunt, excutiantur commentaria, nemo penitùs reperietur impudentis huius mendacij auctor. Sed vſque adeo cæcutit perſuaſor iſte, vt non attendat, quanam ratione ferè omnes eius cauilli in ſuum ipſius caput retorqueantur.

Prima enim perſuaſio, quæ diſſidio nititur hiſtoricorum præſens perſuaſoris commentum facilè tollit. Nam ſi quorundam hiſtoricorum mutua inter ſe contradictio, hiſtoriæ fidem tollit: quid fieri putabimus, vbi cuncti maxima conſenſione repugnant? Quemadmodum hoc loco fieri liquet. Omnes enim vna voce reclamant Petrum alibi occubuiſſe, quam Romæ?

Secunda etiam idipſum refellit. Nam propè finem eius, colligitur ſub Veſpaſiano

Pe-

Petrum non obijſſe: quia nemo ſcriptorum hactenus hoc, vel dixiſſe, vel ſcripſiſſe inuentus eſt. Quæ collectio cur non æque valebit hoc loco, cùm nullus vnquam ſcriptor, aut dixerit, aut ſcripſerit, ſed ne ſomniauerit quidem Petrum Hieroſolymis exitum habuiſſe? At vt prolixum, ità facilè eſſet ſingulas retorquere perſuaſiones.

Ex ſexta molitur, quod cum iam Roma Narciſſum habuerint Epiſcopum, nihil opus eſſet habere Petrum hominem veteranum, & defectum viribus. An non eadem ratione argumentari poſſemus? Cum Hieroſolyma Iacobum, & Apoſtolum, & Epiſcopum haberet, quid opus fuerit ſimul habere Petrum, nempè veteranum, & defectum viribus? In 14. perſuaſione Lucas, inquit, qui diligentiſſime ſcripſit aduentum Pauli Romam, & quomodò fratres ei veniſſent obuiam, nihil de Petro meminit. Quamobrem nec Romæ tum Petrus erat. Numquid non æque colligitur Petrum haud quaquam fuiſſe Hieroſolymis quando Paulus illuc poſtremò conceſſerit? Nàm idem Lucas in hoc aduentu Iacobum, & cæteros fratres prolixum cum Paulo ſermonem habuiſſe teſtatur, & nullam de Petro mentionem facit. Illud adde quod mendacium, longè deteriori conditione Petrum facit, quam aliorum Apoſtolorum quemlibet, cum tamen ipſe Princeps omnium fuerit. Nàm de cæteris fermè omnibus certum eſt vbi mortui ſint, vbique eorum corpora magna veneratione à Chriſtianis habeantur, & in eis præſertim locis, vbi ipſi velut Epiſcopi aliquando præfuiſſent.

At iuxtà hoc mendacium neſcitur vbi locorum, & Petrus obierit, & eius corpus iam conditum fuerit: ſed neque vſquam in terris certò venerari poteſt. Nàm ſi Romæ non occubuerit, non eſt id corpus Petri, cui tantus honor à Chriſtianis impenditur, niſi quiſquam certò poſſet docere quomodò tranſlatum ipſum fuiſſet Romam, quæ res hactenùs incognita eſt.

Poſtremò illud maximè eſt notatu dignum, quod cum Eccleſia Catholica compertum habuerit, vbi nam quiſque Apoſtolorum mortem obierit; abſurdiſſimum eſt, vt per tot ſecula putetur ignoraſſe, quo loco Princeps Apoſtolorum Petrus martyrio vitam finierit.

Ad Ioſephi verò teſtimonium vnde tam leuem aduerſarius accepit coniecturam capite 16. poſtremi libri de antiquitatibus: Ananus, inquit, Pontifex ſe credens inueniſſe tempus oportunum, Feſto mortuo, & Albino in itinere conſtituto, concilium fecit iudicium, & quoſdam deducens ad ſemetipſum, inter quos, & fratrem Ieſu, qui dicitur Chriſtus, nomine Iacobum, quaſi contra legem agentes accuſans, tradidit lapidandos, &c. Eadem, quæ ſupra repeti poſſunt nullam omninò, neque Petri factam mentionem; quod argumentum aduerſario ſatis efficax ante videbatur, quo colligeret nunquam fuiſſe Petrum occiſum Romæ.

Nempè quia neſcis eius Ioſephus Chriſtianis, alioqui fauentiſſimus, nihil meminiſſet ſaltem nominatim. Addendum, quod cum de lapidandis Ioſephus loquatur, nihil hoc ad Petrum, quem crucis morte paſſum compertiſſimum eſt. Nouiſſimè accedit, quod Petrus omnium teſtimonio ſex annis Iacobo ſuperuixiſſe traditur: Nam is anno ſeptimo Neronis fuſte fullonis interijt, Petrus verò 13. cruci affixus eſt. Nihil ergo Ioſephi teſtimonium confert aduerſario, ac proindè eius perſuaſiones nulli mediocriter hiſtoriarum perito hoc mendacium perſuadere poterunt.

CAP. III.

Sequuntur aduerſariorum Cauilli ſeptem, & eorum reſponſiones, in altera eorum libelli particula contenti, cum eorum confutationibus.

PROLOQVIVM.

Solet interdum fieri, Lector mi, vt dum vegeto ſemine agrum conſpergimus, ni ſimul nociua quæque radicitus extrahamus, vrenda filix ſubnaſcens, ſementis pariat iacturam. Quod dum hic timemus, ne quidam Cauilli animum tuum torquentes, noſtris ijs perſuaſionibus minùs te credere permittant, alteram libelli particulam addidimus; in qua, cum ſeptem quibuſdam Romanenſium Cauillis manus conſeremus, de eis, dignis rationibus, ſi ſors fauerit, prædam ablaturi. Proindè interim Romanum quempiam obæſis faucibus, ac ventre prominulo, imaginare ſycophantam, qui ſic more ſuo nobis inſtet.

Secundæ partis confutatio.

Abſoluta prorsùs quæſtione, cuius gratia laborem hunc priorem ſuſcepimus, liberum nobis erat finem facere, ni me mouiſſent quædam in ea parte operis, quam perſuaſor Cauillos inſcripſit, cum quibus ipſe manus conſerere dignum exiſtimauit, ne quiſquam prioribus ſuis perſuaſionibus, minorem habiturus eſſet fidem; iam ſcilicet præuidens, & propemodum diuinans, quod à Catholico quoque contradicendum ſibi eſſet; quod an illi commodè ceciderit, aliorum erit iudicium. Etenim an ſuperioribus ipſius argutijs, abundè confutatis, quiſquam habiturus ſit fidem, neſcio; opinor tamen vbi iſta quis perlegerit, eum non vſque adeò mentecaptum fore, vt non riſu digna putet conſequentia. Sed ne nimio verborum ambitu, lectori tædio ſimus, iam aduerſarium cum ſuis Cauillis concertantem, audiamus.

Primus Cauillus.

Quod in perſuaſione dictum eſt quarta, improbius dictum eſt, quàm vt credi debeat; [Paulus enim dum binam ſuam verſus Hieroſolymam peregrinationem, in ea quæ ad Galatas eſt epiſtola commemorat, in quartodecimo anno poſt conuerſionem ſuam, vtranque

que fuiſſe factam intellexiſſe volunt; & noo in ſeptem, & decem annis, vt tua fert opinio, idque Nicolai Lyræ teſtimonio confirmatnr. Triennium enim quo ante Paulus Hieroſolymam venerat, in ſubſequentibus quattuordecim annis, quibus ſecundatio illac cum Tito, & Barnaba perrexerat, abſorbetur, ità Nicolao verba Pauli exponente. Deindè poſt quattuordecim annos, videlicet à conuerſioue ſua, aſſumpto Tito, & Barnaba, &c. Et ſic Petrus quatuordecim illis annis præterlabentibus, Romam diuertere potetat,

Reſponſio,

Bella Lyre, niſi à tot bonis auctoribus, quibus ne matellam dignus erat ipſe porrigere, diſſentiret, crederetur expoſitio; ſed quia non auſim dicere, an vllum habeat qui iſthoc ſibi conſentiat, rationabilius tot celeberrimi ſequendi ſunt interpretes, quam hic vnus, & quidem ignobilior, qui in hoc ſpero aucupabatur ſibi gloriam, ſi ſtulte ab alijs diſſentiret omnibus. Et quia contra inermem, & imbecillem frequentia militum non ſolet deſiderari, quem vnus probatæ fortitudinis vir, vel euiſcerare poſſit, vnicum Hieronymum tot Lyranis anteponendum, contra hunc producam, qui epiſtolam ad Galatas exponens, hos ſeptemdecim annos, non ſemel repetit: In principio fidei, inquit, in tranſitu, Paulus Apoſtolos vidit, poſt annos, vt ipſe ait, decem, & ſeptem plenè cum eis loquitur, & ſe humiliat, & ne forte in vacuum curreret, aut cucurriſſet inquitis.

Et inferiùs. Contulit Euangelium cum Apoſtolis, non quod Paulus timuerit, ne per decem & ſeptem annos, falſum in gentibus Euangelium prædicaſſet, ſed vt oſtenderet prædeceſſoribus ſuis, non ſe in vacuum currere, aut cucurriſſe, ſicut putauerunt ignorantes. Hæc Hieronymi verba; quibus manifeſtè quantum Lyra deliret, oſtenditur.

Confutatio Reſponſionis primæ,

Nunc primum Cauillum à perſuaſore motum, omninò nihili facimus. Quamquam enim pro certo habeamus, idque ex Actis Apoſtolicis accuratiſſime deduxerimus, quartodecimo à Pauli conuerſione anno, Concilium Hieroſolymis congregatum fuiſſe, non decimoſeptimo, vt perſuaſor affirmat: nihil tamen ad cauſam noſtram refert, quoto id anno coactum fuerit quartodecimo ne, an quintodecimo, cum ſatis ſupra oſtenderimus, Petrum ſecundo Claudij anno, Romam primum veniſſe; ſexto verò, eius edicto, receſſiſſe; eumque Hieroſolymis, & in Syria, vel tranſmarinis regionibus, octo integris annis permanſiſſe; ità vt, ſi idem Concilium quartodecimo, decimoſeptimo, aut etiam vigeſimo anno à Pauli conuerſione celebratum fuiſſe diceremus, nihil noſtræ annorum digeſtioni, & ad Vrbem Petri aduentui officeret; cum per eos annos, Petrus Hieroſolymis ſemper adeſſe potuerit. At perſuaſoris reſponſionem, alicuius momenti eſſe faciamus.

Si quis porrò accuratè ea tempora, quæ inter Concilium Hieroſolymitanum, & carcerem Pauli conſecuta ſunt, in Actis Apoſtolorum conſiderauerit, inueniet profectò, tot annos expreſſos, & res geſtas explicatas à Luca, vt fieri non poſſit, Concilium idem poſt 14. annum celebratum eſſe, cum inter illud, & captiuitatem Pauli Hieroſolymis, anno 20. conuerſionis ſuæ factam, vix paulò pluſquam ſex anni interſint, ex quibus, quatuor, vel quinque expreſſi in Actis Apoſtolorum habentur, præter reliquas temporum fractiones, quas Paulus abſumpſit viſitandis, & confirmandis Eccleſijs, quarū Lucas expreſsè non meminit. Quo fit, vt verba ea Pauli, poſt annos 14. iterùm aſcendi Hieroſolymam; ab eius cōuerſione accipienda ſint, non vt perſuaſor ſentit, à priore triennio exacto; quia tunc annus Concilij eſſet 17. vel 18. annus conuerſionis, inter quem, & carcerem, minimum interſunt ex Actis Apoſtolicis quinque anni, quod fieri non poteſt, cum captiuitas Pauli 20. eius conuerſionis anno fuerit, vt ergo in eius vita accuratiſſimè, certiſſimèque probaui.

Secundus Cauillus.

Quid ni creditur Petro Apoſtolorum primati, qui è Roma epiſtolam quam Catholicam dicunt, ſcribens, ſe Romæ fuiſſe proprijs exprimit verbis: Salutat vos, inquit, Eccleſia, quæ in Babylone collecta. Quantum piaculum diſſentire à Hieronymo, & Lirano quorum neuter Romam, per hanc Babylonem non interpretatur. Hieronymus in libro virorum illuſtrium, Lyranus autem hæc verba Petri explanans, dicit enim vterque, Romam figuraliter nomine Babylonis deſignari.

Reſponſio.

Duplicem eſſe Babylonem à coſmographis didicimus. Vnam in Aſſyria, quam Babylo ſapientiſſimus Medi filius condidit, vel (ſi Herodoto credimus) Semiramis. Alteram quæ Ægyptiaca dicitur, non procul ab Ægypto diſtans, de qua meminerunt Stephanus, Strabo, & Ptolomæus: Et recentiorum, Ludouicus Cælius in antiquitatibus, & Raphael Volaterranus in ſua Geographia, & quidam alij. Strabo tamen plus in Arabia, quàm Prouincijs Ægypti, hanc eſſe ſitam oſtendit. Vnde Arabum lingua, Chayrum, illam vocant, quæ vox, non aliud eis deſignat, quàm ſi Babylonem noſtrates dixerint: & ſic perſuaſiſſimum eſt, Petrum ex hac Babylone, vel ſi quem Arabum oblectat dictio, Chayro, epiſtolam ſuam ſcripſiſſe, qui in Iudæa, & contermineis vndique circum, & circà regionibus Chriſti nomen diuulgabat. Iudæa autem (vt Hieronymus vult) confinem ſibi habet vtranque Arabiam, hoc eſt, & Arabiam petream, & Arabiam deſertam. Ab Oriente enim habet Arabiam petream, & iuxtà hanc, ad Meridiem tangit Arabiam deſertam; & Apoſtolus hoc quoque teſtatur, dicens: Syna mons eſt in Arabia, quæ coniuncta eſt ei, quę nunc dicitur Hieruſalem. Quas ob res, in cis collimitaneis Hieroſolymæ Prouincijs, Petrum prædicaſſe Chriſtum, & ex Chayro

ad

Google

ad diſperſns è Pontò, Galatia, Cappadocia, Aſia, Bithynia, Chriſti fideles epiſtnlam ſcripſiſſe, hoc iam quis neget? Atque eo modo, verba Petri, ſalutat vos Eccleſia, quæ eſt in Babylone coelecta, intelligenda ſunt. At ſinamus prætereà ſnis figuris ludere Lyranum. Quia ſicut, inquit, Babylon fuit Ciuitas maxima, & idnlatriæ dedica, ſicut patet in Daniele, ſic Roma poſteà fuit ex ſimili opere.

Confutatio Reſponſionis ſecundæ.

Quod tanta verbnrum copia perſtrepit perſuaſor, paucis perſtringam. Non fuiſſe Romæ ſcriptam priorem illam epiſtolam Petri, neque per Babylnnem illic tropice Romam intelligi debere, qnoniam apud chnrographos, duas conſtat eſſe Babylonias, alteram in Aſſyria, alteram haud procul ab Ægypto, ex qua, Petrus epiſtnlam ſcripſit. Hæc de Ægyptia Babylnne fabula, adeò à veriſimilitudine lōgè diſtat, vt mihi veriſimile fiat, perſuaſnrem, cum nequaquam idem quod ſcribebat crederet, id tantum quæſiſſe, vt teſtatum relinqueret, ſe nō omninò coſmngraphiæ fuiſſe expertem, qua quidem in fabula, nihil neceſſe erat Volaterranos, aut Cælius tam anxiè inquirere.

Nemo namque, vt opinor, negaturus fuit, Babylnniam Aegyptiacam extare, cuius cum, & Antoninus, & Ptulomęus meminerint, originem etiam ex Diodoro ſcimus, cnnditam namque dicit à captiuis Babylonijs, Seſoſtridi Regi in Aegypto ſeruientibus, à quo defeciſſent, bellumque intuliſſent Aegyptijs, poſtremò ædificandæ Ciuitati locum acceperunt, haud procul à Nilo, eamque à patriæ ſuæ nomine appellarunt Babylnniam.

Ioſephus verò in ſecundn de antiquitàtibus libro, poſterius conditam ſcribit, in ruinis Lyci Vrbis, à Cambiſe deuaſtatæ, eoque prima die contendiſſe Hebræos, cum Aegyptum eſſent deſerturi: Qua in re, ne fortaſsè aliquando ſimilitudine nominum decipi nos contingat, ſciendum eſt, non de ea Lyco, Ioſephum locutum, quæ cis Nilum In ea parte Ægypti eſt, vbi aſperrimi montes Thebaidem à Septentrione finiunt, & à qua Lycopolites nomus, vel vt latine loquamur, præfectura appellata eſt, ſed de Lyco altera, quæ trans Nilum fuit Arabiam verſus; Vbi poſtmodùm Babyloniam condiderunt. Quod ſatis patet, ex ratione itineris Iudęorum, qui ex Geſſen diſcedentes (ea autem, auctore Hieronymo, Thebaidos pars eſt trans Nilum ad Orientem) & ex Rameſſe, quæ poſteà, eodem teſte, Pagus Arſenoites fuit, in littore rubri maris, verſus Paleſtinam cœperunt iter, & ad Septemtrionem proficiſcentes, eò deneuerunt, vbi Nilus primo ſcinditur, in vertice eius partis Ægypti, quam Græci Deltam vocant, vbi poſtmodùm condita fuit Babylonia.

Facilè verò coniectura aſſequi poſſumus, cuiuſmodi fuerint eius Vrbis primordia, cuius egena deuaſtataque manu, aut certè ſeruilis, & electa adhùc preſſa tot erumnis, & calamitatibus fundamenta iecerit; Tam infelicibus etiam auſpicijs, vt per tria propè annorum millia, nulla frequentia indigenarum nullo aduenarum commercio, ad iuſtam Vrbis magnitudinem potuerit excreſcere.

Per Strabnnis namque tempora, non Ciuitas, non oppidum erat, ſed, qund ipſe ait, *phroyrion erymnon*; arx ſcilicet munita, quæ Romannrum præſidio tantùm tenebatur, vnica ibi diſpoſita cohorte, quod eſſet Arabiæ, Ægyptique contermina: ſiquidem Nilus cui appoſita eſt, vt plerique dicunt, Arabiam Ægyptumque diſterminat. Diù quoque in eadem rerum, & hominum egeſtate perdurauit, dnnec per tempora Chriſtianæ calamitatis, paulò antè exorta Mahumetica impietate, rurſùs in ſeruorum recidit ſeruitutem.

Factiſque tum demùm ibi fundamentis, maximi Imperij mira incrementa accipiens, ex ruinis præcipuè proximarum Ciuitatum, Mempheos, & Heliopoleos in eam creuit amplitudinem, vt & mnrorum ambitu, & populorum frequentia, cæteris omnibus eius regionis, longo internallo, Vrbs ipſa præponenda ſit. Antè annos autem quinquaginta, euerſa ſeruili Mamalucorum tyrannide, per Selimum Turcarum Imperatorem, maximam quoque partem priſtini ſplendoris amiſit.

Cayrum autem nunc appellant, non quod ibi olim carræ fuerint, vt Platina, Blonduſque crediderunt, nec quod idem nomen illud ſit, cum nomine Babylonis, vt perſuaſori video perſuaſum eſſe; ſed quod Cayr ſtatum (vt periti eius linguæ dicunt) bonum rectumque ſignificat.

Cùm contra, Babylon ſignificet confuſionem. Enimuero ſi perſuaſnri qunque dediſſemus, numquam Romæ fuiſſe Petrum, nulla tamen veri eſſet ſimilitudo, cur crederemus ex hac Babylnne ſcripſiſſe, aut ibi diutiùs duxiſſe moram, cum id merum perſuaſoris figmentum, nullo ſcripturarum, aut auctorùm teſtimonio, munitum eſſe appareat. ommitto quod licèt Babylnnicæ Eccleſiæ nomine ſalutem aſcribit, non tamen continuò neceſſarium eſt, Babyloniæ quoque ſcriptam epiſtolam: poſſet namque de abſente Eccleſia, illud intelligi, quod Pauli teſtimonio conuincemus: Salutant vos, inquit ad Romanns, omnes Eccleſiæ Chriſti, nunquid nam Paulus aut tunc erat, aut olim fuerat apud omnes Eccleſias?

Rurſùs in priore ad Corinthios: Salutant vos omnes Eccleſiæ Aſiæ, cum Philippis ſcripta ſit epiſtola, quæ Vrbs fuit Macedonię, nunc autem euerſa.

In poſteriore verò, ſalutant vos omnes Sancti, cum pauci fortaſsè admodùm tunc eſſent cum D. Paulo; dixiſſet certè Petrus, ſi in Babylone Ægyptia tunc fuiſſet, ſalutat vos quæ mecum eſt Eccleſia, vel vt iterùm Paulus, qui mecum ſunt ſancti. Niſi & qualis tunc eſſet Romæ, diuinarum humanarumque rerum confuſiò, eo potiſſimùm vocabulo, ſignificare voluiſſe tacito proprio Romæ nomine, ne fortè, exceptis literis, incitarentur in Eccleſiam Romanorum animi; quod & Paulus fecit ſcribens, ſe ex ore leonis liberatum: niſi ridiculè non Neronem, ſed id animal quod nomen ſignificat, velimus intelligere.

Omitto prætereà quod Papias Apoſtoli Ioannis auditor, Romam, dixit figurate,

pro Babylone apud Petrum intelligi, cuius ſententiam ſecuti ſunt Tertullianus, Euſebius, Hieronymus, & ex recentioribus Bedas: cum ipſe imperitè, ſolum citet Lyranum, quaſi ſolus ipſe hoc dixiſſet. At verò cum non multum à Strabonis ætate diſtent Petri tempora, credo equidem Perſuaſorem opinatum, Petrum humanitate ductum, in Ægyptum perrexiſſe, vt milites Romanos, qui illic in præſidio erant, ad Chriſtum conuerteret, ex quibus illa demùm conflata ſit Eccleſia, cuius nomine ſalutem adſcribit.

Cum enim vndique ſolitudines eſſent, magno iudicio, is qui tanquam operarius, in ſegetem miſſus fuerat, non frequentia populorum, celebrem aliquam regionem, ſed arcem hanc in déſertis munitam, ſibi elegit, vt ductum quiſpiam dicat, deſiderio viſendatum Pyramidum.

Cum verò ſciamus vbi Paulus prædicarit, viciſſim quoque ſcimus quibus perſuaſerit fidem, quod item de Iacobo, Thoma, Ioanne, & alijs poſſumus dicere. At verò Petrus ipſe, qui primus Chriſtum Dei filium confeſſus eſt, cui ſoli dictum legimus, vt oues agnoſque paſceret, qui ſe electum dicit, vt per os eius gentes agnoſcerent veritatem, quos Chriſtum docuerit ignoramus.

Quæro quos nam Babylonica illa arx, vel Eccleſia viros protulerit, qui ſanctitate, aut doctrina teſtentur, Petri ſe fuiſſe Diſcipulos.

Antiochia certè prior illius Pontificis Sedes, Euodium, Ignatium, & ne plura proſequar, ab illorum diſciplina, Chryſoſtomum nominabit; ſic Pantænum, Clementem, Dionyſium, Origenem, Athanaſium, Petrum, Cyrillum Alexandria: verè autem Petri Sedes Romana Ciuitas, inſtituente Petro, non minùs, in Eccleſiæ primordijs, ſanctiſſimis doctiſſimiſque hominibus, Lino, Clemente, Sotere, Iuſtino, Victore, Apollonio, & alijs referta fuit, quàm ante Chriſtum cognitum, in diſciplina militari clariſſimis impetatoribus.

Et quo nam, rogo, D. Petrum, ex tanta hominum celebritate ciectum, iſte relegabit? ridiculè ſanè, in Babylonem, & illam quidem non Arabiæ tantùm, ſed totius impietatis arcem, atque perfugium? Quid nam interroganti reſpondere poterit, Petrum per tot annos egiſſe, quot impudenter, & fabuloſè, loca illa inhabitaſſe contendit? Quod nam adiumentum, teneris adhùc Chriſtianæ Reipublicæ in cunabuliſ præſtitiſſe? Nullus certè ad hanc diem Babylonius, nullus Arabs auditus eſt, non modo pro Chriſto depugnaſſe, ſed Chriſtiani etiam nominis non inimiciſſimus.

Siccine ei veriſimile fit, illius, quam ipſe confingit, Babylonicæ Eccleſiæ, à Petro poſita fuiſſe fundamenta? Sic Arabiam à D. Petro omnium Apoſtolorum maximo, optimis, & inſtitutis, & moribus conſtitutam ſtabilitamq; reliquiſſe, vt fex illa, totius Orbis peſtis, pernicieſque Religionis Chriſtianæ, impius Mahometus ex illa potiſſimùm regione exierit, quam ipſe regendam, gubernandamque ſuſcepiſſet? & ex qua nihil vnquam, non modò pietati Apoſtolicæ conſentaneum, ſed niſi omninò terrum, impium, ſceleſtum, deteſtandumque prodijſſe non dubitamus? Quieſcat igitur quaſo & ab hiſce delirijs ſuis animum auocet, verumque D. Petri Romæ ſepulchrum, & legitimam à Chriſto ipſi traditam poteſtatem, & eiuſdem ab ipſo eius ſucceſſoribus, ex Chriſti inſtitutione, relictam agnoſcat.

Sic enim clariſſimis iam, certiſſimiſque teſtimonijs eſt probatum, ità vt, nemó ampliùs hæc inficiari audeat, & in pertinacia ſua pernicax, non erubeſcant, contra omnium hiſtoricorum fidem, contra tot ſeculorum coalitam ſententiam, contra totius Eccleſiæ conſenſum, ſtolida hæc deliramenta commentati, qui nec vnum ex antiquis ſacrarum literarum interpretibus huius mendacij auctorem habet, nec vllam ex ſacris libris, aut prophana quauis hiſtoria rationem probabilem afferre poteſt, Petrum vnquam eas regiones attigiſſe. Mirum certè eſſet, ſi Petrus eo contendiſſet, quod nullum eius itineris veſtigium ſupereſt, cum de aliorum Apoſtolorum peregrinationibus, hiſtoriæ ſint refertæ.

Cauillus Tertius.

Si nihil aliud, hoc profectò ſolùm magno eſſet argumento, Petrum Romæ ante priorem etiam Pauli illuc aduentum fuiſſe, quod dum è Hieroſolymis, vt Lucas in Actis Apoſtolorum tradit, militibus comitatus Romam vinctus duceretur, occurrerunt ei fratres ad Appij forum, quibus viſis, gratias Deo egit ille. Nam quo monitore in Chriſtum credidiſſent, ſi tunc Petrus Romæ abfuerat?

Reſponſio.

Chriſtianos protinus poſt Chriſti paſſionem, & nondumtaxat Paulo illuc veniente, Romæ fuiſſe, Oroſius, Tertullianus, Platina, immò Chriſtianorum hoſtis Suetonius Tranquillus teſtantur.

Oroſius enim lib. 7. cap. 4. ad hunc modum ſcribit: Poſtquam paſſus eſt Dominus Ieſus Chriſtus, atque à mortuis reſurrexit, & Diſcipulos ſuos ad prædicandum miſit, Pilatus preſes Paleſtinæ Prouinciæ, ad Tyberium Imperatorem, atque ad Senatum retulit de paſſione, & Reſurrectione Chriſti, conſequentibuſque virtutibus; quæ vel per ipſum factæ fuerant, vel per Diſcipulos eius in nomine eius fiebant. Et de eo, quod certatim creſcente plurimorum fide, Deus crederetur.

Tyberius ergo cum ſuffragio magni fauoris retulit ad Senatum, vt Chriſtus Deus haberetur. Senatus indignatione motus, cur non ſibi priùs ſecundum morem delatum eſſet, vt de ſuſcipiendo cultu priùs ipſe decerneret, conſecrationem Chriſti recuſauit, edictoque conſtituit, exterminandos eſſe Vrbe Chriſtianos, præcipuè cum, & Seianus prefectus Tyberij, ſuſcipiendæ religioni obſtinatiſſimè contradiceret.

Tyberius tamen, edicto, accuſatoribus Chriſtianorum mortem comminatus eſt; de quo Tertullianus in Apologetico aduerſus Gentiles modeſtiùs aliquanto loquitur: Ty-

be-

berius, inquit, cuius tempore, nomen Chriſtianum in ſeculum introiuit annunciatum ſibi ex Syria Paleſtina, quæ illic veritatem, ipſius diuinitatis reuelauerat, detulit ad Senatum cum prærogatiua ſuffragij ſui, Senatus, quia non ipſe probauerat, reſpuit. Cæſar in ſententia manſit, comminatus periculum accuſatoribus Chriſtianorum. Omitto dicere quid ſcribant Suetonius, & Platina, hic in Chriſti, ille verò in Tyberij vita, quibus ſatis inſinuatur, tutam fuiſſe, à Tyberij temporibus, ad Neronis vſque Imperium, & ſub eius Imperio, ad vſque Pauli aduentum, Chriſtianam Romæ Religionem, Tertulliano adſtipulante his verbis: Conſulite commentarios veſtros, illic reperietis primum Neronem in hanc ſectam Cæſariano gladio ferociſſe.

Quare nullus mirari debeat, tot fratres Romæ fuiſſe, qui Paulo venienti occurrerint: quoniam gliſcente etiam illic pietate, ordinatione Spiritus Sancti, nec presbyteri illis defuerant, vti Narciſſus, Andronicus, Iunias, & cæteri, quaterus nihil opus habuerint Petri præſentiam deſideraſſe, quos deindè Paulus quoque ipſe, tum per epiſtolam faciendorum admonuerat: tum præſenti aliter inſiſterat, vt iam abundè in priore noſtri libelli particula, ſingula hæc indicauimus.

Confutatio tertiæ reſponſionis.

Obijcit ſibi hoc loco perſuaſor, quod nemo alius (vt arbitror) ipſi obieciſſet. Neq; enim ex ijs, quæ ipſe attulit, argumentari quiſquam potuiſſet, Romæ, ante Pauli aduentum Petrum docuiſſe. Nec neceſſe eſt, quod illuc prius acceſſerit Petrus, quam vlli alij Chriſtiani: credi verò poteſt fratres ipſos, qui tum obuiam Paulo venerunt, aliquam ante cum eo neceſſitudinem habuiſſe, neque primum Romæ fuiſſe ad Chriſtianiſmũ conuerſos. Debilis igitur obiectio eſt, nec multò validiore ratione eam aduerſarius refutare conatur. Quid enim ſi Tiberio Imperatore, fratres aliquot, facta per Stephani mortem diſperſione, quemadmodum in Actis Apoſtolicis traditur, conceſſiſſent Romam, num non ob id, non fuiſſet item præſentia Petri neceſſaria? An non legimus in ijſdem Actis, quod cum audiſſent Apoſtoli, quia Samaria per Philippum recepiſſet verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum, & Ioannem? Ecce cum accepiſſet Eccleſia Hieroſolymitana, Samaritas Philippi prædicatione, ad fidem fuiſſe conuerſos, & baptizatos, operæ pretium tamen eſſe duxit, vt nihilominus Petrus, & Ioannes eo ſe conferrent. At Velenus argutatur. Roma Narciſſum habuit, Andronicum, Iuniam, Priſcillam, Aquilam, idcircò nihil opus habuit, Petri præſentiam deſideraſſe. Neceſſaria profectò fuerat Petri præſentia Romæ, cum ob alias cauſas, tum quod Simonis Magi artes apprimè callebat, cuius gratia, potiſſimum etiam in Samariam pridem acceſſerat. Nam vt in Actis legimus c. 8. ille in Samaria artem magicam exercebat, ac Samaritanos dementabat dicens, ſe eſſe aliquem magnum, cui auſcultabant illi à minimo vſque ad maximum dicentes, hic eſt virtus Dei, quæ vocatur magna. Ob huius certè artes Apoſtoli, qui tum erant Hieroſolymis, metuentes ne Samaria conuerſa, ad priſtinos errores relaberetur, Petrum, & Ioannem eò miſerunt. Pudefactus itaque, & repreſſus Simon, illicò receſſit Antiochiam primùm, deindè Romam, quo & Petrus aliquot annis poſt eius veſtigijs inſiſtens, ſe recepit. Nam eadem cauſa, quæ Petrum ante in Samariam traxit eadem eum adegit Romam quoque proficiſci, cuius conflictationis, quam Romæ cum Simone Petrus habuit multi ſcriptores meminere, quorum præcipui, Euſebius, & Arnobius ſunt. Simonis verò, Irenæus, Iuſtinus, Tertullianus mentionẽ faciunt. Ad Oroſium autem, cuius hæc verba perſuaſor citauit, Tyberij ſcilicet tempore, Senatum edicto conſtituiſſe, exterminandos eſſe ex Vrbe Chriſtianos: quamobrem, & oportuit Tyberij tempore, Chriſtianos Romæ fuiſſe. Sed audiat noſter ille, quid idem Oroſius eiuſdem libri cap. 4. ſcripſerit: Exordio Regni Claudij, Petrus Apoſtolus Domini noſtri Ieſu Chriſti Romam venit, & ſalutarem cunctis credentibus fidem, fideli verbo docuit, potentiſſimiſque virtutibus approbauit, atque exindè Chriſtiani Romæ eſſe cœperunt. Audiat, inquam, Velenus, cœpiſſe Romæ Chriſtianos poſt aduentum Petri, & ex Oroſio, contrà nos argumentetur. Idem teſtatur, & Euſebius cap. 14. lib. 2. de Petro loquens: ſalutaris prædicationis verbo primus in Vrbe Roma Euangelij ſui, clauibus ianuam regni cœleſtis aperuit. Ecce aperuit in Vrbe Roma Petrus, verbo ſalutaris prædicationis, hoc eſt, clauibus Euangelij ſui, Cœleſtis Regni ianuam Romanis aperuit. Nec repugnat Oroſius ſibi, fieri enim poteſt, & conuerſos aliquot ex Iudæa (vt ſuprà diximus) Romam ante Petrum veniſſe, qui ibi publicè non docuerunt, & tamen Petrum primum fuiſſe, qui Romanis apertè concionatus fuerit, & ex ipſis Romanis, aliquot ad Chriſtianiſmum conuerterit, Eccleſiamque publicè erexerit. Cœteri verò à perſuaſore citati auctores, quia præter Oroſium, nihil alicuius momenti afferunt, nullam à nobis habent reſponſionem.

Cauillus Quartus.

Quibus, ea res magis comperta fieri debuit, atque diſcipulis Apoſtolicis, & qui proximè viguerunt poſt Apoſtolos. At illi hoc nobis indubitatò prodidere, Petrum & Paulum Romæ paſſos fuiſſe, quorum vnius, videlicet Lini nomine, Timotheum ſalutauerat Apoſtolus, dicens; Salutant te Eubulus, & Pudens, & Linus. Alterius autem, in Actis Apoſtolicis celebratur memoria, loquente Luca: Quidam verò viri adhærentes Paulo crediderunt, in quibus, & Dionyſius Areopagita, & mulier nomine Damaris, & alij cum eis. Prætereà Egeſippus, qui Aniceti decimi, poſt Petrum, Romani Pontificis tempore Romam aduenerat, in laudibus fidei Chriſtianæ verſatus, eiuſce paſſionis Petri, & Pauli meminit.

Reſponſio.

Si mihi nihil aliud eſſet, quatenùs probem, paſſiones illas Petri, & Pauli, ab eorum diſcipulis non fuiſſe conſcriptas, diuerſitatem illam, & diſcrepantiam, quæ illic reperitur, firmiſſimæ probationis loco ponerẽ. Sed quia ſunt mihi pleraque multa, ad perditam hanc ſuſpitionem tollendam, illius ne meminero quidem. Perſuaſum eſt doctis omnibus, non modò diſcipulis Apoſtolicis, ſed, & ipſis Apoſtolis adhuc ſuperuiuentibus, hanc iniuriam ſæpius factam fuiſſe, vt multa eorum ſub nomine, Chriſtianæ profeſſioni repugnantia, in publicum ederunt. Nomine enim Pauli, (vt Origenes teſtis eſt) ad Teſſalonicenſes, à pſeudo Apoſtolis, quò faciliùs deciperentur, porrecta fuit epiſtola. Quos Apoſtolus, re tandem comperta, propria ad eoſdem data epiſtola, admonet his propè verbis: Non citò moueamini (inquit) à veſtro ſenſu, neque terreamini, neque per ſpiritum, neque per ſermonem, neque per epiſtolam tamquam per nos miſſam. Et Hieronymus viſionem Pauli, & Teclæ, ac baptizati leonis fabulam, ſub nomine Pauli, à quodam Aſiæ presbytero fuiſſe editam, ſcribit, quod ipſemet poſteà (Tertulliano teſte) ſe feciſſe Pauli amore, confeſſus eſt. Clementis item Romani, cuius Apoſtolus ad Coloſſenſes ſcribens, mentionem facit: multis erroribus hæretici reſerſerunt libros, quorum quidam Eunomij hęreſim ſapiunt. Nam diſputat quodam in libro, filium Dei, ex nullis extantibus, creatum. Item dæmones non voluntatis maliciam feciſſe, ſed creaturam eos eſſe diuerſæ qualitatis, ab alijs productam. Et longè plures alij mihi reperiuntur errores. Rurſum Dionyſij cuiuſdam Alexandrini Epiſcopi, vſque adeo deprauati ſunt libri, vt eius auctoritate, Arianorum hæreſis, filium Dei non eiuſdem ſubſtantiæ eſſe cum patre, auſa ſit confirmare. Origenis nondum mortui, tot iam ſubdititijs erroribus ſcatebant libri, vt ſæpiuſculè hanc iniuriam deploraſſe legatur. Et Rufinus in apologia pro Origene, de hæreticorum (inquit) temeritate, vt credi iſtud ſcelus facilè poſſit, illa res maximum credulitatis præſtat exemplum, quod abſtinere impias manus etiam à ſacroſanctis quidem Euangelij vocibus non potuerunt. Apoſtolorum verò, vel acta, vel epiſtolas qualiter polluerint, qualiter corroſerint, qualiter in omnibus macularint, vel addendo impia, vel auferendo, quæ pia ſunt, ſi quis vult plenius ſcire, ex his libris Tertulliani, quos aduerſùs Marcionem ſcripſit, pleniſſimè recognoſcet. Et alibi inquit: Peruerſi homines aſſertione dogmatum ſuorum, ſub virorum ſanctorum nomine tamquam faciliùs credenda, inſeruerunt ea, quæ ipſi nec ſenſiſſe, nec ſcripſiſſe credendi ſunt. Et ideò Origenes homelia 26. ſuper Matth. dicit: Oportet caute conſiderare, vt nec omnia ſecreta quæ feruntur in nomine ſanctorum, ſuſcipiamus.]

Sequitur deinceps perſuaſor, aliquot rationes adducens, quibus probare conatur, eas Apoſtolorum Petri, & Pauli vitas, & acta, quæ Dioniſij, Lini, & Egeſippi nomine circumferuntur ficta eſſe, quas longis verborum anfractibus prolixas, neque nihil noſtræ ſententiæ repugnantes, omittimus, ità verò in fine reſponſionis addit.

Quod idem ſentirem, & de Egeſippo, [qualiter enim homo iſte poſt multa tempora Romam veniens, hiſtoriæ ſeruare potuiſſet veritatem? qui neque rei geſtæ aderat ipſe, neque Roma illa tempeſtate, de eorum paſſionibus quicquam ſibi conſcia erat: ſiquidem multis poſt Egeſippum temporibus, fabulam hanc fuiſſe fictam, certum eſt.]

Quartæ reſponſionis reprobatio.

Quamquam non multi faciamus, legitima ſint nec ne Dionyſij, Lini, & Egeſippi de Petro, & Paulo ſcripta, vbi teſtium veraciſſimorum nubem habemus, ideoque, & caulluſ, & reſponſio eius, ad rem noſtram nihil omnino faciant, breuibus tamen nonnullis à perſuaſore in reſponſione ſua allatis, reſpondebimus: primum inuenire videtur, & ſi id apertè non profiteatur, hæreticos probatorum ſcriptorum libris hanc rem de Petri ad Vrbem aduentu fortè interſeruiſſe. Hac in re libenter ab eo expeterem, vt nos doceret, qua nam ratione, aut cuius rei ſpecie, quiſpiam hæreticus fingere conſtituiſſet Petrum Romæ fuiſſe, aut cuius hæreſiarchæ ſecta, hac opinione, vel tantillum promoueri potuiſſet? Quod ſi non poteſt, cum hoc hæreticis longè magis aduerſetur, quam proſit, non video cur ſuſpicari quiſquam debeat, id alicuius auctoris operi fuiſſe ab hæreticis inſertum. Nec obſtant Origenis verba, cum admonet, non oportere omnia à nobis ſuſcipi, quę nomine ſanctorum circumferuntur. Nam aliud eſt non ſuſcipere omnia, aliud omnia reprobare: voluit igitur Origenes, vt non ſine delectu libros ſuſciperemus, & idcircò dixit, oportet cautè conſiderare. Sed noluit, vt illud reijceremus, in quo nulla vmquam fuit mali ſuſpicio; quodque perpetuo à primordijs Eccleſiæ, ab omnibus eſſet receptum. Cuiuſmodi conſtat hanc rem eſſe, de qua modò agimus, Romæ ſcilicet Petrum aliquando fuiſſe. Nam ad hunc vſque diem, nemo repertus eſt, præter paucos recentiores acerrimos Eccleſiæ Romanæ perduelles, qui id negarint, cum tot eximij, vetuſtiſſimique ſcriptores, de quibus ſuprà diximus, idipſum toties, tam vnanimi conſenſu affirment. At demus aliquam eſſe de anno, ſiue die, quo Apoſtoli occiſi fuerunt diſcrepantiam: nihil id obſtare debet, quin Romæ fuerint interfecti, ſicut nec de Chriſti morte Hieroſolymis facta dubitare licet, cum tamen, vt ſuprà oſtendimus, inter ſcriptores non de anno ſolùm, verùm etiam de die quo fuerit Chriſtus Crucifixus, magna controuerſia ſit. Varietas igitur, quæ inter auctores eſt, de tempore cędis Apoſtolorum, non tollit fidem, quod Romæ mortui ſint, & præſertim ſi nullum aliud eſſet indicium, quàm quod in Vrbe Petri Paulique cineres, ad hodiernum vſque diem, tanta habeantur in veneratione. Sed, & illud obſeruemus, quod ex immenſo propè ſanctorum patrum numero, tres dumtaxat, carbonectaie perſuaſor, ſcilicet Dionyſium, Linum, & Egeſippum. Demus autem aduerſatijs, trium horum libros, qui ipſorum no-

mini-

Digitized by Google

minibus circumferuntur, ſuſpectos eſse. Quid de Philonis viri ſapientiſſimi, Papiæ Hieropolitani, Dionyſij Corinthij, Irenæi Lugdunenſis, Cypriani Carthaginenſis, Petri Alexandrini Epiſcoporum, & Martyrum, Clementis Alexandrini, Tertulliani, Caij, Origenis, Arnobij, Lactantij, Euſebij, qui perſecutionum temporibus vixerunt, item Ambroſij, Hieronymi, Rufini, Optati, Athanaſij, Epiphanij, Chriſoſtomi, Auguſtini, Oroſij, Proſperi, Leonis, Gregorij, Bedæ, Theophylacti, & aliorum ſexcentorum teſtimonijs dicemus? Num illos commentitios eſſe putabimus quos vniuerſalis Eccleſiæ conſenſus, & vos ipſi, vt legitimos ſuſcipiſtis? Numquid aduersùs hos hiſcere quiſquam audebit? cum verò dubium non ſit, pleroſque antiquiores Egeſippo, eiuſdem rei mentionem feciſſe: conſequens eſt verum non eſſe, quod perſuaſor ait, confictam fabulam poſt Egeſippum. Equidem opinor, illo potiſſimum argumento, hominem motum eſſe, vt falſam mentionem illam crederet, quia ſcilicet diligentiſſimus hiſtoriarum inueſtigator fuerit.

Cauillus quintus.

[At Eccleſia Romana verba ex paſſione Lini, quem tu leonem potius aliquem, quam Linum fuiſſe blaſphemas, deprompta annuatim decantat, id neutiquam factura, ſi eam non legitimè deſcriptam ſcierit. Inter cætera, in paſſione Petri, & hæc ponuntur verba. Vt autem portam Ciuitatis voluit egredi Petrus, vidit ſibi Chriſtum occurrere, & adorans eum ait: Domine quo vadis? Reſſpondit ei Chriſtus: Romam venio iterum crucifigi: & ait ad eum Petrus, Domine crucifigeris? Et dixit ad eum Dominus: Etiam iterum crucifigar. Petrus autem dixit: Domine reuertar, & ſequar te. Et his dictis, Dominus aſcendit in cœlum. Petrus autem proſecutus eſt eum, multo intuitu, atque dulciſſimis lacrymis. Et quo id magis factum credatur, hactenus extat eo loci exædificatum ſacellum, vbi hæc habita ſunt verba.

Reſponſio.

Bene habet, quod vniuerſalis Eccleſia ſancta, prophanum hoc mendacium contra Chriſtum, contra Paulum, immò contra ipſummet Petrum, ac fidem catholicam non decantat. Orientales enim Eccleſiæ, quod ſat ſcio, & multi etiam in Occidente fidelium, hanc vocem non recipiunt. Romanam verò Eccleſiam, hæc mendacia approbare, profiteri, decantare quid prohibet? quæ mendacijs eſt alioqui refertiſſima: potuit ne diſcipulus Apoſtolicus hæc portenta horrendiſſima, toto cœtui fidelium ſcribere, vt iàm Chriſtus Petro occurſurus, tunc è cœlis deſcenderet, & tamquam Petrus, Chriſti verbis admonitus, rursùm Romam ſeſe recepit, fratribus ea quæ euenerant nunciaturus? Quid Petrus enim hac fabula apud eos promouiſſet, non intelligo, quàm vt pro ſeductore, & mendace haberetur ab omnibus. Qui quondam ad Iudæos de Chriſto locuturus, vt Actuum habetur tertio, dixerat, oportet quidem cœlum Ieſum Chriſtum ſuſcipere, vſque in tempora reſtitutionis omnium, quæ loquutus eſt Deus, per os ſanctorum ſuorum à ſeculo prophetarum. Quomodo tunc ergo cœlum terris Chriſtum reddiderat, antè conſumationem omnium, quę circa diem iudicij primum eſt futura? dicentibus etiam Angelis ad eos, qui intuebantur Chriſtum, in nube pergente ad cœlum: Hic Ieſus, qui aſſumptus eſt à vobis in cœlum, ſic veniet quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum. Quod explanat Matthæus de aduentu eiuſdem ad iudicium: Videbunt, inquit, filium hominis venientem in nubibus cœli, cum virtute multa, & maieſtate, quemadmodum enim in nube aſcenderat, ſic in nube ad iudicandum reueniet. Ecce quam inconueniat credere, vt vnquam Chriſtus in ea perſona, qua à nube correptus in cœlum deuolauit, in terras deſcenderit. Sed reuera ad diem iudicij primum, à fidelibus expectatur rediturus, vt ad eam ſententiam, Pſalmiſta quoque alludat: Dixit Dominus Domino meo; ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos, ſcabellum pedum tuorum. Vndè nunquam adhuc perſonaliter deſcendiſſe creditur, vt alicui ſanctorum in terris apparuerit. Enimuero in cœlis ſemper apparere dignatus eſt, & ab indè adeo, & loqui. Stephanus enim intendens in cœlum, vidit gloriam Dei, & Ieſum ſtantem à deſtris virtutis Dei.

Et Paulum appropinquantem Damaſco, ſubito circumfulſit lux de cœlo, qui cadens in terram, audiuit vocem dicentem ſibi: Saule Saule, quid me perſequeris? Qui tremens, ac ſtupens, dixit: Quis es Domine? Et ille: Ego ſum Ieſus Nazarenus, quem tu perſequeris; quod ille de ſua conuerſione mirificatum, illic cum Iudæis alloquitur. Act. 22. tum vbi apud Agrippam, & Feſtum præſidem, Act. 26. data eſt ſeſe defendendi copia, proprijs verbis atteſtatur: Cum irem, inquit, Damaſcum cum poteſtate, & permiſſu principum ſacerdotum, die media, in via vidi Rex de cœlo, ſupra ſplendorem ſolis circumfulſiſſe me lumen.

Et Petro olim, an gentibus prædicandum ſit Euangelium hallucinanri, non quidem perſonaliter Chriſtus apparuit, ſed in extaſim raptum, ne quid commune diceret, ac immundum edocuit. Et nuſquam prorsùs poſt aſcenſionem ſuam, alicui ſanctorum apparuiſſe, in eo habitu, quo poſt reſurrectionem ſuam, per dies quadraginta conuerſatus eſt cum diſcipulis, conueſcebatur, & loquebatur eis de Regno Dei. Chriſtum in Sacra Scriptura legimus, immò nec aliquando appariturum, priuſquam dies iudicij venerit, credimus fide catholica Chriſtiani inſtructi. Quantum flagitium ergo, tanta contra legem Dei mendaciorum ſimulacra, diſcipulo Apoſtolico attribuere, quibus bonum ille virtutis ſpecimen de ſeſe præbuerat, eorumque doctrinam pulchrè percalluit? Poſſem hic, & de ſacello, quod in huius mendacij robur extructum eſt, nonnihil dicere, & probare copioſè, nullum ſacellum, nec aliquam baſilicam, ad aliquot annorum centurias Romæ, & locis ei adiacentibus exædificatum fuiſſe, ſed Chriſtianos in latebris, & ſpeluncis ſubterraneis conuenire ſolitos, vel ad mortem

Do-

Domini annunciandam, vel hymnis, & orationibus Chriſti ſuffragium, & diuinam gratiam ſibi demerendam.]

Reſponſionis quintæ, confutatio.

Quid ex his aduerſarius moliatur, omnes vident, ſcilicet quod Chriſtus prædicta locutus non fuerit Petro. At quanam ratione? Quia nunquam, inquit, è cœlo deſcenderit Chriſtus, poſteaquam eo conſcendiſſet, ſed nec vnquam indè deſcenſurus eſt, antè iudicij diem, id quod ex ſacris literis aſtruere conatur. Et primum, ex ipſius Petri verbis, Actorum cap. 3. Oportet, inquit, cœlum Ieſum Chriſtum ſuſcipere, vſque in tempora reſtitutionis omnium, quæ locutus eſt Deus per os ſanctorum ſuorum, à ſeculo prophetarum. Quomodo ergo cœlum terris Chriſtum reddiderit antè conſumationem omnium, quæ circa diem iudicij primum eſt futura? Facilis eſt reſponſio, cum ex his ſcripturæ locis, nihil præterea colligatur, quàm quod Chriſtus in cœlo perpetuo ſit manſurus, donec ad iudicium venerit. Quæ res, hiſtoriæ ſupra citatæ, nihil aduerſatur; ſiquidem Chriſtus mirifica ſua poteſtate, ſe præſentem terris corpore exhibere poteſt, permanens nihilominus in cœlo, ad dexteram Dei Patris. Hoc enim omnes, quotquot orthodoxi ſumus, quotidie fieri nihil dubitanus: nam Chriſtum in altaris ſacramento verè præſentem credimus, & nihilominus apud Patrem quoque verè præſentem in cœlis eum eſſe profitemur. Dedit enim ipſe procul dubio miniſtris Eccleſiæ ſui corporis conſecrandi poteſtatem, cum dixit: Hoc facite in meam commemorationem. Et rursùm, quod conſecratum eſt, affirmauit verè ſuum corpus eſſe quando ait: Hoc eſt enim corpus meum. Illud etiam addi poteſt: quod verbum Petri, oportet Chriſtum cœlum ſuſcipere, vſque ad tempora reſtitutionis omnium; intelligitur tanquam de ſede, & habitatione, ac loco proprio, & frequenti, & ex communi ordinatione: quamuis ob aliquot cauſas, vel ex diſpenſatione, & priuilegio alicuius ſancti, nihil vetet ad breuiorem temporis morulam, ad alium locum accedere; ſimile eſt de Rege, ac Principe, qui habitat in aula, & ibi eſſe, & habitare ſemper rectè dicitur: quamuis aliquando diuerſetur apud aliquem ciuem. Item dicitur ſemper eſſe in ciuitate regia, & in ea habitare, ac in proprio regno, quamuis vno, aut altero die, vel menſe, egrediatur: quia ſcilicet ſtatim redit eò, & quia ibidem habitationem habet. Perſpicuum eſt igitur, quod Petri verbis ab aduerſario citatis, nihil repugnat, quod & Chriſtus eodem momento temporis, corpore præſens ſit in terris, & in cœlis. Addendum, quod niſi quis ſanctorum vitas, quæ magno Eccleſiæ totius commodo conſcriptæ ſunt, omnino contemnere voluerit, ex eis abundè confirmabitur ſententia noſtra. Nam (vt illæ teſtantur) ſæpè Chriſtus ſemetipſum eis præſentem exhibuit, quo eos calamitate preſſos, conſolaretur, ità vt nihil mirum fuerit, ſi Petro in tantis anguſtijs conſtituto, Chriſtus apparuit. Ad hæc non poteſt Paulus fuiſſe mendax, cum dixit, ſe vidiſſe Dominum Ieſum: ſic enim primæ ad Corinthios cap. 9. teſtatur: An non ſum Apoſtolus inquit? An non ſum liber? An non Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum vidi? Quod dixit, ne cæteris Apoſtolis, qui Chriſtum in terris corpore ſecuti ſunt, inferior eſſe exiſtimaretur.

Et rursùm cap. 15. Poſtremo verò omnium velut abortiuo, viſus eſt, & mihi. At cum ea verba, Paulus ad oſtendendam veram carnis reſurrectionem, eo loci adducat, oportuit eum vtique vidiſſe Chriſtum corpore. Præter hæc, locutum ei multa Chriſtum fuiſſe, palàm eſt ex Actis cap. 9. & 22. ſed & Barnabas Actorum cap. 9. narrauit Apoſtolis, quomodo Paulus in via vidiſſet Dominum, & quod locutus eſſet ei. Quod ſi Paulus in via Chriſtum viderit corpore, & audierit ad ſe loquentem, quid prohibet quominus, & idem contigiſſet Petro? Nam ſicut in Actis traditum eſt, cum Paulus, viſo circumfulgurante lumine, collapſus eſſet in terram, audiuit vocem dicentem ſibi, Saule Saule quid me perſequeris? Et ipſe clamauit: Quis es Domine? Cui Dominus: Ego ſum Ieſus Nazarenus, quem tu perſequeris, durum eſt tibi contra ſtimulos calcitrare.

Et Paulus tremens, ac ſtupens ait: Domine quid vis me facere? ſubiecit Chriſtus: ſurge, & ingredere Ciuitatem, & dicetur tibi, quid te oporteat facere. Quid huic colloquio diſſimile eſt, quod refertur in hiſtoria Petri? Quamobrem vt vera fuit hiſtoria, quę de Paulo loquitur, ità, & vera potuit eſſe, quæ narratur de Petro. Nam vtrique tam Petro, quàm Paulo Chriſtus corpore ità propinquus fuit, vt ab vtroque videri potuerit, & audiri. Cæterum huius hiſtoriæ de Petro, nec vnicus teſtis eſt, ſed plerique eidem ſubſcribunt, vetus traditio, quæ ad Græcos, & Latinos permanauit, antiqui auctores, qui Lini, & Egeſippi nomine circumferuntur, & in oratione de baſilicis tradendis ſine dubietatis ſcrupulo; D. Ambroſius. Poſitem (ait centuriator) probare nullum ſacellum, nec aliam baſilicam ad aliquot annorum centurias Romæ, & locis ei adiacentibus, exædificatam fuiſſe, ſed Chriſtianos in latebris, & ſpeluncis ſubterraneis conuenire ſolitos: ità ille. Id vellem perſuaſor probaſſet. Ego contra probari poſſum, ſub ipſis ſtatim Apoſtolorum temporibus, & per 300. deinceps perſecutionum annos, multas Romæ excitatas fuiſſe publicas ſacras ædes, in quibus Chriſtiani conuenirent. Antè omnia, loca vbi Paulus, Petruſque capitali ſupplicio fuere affecti, inſigni publicoque aliquo monumento fuiſſe ſignata, declarant verba illa Caij antiqui ſcriptoris (vt ait Euſebius lib. 2. cap. 24. hiſtor. Eccl.) contra cataphrigas diſputantis: Ego, inquit, habeo tabernacula Apoſtolorum, quæ oſtendam, ſi enim procedis via triumphali, quæ ad Vaticanum ducit, aut via Oſtienſi, inuenies trophea defixa, quibus ex vtraque parte ſtatutis, Romana communitur Eccleſia. Et Damaſus auctor eſt; Anacletum Papam martyrium, ſiue confeſſionem, in Vaticano, Sancto Petro conſtruxiſſe Romæ, in vico patricio, qui baſilicam paſtoris ſub Pio, Transtyberim S. Mariæ ſub Caliſto, Felicis via Aurelia ſub eodem Felice, Pontificibus

com-

cnmmemorat. Sed & profanus ſcriptor Aelius Lampridius, in vita Alexandri Imperatoris, locum publicum Chriſtianorum, ſacris Romæ addictum profitetur. Aurelianus Imperaror in oratione quadam, quam in Senatu habuit, de Chriſtianorum materalibus Eccleſijs, mentionem facit. De quibus prætereà Tertullianus, Cyprianus, Euſebius ſæpè memintrunt.

Cauillus ſextus.

[Marcus Euangeliſta Petri Diſcipulus, à præceptore admonitus, Romæ ſcripſit Euangelium, quod Petrus dum audiuit, approbauit, Eccleſiæque ad legendum auctoritate ſua dedit: vt & Clemens libro informationum ſcripſit, & Hieronymus de viris illuſtribus meminit. De quo Petrus in epiſtola ſua loquitur: Salutat vos Marcus filius meus, qui poſt conſcriptum tandem Euangelium, Ægyptum perrexit, & primus Alexandriæ Chriſtum annuncians, illic Eccleſiam conſtituit, exantlatiſque laboribus, Neroniani Imperij anno octauo, vita functus eſt. De cuius conuerſatione apud Alexandriam, Philo quoque Iudæus librum concinnauit.

Reſponſio.

Qui Clementi adſcribuntur libri, minùs eſt tutum eis credere, quoniam eorum quidam ſuppoſititij ſunt, ac falſo Clementi adſcripti, quidam verò magna ex parte deprauati, ac erroribus infecti, vt iam antea probauimus. Itàque ſciendum, quod in noui teſtamenti libris, duos, Marci cognomine, fuiſſe inſignitos inuenimus: quorum prior dicebatur Ioannes Marcus, & de hoc legitur Actuum cap. 13. Quod Paulo cum Barnaba Antiochiæ inter Prophetas & Chriſti nominis doctores, exeunte poſteà quam viſum eſt Spiritui ſancto, vt ad opus miniſterij ſegregarentur, ſeniores impoſitis ſuper eos manibus, in miniſterium eos confirmarunt. Qui profecti Seleuciam, venerunt tandem in Cyprum inſulam, & Salaminam eiuſdem inſulæ Vrbem, Chriſtum per ſynagogas annunciantes, quibus erat adiunctus, & hic Ioannes qui cognominabatur Marcus, non reprobus quidem miniſtrio.

Poſtquam autem peruenerunt Paphum, Vrbem in Cypro inſula ſitam, & indè nauigare vellent Pamphiliam, iam dictus Ioannes Marcus tenuit proficiſci cum eis, ſed è conuerſo redijt Hieroſolymam, & poſt hac Antiochiamque aſcendentibus poſt aliqua temporum interualla, Paulo & Barnaba, & aliquandiu Chriſtum illis docentibus, dixit ad Barnabam Paulus: reuertentes viſitemus fratres per vniuerſas Ciuitates, in quibus prędicauimus verbum Domini, quomodo ſe habent Act. cap. 15. Barnabas verò ſecum volebat aſſumere, & Ioannem cognomento Marcum, qui pridem iam ab eis deſcinerat, ſed Paulus hunc rogatum habuit, ne id faceret, eo quòd non conueniat, eum deinceps in munus Euangelicum reaſſumi, qui antea ab eis deſecerat; & pergentes Pamphiliam relinquens diſceſſit Hieroſolymam. Et hinc orta eſt inter eos diſſenſio, ità vt alterutrum ſepararentur.

Nam Barnabas aſſumpto Marco, perrexit Cyprum: & Paulus electo Sila recepit ſe in Syriam, & Ciliciam. Quiquidem Marcus, Barnaba ob nomen Chriſti, in Cypro impijſſime trucidato, quòd ad Ægyptum tandem iter occupauerit, nemo it inficias, cum Philo magni nominis ſcriptor, in Alexandria Vrbe Ægypti propè oſtium Nili ſita, Chriſti nomen ipſum annunciaſſe prodat: & Petrus ex Chayto, hoc eſt Babylone, quam Stephanus, & Ptolomeus in Ægypto ſitam eſſe tradunt, epiſtolam ſcribens, ipſius meminit: Salutat vos, inquiens, Marcus filius meus. Credibile eſt enim hunc Marcum, Petro familiarem fuiſſe, cum Alexandria non procul à Chayto, hoc eſt Babylone, diſtet. Et de hoc Marco multa figmenta reperiuntur.

Primum quòd dum crediderit in Chriſtum, amputaſſet ſibi pollicem, vt ſacerdotio reprobus efficeretur; deindè quod Romæ ſcripſerit Euangelium, ad vota Petri, quod protinus falſum eſt. Nuſpiam enim hunc Marcum perindè, vt nec Petrum in libris Canonicis Romæ aliquando fuiſſe inuenimus. Et ſcriptorum varietas mendacium hoc declarat. Hieronymus enim, Clementis auctoritate, ſcribit, Marcum rogatum à fratribus, Chriſti Euangelium ſcripſiſſe. Alij verò, quorum è numero, & Platina non ignobilis eſt hiſtoricus, tradunt, quòd Petrus Romanorum precibus motus, Marco qui ad hanc rem videbatur idoneus, Euangelij conſcribendi negocium iniungerit, quem omnes velut ex compoſito octauo anno Neronis obijſſe, Alexandriæque ſepultum fuiſſe ſcribunt.

Verùm enimuerò hos decepit eorum indiſcretio. Non enim alium Marcum inter Apoſtolorum Diſcipulos fuiſſe crediderant, & ideò quicquid de vtroque legitur, ad vnum falsò retulerunt.

Alter namque fuerat Marcus nomine Ariſtarchus; qui cooperator, & Diſcipulus fuerat Pauli, de quo ipſe in priori captiuitate ſua, qua biennio Romæ à Nerone detinebatur, ad Philemonem ſcribens, mentionem facit: ſalutant te Marcus Ariſtarchus, Demas, Lucas adiutores mei.

Denique vbi iam ſecundariò in manus deuenit Neronis, & ingraueſcente ætate, ac laboribus confectus, diem obitus accelerare videns, Timotheoque è carcere ſcribens, eiuſdem Marci iterum meminit: feſtina ad me venire cito; Lucas enim mecum ſolus eſt, Marcum itàque aſſume, & adhuc tecum, eſt enim mihi vtilis in miniſterio, penulam quam reliqui Troade apud Carpum, Veniens affer tecum, & libros maximè autem, & membranas.

Quod Iacobus ille Stapulenſis, non omnium deterrimus Apoſtolicus interpres, pulcherrimè exponit, inquiens: Lucam ſecum habebat Apoſtolus, Marcum autem mandat obnixè, & membranas, quæ apud Carpum erant deferri. Sed ad quidnam? niſi vt Lucę, & Marco electis à Spiritu ſancto, diuinis ſcribis, eas relinqueret, ad reponendum ſanctum Euangelium. Quid apertiùs his verbis dici poterat, quam quod Marcus Ariſtarchus, & non Ioannes Marcus ſacrum Euangelium

con-

Digitized by Google

conſcripſerit? qui facilè Neronia Imperij annos ſuperauit, cum Apoſtolus circiter tredecimum eiuſdem Imperij annum, epiſtolam hanc ſcribens, eum ſibi à Timotheo adduci poſtulat.

Neque idem (ne quem id moretur) Ariſtarchus & Ioannes apud Hæbreos ſonat. Ariſtarchus enim perinde Hebræis ſignificat, ac ſi dicas ſuſcitans coronam, Ioannes verò gratia Domini. Ex his euidentiſſimè patet, fabulam eſſe quod de Petro, & Marco quidam ſcriptitant.

Sexta reſponſionis confutatio.

In hac prolixa reſponſione, de duobus Marcis, in ſacris literis mentionem haberi magnoperè contendit; quorum alter Ioannes Marcus fuerit, de quo ſæpè in Actis fit mentio; Alter Marcus Ariſtarchus, cuius, & meminit Paulus in epiſtola ad Philemonem, dicens: Salutant te Epaphras, Marcus Ariſtarchus, Demas, & Lucas adiutores mei. Et hunc Marcum Ariſtarchum, perſuaſnt aſſerit Euangelium ſcripſiſſe, non illum Ioannem Marcum: cuius rei in partem, & Fabrum citat teſtem.

Hæc nominum multiplicatio, certiſſimum iam perfugium facta eſt omnium difficultatum. Sic nuper tres inuenimus Magdalenas, olim autem duos Cephas, duos Ioannes. Nunc verò Marcus etiam Marcum peperit, vt Plauti verbis vtar, omnes conduplicanimus. Enimuerò, vt mea eſt ſententia, vnicus Marcus extitit, gente Iudæus, diſcipulus Apoſtolorum, primus Alexandriæ Epiſcopus, qui Romæ, auctore Clemente Alexandrino Presbytero (non Clemente Romano Epiſcopo, vt perſuaſori ex ignorantia falsò viſum eſt) in ſexto informationum libro, rogatu fratrum, Petro auctore, ſcripſit Euangelium.

Ariſtarchus verò nuſquam in diuinis libris cognomen eſt Marci, vt perſuaſor ait, ſed hominis proprium nomen. Fuit ſiquidem (vt Apoſtolica Acta teſtantur) gente Macedo, patria Theſſalonicenſis, qui ſimul cum Paulo, à Iudæa Romam ductus eſt captiuus; vbi Ariſtarchus tantùm, non etiam Marcus appellatur.

Quod verò in epiſtola ad Philemonem eſt: Salutant te Epaphras, Marcus, Ariſtarchus, Demas, Lucas. Credo vtique perſuaſorem credidiſſe ſicut Marci, Ariſtarchum, ſic etiam Demæ cognomen eſſe Lucam. At verò quicumque, vel prima rudimenta grammatices Græcæ attigerit, facilè intelliget apud Paulum, Ariſtarchum cognomen non eſſe: facta namque eſſet per articulum (vt Græcis conſuetudo eſt) expreſſior ſignificatio, ſed tantum abeſt, vt Marci cognomen ſit Ariſtarchus, vt illud ipſum nomen Marcus ſit Ioannis cognomen, vt Lucas ait, *epicaloy menoy Marcoy*, dixiſſet igitur *Marcos o ariſtarchos*, vel certè *Marcos os epicaleitai ariſtarchos*, ad hæc vulgatum aduerbium *epiclin*. quo ferè in ſimilibus Græci vti conſueuere Paulo non excidiſſet.

Poſtremò luce clariùs, ex epiſtola ad Coloſſenſes probari poteſt, alium eſſe Marcum, alium Ariſtarchum, quos in epiſtola ad Philemonrm commemorauit, quod ità oſtenditur: eodem tempore quo per Oneſimum ſcripſit ad Philemonem Paulus, ad Coloſſenſes quoque Tichyco literas dedit. Quod ipſe ità commemorat in ipſa epiſtola capit. 4. Tichycum, inquit, miſi ad vos, ad hoc ipſum, vt cognoſcat, quæ circa vos ſunt, & conſoletur corda veſtra cum Oneſimo chariſſimo, & fideli fratre, qui ex vobis eſt, hoc eſt, qui veſtras eſt, ſcilicet Coloſſenſis, vt erant illi. Et propterea Hieronymus ſubinfert, ratio, inquit, ipſa, & ordo deducit, quod & Philemon quoque Coloſſenſis ſit, & eo tempore communem, ad omnem Eccleſiam Oneſimus epiſtolam tulerit, quo priuatas, ſui commendatrices ad Dominum literas ſumpſerit, ſed, & aliud indicium annotauit diuus Hieronymus: nimirum quod in vtraque epiſtola meminerit Archippi.

Nam in ea, quæ ad Coloſſenſes ſcribitur, ſic ait; diclte Archippo, Vide miniſterium quod accepiſti à Domino, vt illud impleas. In altera verò ad Philemonem, in ipſa mox epiſtolæ fronte, ſalutat Archippum.

Tertium indicium, quod in vtraque ſe vinctum fuiſſe teſtatur: ſic enim ad Coloſſenſes, Propter quod & vinctus ſum. Et ad Philemonem, Paulus vinctus Ieſu Chriſti.

Poſtremò quartum indicium, quod ad rem noſtram maximè facit, quia in epiſtolarum fine totidem 3. vtrobique (quamquam non eodem ordine) ſalutantes commemorat. Sex enim enumerat ad Coloſſenſes, Ariſtarchum, Marcum, Ieſum, Epaphram, Lucam, & Demam, totidemque apud Philemonem leguntur: Salutant te, inquit, Epaphras concaptiuus meus, in Chriſto Ieſu, Marcus, Ariſtarchus, Demas, & Lucas adiutores mei. Quod ſi nomen Ieſus in recto eſſet prolatum, totidem in hac epiſtola ſalutantes numerarentur, quot in ea quæ ad Coloſſenſes ſcripta eſt, ſi ità legeremus: Salutant te Epaphras concaptiuus meus in Chriſto, deindè ſequatur, Ieſus, Marcus, Ariſtarchus, Demas, Lucas adiutores mei.

Vtcumque ſit; palam illud eſt, Marcum, & Ariſtarchum, duorum virorum nomina eſſe in epiſtola ad Philemonem (quemadmodum in epiſtola ad Coloſſenſes) vbi Ariſtarchum nomen ſui concaptiui, ſeiunctum eſſe à Marco, apertè his verbis declarat; ſalutant vos Ariſtarchus concaptiuus meus, & Marcus conſobrinus Barnabæ; cum vtraque epiſtola eodem ſit ſcripta tempore. Cæterum cum perſuaſor affirmet hunc Marcum cuius Paulus meminit ad Philemonem Euangelium ſcripſiſſe, quod nos ſecundum Marcum appellamus, profectò inficiari non poteſt, eundem à Petro vocatum fuiſſe filium: quam rem ità probamus. Is qui Marcus appellatur à Paulo in epiſtola ad Philemonem, idem ab eodem in epiſtola ad Coloſſenſes vocatur Marcus conſobrinus Barnabæ.

At hunc eſſe illum, quem Petrus filium vocat intelligitur ex Act. & primùm cap. 12. vbi refertur, quòd Petrus vbi primum è vinculis Herodis liber euaſiſſet, illico ad domum Mariæ matris Ioannis, qui cognominatus eſt Marcus, ſe recepit. Quare facilè conijcere poſſumus, Petrum tunc tantam

erga

Digitized by Google

erga Marcum beniuolentiam concepiſſe, vt deinceps eum vocauerit filium ſuum. Haud ità multò poſt, vt ex fine eiuſdem capitis conſtat diuus Paulus, & Barnabas, eundem Marcum aſſumpſerunt in eorum miniſterium.

Cæterùm vt in 13. cap. refertur, cum Paulus, & Barnabas Pergen Pamphiliæ veniſſent, Marcus ab eis digreſſus, rediit Hieroſolymam, propter quod & Paulus, quando poſteà Barnabas ei ſuaſit, vt Marcum denuò miniſtrum acciperent, non aſſenſit; atque ita Barnabas aſſumpto ſecum Marco, ſecedens à Paulo, nauigauit Cyprum: erat enim affinitate coniunctus Marco; quod etiam hoc loco Beda palam teſtatur.

Veriſimile igitur eſſe iam opinari licet, ex iis, eundem fuiſſe Marcum, quem Petrus in epiſtola ſua filium vocauit, & quem Paulus ad Coloſſenſes vocat Conſobrinum Barnabæ. At cum in Actis non ſemel Ariſtarchi mentio fiat, nunquam tamen appellatur Marcus. Quare illud neceſſe eſt, vt Marcus alius ſit ab Ariſtarcho. Mirum præterea eſt, vbi nam apud Philonem perſuaſor legerit, Marcum Alexandriæ Chriſti nomen annunciaſſe. Tantùm enim abeſt, vt apud illum, vel Chriſti, vel Marci nomen inueniatur, vt fuerint qui, ea quæ à Philone ſcripta ſunt, affirmarint, de Chriſtianis intelligi non debere, ſed de Eſſæorum ſecta; de quibus lib. 2. cap. 7. de bello Iudaico Ioſephus eadem penè ſcripſit, quæ Philo partim in libro in quo demonſtrat virtutis ſtudioſos liberos eſſe, partim vero in libro de ſupplicibus; huius opinionis fuit Porphirius.

Nec deſuere qui de his intelligerent, de quibus tam multa in legibus Moſis, & qui à Iudæis Nazaræi appellantur. Sunt & qui in Chriſtum credentes, ſuſpicantur ibi intelligi, ſed eos, qui legem Moſis in figuris obſeruabant.

Euſebius tamen Pamphili, & cæteri Chriſtianorum, qui de illis meminere, id de Marco, & ea quæ ſub ipſo fuit Eccleſiæ (vti profectò ſunt) dicta intellexere. Quæ vero de tempore quo poſterior epiſtola ad Timotheum ſcripta eſt, aſſerit, nouiſſimis ſcilicet Neronis annis, ſatis ſupra euarguimus.

Cauillus Septimus.

Philo Iudæus vir literarum pollentiſſimus, ſub C. Caligula à gente ſua Romam miſſarius factus, dum non nihil periclitaretur ſecunda vice ſub Claudij Imperio illuc remiſſus, cum Petro Apoſtolo de nonnullis contulit rebus, & tam arctiſſimas ſecum iniit amicitias, vt tandem, quoties modo licuit, in libris ſuis, Chriſtianos honeſtis traduxerit laudibus, & in Ioannis Marci præconijs pleno libro verſaretur, vt Hieronymus in libro de viris illuſtribus prodidit.

Reſponſio.

Has nænias, vel ſolus riſus potis ſit explodere. Qui nam Philo Iudæus ſub Claudij Imperio, Petrum Romæ conuenire poterat, quem nunquam etiam Romæ fuiſſe tot iam rationibus perſuaſimus: ſiquidem Paulus in fine Imperij Claudij, Romanos, literis ſuis fidei ac virtutum admonens, & omnes Preſbyteros, ſeniores, & muneris Euangelici coauditores, tamen etiam quoſdam plebeios ſalutans; ſolius Petri ne tantillum quidem meminit.

Tandem quarto Neroniani Imperij anno, Romam perductus, Petrum illic non inuenit, & biennio ibi exiſtens, nullam Eccleſiam eius ſalutat nomine. Lucas ad quartum vſque Neronis annum, hiſtoriam Apoſtolicam Romæ ſcribens, Petri nullam mentionem facit. Paulus decem præter labentibus annis, ſecundariò Romæ captiuatus, nullum Petri præſidium ſenſit, ſed ab omnibus ferè deſtitutus; rem Euangelicam cum vno Luca tractauit: ſin verò ea ratione Philo Chriſtianos laudaſſe putatur, quòd cum Petro inierit amicitiam, ego in Iudæa potiùs id contigiſſe crediderim, vbi Petrus, Chriſtum prædicando, ætatem ſuam conſumpſit, & mortem inibi paſſus eſt.

Aut numquid ſolus Iudæorum Philo, Chriſti nomen dignis encomijs extulit? Ioſephus enim, qui non commemoratur alicubi Petrum, vel vidiſſe, vel amicitias ſecum pactum fuiſſe, tamen adeò honeſtam Chriſti mentionem in ſuis de antiquitatibus libris fecit, vt interim mirum videatur, è tam pernicaciſſima gente, aliquem reperiri potuiſſe; qui tanto laudis præconio Chriſtum extulerit.

Sed quid mirum, Ioſephum talia de Chriſto dixiſſe, cum & Dæmonum legiones Chriſtum prædicare cogerentur? Cuius & nos veritatem in multa diſcrimina perductam, nunc defendimus, ſceleraque, & errores occidentalis Babylonis patefacimus, præmia immarceſſibilis coronæ, ipſius benignitate, dubio procul adepturi.

Confutatio reſponſionis ſeptimæ.

Animaduerſione dignum, qua hic verſutia perſuaſor vtatur. Cum enim ad Diui Hieronymi teſtimonium reſpondere debuiſſet, id nequaquam præſtat, ſed iaculum declinans, prætexit ſe, validiſſimis antea rationibus, ſatis firmaſſe, Petrum Romam non fuiſſe. Atqui ſatiùs omninò fuiſſet hoc non obieciſſe, quam ex laudificatione ſubtrahere ſe certamini. Quid enim hoc aliud eſt, quam ſe præuaricatorem, ac planè victum oſtendere? Neque enim inficiari poteſt, quin Philo Iudæus aliquando Romæ fuerit, tantus eſt ſcriptorum in hac vna re conſenſus, & ipſemet in libro de legatione ſua ad Caium id profitetur.

Atque ideò ſubterfugere quærens, commentatur Philonem cum Petro in Iudæa potiùs amicitiam contraxiſſe, quam Romæ. Quod ſi ità eſſet, eadem facilitate potuiſſet ab hiſtoricis memorari, qua modo referunt id Romæ fuiſſe factum. Cæterùm quod in Iudæa cum Petro colloquium habuerit Philo, nec vnum quidem auctorem perſuaſor citare poterit.

Et ſanè probabile eſt, id eos longè libentiùs retuliſſe, quo regioni ſuæ eum fauorem præſtarent, quam quod modo referunt, Ro-

Romæ accidiſſe. Neque video, cur eo tempore id fingi potuiſſet, aut Philonis, aut Petri, aut Marci gratia. Quod ſi coniecturas in hac re ſequi liceret, ego facilè crediderim, Marcum ob eam neceſſitudinem, quam Romæ cum Philone inijt, dum is adhæreret Petro, poſteà Alexandriam conceſſiſſe. Nam & Romæ tum erat Marcus, vt epiſtola ad Coloſſenſes teſtatur.

Neque dubium eſſe poteſt, quin tum ibi fuerit Petri cauſa, magis quàm Pauli, quandoquidem, & Paulus illum ante repuliſſet, vt ex Actis Apoſtolorum liquet. Fuit verò Philo ciuis Alexandrinus, vt teſtatur Euſebius, genere Iudæus, vir eloquentiſſimus, cuius opuſcula circumferuntur varia eruditione plena, ob ſeditionem inter Iudæos, & Græcos Alexandriæ excitatam, Romam à Iudæis contribulibus ablegatus. Et bis vtique ea legatione ad Vrbem functus eſt, quemadmodùm diuus Hieronymus affirmat, primùm ſub Caio, iterùm ſub Claudio.

Porrò autem quod perſuaſor ait, Ioſephum (quamquam alicubi Petrum ſe vidiſſe non commemoret) haud minùs dignis encomijs extuliſſe Chriſti nomen, quàm fecerat Philo; nihil ad rem facit. Nam Hieronymus non de Chriſti nomine, ſed de Chriſtianis Alexandriæ ſub Marco degentibus, multa ſcripſiſſe Philonem aſſeruit, & in eorum laudibus copioſè fuiſſe verſatum. Quæ res, non parum adſtipulatur his, qui Philonem affirmant Romæ cum Petro familiaritatem iniiſſe. Ioſephus autem, & ſi de Chriſto ſcripſerit, tamen ab Egeſippo reprehenditur, perfidiæ Iudæorum fuiſſe conſortem; in hoc ipſo ſermone, quem de eorum ſupplicio manifeſtauit. Quorum, inquit, arma deſeruit, eorum tamen ſacrilegia non reliquit. Deplorauit flebiliter ærumnam, ſed ipſius ærumnæ cauſam noluit intelligere. Nec mirum, ſi Ioſephus Romæ Petrum non viderit, cum non ante Petri mortem Romam ipſe conceſſerit. Acceſſit enim Veſpaſiani temporibus, cum Petrus ante ſub Nerone cruci fuiſſet affixus. Perſpicuum igitur ex his opinor, cunctis factum eſſe, nihil Perſuaſorem hoc ſuo profeciſſe Cauillo. Neque enim redarguit, quin Philo Petrum conueniſſet Romæ, quod Euſebius, & Hieronymus, grauiſſimi auctores conſtanter affirmant. Et profectò niſi pudorem omnem abieciſſet, potuiſſet ijs adeò manifeſtis indicijs frenari, ne tantoperè aduerſùs Petri Pontificatum, quem is Romæ geſſit, oblatraret. In primis autem ad hanc rem, facit amicitia ipſa Philonis, & Petri mutua, quam auſpicatam fuiſſe Romæ, hiſtorici accuratiſſimi prodiderunt. Qui etiam referunt, Philonem Chriſtianos Alexandriæ ſub Marco degentes, miris laudibus extuliſſe. Conducit huic rei ſalutatio, qua Paulus è Roma Marcum in vna ſuarum epiſtolarum ſalutare Coloſſenſes facit. Confert & alia, qua Marci nomine, Petrus è Roma, Iudæos ſparſim incolentes regiones gentium, ſaluere iubet. Promouet eam rem, Euangelium quod à Marco Romæ fuiſſe ſcriptum, ab omnibus memoratur. Adminiculatur epiſtola Petri prior, quam priſci patres vnanimi conſenſu affirmant Roma fuiſſe miſſam. Ad hæc haud paruum indicium huiuſce rei eſt conflictatio, quam cum Simone Mago Romæ Petrum habuiſſe. Iuſtinus, Arnobius, Tertullianus, & alij affirmant. Addendum quod ab eiſdem refertur colloquium, quod cum Chriſto Petrus habuit, dum Roma fugam meditaretur. Accedunt loca, tam vbi necatus Romæ Petrus eſt, quam vbi corpus eius hucuſque quieſcit.

Poſtremò quod inficiari nemo poteſt, cineres, & oſſa Petri adhuc habentur Romæ; quemadmodum etiam Hieronymus ſuo tempore fuiſſe, aduerſùs Vigilantium ità teſtatum reliquit: Malè facit Romanus Epiſcopus, qui ſuper mortuorum hominum Petri, & Pauli ſecundùm nos, oſſa veneranda, ſecundùm te, vilem puluiſculum offert Domino ſacrificia, & tumulos eorum Chriſti arbitratur Altaria. Sed præter hæc tam apertiſſima indicia, non deſunt innumera clariſſimorum Græcorum, & Latinorum auctorum teſtimonia, qui paſſim vno ore confirmant, Petrum Romæ occubuiſſe: cum perſuaſor nec vnius quidem habeat ſcriptoris, pro ſua impoſtura tuenda auctoritatem, neque aliud quicquam, præter quaſdam negatiuas argutiolas afferat, vt quia Paulus non ſalutauit, Lucas non meminit, id non legi, quæ ex dialecticæ regulis, nullius momenti eſſe ſatis conſtat. Tot igitur indicijs, & teſtimonijs pro noſtra parte citatis, admoneri debent aduerſarij, ne tantoperè contra veritatem vſque adeò claram ampliùs obganniant. Nam multos audio eſſe huius perſuaſoris adhuc in Germania ſectatores, quos profectò in hoc errore diutiùs permanere pudere deberet. At hi tantum aduerſùs Petri ſedem virus imbiberunt, vt quemadmodum putris cloaca, peſtilentem halitum iugiter euaporat, ita hi quicquid excogitare calumniarum, & mendaciorum poſſunt, id omne in Pontifices Romanos, & Sedem Apoſtolicam euomere non ceſſant.

PERORATIO

TRACTATVS.

PErſpicuum igitur, ex hiſce noſtris reſponſionibus eſſe iam opinor, quàm futilibus ſtrophis, friuolis ſophiſmatibus, nugaciſſimis argutijs, perſuaſor oſtendere molitus ſit, Petrum Romæ numquam fuiſſe: & è conuerſò, quam efficacibus rationibus, quam ſolidis probatiſſimorum auctorum teſtimonijs, quàm apertiſſimis coniecturis, & indicijs, nos eundem Romæ obijſſe monſtrauerimus, vt nihil in hac re pium lectorem deſiderare prætereà credamus. Verùm enimuerò, vt huic diſputationi feliciùs finem imponamus, quædam, de quibus ſupra ex Euangelio abundè diſſeruimus, hic denuò breuiſſimè ſubijcere non grauabimur, & Apoſtolicæ Sedi ſcitiſſimè applicare. Primum eſt, quod & ſi Petrus non eſſet primus, tempore à Chriſto vocatus, primus tamen inter Apoſtolos à Chriſto fuit inſtitutus. Alterum, quod idem à Chriſto petra vocatus ſit, ſuper quàm Eccleſiæ ſuæ ſtructura conſurgeret. Tertium, quod eidem à Chriſto dictum fuit: Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando con-

conuerſus, confirma fratres tuos. Hęc autem adeò manifeſta ſunt, vt negari, niſi ab impudentiſſimis non poſſint. Perſcrutetur itaque ſecum pius lector primum teſtimonium, & accuratiùs rem totam ſine dolo malo contempletur. Nonne aptiſſimè congruit, vt cum vniuerſus terrarum orbis ad Chriſtum eſſet conuertendus, Vrbs ea, quæ totius mundi Princeps erat, nulli alteri pro ſede, quam ei, qui primus inter Chriſti Apoſtolos erat, diuinitus contingeret? Nam ſi quiſquam alius Apoſtolorum eam Cathedram ſortitus eſſet, iam non ſolum Petrus in hoc habuiſſet ſuperiorem, verùm etiam indecorè actum eſſet, vt præcipua Sedes, Apoſtolo non præcipuo demandata fuiſſet. Quamobrem, & Leo Papa in concione, quam de Apoſtolis habuit, ità ſcribit: Nam cum duodecim Apoſtoli, accepta per Spiritum ſanctum omnium locutione linguarum, imbuendum Euangelio mundum diſtributis ſibi terrarum partibus ſuſcepiſſent, beatiſſimus Petrus Princeps Apoſtolici ordinis, ad arcem Romani deſtinatur Imperij, vt lux veritatis, quæ in omnium gentium reuelabatur, ſalutem efficacius ſe ab ipſo capite per totum mundi corpus effunderet. Cuius autem nationis homines in hac tunc Vrbe non eſſent? aut quæ vſquam gentes ignorarent, quod Roma didiciſſet? Hic conculcandæ Philoſophiæ opiniones, hic reſoluendæ erant terrenæ ſapientiæ vanitates, hic confutandus Dæmonum cultus, hic omnium ſacrilegiorum impietas deſtruenda, vbi diligentiſſima ſuperſtitione erat collectum, quicquid vſquam fuerat vanis erroribus inſtitutum. Hæc Leo, cui in Chalcedonenſi Synodo ſumma Patrum admiratione, ter, ſancto, acclamatum fuit.

Secundus verò locus, quem ex Euangelio enunciauimus, eſt, quia Petrus à Chriſto ſolidum ſaxum, & præcipuum totius Eccleſię poſt ſe ipſum fundamentum conſtitutus fuit. Cui rei tam & ſi recentiores hæretici contradicant, tantus eſt tamen ſanctorum Patrum, in ea re, nemine reclamante, conſenſus, vt quicquid illi deblaterent, haud aliter quam canum latratus æſtimari debeat. Cæterum vt diuinos interpretes omittamus, ipſa ſacra ſcripta ſatis eam rem teſtantur. An non apud Ioannem ſcribitur: Chriſtum Simoni dixiſſe: Tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas; quod ſonat, ſi interpreteris, petra, ſiue lapis, & non quidem cuiuſuis generis, ſed fundamento tantùm aptus. Quamobrem cum ei Chriſtus nomen id indidiſſet, vocaſſetque Simonem Cepham, ſeu Petrum, hoc eſt, vel petram, vel lapidem, aut ſi mauis ſaxum, nonne ſubiunxit, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Et quanam alia de cauſa Chriſtus illi nomen eiuſmodi præ cæteris Apoſtolis impoſuiſſet, quod lapidem, ſaxum, aut petram ſignificat, quàm, quod ab ipſo, velut à præcipuo poſt ſe ipſum fundamento, Eccleſiæ ſtructura excitanda eſſet. Quod totum nunc nonne apertiſſimè cernimus completum? Quis non animaduerterit Eccleſiam, quæ hodiè extat, non ab alio Apoſtolo, quàm à ſolo Petro permanaſſe? Vbi iam locorum ſunt Chriſtiani, quos aut Andreas conuertit, aut Ioannes, aut Apoſtoli cæteri? Nuſquam omninò ſunt, ſed nec eorum aliqua ſucceſſio iam ſupereſt, de veris loquor, & legitimis Chriſtianis, non de hæreticis, aut ſchiſmaticis. Neque enim omnes quibus in ore Chriſtus eſt, ſyncerè Chriſtiani ſunt reputandi. Reliquum eſt igitur, vt huius cœtus, quem hodie vocamus Eccleſiam, ſolus ipſe Petrus exordium habeatur, ex oraculo ſcilicet Chriſti, ſolus inquam poſt Chriſtum. Nam lapis omninò primarius huius ſtructuræ Chriſtus eſt, quemadmodum, & Paulus teſtatur: Ipſo, inquit, ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu, in quo omnis ædificatio creſcit in templum ſanctum in Domino, & rurſum: Petra autem erat Chriſtus. At poſt Chriſtum, primus fuit Petrus, ſuper quem ædificantur quotquot hodie Chriſtiani ſunt, veluti viui quidam lapides (vt idem ait) in domum ſpiritualem, quæ nimirum eſt Eccleſia. Nam Eccleſia quid aliud eſt, quàm fidelium in quandam vnitatem collectio? Quæ ſanè iam non alia putari debet, quam quæ temporibus Petri fuerat, tametſi nos qui nunc viuimus, morum varietate, & labefactatis integris inſtitutis, longè plurimum ab illa diſtemus. Cum enim ipſa Chriſtianorum ſucceſſio, à Petro incipiens, hucuſque penitùs interrupta perducta ſit, non immeritò, poteſt vna prorſus Eccleſia dici tota ipſa collectio, quæ ab ipſo manauit. Quis igitur iam non videt, quantum illis Chriſti verbis congruat, quod Petrus aliquandò ſediſſet Romæ, cum è Romana Eccleſia, tanquam ex primo fonte, veræ fidei lux in cęteras, quæ iam per Chriſtianiſmum ſparſæ ſunt, Eccleſias, deriuata ſit.

Poſtremò ſi attentè cogitabimus, id quod tertio loco, de fide Petri ſupra à nobis memoratum eſt, dilucidè perſpiciemus nequaquam conueniſſe, vt Petro pro præcipua ſede, contigiſſet earum aliqua, quas nunc occupant incredulitatis tenebræ. Non inficias eo, quin clara fidei lux, olim Antiochiæ fulſerit, vbi primùm ſedit Petrus, ſed ea nunc ab infidelibus opprimitur. Hieroſolyma quoque, quam rexit Iacobus Apoſtolus frater Domini, hodie teterrima incredulorum ſeruitute premitur. Alexandria, vbi Marcus docuit, in Chriſti hoſtium poteſtate eſt. Andreas Achaiam Chriſto acquiſiuit, ac ea iam Chriſti inimicis eſt ſubdita. Minorem Aſiam Ioannes obtinuit, ibi nunc magnus Turcarum Tyrannus dominatur. Sic orbis terrarum reliquæ partes, quæ cæteris obtigerunt Apoſtolis, nunc in infidelium poteſtatem deuenere. Congruebat igitur, vt eam mundi partem obtineret Petrus, in qua fides Euangelica nullo vnquam tempore extingueretur. Id quod, an cuiquam alteri Apoſtolorum contigerit, facilè intelligi poteſt. Nam, & ſi Chriſtus in vnius, aut alterius eorum ſede, adhuc annuncietur, verendum eſt, ne ſic prædicetur, quemadmodum ab hæreticis, & ſchiſmaticis, fieri multis in locis non ſine dolore intelligimus. Et quamquam eadem ſit fides Petri, quæ & cæterorum, tamen quia Petro ſingillatim hoc erat dictum, opportunum fuit, vt alicubi locorum, in quo Petrus hanc fidem prædicaret, ea ad vltimum, vſque diem perpetuò vigeret, quod nuſquam ſanè commodius fieri præterquam Romæ potuiſſet. At dicet quis: Nuſquam alibi vita Chriſtianorum Chriſto ma-

gis aduerſatur, quàm Rnmæ; atque id quidem inter ipſos Eccleſiæ proceres, quorum mores cum Chriſti inſtitutis pugnant. Hæc autem fortaſsè nobis aduerſarij obijcient. At iſta, noſtrum inſtitutum confirmant. Nam cum cęterorum Apoſtolorum Sedes, videmus iam paſſim ab incredulis occupari, & hanc ſolam, quæ Petri fuerat, ad hunc vſque diem in ditione eſſe Chriſtianorum, quæ tamen ob tot ſcelera deleri cum cæteris meruiſſet: quid aliud cogitare poſſumus, quam veraciſſimum eſſe Chriſtum, qui tot & tantis laceſſitus iniurijs, promiſſa tamen ſeruat, atque vt ipſi volunt, vel immeritis? Fides per Petrum prædicata Romæ, non defecit hactenùs. Et permanet adhuc Eccleſiæ vera ſucceſſio, quæ à Petro ſumpſit exordium, cuius & ipſe velut ſaxeum, & ſolidum à Chriſto fundamentum erat conſtitutus. Quis iam itaque non clarè perſpicit, quantum iſta mutuò ſe fulciunt, ideſt quantum Petri Sedes, quam in Romæ diuinitùs locauit, verbis Chriſti correſpondeat, ac viciſſim quantum ipſa Chriſti verba, Petrum Romæ ſedere debuiſſe, validè corroborant? Nam quia Petrus fuit inter Apoſtolos præcipuus, conueniens fuit, vt & præcipuam ſedem ipſe ſortiretur. Et quia Petrinæ ſoliditatis ei nomen fuerat impoſitū, æquum erat, vt ab ipſo non inualida, ſed ſolida quædam poteſtatis ſtructura permaneret.

Poſtremò cum ei peculiariter à Chriſto fuiſſet dictum; Oraui pro te ne deficiat fides tua Petre, decuit vt alicubi fidem Chriſti doceret Petrus, quæ ità duraret, vt aduersùs eam infidelitatis tenebræ neutiquam prǽualerent. Quorum trium, vix vnum aliquod hodiè videremus, ſi cuiuſuis alterius Apoſtoli Sedes, quæ nunc ab Chriſti perduellibus occupatur, Petro poſtrema contigiſſet. Harum rerum euentus, ſic permouerunt Auguſtinum, vt is per eos ſe planè fateatur in Eccleſiæ gremio fuiſſe colligatum. Sic enim inter alia ſcribit aduersùs Manichæum contra epiſtolam Manichæi, quæ fundamenti dicitur cap.4. Tenet me ab ipſa Sede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oues ſuas poſt reſurrectionem Dominus commendauit, vſque ad præſentem Epiſcopatum, ſucceſſio ſacerdotum. Tenet poſtremò ipſum Catholicæ nomen, quod non ſine cauſa inter tam multas hæreſes, iſta Eccleſia ſola obtinuit. Hæc ille: quibus verbis intelligimus ipſa tria. Primùm Petri Sedem. Deindè perpetuam Epiſcoporum à Petro ſucceſſionem. Tertiùm quod inter tam multas Hæreſes, hęc Eccleſia, quæ à Petri Sede permanauit, vel ſola Catholicæ nomen obtinuit.

Opinor itàque iam vel Sole dilucidius apparere, Petrum & vniuerſalis Eccleſiæ paſtorem fuiſſe, & verè obijſſe Romæ, nihilque niſi meras nugas eſſe, quas Perſuaſnt, & qui eum ſequuntur virulenta maliria contra Romanæ Cathedræ principatum euomunt. Qui cum in hac re tam manifeſta, impoſtores deprehenſi ſint, æquum eſt, & quicquid de alijs rebus ſcribent ex hac metiamur, & crimine ab vno omnes diſcamus, horumque peruerſa dogmata, vti venenata pocula, ad fidelium perniciem propinata, modis omnibus auerſemur, reijciamuſque. Chriſto verò ſit laus, quod ipſamet experientia redarguti ſint manifeſti mendacij.

Cum & Pontificem noſtrum Pium Quintum virum verè ſanctiſſimum, tot optimos patres Cardinales, clerum, & populum Romanum habeamus optimè inſtitutus, Vrbſque ipſa tota pijs operibus ſcateat, in ſacramentorum frequentatione.

Quod Petrus in Vrbe moriens ſummam in Eccleſia poteſtatem ſibi à Chriſto traditam Clementi ſucceſſori ſuo, & ijs qui poſt eum Romani futuri eſſent Pontifices, reliquerit, ex Sanctis Patribus probatur.

Petri porrò ligandi, & ſoluendi officium, ac in Eccleſia primatum in eius ſucceſſores deriuatum, ex eo argumentari poſſumus, quod exiſtimandum non eſt Chriſti voluntatem fuiſſe, vt id munus tanto magiſterio fundatum ſimul cum vnius hominis vita deficeret, quod ne illo quidem tempore defecit, quo Chriſtus corpore diſcedens à terris, in Cœlum aſcendit, ex quo nobis ne morte quidem Petri deſtitutum indicauit, ſed ad ſucceſſores eius peruenturum, ac tamdiu duraturum, donec & oues paſcendæ reperirentur, & ipſe corpore ad iudicandos viuos, & mortuos reuerteretur, vt illuſtris, & glorioſus appareat in ſanctis ſuis. At vbi extremum illud iudicium peractum fuerit, tunc ipſe Chriſtus, vt Paulus ait, tradet Regnum Deo & Patri, atque ex eo tempore Deus erit perpetuò omnia in omnibus, neque aut eiuſmodi munus, aut qui eo fungatur ampliùs, ouibus deficientibus, erunt: hæc ita eſſe Sanctorum Patrum teſtimonija facilè confirmari poſſunt.

Primus Petri Apoſtoli ſucceſsor in Epiſcopatu Romano, & vniuerſalis Eccleſiæ cura Clemens vir ſanctus fuit, qui ab eodem Petro paulò ante ipſius obitum per manuum impoſitionem Epiſcopus Romanus ſumma cum poteſtate ſibi ſubſtitutus poſt illum Catholicam Eccleſiam rexit.

Hunc Damaſus Papa in vita Petri Apoſtoli diſertis verbis exponit ſic. Sanctus Petrus beatum Clementem Epiſcopum conſecrauit, cui & Cathedram vel Eccleſiam omnem diſponendam commiſit dicens. [Sic vt mihi gubernandi tradita eſt à Domino meo Ieſu Chriſto poteſtas ligandi, ſoluendique, ità & ego tibi committo, vt ordines diſpoſitiones diuerſarum cauſarum, per quos actua non Eccleſiaſtici profligentur, & tu minimè curis ſeculi deditus reperiaris; ſed ſolummodò orationi, & prędicationi ad populum vacare ſtude. Idem in Clementis Papæ vita ſic ſcribit. Hic ex præcepto beati Petri ſuſcepit Eccleſiæ Pontificatum guberoandum, ſicut ei fuerat à domino Ieſu Chriſto Cathedra tradita, vel commiſſa.

D. Cyprianus lib.4. Epiſtola ſecunda ad Antonianum, factus eſt, inquit, Cornelius Epiſcopus de Dei, & Chriſti eius iudicio, de Clericorum penè omnium teſtimonio, de plebis ſuffragio, & de ſacerdotum antiquorum collegio, cum nemo ante ſe factus eſſet, cum Fabriani locus, ideſt, cum locus Petri,

&

Digitized by Google

& gradus Cathedræ ſacerdotalis vacaret.

Optatus Afer Epiſcopus Mileuitanus lib. 2. contra Parmenianum, & alios Donatiſtas; Vna, inquit, Cathedra eſt priuilegium vnius Eccleſiæ, & primum, ideò non adhærens vnitati Cathedræ; non adhæret vnitati Eccleſiæ; Cathedra vna eſt, & negare non audes ſcire te in Vrbe Roma Petro primo Cathedram eſſe collatam, in qua ſederit omnium Apoſtolorum Caput Petrus, in quo vno Cathedræ vnitas ab omnibus ſeruaretur, ne cæteri Apoſtoli ſingulos ſibi quiſque defenderent, vt iam ſchiſmaticus eſſet, qui contra vnam Cathedram alteram ſibi collocaret: Ergo Cathedra vnica eſt, quæ eſt prima de dotibus, & in ea ſedit primus Petrus; ſucceſſit Linus, Lino Clemens, cui Anacletus &c. & infra. Contra portas inferi claues ſalutares legimus Petrum Principem noſtrum recepiſſe, cui à Chriſto dictum eſt; Tibi dabo claues Regni Cœlorum; Vnde eſt ergo, quod Claues Regni Cœlorum vobis vſurpare contendiris? qui contra Cathedram Petri veſtris præſumptionibus, & audacijs ſacrilegio militatis &c. & infra. Igitur de dotibus Eccleſiæ Cathedræ prima eſt, quam probanimus per Petrum noſtram eſſe, quæ ducit ad ſe Angelum, Angelus enim qui datur Eccleſiæ, ei non coniungitur, qui ſe Cathedræ Petri non coniungit, &c. & infrà. Vos dico abſciſſos palmites à vite, vos riuum conciſum à fonte, non enim poteſt origo eſſe riuus, qui paruus eſt, & non de ſe naſcitur, & arbor è ramo conciſo excecta areſcit.

D. Auguſtinus tractatu quinquageſimo in expoſitionem Ioannis Petro, non tantum datas eſſe claues Cœlorum, ſed & ſucceſſoribus per longum probat, vbi inter cætera hæc ait. Si enim Petro tantum dictum eſt; tibi dabo claues Regni Cœlorum, & quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in Cœlis, non facit hoc Eccleſia: ſi autem & in Eccleſia fit, vt quæ in terra ligantur, & in Cœlo ligentur, & quæ ſoluuntur in terra, ſoluantur in Cœlo, quia cum excommunicat Eccleſia, in Cœlo ligatur excommunicatus, cum reconciliatur ab Eccleſia, in Cœlo ſoluitur reconciliatus: Si hoc ergo in Eccleſia fit, Petrus quando claues accepit, Eccleſiam Sanctam ſignificauit.

Idem cont. epiſt. fund. c. 4. tenet me, inquit, ab ipſa Petri Sede, cui paſcendas oues ſuas poſt reſurrectionem Dominus commendauit vſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio ſacerdotum.

Idem epiſt. 165. ad Generoſum, ſi enim ordo Epiſcoporum ſibi ſuccedentium conſiderandus eſt, quantò certius, & verè ſalubriter ab ipſo Petro numerauimus, cui totius Eccleſiæ figuram gerenti dominus ait, ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam, & portæ inferi non vincent eam, Petro enim ſucceſſit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Euariſtus &c. omnes vſque ad Anaſtaſium enumerat.

D. Io. Chryſoſtomus Epiſcopus Conſtantinopolitan. lib. 2. de Sacerdotio cap. 1. Qua nam, inquit, item de cauſa idem ille ſanguinem effudit ſuum, certè vt oues eas acquireret, quas tum Petro, tum ſucceſſoribus Petri gubernandas in manus tradidit: Iure igitur, ac meritò ſic loquebatur Chriſtus, quiſnam fidelis ſeruus, & prudens, quem Dominus ſuper familiam ſuam conſtituit.

Ioannes III. Papa in epiſtola, quam vniuerſis Germaniæ; & Galliarum Epiſcopis ſcripſit, ità ait: Si autem Petrus Princeps Apoſtolorum adiutores ſibi adſciuit Linum, & Cletum, non tamen poteſtatem Pontificij, aut ligandi, aut ſoluendi eis normam tradidit, ſed ſucceſſori ſuo ſancto Clementi, qui Sedem Apoſtolicam poſt eum, & poteſtatem Pontificalem tradente ſibi beato Petro tenere promeruit: Linus verò, & Cletus miniſtrabant exteriora, Princeps autem Apoſtolorum Petrus verbo, & orationi inſiſtebat, Linum namque, & Cletum nihil legitur vmquam ex Pontificali miniſterio egiſſe poteſtatiuè, ſed quantum eis à beato Petro præcipiebatur, tantummodò agebant.

Pelagius Papa II. contra Ioannem Patriarcham Conſtantinopolitanum canone 2. Quicquid, inquit, ſtatuiſtis ex auctoritate ſancti Petri Apoſtolorum Principis, & Domini Saluatoris voce, qua beato Petro poteſtatem ſoluendi, & ligandi ipſe Saluator dedit, quæ etiam poteſtas in ſucceſſorem eius indubitanter tranſiuit, caſſamus, & annullamus.

Hadrianus Papa Conſtantino, & Irene Auguſtis, & Synodo Nicænæ 7. beatus Petrus, inquit, Apoſtolorum Princeps ſui Apoſtolatus principatum ſucceſſoribus ſuis, qui in ſua ſanctiſſima Sede ſucceſſerunt, perenniter dereliquit, quibus, & auctoritatis poteſtatem, quemadmodum à Saluatore noſtro ei conceſſa eſt, ipſe tradidit diuino iuſſu ſucceſſoribus ſuis.

Placidia Auguſta Valentiniano Auguſto Filio. Quia Roma, inquit, eſt maxima Ciuitatum, & domina orbis terrarum; Ideò Petrus in ea Principatum ordinauit diuini Epiſcopatus.

F I N I S.

Digitized by Google

REGESTVM.

ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXYZ.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz.

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq Rrr Sſſ Ttt Vuu Xxx Yyy Zzz.

Aaaa Bbbb Cccc Dddd Eeee Ffff Gggg Hhhh Iiii Kkkk Llll Mmmm.

Omnes ſunt Duerniones.
Principium eſt Duernio.

ROMÆ, M.DC.XCVIII.
Ex Typographia Ioannis Franciſci Buagni.

Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google